R. P.
FRANCISCI
DE OVIEDO
CVRSVS
PHILOSOPHICVS.

Digitized by Google

Oviedo (De), Francisco 8.51. G. 11

R. P. FRANCISCI DE OVIEDO MADRITANI,

SOCIETATIS IESV, THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

CVRSVS PHILOSOPHICVS,

AD VNVM CORPVS REDACTVS,

TOMVS PRIMVS.

[Tomus II]

COMPLECTENS SVMMVLAS, LOGICAM, Phyſicam, Libros de Cælo, & de Generatione.

SECVNDA EDITIO.

Ab Authore aucta, & à pluribus quibus ſcatebat, mendis expurgata.



LVGDVNI,
Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, & GVILIELMI BARBIER.

M. DC. LXIII. 1663, 2 tomi in 1 vol.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

INGENII mei, Lector amice, qualecumque illud ſit, primus in lucem prodit fœtus, Philoſophicas tibi elucubrationes offero, quarum clariorem, quàm potui, perfaciliorémque methodum, Controuerſia u m Series ſatis oſtendet. Neque de operis diſpoſitione, aut diuiſione præfabor, cur enim ſeriem doctrinæ referam, eandem protinus expenſurus, quam in Voluminis cortice, & in ſubiuncto didiceris Indice, etiamſi ipſam doctrinam neque exenterare, neque euiſcerare velis. Illud tamen exopto, ne opus hoc quantitate perpendas, vel foliorum numero, aut magnitudine æſtimes. *Mihi enim cura fuit cauſam potius implere, quàm paginam.* Neque illos amo, qui plura videntur dicere, quàm docere. De magnitudine ipſa operis (fateor) frequenter commendatur authoritas, & venuſtas; quia *voluminibus ipſis authoritatem quandam, & pulchritudinem adiecit magnitudo.* Cæterùm neque pulchritudinis aliquid operi addere quantitatem duxi, neque illius commendationem magnitudine comparare ſtudui. Quæſtionum cuique, quod merebatur impendi, plura occurrent ſuccincta, & perfunctorio vt aiunt, calamo diſputata, plura diffuſa, & altiori meditationi compoſita: neque illa protrahi debuerant, ne monſtroſa, neque iſta minui, ne manca prodirent. Quædam liberalis, illiberalis alia natura conceſſit, nucleus ſæpe inuolucro leui plicatus palato ſine labore dulceſcit, ſæpe duro concluſus cortice, & labyrinthæo mæandro latet inuolutus, nec raptim quidem, ſed ardua inuenitur indagine. Segne illorum ingenium odi, qui indiſcretâ materiâ vbique breuitatem affectant, quippe ignorare aliqua malunt, quàm verborum expenſis difficultatem penitus exantlare, & cùm omnia agant, vix aut nunquam quidquam peragunt: vtrobique fortaſſe & ſtylo protracto, & contracto peccatur? aſt longo diſcrimine, nam *alius dicitur exceſſiſſe materiam, alius non impleſſe, æque vterque, ſed ille imbecillitate, hic viribus peccat.* Referentem oportet veritatem indigitare: demonſtrare, & perſuadere docentem: ille autem guttatim inſtillet hic non ineptè effundat vbertim. *At eſt gratior multis actio breuis; eſt quidem, ſed inertibus, quorum delicias, deſidiámque quaſi iudicium reſpicere ridiculum eſt, nam ſi hos conſilio habeas, non ſolùm ſatius eſt breuiter, ſed omnino non dicere.* Silentium & quidem in dicendo breuitas vnum eſt imperitorum aſylum, quibus *nullus remaneret locus veniæ, ſi plura loquerentur: ſola breuitas commendat indoctos; ſupra errorem eſt prolixa narratio ruſticantis: quando ab ignaro extortum fuerit, quod diu legatur, ſibi rancorem ſuum debet exactor.* Neque ideò me, Beneuole Lector, doctum commendare, omníque ex parte abſolutum opus vendicare exiſtimes, ſed dicta præmiſi, quibus ſi quandoque prolixus accuſer (quod ab eis, qui in Voluminis quantitate ſiſtunt, ſecus, qui ſcripta penitus inſpicere progrediuntur, fortaſſe contingere vereor) omni damnatione liber euadam. *Haud enim de illis ſum, quibus, ſi dicendi copia eſt, neglectis rerum cauſis rationis animum ſpernunt, & verborum corpora diligunt.* Id imprimis conatus ſum, vtinam aſſequutus, ne tibi verba inania, & voces ſolùm ſonantes effutirem, ne ſententias magis cum fuco, quàm ſucco propinarem, neque Philoſophiam ſine Philoſophia traderem. Nullam, crede, fui opinionem amplexatus, quam vel neruoſa rationum vis non euincat, vel cæteris probabilitate, aut facilitate præferre non iudicem; id dum præſto aliarum ſententiarum argumenta commemoro, vt viuida, vegeta, ad amuſſim, totíſque numeris abſoluta exceptur is intorqueam: quo fit, vt aliàs leuia, & ab his, qui ex vetuſtis Doctoribus fide potius, quàm lectione recepere, bene librata, in meliorem formam compoſita pondus accipiant, & iam firmiora firmiores alias nouaſque exigant ſolutiones. Neque enim, quas non probo, prætermitto ſententias, imò eis etiam refellendis (ſi quas poſſum) vires adiicio, vt præ vetuſtate languentes ac ferè antiquatæ in nouum reſtitutæ vigorem propiùs ad verita-

Sidonius in Epiſt. ad Claud. *Plin. lib. 1. Epiſtol. ad Tacit.*

Ibidem.

Ennod. lib. 7. epiſt. 10.

Claudian. Mamert. de ſtatu animæ. lib. 1. epiſt. 1.

** 3 tem

tem accedant, ne deinde eas in deſpectu habeas, ſed labore, ingenio & difficultate retundas. Hinc tibi, mi Lector, Philoſophiam vulgarem quidem profero, meo tamen ſatisfecero voto, ſi eam non vulgariter tradiderim; opiniones namque ſectatus ſum plerumque communes, nouas & inſuetas opinandi vias ſine vrgenti rationum vi, & argumentorum pondere probaui nunquam? Etenim *temeritas præterquam quod ſtulta, eſt etiam infelix.* Caui hunc ſcopulum, & nihil audacter, nec quidquam temerè pronunciaui, illos exoſus, qui propria ſomnia, aut deliramenta phantaſiæ magis nouitatis libidine, quàm ſtudio veritatis extollunt, & vbi diſputationis ventum ad pugnam, patiuntur ſemel, & iterum opportuna inſtari importunitate, ſuáſque ſolutiones toruis ſuperciliis à circumſtantibus excipi, vtque quod ſemel inſederit animo, omnino non corruat, gemit mens intercluſa diſcurſu, & mentitura cum nouitate tricatur anguſtiis, ex quibus potiùs vocibus, quàm verbis adnituntur elabi, & quò falſitas falſitati opituletur, nouitatum trahitur catenata ſeries, quam vel inuitos trahere neceſſitas adigit conſequentiæ. Id etiam cauſabor, ſi quandoque videar in aliorum, quorum non do nomina (quod non frequenter accidet) memorandis & refellendis opinionibus aliquantulo longior; teſtor enim me nullius vnquam ſententiam retuliſſe, quam vel proptèr illius acumen, vel propter patronos indignam non cenſuerim prætermitti: maximè cùm is honor plurium, quos iuſtè veneror, deberetur ingeniis, & quorum memoriam fruſtrà immatura mors feſtinauit delere, aut ſaltem obſcurare; eorum enim nomine, ni intempeſtiuus obſtitiſſet interitus, illuſtria ſatis iam properabant nobilitari volumina. Idem quoque à me in alios exigebatur officium, qui ſuperſtites adhuc licet Authorum nomen non accepti, iam

Plin. lib. 3. Epiſtol. ad Cani.

certè & ingeniorum fœcunditate, & ſcriptorum ſubtilitate meruerunt. Etenim is ſum, *qui mirer antiquos, non tamen, vt quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio, neque enim quaſi laſſa, & effœta natura nihil tam laudabile parit.* Horum igitur, quos frequenter recentiores appello, par non fuit ingenioſas non recenſere ſententias, & inauditas haud ſine ſubtilitate rationes ſilentio obtendere; in his autem non debuit timeri faſtidium, quod ſatis arcebat procurata veritas, & recentium cogitationum, quas vel explodo, vel refero, iucundiſſima veritas. *Ita ſolemus qui ingenio parum fidimus ſatietatis periculum fugere.* Liber attamen varius eſt, quia licèt rarò, aut nunquam ſine graui rationum pondere in approbanda doctrina nouitates admittam. Cæterùm quæcumque ab ingenioſis Doctoribus nuper adiunctæ, & excogitatæ ſunt, eas toto opere ita digeſſi, vt ferè earum omnium nullam meus Lector deſideraret. Sic opus vel de argumentis, vel de impugnationibus, vel de propriis, alieniſve cogitatis intertextum prolixitatis, ſi quæ eſt, faſtidium aut minuet, aut omnino remouebit. Neque in eam incidi elationis inſaniam, vt Philoſophiam meo iudicio irrefragabilem venditem, cui ſubſcriberent calami, vel in quam ingenia iurarent; abſit: ſic enim propriam amplector ſententiam: vt à pluribus oppugnari & retorqueri poſſe non ambigam, quorum cenſuram non reſpuam, ſed efficaciori ratione fultam ſententiam adhuc meæ oppoſitam libens amplectar, & propriam bene refutatam dediſcam. Ergo noſtrum tibi, Lector,

Plin. Epiſt. ad Tacit.

mittimus librum, ex quo futura ne ſit *poſteris aliqua cura noſtri, neſcio; nos certè meremur vt ſit aliqua non dico ingenio, id enim ſuperbum, ſed ſtudio, ſed labore & reuerentiâ poſterorum.* Neque vt conceptus eſt fœtus hic, mox prodire geſtiit, ſed multo tempore, conſilio, longáque mentis meditatione confoui, & quod maius eſt, antequam typis eum dare decernerem, ſæpe omnium opinionum, quas nunc tibi ſcribo, publicarum concertationum aleâ, præcipuè in hoc noſtro Complutenſi Collegio periculum feci, vbi tam noſtrorum, quàm externorum Magiſtrorum ictus ſine dedecore ſuſtinuerunt; integrum etiam opus amicorum trutinæ commiſi, qui auidè euolutum, & ad vmbilicum expenſum in lucem dari exigebant, moras incuſantes editionis non properatæ, ſæpiſſiméque hoc maturiſſimum appellantes opus, ne illius differretur excuſio, & præſentes ſuadebant, & abſentes adhuc litteris hortabantur. Scio, *graues hiatus patitur aliena gratia commiſſa credulitas*, nec latet quàm *omne crimen tranſeat, qui vult decipere confidentem.* Propterea ſuaderi, & perſuaderi non puduit ab illis ſapientiſſimis, doctiſſimíſque Philoſophis, ab omníque adulationis ſuſpicione alienis. Fruere igitur, humaniſſime Lector, & quæ tibi non placuerit, non culpæ tribuas, ſed errori. Quod ſi eâ facilitate & gratia hæc proxima acceperis, qua Cenſores doctiſſimi, laus potiùs ſpectanda, quàm venia obſecranda eſt, mihi tamen ſufficit. Vale.

Facultas

Digitized by Google

Facultas P. Prouincialis Societatis Iesv *Prouinciæ Teletanæ.*

EGo Ferdinandus Valdes Societatis Iesv in Prouincia Toletana Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. noſtro Mutio Vitelleſchi Præpoſito Generali, facultatem facio, vt liber inſcriptus *Integer Curſus Philoſophiæ*, Auctore P. Franciſco Ouiedo Matritenſi, noſtræ Societ. Theologo, & in Collegio Complutenſi Philoſophiæ Profeſſore, eiuſdemque Societatis grauium & Doctorum hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Matriti in noſtro Collegio Imperiali, die octauo Auguſti, anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octauo.

Ferdinandvs Valdes.

Approbatio Doctoris Franciſci Vittoris ex Commiſſione D.D. Ioannis de Narbona I.V.D. Toletanæque Diœceſis Vicarij Generalis.

ÆQuali attentione, ac voluptate legi Philoſophicas Controuerſias R. P. Franciſci de Ouiedo Societatis Iesv in Toletana Prouincia publici Theologiæ Profeſſoris. Quid vltrà vel cenſuero, vel laudauero, cùm ſatis opus vel ipſa Religionis nomenclatura commendet. Cæterùm antequam eruditiſſimas quæſtiones attentis oculis prælustrarem, ſpem illis faciebam tanquam in ſcientiarum familia natis; at inueni mutuò in ſe nobilitatem traducere, tamquè ſibi poſſe à libro Societatem adulari, quàm à Societate liber aduletur. Quid mirum? opus eſt cui feliciora ingenia glorioſè inſudauiſſent. Vbi reperiet Lector ſeueram antiquitatis dignitatem cum nouitate ſubtili, non amicè ſolum compoſitam, verùm felici ſacramento maritatam. Nullus profectò gloriabitur, vel maturiùs elegiſſe ſententiam, vel neruoſius confirmaſſe, & (quod frequens auctori eſt) acutius inueniſſe. Verba ſtyli pauciora conceptibus, atque adeò ſicut nec inani oratione ſunt prodiga, ſic nec auaritia explicationis obſcura ſententia, vel aliena, vel propria decretorio diſcutitur calamo: cúmque nihil non ſit ſubtile, illud in hoc auctore præcipuè laudo, quod ea methodo diſponat, ea claritate diſcurrat, vt profunditatem ſcholaſticam non ex obſcuritate æſtimauerit, ſed fecerit claritatem ſubtilem. Tandem non aliter quid ſentiam de acutiſſimo volumine dixerim, niſi Vincentij Lirinenſis verba de Tertulliano dicta in meam cenſuram adoptauero: *Omnem Philoſophiam, & cunctas Philoſophorum ſectas, auctores, aſſertoréſque ſectarum mirâ quadam capacitate mentis complexus eſt, ingenio verò tam graui, ac vehementi excelluit, vt mihi ſibi penè ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere illiſerit; iam porrò orationis ſuæ laudes, quis aſſequi poterit? quæ tanta neſcio qua rationum neceſſitate conſerta eſt, vt ad conſenſum ſui quos ſuadere non potuerit, impellat: cuius quot planè verba, tot ſententiæ ſunt; quot ſenſus, tot victoriæ.* Sic iudico, ſic cenſeo. Ex commiſſione D. Ioannis de Narbona Ordinarij Complutenſis. Datum Matriti, Idibus Auguſti, anno Domini 1638.

Doctor Francisco Vittor.

Licentia del Ordinario.

NOs el Doctor D. Iuan de Narbona Vicario General en la Audiencia Arcobiſpal deſta Villa de Alcala de Henares en todo el Arcobiſpado de Toledo por ſu Alteza & Sereniſſimo Señor D. Fernando Infante de Eſpaña, Cardenal de la ſanta Igleſia de Roma; del titulo de S. Maria in Porticu, Adminiſtrador perpetuo de todo el Arcobiſpado, Primado de las Eſpañas, Canciller mayor de Caſtilla, mi Señor. Por la preſente y por lo que nos toca damos licentia, al P. Franciſco de Ouiedo Religioſo de la Compañia de Iesvs, Lector de Theologia, para que pueda imprimir vn libro que ha compueſto, intitulato *Integer Curſus Philoſophiæ*, attento ha ſido examinado, y no ay en el coſa contra nueſtra fe Catholica y buenas coſtumbres. Fecho en Alcala en 22. de Aguſto, de mil y ſeiſcientos y treinta y ocho años.

Doctor D. Ivan de Narbona.

Por ſu mandado.

M. Diego Rviz Arce.

Approba

Approbatio P. Magiſtri F. Ludouici Apparicij, ſupremi Senatus S. Inquiſitionis Cenſoris; ac ſacræ Theologiæ Profeſſoris Iubilati in Academia Toletana, necnon Definitoris Generalis Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

INtegrum Curſum Philoſophicum ad vnum corpus redactum in ſeptem partes diuiſum à Reuerendo P. Franciſco de Ouiedo Societatis IESV compoſitum (iuſſu Supremi, Regiíque Caſtellæ Senatus) attentis oculis legi. Nil in eo vel ſanæ doctrinæ, vel Chriſtianis moribus inuenitur contrarium; imò inoffenſo, vt aiunt, pede Curſum hunc totum, nemo eſt qui non valeat percurrere. Sanè multi in eo directi calles, lataque viæ ad ſacram Theologiam aperiuntur, cuius non paucas difficultates libat, nonnullas plenè tractat. A communi conſuetóque ſanctæ Societatis ſcriptorum ſplendore non degenerans nouam facem illis admouet, quâ faciliùs, ſi quæ repagulis obſerata videbantur, reſerantur. Tandem eleganti ſtylo ſubtilíque calamo rem totam Philoſophicam verſans, *Omne tulit punctum dum miſcuit vtile dulci.* Quare cenſeo communi vtilitati conſultum iri, ſi ad publicæ lucis vſuram (conceſſa Authori, quam orat, licentia) Curſus hic celeriter prodeat. Dat. Matriti in Conuentu B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, die 9. Septembris, anni 1638.

Mag. Fr. LVD. APPARICIVS.

Suma del Priuilegio Real.

TIene licencia del Rey nueſtro Señor el P. Franciſco de Ouiedo de la Compañia de IESVS, para imprimir vn libro intitulado *Integer Curſus Philoſophicus*, y dioſele Priuilegio por diez años. En Madrid a veinte y ſeis dias del mes de Septiembre, de mil y ſeiſcientos y treinta y ocho años.

Firmo YO EL REY.

Por mandato del Rey nueſtro Señor D. SEBAST. DE CONTRERAS.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, ac patentibus litteris cautum, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die huius editionis ſecundæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quovis modo & ratione curet librum, qui inſcribitur R. P. FRANCISCI DE OVIEDO *Madritani Societatis* IESV *Curſus Philoſophicus ad vnum corpus redactus per eumdem Authorem nunc denuò in multis adauctus & emendatus*, Præter Laurentium Arnaud Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quemquam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Laurentij Arnaud. Idque ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die 30. Augusti 1650.

De mandato Regis. Signatum BERAVD

Hæc editio aucta & recognita deſiit excudi die 28. April. 1651.

Approbatio Vicarij Generalis Subſtituti.

GAudeat meritò hoc Opus, cui inſcriptio eſt: *Integer Curſus Philoſophicus ad vnum corpus redactus, &c. Authore Franciſco de Ouiedo Madritenſi, Societatis* IESV, lucis vſurâ, tanquam doctrinæ SS. Patrum ſanæ & orthodoxæ conſonum, ſubtilis ingenij acumine præcellens, ſtyli nitore inſigne, obſcuriſſimis quæſtionibus enodatis & firmis ſententiis ſtabilitis felix; ideóque proſperos vbique gentium Sapientiæ ſtudioſis ſucceſſus allaturum omnium grauiorum virorum calculis iudicandum. Sic cenſemus. Lugduni Non. Septembr. 1640.

DEVILLE *Vic. Gen. Subſt.*

NOs Benedictus Puys Magiſter in Theologia, Caput Capituli, & Canonicus in inſigni Eccleſia Collegiata S. Nicerij Lugdunenſi: Fidem facimus nihil in hoc libro qui inſcribitur, *Integer Curſus Philoſophicus ad vnum corpus redactus, &c. Authore Franciſco de Ouiedo Societatis* IESV reperiſſe, quod ſit alienum à fide; imò omnes & præcipuos Philoſophiæ ſcrupulos apprimè enodatos. Datum Lugduni apud S. Nicetium, die 5. Septembris 1640.

BENEDICTVS PVYS.

SERIES

Digitized by Google

SERIES ET ORDO CONTROVERSIARVM,
Punctorum, & Paragraphorum totius Operis.

TOMVS PRIMVS.

SVMMVLÆ.

CONTROVERSIA I.

De natura & proprietatibus terminorum. pag. 1.

Punct. I. *Quid ſit terminus. pag. 1*
II. *Nonnulla diuiſiones terminorum.* 3
III. *Alia terminorum diuiſiones.* 4
IV. *De ſuppoſitione terminorum.* 6
V. *Varia diuiſiones ſuppoſitionum.* 7
VI. *De Aſcenſu & deſcenſu.* 9
VII. *De ſtatu, ampliatione, reſtrictione, alienatione & diminutione terminorum.* ibid.

CONTROVERSIA II.

De ſciendi inſtrumentis. 11

Punct. I. *Quid ſit definitio.* 13
II. *De diuiſione.* ibid.
III. *De Argumentatione.* 14

CONTROVERSIA III.

De Nomine & Verbo: Oratione & Enunciatione. 15

Punct. I. *De Nomine & Verbo.* ibid.
II. *De Oratione & Enunciatione.* ibid.
III. *De materia, forma, qualitate & quantitate Propoſitionis, & de ſignis hanc indicantibus.* 16
IV. *Diuiditur propoſitio in Categoricam & Hypotheticam, & vtriuſque eſſentia explicatur.* 18
V. *De Oppoſitione Propoſitionum.* 19
VI. *Nonnulla Propoſitiones contradictoria ex difficilioribus aſsignantur, vt doctrina tradita circa illarum oppoſitionem magis innoteſcat.* 21
VII. *De Æquipollentia & Conuerſione Propoſitionum.* 23
VIII. *De Propoſitionibus Modalibus.* 24
IX. *De qualitate & quantitate Modalium.* 25
X. *De æquipollentia & oppoſitione Modalium.* 26
XI. *De Propoſitionibus excluſiuis & exceptiuis.* 27

CONTROVERSIA IV.

De ſtructura ſyllogiſtica. 29

Punct. I. *Quibus principiis innitatur ſyllogiſtica conſtructio.* ibid.
II. *Deducuntur nonnulla corollaria ex doctrina tradita.* ibid.
III. *De materia & forma, ſeu figura Syllogiſtica.* 30
IV. *De aliis Syllogiſmis.* 31
V. *De reductione Syllogiſmorum per oſtenſionem, & per impoſſibile.* ibid.

LOGICA.

CONTROVERSIA I.

De Prooemialibus Logicæ. 33

Punct. I. *Quid & quotuplex ſit obiectum ſcientia?* ibid.
II. *Quid ſit ſcientia practica, & quid ſpeculatiua?* 35
§. 1. *Definitiones Practici & Speculatiui, illiúſque proprietates.* ibid.
§. 2. *Extrema ſpecificatiua cognitionis practica & ſpeculatiua aſsignantur.* 38
§. 3. *Formalitates extremorum, in ordine ad qua ſumitur ratio cognitionis practica & ſpeculatiua, aſsignantur.* 40

§.4. *An ratio practici & ſpeculatiui ſumatur ab extremis tantùm tanquam ab extrinſecis ſpecificatiuis, vel etiam tanquam à conſtitutiuis per ſe.* ibid.
§.5. *Quomodo opponantur cognitio practica & ſpeculatiua?* 42
III. *De ſcientiarum vnitate.* ibid.
§.1. *Difficultas proponitur, ſtatuitúrque ſcientiam non eſſe vnam ſimplicem qualitatem.* 43
§.2. *Impugnatur Thomiſtarum ſententia.* 44
§.3. *Reiiciuntur alij dicendi modi.* 45
§. 4. *Propria ſententia.* 46
IV. *De ſcientiarum ſubalternatione.* 48
V. *De diſtinctione Habitus in Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam & Artem.* 51

CONTROVERSIA II.

De Proœmialibus Logicæ. 53
Punct. I. *De obiecto Logicæ.* ibid.
§. 1. *Præmittuntur quædam.* ibid.
§.2. *Voces non ſunt obiectum Logicæ.* 54
§.3. *Aſſignatur obiectum materiale Logicæ.* 55
§.4. *An omnes operationes intellectus pertineant ad obiectum Logicæ?* 76
§. 5. *An ens rationis ſit obiectum Logicæ?* 58
§.6. *De rectitudine, & directione operationum intellectus, & artificio Logicâ præſcripto.* 59
§.7. *De obiecto formali Logicæ.* 61
§.8. *De obiecto attributionis.* 62
II. *De diuiſione Logicæ docentis & vtentis.* 64
III. *An Logica ſit ſcientia?* 67
IV. *An Logica ſit Ars?* 70
V. *An Logica ſit ſcientia practica vel ſpeculatiua?* ibid.
VI. *De vtilitate & neceſſitate Logicæ ad alias ſcientias.* 71

CONTROVERSIA III.

De natura vniuerſalis.
Punct. I. *Quid ſit Vniuerſale.* 73
II. *An ante operationem intellectus detur vniuerſale, ſeu vnitas poſitiua multis communis.* ibid.
III. *An detur ante operationem intellectus vnitas negatiua multis communis.* 76
IV. *De Vnitate vniuerſalis.* 77
§.1. *Nonnullæ opiniones reiiciuntur.* ibid.
§. 2. *Natura conſtituitur vniuerſalis & vna per abſtractionem formalem, ſeu cognitionem præſcindentem.* 78
V. *De materia vniuerſalis cui contingit vnitas.* 81
§.1. *Iuxta obiectiuè præſcindentes rem dirimo.* ibid.
§.2. *Iuxta præſcindentes tantùm formaliter quæſtionem definio.* 82
§.3. *Argumenta ſoluuntur* 83
VI. *De aptitudine vniuerſalis ad eſſendum in multis & prædicandum de multis.* 84
VII. *An natura abſtracta ab vno indiuiduo ſit vniuerſalis.* 85
VIII. *Nonnulla expediuntur de natura vniuerſalis.* 87
IX. *De prædicatione actuali.* 89

CONTROVERSIA IV.

De Genere. 91
Punct. I. *Quid ſit genus.* ibid.
II. *An genus prædicetur vt pars, vel vt totum, potentiale, vel actuale.* 94
III. *An genus eſſentialiter requirat plures ſpecies.* 95
IV. *Quomodo prædicetur genus de indiuiduis.* 56

CONTROVERSIA V.

De Specie & Indiuiduo. 98
Punct.I. *De ſpecie ſubiicibili.* ibid.
II. *De ſpecie prædicabili.* 99
III. *De indiuiduo primò intentionaliter ſumpto.* 101
IV. *De indiuiduo prædicabili.* 103
V. *De indiuiduo vago.* 103

CONTROVERSIA VI.

De Differentia, Proprio, & Accidente. 104
Punct.I. *Qualis ſit diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam.* ibid.
II. *De differentia propriiſſima in ordine ad genus quod contrahit, & ſpeciem quam conſtituit.* 105
III. *Nonnulla expediuntur de differentia.* 107
IV. *De differentia formaliter vt prædicabili.* ibid.
V. *De differentia propria, ſeu de proprio primò intentionaliter ſumpto.* 108
VI. *De proprio ſecundò intentionaliter ſumpto.* ibid.
VII. *De differentia communi, ſeu de accidenti quinto prædicabili, primò intentionaliter ſumpto.* ibid.
VIII. *De accidente ſecundò intentionaliter ſumpto, ſeu de quinto prædicabili.* 109

CONTROVERSIA VII.

De his quæ communia ſunt omnibus prædicabilibus. ibid.
Punct.I. *De numero prædicabilium.* ibid.
II. *An vniuerſale ſit genus ad quinque prædicabilia.* 110

CONTROVERSIA VIII.

De Signo. 111
Punct.I. *Quid ſit ſignum.* ibid.
II. *In quo conſiſtat formalis ratio ſigni.* 112
III. *De vocum ſignificatione.* 113

CONTROVERSIA IX.

De natura ſyllogiſmi, ſiue diſcurſus. 115
Punct. I. *Quid ſit diſcurſus* ibid.
II. *An requiratur ad aſſenſum concluſionis præcedens cognitio de bonitate illationis.* 117
III. *An aſſenſus concluſionis neceſſariò tangat obiectum præmiſſarum.* 118
IV. *An aſſenſus præmiſſarum neceſſitet ad aſſenſum concluſionis.* 121

V. *Quo*

Digitized by Google

V. *Quomodo tempore, & naturâ præmiſſæ conclusionem præcedant.* 122
VI. *De præcognitis ante totum ſyllogiſmum, & in ipſo progreſſu ſyllogiſmi ante concluſionem.* 123

CONTROVERSIA X.

De Demonſtratione. 124
Punct.I. *Quid ſit Demonſtratio.* ibid.
II. *Quid ſit euidentia in actu intellectus.* 125
III. *An certitudo & euidentia præmiſſarum ſit maior vel minor certitudine & euidentiâ concluſionis.* 126
IV. *An demonſtratio conſtet principiis per ſe, & propriis.* 128
V. *Quæ ſint propoſitiones per ſe nota, & an demonſtratio ex illis neceſſariò conſtet.* 129
VI. *An omnes demonſtrationes debeant eſſe vniuerſales, neceſſariæ, conſtantes prædicato de omni ſecundùm quod ipſum.* 129

PHYSICA.

CONTROVERSIA I.

De principiis entis naturalis in communi. 132
Punct.I. *Quid ſit principium rei naturalis.* ibid.
II. *Quot ſint principia entis corporei.* 133

CONTROVERSIA II.

De materia prima. 135
Punct.I. *Materiam primam dari ſtatuitur.* ibid.
II. *An materia prima recipiat formas mediâ potentiâ ſuperadditâ.* 139
III. *De eſſentia Metaphyſica materiæ primæ.* 140
§.1. *An potentia receptiua formarum & vnionum mediâ paſſione ſit de eſſentia Metaphyſica materiæ primæ.* 141
§.2. *Aliorum ſententiæ circa eſſentiam materiæ.* 142
§.3. *Propria ſententia.* 143
IV. *De appetitu materiæ ad formas ſubſtantiales.* 144
§.1. *Nonnulla de appetitu præmittuntur.* ibid.
§.2. *De differentia inter appetitum deſiderij & complacentiæ.* 146
§.3. *Appetitus materiæ exponuntur.* 147
V. *An materia exiſtat per exiſtentiam formæ.* 148
VI. *An materia poſſit eſſe ſupernaturaliter ſine forma.* 151
VII. *An materia dependeat à poſteriori à forma, & an poſſit naturaliter exiſtere ſine illa.* 152
§.1. *Scopus difficultatis præfigitur.* ibid.
§.2. *Dependentia à poſteriori, cauſa ab effectu diſcutitur.* 153
§.3. *Totius difficultatis reſolutio.* 154
VIII. *De vnitate ſpecifica materiæ primæ ſublunaris.* 156

CONTROVERSIA III.

De forma ſubſtantiali. 157
Punct.I. *Exiſtentia formæ ſubſtantialis ſtatuitur.* ibid.
II. *Quotuplex ſit forma in vnoquoque compoſito.* 158
§.1. *Status quæſtionis & Doctorum placita.* ibid.
§.2. *Duplex reiicitur ſententia.* ibid.
§.3. *Reiicitur multiplicitas formarum in viuentibus, & vera ſtatuitur ſententia.* 160
§.4. *An poſſit dari compoſitum, cui naturaliter duplex forma contingat.* 161
III. *Eſſentia formæ metaphyſicè ſumpta explicatur.* 162
IV. *Quomodo formæ præexiſtant in potentia materiæ.* 163

CONTROVERSIA IV.

De Vnione inter materiam & formam. 164
Punct. I. *Quid ſit vnio compoſiti ſubſtantialis.* ibid.
§.1. *Doctorum placita.* ibid.
§.2. *Duplici concluſione propria ſententiæ duplicem ſententiam explodo.* 165
§.3. *Duplicem aliam ſententiam refello duplici concluſione propriæ ſententiæ, illámque penitus expono.* 167
§.4. *Argumenta ſoluuntur.* 168
§.5. *De vnione aliorum totorum.* ibid.
II. *An modus vnionis ſit ſimplex entitas.* 169
§.1. *Doctorum placita, & difficultatis ſtatus.* ibid.
§.2. *Vera ſententia.* 170
§.3. *Satisfit Hurtado.* 171
§.4. *Incidens difficultas explicatur de natura intrinſeci.* 172
III. *In quo extremo ſubiectetur vnio.* 173

CONTROVERSIA V.

De toto ſubſtantiali. 174
Punct. I. *An Totum diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis.* ibid.
II. *An totum ſubſtantiale includat aliquid præter materiam, formam, & vnionem.* 176
III. *An poſſit dari compoſitum conſtans materiâ & formâ ſpirituali.* 178
IV. *An poſſit dari compoſitum conſtans duplici parte eſſentiali, quarum neutra ſit materia, neque forma.* 179
V. *An poſſit dari corpus omnino ſimplex.* 180
§.1. *De compoſitione eſſentiali.* ibid.
§.1. *De compoſitione integrali.* 182

Liber II. Phyſicorum.

CONTROVERSIA VI.

De natura. 183
Punct. I. *Definitur Natura.* ibid.

II. *Quibus entitatibus ratio naturæ conueniat.* 184
III. *Quid ſit motus naturalis violentus, & medius.* 186
IV. *An creatura poſſit à Deo violentiam pati.* 188

CONTROVERSIA. VII.

De Cauſis in communi. 189
Punct.I. *Quid ſit Cauſa.* ibid.
§.1. *Aliorum ſententia.* ibid.
§.2. *Propter quam rationem Latini Patres nomen* cauſa *in diuinis non admittant.* 191
§.3. *Veram cauſæ definitionem expono.* 193
II. *Quid ſit actus primus reſpectu effectus, & cauſam eſſe in actu primo ad illum.* 194
III. *De prioritate cauſæ reſpectu effectuum.* 196
§.1. *Naturam prioritatis explicat.* ibid.
§.2. *Argumenta ſoluuntur.* 197
§.3. *Nonnulla de prioritate expediuntur.* 198
IV. *Quomodo exiſtentia cauſæ ſupponatur ad effectum.* 199
V. *An cauſa remota ſit vera & propria cauſa.* 201
VI. *An idem effectus poſſit dependere diuiſim à duplici cauſa.* 202
VII. *An duplex cauſa poſſit in eumdem effectum totaliter influere.* 203
VIII. *An duplici entitati poſſit conuenire mutua cauſalitas in eodem genere.* 206
IX. *An duplici entitati poſſit conuenire mutua cauſalitas in diuerſo genere.* 207

CONTROVERSIA VIII.

De cauſa materiali & formali. 209
Punct. I. *Quid vtraque cauſa, & vtriuſque cauſalitas.* ibid.
II. *An eadem materia poſſit duplicem formam incompoſſibilem diuinitus recipere.* 211
§.1. *Nonnulla præmittuntur.* ibid.
§.2. *De formis ſubſtantialibus iudicium fero.* 212
§.3. *De formis accidentalibus iudicium fertur.* 214
III. *De effectibus cauſæ formalis.* 215
§.1. *De effectu primario* ibid.
§.2. *De effectu ſecundario.* 216

CONTROVERSIA IX.

De cauſa efficiente creata. 218
Punct. I. *Quid ſit cauſa efficiens.* 219
II. *Statuitur virtus actiua in cauſis ſecundis.* 220
III *De virtute operatiua accidentium.* ibid.
IV. *De virtute operatiua ſubſtantiæ.* 222
V. *De natura inſtrumenti, ſeu cauſæ inſtrumentalis.* 223
VI. *De potentia actiua obedientiali reſpectu actuum vitalium.* 224
VII. *An quælibet creatura habeat potentiam obedientialem actiuam ad omnes effectus.* 226
§.1. *Aliorum ſententiis propoſitis nonnulla præmittuntur.* ibid.
§.2. *Propria ſententia.* 227
§.3. *Argumenta ſoluuntur.* 228
§.4. *Nonnulla corollaria.* 230
VIII. *Quid ſit potentia obedientialis.* 231
§.1. *Exploditur ſententia Ripaldæ.* ibid.
§.2. *Propria ſententia.* 234
IX. *Vnde agnoſcenda ſit cauſa adæquatè ſufficiens.* 236
X. *An eadem entitas poſſit eſſe principium effectuum ſuipſius per ſecundam actionem.* 238

CONTROVERSIA X.

De cauſa prima. 238
Punct.I. *Statuitur dependentia creaturæ à Deo ſecundùm entitatem & operationem.* ibid.
§.1. *Dependentia ſecundum entitatem oſtenditur.* ibid.
§.2. *Creatura non ſolum ſecundùm ſuam entitatem, ſed ſecundùm operationem dependent.* 240
§.3. *An effectus dependeat à cauſa prima & ſecunda per eundem influxum.* 241
§.4. *Mens peregrina P.Ludouici à Dola expenditur, qua in ſententiam Durandi de concurſu cum cauſis ſecundis abierit.* 242
II. *An prima cauſa determinet ſecundam indiuiduationem effectus.* 246
III. *De Phyſica prædeterminatione.* 248
§.1. *Vtraque ſententiâ propoſitâ, verior eligitur.* ibid.
§.2. *Indifferentia voluntatis non arguit neceſſitatem Phyſicæ prædeterminationis.* 252
§.3. *Subordinatio cauſæ ſecundæ ad primam non deſiderat Phyſicam prædeterminationem.* 253
§.4. *Soluuntur obiectiones contra præcedentem doctrinam.* 254
§.5. *Neceſſitas concurſus cauſæ primæ vt ſecunda operetur, neceſſitatem non inducit Phyſicæ prædeterminationis.* 246
§.6. *Argumenta ſoluuntur contra doctrinam modò traditam.* 247
§.7. *Vltima actualitas actionis prædeterminationem in actu primo non expoſcit.* 258
§.8. *Diſſoluuntur argumenta Thomiſtarum contra præcedentem doctrinam.* 259
§.9. *Specialiter probatur dari non poſſe phyſicam prædeterminationem ad actus liberos voluntatis creatæ.* 260
§.10. *Ex definitione libertatis phyſica prædeterminatio reiicitur.* 262
IV. *De concurſu cauſæ primæ cum principio creato liberè operante.* 263
§.1. *Difficultas expenditur.* 264
§.2. *Solutio P.Vaſquez expenditur.* ibid.
§.3. *Sententia P. Didaci de Alarcon exponitur & exploditur.* 266
§.4. *Explicatur propria ſententia.* 267
§.5. *Quomodo Deus indiuiduationem actus liberi determinet.* 268

Digitized by Google

CONTROVERSIA XI.
De cauſa finali & exemplari. 269
Punct. 1. *Quid & quotuplex ſit finis.* ibid.
II. *An cognitio finis ſit formalis ratio finis, an tantùm conditio.* 270
III. *Ce cauſa exemplari.* 271

Liber III. Phyſicorum.

CONTROVERSIA XII.
De Actione, Paſſione, & Motu. 273
Punct. I. *Quid ſit actio & paſſio, illarúmque diſtinctio ab agente, paſſo, & termino.* ibid.
II. *An actio & paſſio realiter diſtinguantur.* 275
III. *De ſubiecto actionis eductiuæ.* 277
IV. *An actio primò productiua & conſeruatiua ſit eadem numero.* 278
V. *De reproductione.* 281
VI. *De natura motus.* 283

CONTROVERSIA XIII.
De Creatione. 284
Punct. I. *Quid ſit creatio.* ibid.
II. *De diſtinctione creationis à principio & termino.* 285
III. *An creatio à termino diſtincta ſubiectum habeat.* 288
IV. *An virtus creatiua creaturæ competere poſſit.* ibid.
§. 1. *Aliorum placita, ipſorúmque fundamenta.* 289
§. 2. *Propria ſententia.* 290
V. *De his quæ poſſunt creari.* 291
VI. *An illa quæ naturaliter creantur, educi poſſent de potentia Dei abſoluta.* 292

CONTROVERSIA XIV.
De Infinito. 293
Punct. I. *Infiniti definitio.* ibid.
II. *Quid interſit inter infinitum categorematicum, & ſyncategorematicum.* 294
III. *An creaturæ poſſibiles ſint finitæ vel infinitæ.* 296
IV. *An repugnet infinitum corporeum.* 299
§. 1. *Propria ſententia.* ibid.
§. 2. *Argumenta ſoluuntur.* 300
V. *An repugnet multitudo infinita rerum ſpiritualium, & infinita intenſio.* 301
VI. *Nonnulla expediuntur de infinito.* 303
VII. *An Deus poſſit producere creaturam omnium poſſibilium perfectiſſimam, item & imperfectiſſimam.* 305

Liber IV. Phyſicorum.

CONTROVERSIA XV.
De loco & vacuo. 307
Punct. I. *De loco extrinſeco reali.* ibid.
II. *Quid ſpatium imaginarium.* 308
III. *An Deus ſit in ſpatio imaginario, etiam extra cælum, & quid de aliis entitatibus.* 309
IV. *Quid ſit vbi intrinſecum.* 310
V. *An in toto compoſito ſingulis entitatibus diſtinctæ præſentiæ correſpondeant.* 312
VI. *Quotuplex ſit præſentia, & quomodo differat circumſcriptiua à definitiua.* 314
VII. *An creatura poſſit ab omni præſentia abſolui.* 315
VIII. *An corpus omni præſentiâ abſolutum eſſet intimè præſens Deo.* 316
IX. *An corpus poſſit eſſe circumſcriptiuè in duplici loco.* 317
X. *De accidentibus corporis exiſtentis in duplici loco.* 318
§. 1. *De accidentibus dependentibus à loco.* ib.
§. 2. *Quæ accidentia poſſit corpus vbilocatum habere vtrobique.* 319
§. 3. *De his quæ neceſſariò vtrobique corpus comitantur.* 321
XI. *An duplex corpus poſſit eſſe in eodem loco.* 322
XII. *De vacuo.* 323

CONTROVERSIA XVI.
De duratione. 324
Punct. I. *Quid ſit duratio.* ibid.
§. 2. *Doctorum placita.* ibid.
§. 2. *Omnis duratio rei duranti intrinſecè ſuperaddita reiicitur.* 325
§. 3. *Propria ſententia.* 327
§. 4. *Difficilis obiectio expenditur & ſoluitur.* 328
§. 5. *Alia obiectiones ſoluuntur.* 329
II. *Nonnulla expenduntur de duratione.* 330
III. *Quid ſit tempus reale.* 331

CONTROVERSIA XVII.
De continui compoſitione. 333
Punct. I. *Reiectis nonnullis ſententiis circa continui compoſitionem duplex diſputanda proponitur.* ibid.
II. *Difficile argumentum contra Ariſtotelis ſententiam extorquet infinitudinem partium; & natura partis aliquotæ & proportionalis explicatur.* 334
§. 1. *Argumentum proponitur.* ibid.
§. 2. *Multa euoluuntur de natura partium aliquotarum & proportionalium, harúmque indefinitudine.* ibid.
§. 3. *Alia quæ eamdem materiam magis explicant.* 337
§. 4. *Definiuntur partes proportionales & aliquotæ, totaque abſoluitur difficultas.* 338
III. *Expenduntur duo argumenta contra Ariſtotelis ſententiam.* 339
IV. *Alia argumenta contra eandem ſententiam diſcutiuntur.* 340
V. *Alia item argumenta contra eandem ſententiam examinantur.* 342
VI. *Argumenta contra continuum Ariſtotelicum in ſucceſſiuis expenduntur.* 344
VII. *Continui compoſitionem ex partibus indiuiſibilibus iuxta Zenonem explicat.* 346
VIII. *Argumentum contra prædictam ſententiam*

tiam petitum ex penetratione punctorum expenditur. 348
IX. *De velocitate motus.* 350
§.1. *Difficultas expenditur.* ibid.
§.2. *Difficultati ſolutio adhibetur.* 352
§.3. *Duo argumenta contra morulas motus velocis expenduntur & ſoluuntur.* 353
§.4. *Ex prædictis morulis non inferri diuiſionem continui, potius neceſſarias eſſe, ne diuidatur efficaciter, oſtenditur.* 354
§.5. *Quomodo alij præcedentem difficultatem diſſoluant.* 355
§.6. *Gordiani nodi noua ſolutio.* 356
X. *Alia argumenta Mathematica percurruntur.* 358
XI. *Explicato teſtimonio Concilij Conſtantienſis tota hæc materia abſoluitur.* 359

Liber VII. Phyſicorum.

CONTROVERSIA XVIII.

De applicatione requiſita inter agens & paſſum. 360
Punct. I. *An agens poſſit agere in diſtans, quin agat in propinquum.* ibid.
II. *Quanta debeat eſſe approximatio inter agens & paſſum?* 362
III. *An agens poſſit de potentia abſoluta agere in diſtans quin agat in propinquum?* 363
IV. *An approximatio cauſarum requiratur ex parte actus primi, ſeu ſit prior naturâ reſpectu operationis.* 364

Liber VIII. Phyſicorum.

CONTROVERSIA XIX.

De mundi inceptione. 367
Punct. I. *An creatura permanens potuerit eſſe ab æterno.* ibid.
II. *An generationum ſeries potuerit eſſe ab æterno.* 368
III. *An poſſit dari motus, tempus, aliúdve ſucceſſiuum ens ab æterno exiſtens.* 369

CONTROVERSIA XX.

De impulſu ſeu proiectorum motu. 372
Punct. I. *A quo moueantur proiecta.* ibid.
II. *A quo producatur & corrumpatur impulſus.* 374
III. *Vnde proueniat maior velocitas motus violenti in medio, quam in principio; & naturalis in fine quam in medio & principio.* 376
IV. *A quo proueniat motus reſilientia.* 377

DE CÆLO.

CONTROVERSIA VNICA.

Punct. I. *AN cæli ſint animati, & à quo moueantur.* 379
II. *An corpora cæleſtia ſint eiuſdem rationis cum ſublunaribus.* 380
III. *An corpora cæleſtia ſint liquida & mollia; vel ſolida & dura.* 382
§.1. *Propoſitâ quæſtione variæ ſententiæ referuntur.* ibid.
§.2. *Expenduntur fundamenta primæ ſententiæ.* 383
§.3. *Expenduntur fundamenta ſecundæ ſententiæ.* 384
§.4. *Fundamenta tertiæ ſententiæ, & quæſtionis reſolutio.* 386
IV. *De Cælorum numero & motu.* ibid.

DE ORTV ET INTERITV.

SIVE,

De Generatione, & Corruptione. 389

CONTROVERSIA I.

De his quæ generationi præeunt. ibid.
Punct. I. *QVod ſit ſubiectum quantitatis.* ibid.
II. *De ſubiecto aliorum accidentium.* 393
III. *An corrupto toto ſubſtantiali reſolutio fiat vſque ad materiam primam.* 394
IV. *Quomodo diſpoſitiones ſupponantur ex parte actus primi ad formam ſubſtantialem.* 398

CONTROVERSIA II.

De Generatione ſubſtantiali. 401
Punct. I. *Quid ſit generatio.* ibid.
II. *An generatio ab alteratione diſtiguatur.* 403
III. *Quæ actiones intercedant in generatione ſubſtantiali.* 405
IV. *De termino generationis.* 406
V. *An generatio ſit conuerſio.* 408
§.1. *Quid & quotuplex ſit conuerſio.* ibid.
§.2. *An ex vi conuerſionis debeat produci terminus* ad quem. 410
§.3. *An ex vi conuerſionis debeat deſinere terminus* à quo. 411
§.4. *Totius difficultatis reſolutio.* 413
VI. *De generatione viuentium.* ibid.
VII. *Nonnulla expediuntur de generatione.* 415
VIII. *De corruptione.* 417

CONTROVERSIA III.

De Augmentatione ſeu aggeneratione ſubſtantiali, & accidentali accretione. 418
Punct. I. *Definitur augmentatio & diminutio.* ibid.
II. *Quas actiones contineat, & in qua formaliter conſiſtat augmentatio?* 419
III. *De potentia nutritiua, & illius actu.* 421
IV. *Quomodo differat accretio accidentalis à nutritione.* 423
V. *De termino augmentationis & diminutionis ſubſtantialis compoſiti.* 424
VI. *De alimento & cauſa necis humanæ.* 426

Digitized by Google

CONTROVERSIA IV.

De termino alterationis ſecundùm ſe ſumpto ſeu de qualitate. 427

Punct.I. *De intenſione qualitatis.* ibid.

§.1. *Statuitur intenſio qualitatis.* ibid.

§.2. *Duplex ſententia circa naturam intenſionis reiicitur.* 429

§.3. *Impugnatur ſententia Thomiſtarum.* ibid.

§.4. *Vera ſententia.* 431

II. *An gradus omnes eiuſdem ſpeciei ſint homogenei, an heterogenei?* 432

§.1. *Vtrâque ſententia propoſita, nonnulla argumenta expenduntur ad probandam ſubordinationem graduum.* ibid.

§.2. *Soluuntur obiecta Paragraphi praecedentis.* 434

§.3. *Aliud argumentum adductum à Patre Soario ex graduum oppoſitione examinatur.* 435

§.4. *Aliud argumentum Hurtadi refellitur.* 436

§.5. *Iudicium fertur de argumentis quibus graduum aequalitas propugnatur.* ibid.

§.6. *Propria ſtatuitur ſententia.* 437

§.7. *Circa graduum ſubordinationem nonnulla expenduntur.* 439

III. *De terminis intenſionis & remiſſionis qualitatis.* 440

§.1. *Aliorum rationes.* ibid.

§.2. *Propria ſententia.* 441

CONTROVERSIA V.

De qualitate in ordine ad ſuos effectus. ibid.

Punct.I. *An ſimile poſſit agere in ſimile?* ibid.

§.1. *Quibuſdam praemiſſis vera ſententia refertur.* 442

§.2. *Impugnatur ſententia Cardinalis Toleti.* ibid.

§.3. *Impugnantur rationes quibus alij probant ſimile non agere in ſimile.* ibid.

§.4. *Propria ratio propter quam non producat agens tantam intenſionem, quantam in ſe habet in paſſo non penetrato.* 444

§.5. *Cur agens vniuocum nihil agat in paſſum aliunde ſimile?* 445

II. *Aſſignatur cauſa reflexionis.* 447

§.1. *Aliorum impugnantur ſententiae.* ibid.

§.2. *Propria ſententia exponitur.* 449

§.3. *Argumentorum ſolutio.* 450

III. *De Antiperiſtaſi.* ibid.

IV. *An extenſio qualitatis fiat per partes aliquotas vel proportionales quantitatis ſecundùm eamdem intenſionem, & an haec proportionaliter vel ſemper aliquotè decreſcat.* 451

§.1. *Explicantur diſputanda, nonnullàque praemittuntur.* ibid.

§.2. *Hurtadus & Arriaga referuntur & refelluntur.* 452

§.3. *Duorum recentiorum expenduntur placita.* 453

§.4. *Duo alia argumenta expenduntur.* 455

§.5. *Difficultatis definitio.* 456

§.6. *Difficile argumentum expendo.* 457

V. *De actione & reactione.* 458

§.1. *Difficultatis ſtatus.* ibid.

§.2. *Nonnulla expenduntur argumenta.* ibid.

§.3. *Argumentum aliud proponitur & ſoluitur.* 459

§.4. *Difficultas incidens.* 460

CONTROVERSIA VI.

De reſiſtentia actiua & formali qualitatis, vbi de ſucceſſione & continuatione alterationis. 461

Punct.I. *De reſiſtentia actiua.* ibid.

II. *Quid ſit reſiſtentia formalis.* 463

III. *De ordine reſiſtentiae actiuae & formalis qualitatis.* 465

IV. *Statuitur ſucceſſio alterationis, illiuſque cauſa explicatur.* 466

§.1. *Perdocti Magiſtri ſententiam refero & refello.* ibid.

§.2. *Cauſam ſucceſſionis intenſiuae in alteratione ſecundùm propriã ſententiã aſſignat.* 468

§.3. *Cauſam ſucceſſionis extenſiuae ſecundùm propriam ſententiam explicat.* 469

V. *An alteratio ſit adaequatè ſucceſſiua.* 470

VI. *De continuatione alterationis iuxta continuum Ariſtotelicum.* ibid.

§.1. *Aliorum placita referuntur & refelluntur.* 471

§.2. *Explicatur propria ſententia.* 472

§.3. *Explicatur Ariſtoteles.* 473

VII. *Continuatio alterationis iuxta Zenoniſtas explicatur.* 474

CONTROVERSIA VII.

De Raro & Denſo. 475

Punct.I. *Definitur rarum & denſum, totiuſque rei difficultas proponitur.* ibid.

II. *Nonnullae ſententiae reiiciuntur.* 476

III. *Iudicium fertur de alia recentiorum ſententia.* 477

IV. *Alia communis ſententia impugnatur.* 480

V. *Verior eligitur ſententia.* 481

VI. *Argumentorum ſolutio.* 482

CONTROVERSIA VIII.

De elementis. 483

Punct.I. *Quid ſit elementum.* ibid.

II. *De ſitu elementorum.* 484

III. *Quid ſit Mixtio?* 486

IV. *An elementa maneant actu formaliter in mixto.* 486

V. *De primis qualitatibus.* 489

VI. *Qualitates per ſingula diſtribuuntur elementa.* 492

VII. *De grauitate, & leuitate.* 494

§.1. *Aliorum placita.* ibid.

§.2. *Propria ſententia.* 496

§.3. *Argumenta ſoluta.* 498

§.4. *Nonnulla corollaria.* 499

Digitized by Google

TOMVS SECVNDVS.

DE ANIMA.

CONTROVERSIA I.

De Anima, & de eius informatione. 3
Punct.I. QVid ſit Anima? ibid.
II. Explicatur diuiſio Animæ in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem. 7
III. De Anima rationali, & eius informatione. 10
§.1. Varij errores referuntur. ibid.
§.2. Dogmata Catholica contra præcedentes errores. ibid.
§.3. Concertatio inter Catholicos dirimitur. 11
IV. Quæ partes informentur anima? 12
V. An anima rationalis indiuiſibilis ſit. 14
§.1. Quomodo alij rationem corporis & ſpiritus definiant? ibid.
§.2. Definitio rei ſpiritualis & corporeæ iuxta propriam ſententiam. 15
§.3. Animam rationalem indiuiſibilem eſſe oſtendo. 16
VI. De diuiſibilitate materialium animarũ. 18
VII. An animæ diuiſibiles partes habeant heterogeneas intrinſecè, an tantùm extrinſecè? 20
VIII. An omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei ſint perfectione æqualia, & æquè ſimilia? 23
§.1. Referuntur variæ ſententiæ, & nonnulla prænotantur. ibid.
§.2. An prædicata ſuperiora duarum ſpecierum & prædicata duorum indiuiduorum poſſint eſſe mutuò ſimilia & diſſimilia, æqualia & inæqualia? 24
§.3. Quæ ſimilitudo requiratur ad conſtituendum prædicatum ſpecificum? 25
§.4. Difficultatis ſolutio. 26
§.5. An differentiæ eſſentialiter oppoſitæ neceſſariò inæqualitatem importent? 27
IX. An in quolibet viuenti vnica tantùm detur anima? 29

CONTROVERSIA II.

De conceptu viuentis. 31
Punct.I. Apparatus ad totã rei elucidationẽ. ib.
II. Quid ſit viuens in actu primo? 33
§.1. Triplex ſententia refellitur. ibid.
§.2. Duplex ſententia reiicitur. 34
§.3. Alia ſententia impugnatur. 35
§.4. Propria ſententia 36
III. Quæ ſint viuentia in actu primo; quæ in actu ſecundo: vbi immanentia nutritionis explicatur 38

CONTROVERSIA III.

De potentiis animæ. 40
Punct.I. An anima per ſuammet entitatem, virtutem actiuam atque paſſiuam habeat reſpectu ſuarum operationum. ibid.
§.1. De virtute actiua. ibid.
§.2. De virtute paſſiua. 42
II. An potentiæ realiter diſtinguantur ab Anima. 43
§.1. Doctorum placita. ibid.
§.2. Propria ſententia. ibid.
§.3. Argumentorum ſolutio. 45
III. An potentiæ animæ diſtinguantur ab illa formaliter. 46
IV. Nonnulla de potentiis expediuntur. 48

CONTROVERSIA IV.

De petentiis materialibus tam externis, quàm internis. 49
Punct.I. De potentiis externis. ibid.
§.1. De viſu & viſibili. ibid.
§.2. De auditu & audibili. 50
§.3. De Olfactu & odore. ibid.
§.4. De Guſtu & Tactu. 51
II. De ſenſu interno. 52
III. De appetitu ſenſitiuo. 53
IV. An de potentia Dei abſoluta poſſit dari ſenſatio externa de obiecto non exiſtenti. 54
V. An ſenſus internus percipiat negationes. 56.
VI. Nonnulla expediuntur de potentiis materialibus. 57

CONTROVERSIA V.

De potentia intellectiua & de illius actibus. 57.
Punct.I. De intellectu agenti. ibid.
II. De intellectu poſſibili, & eius obiecto. 59
III. An intellectus poſſit plura vt plura eodem actu cognoſcere, etiam ex motiuis diuerſis. 60
§.1. Propria ſententia explicatur. ibid.
§.2. Argumentorum ſolutio. 63
IV. De Memoria. 65
V. Quod obiectum prius cognoſcatur à noſtro intellectu? 68
VI. An principium cognoſcitiuum inferatur ex ſubſtantiæ immaterialitate. ibid.
VII. An principium cognoſcitiuum, appetitiuum inferat. 71

CON

Digitized by Google

CONTROVERSIA VI.

De intellectione. 73

Punct. I. *In quo formaliter intellectio ſit conſtituenda?* 74

§. 1. *Duplex opinio refertur & refellitur.* ibid.

§. 2. *Duplex alia ſententia reiicitur.* 75

§. 3. *Propria ſententia.* 77

§. 4. *Argumentorum ſolutio.* 78

§. 5. *Nonnulla expediuntur de Intellectione.* 79

§. 6. *De verbo mentis.* 80

II. *De apprehenſione, iudicio, atque diſcurſu.* 81

III. *An poſſit componi ſupernaturaliter aſſenſus & diſſenſus, amor & odium de eodem obiecto in eadem potentia.* 83

§. 1. *Doctorum placita, & ſtatus quæſtionis.* ibid.

§. 2. *Fundamenta ſententiæ negatiuæ expenduntur.* ibid.

§. 3. *Explicatâ repugnantiâ inter aſſenſum & diſſenſum explicatur propria ſententia.* 85

IV. *Quid intuitiua cognitio, & quomodo ab abſtractiua differat?* 87

§. 1. *Aliorum placita impugnantur.* ibid.

§. 2. *Propria ſententia.* 88

§. 3. *Nonnulla corollaria.* 89

§. 4. *Satisfit argumentis.* ibid.

V. *Quid ſit Comprehenſio?* 91

§. 1. *Comprehenſionis definitio, & aliquæ illius acceptiones.* ibid.

§. 2. *Nouus modus explicãdi comprehenſionẽ.* 92

CONTROVERSIA VII.

De veritate & falſitate formali actuum intellectus. 93

Punct. I. *An veritas & falſitas diſtinguantur ab actu Intellectus.* ibid.

§. 1. *Refellitur aliqua ſententia.* ibid.

§. 2. *Refellitur ſententia P. Hurtadi.* 94

§. 3. *Propria ſententia.* 95

§. 4. *De actibus diuinæ mentis, & ſupernaturalibus creatis.* 96

§. 5. *Reſpondetur argumentis quæ fiunt contra noſtram ſententiam conſtituentem veritatem in actu & obiecto.* 100

II. *An propoſitio poſſit tranſire de verà in falſam?* 101

§. 1. *Propria ſententia.* ibid.

§. 2. *Satisfit argumentis.* 103

III. *An veritas & falſitas ſuſcipiant magis & minus.* 104

IV. *An veritas & falſitas reperiantur in ſimplici apprehenſione.* 105

V. *An futura abſoluta habeant veritatem vel falſitatem.* ibid.

§. 1. *Præſentia rerum in æternitate abigitur.* 106

§. 2. *Præſentia Dei de futuris liberis cum libertate humana componitur.* 107

§. 3. *Veritas futurorum liberorum ſtatuitur.* 108

§. 4. *Vnde veritatem habeant hæc futura.* 109

VI. *De veritate futuri liberi conditionati.* 110

§. 1. *Præmittuntur nonnulla.* ibid.

§. 2. *Aſſignatur obiectum propoſitionis de obiecto conditionato libero.* 112

§. 3. *Statuitur veritas propoſitionis de obiecto conditionato libero.* 113

§. 4. *In quo cognoſcantur.* ibid.

VII. *Appendix, quid ſit certitudo actus in actu vero.* 115

CONTROVERSIA VIII.

De Voluntate. 118

Punct. I. *De obiecto voluntatis.* ibid.

II. *An actus voluntatis dependeat efficienter ab actu intellectus.* 119

III. *An volitio neceſſariò & eſſentialiter pendeat à cognitione.* ibid.

IV. *An volitio dependeat ſufficienter ab apprehenſione, vel indigeat iudicio tenenti ſe ex parte actus primi.* 120

V. *An detur imperium ex parte intellectus præcedens actus voluntatis.* 121

CONTROVERSIA IX.

De actibus voluntatis imperantibus alios actus eiuſdem potentiæ. 122

Punct. I. *De Imperio reflexiuo circa actum ſingularem.* ibid.

§. 1. *Status quæſtionis.* ibid.

§. 2. *Statuuntur actus reflexi voluntatis imperantes alios actus eiuſdem potentiæ.* 123

§. 3. *Statuitur imperium inefficax.* 124

§. 4. *Statuitur imperium efficax voluntatis reſpectu actuum eiuſdem potentiæ.* 125

II. *De imperio particulari indeterminato & de imperio vago, confuſo, & vniuerſali.* 127

III. *De imperio non reflexo: vbi de materiali electione.* 128

IV. *An imperium naturâ ſuâ efficax libertatem adimat.* 130

§. 1. *Propria ſententia.* ibid.

§. 2. *Argumentorum ſolutio.* 131

V. *De influxu imperij inefficaci, vbi maximum fundamentum exhibetur ad omiſſionem liberam, & ex motiuo defendendam.* 133

§. 1. *Status difficultatis proponitur.* ibid.

§. 2. *Thomiſtarum ſententia euertitur.* 134

§. 3. *Recentes noſtræ Societatis impugnantur.* 135.

§. 4. *Ripaldæ ſententia exponitur: illiuſque fundamenta ſoluuntur.* ibid.

§. 5. *Fortius exploditur eadem ſententia.* 136

§. 6. *Propria ſententia explicatur.* 137

§. 7. *Vberior probatio eiuſdem ſententiæ, & argumentorum ſolutio.* 138

CONTROVERSIA X.

De pura omiſſione. 143

Punct. I. *An poſſit dari pura omiſſio.* ibid.

§. 1. *Singularis ſententia refertur.* ibid.

§. 2. *Relata ſententia repellitur.* ibid.

§. 3. *Quid de quæſtione?* 145

§. 4. *Quomodo omiſſio libera dependeat à cognitione?* 146

§. 5. *An omiſſio libera motiuum habeat?* 148

§. 6. *Argumentorum ſolutio.* 149

II. *An poſſit dari omiſſio omnium actuum collectiuè ſumptorum.* 150

CONTRO

CONTROVERSIA XI.
De intentione & electione. 151
Punct. I. *Explicatur obiectum intentionis & electionis?* ibid.
II. *An diſtinguantur intentio & electio?* 153
§. 1. *Proponuntur aliorum ſententia.* ibid.
§. 2. *Nonnulla præmittuntur ad propriam ſententiam præcipuè contra P. Suarium.* ibid.
§. 3. *Propria ſententia explicatur.* 154
III. *De connexione inter intentionem & electionem.* 157
IV. *An electio facta in vltimo inſtanti in quo vrget executio finis, quæ potuit in anterioribus liberè fieri, in hoc vltimo facto, libertatem amittat?* 160
V. *An electio procedens ex intentione efficaci, quæ obligat pro tempore diuiſibili, facta ante vltimum inſtans in quo vrget executio finis, libertatem retineat.* 161
VI. *An voluntas ex duobus mediis propoſitis poſſit eligere minus bonum.* 163
VII. *Quomodo intentio influat in electionem?* 165
VIII. *Quomodo differat intentio efficax ab inefficaci.* 166
CONTROVERSIA XII.
De libertate voluntatis. 167
Punct. I. *Statuitur libertas voluntatis.* ibid.
II. *Quid ſit potentia libera?* 168
III. *Per ordinem ad quam potentiam definiatur libertas.* 169
IV. *In quo conſiſtat ratio formalis libertatis in actu primo, & quid ſit liberum arbitrium?* 171
V. *An deficiente libertate in cauſa prima, neceſſariò deficeret in ſecunda?* 173
VI. *Diuiſio libertatis quoad ſpecificationem, & quoad exercitium.* 175
VII. *De libertate in actu ſecundo.* 177
VIII. *An ratio liberi ſit actioni intrinſeca.* ibid.
§. 1. *Propria ſententia.* ibid.
§. 2. *Præcipuum argumentum pro ſententia Hurtadi expenditur & ſoluitur.* 180
§. 3. *Alia argumenta ſoluuntur.* 181
CONTROVERSIA XIII.
De ſpeciebus impreſſis potentiarum materialium & ſpiritualium. 182
Punct. I. *An dentur ſpecies ſenſuum externorum.* ibid.
§. 1. *De ſpeciebus Viſus.* ibid.
§. 2. *De ſpeciebus aliorum ſenſuum.* 183
§. 3. *De ſpeciebus ſenſibilis communis.* 184
II. *De ſpeciebus ſenſus communis.* 185
III. *De ſpeciebus intellectus.* 188
IV. *Quod ſit munus ſpeciei impreſſæ.* 189
V. *De diſtinctione, extenſione & intenſione ſpecierum.* 191
VI. *An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa.* 112
CONTROVERSIA XIV.
De Habitibus. 193
Punct. I. *De Habitibus infuſis.* ibid.
II. *An dentur habitus acquiſiti in potentiis à voluntate diſtinctis.* 194
§. 1. *De potentiis materialibus.* 195
§. 2. *De Habitibus intellectus.* ibid.
III. *An dentur Habitus in voluntate.* 196
§. 1. *Fundamentum recentiorum pro ſententia negante habitus voluntatis diſtinctos à cognitione obiecti, refellitur.* ibid.
§. 2. *Explicatur modus quo poſſit defendi non diſtingui habitus voluntatis à cognitione obiecti & ſpeciebus.* ibid.
§. 3. *Argumentorum ſolutio.* 198
§. 4. *Nonnulla ad præcedentem opinionem ſpectantia explicantur.* ibid.
IV. *Quomodo concurrant habitus ad actus?* 199
V. *De diſtinctione habituum, & de eorum intenſione.* 201
VI. *De productione & corruptione habituum, & cauſis illorum.* 202
VII. *An actus ſupernaturales ab habitibus ſupernaturalibus producti alium habitum ſupernaturalem acquiſitum producant, & quomodo per illos facilior reddatur potentia.* 204
CONTROVERSIA XV.
De Specificatione. 205
Punct. I. *Quid ſit ſpecificatio?* ibid.
II. *De ſpecificatione potentiarum.* 206
III. *De ſpecificatione aliarum qualitatum non vitalium.* 207
IV. *De ſpecificatiuo operationum vitalium.* 208
§. 1. *De ſpecificatione deſumpta ex principiis.* ibid.
§. 2. *Explicantur munera obiecti formalis & materialis.* ibid.
§. 3. *De ſpecificatione actuum ex obiectis materialibus & formalibus.* 209
§. 4. *Argumenta ſoluuntur.* 211
§. 5. *Quomodo aliqui diſtinguant actus naturales, & ſupernaturales circa idem formale obiectum.* ibid.
V. *De ſpecificatione aliarum entitatum.* 212
CONTROVERSIA XIV.
De Anima ſeparata. 213
Punct. I. *An anima rationalis ſit immortalis.* ibid.
II. *Alia de Anima in ſtatu ſeparationis.* 214

METAPHYSICA.

CONTROVERSIA I.
De eſſentia entis. 215
Punct. I. *De conceptu entis.* 216
II. *De Vniuocis & Æquiuocis.* ibid.
III. *De Analogis.* 217
IV. *De tranſcendentia entis & reliquorum prædicamentorum.* 218

V. *An*

V. *An poſſit dari vnus entis conceptus communis omni enti.* 220
VI. *An ens ſit analogum propter dependentiam.* 222
VII. *An ens ſit analogum propter tranſcendentiam.* 223
VIII. *An ens vniuocè dicatur de Deo,& creaturis, ſubſtantia & accidenti.* 225

CONTROVERSIA II.

De exiſtentia & poſſibilitate entis. 226
Punct.I. *Quid ſit poſſibilitas entis realis.* ibid.
§. 1. *Variæ ſententia impugnantur.* ibid.
§. 2. *Verior ſententia.* 228
II. *An diſtinguantur realiter eſſentia rei poſſibilis, & exiſtentia.* 230
III. *An eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia formaliter per rationem.* 232
IV. *Magis explicatur eadem ſententia,& incidens explicatur difficultas de obiecto ſcientiæ viſionis, & ſimplicis intelligentiæ.* 233
V. *Nonnulla expediuntur de exiſtentia.* 235

CONTROVERSIA III.

De actibus entis. 237
Punct.I. *De vnitate entis.* ibid.
§. 1. *Vnum non addit ſupra ens prædicatum reale poſitiuum realiter neque formaliter ab illo diſtinctum, neque fictum ab intellectu.* ibid.
§. 2. *Quam indiuiſionem entis dicat formaliter ratio* vnius. 238
§. 3. *An indiuiſiones, per quas formaliter conſtituitur* vnum, *importent aliquid poſitiuum.* 240
§. 4. *Nonnulla corollaria,& exacta* vnius *tranſcendentaliter definitio.* 243
§. 5. *Argumentorum ſolutio.* 244
§. 6. *De vno per accidens.* 246
II. *Quid ſit verum tranſcendentale?* 247
III. *Quid ſit falſum?* 249
IV. *Quid ſit bonum tranſcendentale.* 250
V. *De malo bono tranſcendentali oppoſito.* 251

CONTROVERSIA IV.

De diſtinctione entis. 252
Punct.I. *Quid ſit realis diſtinctio?* ibid.
II. *De diſtinctione ex natura rei.* 259
III. *An inter gradus Metaphyſicos diſtinctio aliqua non ficta intercedat.* Doctorum ſententiæ, 257
§. 1. *Scotiſtarum ſententiam refero.* ibid.
§. 2. *Verior ſententia.* 238
IV. *De diſtinctione virtuali in ordine ad prædicata contradictoria.* 262
§. 1. *Explicatur virtualis diſtinctio.* ibid.
§. 2. *Quid de hac diſtinctione virtuali ſentiendum ſit in diuinis: vbi illius natura magis explicatur.* ibid.
§. 3. *Quid ſentiendum ſit de hac diſtinctione virtuali in creatis?* 263
§. 4. *Quid de hac diſtinctione in ordine ad prædicata intentionalia?* 265
V. *De diſtinctione inter rem & modum.* 267
VI. *Quibus entitatibus diſtinctio modalis,ſeu ratio modi competat.* 271
VII. *De diſtinctione rationis ratiocinantis & ratiocinatæ.* 272
VIII. *De diſtinctione rationis,ſeu de præciſione inter gradus vniuerſales & quaſcumque formalitates identificatas.* 273
§. 1. *Explicatur difficultas,& variæ proponuntur ſententiæ.* ibid.
§. 2. *Media quædam ſententia recentiorum exploditur.* 274
§. 3. *Expendo nonnulla Hurtadi fundamenta pro ſententententia negante præciſiuas obiectiones.* 275
§. 4. *Potiſſimo argumento verior propugnatur ſententia.* 276
§. 5. *Soluuntur argumenta quæ præciſiones obiectiuas in omni ente propugnant.* 279
§. 6. *Soluuntur argumenta quæ præciſiones obiectiuas propugnant in ente increato.* 282

CONTROVERSIA V.

De diuiſione entis in decem Prædicamenta. 284
Punct.I. *Quid ſit Prædicamentum, & quâ ratione ens in decem prædicamenta conſtituatur.* ibid.
II. *Quæ entitates ponantur in Prædicamento.* 285

CONTROVERSIA VI.

De primo membro diuidente quod eſt ſubſtantia. 286
Punct. I. *Conceptus quidditatiuus ſubſtantiæ vt diſtincta ab accidenti explicatur.* ibid.
§. 1. *Aliorum ſententia.* ibid.
§. 2. *Propria ſententia.* 288
II. *Quid addat natura ſupra ſuppoſitum?* 289
§. 1. *Terminorum explicatio.* ibid.
§. 2. *Aliorum ſententia circa præcipuam difficultatem.* 290
§. 3. *Propria ſententia.* 291
III. *Quæ ſit formalis ratio ſubſiſtentiæ.* 292
IV. *An ſubſiſtentia ſit entitas ſimplex vel compoſita?* 296
V. *An eadem natura poſſit duplici ſubſiſtentia terminari.* 299
VI. *Nonnulla expediuntur de ſubſiſtentiis.* 302
VII. *De diuiſione ſubſiſtentiæ in primam & ſecundam.* 304

CONTROVERSIA VII.

De ſecundo membro diuidenti quod eſt Quantitas. 305
Punct.I. *An quantitas ſit accidens ſpeciale diſtinctum à ſubſtantia,& reliquis accidentibus?* ibid.
II. *Quæ ſit formalis ratio quantitatis.* 306

§. 1. *Ex*

§.1. *Explicatur definitio quantitatis tradita à Philoſopho.* ibid.
§.2. *Ratio formalis quantitatis non eſt tribuere partes ſubſtantiæ.* 307
§. 3. *Duplex alia ſententia reiicitur.* 310
§.4. *Propria ſententia: vbi præcedens magis impugnatur.* 311
III. *De ſpeciebus quantitatis permanentis continuæ.* 313
IV. *De ſpeciebus quantitatis continuæ ſucceſſiuæ, & quantitatis diſcretæ.* 315

CONTROVERSIA VIII.

De tertio membro diuidente, quod eſt Qualitas. 316
Punct.I. *Quid ſit qualitas?* ibid.
II. *Diuiſio qualitatis.* 318

CONTROVERSIA IX.

De quarto membro diuidente, quod eſt prædicamentalis Relatio. 319
Punct.I. *Quid ſit Relatio?* ibid.
II. *Diuiſiones Relationum.* 321
III. *De fundamento, termino, & ratione fundandi.* 322
IV. *De diſtinctione relationis à fundamento, termino, & ratione fundandi.* 324
§. 1. *Impugnatur prima ſententia.* ibid.
§.2. *Impugnatur ſententia de connotatis.* 326
§. 3. *Propria ſententia.* 328
§.4. *Argumentorum ſolutio.* 330
V. *An Relatio terminetur ad abſolutum, vel ad reſpectiuum?* 331
VI. *Nonnulla expediuntur de Relatione.* 333

CONTROVERSIA X.

De quarto membro diuidente quatenus dicit Relationem tranſcendentalem. 334
Punct.I. *Quid ſit Relatio tranſcendentalis, & quomodo differat à prædicamentali.* ibid.
II. *An reſpectus tranſcendentalis poſſit eſſe ad ens non poſſibile.* 337
III. *An eadem entitas poſſit ad ſeipſam tranſcendentaliter referri.* 338
IV. *De connexione cauſæ cum poſſibilitate effectus.* 340
§.1. *Aliorum ſententia.* ibid.
§.2. *Propria ſententia.* ibid.
§.3. *Argumentorum ſolutio.* 342
V. *An poſſibilitas effectus habeat connexionem cum poſſibilitate cauſæ?* 346
§.1. *Propria ſententia.* ibid.
§.2. *Argumentorum ſolutio.* 347
VI. *An cauſa & effectus mutuò referantur.* 349
§.1. *De cauſis creatis & de effectibus.* ibid.
§.2. *De cauſa increata.* 350
VII. *Quomodo effectus cognoſcantur in cauſa, & quinam illorum cognoſci debeant.* 352

CONTROVERSIA XI.

De reliquis membris diuidentibus. 353

CONTROVERSIA XII.

De ente rationis. ibid.
Punct.I. *Entis rationis definitio.* ibid.
II. *An detur ens rationis: vbi illius quidditas magis explicatur.* ibid.
III. *Diuiſio entis rationis in ens rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis, ſeu chimaricum.* 358
IV. *Diuiditur ens rationis in omnes ſuas ſpecies.* 359
V. *An denominationes extrinſecæ ſint entia rationis.* 361
VI. *De cauſa creata entis rationis.* 362
VII. *An Deus cognoſcat & faciat ens rationis.* 364

FINIS.

Digitized by Google

INTRODVCTIO AD LOGICAM: SEV BREVIS SVMMVLARVM SVMMA.

PROOEMIVM.

VTILIA valdè & omninò neceſſaria eſſe ea, quæ in Summulis traduntur, nemo ibit inficias; dependet enim tota arguendi forma, & vſus Syllogiſticæ ſtructuræ, ex præceptis quæ in hac Introductione ad Dialecticam traduntur. Verumtamen in his omnibus explicationem potiùs adhibendam, quàm diſputationem inſtituendam eſſe cenſeo: pleraque enim ſunt omnino certa, fixíſque regulis definita: quæ vix fallacibus argumentis poſſunt attrectari, tantùm abeſt vt efficacibus rationibus concuti poſſint. Huiuſmodi ſunt præcepta, quæ traduntur circa Definitionem, & Diuiſionem, & circa modos argumentandi, ex definitione, & diuiſione vtriuſque; eiuſmodi ſunt etiam præcepta tradenda circa Oppoſitionem, Conuerſionem, & Æquipollentiam propoſitionum; neque minùs fixa ſunt præcepta circa diſpoſitionem terminorum in Syllogiſmo, & circa huius reductionem per Oſtenſionem, & per Impoſſibile, & vix vna, vel altera quæſtio alicuius momenti longâ diſputatione digna reperitur. Ob hanc rationem omnia attingam quæ hîc alij tractant, illáque quâ potuero claritate explicabo, ab illíſque me breuiſſimè expediam; ſunt enim omnia non omittenda, & vix vnum latè diſputandum.

CONTROVERSIA PRIMA.

De Natura & proprietatibus terminorum.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit terminus.

1 FIXVM non eſt, quænam ſint comprehendenda ſingularia ſub ratione communi, quam intendimus definire: quidam enim affirmant copulam *eſt*, & omnes dictiones in propoſitione poſitas, etiam voces ſignificationis expertes terminos eſſe dicendas. Alij voces nihil ſignificantes à terminorum ratione excludunt, & reliquas omnes admittunt: alij copulam *eſt* terminum dici nolũt: aliíque tantùm ſubiectum, & prædicatum rationem termini participare contendunt. Secundùm hos diuerſos dicendi modos in diuerſas Auctores diſtrahuntur ſententias circa termini definitionem, & illam quilibet architectatur, quæ rectè quadret vocibus illis, quas ratione termini gaudere defendit. Ego in hac re nihil inuenio, quod quæſtionem de nomine tranſiliat, neque principia reperio apud Auctores, quibus aliquid certò poſſit definiri, qui enim aſſerunt dictiones omnes terminos dici, id ſuadent, quia nomen *terminus* apud Dialecticos idem ſonat quod apud Grammaticos dictio, & quia notitia omnium elementorum cuiuſque facultatis, & inſtrumentorum, quibus ipſa vtitur terminorum notitiam appellamus. Illi verò, qui affirmant tantùm ſubiectum, & prædicatum terminos eſſe dicenda, id ſibi perſuadent, quia terminus

rei eſt id,quo res terminatur,quod eſt idem ac extremum rei, copula autem non dicitur extremum, ſed extremorum connexio.

2 Vtriuſque ſententiæ ratio potuit inducere ſignificationem huius vocis *terminus* ſecundùm quamlibet ex prædictis acceptionibus;ſecundùm quam verò ſit accipienda non poſſum ex Auctoribus colligere,æquali enim authoritatis pondere omnium ferè ſententias intueor. Ob hanc rationem ex Ariſtotele mihi definitionem termini deſumam, ex qua inferam ſecundùm quam acceptionem hæc vox *terminus* ſit accipienda, terminique propriam eſſentiam explicabo. Philoſophus 1. *lib. priorum cap.* 1. terminum ita definiuit: *Terminum vero in quem reſoluitur propoſitio,vt prædicatum, & de quo prædicatur, appoſito vel ſeparato eſſe vel non eſſe,* quibus verbis non ſolùm termini definitionem tradidit, verùm etiam illam explicuit. Definitio termini his clauditur, *in quem reſoluitur propoſitio.* Pro cuius explicatione perpendendum eſt; in illa quodlibet totum reſolui, ex quibus componitur: ſicuti homo compoſitus ex corpore,& anima,in corpus,& animam reſoluitur,cum deſinit eſſe;& domus ex calce,lateribus, & lignis conſtructa,in hæc tanquam in prima elementa reſoluitur,cùm illius deperditur conſtructio. Id ergo ex Ariſtotele terminus erit propoſitionis, ex quo componitur propoſitio,& cùm illa, quibus componitur, ipſius partes ſint,partes propoſitionis erunt illius termini,idemque erit propoſitionis pars,& terminus propoſitionis.

3 Ex hoc infero copulam *eſt* terminum non eſſe,quia copula non eſt pars propoſitionis, ſed nexus partium,ſicuti vnio materiæ,& formæ non dicitur pars Totius naturalis, ſed partium nexus. Id ſuadet explicatio definitionis ab ipſo Ariſtotele tradita per illa verba,*vt prædicatum, & de quo prædicatur*, quibus exemplum adduxi termini, quem definierat in ſubiecto, & prædicato, id enim de quo aliquid prædicatur,aut dicitur,propoſitionis eſt Subiectum; & id, quod de alio dicitur, Prædicatum appellatur. Per vltima verba *appoſito vel ſeparato eſſe, vel non eſſe,*ſignificauit Ariſtoteles propoſitionem,cuius ſubiectum,& prædicatum termini dicuntur, poſſe eſſe affirmatiuam, in qua apponitur eſſe rei, quæ affirmatur, & ſeparatur non eſſe eiuſdem;vel negatiuam in qua apponitur non eſſe rei,quæ negatur,& ſeparatur eiuſdem eſſe.

4 Infero ſimiliter voces nihil ſignificantes poſſe eſſe terminos, quia poſſunt eſſe partes propoſitionis, illiúſque ſubiectum,& prædicatum, in quæ propoſitio reſoluatur, vt patet in hac propoſitione: *Blitiri eſt vox*, quæ eſt vera propoſitio conſtans duplici extremo,quorum vnum *Blitiri* eſt ſubiectum,& alterum *vox* eſt prædicatum,& vtrumque extremum propoſitionis, illiúſque pars, ac proinde terminus. Nec refert *Blitiri* in hac propoſitione materialiter ſumi,& nihil extra ſe ſignificare,quia id,quod materialiter ſumitur pro ſe ipſo, poteſt ſic materialiter ſumptum,termini denominationem ſubire; & terminus non conſtituitur formaliter talis per hoc,quod eſt ſignificare, ſed per hoc quod eſt eſſe partem propoſitionis,ſeu id in quod propoſitio reſoluitur. Addo *Blitiri*, & quamlibet aliam vocem ex ſe nihil ſignificantem appoſitam in propoſitione aliis vocibus cum quibus propoſitionem conſtituat,ſignificatione non carere,ſed quaſi reflexè ſe ipſam ſignificare; ſicuti cognitio, quæ ſe ipſam repræſentat, etiamſi nullum aliud habeat obiectum,non diceretur nihil repræſentare,ſed ſe ipſam exprimere,& tanquam obiectum reſpicere.

5 Quod autem *Blitiri* in prædicta propoſitione poſitum ſe ipſum reflexè ſignificet eadem proprietate,quâ vox *homo* in quacumque propoſitione poſita ſignificat animal rationale,ſic probo. Eatenus voces ſignificant res,quatenus ſubſtituuntur loco conceptuum, qui naturaliter eaſdem res repræſentant. Sed hæc vocalis propoſitio *Blitiri eſt vox*,ſubſtituitur loco conceptus,ſeu iudicij interni:ergo hæc vox *Blitiri* ſubſtituitur in prædicta propoſitione vocali, loco conceptus mentalis,quo ex vi iudicij interni illam cognoſco tanquam ſubiectum propoſitionis: ergo ſe ipſam ſignificat medio conceptu interno illam repræſentante,loco cuius ſubſtituitur.Confirmatur:ideo in hac propoſitione vocali *homo currit*,vox *homo* ſignificat animal rationale,quia ſubſtituitur loco conceptus includi in iudicio interno repræſentantis animal rationale.Sed in hac propoſitione vocali *Blitiri eſt vox, Blitiri* ſubſtituitur loco conceptus interni incluſi in iudicio interno repræſentantis ipſam vocem: ergo eâdem ratione,quâ vox homo in illa propoſitione ſignificat animal rationale, vox *Blitiri* in propoſitione iſta ſignificat ſe ipſam.

6 Neque ex hoc infertur eandem vocem *Blitiri* extra propoſitionem ſe ipſam ſignificare,quia quoties quis profert vocem,cui homines ſignificatum non dedêre, non intendit illam ſubſtituere loco conceptus,ex vi cuius illam cognoſcit: quando verò illam profert in hac propoſitione *Blitiri eſt vox*, aut in alia ſimili, intendit voces ſubſtituere loco iudicij interni, in quibus vox *Blitiri* reſpondet parti iudicij repræſentanti ipſam vocem, ſi iudicium diuiſibile eſt, vel toti iudicio quatenus talem vocem repræſentat.

7 Reliquæ partes propoſitionis, demptâ copulâ *eſt*, vel ſunt termini, vel affectiones terminorum, quæ ſe habent ex parte ſubiecti, aut prædicati; relatiua enim per modum vnius ſe habent cum illo, quod referunt, ſicuti in hac propoſitione *Petrus qui loquitur eſt doctus*, relatiuum *qui* ſe habet per modum vnius cum Petro, & ſubiectum propoſitionis efficit, eſt enim idem dicere *Petrus qui loquitur*, ac dicere *Petrus loquens*; & ſicut in hac propoſitione *Petrus loquens eſt doctus*, illud *loquens* ſimul cum ſubſtantiuo *Petrus* conſtituit vnum ſubiectum, ſic in hac propoſitione *Petrus qui loquitur eſt doctus*, illud *qui loquitur* ſimul cum nomine *Petrus* vnum ſubiectum efficit. Caſus obliqui ſemper ſe tenent ex parte ſubiecti, aut ex parte prædicati, ſicuti in hac propoſitione *Rex Hiſpaniæ vicit*; illud *Hiſpaniæ* ſe tenet ex parte ſubiecti *Rex*, eſt enim idem dicere *Rex Hiſpaniæ*, ac *Rex Hiſpanus*: & in hac propoſitione *ego video Petrum*, quæ in hanc reſoluitur *ego ſum videns Petrum*, illud *Petrum* ſimul cum *videns* conſtituit vnum prædicatum, quia in illa propoſitione non quæcumque viſio mihi conuenire dicitur, ſed viſio terminata ad Petrum, quæ explicatur per illud obliquum *Petrum*. Aduerbia affectiones ſunt prædicatorum, cum enim dicimus *Petrus currit velociter*, illud *velociter* ſignificat modum curſus, qui Petro conuenire dicitur, idem enim eſt dicere *currit velociter*, ac dicere *Petrus currit curſu veloci*. Coniunctiones aliquando coniungunt partes ſubiecti & prædicati, & tunc ſe ſe habent ex parte illius extremi tanquam vnio annectens illius partes illúdque conſtituens, ſicut in hac propoſitione *Petrus & Ioannes ſunt duo*, in qua coniunctum hoc *Petrus & Ioannes* indiuiſibiliter ſumptum conſtituit vnum ſubiectum: aliquando coniungunt propoſitiones,& tunc neque ſunt ſubiectum, aut prædicatum, neque illorum affectiones, vt cùm dicimus *Petrus loquitur, & Ioannes ambulat*, coniunctio *&*, neque pertinet ad ſubiectum,neque ad prædicatum prioris, aut poſterioris propoſitionis. Præpoſitiones ſe habent ex parte caſus obliqui quem regunt, ſicut in hac propoſitione *Petrus eſt amans à Deo*, propoſitio *à*, ſe tenet ex parte obliqui *Deo*, non tamen ſunt affectiones rei ſignificatæ, neque per ſe aliquid ſignificant,& impropriè vel nullo modo ad ſubiectum, vel prædicatum pertinent. Participia ſicuti alia quæcumque nomina ſubiectum, aut prædicatum dicuntur,dicimus enim *Petrus eſt amans*,in qua propoſitione participium *amans* prædicati rationem habet. Pronomina loco nominum ſubſtituuntur, eadémque ratione ac ipſa nomina ſubiecti, aut prædicati vices gerunt. Interiectiones propoſitionis partes non ſunt neque ad aliquid affirmandum, vel negandum deſeruiunt, & ita rationem termini habere nequeunt.

8 Demum affirmo non ineptè ab aliquibus terminum definiri *extremum propoſitionis*,quia terminus idem ſonat, ac extremum,& quia terminus conuertitur cum ſubiecto,& prædicato; & omne ſubiectum, & prædicatum, nihilque ab illo diſtinctum, aut non ſe habens per modum vnius cum ipſo, rationem termini habet.Neque ad rem eſt puerilis obiectio,quæ adduci ſolet, videlicet in hac propoſitione *homo animal eſt*, copulam eſſe vltimum propoſitionis, ac proinde illius extremum, & conſequenter terminum eiuſdem;quia illud extremum non intelligendum eſt poſitione locali, in propoſitione enim mentali non eſt poſitio localis cum ordine prioris, & poſterioris,ſed officio, quâ ratione *animal* eſt extremum huius propoſitionis *homo eſt animal*, quæ eundem ſenſum reddit ac iſta: *homo eſt animal.*

9 Obiicies primò: non rectè definiri terminum per propoſitionem, quia definitur ignotum per ignotius; ignotior enim eſt propoſitio, quàm terminus. Reſpondeo, ad definitionem

Digitized by Google

definitionem termini, huiúſque notitiam quidditatiuam non requiri notitiam quidditatiuam propoſitionis, ſed confuſam ſufficere, quæ facilius poteſt acquiri, quàm notitia termini quidditatiua, ſufficienter enim poterit quis terminum quidditatiuè cognoſcere, ſi ſciat propoſitionem eſſe orationem, quâ dictâ poſſumus proferenti reſpondere; verum dicis, aut falſum dicis. Ex quo reſpondeo non definiri terminum per aliquid ignotius, quia notior eſt propoſitio cognitione confuſâ, quàm terminus cognitione quidditatiua, licet ignotior ſit propoſitio cognitione quidditatiua, quàm terminus; quod nihil refert, quia terminus non definitur per propoſitionem quidditatiuè, ſed tantùm confuſè cognoſcendam.

10 Vltimò aduerte ad cognoſcendum prædicatum cuiuſuis propoſitionis, quaſdam dici propoſitiones *de tertio adiacente*, in quibus prædicatum extra copulam exprimitur, ſicuti in hac propoſitione *Petrus eſt albus*; in qua *albus* eſt illius prædicatum, alias dici *de ſecundo adiacente*, in quibus prædicatum intra copulam continetur ratione Participij incluſi, ſicut in hac propoſitione *Petrus eſt*, in qua prædicatum eſt Participium incluſum in copula, idem enim eſt dicere *Petrus eſt*, ac dicere *Petrus eſt ens*, & idem ſonat *Petrus currit*, ac *Petrus eſt currens*.

11 Obiicies ſecundò: Definitio termini aſſignata conuenit propoſitioni, ergo non eſt bona cùm aliis à definito conueniat, Probatur Antecedens: ſi reſoluatur hæc propoſitio *Petrus eſt albus eſt propoſitio*, alterum extremum in quod reſolutio fiet, erit tota hæc propoſitio *Petrus eſt albus*: ergo illi conueniet definitio termini. Reſpondeo prædictam reſolutionem tanquàm in extremum in hoc complexum *Petrus eſt albus* non fieri formaliter quatenus eſt propoſitio affirmans Petrum eſſe album, ſed quatenus eſt extremum componens propoſitionem illam, quæ in illud reſoluitur. Ita definitio termini poteſt conuenire propoſitioni non formaliter, quatenus eſt propoſitio, ſed quatenus illi accidit eſſe extremum componens aliam propoſitionem à ſe diſtinctam.

12 Obiicies tertiò: Eodem modo reſoluitur propoſitio in copulam *eſt*, ac in ſubiectum, & prædicatum: ergo copula *eſt* habet rationem termini. Antecedens probatur: reſolutâ hac propoſitione *Petrus eſt albus*, Petrus nō manet ſubiectum propoſitionis actu, ſed tantùm in potentia; idem dicito de altero extremo. Sed copula *eſt* etiam manet in potentia, quia iterum copula adhibita poteſt dici *Petrus eſt albus*: ergo eodem modo reſoluitur propoſitio in copulâ ac in extrema. Reſpondent nonnulli factâ reſolutione propoſitionis, extrema, & copulam eodem modo in potentia permanere, & in ipſa fieri reſolutionem, non tamen copulam eſſe terminum, quia non in illam tanquam in partem propoſitio reſoluitur, ſed tanquam in partium nexum. Terminum autem non eſſe id, in quod quomodocùmque propoſitio reſoluitur, ſed in quod reſoluitur propoſitio tanquam in partem, ob idque dixiſſe Ariſtotelem, *terminum voco, in quem reſoluitur propoſitio vt prædicatum, & de quo prædicatur.* Cæterùm Philoſophus prædictis verbis, *vt prædicatum, & de quo prædicatur*, non intendit aſſignare ſpecialia elementa reſolutionis, quæ præ aliis, in quæ fiat reſolutio, habeant rationem termini; ſed exemplum adducere termini, quem definierat præcedentibus verbis in ſubiecto & prædicato, quæ ſunt adæquata elementa, in quæ reſolutio fit. Reſpondeo ergo, reſolutâ hac propoſitione *Petrus eſt albus* conceptum *Petrus* actu non eſſe ſubiectum, tamen ſecundùm ſe actu permanere, quia rectè concipitur Petrus extra propoſitionem: copulam verò actu non permanere, neque adhuc ſecundùm ſe, quia conceptus copulæ nunquam poteſt reperiri, niſi cum actuali copulæ exercitio actu annectens extrema, & propoſitionem conſtituens. Aptum habes exemplum in reſolutione hominis, quâ facta, materia & forma, etſi actu non maneant partes compoſiti, tamē manent quoad entitatem, vnio verò omnino deſinit eſſe, nullóque modo manet, & ita rectè dicitur hominem reſolui in materiam, & formam, non tamen dici poteſt reſolui vnionem.

PVNCTVM II.

Nonnulla diuiſiones terminorum.

1 VVlgò diuiditur terminus in Mentalem, Vocalem, & Scriptum, iuxta triplicem propoſitionem mentalem, vocalem, & ſcriptum. Propoſitio *mentalis* eſt interna enunciatio vnius de alio, ſeu internum iudicium, quo indico hoc eſſe illud. *Vocalis* propoſitio ſunt voces, quæ ſubſtituuntur loco mentalis propoſitionis: & *ſcripta* propoſitio dicitur ſcriptura quâ eandem propoſitionem mentalem notam facimus. Iuxta hæc terminus vocalis appellabitur extremum vocalis propoſitionis, & terminus ſcriptus dicetur extremum propoſitionis ſcriptæ, terminúſque propoſitionis mentalis erit extremum propoſitionis mentalis. Cæterùm cùm voces & ſcriptura propriè non ſint enunciationes, ſeu propoſitiones, ſed propoſitionum ſubſtituta, quod adhuc ex ſe non habent, ſed ex libera hominum impoſitione, illorum extrema propriè termini non ſunt, ſed impropriè & extrinſecè deſumptâ denominatione à terminis propoſitionis mentalis, loco quorum ex libera hominum impoſitione ſubſtituuntur.

Extrema mentalis propoſitionis propriè terminos appellat communis ſententia, quod apud me difficultate nō vacat, quam iam aperio. 2 Terminus propoſitionis eſt ſubiectum de quo aliquid dicitur, & prædicatum, quod dicitur de alio: ſed in propoſitione mentali, quæ propriè eſt formalis propoſitio, nihil eſt quod de alio dicatur; quia in conceptu interno reſpondente his vocibus *Petrus eſt animal*, non eſt vna pars, quæ de alia prædicetur, quia interna propoſitio partes non habet, ſed eſt ſimplex qualitas, vt oſtendam Controu. 5. de anima, Punct. 2. & etiamſi plures partes haberet, vna de alia non prædicaretur, cùm inter ſe eſſent diſtinctæ, neque ipſa propoſitio de ſe ipſa enunciatur, ſed tantùm eſt enunciatio obiecti, in quo reperitur ſubiectum, de quo dicitur prædicatum; & prædicatum, quod de ſubiecto dicitur: Ergo propoſitio mentalis ſecundùm ſe non includit intrinſecè ſubiectum, & prædicatum, ſed ad hæc terminatur: ergo ſecundùm ſe & intrinſecè non habet terminos. Duplex propoſitio diſtinguenda eſt, *formalis*, quæ propriè & ſtrictè loquendo tantùm eſt propoſitio *obiectiua*, quæ non eſt propriè, & rigoroſè propoſitio, ſed obiectum propoſitionis, & conſtituitur in eſſe propoſitionis obiectiuæ tanquam per formam extrinſecam per propoſitionem formalem. Ex his propoſitio obiectiua in ſe continet ſubiectum & prædicatum conſtituta in eſſe talium per propoſitionem formalem, & ob hanc rationem exiſtimo in ſe includere extrema, quæ propriè termini dicuntur, & terminos includere licet formaliter conſtitutos in ratione terminorum, ſicuti in ratione ſubiecti, & prædicati per formalem Propoſitionem. Itaque cùm ego dico *Petrus eſt albus*, interna & formalis propoſitio in ſe non continet ſubiectum, & prædicatum, neque terminos, ſed obiectiua, quæ dicit intrinſecè & in ſe Petrum extrinſecè conſtitutum in ratione ſubiecti, & in ratione termini per propoſitionem mentalem, & album, ſeu eundem Petrum quatenus album eodem modo extrinſecè conſtitutum per eandem formalem propoſitionem in ratione prædicati.

Difficilius explicatu eſt, an copula non tantùm conſtituatur per propoſitionem formalem, tanquam per formam, ſicuti conſtituitur ſubiectum, & prædicatum tenentia ſe ex parte obiecti, ex parte eius copula etiam ſe teneat, ſed an formaliter ſit ipſa mentalis propoſitio, vel in illa formaliter includatur. 3 Cenſeo ego propoſitionem ipſam formalem, non eſſe formam extrinſecam conſtituentem copulam ſe tenentem ex parte obiecti, ſed eſſe ipſam formalem copulam annectentem intentionaliter & extrinſecè in ordine ad noſtrum intellectum ſubiectum, & prædicatum, in quibus tantum reperitur nexus intentionalis, quem habent ratione enunciationis, cùm phyſicè ſint eadem entitas, quæ ſecum ipſa nullam vnionem habet, ſed eſt ſimplex entitas, eadem ſecum non per identitatem ſuperadditam, ſed per ſe ipſam. Confirmatur eadem doctrina: Propoſitio formalis eſt forma conſtituens obiectum, quod reſpicit in ratione ſubiecti, & prædicati: ergo eſt formalis copula illorum. Probo conſequentiam: Subiectum formaliter conſtituitur in ratione ſubiecti, & prædicatum in ratione prædicati per illud, ex vi cuius annectuntur tanquam duo extrema; ſed annectuntur per copulam: ergo conſtituuntur in ratione ſubiecti, & prædicati per copulam. Sed propoſitio mentalis eſt id, per quod annectuntur: Ergo propoſitio mentalis eſt illorum formalis copula.

Nota inſuper propoſitionem mentalem, vocalem, & 4

ſcriptam habere idem ſubiectum, quod reſpiciunt tanquam obiectum, & poteſt dici propoſitio mentalis obiectiua in ordine ad propoſitionem formalem mentalem; & vocalis obiectiua in ordine ad propoſitionem vocalem; & obiectiua propoſitio ſcripta in ordine ad propoſitionem ſcriptam, ſimilique modo dici habere terminos conſtitutos formaliter per propoſitiones illas, quarum ſunt obiecta: Nihilominus tantùm poſſe dici illud obiectum habere propriè terminos in ordine ad propoſitionem mentalem, quia hæc tantùm ſimpliciter eſt propoſitio, eadémque ratione propoſitio terminos conſtituit, quâ ipſa rationem propoſitionis participat.

4 Forma conſtituens terminum mentalem ſemper eſt ſignificatiua, quia eſt cognitio, quæ eſſentialiter eſt repræſentatio obiecti, & per ſe ipſam illud exprimit, ſicuti imago proprium obiectum. Forma conſtitutiua termini vocalis, quæ eſt vox, non ſemper ſignificatiua eſt, quia cùm voces non habeant ex ſe ſignificare obiectum (idem dicito de ſcripturis) ſe ex libera hominum impoſitione, eo ipſo quod homines impertiti non ſint ſignificationem aliquam huic voci, omnino illa carebit. Ob hanc rationem terminus vocalis diuiditur in *ſignificatiuum*, & *non ſignificatiuum*. De natura ſigni dicam Controu. 8. Logicæ, modò tamen illa attingam, quæ præcisè ad rem explicandam ſufficiunt. Signum eſt quod *ordinatur ad aliquid repræſentandum potentiæ cognoſcitiuæ*. Hoc eſt duplex, vnum *formale*, quod per ſe ipſum repræſentat obiectum potentiæ: aliud *inſtrumentale*, quod excitat repræſentationem, ſeu cognitionem obiecti, quæ repræſentatio, ſeu cognitio eſt ſignum formale. Signum inſtrumentale de quo modò agimus duplex eſt; vnum *naturale*, aliud *ad placitum*. Signum naturale, quod ex natura ſua independenter à libera hominum voluntate facit deuenire in cognitionem rei ſignificatæ, exemplum vulgò adducitur in fumo, qui nos ducit in cognitionem ignis, & in veſtigio animalis, quo ducimur ad cognoſcendum animal, à quo fuit impreſſum. Signum ad placitum eſt illud, quod ſuppoſitâ hominum conuentione, & non ex ſua natura nos ducit in cognitionem rei repræſentatæ, ſicuti hæc vox *homo* nos ducit in cognitionem animalis rationalis, quia placuit hominibus hac voce animal rationale ſignificari, qui eandem ad ſignificandum lignũ, vel lapidem potuerunt deſignare. Vtrumque ſignum tam in rebus, quàm in vocibus reperitur, ſignum enim naturale reperitur in ſuſpirio, quod ſignum eſt triſtitiæ, & in fumo, aut veſtigio animalis. Quæ vero ſint ſigna propria, & quæ impropria, definiam in Logic Controu. 8. Punct. 2. Signum ad placitum reperitur frequenter in vocibus, & in campanæ ſono, qui ſignificat diuina officia eſſe celebranda, vel lectionem eſſe legendam.

5 His ſignis ad placitum duplex conceptus correſpondet: quidam *vltimatus*, alius *non vltimatus*. Conceptus non vltimatus eſt cognitio ipſius ſigni ſecundùm ſe nudè ſumpti. Conceptus vltimatus eſt conceptus rei ſignificatæ per tale ſignum. Exempli gratia, audio ego Petrum proferentem hanc vocem *homo*, concipio vocem ſecundùm ſe, hæc conceptio conceptus non vltimatus dicitur; concipio inſuper animal rationale, ad quod ſignificandum vox hæc eſt impoſita, hic conceptus vltimatus dicitur.

PVNCTVM III.

Aliæ terminorum diuiſiones.

1 TErminus mentalis diuiditur in *abſolutum* & *connotatiuum*, qua diuiſione abſolutum nõ opponitur relatiuo, ſed connotatiuo, cuius eſſentiam paucis explico. Connotare eſt ſimul cum iſto aliud notare, cum quo vnus perfectus terminus conſtituatur. Vnde terminus connotatiuus erit ille *qui rem ſignificat per modum alteri adiacentis*, nam illud, cui res adiacens ſignificatur connotatum eſt proprij ſignificati. Terminus abſolutus eſt ille, *qui rem ſignificat per modum per ſe ſtantis, & non per modum alteri adiacentis*, quod enim per ſe ſtans ſignificatur, non connotat aliud, cum quo vnus perfectus terminus efficiatur, nomina enim relatiua ſicuti *Pater* & *Dominus*, etſi connotent terminum, ad quem referuntur, non cum illo vnum terminum. ſeu vnum perfectum propoſitionis extremum conſtituunt. nomen enim *Pater* per ſe ſolum in hac propoſitione *Pater eſt generans*, & in aliis ſimilibus, termini completi, & adæquati perfectam rationem habet. Ex hoc infertur omne nomen adiectiuum connotatiuum eſſe, quia ſignificatur per modum alteri adiacentis, cum quo vnus perfectus terminus efficitur, & nomen ſubſtantiuum eſſe abſolutum, quia rem ſignificat per modum per ſe ſtantis.

2 Alio modo terminus diuiditur in *Categorematicum*, & *Syncategorematicum*. Terminus Categorematicus eſt terminus abſolutè ſignificatiuus, qui in ſe Categorema ſeu ſignificationem habet, ſicuti *homo*, & *leo*, qui independenter ab alio adiuncto vices termini in propoſitione habent. Terminus Syncategorematibus eſt terminus conſignificatiuus, qui per ſe ſolum non habet ſignificationem, niſi valde imperfectam, tamen adiunctus alteri nouam conſtituit ſignificationem diſtinctam ab illa, quam haberet ſine eo, illud cui adiungitur. Hac ratione ferè omnes vtrumque terminum definiunt, ſecundùm quam in omnium ſententia hi termini *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *neuter*, *vterque*, & ſi qui ſunt alij his ſimiles, termini Syncategorematici dicuntur; hi verò *homo*, *leo*, & reliqui nomine ſubſtantiuo ſignificati, Categorematici omnium plauſu dicuntur. Eandem rationem termini Categorematici Summuliſtæ omnes impertiti fuerant nominibus adiectiuis, ſicut album, & nigrum: Hurtado verò *diſp.* 1. *ſect.* 10. affirmat hæc nomina terminos Syncategorematicos eſſe dicenda, quia ſeiunctis nominibus ſubſtantiuis perfectam ſignificationem non habent, cùm enim quis audit *album* adiectiuè ſignificatum, ſtatim dubitat, quódnam ſubiectum ſit album, lignum, lapis, aut paries, & ſic de reliquis adiectiuis.

3 Arriaga *diſp.* 1. *ſect.* 4. affirmat hæc nomina adiectiua partim eſſe Categorematica, partim Syncategorematica. Syncategorematica ob rationem, quam adducit Hurtadus, Categorematicus, quia ſaltem ex parte ſubiecti poſſunt per ſe ipſa poni, quod non conuenit nominibus *omnis*, *aliquis*, *nullus*; dicimus enim *homo eſt albus*, & non dicimus *homo eſt omnis*, ſeu *homo eſt aliquis*. Diſplicet hæc ratio, quia cùm dicimus *homo eſt albus*, ex parte prædicati ſubintelligitur idem ſubſtantiuum, quod ſe tenet ex parte ſubiecti, idem enim eſt, *homo eſt albus*, ac dicere *homo eſt homo albus*. Deinde alij termini, qui apud omnes Syncategorematici dicuntur, eadem ratione poſſunt poni ex parte prædicati: poſſumus enim dicere, *Petrus eſt aliquis*, quod ſi non dicamus, *Petrus eſt omnis*, ſeu *Petrus eſt nullus*, non ideo eſt, quia poſiti prædicti termini ex parte prædicati propoſitiones non conficerent, ſed quia conficerent propoſitiones falſas, ſicuti non dicimus *Petrus eſt infinitus*, *Ioannes eſt immenſus*, aut *Franciſcus eſt omnipotens*, non quia prædictæ enunciationes, propoſitiones non eſſent, ſed quia eſſent propoſitiones falſæ.

4 Aliud caput inuentio ex quo longè differunt reliqua nomina adiectiua ab illis ſignis *omnis*, *nullus*, *aliquis*; reliqua enim adiectiua ſignificant formam abſolutam realem, vt plurimùm realiter diſtinctam à ſubiecto, cui adiungitur, ſic album dicit albedinem; & calidum calorem, quæ ſunt accidentia phyſica, & realia; illa verò nomina *omnis*, *nullus*, &c. nullum accidens phyſicum important, quod adueniat ſubiecto, & ſe habeat tanquam forma ipſius concreti *omnis*, *nullus*, aut *aliquis*: ſi enim ab hoc concreto *aliquis*, velis formam abſtrahere, ſicuti potes abſtrahere albedinem ab albo, nullam profectò inuenies, neque illam reperies in his concretis *omnis*, *nullus*, *alter*, & *neuter*; quod ſi forſan aliquam vniuerſalitatem, vel vniuerſalitatis negationem mediteris, hæc non erit quid phyſicum intentionali oppoſitum, diſtinctum ſaltem formaliter à ſubiectis, ſeu ſubſtantiuis affectis prædictis ſignis.

5 Ob hanc formæ ſignificationem nomina adiectiua à prædictis ſignis diſtincta terminos Categorematicos appellarem, neque huic denominationi obeſſe dicerem connotationem ſubſtantiuorum, quam habent, per quam connotatiua, & non Syncategorematica conſtituuntur: aliàs connotatiuum, & Syncategorematicum non diſtinguerentur. Si verò contendas propter prædictam connotationem hæc nomina abſolutè non eſſe dicenda Categorematice, dummodò concedas differentiam à me aſſignatam, quam haud facilè poteris negare, à communi ſententia, in quæſtione de nomine diſcedes, in qua nullus, qui nolit, conuinci poterit.

6 Aduerbia *ſicuti*; *benè*, & *malè* terminos eſſe *mixtos*

inter

Digitized by Google

inter categorematicos, & ſyncategorematicos nonnulli defendunt. Ego aliter ſentio, dixi enim *punct.*1. per ſe terminos non eſſe, ſed per modum vnius cum extremo, quod afficiunt, vnum terminum conſtituere, ſicuti in hac propoſitione *Petrus eſt currens velociter*; in qua *currens velociter* eſt integrum illius prædicatum & integer terminus categorematicus. Itaque aduerbia, ſicuti per ſe non ſunt termini, per ſe non ſunt categorematica, ſed eandem rationem ſubibunt, quam habuerit extremum cui adiunguntur, & cum quo efficiunt vnum terminum adæquatum, qui ſemper categorematicus erit.

7 Alia termini diuiſio eſt in *abſtractum* & *concretum*. Concretus terminus dicitur, qui re vel ratione dicitur compoſitus ex materia, & forma, ſeu ex natura, & ſubſiſtentia: ſic homo, & album termini concreti dicuntur, quia hoc componitur ex ſubiecto, & albedine, & ille ex natura, & ſubſiſtentia. Dixi concretum re, vel ratione componi, quia perſona diuina eſt concretum importans naturam diuinam, & ſubſiſtentiam abſque vlla reali diſtinctione ipſarum, in quibus nulla compoſitio intercedit. Terminus abſtractus eſt, qui rem omnino ſimplicem ſignificat, ſeu carentem compoſitione, quia conſtituit concretum ſicuti materia anima, aliique huiuſmodi termini.

8 Iterum diuiditur terminus in terminum *complexum*, & *incomplexum*. Terminus complexus definitur à noſtro Toleto, quem plures ſequuntur, *cuius partes per ſe ſunt ſignificatiuæ*, vt homo iuſtus. Eadem ratione terminus incomplexus definitur, *cuius partes ſeparatæ non ſunt ſignificatiuæ eadem ſignificatione, quam antea habebant*: Additur hæc vltima definitionis particula, vt nomen *Dominus* excludatur à ratione termini complexi, cuius partes *do* videlicet, & *minus* ſeparatæ ſignificant, non tamen eadem ſignificatione, quam habebant intra compoſitionem. Non omnino placet hæc definitio, quia in hac propoſitione *Blitiri & Cindapſus ſunt voces*, cõplexum illud *Blitiri & Cindapſus* eſt terminus complexus, & tamen illius partes ſeparatæ nihil ſignificant. Similiter in hac propoſitione *Blitiri prolatum eſt obiectum auditus*, complexum illud *Blitiri prolatum* eſt terminus complexus, cuius altera pars ſeparata, videlicet *Blitiri*, nihil ſignificat. Melius definietur terminus complexus ſi dicatur, Terminus complexus eſt ille, *qui includit intrinſecè, & in ſe compoſitionem grammaticalem*. Hanc compoſitionem reperies in omnibus terminis complexis, cum enim dicimus *homo albus*, compoſitio fit per concordantiam ſubſtantiui, & adiectiui: ſimilis compoſitio reperitur in hoc complexo *Blitiri prolatum*: item ſi terminus ſit complexum iſtud *Blitiri & Cindapſus*, compoſitionem habet ratione coniunctionis, &c.

9 Obiicitur contra hanc doctrinam, nomen *Proconſul*, & verbum *circumfero*, quæ ſunt termini incomplexi & compoſiti ex præpoſitione *Pro*, & nomen *Conſul*, & ex præpoſitione *circum* & verbo *fero*. Conſultò appoſui in definitione termini complexi particulas illas *intrinſecè*, & *in ſe* ne his terminis definitio conueniret, qui neque intrinſecam, neque in ſe compoſitionem habent, ſed tantùm extrinſecam, quod ſic oſtendo. Ad hoc vt ſit intrinſeca compoſitio debent eſſe in toto compoſito partes, quæ adhuc dum componunt ſe habeant, vt inter ſe condiſtinctas, & vnitas vel per ſe, vel medio alio, ſicuti ſe habent materia, & forma in compoſito naturali, & *homo*, & *albus* in hoc complexo *homo albus*, in quo duas reperiri dictiones vt inter ſe condiſtinctas negabit nullus; in hoc verò nomine *Proconſul* (idem dico de verbo *circumfero*) *pro*, & *Conſul* non ſe habent tanquam duas dictiones, ſed quæ extra compoſitionem fuerant duæ, in compoſitione quaſi confunduntur, & in vnum confluunt, & per modum vnius proferuntur. *Proconſul* enim non eſt nomen cum præpoſitione ab illo diſtinctâ coniunctum, aliàs propoſitio caſum nominis regeret, ſed ſimplex quoddam nomen, cuius ſyllabæ ante compoſitionem nomen, & præpoſitionem conficiebant, & ob hanc rationem dicitur extrinſecè habere partes, quia poteſt reſolui in illa, quæ extra compoſita erunt diſtincta, & vt talia apparebunt, licet intra compoſitum per modum vnius appareant, quod impedit intrinſecam compoſitionem. Hac ratione explicabo Controu. 6. Logicæ, compoſitionem ſpeciei ex genere & differentia. Hæc ſufficiant in re parum momenti, quam ſatis inuitus tracto.

10 Alio modo diuiditur terminus in terminum *infinitantem*, & *non infinitantem*. Terminus infinitans eſt ille, qui præpoſitâ negatione negat id, quod exprimit, & poteſt ſe extendere ad omnia ab iſto diſtincta, ſicuti *non lapis*, qui dici poteſt de omnibus à lapide diſtinctis homo enim eſt non lapis; Angelus eſt non lapis, & Deus eſt non lapis, hoc eſt aliquid diſtinctum à lapide. Hi termini non efficiunt propoſitionem negatiuam, quia negatio non cadit ſupra copulam, ſed tantùm ſupra id, quod exprimit terminus, cui adiungitur, & ideo dicitur negatio infinitans, & non negans. Terminus non infinitans eſt ille, cui prædicta negatio non præponitur, & pro illo ſuppouit, quod exprimit, ſicuti *homo, leo, equus*, &c.

11 Rurſus terminus diuiditur in *copulatiuum* ſeu *collectiuum*, & *non copulatiuum*, ſeu *non collectiuum*. Terminus copulatiuus eſt, qui ſignificat plura abſque vlla phyſica vnione in recto componentia, ſicuti exercitus & populus, qui ex diſtinctis hominibus, & ex diuerſis rebus componuntur. Additur illud *in recto* vt excludantur hæc concreta *armatum*, & *veſtitum*, quæ ſignificant plura abſque vlla phyſica vnione, ſed vnum in recto, alterum in obliquo. Terminus copulatiuus, eſt, qui non ſignificat ſimule plurium aggregatum, ſicuti homo, & equus.

12 Iterum termini quidam dicuntur *pertinentes*, alij *impertinentes*, hi ſunt neque oppoſitionem habent, neque ſe conſequentiâ inferunt, ſicuti album. & calidum. Pertinentes ſunt in duplici differentia: quidam pertinentes ſequelâ, ſicuti rationale, & homo, qui ſe mutuò inferunt; homo & animal, quorum prior poſteriorem infert. Alij pertinentes repugnantiâ, qui inter ſe oppoſitionem habent, ſicuti calidum & frigidum, in quibus eſt oppoſitio contraria.

13 Deinde terminus diuiditur in *vniuocum*, *æquiuocum*, & *analogum*. Vniuocus eſt *cuius nomen eſt commune, & ratio ſignificata omnino eadem*. Sicuti *homo* reſpectu Petri, & Ioannis, &c. quibus nomen commune eſt, & ratio ſignificata omnino eadem, ſeu omnino ſimilis. Analogus terminus dicitur, *cuius nomen eſt commune, ratio verò ſignificata, neque omnino eadem, neque omnino diuerſa*. Sicuti *canis* reſpectu latrabilis, & cœleſtis, quibus idem nomen eſt commune, & ratio ſignificata non omnino eadem, quia canis latrabilis ſimpliciter eſt canis, & canis cœleſtis tantùm ſecundùm quid per ſimilitudinem ad latrabilem: neque omnino diuerſa, cùm per ſimilitudinem ad latrabilem, cœleſti nomen canis fuerit impoſitum. Æquiuocus eſt, *cuius nomen eſt commune, ratio verò ſignificata omnino diuerſa*, ſicuti nomen *gallus*, quod commune eſt gallo gallinaceo, & homini natione Gallo; ratio verò ſignificata in vtroque omnino diuerſa abſque vlla ſimilitudine, aut proportione vnius ad aliud. Multa de his terminis alibi ſunt dicenda, quæ importunè, & intempeſtiuè ſcriberentur; me vide Controuerſ. 1. Metaphyſic. vbi de his plura exagito.

14 Adhuc iterum ſubdiuiditur terminus in *tranſcendentem*, & *non tranſcendentem*. Terminus tranſcendens eſt ille, à quo non poſſunt præſcindi inferiores differentiæ, in quibus imbibitur. Huiuſmodi eſt in multorum ſententia ratio accidentis, & ſubſtantiæ incompletæ, quam reperiri affirmant in vltimis differentiis cuiuſcumque accidentis, & ſubſtantiæ. Terminus non tranſcendens eſt ille, cuius formalis ratio non imbibitur in inferioribus differentiis, ſicuti animal, quod formaliter includitur in rationali, poteſt enim hoc ſine illo percipi. Ex tranſcendentibus, quædam ſunt vniuerſaliſſima, quæ per omnium rerum genera vagantur, & vulgo dictione hæc demonſtrantur R E V B A V, cuius ſingulæ litteræ reſpondent ſingulis illorum initialibus, ſunt enim *res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum*, quæ omnia conueniunt cuicumque entitati aſſignabili. De his quæ ad tranſcendentiam, & ad terminos tranſcendentes attinet, diſputo Controu. 1. Metaphyſic. Punct. 4. & 7. vbi me vide, hic enim ad rem non eſſet latiùs expendere.

15 Omitto aliam diuiſionem termini in *communem, particularem*, & *ſingularem*, de qua dicam Controu. 3. Punct. 3. vbi de quantitate propoſitionis.

Pvnctvm IV.

De ſuppoſitione terminorum.

1 Inter omnes terminorum proprietates præcipua eſt Suppoſitio; quam definiuit Toletus lib. 2. cap. 1. *vſus termini pro ſe, vel pro ſuo ſignificato*, & Fonſeca lib. 8. Inſtit. Dialect. cap. 20. *acceptio nominis pro re, quam ſignificat.* Vtramque definitionem intendit reiicere Arriaga ex eo quod voces non ſupponantur pro rebus (id eſt, non ponantur loco rerum, ſupponi enim eſt poni loco aliûs) ſed loco conceptuum, eo enim quod non videamus aliorum conceptus, loco illorum voces ſubſtituimus. Exiſtimat ergo ſuppoſitionem eſſe definiendam, *Poſitionem vocis loco conceptus ad ipſum conceptum manifeſtandum.* Voces ſubrogari loco conceptuum non inficior, vtimur enim vocibus vt id præſtent, quod conceptus interni præſtarent, ſi in ſe ipſis agnoſcerentur; verumtamen falsò ait Arriaga voces poni loco conceptuum ad ipſos conceptus manifeſtandos, vocibus enim non ego intendo manifeſtare conceptus, loco quorum illas appono, ſed obiecta ipſa per conceptus repræſentata, cùm enim ego profero has voces *Petrus eſt albus*, non intendo audientes certiores facere me habere quemdam conceptum repræſentantem Petrum eſſe album, ſi enim id intenderem, dicerem: ego ſcio Petrum eſſe album, ſed intendo illis notum facere in re Petrum habere albedinem. Confirmatur: Voces, vt fatetur Arriaga ponuntur loco conceptuũ, & ſunt quædam illorũ ſubſtituta: ergo id ego intendo vocibus præſtare, quod præſtant conceptus. Sed conceptus non repræſentant ſe ipſos, ſed obiecta, ſeu res ad quas terminantur: ergo res ipſas, & non conceptus intendo vocibus repræſentari. Ob hanc rationem dicam Controu. 8. Logicæ Punct. 3. voces non ſignificare conceptus, loco quorum ſubſtituuntur, ſed immediatè res ipſas. Reiicienda ergo eſt in primis definitio Arriagæ, in qua falsò dicitur voces poni ad ipſos conceptus manifeſtandos. Aduertas me non negare has voces *conceptus, cognitio, diſcurſus* poni ad conceptus manifeſtandos, quia propriè illos ſignificant, quod non præſtant, quia loco illorum ſubſtituuntur, ſed quia ad illos ſignificandos ſunt impoſitæ. Imò cùm ego profero hanc vocem *cognitio* vox ſubſtituitur loco conceptus reflexi terminati ad alium conceptum, ſeu ad cognitionem, quem conceptum reflexum non repræſentat hæc vox *cognitio*, ſed alium directum ad quem ſignificandum eſt impoſita, & quem reſpicit tanquam obiectum conceptus reflexus loco cuius ſubſtituitur.

2 Diſplicet etiam quod docet Arriaga voces non poni loco rerum, quia cùm voces ſint rerum repræſentationes, & imagines, optimè loco rerum poni dicuntur, ſicuti ponitur ſtatua, ſeu imago vt cultum illi deferamus imagini quem intendimus deferre prototypo, & in ipſa imagine prototypum veneremur. Itaque voces ponuntur loco conceptuum, & loco rerum, & vtrorumque dicuntur ſubſtituta, diuerſo tamen modo; ponuntur enim loco conceptuum, vt id præſtent, quod ipſi conceptus præſtarent, ſi non fierent, videlicet vt repræſentent eadem obiecta eâ ratione, quâ illa conceptus repræſentant. Ponuntur etiam loco rerum, non vt præſtent id, quod res ipſæ præſtant, aut debent præſtare, ſed vt ego me geram eodem modo vocibus in oratione poſitis, ac me gererem ipſis rebus, ſicut enim demonſtrato homine rectè dicerem hoc eſt animal rationale; ſic hac voce *homo* in oratione poſitâ, dico, *homo eſt animal rationale*; & ſicuti interroganti, quodnam ſit ſubiectum, quod dicitur potens ridere rectè reſponderem, ſi hominem re ipſa exiſtentem demonſtrarem, & dicerem, *hoc eſt*, ſic rectè reſpondeo vtens voce loco rei cùm dico, *homo eſt ſubiectum quod dicitur riſibile.*

3 Tenenda ergo eſt definitio, quam, ex Ariſtotele in initio Elenchorum tradit Fonſeca ſupra, & cum illo quàm plures alij, videlicet ſuppoſitio eſt *acceptio nominis pro re quam ſignificat.* Neque addendum eſt cum Toleto *pro ſe, vel pro ſuo ſignificato*, quia quando nomen pro ſe ſupponit, ſicuti contingit in hac propoſitione, *homo eſt vox*, ſe ipſum ſignificat, quia ſubſtituitur loco conceptus repræſentantis ipſum nomen, & vt dicebam Punct. 1. illud ſignificat vox, quod repræſentat conceptus, loco cuius ſubſtituitur, quâ ratione aſſerui voces expertes ſignificationis in propoſitione poſitas, eadem proprietate ſe ipſas ſignificare, quâ hæc vox *homo* ſignificat animal rationale. Comprehendit ergo definitio tradita à Fonſeca paucioribus verbis id, quod pluribus traditur Toleti definitione, in qua ſuperfluunt verba illa *pro ſe*, quæ continentur in illis *pro ſuo ſignificato.*

Hac poſitâ definitione explicandum eſt quomodo differant *ſignificare*, & *ſupponere.* In primis ſuppoſitionem diſtingui à ſignificatione naturali; quam habet ipſa vox certum eſt apud omnes, vox enim *homo* naturaliter ſignificat ſuum prolatorem, & pro illo non ſupponit: de ſignificatione, quam vox habet ex libera hominum inſtitutione maior eſt difficultas. Affirmant nonnulli, ſignificationem ex inſtituto; & ſuppoſitionem non diſtingui; immeritò tamen; quia me duci in cognitionem rei ſignificatæ non eſt me vti nomine pro re ſignificata, cùm enim quis tubæ ſono ducitur in cognitionem prælij iam imminentis, non vtitur tubâ loco prælij; neque cymbali ſono, quo diuina officia celebranda ſignificantur, vtimur loco officiorum. Dicendum eſt ſuppoſitionem differre à ſignificatione tanquam vſum à re, quâ vtimur, quod explicat ipſa ſuppoſitionis definitio: *vſus nominis ſignificantis rem, pro re quam ſignificat*, vtimur ergo in ipſa ſuppoſitione nomine ſignificante, & ipſa ſignificatione nominis, qui vſus conſiſtit in acceptione ipſius nominis ſignificantis pro re ſignificata. Rem declaret exemplum: hæc vox *Petrus* ſignificat veram, & realem entitatem Petri in re exiſtentem, cui Petro & non voci conuenit eſſe animal rationale, virtute cuius ſignificationis vt ego tribuam vere Petro exiſtenti hoc quod eſt eſſe animal rationale, aſſumo talem vocem, & dico *Petrus eſt animal rationale*, quod eſt vti voce *Petrus* loco ipſius veri Petri, cui intendo tale prædicatum tribuere. Eadem ratione intendo ego de Petro dicere eſſe rationale, ſeu principium ratiocinandi, & vt id præſtem aſſumo vocem hanc *rationale*, quam ſcio ſignificare principium ratiocinandi, & dico, *Petrus eſt rationalis*; poſitâ voce *rationalis* loco rei, quam ſignificat, videlicet principij ratiocinandi. Hic ergo vſus, ſeu hæc acceptio eſt poſitio vocis ſignificantis loco rei ſignificatæ, & eſt poſitio vnius rei loco alterius, & ſuppoſitio dicitur, & reperitur tam ex parte ſubiecti, quàm ex parte prædicati. 4

5 Hæc acceptio vocis loco rei ſignificatæ aliquando eſt loco rei *abſtrahentis ab exiſtentia*, aliquando eſt loco rei *re exiſtentis.* Loco rei abſtrahentis ab exiſtentia eſt, quando prædicatum non ſupponit exiſtentiam, ſicuti in hac propoſitione *homo eſt animal*, quæ homine non exiſtente vera eſt, & ita prædicatum neque illius connexio cum ſubiecto ſupponunt exiſtentiam ſubiecti. Tunc autem vtimur voce loco rei exiſtentis, quando prædicatum nequit verificari de ſubiecto, niſi antecedenter ad illud ſubiectum ſupponatur exiſtens, ſicuti in hac propoſitione *homo eſt albus, Petrus currit*, in quibus prædicatum non poteſt conuenire ſubiecto, niſi hoc ſupponatur exiſtens, & ideo cum has propoſitiones proferimus, quaſi virtualiter affirmamus exiſtere ſubiectum, de quo intendimus verificare prædicatum. Ex hoc fit in his propoſitionibus *Petrus currit, Ioannes legit*, debere negari ſuppoſitum ſubiecto non exiſtente in rerum natura, quia tunc vtimur voce exprimente ſubiectum loco ipſius ſubiecti realiter exiſtentis; quod ſi non exiſtat, erit vſus vocis pro re, quæ non ſubſiſtit ſub illa ratione, ſub qua loco illius vox ſubſtituetur, & ita malè vox ſubſtituetur loco rei, quæ non eſt. Huiuſmodi acceptio, & ſuppoſitio contingit in omnibus prædicationibus, quorum prædicatum eſt accidens phyſicum reſpectu ſubiecti illi realiter contingens, quod neceſſariò ſubiecti exiſtentiam ſupponit. Contingit ſimiliter in orationibus perfectis, quæ propoſitiones nõ ſunt, in quibus reperitur virtualis affirmatio alicuius termini vt exiſtentis, vt contingit in hac interrogatione: *Dum eras in foro, vidiſti Petrum ibi exiſtentem?* In qua oratione virtualiter affirmatur te fuiſſe in foro, & Petrum ibidem fuiſſe, quod ſi ita non fuiſſet, non tantùm poteràs reſpondere negando Petrum in foro à te eſſe viſum, ſed negando ſuppoſitum harum vocum *dum eras in foro*, quia in foro non fuiſti; vel ſuppoſitum aliarum *Petrum in foro exiſtentem*, quia Petrus non fuit in foro: qui

reſpondendi

Digitized by Google

reſpondendi modus aptior eſſet, quia illo non tantùm negabas, quod alter interrogabat, ſed quod virtualiter affirmabat. Idem contingit quando ſignifico me alicui ſubiecto optare aliquid contingere, quod illius exiſtentiam ſupponit, vt cùm dico: *vtinam Petrus eſſet ſcholaſticus diligens*, quâ oratione ſuppono Petrum exiſtere, vanè enim Petro non exiſtenti diligentiam in ſtudio optarem, & ita vſus huius vocis *Petrus* in hac oratione eſt loco ipſius vt exiſtens. In propoſitionibus negatiuis ſicuti *Petrus non currit; Chimæra non legit*, vox ſe tenens ex parte ſubiecti non ſumitur pro ſubiecto formaliter vt exiſtente, quia Petro exiſtente, & non exiſtente poteſt verificari Petrum non currere, & modò Chimærâ non exiſtente verum eſt dicere *Chimæra non legit*, quia quod non eſt, non eſt legens.

6 Ex hoc inferes nullam propoſitionem affirmatiuam veram eſſe ſubiecto non ſupponente, quia eo ipſo quod ſit vera in ſubiecto non deſideratur exiſtentia requiſita ab hoc, vt illi poſſit contingere prædicatum. Inferes ſimiliter propoſitiones falſas, quaſdam eſſe de ſubiecto non ſupponente, ſicut hæc *Chimæra eſt alba*, quia deficit in ſubiecto exiſtentia, quam debebat habere vt illi poſſet ſubiectum conuenire: alias verò eſſe de ſubiecto ſupponente, ſicuti hæc propoſitio *Petrus deambulat*, prolata dum Petrus ſedet, cum exiſtentia ſufficiente ad deambulandum. Neque ex eo præcisè quod ſubiectum non exiſtat tempore importato per copulam, propoſitio dicetur de ſubiecto non ſupponente, quando prædicatum non ſupponit ſubiectum vt exiſtens, ſicuti contingit in hac propoſitione *Antichriſtus fuit exiſtens*, cuius copula importat tempus præteritum, in quo non extitit Antichriſtus, nihilominus propoſitio falſa tantùm eſt dicenda, & non de ſubiecto non ſupponente, quia prædicatum ex ſe non debet ſupponere ſubiectum exiſtens, vt illi conueniat, ſed illud formaliter exiſtens conſtituit; & quia virtualiter non affirmatur ſubiectum exiſtere, ſed tantùm formaliter per copulam, quod reddit propoſitionem falſam, & non de ſubiecto non ſupponente, tunc enim tantùm dicitur propoſitio de ſubiecto non ſupponente, quando virtualiter affirmatur illius exiſtentia (idem dico de præteritione ſeu quocumque alio ſtatu poſſibilitatis, aut futuritionis) vt formaliter aliquid de illo prædicetur. Inferes ſimiliter non ſolùm intra propoſitionem, vt contra nonnullos docuit Fonſeca ſuprà, reperiri ſuppoſitionem termini, ſed vbicumque nomen pro re quam ſignificat accipitur, quod contingit in quacumque oratione, in qua ſententiam aliquam declaramus; apta exempla in his orationibus adducit Fonſeca: *Fuitne Plato Socratis auditor? vtinam Socrates doctrinam fidei, quam præclarè ſuis diſcipulis traderet, didiciſſet.* In quibus vtimur nominibus *Plato* & *Socrates* pro rebus ſignificatis.

7 Aduertit inſuper Fonſeca dicendum non eſſe *hoc nomen ſupponit pro hac re, illud pro illa*, ſed *hoc nomen ſupponitur ſeu ſubſtituitur pro hac & illa re*, quia cùm nos nominibus vtimur pro rebus, nomina à nobis ſupponuntur, & non ipſa actiuè aliud ſupponunt. Rem ita ſe habere certum exiſtimo, veruntamen difficilè poterimus communem omnium loquendi modum coercere, iuxta quem nomina pro rebus ſupponere, actiuè ſignificatur, & propoſitionem de ſubiecto non ſupponente eſſe dicimus, neque ego auderem inter reſpondendum alicui argumento in ſcholis dicere, *hæc propoſitio eſt de ſubiecto non ſuppoſito*, dum enim omnes loquutionis proprietatem percallerent, me diſcedentem à communi loquendi modo, & in re parui momenti ſingularitatem affectantem irriderent.

PVNCTVM V.

Variæ diuiſiones ſuppoſitionum.

1 PRimò diuiditur ſuppoſitio in *formalem*, & *materialem*. Suppoſitio formalis eſt, quâ nomen accipitur pro re ſignificata per nomen, vt cùm dicimus *homo eſt animal rationale*. Suppoſitio materialis eſt, quando nomen accipitur non pro re ad quam ſignificandam ſit impoſitum, ſed pro ſe ipſo, vt cùm dicimus *homo eſt vox*. Rurſus ſuppoſitio materialis quædam eſt *intrinſeca*, alia *extrinſeca*. Intrinſeca eſt acceptio nominis pro ſe ipſo ſecundùm id, quod intrinſecè habet, veluti cum dicimus *homo eſt*. Extrinſeca appellatur acceptio nominis pro ſe ipſo ſecundùm id, quod habet ex libera hominum impoſitione, quod illi potuit non ineſſe, veluti cùm dicimus *homo eſt nomen, homo eſt vox ſignificatiua*.

Suppoſitio formalis quædam eſt *propria*, alia *impropria*. 2
Suppoſitio propria eſt acceptio nominis pro re, quam propriè ſignificat, & ad quam primò ſignificandam fuit impoſitum, veluti cùm dicimus *leo eſt animal rugibile*: in qua propoſitione terminus *leo* propriè ſupponit. Suppoſitio impropria eſt acceptio vocis pro re quam impropriè ſignificat, & ad quam ſignificandam non fuit impoſita, vt cùm dicitur *vicit leo de tribu Iuda*, vbi nomen *leo* ſumitur pro Chriſto, qui non propriè, ſed per metaphoram hac voce *leo* ſignificatur. Suppoſitio propria alia *communis*, alia *ſingularis*, quæ *diſcreta* dici ſolet. Suppoſitio communis eſt vſus nominis communis non affecti ſigno demonſtratiuo pro ſuo ſignificato, aut ſignificatis. Nomen commune dicitur illud, cuius ſignificatum non prohibet à multis participari. Suppoſitio ſingularis eſt acceptio nominis ſignificantis vnam tantùm rem indiuiduam, aut nominis communis affecti ſigno demonſtratiuo, vt cùm dicimus *Petrus currit*, *hic homo currit*.

Suppoſitio communis quædam eſt *completa*, cuius terminus ſumi poteſt pro omnibus ſuis inferioribus, quod 3
ſumi dicitur pro ſingulis generum, ſicuti in hac propoſitione vniuerſali, *Omne animal eſt ſenſitiuum*, ex qua licet inferre: ergo homo eſt ſenſitiuus; & rurſus: ergo Petrus eſt ſenſitiuus, & Ioannes eſt ſenſitiuus, & ſic in aliis ſpeciebus, & indiuiduis ſub illa contentis. Alia eſt ſuppoſitio *incompleta*, in qua terminus non ſumitur pro omnibus ſuis inferioribus, ſeu pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, ſicuti in hac propoſitione *omne animal fuit in arca Noë*, quæ reddit hunc ſenſum, ex omni genere animalium, aliquod animal fuit in arca Noë, & ita licet inferre ex illa: ergo aliquis homo fuit in arca Noë, & aliquis equus fuit in arca Noâ, & ſic in aliis ſpeciebus: non tamen licet inferre: ergo hoc indiuiduum animal, videlicet Petrus fuit in arca Noë.

Difficilior explicatu eſt ſuppoſitionis diuiſio in *ſimplicem*, & *perſonalem*. Suppoſitionem ſimplicem ſic definiunt 4
Cardinalis Toletus lib. 2. c. 1. *vſus termini pro ſuo tantùm materiali ſignificato*; & P. Fonſeca: *acceptio præciſa nominis communis pro ſuo immediato ſignificato*, quæ definitiones tantùm differunt in eo quod Fonſeca videatur requirere ad ſuppoſitionem ſimplicem nomen commune, quod Toletus non expoſcit. Exemplum adducitur huius ſuppoſitionis in his propoſitionibus *homo eſt ſpecies, animal eſt genus*, cuius ſubiecta tantùm poſſunt ſumi pro immediatis ſignificatis, videlicet pro ratione communi animalis, & ratione communi hominis, quibus prædicata conueniunt, & non pro ſignificatis mediatis, videlicet pro inferioribus contentis ſub ratione communi animalis, & ſub ratione communi hominis, licet enim dicamus animal eſt genus, non licet dicere, homo eſt genus, & etiamſi dicamus homo eſt ſpecies, dici nequit, Petrus eſt ſpecies. Definitiones has impugnat Hurtadus ex eo, quod nomen *Petrus* in hac propoſitione *Petrus currit* ſupponit perſonaliter, prædicatum enim ſecundùm ſuam perſonam illi conuenit, & in hac propoſitione *Petrus eſt indiuiduum ſubiicibile*, ſupponit ſimpliciter, quia prædicatum non conuenit illi ſecundùm ſuam perſonam; & tamen in vtraque propoſitione vtimur hoc nomine *Petrus* pro eodem immediato ſignificato: ergo ſuppoſitio perſonalis, & ſimplex non conſtituitur per hoc quod eſt ſumi nomen tantùm pro immediato ſignificato, vel pro mediato. Vidit hoc argumentum Arriaga, aſſeruitque poſſe facilè Toletum & Fonſecam negare antecedens, aſſereréque nomen *Petrus* non poſſe niſi perſonaliter accipi, & ita ſupponere, etiam in hac propoſitione *Petrus eſt indiuiduum ſubiicibile*. Id videtur ſubodoratum fuiſſe Fonſecam, cùm ſuppoſitionem ſimplicem per nomen commune definiuit, & ab illa ſingularia nomina relegauit. Veruntamen Cardinalis Toletus nullo modo poteſt hac vti ſolutione, quia expreſsè affirmat in hac propoſitione *Petrus eſt in-*

Digitized by Google

diuiduum, nomen *Petrus* ſupponere ſimpliciter: quia non licet inferre: ergo homo eſt indiuiduum, animal eſt indiuiduum, ſicuti licet inferre ex hoc propoſitione *Petrus currit*: ergo homo currit. Iuxta hanc ſolutionem videtur ſupponere Toletus hoc nomen *Petrus* mediatè ſignificare rationes ſuperiores hominis, & animalis, ſicuti *animal* mediatè ſignificat rationes hominis, & equi; & *homo* rationes Petri, & Ioannis. Verumtamen hic ſignificandi modus impropriè ſatis huic nomini *Petrus* tribuitur.

5 Horum Doctorum ſententiam impugnat Arriaga ex eo quod non detur ratio communis præciſa ex parte obiecti, quam immediatè ſignificet hoc nomen *homo*, quod videntur ſupponere, cùm aſſerunt hoc nomen *homo* immediatè ſignificare rationem communem hominis, & mediatè inferiora ſub illa contenta. Quod verum non eſt, cùm ex parte obiecti nulla detur præciſio, & conceptus vniuerſalis hominis nihil aliud ſit, quàm aggregatum omnium indiuiduorum, quæ non mediatè, ſed immediatè confuſè cognoſcuntur per conceptum, quo attingitur ratio communis hominis, cùm dicitur, *homo eſt ſpecies*. Doctrinam de præciſionibus, quam tradit Arriaga veram eſſe ſentio, ſed non ad rem, licet enim conceptus hominis dicat aggregatum omnium indiuiduorum, & hæc ex vi illius conceptus immediatè attingantur, tamen attinguntur omnia ſimul, & confuſè per modum vnius, tanquam vnum obiectum adæquatum ſignificatum per hanc vocem *homo*; hoc tamen indiuiduum, videlicet Petrus vt diſtinctus à Ioanne, & à reliquis omnibus non immediatè ſignificatur per hanc vocem *homo*, neque eſt obiectum adæquatum, quod ex vi illius ſignificetur: ergo in ſententia etiam non præſcindente obiectiuè poteſt aſſignari huic voci *homo* tanquam obiectum immediatum, & adæquatum ratio communis hominis, quæ formaliter ſit aggregatum omnium indiuiduorum, de quo verificatur hoc prædicatum *ſpecies*, & tanquam obiectum mediatum, & inadæquatum, hoc indiuiduum *Petrus* de quo non poteſt verificari hoc prædicatum *ſpecies*. Friget ergo Arriagæ impugnatio ex profundis deſumpta principiis.

6 Hurtadus, & Arriaga ex Soto & aliis docent ſuppoſitionem ſimplicem eſſe vſum termini prout ſubeſt ſecundæ intentioni, velùti cùm dicitur *animal eſt genus*, *homo eſt ſpecies*, *Petrus eſt indiuiduum ſubiicibile*. Suppoſitionem verò perſonalem eſſe acceptionem termini ad ſignificandum id, quod res in ſe habet. Probat Hurtadus ex ipſa nominis etymologia, eſt enim terminum perſonaliter ſupponi, ſupponi ſecundùm id, quod habet ratione ſui: & ſupponi ſimpliciter, ſupponi ſecundùm id, quod ſimpliciter tangitur extrinſecà denominatione procedente à forma ſecundæ intentionis.

7 Quoties quæſtio eſt de definitionibus eiuſdem rei, an hæc vel illa ſit admittenda, & aliunde fixum non eſt, quæ ſint definità exacta definitione comprehendenda, difficilè poteſt quæſtio dirimi: quicumque enim poſtquam ſuam defenſionem eſt architectatus, definita meditatur, quæ excogitata definitio comprehendat; & quidquid ſua definitione non comprehenditur, aſſerit definitum non eſſe, neque gaudere ratione communi, de qua definienda agitur. Sic contingit in præſenti quæſtione, & ita nulla ex prædictis ſententiis poterit efficaciter impugnari. Quis enim Fonſecam impugnabit, ſi aſſerat hanc non eſſe ſuppoſitionē ſimplicem, ſed perſonalem. *Petrus eſt indiuiduum ſubiicibile*, quia terminus non ſumitur pro mediato ſignificato, ſed pro immediato? quiſve Toletum conuincet aſſerentem hanc eſſe ſuppoſitionem ſimplicem *Petrus eſt indiuiduum*, quia ex hac propoſitione non licet inferre: *ergo homo eſt indiuiduum*? quod enim ait Hurtadus, ex Etymologia nominis deduci ſuppoſitionem perſonalem eſſe acceptionem nominis pro re, quæ ſecundùm ſe conuenit illi, nullius eſt momenti, potuit enim ex hac ratione nomen deſumi, etiamſi non conueniat omnibus ſignificatis, ſicuti dicitur ſuppoſitio perſonalis à perſona; & licet albedo rationem perſonæ non habeat; perſonaliter ſupponi dicitur in hac propoſitione, *albedo eſt calor*.

8 Mea profectò ſententia eſt nihil certò in hac re poſſe definiri, quia nullam habemus fixam definitionem, cui ſtare debeamus, neque certa ſint definita, cui definitio debeat conuenire, & ita vno vel altero definito addito, aut ablato, quælibet definitio impunè poterit defendi. Ad rem magis videntur accedere Hurtadus, & Arriaga: addiderim tamen non quancumque denominationem procedentem à cognitione conſtituere ſuppoſitionem ſimplicem, cùm enim dico *homo eſt cognitus*, ſuppoſitio non eſt ſimplex, ſed perſonalis; quod fatetur Arriaga, & ægrè ſatis defendit iuxta ſua principia, ſed denominationem procedentem à cognitione quatenus confundente vt vnum, quæ in re ſunt plura, vel diſtinguente vt plura quæ in re ſunt vnum, per quam conſtituitur terminus ſecundæ intentionis, ſicuti in hac propoſitione *homo eſt ſpecies*, cuius prædicati denominatio prouenit à cognitione vt confundente indiuidua, & in hac propoſitione *animal eſt genus*, cuius prædicati denominatio prouenit à cognitione confundente per modum vnius ſpecies diſtinctas, & in hac prædicatione *Petrus eſt indiuiduum ſubiicibile*, cuius prædicati denominatio procedit à cognitione diſtinguente vt plura rationem ſpecificam, & indiuidualem, quæ realiter non diſtinguuntur. Hac ratione rectè defenditur ſubiecta harum ſuppoſitionum, *homo eſt cognitus*, *Petrus eſt cognitus* ſupponere perſonaliter, quia denominatio cogniti non prouenit à cognitione vt confundente, quæ in re ſunt plura, neque vt diſtinguente quod in re eſt vnum. Deinde hac ratione rectè defenditur in ſuppoſitione ſimplici non poſſe fieri deſcenſum à prædicato ſuperiori ad inferius, neque aſcenſum à prædicato inferiori ad ſuperius, non enim licet inferre *Petrus eſt indiuiduum ſubiicibile: ergo homo eſt indiuiduum ſubiicibile*, neque poteſt argui, *homo eſt ſpecies: ergo Petrus eſt ſpecies*. In ſuppoſitione perſonali termini communis ſemper poteſt fieri deſcenſus à prædicato ſuperiori ad inferius; quando verò ſuppoſitio eſt termini ſingularis non ſemper poteſt fieri aſcenſus ad prædicatum ſuperius, dicimus enim *Petrus eſt indiuiduum*, & non licet inferre: *ergo homo eſt indiuiduum*, etſi nomen *Petrus* in priori propoſitione perſonaliter ſupponat.

9 Alia eſt diuiſio ſuppoſitionis in *naturalem*, & *accidentalem*. Suppoſitio naturalis eſt acceptio nominis communis pro omnibus ſuis ſignificatis, veluti cùm dicitur *homo eſt rationalis*, tunc enim nomen *homo* ſumitur pro hominibus præteritis, exiſtentibus, & futuris. Suppoſitio accidentalis eſt acceptio nominis communis non pro omnibus ſuis ſignificatis, quæ reperitur in hac propoſitione, *omnis homo hac die occupat locum*, in qua nomen *homo* tantùm ſumitur pro hominibus, qui modò exiſtunt non pro his, qui extiterunt aut exiſtent.

10 Vltimò ſuppoſitio communis diuiditur in *diſtributiuam*, *copulatam*, *particularem*, & *confuſam*. Suppoſitio diſtributiua eſt vſus termini communis de ſuis inferioribus, ita vt prædicatum inter ipſa diſtribuatur, & de quolibet illorum dici poſſet. Hæc ſuppoſitio reperitur in hac propoſitione *omnis homo currit*, ex qua licet inferre *hic homo currit*, & *hic homo currit*. Suppoſitio copulata eſt vſus termini communis pro ſuis ſignificationibus collectiuè ſumptis, ita vt tātùm de omnibus ſimul ſumptis enuncietur prædicatū, non tamen de aliquo, ſeu aliquibus illorum ſeorſim ſumptis. Reperitur hæc ſuppoſitio in hac propoſitione, *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim*, ex qua non licet inferri: *ergo hic Apoſtolus*, *aut hi Apoſtoli* omnibus non aſſignatis, *ſunt duodecim*, ſed tantùm omnibus ſimul ſumptis poteſt prædicatū conuenire. Suppoſitio particularis eſt vſus termini communis pro ſuis inferioribus diſiunctiuè ſumptis, quod ſit cùm cuicumque inferiori ſeorſim ſumpto extremum alterum applicatur ſub diſiunctione, ita vt nō ſolùm in termino cōmuni, ſed in tota propoſitione fiat diſiūctio. Sic accidit in hac propoſitione *aliquis homo currit*, ex qua inferimus: *ergo hic homo currit*, *vel ille homo currit*, *vel ille homo currit*, &c. Suppoſitio cōfuſa eſt vſus termini cōmunis pro ſuis inferioribus diſiunctim ſumptis. Tunc autem inferiora diſiunctim, & non diſiunctiuè ſumuntur, quādo terminus communis reſpectu vnius ſubiecti, aut vnius prædicati in eadem propoſitione diſiungitur, ita vt diſiunctio propoſitiones non ſeparet; ſed extremum vnius propoſitionis quod dicitur confuſè ſupponere. Sicuti in hac propoſitione *Equus requiritur ad equitandum*, quæ ita reſoluitur, *vel hic equus*, *vel hic equus*, *vel hic equus*, &c. *requiritur ad equitandum*, non tamen poteſt reſolui, neque ex illa propoſitione

Digitized by Google

poſitione licet inferre : *ergo hic equus requiritur ad equitandum, vel hic equus requiritur ad equitandum, vel hic equus requiritur*, &c. quia non poteſt demonſtrari vnus indiuiduus equus, de quo verum ſit dicere requiri ad equitandum, quocumque enim ablato fiet equitatio.

11 Sunt, qui nolint diſtinguere ſuppoſitionem particularem à confuſa, verumtamen hi confundunt ea, quæ in ſe valdè diſcrepant. Harum ſuppoſitionum diſtinctionem breuiſſimè oſtendam. Da mihi hanc propoſitionem eſſe veram, *aliquis equus currit*, tunc, qui attentè inſpiceret omnes equos poſſet abſolutè, & abſque vlla diſiunctione quemdam determinatum equum currentem demonſtrare, & dicere, *hic equus currit*, quem ſaltem Deus agnoſcit, & deſignare poteſt, reſpectu cuius verificatur propoſitio. Deinde ſume tibi hanc propoſitionem eſſe veram, ſicuti de facto eſt, *Equus requiritur ad equitandum*, adhuc poſitâ illius veritate quantumuis perfectè equos omnes comprehenderes, non poſſes deſignare vnum determinatum equum, de quo diceres, hic requiritur ad equitandum, & reſpectu huius ſpecialiter & non reſpectu aliorum verificatur propoſitio illa, *equus requiritur ad equitandum*. Neque Deus ipſe poteſt talem deſignare equum, quia in re non eſt, neque magis vnus præ aliis requiritur. Confirmatur: demus vt argumentum clarius procedat, tantùm dari duos equos, ſuppoſitâ hac veritate *aliquis equus currit*, eo ipſo quòd verè dicatur *hic equus non currit*, per conſequentiam neceſſariam infertur alterum currere. Suppoſitâ tamen hac veritate, *equus requiritur ad equitandum*, etiamſi quis dicat, *hic equus non requiritur ad equitandum*, non poterit inferri: ergo alter, & alius ab hoc diſtinctus requiritur, quia ſine hoc poterit fieri equitatio in illo, & ſine illo poterit fieri equitatio in iſto; & ita inaſſignabilis eſt, qui illorum requiratur, ſicuti poteſt aſſignari qui illorum currat, ſuppoſitâ veritate huius propoſitionis. Ratio à priori eſt, quia hoc quod eſt currere, dicit determinatam actionem iam exercitam, quæ non poteſt à determinato principio non procedere, hoc tamen quod eſt equum requiri, non dicit determinatam actionem, ſed tantùm neceſſitatem conditionatam vniuſcuiuſque indiuidui equi ex ſuppoſitione, quòd reliqui ab ipſo diſtincti abſint. Vide quæ de hac re ſcribo *Controu.5. Logicæ, Punct.5.* vbi naturam indiuidui vagi explano. De regulis indicantibus diſtinctas terminorum ſuppoſitiones conſule Cardinalem Toletum *lib.2. cap.2. & 3.* ego enim breuitati conſulens illas omitto, quia exiſtimo ex doctrina tradita ſufficienter quamcunque ſuppoſitionem cognoſcendam eſſe.

PVNCTVM VI.

De aſcenſu & deſcenſu.

1 IVxta quatuor ſuppoſitiones proximè enumeratas quatuor reperiuntur genera aſcenſus, atque deſcenſus, ideo horum explicatio illarum explicationi annectitur. Rectè aſcenſum definit Toletus lib. 1. capite 8. *à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad vniuerſale progreſſio*, ſicuti *hic ignis eſt calidus, & hic ignis eſt calidus, & hic ignis eſt calidus*, & in cæteris ſimili modo; *ergo omnis ignis eſt calidus*. Deſcenſus eſt argumentatio ab vniuerſali ad ſingularia ſub illo contenta, ſicuti cùm dicimus, *omnis ignis eſt calidus*, inferre poſſumus: *ergo hic ignis eſt calidus, & hic ignis eſt calidus*.

2 Quadruplex eſt aſcenſus (idem intellige de deſcenſu) iuxta quatuor ſuppoſitionum genera *copulatiuus, copulatus, diſiunctiuus, & diſiunctus*. Aſcenſus copulatiuus reſpondet termino ſupponenti diſtributiuè ſeu copulatiuè, ſicuti in exemplo allato *omnis ignis calefacit*, in quo aſcenſu integræ propoſitiones coniunguntur, dicimus enim : hic ignis calefacit, & hic ignis calefacit, &c. ergo omnis ignis calefacit. In hoc aſcenſu neceſſariò ſunt recenſenda omnia ſingularia, & de illis omnibus debet verificari ratio inferenda in propoſitione vniuerſali, vno enim ſingulari dempto, demptio vniuerſalis legitimè non infertur, & vnâ propoſitione ſingulari falſâ exiſtente, vniuerſalis falſa erit. In deſcenſu, qui huic aſcenſui correſpondet, etſi omnia ſingularia poſſint recenſeri, non omnia neceſſariò recenſenda ſunt, poſitâ enim hac vniuerſali propoſitione *omnis ignis calefacit*, poſſumus ad vnum, vel alterum indiuiduum argumentatione deſcendere inferendo ſolùm : *ergo hic ignis calefacit*, quæ illatio erit legitima, etſi de aliis indiuiduis in illa vniuerſali contentis mentio non fiat.

Aſcenſus copulatus reſpondet termino ſupponenti collectiuè, qui fit à ſingularibus omnibus nullo dempto copulatim, ſeu collectiuè enumeratis, ſicuti in hac illatione : *Hic Apoſtolus Dei, & hic Apoſtolus Dei, & hic Apoſtolus Dei ſunt duodecim : ergo omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim.* Huic aſcenſui ſimilis deſcenſus reſpondet à termino communi ad omnia ſingularia copulatim ſumpta, quæ ſicuti in aſcenſu ſimul omnia nullóque prætermiſſo debent recenſeri, aliàs conſequentia erit inepta, & falſum conſequens. 3

Aſcenſus diſiunctiuus reſpondet termino particulari diſiunctiuè ſupponenti. Hic fieri non debet ab omnibus particularibus, licet ab omnibus, ſeu ab aliquibus, & etiam ab vno, dummodo de illo verificetur prædicatum inferendum, fieri poſſit. Hæc eſt enim optima conſequentia, *hic homo currit, vel hic homo currit : ergo aliquis homo currit.* Similiter rectè *hic homo currit : ergo aliquis homo currit.* Huic aſcenſui ſimilis deſcenſus reſpondet, in hoc tamen recenſenda ſunt omnia ſingularia, vt teneat conſequentia, ſi enim exiſtant tres homines, & quis dicat, aliquis homo currit non rectè inferretur : ergo hic homo currit, vel hic homo currit tertio prætermiſſo, quia forſan tertius ille erat, qui currebat, & ratione cuius vera erat illa propoſitio, *aliquis homo currit.* 4

Aſcenſus diſiunctus reſpondet termino ſupponenti confuſè, qui fit à ſingularibus diſiunctim ſumptis in eadem propoſitione; exempli gratiâ, *vel hic equus, vel hic equus, vel hic equus requiritur ad equitandum : ergo equus requiritur ad equitandum.* In hoc aſcenſu recenſenda ſunt omnia ſingularia vt antecedens ſit verum; quod ſi omnibus non recenſitis poſſet verificari, aut verum eſſe ſupponatur, optimè ex illo fiet aſcenſus, & conſequentia erit legitima, rectè enim infertur : hic equus, vel hic equus requiritur : ergo equus requiritur, etiamſi alias exiſtant plures equi, quod non ineptam conſequentiam, ſed falſum antecedens conſtituet. Huic aſcenſui ſimilis deſcenſus reſpondet, in quo debent omnia ſingularia recenſeri, ex hac enim propoſitione *equus requiritur ad equitandum*, rectè inferimus illam in quam reſoluitur: ergo vel hic equus, vel hic equus, vel hic equus requiritur ad equitandum, quod inferri nequit omnibus equis indiuiduis non recenſitis, aliàs conſequentia erit mala, & falſum conſequens, quia vno tantùm equo aſſignato, qui omittatur, reliqui omnes non erunt neceſſarij ad equitandum. 5

PVNCTVM VII.

De ſtatu, ampliatione, reſtrictione, alienatione, & diminutione.

STatus, Ampliatio, Reſtrictio, Alienatio, & Diminutio, proprietates ſunt terminorum, ſuppoſitionúmque affectiones, ideo de his diſputant Dialectici omnes. Cùm nomen, illiúſve categorema accipitur pro his rebus, quæ exiſtunt, tunc dicitur ſuum habere ſtatum. Cùm verò ſumitur pro pluribus, tunc ampliatur. Exempli gratiâ, cùm dico *omnis homo currit*, præcipua copula ſignificat tempus præſens: terminus *omnis homo* ſtatum dicetur habere ſi ſupponat pro his tantùm hominibus, qui exiſtunt tempore præſenti, vt exiſtentibus tempore præſenti. Eadem ratione ſtatum habere exiſtimo terminum *omnis homo*, in his propoſitionibus *omnis homo cucurrit, & omnis homo curret*, quia in priori tantùm ſupponit pro hominibus præteritis, & in poſteriori pro futuris, ſiue hi futuri modò exiſtant, & antea extiterint, ſiue tãtùm ſint extituri, & illi præteriti exiſtant modò, & poſtea ſint extituri, aut tantùm extiterint; ad priorem enim propoſitionem de præterito tãtùm ſpectat hominũ præteritio, præſentia verò, & futuritio ipſorũ impertinenter ſe habet; & ad poſteriorem 1

Digitized by Google

riorem de futuro tantùm attinet hominum futuritio, illorum verò præſentia, aut præteritio ad rem non attinent. Neque ſcio quo fundamento dicat Toletus verbum præteriti ampliare ſecum ſubiectum ſecundùm duas temporis differentias nempe præteriti, & præſentis; & verbum futuri ampliare ſubiectum ad duas alias temporis differentias præſentis videlicet, & futuri: ita vt cùm dicimus, *Petrus cucurrit*, nomen *Petrus* ſupponat pro Petro, qui eſt, vel fuit, & non pro Petro, qui erit; & cùm dicimus *Petrus curret*, ſupponat pro Petro, qui eſt, vel erit, & non pro Petro, qui fuit. Quæ doctrina mihi diſplicet, quia cùm dicimus *Petrus cucurrit*, neceſſariò debet ſupponere pro Petro qui fuit; quod ſi Petrus ille qui fuit, modò poſſit eſſe præſens, etiam poterit eſſe craſtinâ die futurus, & ſicut futuritio craſtina impertinenter ſe habet ad hoc vt cucurrerit, ſic præſentia hodierna inutilis eſt ad curſum præteritum, & ita non potiori ratione nomen *Petrus* deberet extendi ad tempus præſens, quàm ad futurum. Similiter cùm dicimus *Petrus curret*, nomen *Petrus* neceſſariò debet ſupponere pro Petro extituro, & æquè impertinenter ſe habet ad veritatem propoſitionis exiſtentia, & præteritio eiuſdem Petri, quare ad nullum tempus applicandus eſt terminus *Petrus*, & ſi ad præſens eſſet ampliandus, ad præteritum eodem iure ampliaretur. Supponit ergo nomen *Petrus* in hac propoſitione *Petrus curret*, pro Petro extituro, ſiue modò exiſtat, & extiterit, ſiue tantùm extiturus ſit.

2 Ampliatio eſt cùm terminus ſupponit non ſolum pro his, qui exiſtunt tempore importato per præcipuam copulam, ſed etiam pro exiſtentibus in alio tempore, ſicuti in hac propoſitione, *omnis homo, qui eſt, & qui fuit currit*, in qua præcipua copula *currit*, tantùm importat tempus præſens, & terminus *omnis homo*, non ſolùm ſtat pro hominibus, qui ſunt modò præſentes, ſed pro his, qui antea fuere. Similiter in hac propoſitione, *omnis homo eſt rationalis*, copula tantùm importat tempus præſens, & terminus *homo* ſtat pro hominibus præſentibus, præteritis, & futuris, & etiam pro poſſibilibus, de his enim omnibus fit illa enunciatio, quæ vtpote eſſentialis, & æternæ veritatis, abſtrahit à tempore: quod contingit in omnibus eiuſdem rationis, & in aliis quæ ſimilem neceſſitatem habent ſaltem ex lege Dei, ſicuti in hac propoſitione, *Iuſti Deum videbunt*, terminus *iuſti* ampliatur ad iuſtos temporis præteriti præſentis, & futuri, licet præcipua copula tantùm indicet tempus futurum.

3 Placet aduertere nomina ſingularia tantùm poſſe ampliari ſecundùm tempus, quia non habent inferiora, ad quæ extendantur, nomina verò communia ampliari ad tempus diuerſum, & ad diuerſa ſubiecta, cùm enim dicimus, *homo eſt rationalis*, terminus *homo* ampliatur ad omnia tempora, & ſimiliter ad homines præteritos, & futuros diſtinctos ab his, qui modò ſunt. Terminus autem *Petrus* cùm in ſe non ſit multiplicabilis, neque comprehendat diſtincta ſubiecta, tantùm poteſt ſecundùm tempus ampliari. Notant etiam Doctores terminos connotatiuos ampliari ſecundùm formam, vt cùm dicimus, *album fuit nigrum*, ſubiectum ratione formæ ampliatur, ita vt ſenſus ſit, ſubiectum quod modò habet albedinem, vel quod illam habuit, antequàm illam haberet fuit nigrum.

Tempora, ſecundùm quæ terminus ampliatur ſunt præſens, præteritum, & futurum, addunt nonnulli poſſibile, & imaginarium, ad quæ ſe poſſunt extendere termini, qui afficiuntur verbo ſignificante actum animi internum, ſicuti deſiderium, & cognitionem, poſſum enim appetere, & cognoſcere non ſolùm ea præſentia, præterita, vel futura, ſed etiam illa; quæ tantùm ſunt poſſibilia, & quæ tantùm imaginantur, & in ſe repugnantiam habent.

4 Aliud ampliationis genus aſſignat Hurtadus, quod in eo ſitum eſt vt terminus ſignificet tempus diſtinctum ab illo, quod importat copula, quod tunc contingit, quando termini propoſitionis ſignificant formas incompoſſibiles, ratione quarum ad diuerſa tempora recurrendum eſt, vt propoſitio verificetur, veluti cùm dicimus, *iuſtus peccat*, quæ propoſitio non poteſt intelligi de illo, qui modò eſt iuſtus, quia non poteſt homo eſſe iuſtus & peccator in eadem menſura temporis, & ita terminus *iuſtus* non debet ſupponere pro tempore præſenti, quod importat copula, ſed pro præterito; & ſenſus propoſitionis erit, homo qui fuit iuſtus, modò peccat. Senſum propoſitionis explicatum legitimum eſſe non inficior, verumtamen hæc extractio termini *iuſtus* impropriè dicitur ampliatio; illud enim quod ampliatur retinet quod antea habebat, & aliud de nouo acquirit, in præſenti autem caſu terminus *iuſtus*, qui ex vi copulæ debet ſupponere pro iuſto de præſenti ratione prædicati amittit hanc ſuppoſitionem, & acquirit aliam pro tempore præterito, quæ potiùs mutatio quàm ampliatio dicetur.

Reſtrictio eſt termini coarctatio à maiori ad minorem ſignificationem. Hæc præcipuè fit quatuor modis. Primò per coniunctionem nominis adiectiui, vt cùm dico *omnis homo doctus*, terminus *omnis homo*, qui etiam pro indoctis ſupponebat ab his excluditur, & tantum ad doctos ſe extendit ratione adiectiui adiuncti. Notat benè Toletus nomen adiectiuum addendum eſſe ex parte extremi reſtringendi, quia ſi ex parte alterius addatur, nulla fit reſtrictio, cùm enim dicitur, *omnis homo eſt ſapiens*, terminus *omnis homo* pro ſapientibus, & inſipientibus ſupponit. Secundò fit per appoſitionem relatiui, qui modus dici ſolet per copulam implicationis, vt *omnis homo, qui eſt Matriti*, vbi terminus *omnis homo* reſtringitur ad illos tantùm, qui Matriti exiſtunt, & ab illo excluduntur omnes, qui extra Matritum degunt. Tertiò per additionem obliqui, ſicuti in hac propoſitione *omnis equus Regis eſt albus*, obliquum *Regis* reſtringit terminum *omnis equus* ad equos regios. Quartò fit per appoſitionem ſubſtantiui inferioris, vt cùm dicimus, *Ciuitas Toletum*, nomen *Ciuitas* reſtringitur ad Toletum, & ab illa ciuitates aliæ excluduntur. 5

Terminus amplus ſe habet reſpectu non ampli, ſeu reſtricti tanquam ſuperius reſpectu inferioris; vnde ſicuti valet affirmatiuè, & negatiuè, à ſuperiori diſtributo ad inferius, ſic valet amplo ad non amplum, ſeu ad reſtrictum; ſicut enim hæc eſt bona conſequentia: omne animal eſt ſenſitiuum: ergo homo eſt ſenſitiuus, ſic iſta: omnis homo, qui eſt, & qui fuit currit: ergo omnis homo, qui eſt, currit. Omnis equus currit: ergo omnis equus regius currit. Nullus equus currit: ergo equus regius non currit. Non tamen valet ab amplo, ſeu à non reſtricto non diſtributo, ſeu particulariter ſumpto ad non reſtrictum, hæ enim ſunt ineptæ conſequentiæ; Equus currit: ergo equus regius currit. Equus non currit: ergo equus regius non currit: quia propoſitio illa *equus non currit*, æquiualet huic, *aliquis equus non currit*, & ex vno ſingulari aliud ſingulare non infertur. Notat benè Toletus in argumentatione ab amplo, ſeu à non reſtricto, diſtributo ad non amplum, ſeu ad reſtrictum debere ſupponi conſtantiam ſubiecti, ſeu affirmatiuè concluditur, alias poterit eſſe antecedens verû, & conſequens falſum; nullo enim equo regio exiſtente, hæc propoſitio, *omnis equus currit*, poteſt eſſe vera, & non licet inferre: ergo equus regius currit, quia talis equus non ſubſiſtit; ſuppoſita tamen illius exiſtentia, conſequentia erit legitima. A reſtricto & non amplo valet affirmatiuè, & negatiuè ad amplum, & non reſtrictum non diſtributum, ſeu particulariter ſumptum, hæc enim eſt bona conſequentia: Equus regius currit: ergo equus currit, ſimiliter & iſta: Equus regius non currit: ergo equus non currit. 6

Alienatio eſt extractio nominis à propria ad impropriam ſignificationem, vt cùm *homo*, quod ſignificat verum animal rationale adducitur ad ſignificandum hominem pictum, vel ſtatuam hominis; vt cùm dicimus, *homo pictus eſt in aula, homo marmoreus eſt in foro.* Diminutio fit cùm terminus, qui rem abſolutè ſignificat ratione alicuius additi, illam ſecundùm quid ſignificat vt cùm dicimus, *AEthiops eſt albus ſecundùm dentes*, in qua propoſitione illud additum *ſecundùm dentes*, minuit rationem albi, & facit terminum album ſecundùm quid ſignificare, qui abſolutè hominem album ſignificabat. A termino alienato ad non alienatum, neque diminuto ad non diminutum, neque è contra nulla fit illatio, non enim valet; *eſt homo: ergo eſt homo pictus*: aut *eſt homo pictus: ergo eſt homo*: neque *homo eſt albus ſecundum dentes: ergo albus*: aut *eſt albus: ergo eſt albus ſecundùm dentes.* 7

Appellatio eſt denominatio, quâ vna dictio aliam denominat. Exempli gratiâ, ſi dicas, *Petrus eſt bonus Philoſophus*, nomen *bonus* appellat ſupra formale ſignificatum huius vocis *Philoſophus*, ſeu ſupra Petrum formaliter ſumptum vt Philoſophum, ita vt ſenſus ſit, Petrus eſt peritus 8

tus

Digitized by Google

tus Philoſophiæ. Si autem dicas, *Petrus bonus eſt Philoſophus*, nomen *bonus* non appellat ſupra Petrum vt Philoſophum, ſed ſupra Petrum materialiter ſumptum, ita vt ſenſus ſit Petrus bonâ indole, ſeu excellenti virtute præditus eſt Philoſophus. Hæc appellatio materialis dicitur, & illa formalis. Circa appellationem duo bene notat Fonſeca. Primò nomen appellans vel eſſe adiectiuum, vel inſtar adiectiui ſe habere; & nomen appellatum ſubſtantiuum eſſe, vel ſe gerere inſtar ſubſtantiui, quia appellatum quaſi ſubſtat appellanti, & appellans quaſi appellato adiacet. Secundò notat nomen appellatum aliquando ſumi materialiter, aliquando formaliter, vt patet in exemplis allatis, *Petrus bonus eſt Philoſophus*, & *Petrus eſt Philoſophus bonus*, in quarum priori propoſitione nomen appellatum videlicet *Petrus* materialiter ſumitur, & in poſteriori formaliter: nomen verò appellans ſemper ſumitur formaliter. Quia ſi materialiter ſumeretur loco appellationis, puerilis quædam, & nugatoria repetitio fieret, cùm enim diceremus, *Petrus eſt vir magnus*, ſi terminus *magnus* materialiter ſumeretur, ſenſus eſſet, *Petrus eſt vir vir*, ſeu *Petrus eſt vir Petrus*.

9 Nonnullas regulas inuenio apud Auctores ad cognoſcẽdum, quomodo fiat nominum appellatio, an ſupra materiale, an ſupra formale ſignificatum, nullam tamen fixam inuenio, neque firmâ ratione ſtabilitam, dependet enim multùm nominis appellatio ex materia in qua fit, ex ſubiecto appellato, ex modo loquendi, ex antecedentibus, & conſequentibus, ex linguarum idiomate, aliiſque circunſtantiis, quas ſi inſpiciant periti linguæ, cuius propria ſunt nomina, facilè appellationes cognoſcent. Neque alia poteſt dari regula, quæ in omnibus caſibus indefectibilis ſit, reperiuntur enim propoſitiones terminis eodem modo diſpoſitis, in quarum vna ſubiectum materialiter, & in altera formaliter appellatum inuenies. Exemplum ſit in his propoſitionibus: *denſum occupat paruum ſpatium: denſum eſt dulce*, in quarum prima ſubiectum formaliter eſt appellatum: quia denſum vt denſum formaliter occupat paruum ſpatium; & ſecundæ ſubiectum materialiter eſt appellatum. Similiter ſubiectum huius propoſitionis *album eſt dulce*, materialiter appellatur, & ſubiectum huius *album eſt pulchrum*, formalem habet appellationem. Eadem ratione hæc propoſitio *Tullius magnus fuit orator*, ſignificat Tullium magnum arte oratoria fuiſſe oratorem, quod eſt ſubiectum formaliter appellari; ſi verò de alio homine ſimilis propoſitio enunciaretur, ſubiectum materialiter appellaretur, vulgare enim exemplum appellationis materialis eſſe ſolet *Petrus eſt magnus Philoſophus*. Scio harum diſtinctarum appellationum nonnullam inueniri rationẽ, veruntamen ſi ex illa velimus regulam conſtituere, tot ferè regulas inſtituemus, quot propoſitiones inuenientur.

10 Neque audiendi ſunt Fonſeca *lib. 8. c. 4.* & alij Summuliſtæ, qui cùm aſſerunt hanc appellationem *vidi Papam* formalem eſſe, & materialem iſtam *Papam vidi*, ita vt ſenſus prioris propoſitionis ſit, vidi hominem, quem Papam eſſe cognoui; & poſteriori aſſeratur, vidi hominem, qui eſt Papa, non tamen agnoui Papam eſſe. Idem aſſerunt de his propoſitionibus, *vidi venientem*, *venientem vidi*, & aliis ſimilibus. Quod gratis & ſine fundamento dicitur, aliáque impugnatione non indiget.

CONTROVERSIA II.

De ſciendi inſtrumentis.

SCiendi inſtrumenta ſunt Definitio, Diuiſio, & Argumentatio, de quibus præſens inſtituitur Controuerſia.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit Definitio.

1 DEfinitio, quæ apud Latinos finitio dici ſolet, ab agrorum finibus nomen deſumit, ſicut enim fines, ſeu termini agrorum ita agros circumſcribunt, vt nihil horum extra illos reperiatur, ita definitio ſua definita vndequaque comprehendit, vt nullum ſit quod definitione non cingatur, neque aliquid definitio amplectatur, quod naturam definiti non contineat. Eſt igitur definitio *oratio explicans naturam rei*. Oratio dicitur, quia neceſſariò plures dictiones debet continere, quandam ex vi cuius definitum cum aliis conueniat, quod nomen *oratio* præſtat in definitione poſitum, eſt enim commune multis, quæ definitiones non ſunt: aliam ex vi cuius definitum ſecernatur à reliquis omnibus, de quibus definiendis ex vi illius definitionis non agitur. Hoc præſtant reliquæ particulæ *explicans naturam rei*. Hoc enim quod eſt explicare rei naturam proprium eſt definitionis. Idem videre eſt in quacumque definitione, adduco communiſſimam *animal rationale*, in qua nomen *animal*, ſeu conceptus illi reſpondens commune eſt non hominibus, *rationale* autem coniunctum animali, ita proprium eſt hominis, vt nulli ab homine diſtincto correſpondeat. Conceptus multis communis, qui in definitione reperitur, genus dicitur; & proprius conceptus definiti differentia appellatur, ex quo ſit definitionem omnem conſtare genere, & differentiâ, vel aliquo, loco generis, & loco differentiæ, quia non quidquid aliis commune eſt generis propriam rationem habet, licet in definitione vices generis obtineat.

Vulgò tota hæc propoſitio, *homo eſt animal rationale*, 2
definitio hominis ſolet appellari, verumtamen adæquata definitio conſiſtit in altero extremo, *animal rationale*. Ob hanc rationem rectè dicebat Ariſtoteles 1. *Perihermen. c. 4.* ipſam hominis rationem, definitionem, enunciationem non eſſe, niſi vel *eſt*, vel *erit*, vel *erat*, aut aliquid addatur, quia vnum eſt, & non multa. Rationem manifeſtè conuincit, hæc propoſitio *homo eſt animal rationale*, continet ipſum definitum, videlicet homo quod neque eſt ſui ipſius definitio, neque pars ſuæ definitionis: ergo ſubiectum illius propoſitionis *homo eſt animal rationale*, omnino eſt extra hominis definitionem. Neque huic conceptui *animal rationale*, qui eſt definitio hominis, adiungendus eſt conceptus alius definiti, vt illius eſſentiam explicet, aliàs eſſet inſtar cuniculi picturæ, cui adſcribendum eſſet, *Hic eſt cuniculus*, vt ſuum prototypum repræſentaret. Ideo dicebat Ariſtoteles 6. *Topic. cap. 2.* definitionem talem eſſe debere, vt ipsâ propoſitâ ſtatim nulloque negotio cognoſci poſſit, cuius rei ſit definitio.

Increbruit iam apud omnes diuiſio definitionis in *defi-* 3
nitionem nominis, & *definitionem rei*, licet definitione rei etiam nominis definitio poſſet comprehendi, cùm nomen *res* ſit vniuerſaliſſimum tranſcendens, quod etiam nomen comprehendit. Verumtamen familiare eſt omnibus Philoſophis diſtinguere res ſignificatas per nomina ab ipſis nominibus res ſignificantibus, ideo ſpecialiter definitio nominis à definitione rei diuiditur. Definitio nominis illa eſt, quæ eſſentiam nominis declarat, & cùm huius eſſentia, & quidditas ſit rem ſignificare, definitio nominis erit illa, quæ explicat ſignificationem nominis, & declarat ad quid ſignificandum ſit impoſitum. Ideo Ariſtoteles 7. *Metaphyſic. cap. 4. & 2. Poſter.* propriùs nominis interpretationem appellauit explicationem, quam modò vulgus nominis definitionem appellat. Definietur ergo hoc nomen *homo*, vox impoſita ad ſignificandum animal rationale. Notat bene Fonſeca inquirenti nominis definitionem ſæpe ſatisfieri definitione rei ſignificatæ per nomen, vt cùm quis rogat, *quid eſt homo?* ex intentione cognoſcendi nominis ſignificationem, & non primariò rem ſignificatam; illique reſpondetur, *eſt animal rationale*, rectè ſignificationem nominis deprehendit, agnoſcitque, hoc nomen *homo* impoſitum eſſe ad ſignificandum animal rationale.

Ad nominis definitionem reducuntur orationes illæ,
quæ explicant nominis originem, vt cùm dicimus, Dux 4
eſt, qui alios ducit, atque gubernat. Miles eſt, qui eſt ex millibus electus. Conſul eſt, qui Reipublicæ vtilitati conſulit.

Definitio rei vulgò diuiditur in *eſſentialem, deſcriptiuam,* 5
& cauſalem. Definitio eſſentialis eſt, quæ explicat naturam rei per ea, quæ illi ſunt eſſentialia, ſicuti *animal rationale*. Hæc definitio fit per explicationem, extenſionem, ſeu diſtinctionem partium eſſentiam definiti, & cùm hoc partes Metaphyſicas habeat, genus videlicet, & differentiam, ex quibus metaphyſicè componitur, & vt plurimùm partes

Digitized by Google

partes phyſicas,ex quibus phyſicè,& realiter eſt compoſitum, ſit definitionem eſſentialem aliquando dari per partes Metaphyſicas:quæ propriè ſunt genus, & differentia,ſicuti in hac definitione *animal rationale*,in qua *animal* verum genus ; & *rationale* vera differentia reperiuntur, aliquando per partes phyſicas, vt cùm dicimus *homo eſt conſtans materiâ & animâ rationali*,in qua definitione,materia, etſi genus non ſit,vices generis habet, quia generi ſimilis eſt in hoc quod eſt eſſe multis commune ; & anima locum obtinet differentiæ, quia huic ſimilis eſt in hoc quod eſt eſſe proprium definiti, nullique ab ipſo diſtincto conuenire.

6 Definitio deſcriptiua dicitur, quæ explicat eſſentiam definiti per ea,quæ ſunt extra illius eſſentiam, hoc eſt, per paſſiones, & proprietates. Hæc datur aliquando per propriam paſſionem definiti,vt cùm dicimus *homo eſt animal riſibile*, in qua natura hominis explicetur per potentiam ridendi, quæ eſt propria hominis paſſio, & cum illo dicitur ad conuertentiam. Aliquando datur per plura accidentia, quorum quodlibet eſt multis commune, illorum tamen collectio tantùm conuenit definitio, vt cùm dicimus *homo eſt animal implume bipes*, licet enim multis conueniat plumis carere, multáque duos pedes habeant, nullum tamen præter hominem vtráque proprietate gaudet.

7 Definitio cauſalis eſt illa,quæ rei naturam per ſuas explicat cauſas. Hæc ſi detur per cauſas intrinſecas materialem videlicet,& formalem,*eſſentialis* eſt,quia huiuſmodi cauſæ eſſentiales ſunt compoſito, quod conſtituunt, quod eſt per illas definitum, & ita quidquid per cauſas intrinſecas definitur, per ea, quæ illi ſunt eſſentiali definitione explicatur. Si definitio detur per cauſas extrinſecas finalem videlicet,& efficientem,poterit ſpecialiùs hæc definitio ab eſſentiali condiſtingui. Exemplum definitionis traditæ per cauſam efficientem,eſto hæc vocis definitio, *vox eſt ſonitus editus ab anima ictu aëris reſpiratione attracti cum ipſum ad fauces allidit.* Exemplum definitionis traditæ per cauſam finalem in hac hominis definitione habetur: *Animal creatum vt æterna felicitate, Deóque clarè viſo perfruatur.* His definitionibus addunt nonnulli definitionem traditam per cauſam exemplarem, qualis hominis definitio,*homo eſt animal factum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei.* Interdum etiam res per plures illius cauſas ſimul ſumptas definitur, vt cùm dicimus: *Homo eſt animal factum à Deo ad imaginem,& ſimilitudinem ipſius Dei,vt æterna felicitate perfruatur.* Huiuſmodi omnes definitiones ad *deſcriptiuam* poſſent reduci, ſicuti definitio tradita per cauſas intrinſecas *eſſentiali* comprehenditur,& ita definitio adæquatè in *eſſentialem*, & *deſcriptiuam* rectè diuideretur.Poteſt etiam ratione noſtrâ diſtingui *cauſalis* definitio, etiam per cauſas intrinſecas exhibita à definitione *eſſentiali*, quatenus definitio eſſentialis præcisè vt eſſentialis, tantùm dicit tradi per eſſentiam,& abſtrahit ab hoc quod eſt tradi per cauſas,aut per non cauſas;& deſcriptiua dicit ſimiliter tradi per ea, quæ non ſint eſſentialia, & abſtrahit à cauſis per quas tradatur, & à cauſarum negatione;& è contra cauſalis definitio dicat tradi per cauſas, & abſtrahat à reliquis omnibus.Alio modo poterunt hæc tria membra inter ſe condiſtingui, ſi partitio fiat in definitionem *purè eſſentialem*,hoc eſt, eſſentialem non cauſalem,& *purè deſcriptiuam*, & *in cauſam* indifferentem vt ſit eſſentialis,vel deſcriptiua.

8 Primum præceptum bonæ definitionis eſt, vt *definitio ſit clarior definito*, hoc eſt, vt conceptus formalis in quo conſiſtit definitio expreſſiùs & clariùs repræſentet rem definitam,quàm illam explicabat conceptus formalis ſimplici nomini definiti correſpondens.Itaque vt hæc ſit bona definitio *animal rationale* conceptus reſpondens illius vocibus clariùs & expreſſiùs debet exprimere ſuum obiectum, quàm idem obiectum repræſentat conceptus reſpondens huic voci *homo*, quâ definitum ſignificatur. Ob hanc rationem oratio iſta *arbor inuerſa* quam nonnulli tradebant ad explicandam hominis naturam vitioſa eſt definitio, ſeu potiùs definitio dicenda non eſt, faciliùs enim agnoſcam hominis naturam per hanc vocem *homo*,quàm per hoc complexum *arbor inuerſa.*

9 Secundum præceptum eſt vt *definitio,& definitum conuertantur,* ita vt teneat conſequentia, eſt homo : ergo eſt animal rationale ; & ſimiliter, eſt animal rationale : ergo eſt homo. Hoc præceptum intelligendum eſt reſpectu definiti proximi,ſeu adæquati,non verò,reſpectu definiti inadæquati, & remoti, licet enim ſemper valeat à quocumque definito ad definitionem,quia omnis definitio de quocumque definito dicitur,non tamen valet à definitione ad definitum inadæquatum,ſeu remotum.Rem declaro : hæc definitio *animal rationale* reſpicit tanquam adæquatum & proximum definitum rationem communem hominis, & tanquam definitum remotum Petrum, & Ioannem, vt volunt nonnulli aſſerentes conceptum hominis immediatè reſpicere rationem communem,& mediatè indiuidua ſub tali ratione contenta;ſeu vt definitum adæquatum, vt volunt alij præcipuè ex non præſcindentibus obiectiuè,qui aſſerunt Petrum,& Ioannem eſſe immediatè ſignificata per hanc vocem *homo*, & immediatum obiectum conceptus vocis illi reſpondentis, inadæquata tamen, quia tam vox quàm conceptus attingunt collectionem indiuiduorum,quod eſt præter hæc indiuidua attingere reliqua ab ipſis diſtincta : ſiue ergo Petrus ſit definitum inadæquatum immediatè ſignificatum non per ſe ſolùm,ſed ſimul cum aliis;ſiue definitum remotum, non proximè,ſed remotè ſignificatum per vocem *homo*,& per conceptum huic voci reſpondentem, non dicitur ad conuertentiam cum ſua definitione, quia licèt ſit bona conſequentia,*eſt Petrus : ergo eſt animal rationale*, non bene refertur *eſt animal rationale : ergo eſt Petrus.* Nota inſuper hæc definita inadæquata, ſeu remota non definiri ſecundùm proprios conceptus,ratione quorum inter ſe diſtinguuntur, ſed quatenus conueniunt in ratione omnibus communi, videlicet in ratione hominis ſecundùm quam, & non ſecundùm indiuiduales differentias Petrus definitur hac definitione *animal rationale.*

Tertium præceptum eſt,vt *quidquid dicatur de definitione, prædicetur de definito, & quidquid prædicatur de definito, dicatur de definitione.* 10
Hoc præceptum virtualiter in præcedenti continetur,& reſpectu definiti proximi, & adæquati nullam patitur exceptionem, reſpectu verò definiti inadæquati,& remoti,etſi prior pars nullâ indigeat interpretatione, poſterior interpretanda eſt de his, quæ conueniunt definito ſecundùm rationem communem, ſecundùm quam definitur:non verò de his,quæ illi conueniunt,quatenus eſt tale indiuiduum,quia illa,quæ ſingulariter dicuntur de Petro,ratione propriæ differentiæ indiuidualis, non dicuntur de animali rationali vniuerſaliter ſumpto.

Quartum præceptum eſt vt *in definitione nihil deſit, aut ſuperſit* : 11
ratione prioris vitij *viuens ſenſibile* non eſt definitio hominis, quia deficit *rationale* ; & ratione poſterioris hæc eſt mala hominis definitio *animal rationale mortale*,ſuperfluit enim illud *mortale* incluſum in animale,cùm omne animal mortale ſit.

Quintum præceptum eſt vt *definitio breuis ſit*,modò bre- 12
uitas obſcuritatem non pariat.Nam cùm definitio ſit caput totius diſputationis,vitio dabitur,ſi adeò ſit longa,vt non poſſit facilè memoriâ retineri,& ſemel atque iterum ſine moleſtia repeti ; nihil enim frequentius occurrit in diſputatione quàm definitio ſubiecti, de quo inſtituitur diſputatio.

Rogant nonnulli an definitio poſſit tradi per genus 13
mediatum,& vltimam definiti differentiam.Cui quæſtioni reſpondeo meliùs ſemper tradi per genus immediatū, quod continet rationes omnes ſuperiores,quæ ſunt definito eſſentiales. Deinde eſſe plura genera mediata, quæ coniuncta cum vltima differentia non rectam definitionem conſtituunt, ſi enim ego ad definiendum hominem aſſumerem hoc genus mediatum illius *viuens*, illúdque coniungerem cum vltima differentia, videlicet *rationale*, & hominem definirem *viuens rationale*, definitio eſſet vitioſa:quia etiam conueniret Angelo;qui viuit vitâ rationali. Vltimò aſſero vtcumque poſſe aliquando rem definiri per genus mediatum,& per differentiam infimam, ſi enim definiatur homo per corpus, quod eſt genus illius mediatum adiunctum differentiæ infimæ,& diceretur *homo eſt corpus rationale* (nomine corporis corpus completū intellige de prædicamento Subſtantiæ) vtcumque definitio poſſet ſuſtineri,nullum enim corpus rationale reperitur in rerum natura, quod non ſit homo. Quod ſi poſſibilia inſpicias,& in illis reperias aliquod corpus completum capax ratiocinandi,& non ſentiendi, prædicta definitio non tantùm homini conueniet, ſed tali corpori, quod eſſentialiter differet ab homine ratione prædicati ſenſitiui

Digitized by Google

ſenſitiui reperti in homine , & incluſi in genere immediato videlicet animali , quod non reperiretur in illo corpore, neque includeretur in genere mediato , ſcilicet corpus.

14 Placet etiam aduertere clariorem fore definitionem traditam per genus ſupremum, & omnes differentias vſque ad infimam in definitione poſitas, veluti ſi diceretur, *homo eſt ſubſtantia corporea, viuens, ſenſibilis, rationalis*, quam traditur dum dicitur, *homo eſt animal rationale*, quia tamen non ſolùm conſulendum eſt claritati, ſed etiam breuitati, & ſatis clarè traditur per genus immediatum, per hoc & differentiam vltimam , vt plurimùm definitiones tradere conſueuimus.

15 Hic diſputant nonnulli an genus , & alia huiuſmodi poſſint definiri ; abs re tamen , vbi enim diſputatio inſtituetur de genere, ſeu de aliis quibuſcumque rebus , opportunius diſputabitur an ipſa poſſint definiri. In præſenti vero cùm tantùm agamus de definitione , tantùm ad rem erit explicare quomodo definitio poſſit definiri. Opponunt nonnulli : Hæc definitio , *Oratio explicans naturam rei*, reſpicit tanquam obiecta definita omnes definitiones : ergo reſpicit ſe ipſam : ergo idem definitur per ſe ipſum : ergo non aliquid clarius , ſed per æquè notum, aut ignotum: ergo definitio non poteſt definiri, ne hæc inconuenientia inferantur. Reſpondeo prædictam definitionem reſpicere ex parte obiecti omnes definitiones particulares , quatenus conueniunt in quadam ratione ſimili, ſeu in ratione communi definitionis, & hac ratione reſpicere ſe ipſam tanquam obiectum reflexè per ſe ipſam repræſentatum ; ſicuti conceptus reſpondens huic voci *cognitio* reſpicit tanquam obiectum omnes cognitiones, & ſeipſum, quia ipſe eſt cognitio, & ſicuti hæc vox *nomen*, ſignificat omnia nomina quatenus ſimilia, & conſequenter ſeipſam quatenus habet rationem nominis: Cùm ergo definitio formalis nihil aliud ſit, quàm cognitio expreſſa , clara , & diſtincta alicuius obiecti , & cognitio illa ſe ipſam clarè , expreſsè , & diſtinctè repræſentet , erit ſui ipſius definitio.

16 Neque hac ratione inferuntur, quæ obiectione afferebantur , videlicet idem definiri per ſe ipſum, quia inconueniens non eſt idem vt obiectum definiri per ſe ipſum tanquam per definitionem formalem , eſſet autem inconueniens ſi idem per ſe ipſum vt obiectum definitionis formalis definiretur. Præceptum autem illud , definitio debet eſſe clarior definito, non ita intelligendum, vt definitio formalis clariùs debeat cognoſci definito , quia vt obiectum aliquod definiatur, illius definitio neque clarè, neque confuſè debet cognoſci , cùm enim dico , *homo eſt animal rationale* , hominem definitio , & illius formalem definitionem non agnoſco, quæ ſi eſſet cognoſcenda, forſan difficiliùs cognoſceretur , quàm illius definitum agnoſcitur , in quo ſenſu tantùm infertur definitionem non eſſe clariorem definito , quod abſurdum non eſt; non tamen ex eo quod definitio , per ſe ipſam definiatur, infertur conceptum formalem definitionis non clariùs repræſentare obiectum definitum , quàm repræſentat idem obiectum conceptus formalis definiti , quod abſurdum eſſet, & in quo ſenſu prædictum præceptum eſt intelligendum.

PVNCTVM II.

De Diuiſione.

1 Diuiſio Phyſica eſt quædam ſeparatio partium , quæ antea vnitæ totum conſtituebant , veluti cùm lignum in duas partes ſecatur , tunc diuidi dicitur. Ex hac diuiſione deſumpta eſt Dialectica diuiſio , quæ eſt *oratio totum in ſuas partes diſtribuens*, Huiuſmodi eſt actus , quo dico , *animal aliud homo* , *aliud brutum* , ex vi cuius *animal* quod eſt quoddam totum potentiale diſtribuo in diſtinctas ſpecies, quas ſub ſe continet tanquam partes.

2 Secundùm hanc diuiſionis definitionem omnis diuiſio totius in partes dicenda eſſet , aſſignantur tamen diſtinctæ diuiſiones , in quibus vna ſpecialiter diuiſio totius in partes dicitur, quia ex vi illius ſeparantur partes quæ actu componebant totum actuale. Eſt igitur triplex diuiſio ; quædam dicitur diuiſio *generis in ſpecies* , alia *totius in partes*, alia demùm *ſubiecti in accidentia*, quæ propriùs ſubiecti per accidentia diceretur. Diuiſio generis in ſpecies eſt illa , ex vi cuius genus, quod antea erat totum quoddam potentiale, ſecatur in ſpecies oppoſitas tanquam in partes , ex quibus componebatur ; veluti cùm diuiditur elementum in ignem, aerem, terram, & aquam. Ad hoc genus diuiſionis reducitur partitio ſpeciei in indiuidua , v. g. hominis in Petrum, Ioannem, &c.

Diuiſio totius in partes eſt illa, ex vi cuius totum ſecatur in partes, quibus actu componebatur. 3 Cæterùm cùm partes quædam ſint Metaphyſicæ , aliæ Phyſicæ , ex his quædam eſſentiales , aliæ integrantes , & ex iis quædam homogeneæ, aliæ heterogeneæ, ſic his omnibus partibus diſtinctis diuiſiones diſtinctæ correſpondent. Diuiſio in partes metaphyſicas eſt oratio , ex vi cuius diuiditur totum in partes, quibus metaphyſicè componebatur; veluti cùm diuiditur homo in animal, & rationale. Diuiſio eſſentialis in partes phyſicas eſt oratio , quâ totum diuiditur in partes phyſicas eſſentiales, quibus phyſicè componebatur ; veluti cùm dicitur hominis alia pars eſt corpus, alia anima , & ſic reliquis partibus proportione ſeruatâ ſimiles reſpondent diuiſiones.

Diuiſio ſubiecti in accidentia vulgò dicitur, quâ diuiditur homo in album , & nigrum, 4 quæ ſtrictè loquendo non ita deberet appellari, quia cùm ego diuido hominem in album, & nigrum, non diuido hominem in albedinem, & nigredinem, quæ ſunt accidentia, quia ſi ita fieret diuiſio , faceret hunc ſenſum : hominum quidam eſt albedo, alius nigredo. Deinde nihil poteſt diuidi niſi in ea, quibus conſtat, & quæ includit actu vel potentiâ, ſed ſubiectum non conſtat accidentibus , neque ex illis actu, aut potentiâ componitur : ergo ſubiectum non diuiditur in accidentia. Dicenda ergo eſt prædicta diuiſio , *diuiſio ſubiecti per accidentia* , quia ex vi illius diuiditur ſubiectum in communi in diſtincta ſubiecta, quorum vnum habet hoc accidens, & alterum illo caret, ſeu habet oppoſitum. Cùm enim diuido hominem in album, & nigrum, diuido collectionem hominum , quæ eſt totum quoddam aggregatum conſtans diſtinctis hominibus tanquam partibus in duas hominum claſſes, quæ ſunt partes diuiſi, & inter ſe diſtinguuntur ex eo, quod homines huius claſſis habeant albedinem, & homines illius claſſis habeant nigredinem, quod eſt diſtingui partes ſubiecti, ſeu totius diuiſi per albedinem, & nigredinem, & ita diuiſio iſta ſubiecti per accidentia propriè dicetur. Diuiſio alia quæ ſolet aſſignari accidentis in ſubiecta , quæ fit dum dicitur, *Potentiarum quædam animæ inhærent , aliæ corpori*, ad præcedentem poteſt reduci, & propriè non diuiſio accidentis in ſubiecta, ſed accidentis per ſubiecta dicenda eſt propter eandem rationem , qua modò dicebam ſubiectum non diuidi in accidentia , ſed per accidentia , ex vi quorum ſubiectum hoc ab illo ſecernitur.

Ad idem genus ſubiecti in accidentia reducenda eſt diuiſio, ex vi cuius genus diuiditur per differentias oppo- 5 ſitas præciſè ſumptas ; animal, verbi gratia per rationale, & irrationale, quod dicendum eſt per differentias diuidi, non verò diuidi in differentias, quia genus nullo modo componitur ex differentiis , ſed ex ſpeciebus in quas diuidi poteſt , tanquam in partes potentiales. Poſtquam hanc doctrinam ſemel & iterum ſcripſeram , illam à Fonſeca doctè traditam inueni lib. 4. cap. 8. vbi notat nunquam dixiſſe Porphyrium genus diuidi in differentias, ſed per differentias , ibidémque refert Boetium aſſerentem genus non diuidi in differentias , ſed in ſpecies.

Diuiſio vtiliſſimum eſt ſciendi inſtrumentum, quod 6 docuit Ariſtoteles *lib. 2. Poſteriorum , cap. 14. & lib. 1. Topicorum, cap. 14.* cuiuſcumque rei definitionem inueſtigare ; quod hac ratione optimè fiet : ſumatur genus quoddam rei definiendæ aliis commune , verbi gratia intendo definire hominem, aſſumo genus ſupremum nempe ſubſtantiam , quod diuido per differentias in ſubſtantiam corpoream , & ſubſtantiam incorpoream ; ex quibus membris diuidentibus vnum homini non conueniet , nempe ſubſtantia incorporea , quod omittam, & alterum aſſumam , nempe ſubſtantiam corpoream: hanc homini conuenire neceſſe eſt ex ſuppoſitione quod illi membrum aliud diuidens non conueniat , inſpiciendum eſt, an illi tantùm conueniat , an etiam aliis

Digitized by Google

ſi illi tantùm conueniret, hominis eſſet definitio; quod ſi aliis conueniat, ſicuti de facto conuenit, iterum ſubdiuidenda eſt per alias differentias inferiores, & eſſentiales, & aſſumendum membrum diuidens, quod homini conueniat, quod ſi non conuenit aliis, hominis erit exacta definitio: ſin minùs, iterum membrum diuidens per alias differentias ſubdiuidendum eſt donec reperiatur contractum per differentiam, quæ tantùm homini conueniat, quæ eſt rationale, taléque membrum diuidens continens rationem communem generis, & differentias, per quas fuit contractum, donec perueniretur ad illam, quæ conſtituit membrum diuidens tantùm homini conueniens, erit propria, exacta, eſſentialiſque hominis definitio.

7 Diuiſiones generis in ſpecies, ſubiecti in accidentia, & accidentium in ſubiecta à definitione diſtingui certum eſt; dubium tamen, an diuiſio totius in partes eſſentiales phyſicas, & metaphyſicas, & generis per differentias, à definitione diſtinguatur. Affirmat Hurtadus non omnem diuiſionem à definitione diſtingui, quia hominis definitio tam claré & explicitè attingit partes hominis, quàm illius diuiſio; & vtraque eandem omnino hominis partes nempe animal & rationale attingit, in quas per ipſam definitionem diuiditur, ſiquidem explicitè, & vt inter ſe diſtinctæ ex vi definitionis cognoſcuntur. Ratio hæc mihi perſuadet eundem actum poſſe habere rationem diuiſionis, & definitionis, nihilominus formaliter diuiſio & definitio ſemper different, quia diuiſio ſemper connotat quoddam totum, quod præceſſerit, in quo fuerint vnitæ partes, quæ diuiſæ cognoſcuntur, dicitque formalem oppoſitionem ipſarum partium tanquam membrorum diuidentium, quæ re, aut ratione opponi debent, quod non dicit definitio, cuius tota formalis ratio ſita eſt in ſuo ſubiecto claré, vt diſtincto ab omnibus aliis repræſentando. Inſuper hæc diuiſio generis per differentias, quam dixi reduci ad diuiſionem ſubiecti in accidentia, animal aliud animal rationale, aliud irrationale, includit definitionem hominis, & definitionem bruti, & conceptum animalis ſecundum ſe, dicitque quoddam oppoſitionis genus inter vtramque definitionem, quod neutri conuenit formaliter vt definitio eſt; definitio enim hominis præcisè dicit conceptum reſpondentem his vocibus *animal rationale.* Ex quo infertur formaliter, & realiter extrinſecè talem ſemper definitionem, & diuiſionem inter ſe diſtingui.

8 Leges bonæ diuiſionis ſunt vt omnia membra diuidentia ſimul ſumpta ſint æqualia diuiſo, ita vt nulla pars in iſto reperiatur, quæ non contineatur in illis, neque aliquid illa contineant, quod iſto non claudatur, quódque quodlibet membrum diuidens ſit inferius diuiſo. Ratio eſt, quia cùm diuiſum ſit totum, & hoc ſupra quamlibet partem ſui addat alteram, & nihil ſupra omnes ſimul ſumptas, ſic de diuiſo neceſſariò dicendum eſt. Secundum præceptum eſt, vt diuiſio non fiat per plura membra, quàm par eſt; ſi enim animal immediatè velles diuidere in omnes ſpecies atomas, neque illas poſſes inuenire, neque inuentas poſſes memoriâ retinere. Cùm igitur membra diuidentia plura ſint, diuiſum ſecandum eſt per aliquas rationes communes, quæ rurſus per alias, & alias minus vniuerſales ſubdiuidantur. Tertium præceptum, vt membra diuidentia re, vel ratione opponantur, hoc eſt, vt realiter, vel per intellectum ſint diſtincta.

9 De diuiſione nominis, quæ vulgò circumfertur conſultò non memini, quia, vt doctè ait Fonſeca *lib. 4. cap. 2.* diuiſio non eſt, ſed diſtinctio. Diuiſionem nominis vulgus appellat diſtinctionem vocis, aut vocum in varias ſignificationes, quæ illi poſſunt contingere, vt cùm audio nomen *Gallus* quo ex æquo ſignificatur homo natione Gallus, & Gallus gallinaceus, inter vtramque ſignificationem diſtinguo; & cùm audio propoſitionem iſtam *Scio Petrum interfeciſſe Ioannem*, illam diſtinguo in duplicem ſenſum, quam poteſt reddere, videlicet ſcio Ioannem interfectum eſſe à Petro; & ſcio Petrum interfectum eſſe à Ioanne, in qua diſtinctione nulla eſt diuiſio, quia nullum datur totum, quod ſecetur, voces enim non ſecantur; eædem enim integræ permanent diſtinctione factâ; neque ſignificationes, quia nunquam hæ fuerunt aliquo modo vnitæ, neque totum aliquod compoſuerunt. Dicuntur enim diſtingui, quia mens non diſcernebat quænam illarum voci prolatæ hic, & nunc conueniret, ſicuti cùm quis vidit hominem à longe, dubitans an videat Petrum, vel Ioannem, & poſtea deprehendit ab illo Petrum videri, non dicitur diuidere Petrum, ſed illum à Ioanne diſtinguere.

PVNCTVM III.

De Argumentatione.

IN omnibus Dialecticæ inſtrumentis Argumentatio primas tenet, quâ vltimò veritas deprehenditur, & illa, quæ latebat ignota eruitur, & nota fit. Vulgò definitur, *oratio in qua vnum ex alio conſequi denotatur*; hoc eſt, in qua ex quadam propoſitio cognita, aliam inferimus, & deducimus: ſicuti cum dicimus, *Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal.* Neque ſufficit ad argumentationem, in re obiectum vnius propoſitionis connexionem habere cum obiecto alterius, ita vt illo poſito non poſſit ipſum non dari, ſed requiritur, nos hac connexione duci ad tale obiectum cognoſcendum, quapropter non erit argumentatio, ſi dicamus, *Petrus eſt homo: Petrus eſt animal*; etſi in re non poſſit eſſe homo, quin ſit animal. Ideo in definitione apponitur particula illa, *inferri denotatur*, quod fit per hanc vocem *ergo*, aut *igitur.* Si propoſitio, ex qua alia infertur fuerit vnica, *Antecedens* dicitur: ſi duplex fuerit, prima vocatur *Maior*, ſecunda *Minor.* Propoſitio, quæ infertur nota illationis affecta, *Conſequentia* dicitur, & id quod infertur ſecundùm ſe ſumptum *Conſequens* appellatur. 1

Argumentatio diuiditur in Syllogiſmum, Enthymema, Inductionem, Exemplar, & Dilemna. *Syllogiſmus* eſt argumentatio in qua ex duabus propoſitionibus tertia denotatur inferri, veluti cum dicimus: Omnis homo eſt animal: Omne rationale eſt homo: Ergo omne rationale eſt animal. *Enthymema* eſt ſyllogiſmus truncatus, in quo ex vna tantum propoſitione alia denotatur inferri, veluti cum dicimus: Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal. *Inductio* eſt argumentatio, in qua ex pluribus particularibus ſufficienter enumeratis vniuerſale colligitur. Hæc non diſtinguitur ab aſcenſu, & deſcenſu, de quo dixi Controuerſ. prima, Puncto ſexto, *Exemplar* eſt argumentatio, in qua ex vno vel pluribus particularibus aliud particulare propter ſimilitudinem deducimus, veluti cùm dicimus: Deus pepercit Niniuitis pœnitentiam agentibus: ergo etiam mihi parcet, ſi pœnitentiam egero. *Dilemna* eſt argumentatio bicornis; in qua duæ partes proponuntur, quarum alteram non poſſit reſpondens aduerſarius effugere, & illarum qualibet capiendus eſt. Veluti cùm hominem ignarum, qui diu ſcholas frequentauit, arguimus: Aut ex animo vacaſti litterarum ſtudio, vel non? Si non vacaſti; negligens es, tempúſque prodegiſti. Si vacaſti; rudis es, & ingenio hebes, ſiquidem nihil didiciſti. 2

Rectitudo argumentationis non conſiſtit in veritate propoſitionum, ſed in connexione conſequentis cum antecedenti, ſeu cum præmiſſis, ex quibus inferri denotatur. Vnde hæc eſt bona argumentatio: *Arbor eſt homo: ergo arbor eſt rationalis*, etſi vtraque propoſitio ſit falſa; & hæc eſt mala, *Petrus eſt animal: ergo Petrus eſt homo*, etſi vtraque propoſitio neceſſaria ſit. Ex hoc fit argumentationem non eſſe dicendam veram, vel falſam, ſed bonam, vel malam. Hæc dicta ſint pro incipientium captu, multa enim ſunt dicenda de natura ſyllogiſmi, ad quem omnes argumentationes adductæ reducuntur *Controuerſ. 9. & 10. Logicæ*, de illiúſque forma, & ſtructura dicam *Controu. 4.* 5

***

CONTRO

CONTROVERSIA III.

De Nomine, & Verbo, Oratione, & Enunciatione.

ENVNCIATIO ſeu Propoſitio in ſe Orationem includit; Nomen & Verbum partes ſunt orationis, ideo hæc omnia eadem amplectitur Controuerſia.

PVNCTVM PRIMVM.

De Nomine, & Verbo.

1 Nomen definiuit Fonſeca lib. 1. c. 12. *Vox ſignificans ex inſtituto definitè ac ſine tempore, cuius nulla pars ſeparatim ſignificat, quæque adiunctio eſt, aut non eſt, efficit orationē, quæ verum aut falſum ſignificet.* Per primam particulam *vox ſignificans ex inſtituto*, cum pluribus aliis Nomen conuenit: per particulam *finitè*, differt à nominibus affectis negatione infinitante, veluti *non homo, non equus*, quæ Ariſtoteles non ſimpliciter nomina, ſed addito diminuente infiniti, infinita nomina appellauit. Per particulam *cuius partes ſeparatim nihil ſignificant*, differt Nomen ab Oratione. Per particulam *ſine tempore* differt à Verbo, quia licet nomen aliquando tempus ſignificet, quia ad illud ſignificandum eſt impoſitum, ſicuti nomen iſtud *dies*, aut nomen *hora*, & aliquando connotet tempus, quia ſignificat rem aliquam, quæ cum tali tempore connexionem habet, veluti hoc nomen *cœna*, cuius ſignificatum non dicetur tale, niſi præfixo tempore fiat; non ſignificat cum tempore, quod eſt ſignificare aliquam actionem, & ſimul cum illa ſignificare hoc, vel illud tempus in quo fieri poteſt, quod habet Verbum veluti *amat, vicit*. Reliquum definitionis *quæque adiunctio*, &c. omittit Toletus in definitione; quam ipſe adduxit, & loco illius addit, nomen debere eſſe non quamcumque vocem, ſed rectam, vt excludat caſus obliquos, qui nomina non ſunt, ſed caſus nominum. Poſſunt etiam excludi hi caſus obliqui per vltimam partem definitionis à Fonſeca adductæ, quia etiamſi his addatur verbum *eſt*, non conſtituunt orationem veram aut falſam, ſi enim dicatur *Petri eſt*, nihil verum aut falſum profertur. Ideo cenſeo vtramque definitionem adductam à Fonſeca, & Toleto retineri poſſe.

2 Verbum ſic definit Fonſeca: *Vox ſignificans ex inſtituto definitè, ac cum tempore præſenti, cuius nulla pars ſignificat ſeparatim, & ſemper eorum quæ de alio prædicantur eſt nota.* Quid ſit ſignificare cum tempore nuper explicui; dicitur autem verbum ſignificare *definitè*, ad excludendum illius infinitum de præſenti, & verba, quibus negatio præponitur, ſicuti *non diſputat, non legit*. Dicitur ſignificare *cum tempore de præſenti*, quia ſicuti in nominibus tantùm caſus rectus dicitur nomen, ſic in verbis tantum præſens Indicatiui Verbum dicitur, quia veritates omnes aliorum temporum ſemper in ordine ad præſens deſumuntur, ideo enim eſt modò verum dicere *Petrus curret*, quia tempore venturo erit verum dicere *Petrus currit*, & ideò verè dicitur *Petrus cucurrit*, quia tempore præterito verum fuit dicere *Petrus currit*. Poſteriorem particulam, *& eſt eorum, quæ dicuntur nota*, facilè explicat Toletus dicens illâ ſignificari verbum eſſe nexum inter ſubiectum, & prædicatum, & id, quo illorum identitas denotatur. Pater Fonſeca vult illâ particulâ ſignificari, verbum vice ſui ſignificati prædicari quotieſcumque ponitur in enunciatione; cùm enim dicimus *Petrus currit*, idem eſt ac dicere *Petrus eſt currens*, cuius propoſitionis prædicatum continetur in verbo, & ſic de omnibus aliis. Obiicit ſibi in hac propoſitione *homo eſt animal*, verbum *eſt* neque ratione ſui ſignificati prædicari; reſpondetque in hac propoſitione verbum *eſt* extrahi à ſua ſignificatione, quia hoc verbum ſignificat exiſtere, in præſenti autem tantum adducitur ad ſignificandam connexionem inter hominem, & animal; quando verò retinet ſuam ſignificationem, ſicuti in hac propoſitione *Petrus eſt*, tunc prædicari affirmat de ſubiecto, quia propoſitio illa æquiualet huic *Petrus eſt ens.* Probabiliter poteſt hæc doctrina defendi præcipuè cum res ſit parui momenti, verumtamen expeditiorem cenſeo eſſe interpretationem ex Toleto relatam. Neque in opinione Fonſecæ neceſſum eſt dicere verbum *eſt* extrahi à ſua ſignificatione, cùm dicitur *Petrus eſt animal*, quia adhuc in hac propoſitione prædicatur de ſubiecto participium verbi incluſum in hoc prædicato *animal*, quod non exprimitur, ne ſemel ponatur ex parte prædicati, ſicuti non dicimus *Petrus eſt animal homo*, ſed *Petrus eſt homo*, quia animal continetur in homine, quâ etiam ratione *ens* continetur in animali. Id quod explicauit Fonſeca in ſua definitione dicens verbum ſignificare non cum quocumque tempore, ſed cum tempore de præſenti, explicuit Toletus dicens, *verbum eſſe vocem rectam*, quo adiectiuo excludit omnia tempora diſtincta à præſenti Indicatiui, in reliquis omnibus cum Fonſeca conuenit, & cum vtroque tota Summuliſtarum turba, neque res eſt maiori examine digna.

PVNCTVM II.

De Oratione, & Enunciatione.

Ariſtoteles lib. 1. de interpretatione cap. 4. orationem definit his verbis, *Vox ſignificatiua, cuius partium aliqua ſignificatiua eſt ſeparata.* Definitionem hanc admittunt Toletus, & Fonſeca, & ferè omnes Auctores, qui notant Ariſtotelem non intendiſſe ſignificare per illam particulam *cuius aliqua partium*, vnam tantùm partium orationis fore ſignificatiuam, ſed vnam tantùm aſſignaſſe, quia hæc ſufficiebat ad diſtinguendam Orationem à Nomine, & Verbo, quæ nullâ parte ſignificatiuâ gaudent. Eo ipſo quod Oratio dicatur vox vna, & partes illi aſſignentur, ſignificatur has habituras inter ſe aliquam cohærentiam, ſeu aliquam vnionem, aliàs non dicerentur vna vox, neque conſtituerent vnum totum, cuius eſſent partes. Ex hoc inferes voces has, *ignis, lapis, lignum*, orationem non eſſe, quia nullam inter ſe congruentiam habent. Ex quo capite dimanauit alia orationis definitio, videlicet *plures dictiones congruè ſe habentes*, quæ definitio ſatis conſona eſt menti Ariſtotelis, & ex nullo capite reiici poteſt. Dictionum congruentia, quam expoſcit hæc definitio, & vnio dictionum quam requirit definitio Philoſophi, vt modò dicebam, poterit eſſe quæcumque Grammaticalis congruentia, vel coniunctio aliqua, ex vi cuius vtrumque extremum caſu cohæreant, ſicuti cùm dicimus *Petrus eſt Ioannes*. 1

Pater Hurtadus vt terminum complexum diſtinguat ab oratione, aſſerit ad orationem requiri congruentiam nominis cum verbo, & orationem definit: *Vox ſignificatiua compoſita ex nomine & verbo mutuò congruentibus.* Definitionem hanc conſonam eſſe ait Grammaticorum ſententiæ, qui notitias, ſeu orationes diuidunt in duas actiuas, duas paſſiuas, aliámque Imperſonalis verbi, in quibus omnibus verbum reperitur. Quidquid de mente Grammaticorum, retinenda eſt definitio tradita à Philoſopho, quam gratis deſerit Hurtadus, & cui immeritò & propiam præfert. Neque ſuâ definitione difficultatem fugit, quam intendebat vitare, quia oratio compoſita ex nomine, & verbo, integráque propoſitione poteſt eſſe terminus complexus, vt contingit in hac propoſitione, *Petrus currit eſt Propoſitio.* Quomodo autem differant terminus complexus, & oratio, dixi dum naturam termini complexi explicabam, vbi etiam explicui quomodo nomen *Proconſul*, verbum *circumfero* non ſint plures dictiones, ex quo ibi inferebam non eſſe terminos complexos, & modò infero non eſſe orationes. 2

Docet Pater Fonſeca *lib. 3. cap. 1.* duobus modis poſſe orationem componi ex dictionibus per ſe ſignificantibus in ipſa: altero explicitè, ſeu expreſſè, vt ſi dicas, *nullus homo, nullo tempore, in omni loco, in omni tempore.* Altero implicitè, & virtute, vt ſi dicas, *Nemo, nunquam vbique, ſemper.* Atque quod etiamſi hæ dictiones voce non ſint orationes, ſignificatione tamen orationes cenſendas eſſe, quia idem conceptus reſpondet huic ſimplici voci *Nemo*, qui reſpondet huic complexo *nullus homo*, 3

Digitized by Google

quia apud Dialecticos ſignificationis potiùs, quàm vocis ratio habenda eſt. Propter eandem rationem aſſerit vocibus his

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe,

duplicem propoſitionem proferri iuxtà duplicem ſenſum, quem habere poſſunt, vnam reſpondentem his vocibus *Aio te poſſe vinci à Romanis*; his alteram *Aio Romanos poſſe vinci à te.* Doctrinam hanc non improbo, & plus quàm mediocri fundamento excogitatam eſſe cenſeo.

4 Duplex eſt Oratio: quædam *perfecta*, alia *imperfecta*: Oratio imperfecta dicitur, quæ ſuſpenſum relinquit audientis animum, perfectúmque non generat ſenſum; veluti *ſi lectionem legis, lectionem legere*, aliæque huiuſmodi. Oratio perfecta dicitur, quæ perfectum generat ſenſum, & quâ auditâ mens quieſcit audientis, veluti cùm dicitur:

O mihi poſt nullos vnquam memorande ſodales.

5 Ex orationibus perfectis quædam ſunt *enunciatiuæ*, aliæ *non enunciatiuæ*. Oratio enunciatiua propoſitio dicitur, idémque eſt inquirere quid ſit oratio enunciatiua, ac interrogare quid ſit propoſitio. Oratio enunciatiua, ſeu propoſitio vulgò definitur: *Propoſitio eſt oratio qua auditâ poſſumus reſpondere verum dicis, vel falſum dicis.* Alio modo: *Oratio continens veritatem, vel falſitatem.* Exemplum accipe in his orationibus *Petrus currit, Ioannes legit*, quæ ſine veritate, aut falſitate non proferuntur. Oratio ergo non enunciatiua erit, quæ neque veritate, neque falſitate gaudet; veluti cùm dicimus: *vtinam vacaſſes litterarum ſtudio.*

6 Prædictæ propoſitionis definitiones rectè eum definito correſpondent, & ſatis clarè rem explicant, verumtamen aptior alia quærenda eſt, quia hæ per diſiunctionem naturam propoſitionis explicant, quæ in quantùm fieri poſſit in definitione vitanda eſt, quia duplicem reddit definitionem, quorum vna parti cuidam definiti, ſeu quibuſdam inferioribus rationis communis, quæ definitur, & altera, alteri parti, ſeu aliis inferioribus conuenit. Definienda ergo eſt propoſitio, *oratio ex vi cuius vnum de alio enunciatur*, ſeu *oratio in qua vnum de alio dicitur*, quâ definitione ſatis clarâ natura propoſitionis proponitur, ex terminis enim ipſis notum eſt omnibus, quid ſit dici vnum de alio. Conuenit etiam hæc definitio omnibus propoſitionibus, & nulli non propoſitioni, quia vbi vnum de alio enunciatur, eſt ſubiectum de quo aliud enunciatur, ſeu dicitur, & prædicatum, quod de illo vno dicitur; ſubiectum autem, & prædicatum in omnibus propoſitionibus, & in illis tantùm reperitur. Inſuper vbi eſt ſubiectum, & prædicatum, veritatem, aut falſitatem, quæ ſunt propriæ affectiones propoſitionum, reperiri neceſſe eſt. Circa hanc definitionem aduertas enunciari vnum de alio, ſeu vnum de alio dici, extendi ad affirmationem, & negationem conuenientiæ inter prædicatum, & ſubiectum, veluti cùm dicitur *Petrus eſt albus*, & cùm dicitur *Petrus non eſt albus*, quia tunc de illo enunciatur eſſe non album.

Pvnctvm III.

De materia, forma, qualitate, & quantitate Propoſitionis, & de ſignis hanc indicantibus.

1 Materia propoſitionis ſunt ſubiectum, & prædicatum, quatenus inter ſe dicunt ordinem. Ordo iſte triplex eſt, ideo triplex materia propoſitionis aſſignatur. Aut enim prædicatum neceſſariò coniungitur cum ſubiecto, & tunc materia propoſitionis *neceſſaria*, ſeu *naturalis* dicitur, veluti in hac propoſitione *homo eſt rationalis*. Aut prædicatum repugnat ſubiecto, veluti in hac propoſitione *homo eſt lapis* tunc materia *remota, repugnans*, & *impoſſibilis* ſolet appellari. Aut prædicatum contingenter conuenit ſubiecto, veluti in hac propoſitione *homo eſt albus*, & tunc materia propoſitionis *contingens* appellatur. Materia naturalis diuiditur in *eſſentialem*, veluti in hac propoſitione, *homo eſt animal*, in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, & in *purè naturalem*, veluti in hac propoſitione, *homo eſt riſibilis*, cuius prædicatum eſt extra ſubiecti eſſentiam. Item contingens diuidi poteſt in *naturalem*, veluti *homo eſt albus*, cuius prædicatum naturaliter accidit ſubiecto; & in *ſupernaturalem*, veluti *homo eſt charus Deo*, cuius prædicatum ſupernaturale eſt reſpectu ſubiecti. In materia neceſſaria propoſitio affirmatiua ſemper eſt vera, negatiua ſemper eſt falſa. In materia remota, propoſitio affirmatiua ſemper eſt falſa, & negatiua ſemper eſt vera. In materia contingenti tam propoſitioni affirmatiuæ, quàm negatiuæ aliquando veritas, aliquando falſitas contingit.

2 Forma propoſitionis Categoricæ eſt copula *eſt* ſecundùm ſe ſumpta, vel affecta negatione; ſecundùm ſe ſumitur cùm dicimus *Petrus eſt albus*, cùm verò dicimus *Petrus non eſt albus* copula *eſt* non ſecundùm ſe, ſed vt affecta negatione propoſitionem conſtituit, & illius eſt forma. Ex hoc inferes formam propoſitionis negatiuæ, & affirmatiuæ eſſentialiter eſſe diſtinctas, & propoſitiones ipſas inter ſe eſſentialiter differre. Ratio eſt facilis: forma huius propoſitionis *homo eſt animal*, & ſic de quacumque alia affirmatiua, eſt connexio, coniunctio, & vnio inter extrema, quapropter propoſitio affirmatiua vocatur ab Ariſtotele compoſitio; forma verò propoſitionis negatiuæ, verbi gratia *Petrus non eſt equus*, eſt ſeparatio, diſiunctio, & diuiſio extremorum. Ideo Ariſtoteles propoſitionem negatiuam diuiſionem vocabat. Sed ſeparatio, diſiunctio, & diuiſio differunt eſſentialiter à compoſitione, coniunctione, & vnione: ergo forma propoſitionis negatiuæ eſſentialiter differt à forma propoſitionis affirmatiuæ: ergo nõ eſt vtriuſque forma copula *eſt* eodem modo ſe habens, ſed in propoſitione affirmatiua, ſumpta ſecundùm ſe; & in negatiua, negatione affecta. Ex hoc inferes differentias propoſitiones affirmatiuæ, & negatiuæ eſſe eſſentiales reſpectu propoſitionum, quas faciunt eſſentialiter differre maléque ad qualitatem propoſitionis referri eſſe affirmatiuam, vel negatiuam, quod vt probatum eſt ad illius eſſentiam ſpectat. Propoſitio *affirmatiua* dicitur illa, cuius præcipua copula affirmat, & propoſitio *negatiua* dicitur illa, cuius præcipua copula negat. Vnde ſi negatio copulam non afficiat, propoſitio erit affirmatiua, veluti cùm dicitur *Petrus eſt non lapis*: Additur *cuius præcipua copula*, propter alias copulas minùs principales, de quarum affirmatione, aut negatione ratio habenda non eſt, ad cognoſcendam propoſitionem affirmatiuam, aut negatiuam, veluti cùm dicitur *Petrus, qui non loquitur ambulat*, quæ propoſitio eſt affirmatiua, etſi verbum, *loquitur* ſit negatum, quia hoc nõn in ſe continet præcipuam copulam, quæ in verbo *ambulat* continetur, quod affirmatur, & ideo propoſitio affirmatiua dicitur. Similiter cùm dicitur, *Petrus, qui loquitur, non ambulat*, propoſitio eſt negatiua, quia præcipua copula eſt negata, etſi alia minùs præcipua ſit affirmata. Formam propoſitionis hypotheticæ, qua formaliter conſtituitur in ratione propoſitionis, eſſe verbum *eſt* immediatè annectens extrema in propoſitione affirmatiua, in qua ſecundùm ſe ſumitur, aut illa diuidens in propoſitione negatiua, in qua negatione afficitur, oſtendam Punct. 4.

3 Qualitas propoſitionis, illius veritas, vel falſitas eſt dicenda, quam accidens eſſe propoſitionis aliquod illi extrinſecum importans oſtendam *Controuerſ. 7. de Anima*, quam totam inſtituam de veritate, & falſitate propoſitionis, vbi nonnulla circa hanc materiam latè tradam.

4 Quantitas propoſitionis eſt extenſio ſubiecti ad ſuum ſignificatum, vel ad ſua ſignificata. Hæc eſt quadruplex, quædam *vniuerſalis*, cuius nomen eſt commune affectum ſigno vniuerſali diſponenti diſtributiuè, veluti *omnis homo currit*, Alia *particularis* cuius nomen eſt ſigno particulari affectum, veluti, *aliquis homo currit*. Alia *indefinita*, cuius nomen eſt commune nullo ſigno affectum, veluti, *homo currit*. Alia *ſingularis* cuius nomen eſt ſingulare, vel commune ſigno demonſtratiuo affectum, veluti, *Petrus currit, hic homo currit*. Signa, quæ ex parte prædicati ſe tenent, non conſtituunt propoſitionem quantam, ideo hæc propoſitio *Petrus eſt omnis homo* ſingularis eſt, etſi ex parte prædicati ſigno vniuerſali afficiatur. Nomina obliqua ſe tenentia ex parte ſubiecti quando nullo ſigno afficiuntur quantitatem propoſitionis non conſtituunt, hæc enim propoſitio, *omnis equus Petri currit*, vniuerſalis eſt, etſi ex parte ſubiecti nomen ſingulare *Petrus* in obliquo ponatur Quod ſi hi caſus obliqui afficiantur ſigno vniuerſali affirmatiuo, tale ſignum diſtribuet ſignificatum caſus obliqui, & ad quantitatem propoſitionis non ſpectabit, veluti cùm dicimus *omnis hominis equus currit*, propoſitio erit particularis, & terminus *equus* ſub diſiunctione reſoluetur, eritque idem ac dicere: omnis hominis aliquis equus currit, hoc eſt, huius hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, &c. & huius hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, & ſic de aliis ſemper

cum

Digitized by Google

cum diſtributione caſus obliqui, & diſiunctione termini *equus*,qui eſt in recto,& ſubiectum propoſitionis dicitur. Eadem ratio erit, proportione ſeruata, ſi caſus obliquus afficiatur ſigno particulari affirmatiuo,veluti cùm dicitur, *alicuius hominis omnis equus currit*, tunc ſignum obliquum *alicuius* diſiunget caſum obliquum,quem afficit,& terminum *equus* intactum relinquet, qui ex vi ſigni *omnis*, quo afficitur,diſtributiuè ſupponet, totáque propoſitio ſic diſtribuetur; huius hominis hic equus currit, & hic equus currit, &c. vel huius hominis hic equus currit, & hic equus currit,&c.& tunc verificabitur propoſitio,cùm inueniatur vnus homo, cuius omnes equi ſint currentes.

5 De ſignis negatiuis afficientibus caſus obliquos non eadem eſt habenda ratio, vt plurimùm enim hæc ſigna vniuerſalia afficiunt præcipuum ſubiectum,licet aliquando poſſint illud non afficere;cùm enim ſignum negat poſſeſſionem ſignificati in obliquo reſpectu recti, quam arguebat caſus obliquus,tunc ſignum vniuerſale negatiuum tantùm afficit obliquum ſignificatum propoſitionis,quod immediatè afficit: cùm verò hanc poſſeſſionem non negat, non ſolùm diſtribuit obliquum ſignificatum, ſed etiam ſubiectum præcipuum propoſitionis ſignificatum in recto. Exempli gratia,hæc propoſitio. *Equus nullius hominis currit* poteſt habere hunc ſenſum, equus qui nullius eſt hominis,ſeu,equus non poſſeſſus ab homine,currit,& tunc ſignum *nullius* tantum afficiet terminum obliquum *hominis*,& præcipuum ſubiectum *equus* eodem modo relinquet,quapropter propoſitio erit ſingularis,& hac ratione reſoluenda. Hic equus, qui non eſt huius hominis,neque huius hominis,neque huius hominis currit;vel hic equus qui non eſt huius hominis, neque huius hominis,currit,& ſic de aliis,ſemper cum diſtributione termini *hominis*, & diſiunctione præcipui termini, ſubiectíque propoſitionis *equus*. Poteſt inſuper prædicta propoſitio hunc ſenſum efficere, nullus datur homo cuius omnes equi currant, & tunc terminus *nullus* totam propoſitionem afficit, & terminum *equus* qui ex vi ſigni *omnis* ſupponebat diſtributiuè,facit ſupponere diſiunctiuè, & propoſitio hoc modo diſtribuenda eſt:huius hominis vel hic equus non currit, & huius hominis vel hic equus non currit, vel hic equus non currit, &c. ſemper cum diſtributione termini *hominis*,& diſiunctione termini *equus*,dicere enim, nullus eſt homo, cuius omnis equus currat, idem eſt ac dicere,nullus eſt homo in his,qui equos poſſident, cui non ſit aliquis equus, qui non currat. Quod ſi prædictum ſignum obliquum inueniret terminum *equus* non diſtributum,ſeu ſupponentem diſiunctiuè, illum diſtribueret, quia ſignum negatiuum deſtruit,quod inuenit, & terminum ſupponentem diſtributiuè, facit diſiunctiuè ſupponere;& illum qui diſiunctiuè ſupponebat,facit ſupponere diſtributiuè: quare hæc propoſitio *nullius hominis aliquis equus currit*, hoc modo reſoluenda eſt neque huius hominis hic equus currit, neque hic equus currit, &c. Deinde neque huius hominis hic equus currit,neque hic equus currit,&c.diſtribuendo ſemper terminum *hominis*, & ſub quocumque ſingulari illius omnia ſingularia termini *equus*.

6 Sunt etiam alia ſigna mixta, quæ in ſe categorema aliquod includunt veluti *nunquam, ſemper, aliquando*. Ex his affirmatiua veluti *ſemper* & *aliquando* tantùm ſuum categorema, non verò quantitatem propoſitionis conſtituunt nec metiuntur, hæc enim propoſitio *ſemper homo currit* particularis eſt,etſi tempus ſignificatum hoc ſigno *ſemper* vniuerſaliter ſupponat, quia præcipuum ſubiectum propoſitionis ſupponit particulariter,& ita prædicta propoſitio reſoluenda erit, in hoc tempore hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & in hoc tempore hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & ſic de aliis. De hoc ſigno *aliquando* proportione ſeruatâ eodem modo iudicium ferendum eſt, tantùm enim diſiungit ſuum categorema pro quo particulariter ſupponit, & nullo modo afficit præcipuum ſubiectum in ordine ad propoſitionem quantificandam, quapropter hæc propoſitio, *aliquando omnis homo currit*, vniuerſalis eſt, etſi ſignum *aliquando* ſit particulare.

7 Aliter contingit in hoc ſigno vniuerſali negatiuo *nunquam*, quod non ſolùm ſuum categorema, ſed præcipuum ſubiectum propoſitionis afficit, quod diſtribuit, ſi non inuenit diſtributum, & diſiungit ſi inuenit diſtributum; refundit enim ſuam negationem ſupra ſubiectum præcipuum,& ſupra copulam propoſitionis, quæ negatio cùm malignantis ſit naturæ, totum quod poſt ſe inuenit deſtruit. Ideo propoſitio iſta *nunquam homo currit*,ſeu *nunquam aliquis homo currit*, hoc modo reſoluenda; neque in hoc tempore currit hic homo,neque hic homo,&c.Deinde neque in hoc tempore currit hic homo, neque hic homo,& ſic de aliis diſtribuendo ſemper terminum *nunquam*, & ſub quocumque ſingulari illius terminum *homo* ſecundùm omnia ſingularia quæ continet. Hæc autem propoſitio, *nunquam omnis homo currit*, ita eſt reſoluenda, neque in hoc tempore currit homo: & ſic de aliis non diſtribuendo terminum *homo* per propoſitiones negatiuas,ſed illum hoc modo diſiungendo:in hoc tempore vel hic homo non currit, vel hic homo non currit,& in hoc tempore vel hic homo non currit,vel hic homo non currit,& ſic de aliis ſemper cum diſtributione termini *tempus* & diſiunctione termini *homo*. Ex hac doctrina inferes hanc propoſitionem *nunquam aliquis homo currit* eſſe vniuerſalem, quia illius præcipuum ſubiectum *homo* diſtributiuè ſupponit, & propoſitionem iſtam *nunquam omnis homo currit* eſſe particularem, quia illius præcipuum ſubiectum *homo* diſiunctiuè reſoluitur.

In hac propoſitione *aliquis homo nunquam currit*; quæ 8
hunc poteſt efficere ſenſum, datur vnus determinatus homo qui nullo tempore currat,ſeu qui ſemper quieſcat, ſignum *nunquam* ſuum tantum afficit categorema,& præcipuum ſignum intactum relinquit, quapropter prædicta propoſitio particularis erit. Idem iudicium fero de hac propoſitione *omnis homo nunquam currit*,ſi illius ſenſus ſit de quocumque indiuiduo homine poſſe verificari nunquam currere, ſeu non poſſe verificari quod aliquando currat. Ratio propter quam ſignum *nunquam* in his propoſitionibus præcipuum ſubiectum non afficiat, eſt, quia non reddit propoſitiones negatiuas,quod præſtat in prioribus,quarum ſubiecta afficit,hæc enim propoſitio *aliquis homo nunquam currit*,hoc eſt,datur aliquis homo,qui nullo tempore currat, affirmatiua eſt, hæc autem negatiua *nunquam aliquis homo currit*,hoc eſt,non datur tempus aliquod in quo aliquis homo currat. Secundùm hanc doctrinam dicendum eſt hanc propoſitionem *aliquis homo nunquam currit*,in ſenſu explicato particularem eſſe,háncque eſſe vniuerſalem *omnis homo nunquam currit*, in eodem ſenſu deſumptam.

Hæc ſigna *vterque*, & *neuter* mixta dici ſolent,quia diſ- 9
iungunt binaria, & diſtribuunt vnitates,hæc enim propoſitio *vterque homo currit*,ita reſoluitur: ex his duobus iſte & iſte currit, vel ex his duobus iſte & iſte currit, & ſic de aliis ſemper cum diſiunctione binariorum,& diſtributione vnitatum.Eadem ratione reſoluitur hæc propoſitio *neuter homo currit*; horum duorum neque iſte neque iſte currit,vel horum duorum neque iſte,neque iſte currit,& ſic de illis cum diſiunctione binariorum, & diſtributione vnitatum.Signum *alter* oppoſito modo reſoluitur cum diſtributione binariorum,& diſiunctione vnitatum, exempli gratia,*alter homo currit*,horum duorum iſte vel iſte currit, & horum duorum iſte vel iſte currit, & ſic de aliis cum diſtributione binariorum, & diſiunctione vnitatum. Iuxta prædictam doctrinam propoſitiones iſtæ *neuter homo currit, vterque homo currit,alter homo currit*, mixtæ eſſent dicendæ, duæ priores vniuerſales reſpectu vnitatum, & particulares reſpectu binariorum, & poſterior vniuerſalis reſpectu binariorum, & particularis reſpectu vnitatum,vſu tamen receptum eſt,duas priores dici vniuerſales,& poſteriorem particularem appellari.

Coniunctio *&* propoſitionem vniuerſalem conſtituit, 10
quando coniungit extrema, de quorum quolibet poteſt prædicatum verificari,veluti cùm dicimus:*Petrus & Ioannes currunt*,tunc enim illa propoſitio in has duas reſoluitur,Petrus currit,&,Ioannes currit,in quibus diſtribuitur ſubiectum prioris. Quando verò coniungit extrema, de quibus tantùm ſimul ſumptis verificatur prædicatum, vnum adintegrat ſubiectum, quod non poteſt in inferiora diſtribui, & ita propoſitio vniuerſalis non eſt: ſic accidit cùm dicimus, *Petrus & Ioannes portant totum pondus*, tunc enim *Petrus, & Ioannes* vnum ſubiectum indiuiſibile, & reſolubile in alia ſubiecta reſpectu eiuſdem prædicati conſtituunt. Diſiunctio *vel*, ſemper propoſitionem particularem conſtituit, hæc enim propoſitio *Petrus vel Paulus currit*, æquiualet huic: *ex Petro & Paulo aliquis currit*.

Digitized by Google

11 Signa numeri pluralis veluti *omnes, nulli, aliqui*, diſtribuuntur, vel diſiunguntur per binarios, quorum vnitates copulatim ſumuntur, quapropter hæ propoſitiones vnam tantùm propoſitionem habent. Exempli gratia, hæc propoſitio, *nulli homines currunt*, reſoluenda eſt; neque hi homines currunt, neque hi homines currunt, &c. non tamen iterum poteſt fieri reſolutio; hi homines non currunt: ergo hic homo non currit, & hic homo non currit, aliàs non diſtinguerentur ex modo ſignificandi hæ propoſitiones *nullus homo currit, & nulli homines currunt*. Hæc ita dicenda ſunt vt propoſitiones contradictoriè oppoſitæ numeri pluralis, rectè & commodè poſſint aſſignari, & ſtrictè loquendo vera ſunt, in communi tamen modo loquendi in his propoſitionibus ad vltimam vſque vnitatem fit reſolutio.

12 Hæc omnia quæ de quantitate propoſitionis, & ſignis illam conſtituentibus fusè dixi, apprimè debet obſeruare recens Dialecticus, ne illi duplex propoſitio contradictoria, vtraque vera, aut vtraque falſa appareat, quæ ſi percalleat dexterè, poterit cuicumque propoſitioni ſuum contradictorium aſſignare: aliter in duplex contradictorium vtrumque verum, vel vtrumq; falſum paſſim incidet.

PVNCTVM IV.

Diuiditur propoſitio in Categoricam & Hypotheticam, & vtriuſque eſſentia explicatur.

1 CElebris eſt diuiſio propoſitionis in Categoricam, & Hypotheticam, quæ vulgò ſic definiri ſolent. Propoſitio Categorica eſt, *quæ conſtat ſubiecto & prædicato tanquam partibus proximis*. Propoſitio Hypothetica dicitur, *quæ conſtat ſubiecto & prædicato tanquam partibus remotis*. Non acquieſco, quia hæc propoſitio, quæ in omnium opinione hypothetica eſt, *ſi Sol luceret, dies eſſet*, non conſtat ſubiecto, & prædicato tanquam partibus remotis, hoc enim eſt conſtare immediatè partibus, quarum quælibet, vel aliqua illarum conſtet ſubiecto & prædicato, quod in hac propoſitione non contingit, in qua nullam partem poteris aſſignare, quæ ſubiectum, aut prædicatum includar, ſiue enim aſſumas partem hanc *ſi Sol luceret*, ſiue alteram eligas *dies eſſet*, vtramque ſubiecto & prædicato carentem inuenies.

2 Huic argumento poſſet ſolutio adhiberi iuxta definitionem aliam propoſitionis hypotheticæ, quam nonnulli adducunt, videlicet: *Propoſitio hypothetica eſt, quæ conſtat duabus categoricis, vel earum locum habentibus*. Exemplum propoſitionis hypotheticæ conſtantis duabus categoricis eſto hæc hypothetica, *Petrus legit, & Ioannes audit*; exemplum autem hypotheticæ conſtantis extremis habentibus locum duarum categoricarum miniſtrat hæc propoſitio, *ſi Sol luceret, dies eſſet*. Contra priorem definitionem oſtendam poſtea omnem propoſitionem conſtare ſubiecto, & prædicato tanquam partibus proximis; & contra poſteriorem probo complexum illud *Petrus legit, & Ioannes audit*, non eſſe ſimplicem propoſitionem hypotheticam, ſed duplicem categoricam continere cum ipſarum diſtinctione. Modò tamen rogo cur fingat hæc opinio in hac propoſitione, *ſi Sol luceret, dies eſſet*, extremum iſtud *ſi Sol luceret*, obtinere locum vnius categoricæ, & extremum alterum *dies eſſet* aliùs categoricæ vices gerere. Dices quia ſuſtituuntur loco duarum categoricarum, quæ debebant ineſſe propoſitioni hypotheticæ. Contra huic propoſitioni, *ſi Sol luceret, dies eſſet*, implicant duæ categoricæ ineſſe, quia per ſe ipſam conſtat extremis quibus de facto componitur, & alia quæcumque illi repugnant. Secundò gratis ſupponitur omnem hypotheticam debere conſtare duabus categoricis. Tertio ex ſuppoſitione quod debeat conſtare omnis propoſitio hypothetica duabus categoricis, vnde inferes extrema huius propoſitionis *ſi Sol luceret, dies eſſet*, poni loco duarum propoſitionum categoricarum? ego enim aſſeram poni loco duarum definitionum, vel duarum demonſtrationum, quibus fingam hypotheticam debere conſtare. Hæc omnia frigidè dicuntur, & ſine ardore ſunt impugnanda. Mitto etiam Auctores definientes propoſitionem hypotheticam per duas categoricas, quibus conſtare affirmant, non explicare, quid ſit propoſitio categorica, quæ ſi priùs non cognoſcatur, cognoſci non poterit, quæ propoſitio conſtet duabus categoricis, & hypothetica ſit.

3 Propiùs ad rem acceſſit Hurtadus diſp. 3. ſect. 3. qui aſſerit propoſitionem categoricam eſſe propoſitionem abſolutam & ſe ſola ſignificatiuam; Propoſitionem verò hypotheticam expreſsè non definit, ſed hæc ſubiicit: *Exemplum autem propoſitionis aliunde pendentis ſit: ſi Petrus venerit loquetur, ſubiectum cum prædicato nectitur non abſolutè, ſed cum dependentia*. Ex quibus ad mentem huius Auctoris hanc infero definitionem: Propoſitio pendens aliunde, vel, vt ipſe explicat, cuius ſubiectum cum prædicato nectitur *non abſolutè, ſed cum dependentia ab alio*. Hæc ſi rectè explicentur, exiſtimo vera eſſe; nihilominus vt iacent, rem non declarant, non enim Hurtadus definit, an propoſitio conſtet ſubiecto & prædicato tanquam partibus proximis aut tanquam partibus remotis, neque hæc extrema aſſignat in propoſitionibus conditionalibus, quæ potiſſimè hypotheticæ ſunt. Deinde hoc quod eſt propoſitionem eſſe ſe ſola ſignificatiuam, quod proprium eſſe ait propoſitionis categoricæ, commune eſt omni propoſitioni, hæc enim propoſitio hypothetica, *ſi Sol luceret, dies eſſet*, ſe ſolâ eſt ſignificatiua, ſi integra & ſecundùm ſe totam ſumatur.

4 Sentio omnem propoſitionem ſiue categoricam, ſiue hypotheticam conſtare æquè primariò & per ſe ſubiecto & prædicato tanquam partibus proximis. Probo facilè: Omnis propoſitio eſt enunciatio vnius de alio; ergo in omni propoſitione datur vnum de quo enunciatur, quod eſt ſubiectum; & aliud, quod enunciatur, quod eſt prædicatum; ergo omnis propoſitio conſtat ſubiecto & prædicato. Deinde hæc extrema, ſeu hoc ſubiectum, & hoc prædicatum immediatè annectuntur copulâ *eſt*: ergo immediatè componunt propoſitionem. Secundò omnis propoſitio eſt iudicium, quod eſſentialiter eſt cognitio, quâ cognoſcitur conuenientia duorum extremorum; ergo omne iudicium ſeu omnis propoſitio dicit vnum extremum cui aliud conuenit, & aliud, quod conuenit, quorum hoc prædicatum; illudque, ſubiectum nuncupantur. Neque iuuat dicere hypotheticam habere ſubiectum, & prædicatum remotum; quia iudicium immediatè enunciat vnum de alio; & immediatè fertur in conuenientiam extremorum; ergo immediatè reſpicit illud, quod enunciat, videlicet prædicatum, & illud de quo enunciatur ſcilicet ſubiectum; ergo dicit ſubiectum & prædicatum tanquam extrema immediatè affecta copulâ *eſt*: ergo tanquam partes immediatè componentes propoſitionem. Inſuper impugnaui iam hunc dicendi modum, dum refelli definitionem propoſitionis categoricæ, quæ conſtat ſubiecto & prædicato tanquam partibus proximis.

5 Aſſero inſuper formam, qui propoſitio hypothetica conſtituitur formaliter propoſitio, ſeu in ratione propoſitionis, eſſe copulam *eſt* non alias particulas, *quia, ſi, ergo, & vel*, quæ vulgò aſſignantur. Dixi, *quâ propoſitio hypothetica conſtituitur in ratione propoſitionis*, quia diſtinguenda eſt forma, quâ propoſitio hypothetica conſtituitur, formaliter propoſitio, à forma, quâ hypothetica conſtituitur, ſicut in propoſitione categorica vniuerſali diſtinguitur forma, quâ conſtituitur in ratione propoſitionis, à forma quâ vniuerſalis conſtituitur; hæc enim in hac propoſitione *omnis homo eſt animal*, eſt ſignum *omnis*; illa verò copula *eſt*. Concluſionem ſic explicatam probo. Propoſitio hypothetica dicit formaliter enunciationem vnius de alio, & conuenientiam vnius de alio. Sed enunciatio, & conuenientia tantùm ſignificatur per copulam *eſt*: ergo tantum copula *eſt* ſignificat formam propoſitionis. Maior conſtat ex ſæpe dictis; Minor ex terminis conſtat, quia particulæ *quia, ſi, ergo, & vel* non ſignificant conuenientiam cum prædicato.

6 Forma, quâ propoſitio hypothetica conſtituitur in ratione hypotheticæ tantùm eſt particula *ſi*. Hanc particulam conſtituere propoſitionem conditionalem hypotheticam formaliter facilè euinco. Propoſitio hypothetica conſtituitur formaliter talis, per id, ex vi cuius differt à categorica. Sed propoſitio conditionalis, quæ eſt hypothetica in omnium ſententia, tantùm differt à categorica per particulam *ſi*: ergo per hanc conſtituitur formaliter hypothetica. De reliquis particulis *quia, ergo, & vel* conſtabit ex his quæ iam ſubiicio, quibus probo propoſitionem cauſalem, rationalem, coniunctiuam, & diſiunctiuam,

Digitized by Google

ctiuam, rationem hypotheticæ non habere.

7 His permiſſis propoſitionem hypotheticam ſic definio: *Propoſitio hypothetica eſt illa, cuius prædicatum reſtringitur per additum, ſignificando tantùm dependentiam, & non in eſſe.* Hæc definitio rectè explicat naturam propoſitionis conditionatæ, quia in hac propoſitione, *ſi Sol lucet dies eſt*, exiſtentia diei non vtcumque prædicatur, ſed cum dependentia à Sole, neque abſolute dicitur lucem exiſtere dependenter à Sole, ſicuti prædicatur in hac propoſitione *lux eſt producta à Sole*, ſed tantùm enunciatur ex ſuppoſitione appoſitæ conditionis *ſi Sol lucet*. Inſuper definitionem eſſe exactam ſic probo. Propoſitio hypothetica eſt propoſitio, in qua fit enunciatio ex hypotheſi, ſeu ex ſuppoſitione; ergo in illa non debet enunciari prædicatum abſolute, ſed cum addito, ex vi cuius ſignificetur dependentia, ſeu connexio ab illo addito, quæ nihil dicit in eſſe abſoluto, ſeu nihil ponit in eſſe, quia ex hoc modo ſignificandi, qui ſtricte reperitur in hac propoſitione *ſi Sol luceret dies eſſet*, neque in eſſe ponitur exiſtentia Solis, neque exiſtentia lucis aut diei, nullo enim illorum exiſtente prædicta propoſitio ſuam retinet veritatem. Ex his inferes in hac propoſitione *ſi Sol lucet, dies eſt*, prædicatum affici conditione quod eſt *exiſtens*, *ſi Sol lucet*: illa enim propoſitio *ſi Sol lucet, dies eſt*, formaliter reddit hunc ſenſum: *Sol eſt exiſtens, ſi Sol lucet*, vbi additum illud *ſi Sol lucet* prædicato appoſitum facit propoſitionem nihil ponere in eſſe, ſed tantùm ſignificare connexionem, ſeu dependentiam inter ſubiectum, & prædicatum.

8 Ex hac definitione inferes malè aſſignari propoſitioné cauſalem inter hypotheticas, quia in illa exiſtentia prædicati abſolutè enunciatur, veluti cùm dicitur, *quia Sol lucet, dies eſt*, quæ propoſitio Sole non exiſtente vera non erit, quia ex vi illius abſolutè prædicatur exiſtentia diei, ſicuti prædicatur in iſta, *Dies eſt exiſtens productus à Sole lucente*. Potiori ratione inter hypotheticas annumerandæ non ſunt propoſitiones coniunctiuæ, diſiunctiuæ, & rationales, in quibus omnibus exiſtentia prædicati abſolutè enunciatur, & illam importat ſecundùm exiſtentiam copula *eſt* in propoſitione appoſita. Deinde propoſitio coniunctiua, *Petrus currit, & Ioanes ambulat*, non eſt ſimplex propoſitio, ſed duplex categorica: ergo non eſt hypothetica. Probo Antecedens: audita hac propoſitione poſſum concedere priorem partem, & negare poſteriorem, quia verum eſt Petrum currere, & falſum Ioannem ambulare; ergo hæ propoſitiones habent diſtinctam veritatem, & falſitatem; ergo non efficiunt ſimplicem propoſitionem, quia ſimplex propoſitio ſimplici veritate gaudet. Quod ſi velis ex duplici veritate vnam cõfici, ſicuti ex duplici propoſitione vna propoſitio componitur, adhuc argumento non ſatisfacis, quia etiamſi ex duplici veritate tertia alia poſſet componi ex veritate & falſitate, nulla poſſet aſſurgere compoſitio: cùm ergo in hac propoſitione coniunctiua *Petrus currit, & Ioannes ambulat*, prior pars poſſit eſſe vera, & poſterior poſſit eſſe falſa, non poteſt ex falſitate prioris partis, & veritate poſterioris confici tertia aliqua veritas, aut falſitas, quæ indiuiſibiliter propoſitionem afficiat, ſed falſitas partem vnam, & veritas partem aliam afficiet. Propoſitio diſiunctiua, v.g. *Petrus currit, vel Ioannes ambulat*, hypothetica non eſt dicenda, quia importat abſolutam exiſtentiam prædicati, etſi non determinatiuè, ſed ſub diſiunctione, ſicuti hæc propoſitio particularis *aliquis homo currit*, quæ non magis hunc hominem currentem quàm illum ex ſe importat. Hæc tamen diſiunctiua propoſitio ſimplex eſt, & non multiplex, quia ſimplici veritate gaudet, cùm enim dicitur *Petrus currit, vel Ioannes ambulat*, non licet reſpondere, *Petrus currit*, concedo hanc partem; *Ioannes ambulat* nego hanc partem, etſi de facto Petrus currat, & Ioannes non ambulet.

9 Rationalis propoſitio, v.g. *Petrus currit, ergo mouetur*, quam Summuliſtæ inter hypotheticas recenſent, neque eſt hypothetica, quia abſolutè prædicati exiſtentiam importat; neque ſimplex, ſed multiplex, quod probatur eadem ratione, quà nuper idem probabam de propoſitione coniunctiua: quia illi ineſt duplex veritas, aut falſitas, auditis enim his vocibus, *Petrus currit, ergo mouetur*, reſpondemus *Petrus currit*, concedo Antecedens: *ergo mouetur*, concedo conſequentiam, & ſæpe conceſſo antecedenti, ſeu priori propoſitione, poſteriorem aliam, conſequentiam videlicet negamus, cùm conſequens non eſt legitime illatum.

Ex his deducitur hypotheticam differre à categorica ratione additi *ſi* afficientis illius prædicatum, ex vi cuius copula *eſt*, quæ abſolutam exiſtentiam ex ſe importat, illam tantùm dicit conditionatam, ac proinde, etſi forma propoſitionis categoricæ, & hypotheticæ ſit copula *eſt*, hæ propoſitiones inter ſe differunt eſſentialiter, quia copula *eſt* in hypothetica ratione additi tenentis ſe ex parte prædicati contrahitur ad ſignificandam exiſtentiam conditionatam prædicati, quam abſolutam ex ſe nullo appoſito addito in categorica propoſitione ſignificat. 10

Obiicies contra definitionem propoſitionis hypotheticæ ſuprà traditam: Hæc eſt propoſitio hypothetica, *ſi Petrus eſt homo, eſt animal rationale*, & tamen prædicatum non reſtringitur per additum aliquod extrinſecum, quia Petrum eſſe hominem, quod eſt additum tenens ſe ex parte prædicati ab hoc formaliter non diſtinguitur, & nihil poteſt eſſe additum reſpectu ſui ipſius. Reſpondeo hinc eſt alias ſimiles propoſitiones non eſſe conditionales, vt tradunt communiter Theologi in materia de ſcientia Dei, ac proinde non eſſe propriè hypotheticas, eàdem enim ratione, & non aliâ, quâ propoſitio conditionalis dicitur, dicenda eſt hypothetica. Quia tamen huiuſmodi propoſitiones inſtar conditionatarum ſignificantur, & in illis vtimur conceptu hominis vt diſtincto à conceptu animalis rationalis, ideo veluti hypotheticæ ſignificantur, eodemque prædicato vtimur, ac ſi ſibimet ipſi adderetur. 11

Obiicies vltimò, ſequi ex eo, quod conditiones ſint affectiones prædicatorum, has duas propoſitiones contradictorias *Petrus dormiet, ſi ego legero: Petrus non dormiet, ſi ego legero*, dari ſimul falſas. Sequela probatur. In primis prior propoſitio falſa eſt, quia falſum eſt dicere ex mea lectione ſequi dormitionem Petri, quod enunciat prædicta propoſitio. Poſterior ſimiliter eſt falſa, quia ex vi illius enunciatur non dormitionem Petri ſequi ex mea lectione, ſicuti ex vi prioris enunciatur ſequi dormitionem; quod ſimiliter eſt falſum, quia ex mea lectione, neque ſequitur dormitio Petri, neque negatio dormitionis Petri. Reſpondeo in omni opinione prædictas propoſitiones eſſe contradictorias, quia in omnium opinione ſunt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem, ac proinde omnes teneri prædicto argumento ſatisfacere. Pro omnibus tamen reſpondeo hanc propoſitionem *Petrus non dormiet, ſi ego legero*, quando eſt contradictorium huius propoſitionis *Petrus dormiet, ſi ego legero*, non facere hunc ſenſum, erit negatio ſomni Petri, ſi ego legero, ſed hunc reddere, ex mea lectione non inferenda eſt dormitio Petri; in quo ſenſu non poteſt eſſe ſimul falſa cum ſua contradictoria, in qua affirmatur dormitionem Petri inferendam eſſe ex mea lectione, caſu quo hæc exiſtat, & implicat mea lectione exiſtenti inferri, & non inferri ex illa Petri dormitionem. 12

Ratio æquiuocationis eſt; quia quando hæc propoſitio *Petrus non dormiet, ſi ego legero*, eſt contradictorium huius, *Petrus dormiet ſi legero*, neceſſum eſt negationé cadere non ſolùm ſupra copulam, ſeu ſupra particulam *ſi legero*, quia debet negare prædicatum vtcumque, ſed quatenus habet additum *ſi legero*, quod ſe tenet ex parte prædicati. Fateor clariùs & ſine æquiuocatione aliqua aſſignari pro contradictoria huius propoſitionis *Petrus dormiet ſi legero*, propoſitionem hanc *Non ſi legero Petrus dormiet*. Verumtamen nequit negari has eſſe contradictorias *Petrus dormiet ſi legero: Petrus non dormiet ſi legero*, licet poſterior iſta in ſenſu à me aſſignato ſit explicanda, & alium habeat, qui in obiectione adducitur, in quo prioris propoſitionis contradictoria non eſt. 13

Punctum V.

De Oppoſitione propoſitionum.

Arriaga *diſp. 2. ſect. 4.* Hurtadum impugnat, qui ſic Oppoſitionem definiuit: *Oppoſitio eſt repugnantia duarum propoſitionum circa veritatem, vel falſitatem*, quia hæc definitio ſolùm eſt deſcriptiua per ordinem ad veritatem, vel falſitatem, quæ eſt qualitas propoſitionis, aitque meliùs oppoſitionem ſic eſſe definiendam: *Repugnantia duarum propoſitionum in affirmatione, vel negatione.* Etſi poſterior hæc definitio detur per affirmationem, & negationem, 1

Digitized by Google

quæ ſunt differentiæ eſſentiales propoſitionum; prior illa in ordine ad veritatem vel falſitatem, quæ ſunt veluti paſſiones ſeu accidentia inſeparabilia propoſitionum, ex hoc capite neutra reiicienda eſt, licet enim deſcriptiuè per paſſionem, vel accidentia, aut eſſentialiter per differentiam eſſentialem quodlibet obiectum definire. Diſplicet mihi in definitione Arriagæ diſiunctio *vel* inter affirmationem, & negationem, quia non ſecundùm vnam vel alteram, ſed ſecundùm vtramque, repugnantiam habent omnes propoſitiones, in quibus ipſe oppoſitionem agnoſcit; cùm vna affirmatiua, & altera negatiua neceſſariò eſſe debeant. Diſplicet etiam vtraque definitio, quia neutra amplectitur oppoſitionē, quæ eſt inter ſubalternantem, & ſubalternatam, quarum vtraque neceſſariò affirmatiua, vel vtraque negatiua eſſe debent, & vtraque ſimul vera, aut ſimul falſa eſſe poteſt, vt poſtea explicabo. In his autem oppoſitionem reperiri conſtat ex communi Summuliſtarum conſenſu, qui nomine Oppoſitionis ſubalternationem comprehendit, id autem nos debemus definire, quod apud communem modum loquendi oppoſitio dicitur.

2 Melius oppoſitionem definiuit Toletus his verbis: *Oppoſitio eſt duarum propoſitionum vtroque extremo eodem ordine participantium ſecundùm qualitatem, vel quantitatem repugnantia.* Adderem ego maioris claritatis gratiâ *vtroque extremo, eiſdem circunſtantiis, & affectionibus ſignificato, eodem ordine*, &c. Nomine qualitatis iuxta vulgarem loquendi modum affirmatio, & negatio hic intelliguntur. Definitionem hanc omnibus oppoſitionibus conuenire conſtabit, cùm per ſingulas illius ſpecies diſcurremus, quod iam præſto.

3 Oppoſitio quadruplex eſt, *contradictoria, contraria, ſubcontraria, & ſubalterna.* Oppoſitio *contradictoria* eſt omnium maxima, quam definiuit Toletus, *repugnantia duarum propoſitionum ſecundùm qualitatem, & quantitatem.* Non omnino placet hæc definitio, quia in his propoſitionibus, *Petrus currit*, & *Petrus non currit*, eſt oppoſitio contradictoria, & tamen non oppoſitio ſecundùm quantitatem. Reſtringenda ergo eſt oppoſitio ſecundùm quantitatem in definitione ſignificata ad propoſitiones, quæ termino communi gaudent, & ita definitio conficienda. *Oppoſitio contradictoria eſt repugnantia duarum propoſitionum* (ſubintellige ſemper, vtroque extremo, eiſdem circunſtantiis, & affectionibus ſignificato, eodem ordine participantium) *ſecundùm qualitatem, & ſecundum quantitatem in his propoſitionibus, quarum terminus eſt communis.* Huius oppoſitionis in his propoſitionibus exemplum accipe: *Omnis homo currit: Aliquis homo non currit.* Oppoſitio *Contraria* eſt duarum propoſitionum vniuerſalium ſecundum qualitatem repugnantia: exemplum ſit in his propoſitionibus, *Omnis homo currit, Nullus homo currit.* Oppoſitio *Subcontraria* eſt duarum propoſitionum particularium ſecundùm qualitatem repugnantia, vt *aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus.* Huiuſmodi propoſitiones Subcontrariæ dicuntur, quia ſunt ſub propoſitionibus vniuerſalibus contrariis, *omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal*, ſicuti inferius eſt ſub ſuperiore; & particulare ſub vniuerſali. In omnibus definitionibus nomine qualitatis affirmatio, & negatio debent intelligi, quæ verò oppoſitio ſecundùm veritatem, & falſitatem in illis, reperiatur, conſtabit ex infrà dicendis. Oppoſitio *Subalterna* eſt duarum propoſitionum in ſola quantitate repugnantia, veluti *omnis homo eſt albus, aliquis homo eſt albus.*

4 Nomine qualitatis in prædictis definitionibus affirmationem, & negationem vt dictum eſt, intelligimus, explicanda eſt modò quæ repugnantia in his propoſitionibus oppoſitis ſecundùm veritatem, & falſitatem reperiatur. Propoſitiones contradictoriæ oppoſitæ in quacumque materia ſecundùm veritatem, & falſitatem repugnantiam habent, ita vt eo ipſo quòd vna ſit vera, altera neceſſariò falſa eſſe debeat, & nunquam vtraque vera, aut vtraque falſa reperiantur; eſt enim oppoſitio contradictoria omnium maxima, in qua vna propoſitio dicit non eſſe id, quod altera eſſe affirmat, cùm idem non poſſit ſimul eſſe & non eſſe, ſed neceſſariò ſit aut non ſit: quando eſt propoſitio affirmans eſt vera, & altera negans eſt falſa; & quando non eſt, negatiua propoſitio veritatem, & affirmatiua falſitatem habet. Propoſitiones contrariæ in materia naturali, & remota ſecundùm veritatem, & falſitatem opponuntur, vt patet in his propoſitionibus, *Omnis homo eſt animal, Nullus homo eſt animal: Omnis homo eſt equus Nullus homo eſt equus.* Ratio eſt, quia in materia neceſſaria prædicatum neceſſariò conuenit omnibus indiuiduis, & ita propoſitio affirmatiua vniuerſalis neceſſariam habet veritatem & eo ipſo quòd neceſſariò prædicatum omnibus conueniat, repugnat alicui non conuenire, & ita neceſſariò falſum eſt dicere nulli conuenire; quod propoſitione contrariâ negatiuâ enunciatur. Inuerſo ordine idem contingit in materia remota, quia in hac prædicatum cuicumque indiuiduo repugnat, ideo verè de omni indiuiduo negatur, & falsò de quocumque illorum, & de omnibus ſimul affirmatiuè dicitur. In materia contingenti vtraque propoſitio poteſt eſſe falſa, quia cùm prædicatum ſit contingens, poteſt his & non aliis indiuiduis conuenire, & eo ipſo quod his conueniat, propoſitio vniuerſalis negatiua, verbi gratia, *nullus homo eſt albus*, falſitatem habet; & eo ipſo quod non conueniat aliis, vniuerſalis negatiua *omnis homo eſt albus*, falſa eſt. Non poteſt autem adhuc in materia contingenti vtraque propoſitio contraria veritatem habere, quia ex duplici contraria vera, verbi gratia, *omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus*, duplex infertur contradictoria ſimul vera, quod haud difficilè oſtenditur. Eo ipſo quod hæc propoſitio ſit vera, *omnis homo eſt albus*, hæc particularis ſub illa contenta, *aliquis homo eſt albus*, eſt vera: ergo eo ipſo quod vera ſit duplex hæc propoſitio: *Omnis homo eſt albus, Nullus homo eſt albus*, vera erit hæc propoſitio *aliquis homo eſt albus*, cuius veritatem infero ex affirmatiua vniuerſali: ergo ſimul erunt veræ hæ propoſitiones, *Aliquis homo eſt albus*, & *Nullus homo eſt albus*, quæ ſunt contradictoriæ. Idem continget ſi ex hac propoſitione, *Nullus homo eſt albus*, hanc inferas, *Aliquis homo non eſt albus*, quæ ſimul cum ſua contradictoria veritatem habebit.

Propoſitiones ſubcontrariæ in materia neceſſaria, & impoſſibili ſecundùm veritatem & falſitatem repugnant, & neceſſariò vna debet eſſe vera & altera falſa, quæ repugnantia ex eodem capite in his, ac in contrariis procedit. In materia contingenti vtraque poteſt eſſe vera, quia ex pluribus hominibus exiſtentibus poteſt hic habere albedinem, & ille albedine carere, & eo ipſo quod hic albedinem habent hæc propoſitio *aliquis homo eſt albus*, eſt vera, & eo ipſo quod ille albedine careat, propoſitio hæc *aliquis homo non eſt albus* eſt vera, & ita poteſt ſimul vtraque propoſitio veritatem habere. Nunquam tamen poteſt vtraque propoſitio ſubcontraria eſſe falſa, aliàs daretur duplex contradictoria ſimul falſa, quia eo ipſo quod hæc propoſitio *aliquis homo eſt albus* ſit falſa, hæc ſimiliter erit falſa *omnis homo eſt albus*: ergò ſi alias falſa ſit altera ſubcontraria prioris propoſitionis particularis videlicet *aliquis homo non eſt albus*, hæ propoſitiones *Omnis homo eſt albus*, & *Aliquis homo non eſt albus*, quæ ſunt contradictoriæ erunt ſimul falſæ. 5

Propoſitiones ſubalternæ in materia neceſſaria, & remota ſimul veræ, aut ſimul neceſſariò eſſe debent, quia in his materiis eadem eſt neceſſitas, aut repugnantia ſubiecti vniuerſalis, & particularis reſpectu prædicati. In materia contingenti poteſt vniuerſalis eſſe falſa, & particularis eſſe vera, quia poteſt alicui indiuiduo prædicatum conuenire, aut non conuenire, & non omnibus. Si verò particularis falſa ſit, vniuerſalis neceſſariò falſitatem habebit, quia id non poteſt de vno aut altero dici, aut negari, multò minùs de eodem & de aliis ſimul cum ipſo poterit affirmari, aut negari. 6

Nonnulli non pauca præcepta tradunt circa oppoſitionem propoſitionum oppoſitarum, quæ omnia propriis definitionibus continentur. In primis enim propoſitiones oppoſitæ debent habere idem ſubiectum, & idem prædicatum, ob quam rationem hæ propoſitiones, *Petrus eſt albus; Petrus non eſt doctus*, oppoſitionem non habent, quod in definitione oppoſitarum explicatur per illam particulam *vtroque extremo*, &c. Deinde debent intelligi pro eodem tempore, & loco, & prædicatum eodem adiectiuo eiſdemque aduerbiis, reſtrictione, ampliatione, & appellatione terminos affici; ob quam rationem hæ propoſitiones contradictoriæ non ſunt, *Petrus currit, Petrus non currit*, quia non important idem tempus; *Petrus currit Matriti, Petrus non currit Toleti*, quia non ſignificant eundem locum; *Petrus eſt homo, Petrus non eſt homo albus*, quia adiectiuum non eſt commune prædicato vtriuſ- 7

que

que, *Petrus currit, Petrus non currit velociter*, quia aduerbium poſitum in propoſitione negatiua, in affirmatiua non reperitur; *Petrus magnus eſt Logicus, Petrus non eſt Logicus magnus*, quia non ſeruatur eadem appellatio: *Omne pallium Petri eſt nigrum, Aliquod pallium non eſt nigrum*, quia reſtrictio vniuerſalis affirmatiuæ, in particulari negatiua non reperitur, & ſic de aliis, quæ omnia in definitione oppoſitarum ſignificantur illis particulis, *eiſdem circunſtantiis, & affectionibus ſignificatis.*

8 Oportet etiã aduertere in propoſitionibus, quibus aduerbiũ ineſt, debere cadere negationẽ ſupra ipſum aduerbium, veluti cùm dicimus, *Petrus eſſentialiter eſt albus* contradictoria propoſitio debet eſſe *Petrus non eſſentialiter eſt albus*, ſi enim hæc redderetur, *Petrus eſſentialiter non eſt albus*, vtraque eſſet falſa, quia prior hunc faceret ſenſum, de eſſentia Petri eſt habere albedinem, quod eſt falſum; & poſterior hunc redderet; de eſſentia Petri eſt non habere albedinem, quod ſimiliter eſt falſum, quia neque albedo neque negatio albedinis ſunt de illius eſſentia, ſed illarum quælibet poteſt accidentaliter Petro contingere.

9 In propoſitionibus quarum ſubiectum non eſt commune multis inferioribus, facilè poteſt negatione propoſitã contradictoria aſſignari, veluti, *Petrus currit, Petrus non currit*, ſeu *Non Petrus currit*, ſumpta particulâ *non* pro negatione non infinitante, ſed negante. *Omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim: Omnes Apoſtoli Dei non ſunt duodecim*, ſubiectum enim propoſitionis ſupponit collectiuè, & ſingulos Apoſtolos continet tanquam partes illud integrantes, & non tanquam inferiores ſub illo contentos. Eodem modo in propoſitionibus cauſalibus, & conditionalibus aſſignanda eſt propoſitio contradictoria, *Si homo currit mouetur: Non ſi homo currit mouetur. Quia homo currit mouetur: Non quia homo currit mouetur*, Id enim quod conditionalis affirmat non eſt prædicatum abſolutè exiſtere, ſed eſt connexio aut dependentia, quæ eſſet inter exiſtentiam prædicati & conditionem, caſu quo hæc poneretur, & in cauſali non vtcumque affirmatur exiſtentia prædicati, ſed quaſi virtualiter ſupponitur, & affirmatur cauſam illius exiſtentiæ illud eſſe, quod particulâ *quia* afficitur, & ob hanc rationem doctè dicit Toletus propoſitiones has quantitatem non habere, hoc eſt, vniuerſales non eſſe.

PVNCTVM VI.

Nonnullæ propoſitiones contradictoriæ ex difficilioribus aſſignantur, vt doctrina tradita circa illarum oppoſitionem magis innoteſcat.

1 PAucis hic ad praxim reducam omnia, quæ tradidi Punct. 3. de quantitate propoſitionum, & de ſignis illã illam indicantibus; ſimulque ex difficilioribus propoſitionibus ſe opponentibus contradictoriè pro recentium Summuliſtarum ſolatio nonnullas explicabo.

2 Hinc propoſitioni *equus requiritur ad equitandum*, contradictoriè oppoſita reſpondet, *equus non requiritur ad equitandum*, ex his prior eſt vera, & poſterior eſt falſa, & vtriuſque ſubiectum diſiungendum eſt ſub eodem prædicato in eadem propoſitione, quia illius ſuppoſitio neque eſt diſtributiua, neque determinata, ſed confuſa, ab his diſtincta, iuxta ſuprà dicta. Si verò inquiratur de contradictoria huius propoſitionis *Nullus equus requiritur ad equitandum*, hæc erit reddenda: *Aliquis equus requiritur ad equitandum*, quarum affirmatiua particularis eſt falſa, & vniuerſalis negatiua vera, quia etſi verum ſit non poſſe equitari ſine equo, & equum requiri ad equitandum, falſum eſt dicere aliquem determinatè requiri; verè enim dicimus *hic equus non requiritur, & hic equus non requiritur*, & in cæteris ſimili modo, ex quibus legitimè infertur *ergo nullus equus requiritur*, ex vi cuius propoſitionis non negatur requiri equum, quod eſſet falſum, ſed requiri aliquem determinatè, quod eſt verum; & conſequenter falſum aliquem requiri; quia per hanc particularem propoſitionem non ſolùm dicitur equum requiri, ſed requiri equum determinatum, ita vt poſſit aſſignari vnus equus determinatus, reſpectu cuius verificetur illa propoſitio; ſicuti poteſt aſſignari vnus homo albus diſtinctus à reliquis, reſpectu cuius verificetur hæc propoſitio, *aliquis homo eſt albus.*

Propoſitio hæc, *cuiuſlibet hominis aliquis equus currit*, cum hac contradictoriè opponitur, *alicuius hominis nullus equus currit.* Si verò inquiras contradictoriam huius, *Nullius hominis aliquis equus currit*, hanc reddam: *alicuius hominis aliquis equus currit.* Ratio diſparitatis propter quam in prioribus propoſitionibus ſigno *aliquis* contradictoriè ſignum *nullus* opponitur, & in poſterioribus inuariatus relinquitur, eſt quia in prioribus ſignum *cuiuſlibet* non afficit terminum *aliquis equus*, & ita illum diſiunctiuè, ſeu particulariter ſupponentem relinquit, in poſterioribus verò ſignum *nullius* terminum *aliquis equus* afficit, illũmq; negat, diſtributiuéque ſupponere facit vt dicebã Punct. 3. 3
Propter eandem rationem huic propoſitioni *ſemper homo currit* pro contradictoria eſt aſſignanda *aliquando nullus homo currit*: huic verò *Nunquam homo currit*. Terminus enim *ſemper* non diſtribuit terminum *homo* & ita in altera propoſitione diſtribuendus eſt. Signum verò *nunquam* terminum *homo* diſtribuit, illiúſque copulam negat, & ita in propoſitione contradictoriè oppoſita, terminus non eſt diſtribuẽdus, ſed diſiungendus, & copula non negãda, ſed ſed affirmanda. Propter eandem rationem huic propoſitioni *Matriti & Romæ piper venditur*, hanc reddes contradictoriam *Matriti, vel Romæ nullum venditur piper.* Huic autem *Nec Matriti, nec Romæ piper venditur*, hanc oppones *Matriti vel Romæ piper venditur.* Veritas & falſitas harum propoſitionum dependet ex modo quo res ſe habere ſupponitur, ſub nulla autem ſuppoſitione non inuoluente contradictionem vtramque veram, aut vtramque falſam inuenies, ſed ſemper in vna veritatem, & in altera falſitatem agnoſces, ſi vtramque attentè inſpiciat.

Hæc propoſitio *Petrus legit, & Ioannes non audit*, cum hac contradictoriè opponitur *Petrus non legit vel Ioannes audit*, particulâ enim *&* propoſitionem coniunctiuam veluti vniuerſalem conſtituit, vt dicebam Punct. 3. ideò illi opponenda eſt particula *vel* quæ particularem propoſitionem conſtituit, vt ibidem tradidi. Si in propoſitione coniunctiua terminus aliquis vniuerſalis conſtituatur, in contradictoria particularis eſt efficiendus, eadémque ratione, ſi particulari opponatur vniuerſalis in contradictoria reddi debet. Exemplum accipe in hac propoſitione *Omnis homo currit, & aliquis equus eſt albus*, cuius contradictoria eſt *aliquis homo non currit, vel nullus equus eſt albus.* 4

Affirmo inſuper contra Arriagam has propoſitiones *Petrus diſtat à me, Petrus non diſtat à me*, habere ſtrictiſſimã oppoſitionem, eandémque in his reperiri, *Hæc Chymæra diſtat à me, Hæc Chymæra non diſtat à me*, quia ſunt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, ex hiſque poſterioribus affirmatiua eſt falſa, & negatiua vera; vtraque enim eſt de ſubiecto non ſupponente, propoſitio autem negatiua de ſubiecto non ſupponente in materia contingenti vera eſt. Inſuper Chymæra quæ non eſt, non poteſt eſſe diſtans; ergo non eſt diſtans, ſeu eſt non diſtans, quia vt ipſe Arriaga teſtatur *in Met. diſp. 1. ſect. 3. ſubſect. 2.* ex duobus prædicatis contradictoriè oppoſitis cuicumque ſubiecto illorum alterum neceſſariò conuenire debet, & ideo eo ipſo quod hæc propoſitio ſit falſa, *Chymæra legit*, verum eſt dicere *Chymæra non legit*, ſeu *Chymæra eſt non legens*, quod exemplum adducit Arriaga loco citato. Neque cùm dicimus *Petrus non diſtat à me*, ſeu *Chymæra non diſtat à me*, eſt idem dicere *Petrus eſt iuxta me*, aut *Chymæra eſt iuxta me*, in hoc enim ſenſu vtraque propoſitio ſuprà aſſignata eſſet falſa, *Chymæra* enim, aut Petrus non exiſtens in rerum natura neque à me diſtat, neque eſt prope me: aliud enim eſt non diſtare ab aliquo, aliud eſſe iuxta illud; primum tantùm importat negationem præſentiæ in ſpatio remoto, ſed ſecundùm importat præſentiam poſitiuam in ſpatio proximo. Fateor vulgari loquendi modo non rarò per non diſtantiam, approximationem explicari, & tunc hæc propoſitio *Chymæra non diſtat à me*, hunc habebit ſenſum: *Chymæra habet præſentiam, & illam habet prope me*, quæ propoſitio falſa eſt, & hæc illi contradictoriè opponitur. *Chymæra non habet præſentiam, vel ſi illam habet, non eam habet prope me.* 5

Soleat nonnulli ſupponere omnem propoſitionem eſſe falſam, & poſtea ſic arguunt. Hæ propoſitiones *omnis propoſitio eſt falſa, & aliqua propoſitio non eſt falſa*, ſunt contradictoriæ; ſingularis negatiua ex ſuppoſitione factã falſa eſt, vt per ſe notum eſt; affirmatiua vniuerſalis ſimiliter eſt falſa, quia eſt propoſitio; & ſupponimus omnem propoſitionem eſſe falſam; ergo dantur duæ contradicto- 6

ria

riæ ſimul falſæ. Non grauabor concedere duplicem contradictoriam falſam ex ſuppoſitione, quod omnes propoſitiones ſint falſæ, quia ille, qui ſupponit omnes propoſitiones eſſe falſas, ſupponit ipſas contradictorias falſas eſſe, ac proinde quando infert, ergo datur duæ contradictoriæ ſimul falſæ, id tanquam abſurdum infert, quod ipſe ſupponit, quod etſi ex natura rei abſurdum ſit, non abſurdè conceditur ex ſuppoſitione facta. Alij reſpondent ſuppoſitionem eſſe intelligendam demptá illá propoſitione *omnis propoſitio eſt falſa*, verumtamen ſuppoſitio debet intelligi eo modo, quo fieri vult à ſupponente, & cùm poſſit illam facere ſupra propoſitionem aſſignatam, & ſupra omnem prolatam, & proferendam, non eſt cur prædicta propoſitio à ſuppoſitione extrahatur. Præterea non hac ratione vitatur abſurdum, quod intenditur, videlicet ne detur duplex propoſitio contradictoria ſimul falſa, quia licet non darétur ſimul falſæ propoſitiones ſuprà aſſignatæ, aliæ innumeræ ex prædicta ſuppoſitione darentur, veluti *Petrus currit* & *Petrus non currit*, & reliquæ omnes diſtinctæ à propoſitionibus in quibus facta fuit obiectio.

7 Difficilius eſt aſſignare contradictoriam huius propoſitionis *Omnes homines ſunt albi*, quam nonnulli hanc eſſe putant *Aliquis homo non eſt albus*, decipiuntur verò, quia hæc propoſitio, *Omnes homines ſunt albi*, diſtincta eſt ab hac *Omnis homo eſt albus*: ergo diſtincta propoſitio contradictoria illi debet reſpondere: Sed hæc propoſitio, *Aliquis homo non eſt albus*, contradictoriè opponitur cum iſta, *Omnis homo eſt albus*: Ergo non cum illa, *Omnes homines ſunt albi*. Secundò arguo vrgentiùs: facta ſuppoſitione vnum tantùm hominem exiſtere in rerum natura, & hunc eſſe album, hæc propoſitio: *Omnes homines ſunt albi*, eſt falſa, quia eſt affirmatiua de ſubiecto non ſupponenti. Similiter hæc eſt falſa, *aliquis homo non eſt albus*, quia vnus homo, qui exiſtit albus eſt, & non datur alius non albus, de quo poſſit propoſitio verificari: ergo ſi hæ propoſitiones *Omnes homines ſunt albi*, & *aliquis homo non eſt albus*, ſunt contradictoriæ, datur duplex contradictoria ſimul falſa. Neque potes in ſuppoſitione vitium reperire, quia eſt de re nemine contradicente, neque hac ſuppoſitione facta potes aſſignare aliam propoſitionem contradictoriè oppoſitam priori vniuerſali, quia propoſitiones, quæ ſemel ſunt contradictoriæ, ſua quacumque ſuppoſitione ſemper ſunt contradictoriæ, & ſemper vni veritatem, & alteri falſitatem conuenire neceſſe eſt: hoc enim tantùm præſtare poteſt ſuppoſitio, vt propoſitio quæ ſub hac ſuppoſitione erat vera, & contradictoriam falſam habebat, ſub alia ſuppoſitione fiat falſa, & veram habeat contradictoriam. Quapropter ad aſſignandam contradictoriam cuiuſque propoſitionis impertinens eſt præmittere ſuppoſitionem circa exiſtentiam obiectorum, hæc enim tantùm requiritur ad cognoſcendum, cui propoſitionum contradictoriarum veritas, & cui falſitas conueniat.

8 Alij tutiùs aſſerunt huic propoſitioni: *Omnes homines ſunt albi*, non aliam poſſe aſſignari præter hanc *Non omnes homines ſunt albi*. Quod ſi ab his petas contradictoriam huius propoſitionis, *Aliqui homines non ſunt albi*, hanc, & non aliam reddent *Non aliqui homines non ſunt albi*, neque aliam vellent huic æquipollentem aſſignari. Hic dicendi modus non ad veritatem explicandam, ſed ad difficultatem fugiendam arripitur, hancque patitur impugnationem: *non aliquis homo non currit*, æquiualet huic *Omnis homo currit*: Ergo *Non aliqui homines non currunt*, æquiualet huic *Omnes homines currant*. Sed prior illa eſt contradictoria huius *Aliqui homines non currant*: ergo & hæc poſterior *omnes homines currunt*.

9 Cenſeo propter rationem immediatè dictam has propoſitiones, *Omnes homines currant*, *aliqui homines non currunt*, contradictoriè inter ſe opponi. Sed contra hunc dicendi modum ſic obiicies: Dentur quatuor homines quorum tres currant, & vnus non currat, hac ſuppoſitione facta, hæc propoſitio; *omnes homines currant*, eſt falſa; ſimiliter altera, *aliqui homines non currunt* eſt falſa, quia non dantur aliqui homines non currentes, ſed vnus tantùm eſt, qui non currat: ergo datur duplex contradictoria ſimul falſa. Reſpondeo prædicta ſuppoſitione factá, hanc propoſitionem *Aliqui homines non currunt* veram eſſe, quia de binario facto, ex vno homine non currente, & altero currente, verum eſt dicere non currere, cùm enim dico: *hi homines non currunt*, terminus *hi homines* reſoluendus non eſt, hic homo non currit, & hic homo non currit, ſic enim falſa eſſet propoſitio, ſed ſemper debet indiuiſibiliter ſupponere pro vtroque homine ſimul ſumpto, ita vt ſenſus propoſitionis ſit, duo hi homines non currunt, quod altero non currente verum eſt. Ratio eſt quia hi termini numeri pluralis *Omnes homines currunt* vltimò reſoluuntur in hæc inferiora, hi homines currunt, & hi homines currunt, &c. Seu hi homines non currunt, & hi homines non currunt, &c. quin poſtea terminus *hi homines* iterùm reſoluatur, ſed ſemper indiuiſibiliter ſupponat, vt dicebam Punct. 3.

Propoſitiones hæ: *Petrus qui loquitur ambulat*, & *Petrus* 10
qui loquitur non ambulat, legitimam habent cõtradictoriam oppoſitionem, etſi in neutra negetur copula *loquitur*, quia hæc non eſt præcipua copula propoſitionis, ſed *ambulat*, quæ in priori affirmat, & in poſteriori negat. Nec copulæ minùs præcipuæ in ordine ad affirmationem, & negationem variandam habenda eſt ratio, hunc enim ſenſum reddunt prædictæ propoſitiones, & huic ſimilem aliæ ſimiles. *Petrus loquens ambulat*, *Petrus loquens non ambulat*, Inquires ex ſuppoſitione quòd Petrus taceat, & ambulet, cui propoſitionum veritas, & cui falſitas adaptetur. Reſpondeo prædictá ſuppoſitione factá hanc propoſitionem *Petrus qui loquitur ambulat*, ſeu *Petrus loquens ambulat*, eſſe falſam, quia eſt de ſubiecto non ſupponente, ſubiectum enim non ſumitur pro Petro præciſè ſecundùm ſe, ſed pro Petro loquente, qui Petrus loquens non datur, cùm Petrus qui exiſtit ſit tacens, & non loquens. Ob hanc rationem altera propoſitio *Petrus qui loquitur*, ſeu *Petrus loquens non ambulat* vera eſt, propoſitio enim negatiua de ſubiecto non ſupponente veritatem habet.

Neuter homo currit cum hac contradictoriè opponitur 11
Alter homo currit. Similiter *vterque homo currit* contradictoriè cum iſta opponitur *Alter homo non currit*. Attentè tamẽ inſpici debet horum terminorum diſtributio ad veritatẽ, vel falſitatem harum propoſitionum aſſignandam, ne ita aſſignetur, vt duplex contradictoria ſimul vera, vel ſimul falſa reperiatur. Decipieris nunquam ſi hæc obſerues; quotieſcumque dantur duo indiuidua, de quibus poſſit affirmari prædicatum, etſi dantur alia innumera de quibus dici non poſſit propoſitio vniuerſalis affirmatiua vera erit. Similiter quotieſcumque dantur duo indiuidua, de quibus poſſit negari prædicatum quantumuis dentur alia innumera, quibus non conueniat, vniuerſalis negatiua vera erit. Inuerſo ordine quotieſcumque dantur duo indiuidua, de quibus poſſit negari prædicatum, etſi plura alia dentur de quibus poſſit affirmari, particularis affirmatiua erit falſa. Similiter quotieſcumque dantur duo indiuidua de quibus poſſit affirmari prædicatum, etſi alia plura dentur, de quibus poſſit negari, particularis negatiua falſa erit. Rem declaret exẽplum, aſſignatis his contradictoriis *Neuter homo currit*, *Alter homo currit*: ſuppono ex hominibus exiſtentibus duos tantùm non currere, & reliquos currere. In hoc caſu propoſitio vniuerſalis negatiua erit vera, & particularis affirmatiua erit falſa. Vtrũque facilè agnoſces, ſi horũ terminorum reſolutionem memineris, quam Punct. 3. expoſui. Vniuerſalis negatiua ſic reſoluitur: Horũ duorum neque iſte, neque iſte currit, vel horum duorum neque iſte, neque iſte currit, &c. ex quo fit vt dum primùm peruenerit propoſitio ad duos homines, quos non currere ſuppoſuimus, tota verificetur, quia de illis verum eſt dicere neque iſte, neque iſte currit. Particularis affirmatiua ſic reſoluitur: Horum duorum iſte, vel iſte currit, & horum duorum iſte, vel iſte currit, & horum duorum, &c. ex quo fit vt cùm perueniatur ad duos homines non currentes propoſitio falſa reperiatur, quia illis aſſignatis verum non erit dicere, & horum duorum iſte vel iſte currit.

Simili modo contingit in his propoſitionibus *Vterque* 12
homo currit: *Alter homo non currit*, ex ſuppoſitione enim, quod duo homines currant, & reliqui omnes ſedeant, vniuerſalis propoſitio vera eſt, quia factá hac ſuppoſitione, verum eſt dicere, horum duorum iſte, & iſte currit, vel horum duorum iſte, & iſte currit, in quem deſcenſum prædicta propoſitio vniuerſalis affirmatiua reſoluitur. Particularis verò affirmatiua falſa eſt, cuius hæc eſt reſolutio, horum duorum, iſte vel iſte non currit, & horum duorum iſte vel iſte non currit, cuius deſcenſus falſitas deprehenditur cùm aſſignantur duo homines, quos currere ſuppoſuimus.

Requiritur ergo ad hoc vt hæc propoſitio ſit vera *Alter* 13
homo currit, vt vltra vnum, quem currere, aut non currere nihil refert, reliqui omnes currant, & ad hoc vt hæc *Alter*

homo

Digitized by Google

homo non currit, vt vltrà vnum, quem currere, aut non currere ad rem non facit, reliqui omnes non currant. Ad veritatem verò huius *Vterque homo currit*, ſufficit dari duos homines currentes, quidquid ſit de aliis, & ad veritatem huius *Neuter homo currit* duo homines non currentes ſufficient quidquid de aliorum curſu, ſeu non curſu contingat. De oppoſitione propoſitionum Modalium excluſiuarum, & exceptiuarum dicam Punct. 8. & 10.

PVNCTVM VII.

De Æquipollentia & Conuerſione propoſitionum.

1 ÆQuipollentia eſt *duarum propoſitionum vtroque extremo, eodem ordine participantium vis eadem à variis ſignis prouenientis.* Vnde propoſitiones æquipollentes mutuò ſe inferunt, & indifferenter poſſumus iſtâ vel alterâ vti, quia vtraque propoſitio æquipollens eandem prorſus ſignificationem habet, eidémque conceptui formali correſpondet & tantùm in propoſitione vocali ex diuerſitate dictionum idem obiectum eodem modo ſignificatiuum contingit.

2 Hæc propoſitionum æquipollentia fit in propoſitionibus contradictoriis negatione præpoſitâ alteri earum. Exempli gratiâ, propoſitiones iſtæ contradictoriè opponuntur *Omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus.* Cuicumque illarum negationem præponas, fiet alteri æquiualens, idem enim eſt dicere, *Non omnis homo eſt albus*, ac dicere, *Aliquis homo non eſt albus*, & idem ſonat. *Non aliquis homo non eſt albus* ac *Omnis homo eſt albus.* In propoſitionibus contrariis fit æquipollentia poſtpoſita negatione propoſitionis ſubiecto, vt in his propoſitionibus contrariis, *Omnis homo eſt albus*, *Nullus homo eſt albus*, æquipollentia reperietur, ſi ſubiecto cuiuſcumque illarum negationem poſtponas. Si enim dixeris: *Omnis homo non eſt albus*, idem erit ac dicere *Nullus homo eſt albus*, & ſi dixeris *Nullus homo non eſt albus*, idem erit ac ſi diceres *Omnis homo eſt albus.* In ſubalternis fit æquipollentia; quadam negatione præpoſita, & altera poſtpoſita eidem ſubiecto. Itaque ſi ſubiecto vnius propoſitionis ex his: *Omnis homo currit*, & *aliquis homo currit*, quæ ſubalternæ ſunt, negationem præponas, & poſtponas, propoſitio, quæ tali ſubiecto gaudet, fiet alteri æquiualens, idem enim valet. *Non omnis homo non currit*, ac *aliquis homo currit*, & idem ſignificat *Non aliquis homo non currit*, ac *Omnis homo currit.* In ſubalternis negatiuis vniuerſalis poteſt fieri æquipollens particulari ſecundùm præſcriptam regulam, particularis verò non poteſt fieri æquipollens vniuerſali per negationes illi ſuperadditas, quia cùm poſt ſubiectum habeat negationem, *non*, non poteſt ibidem altera addi: exempli gratia ſubalternæ negatiuæ ſunt hæ *Nullus homo currit, aliquis homo non currit.* poſſumus dicere *Non nullus homo non currit*, & facere ſubalternantem æquipollentem ſubalternæ inuariatæ, non tamen poſſumus dicere, *Non aliquis homo non currit*, vt ſubalternata fiat æquipollens ſubalternatæ inuariatæ, quia duplex illa negatio coniungi nequit.

3 Prædictæ regulæ ſolent hoc verſiculo ſignificari, vt faciliùs memoriæ mandentur:

Præ contradic. Poſt contra. Præ póſtque ſubalter.

Hoc eſt contradictoriis præponenda eſt negatio; contrariis poſtponenda; præponenda, & poſtponenda ſubalternis. Inuenta eſt hæc propoſitionum æquipollentia vt obſcuræ propoſitiones in clariores reſoluantur, vt plurimùm autem deſeruit vt claræ reſoluantur in obſcuriores terminorum multiplicatione.

4 Conuerſio eſt *duarum propoſitionum vnius ad alteram per extremorum tranſpoſitionem conſequentia neceſſaria* Ex his propoſitio antecedens dicitur conuertens, & conſequens cõuerſa appellatur. Conuerſio eſt triplex: quædam *ſimplex*; alia *per accidens*; alia *per contrapoſitionem.* Conuerſio ſimplex eſt illa, quæ fit per tranſmutationem terminorum ſeruata eadem propoſitionis quantitate. Hac ratione conuertuntur vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, rectè enim infertur *Nullus homo eſt lapis: ergo nullus lapis eſt homo*, in qua illatione tantùm fit terminorum tranſmutatio. Similiter rectè arguitur *Aliquis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt homo*, in qua illatione tantùm fit tranſmutatio terminorum ſicuti in præcedenti.

Conuerſio per accidens eſt illa, in qua non ſolùm termini tranſmutantur, ſed etiam mutatur quantitas propoſitionis, & vniuerſali fit particularis. Fit hæc conuerſio in propoſitione vniuerſali affirmatiua, & negatiua. Valet enim, *Omnis homo eſt animal*; ergo *aliquod animal eſt homo.* Similiter tenet conſequentia, *Nullus homo eſt equus: ergo aliquis equus non eſt homo*, in quibus propoſitionibus fit terminorum tranſmutatio, & mutatur quantitas propoſitionum, ſiquidem ex vniuerſalibus particulares deducimus.

Conuerſio per contrapoſitionẽ fit, quando ſeruata quantitate propoſitionis extrema tranſmutantur, & ex finitis fiunt infinita per negationes infinitantes illis appoſitas. Hac ratione conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua, valet enim *Omnis homo eſt animal: ergo omne non animal eſt non homo*: Item, *Aliquis homo non eſt animal*: ergo *aliquod non animal non eſt homo*, in quibus illationibus ſeruatur quantitas propoſitionum, & termini negationibus infinitantibus affecti tranſmutantur.

Circa hanc conuerſionem obſeruandum eſt, in conuerſione affirmatiua debere ſupponi conſtantiâ ſubiecti propoſitionis conuerſæ, ſi enim hoc non ſubſiſtat, propoſitio erit falſa. 5 Patet in his propoſitionibus *Omnis homo eſt ens: ergo omne non ens eſt non homo*, quarum prior eſt vera, & poſterior falſa, quia illius ſubiectũ videlicet *non ens* non ſubſiſtit, & ita de illo non poteſt aliquid affirmatiuè prædicari, prædicatur autem in prædicta propoſitione eſſe *non homo*, hoc eſt eſſe aliquid diſtinctum ab homine quod eſt falſum. In conuerſione verò negatiua, vt veritas conuerſæ ſubſiſtat, ſupponenda eſt conſtantia ſubiecti conuertentis, alioquin conuerſa falſa erit, exempli gratia, *Antichriſtus non eſt bonus*, eſt propoſitio vera, quia etiamſi ſubiectum non ſubſiſtat eſt negatiua, & propoſitio de ſubiecto non ſupponenti negatiua vera eſt. Si tamen inferas: *ergo aliquod non bonum non eſt non Antichriſtus*, propoſitio erit falſa, quia ſubiectum *non bonum* ſupponit pro non bonis exiſtentibus, omnia autem non bona, quæ de facto exiſtunt; ſunt *non Antichriſtus*, ſeu diſtincta ab Antichriſto, & ita de nullo illorum poteſt negari eſſe *non Antichriſtus.* Si autem Antichriſtus exiſteret, propoſitio eſſet vera, quia aliquod non bonum videlicet ipſe Antichriſtus, non eſſet non Antichriſtus, ſeu non eſſet diſtinctus ab Antichriſto, & ita reſpectu illius verificaretur hæc propoſitio, *Aliquod non bonum non eſt non Antichriſtus.*

6 Eſt etiam obſeruandum in his conuerſionibus, vt apponatur integrum prædicatum ex parte ſubiecti, quando fit tranſmutatio, quapropter ſi expreſſum non ſit, exprimendum eſt, exempli gratia, ſi conuertenda ſit hæc propoſitio *Aliquis homo currit velociter*, prædicatum currens in verbo imbibitum exprimendum eſt, dicendúmque: ergo *aliquod currens velociter eſt homo.* Similiter cùm dicitur *nullus homo eſt omnis homo*, inferendum eſt: *ergo nihil quod ſit omnis homo eſt homo*, prior enim propoſitio hunc ſenſum efficit. *Nullus homo eſt aliquid, quod ſit omnis homo*, ſeruanda eſt etiam eadem ſuppoſitio ex defectu cuius hæ propoſitiones conuertuntur, neque ſe inferunt *Homo eſt ſpecies: ergo ſpecies eſt homo* Retinenda eſt inſuper eadem ampliatio, ex defectu cuius hæ propoſitiones non conuertuntur, *Senex fuit iuuenis: ergo iuuenis fuit ſenex.* Sed debet aliquid aſſumi ad ſeruandam eandem ampliationem, quod fiet, ſi inferatur *ſenex fuit iuuenis: ergo ille qui fuit iuuenis, eſt, vel fuit ſenex.*

7 Ex his conuerſionibus conuerſio ſimplex, & conuerſio facta per accidens vtiliſſimæ ſunt ad ſyllogiſmorum reductionem; conuerſio verò per contrapoſitionem omnino eſt inutilis, nihil enim explicat, ſed potiùs multitudine negationum rem confundit.

8 Vt facilè conuerſionis regulas retineas, ſuppone tibi litteram *A* ſignificare propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam; litteram *E* ſubſtitui ad ſignificandam propoſitionem vniuerſalem negatiuam; litterâ *I* vti ad particularem affirmatiuam ſignificandam, & litteram *O* ſubſtitui loco particularis negatiuæ, quod oportet etiam obſeruari ad ſyllogiſmorum ſtructuram cognoſcendam, & his carminibus facilè ſignificatur:

Aſſerit A, *negat* E, *ſunt vniuerſaliter ambæ:*
Aſſerit I, *negat* O, *ſunt particulariter ambo.*

Deinde vt ſcias quæ propoſitiones ſimpliciter, quæ per accidens, quæ per contrapoſitionem conuertuntur, hæc carmina memoria retine:

Simpliciter

Digitized by Google

Simpliciter Feci, *conuertitur* Eua *per accidens*
Aſto *per contra, ſic fit conuerſio tota.*

Hoc eſt, propoſitiones reſpondentes *E*, & *I*, contentis in hac dictione *Feci* conuertuntur ſimpliciter; reſpondentes *E*, & *A*, in hac dictione *Eua* appoſitis conuertuntur per accidens; reſpondentes verò *A*, & *O*, quibus conſtat hæc dictio *Aſto* conuertuntur per contrapoſitionem.

PVNCTVM VIII.

De propoſitionibus Modalibus.

1 Modus ſecundùm totam ſuam ſignificationem extenditur ad quamque termini limitationem, ſeu reſtrictionem, quæ frequenter fit adiectiuo ſubſtantiuo adiuncto, veluti *homo iuſtus*. Propriè etiam aduerbiis ſignificatur, quibus modus, quo res fit, ſignificatur, veluti cùm dicimus *Petrus currit velociter, Ioannes doctè argumentatur*. In præſenti autem ſumitur pro modo, qui prædicatum ad certam, & ſpecialem materiam determinat. Materiam propoſitionum triplicem eſſe, videlicet neceſſariam, ſeu naturalem; remotam, ſeu impoſſibilem; & contingentem oſtendi Punct. 2. Ex his materiis triplex reſultat modus, *neceſſarius*, *impoſſibilis*, *& contingens*. His quartus additur videlicet *poſſibilis*, qui parum differt à contingenti, quia contingens hic ſumitur pro eo, quod poteſt accidere, etiamſi neceſſariò exiſtat, non pro illo quod poteſt eſſe, & non eſſe, quòd ſpecialiter contingens dicitur. Modi iſti dupliciter poſſunt ſignificari; per aduerbium, veluti cùm dicimus *Petrus contingenter currit.* & per nomen adiectiuum, quod ſignificatur in hac propoſitione, *Contingens eſt Petrum currere.* Cùm per aduerbium ſignificatur, idem manet ſubiectum & prædicatum propoſitionis, & tantùm modificat connexionem prædicati cum ſubiecto. Cùm fit per nomen adiectiuum tota inuertitur propoſitio, & illa, quæ includebat ſubiectum & prædicatum, fit ſubiectum, de quo modus prædicatur, veluti cùm dicimus, *Petrum currere eſt contingens, Petrum currere* eſt ſubiectum propoſitionis, de quo prædicatur illud extremum *contingens*.

2 Modalis, ſicuti quælibet alia propoſitio, duplex eſt, quædam *de ſenſu compoſito*, alia *de ſenſu diuiſo*. Modalis de ſenſu compoſito eſt illa, cuius extrema modo affecta componi poſſunt, ſeu inter ſe coëxiſtere, veluti cùm dicimus *hominem eſſe album poſſibile eſt*, rectè enim albedo cum homine componitur, idemque ſubiectum poteſt ſimul eſſe album, & eſſe hominem. Modalis de ſenſu diuiſo eſt illa, quorum extrema modo affecta non poſſunt connecti, ſed ad diuerſa tempora debent referri, vt veritas propoſitionis ſubſiſtat, veluti cùm dicimus *Iuſtum peccare poſſibile eſt*, quæ facit hunc ſenſum, poſſibile eſt hominem iuſtum in hoc tempore, peccare tempore ſequenti. Vterque modus contingit in propoſitionibus de modo aduerbiali, ſeu adiectiuo.

3 Poteſt etiam modus ſignificatus nomine, vel aduerbio poni inter extrema, quæ afficit, veluti cùm dicimus, *Iuſtum poſſibile eſt peccare*, vel poteſt præponi aut poſtponi, veluti cùm dicimus, *Iuſtum peccare poſſibile eſt*, aut *poſſibile eſt Iuſtum peccare*. Sunt nonnulli, qui aſſerant modum interpoſitum indicare ſenſum diuiſum inter extrema modo affecta, & poſtpoſitum, vel præpoſitum ſenſum compoſitum arguere, hoc tamen gratis & abſque vllo fundamento dicitur, ſenſus enim diuiſus, & compoſitus in propoſitionibus modalibus, ſicuti in quibuſcumque aliis ex natura extremorum illorum impoſſibilitate, aut incompoſſibilitate inferendus eſt.

4 In propoſitionibus quarũ modus nomine adiectiuo ſignificatur reperitur *dictum* & *modus*. *Modus* dicitur prædicatum afficiens alia extrema, & *Dictum* appellatur complexum illud, quod modo afficitur, veluti cùm dicimus, *Petrum currere eſt poſſibile*, Dictum propoſitionis appellatur illud complexum *Petrum currere*, & Modus dicitur aliud extremum videlicet *poſſibile*. In his propoſitionibus poteſt dictum, & modus affirmatiuè ſignificari, veluti cùm dicimus *Petrum currere eſt poſſibile*. Poteſt etiam dictum affirmari, & negari modus, vt cùm dicimus *Petrum currere non eſt poſſibile*. Poteſt etiam dictum negari, & modus affirmari, veluti cùm dicimus *Petrum non currere eſt poſſibile*. Poſſunt etiam negari dictum, & modus, veluti cùm dicimus *Petrum non currere non eſt poſſibile*. Quadruplex hæc differentia affirmationis & negationis reperitur in quocumque ex quatuor modis aſſignatis *poſſibile*, *contingens*, *impoſſibile**, & *neceſſe*. Ex quo fit in omnibus modis ſimul ſumptis ſex ſupra decem propoſitiones fieri poſſe, quatuor in vnoquoque illorum, negationibus, & affirmationibus variatis. Significantur hæ omnes propoſitiones totidem vocalibus in his dictionibus repertis, AMABIMVS: EDENTVLI: ILIACE: PVRPVREA. Harum litterarum ſignificationis ordo hic eſt: in quacumque dictione quatuor vocales reperiuntur, quarum prima ſignificat propoſitionem de modo poſſibili, ſecunda de contingenti, tertia de impoſſibili, quarta de neceſſe. Itaque quæcumque propoſitio de poſſibili quomodocumque ſit affirmata, vel negata, ſignificanda eſt aliquâ primâ vocali vnius dictionis ex his quatuor, & ſic quæcumque de contingenti aliquâ ſecundâ vocali; & quæcumque de neceſſe quartâ aliquâ vocali vnius dictionis ex quatuor adductis. Inſuper nota vocales in his dictionibus contentas tantum eſſe *A*, *E*, *I*, *V*: Harum *A* ſignificat propoſitionem, in qua neque dictum, neque modus negatur. *E* ſignificat propoſitionem, in qua negatur dictum, & non modus. *I* ſignificat propoſitionem, in qua negatur modus, & non dictum. *V* ſignificat propoſitionem, in qua vtrumque negatur, quæ hoc verſiculo breuiter ſignificantur:

E *dictum negat:* I*que modum: nihil* A*: ſed* V *vnum.*

5 Iuxta hanc regulam facile erit quancumque propoſitionem ad aliquam ex his litteris reducere: ſi enim eſt de poſſibili, quærenda eſt in aliqua initiali. Poſtea videndum eſt quid habeat affirmatum, & quid negatum. Si dictum & modus affirmatiuè ſignificentur, debet correſpondere litteræ *A*; aliàs debet eſſe initialis, quia eſt de modo poſſibili: reſpondebit ergo litteræ *A* huius dictionis *Amabimus*, in nullâ enim aliâ reperietur initialis *A*. Si dictum habeat negatum, & non modum, veluti in hac propoſitione *Petrum non currere eſt poſſibile*, debet reſpondere litteræ *E*, initiali alicuius dictionis ex dictis, quæ tantùm reperitur in hac dictione *Edentuli*. Si modum habeat negatum & non dictum, veluti cùm dicimus *Petrum currere non eſt poſſibile*, debet reſpondere initiali *I*, quæ tantùm reperitur in hac dictione *Iliace*. Si vtrumque habeat negatum, veluti cùm dicimus, *Petrum non currere non eſt poſſibile*, reſpondebit *V* initiali, quæ tantùm reperitur in hac dictione *Purpurea*. Sic de omnibus aliis modis; propoſitio enim *de Neceſſe* dicto & modo negato reſpondet vltimæ litteræ huius dictionis *Amabimus*, quæ eſt *V* totum negans: De modo negato, litteræ vltimæ dictionis *Edentuli*, quæ eſt *I* modum negans: De dicto negato, vltimæ litteræ huius dictionis *Iliace* quæ eſt *E* dictum negans: De dicto & modo affirmato, vltimæ litteræ huius dictionis *Purpurea*, quæ eſt *A* nihil negans. Sic in aliis duobus modis, nullam enim propoſitionem compones de modo poſſibili, quæ non reperiatur in aliqua prima vocali harum dictionum; neque de contingenti, quæ non ſit in aliqua ſecunda vocali; neque de impoſſibili, quæ non inueniatur in tertia aliqua vocali; neque de neceſſe quæ non aliqua quarta vocali ſignificetur, iuxta ſignificationem harum litterarum, quam exprimit verſiculus ille:

E *dictum negat:* I*que modum: nihil* A*: ſed* V *totum.*

6 Tota hæc doctrina de correſpondentia propoſitionum prædictis dictionibus facillimè percipi poteſt, quæ ſi ſemel mente teneatur, verbo vno poterit æquipollentia, & oppoſitio omnium Modalium ſignificari. Subſcribo ſingulas dictiones, cum propoſitionibus illarum litteris reſpondentibus, vt faciliùs tota hæc doctrina memoriæ mandetur, & ſemel mandata haud facilè decidat.

AMABIMVS.

A- *Petrum currere eſt poſſibile.*
ma- *Petrum currere eſt contingens.*
bi- *Petrum currere non eſt impoſſibile.*
mus. *Petrum currere non eſt neceſſe.*

EDEN

Digitized by Google

EDENTVLI.

E- *Petrum non currere eſt poſſibile.*
den- *Petrum non currere eſt contingens.*
tu- *Petrum non currere non eſt impoſſibile.*
li. *Petrum currere non eſt neceſſe.*

ILIACE.

I- *Petrum currere non eſt poſſibile.*
li- *Petrum currere non eſt contingens.*
a- *Petrum currere eſt impoſſibile.*
ce. *Petrum non currere eſt neceſſe.*

PVRPVREA.

Pur- *Petrum non currere non eſt poſſibile.*
pu- *Petrum non currere non eſt contingens.*
re- *Petrum non currere eſt impoſſibile.*
a. *Petrum currere eſt neceſſe.*

8 In his propoſitionibus inuenies quemcumque ex his terminis valeas excogitare, ſempérque videbis propoſitionem reſpondentem litteræ *A*, dicto & modo affirmato; & litteræ *E*, dicto tantùm negato; & litteræ *I*, negato tantùm modo; & litteræ *V*, modo & dicto negato.

PVNCTVM IX.

De qualitate, & quantitate Modalium.

1 PRopoſitio modalis non dicitur affirmatiua aut negatiua ex eo quod affirmetur, vel negetur dictum, ſed ex eo quod affirmetur, vel negetur modus, quapropter hæc propoſitio erit affirmatiua *Petrum non currere eſt poſſibile*, & hæc negatiua *Petrum currere non eſt poſſibile*, licet hæc dictum affirmatum habeat, & illa negatum. Ratio eſt facilis, quia propoſitionem eſſe affirmatiuam, aut negatiuam ſumitur ex negatione, aut affirmatione afficiente præcipuam copulam; cùm verò præcipua copula propoſitionis modalis non ſit illa, quæ in dicto includitur, quia totum hoc ſe habet tanquam ſubiectum, ſed quæ annectit dictum vt ſubiectum cum modo tanquam cum prædicato; hinc fit vt quando hæc copula affirmatur, ex vi cuius modus eſt affirmatus, propoſitio ſit affirmatiua, & quando talis copula negatur, ex vi cuius modus eſt negatus, propoſitionem eſſe negatiuam. Modum eſſe affirmatum, & negatum ex vi negationis aut affirmationis in præcipua copula repertæ per ſe patet, quia non ex alio capite propoſitio hæc *Petrum non currere eſt poſſibile*, eſt de modo affirmato, niſi quia copula *eſt* affirmatiuè ponitur: & non alia ratione hæc eſt de dicto negato, *Petrum currere non eſt poſſibile*, niſi quia copula *eſt* afficitur negatione.

2 Circa veritatem, & falſitatem harum propoſitionum Modalium vix poteſt aliquid præſcribi, quod commune non ſit omnibus propoſitionibus, illa enim eſt propoſitio vera, quæ enunciat rem ſicuti eſt, & illa eſt falſa, quæ rem aliter ac eſt ſignificat, quod omnibus propoſitionibus commune eſt. Hæ tamen regulæ ſolent pro his modalibus aſſignari. Propoſitio de neceſſe eſt vera, quando illius *de ineſſe*, importat veritatem neceſſariam, hoc eſt, cuius dictum reducitur ad propoſitionem neceſſariam, verbi gratia *neceſſe eſt hominem eſſe animal*, vera eſt propoſitio, quia illius dictum reducitur ad hanc propoſitionem *homo eſt animal*, quæ neceſſariam continet veritatem. Eadem ratione propoſitio de impoſſibili eſt vera, quando illius *de ineſſe* eſt impoſſibilis, veluti *impoſſibile eſt hominem eſſe equum*, eſt vera propoſitio, quia hæc propoſitio *homo eſt equus* impoſſibilis eſt. Similiter propoſitio de poſſibili, & contingenti vera eſt, quando illius *de ineſſe* non repugnat, etiamſi veritatem habeat, vel de facto falſa ſit, dum potuerit antecedenter veritatem habere. Hæc per ſe nota ſunt, & non maiori examine digna.


3 Notat etiam Tolerus huiuſmodi propoſitiones modales ſemper habere veritatem, aut falſitatem neceſſariam, ita vt illa quæ de facto eſt vera, nullo modo potuerit eſſe falſa: neque illa quæ modò falſa eſt, aliquando potuerit habere veritatem. Vnde etiamſi propoſitio ſit de modo contingenti, connexio huiuſmodi contingentis cum ſubiecto, vel neceſſaria eſt, vel impoſſibilis, quia id, quod eſt poſſibile, ſeu contingens repugnat non eſſe tale, & impoſſibile fieri nequit; ſimiliter id quod eſt impoſſibile, aut neceſſarium, ita eſt impoſſibile, vt etiam in ſenſu diuiſo illi repugnet poſſibilitas, aut defectus neceſſitatis: hæc omnia ita ſe habent reſpectu neceſſitatis, impoſſibilitatis, poſſibilitatis, aut contingentiæ phyſicæ: ſolemus autem his modis non neceſſitatem, impoſſibilitatem, aut contingentiam phyſicam intelligere; illa enim neceſſaria vocamus, quæ non ſine magna difficultate, aut graui incommodo poſſunt non eſſe, quo ſenſu dicimus, neceſſum eſt te Romam petere, quia Superioris præceptum, amicorum preces, & negotiorum ſtatus ſic expoſcunt. Similiter impoſſibilia dicimus illa, quæ non ſine ingenti difficultate, aut graui incommodo fiunt; & contingentia appellamus illa, quæ ſine graui difficultate ſecundùm ſtatum rerum poſſunt accidere. Si hac ratione prædicti modi ſumantur, propoſitio modalis accidentaliter poterit eſſe vera vel falſa, huiuſmodi enim neceſſitas, impoſſibilitas, & contingentia: ita accidunt, vt potuerint non accidere.

Ineſt etiam ſua quantitas propoſitionibus modalibus, 4
quæ ex duplici capite poteſt deſumi. Ex *dicto*, quia hoc in ſe continet ſignum vniuerſale, veluti cùm dicimus, omnem hominem currere eſt poſſibile: vel ex *modo*, qui hic eſt vniuerſalis. Modi *vniuerſales* dicuntur impoſſibile, & neceſſe; contingens verò, & poſſibile *particulares* dicuntur. Propoſitiones, quæ dicto, & modo vniuerſali gaudent, ſimpliciter vniuerſales dicuntur; quæ dicto & modo particulari afficiuntur abſolutè particulares vocantur. *Mixtæ* dici poſſunt, quæ dictum habent vniuerſale, & modum particularem. Nihilominus præcipua ratio ab omnibus habetur circa quantitatem modi, & quidquid ſit de quantitate dicti, propoſitio illa vniuerſalis appellatur, cuius modus vniuerſalis eſt, illáque particularis nuncupatur, quæ ſigno particulari eſt contenta. Ratio propter quam in his propoſitionibus ratio non habeatur de quantitate dicti eſt, quia ſignum vniuerſale in dicto contentum non immediatè afficit totum ſubiectum, cùm enim dicimus, omnem hominem currere eſt poſſibile, ſignum *omne* immediatè tantùm afficit terminum *homo*, qui non eſt adæquatum ſubiectum huius propoſitionis, hoc enim eſt totum hoc complexum, omnem hominem currere, ſicuti totum hoc complexum, *Omnis homo eſt animal*, eſt ſubiectum huius enunciationis, *Omnis homo eſt animal eſt propoſitio*. Ratio propter quam metiamur quantitatem harum propoſitionum per ſigna, eſt quia ratione horum, quædam continentur ſub aliis, & contentæ ſunt particulares, & continentes vniuerſales, ſicuti in his propoſitionibus, *Omnis homo eſt animal*, *Aliquis homo eſt animal*. Prior eſt vniuerſalis, quia poſteriorem in ſe continet, valet enim: Omnis homo eſt animal: ergo aliquis homo eſt animal, & poſterior particularis, quia ſub alia continetur, & tantùm ad quandam veluti partem illius ſe extendit.

Ob hanc rationem *neceſſe*, & *impoſſibile* dicuntur modi 5
vniuerſales, quia ſub ſe continent *poſſibile*, ſeu *contingens*, & *poſſibile non*, ſeu *contingens non*: Valet enim conſequentia: Neceſſe eſt Petrum currere: ergo poſſibile ſeu contingens eſt Petrum currere; non tamen à contrario. Similiter valet: Impoſſibile eſt Petrum currere: ergo poſſibile eſt Petrum non currere, non tamen licet inferre: Poſſibile eſt Petrum non currere: ergo impoſſibile eſt Petrum currere. Indicat etiam hanc vniuerſalitatem horum modorum *neceſſe & impoſſibile*, illorum æquipollentia, æquipollent enim eo modo, quo alia contraria *omnis & nullus* poſtpoſita negatione, idem enim valet, neceſſe eſt Petrum non currere; ac impoſſibile eſt Petrum currere, & idem ſonat, impoſſibile eſt Petrum non currere, ac neceſſe eſt Petrum currere. Æquipollentiam, *neceſſe & poſſibile* more ſubalternorum propoſita & poſtpoſita negatione: idem enim ſignificat, non neceſſe eſt Petrum non currere, ac poſſibile eſt Petrum currere. Eadem ratione æquipollent *Impoſſibile, & poſſibile non*, quia idem valet non impoſſibile eſt Petrum non currere, ac poſſibile eſt Petrum non currere. *Impoſſibile*, cum *poſſibili & neceſſe*, cum *poſſibili non*, negatione præpoſita æquipollent, qua ratione æquipollent ſigna propoſitiones, quæ oppoſitionem contradictoriam habent. Ex his enim propoſitionibus, impoſſibile

eſt Petrum currere,Poſſibile eſt Petrum currere; cuicumque negationẽ præponas,alteri æquiualebit, ſicuti in his contingit:Neceſſe eſt Petrũ currere, Poſſibile eſt Petrum non currere:idem enim valet,Non poſſibile eſt Petrũ non currere,ac dicere.Neceſſe eſt Petrum currere.Aduerte in ordine ad æquipollentiam harum propoſitionum negationem poſtpoſitam modo vocari illam, quæ in dicto includitur, ſiue dictum poſtponatur, ſiue præponatur, quia id quod præſtat negatio *non* poſtpoſita termino *Omnis*,aut *Nullus*, aut *Aliquis* reſpectu horum ſignorum, præſtat incluſa in dicto reſpectu horum modorum *Neceſſe*,&c.

6 Addit Hurtadus *diſp.4.ſect.11.*ex Patre Fonſeca *lib.3.c.10.* hos modos *Neceſſe* & *impoſſibile* eſſe vniuerſales, quia ſe extendunt ad omnia tempora;& hunc modum,*Poſſibile*,eſſe particularem, quia rem eſſe poſſibilem, non dicit eſſe poſſibilem in omni tempore,ſed tempore importato per copulam, in quo differt à modo impoſſibili, qui cum negatiuus ſit, negat poſſibilitatem pro omni tempore. Doctrinam hanc non probo, quia *Neceſſe* tantùm ſe extendit ad omne tempus ratione materiæ,quia id quod modò eſt neceſſarium ex natura ſua,ſemper eſt neceſſarium,quâ ratione *Poſſibile* etiam ſe extendit ad omne tempus, implicat enim rem modò poſſibilem,fieri impoſſibilem tempore venturo.Ratione autem formæ *Neceſſe* tantùm dicit tẽpus importatum per copulam,quia ſi per impoſſibile craſtina die fieret non neceſſarium, hominem eſſe animal ex eo quod hodie eſſet neceſſarium, hodie verè diceretur, Neceſſe eſt hominem eſſe animal.Idem cenſeo de impoſſibili,quod tantùm ratione materiæ ſe extendit ad omne tempus, ſi enim chymæra modò repugnans, craſtina die poſſibilis eſſet futura,verè hodie dici poſſet,chymæra eſt impoſſibilis; quod enim terminus impoſſibilis ſit negatiuus,probat negare omnem poſſibilitatem,non tamen ratione formæ illam negat pro omni tempore, ſicuti cùm negamus Petrum currere,negamus Petro omnem curſum, non tamen pro omni tempore.Vnum in hac re verum eſt ex hac propoſitione, neceſſe eſt Petrum currere,legitimè inferri, ergo ſemper currit; & ex hac propoſitione, Impoſſibile eſt Petrum currere, legitimè deduci: ergo nunquam curret: ex hac autem, poſſibile eſt Petrum currere non poſſe adhuc inferri: ergo aliquando currit. Sed hoc non probat terminum *Poſſibile* reſtringere ſuum ſignificatum reſpectu temporis ad quod ſe extendat *Poſſibile*, aut *Neceſſe*,quia ſignificatum huius propoſitionis,Poſſibile eſt Petrum currere,non eſt Petrum actu currere,ſed non repugnare curſum Petri, quod pro omni tempore verum eſt. Standum ergo eſt rationibus, quas adduxi propter quas *Neceſſe*, & *Impoſſibile* modi vniuerſales dicuntur, & *Poſſibile* ſeu *Contingens* modus particularis appellatur. Vt autem facilè percipias totam doctrinam traditam de vniuerſalitate, & oppoſitionem horum modorum, illam tibi ſubſcripta figura præſentabit.



Notare etiam oportet,quòd ſicut ſigna *Omnis* & *Nullus*, quæ ex ſe ſunt vniuerſalia, ſi negatione afficiantur, fiunt particularia;& hoc ſignum *Aliquis*,qui ex ſe eſt particularis,ſi negetur fit vniuerſalis;ſic hi modi,*Neceſſe*,& *Impoſſibile* ex ſe vniuerſales, ſi negentur fient particulares,& hic modus poſſibilis ſi negetur vniuerſalis fiet.Ex hoc inferes ex illis dictionibus infrà adductis,*Amabimus.Edentuli,Iliace, Purpurea*, illas continere modos vniuerſales & conſequenter propoſitiones vniuerſales, in quibus negantur modus *Poſſibilis* & *contingens*, & affirmantur modus *Impoſſibile*,& *Neceſſe*, huiuſmodi ſunt *Iliace*; & *Purpurea*:illas verò continere propoſitiones particulares, in quibus affirmantur *Poſſibile*,& *contingens*,& negantur, *Impoſſibile*,& *Neceſſe*,huiuſmodi ſunt *Amabimus*,& *Edentuli*.

PVNCTVM X.

De æquipollentia & oppoſitione modalium.

1 SVppoſita iam doctrinâ traditâ harum propoſitionum æquipollentia,& oppoſitio facillimè explicantur. Propoſitiones omnes modales quæ ſunt in eadem dictione ex quatuor adnumeratis ſunt ſibi æquipollentes. Rem inſpice in propoſitionibus reſpondentibus huic dictioni *Amabimus*:Petrũ currere eſt poſſibile:Petrum currere eſt contingens: Petrum currere non eſt impoſſibile: Petrum non currere non eſt neceſſe.Has ſibi æquipollere patet ex terminis,eſſe enim poſſibile, & eſſe contingens,idem eſt; deinde non eſſe impoſſibile idem eſt ac eſſe poſſibile; & non eſſe neceſſe non currere, idem eſt ac eſſe poſſibile currere: ſi enim non eſſet poſſibile currere, non currere neceſſe eſſet.Idem ratione ſimili inuenies in omnibus dictionibus, ſi illas percurras. Si autem petas regulam aliquam ad cognoſcendam propoſitionum modalium æquipollentiam, hanc tibi accipe: Quælibet propoſitio modalis,in quocumque modo ſit,habet ſibi tres alias æquipollentes in tribus aliis modis.Propoſitio de modo poſſibili, dicto, & modo affirmato, habet æquipollentem de contingenti,dicto & modo affirmato;de impoſſibili,dicto affirmato & modo negato;de neceſſe, negato dicto & modo.Reperies has propoſitiones in hac dictione *Amabimus*. Propoſitio de poſſibili, dicto negato, & modo affirmato, habet æquipollentem de contingenti, dicto negato, & modo affirmato;de impoſſibili, dicto, & modo negato;de neceſſe,dicto affirmato,& modo negato. Reperiuntur hæ propoſitiones in *Edentuli*.Propoſitio de poſſibili,dicto affirmato, & modo negato, habet ſibi æquipollentem de contingenti,dicto affirmato & modo negato; de impoſſibili, modo & dicto affirmato;de neceſſe, dicto negato & modo affirmato.Sunt huiuſmodi propoſitiones ſibi æquipollentes in *Iliace*. Propoſitio de poſſibili, dicto & modo negato, habet æquipollentem de contingenti, dicto & modo negato;de impoſſibili,dicto negato & modo affirmato;de neceſſe,dicto & modo affirmato.Hæ propoſitiones reſpondent dictioni *Purpurea*.

Aſſignaui æquipollentes in reliquis aliis modis quatuor 2
propoſitionibus differentibus,quæ de poſſibili poſſunt reperiri, quibus cognitis facile tibi erit aſſignare æquipollentes alias propoſitionibus reſpondentibus aliis modis, iuxta prædictas dictiones,in quibus agnoſces, quomodo dictum & modus debeant affirmari, aut negari, vt propoſitioni de hoc modo neceſſe aut impoſſibili


aliorum

Digitized by Google

aliorum modorum propoſitiones fiant æquipollentes.

3 Vnum tamen obſeruandum eſt in propoſitionibus de dicto communi, vt ſi tribus prioribus modis *Poſſibile, Contingens, Impoſſibile,* dictum fuerit affectum ſigno vniuerſali, in propoſitione *de neceſſe* afficiatur ſigno particulari, & ſi in prioribus fuerit affectum ſigno particulari, in poſteriori, videlicet *Neceſſi*, afficiatur ſigno vniuerſali, aliàs propoſitiones non erunt æquipollentes. Exemplum accipe in his propoſitionibus factis in *Purpurea*. Nullum animal eſſe hominem non eſt poſſibile. Nullum animal eſſe hominem non eſt contingens. Nullum animal eſſe hominem eſt impoſſibile, quæ propoſitiones ſunt ſibi æquipollentes & veræ; ſi verò ſecundùm regulam generalem illi adiungas quartam de neceſſe reſpondentem litteræ *A*, dicto & modo affirmato, & inuariato communi ſigno, videlicet, Omne animal eſſe hominem eſt neceſſe, propoſitio hæc falſa erit, & non poterit tribus aliis veris æquipollere: variandum ergo eſt ſignum, & dicendum, Aliquod animal eſſe hominem eſt neceſſe, quæ propoſitio æquipollens eſt tribus aliis prioribus. Similiter ſi propoſitiones fiant in tribus prioribus modis de dicto ſigno particulari affecto, vt facta in quarto modo eiuſdem dictionis ſit æquipollens, variandum eſt ſignum particulare in vniuerſale. Rem cape in propoſitionibus eidē dictioni *Purpurea* reſpondentibus. Aliquod animal non eſſe hominem non eſt poſſibile: non eſt neceſſe: eſt impoſſibile: quæ propoſitiones falſæ ſunt, ſi verò quartam addas de eodem dicto particulari, verbi gratia, Aliquod animal eſſe hominem eſt neceſſe, erit vera, & non poterit falſis aliis æquipollere, mutandum ergo eſt ſignum particulare in commune, & tribus prioribus hæc adiungenda, Omne animal eſſe hominem eſt neceſſe, & hac ratione propoſitiones omnes falſæ erunt & ſibi æquipollentes.

4 Circa oppoſitionem harum propoſitionum dico breuiter propoſitiones factas in *Iliace* & *Purpurea* eſſe ſibi contrarias, quia ſunt vniuerſales, vt dicebam *puncto præcedenti, in fine*, & quia dictum quod vna negat, affirmat altera, & quia quælibet infert tanquam ſibi ſubalternam contradictoriam alterius, quod proprium eſt contrariarum. Dicendum eſt ſecundò propoſitiones factas in *Iliace* opponi contradictoriè cum propoſitionibus factis in *Amabimus*; quia propoſitiones factæ in *Iliace* ſunt vniuerſales, & factæ in *Amabimus* particulares, iuxta dicta *loco citato*, & quia modus qui in vna negatur, in altera affirmatur. Propoſitiones factæ in *Iliace* ſubalternant ſibi propoſitiones factas in *Edentuli*, quia hæ ſunt particulares, & ex illis vniuerſalibus inferuntur. Propter eandem rationem propoſitiones factæ in *Purpurea* ſibi ſubalternant factas in *Amabimus*. Propoſitiones factę in *Amabimus* & *Edētuli* ſubcontrariæ ſunt, quia duabus contrariis ſubalternantur. Ex hoc inferes quamlibet propoſitionem de poſſibili; & ſic de quocumque alio modo habere contradictoriam de poſſibili, & triplicem aliam in tribus aliis modis æquipollentem contradictoriæ propriæ de poſſibili. Sed te aduertere oportet cùm contradictoriam non in proprio modo aſſignes, ſed in alio æquipollente, ſi illorum aliquis ſit *Neceſſe*, & dictum propoſitionis, cui eſt contradictoria aſſignanda, ſit ſigno vniuerſali affectum, quomodo tale ſignum ſit variandum, vt propoſitiones ſibi æquipolleant, iuxta dicta ſuprà de æquipollentia propoſitionum de dicto communi. Eadem ratione quælibet propoſitio modalis ea ratione quâ oppoſitionem habet contrariam, ſubcontrariam, aut ſubalternam, habet quatuor propoſitiones oppoſitas, vnam in eodem in quo ipſa eſt, & tres alias huic æquipollentes in tribus aliis modis. Totam doctrinam traditam circa oppoſitionem harum propoſitionum hac figurâ expreſſam ſpectato, vt illam facilè mente teneas.



5 Circa oppoſitionem modalium de modo aduerbiali, nihil peculiare notatu dignum occurrit, aduerbia enim quibus hi modi ſignificantur, eandem habent oppoſitionem, quam nomina, quibus correſpondent; eadem enim eſt oppoſitio contradictoria inter *Impoſſibiliter*, & *Poſſibiliter*, ac inter *Impoſſibile*, & *Poſſibile*, & ſic de quibuſcumque aliis. Neque alio modo nos debemus gerere in aſſignanda contradictoria, aut contraria alicui propoſitioni de modo aduerbiali, ac nos habemus reſpectu aliarum propoſitionum, in quibus aliud aduerbium reperitur, eodem enim modo opponuntur, Petrus currit velociter; & Petrus non currit velociter, ac opponuntur Petrus neceſſariò currit, Petrus non neceſſariò currit. Eademque oppoſitionem habent hæ propoſitiones, Nullus homo velociter currit, & Omnis homo velociter currit, ac iſtæ, Nullus homo neceſſariò currit, Omnis homo neceſſariò currit. Notaui pro omnibus propoſitionibus, in quibus reperitur aliquod aduerbium, negationem debere cadere ſupra illud, quando propoſitio eſt negatiua, quod pro his aduerbiis modalibus plurimùm obſeruari refert.

PVNCTVM XI.

De propoſitionibus excluſiuis, & exceptiuis.

SVnt aliquæ propoſitiones, quæ ob aliquem terminum vel ſignum plures ſub ſe continent, in quas debent

reſolui vt facilius percipi valeant. In his ſunt propoſitiones excluſiuæ, in quibus reperitur aliquod nomen vel aduerbium excludens omne illud, quod diſtinguitur à termino ſupra quem cadunt. Huiuſmodi ſunt nomen *ſolus*, & aduerbium *tantùm*, cùm enim dicitur, *ſolus homo currit*, aut, *tantùm homo currit*, excluditur à curſu totum illud, quod ab homine diſtinguitur.

2 Huiuſmodi ſigna excluſiua, vel poſſunt poni ex parte ſubiecti, vel ex parte prædicati; poſſumus enim dicere, elementa tantùm ſunt quatuor, aut, elementa ſunt quatuor tantùm, quæ propoſitiones diuerſum reddunt ſenſum; prior enim eſt falſa, & poſterior vera, vt conſtabit ex reſolutione vtriuſque. Quando ſignum ſe tenet ex parte prædicati; ſi propoſitio ſit affirmatiua, reſoluenda eſt in duas propoſitiones coniunctas particulâ *&*, quarum prima contineat ſecluſo ſigno illam, quæ reſoluitur; & poſterior negatiua ſit conſtans eodem ſubiecto, quo prior, & prædicato oppoſito prædicato prioris. Exempli gratia, *homo eſt rationalis tantùm* ſic reſoluitur, homo eſt rationalis & homo non eſt aliquid diſtinctum à rationali. *Elementa ſunt quatuor tantùm*, hoc eſt, elementa ſunt quatuor & non ſunt quinque, neque ſex, &c. hoc eſt, non attingunt alium numerum excedentem. Si propoſitio ſit negatiua, reſoluenda eſt in diſiunctiuam, cuius prior pars ſit propoſitio reſoluenda ſigno ſecluſo; & poſterior ſit propoſitio affirmatiua cum eodem ſubiecto & prædicato oppoſito prædicato prioris. Exempli gratia *homo non eſt rationalis tantum*. Ita reſoluitur, homo non eſt rationalis, vel eſt aliquid diſtinctum à rationali, hoc eſt, vel ſupra rationale includit aliquid. In his propoſitionibus optimè contradictoria aſſignatur negatione præpoſita, aut facta reſolutione modo explicato, quibus poſtea eadem ratione ac aliis coniunctiuis, aut diſiunctiuis oppoſitio aſſignabitur.

3 Quando ſignum ſe tenet ex parte prædicati, quatuor modis fieri poteſt propoſitio. Primò cum affirmatione ſigni & copulæ, vt *homo tantum eſt rationalis*. Secundo cum negatione ſigni & affirmatione copulæ; vt, *non tantùm homo eſt rationalis*. Tertiò cum affirmatione ſigni, & negatione copulæ, vt *homo non eſt rationalis*. Quartò cum negatione ſigni & copulæ, vt *non tantum homo non eſt rationalis*. Propoſitiones in quibus ſignum eſt affirmatum reſoluuntur in propoſitionem coniunctiuam & in quibus eſt negatum, in diſiunctiuam. Ex quo fit propoſitiones de ſigno affirmato eſſe vniuerſales, & de ſigno negato dici particulares, iuxta dicta de propoſitione coniunctiua & diſiunctiua. Propoſitio de vtroque affirmato reſoluitur in coniunctiuam, cuius prior pars eſt propoſitio reſoluenda ablato ſigno, & poſterior vniuerſalis negatiua ex eodem prædicato, & ſubiecto oppoſito ſubiecto prioris. Veluti, *Homo tantùm eſt rationalis*, ita reſoluenda eſt, Homo eſt rationalis, nihil diſtinctum ab homine eſt rationale. Propoſitio de modo negato & copula affirmata reſoluenda eſt in diſiunctiuam cum partibus contradicentibus partibus prioris, veluti cum dicimus, *Non tantum homo eſt animal*, reſolutio ſic facienda eſt, Nullus homo eſt animal, vel, aliquid diſtinctum ab homine eſt animal. Propoſitio de ſigno affirmato & copula negata reſoluenda in præiacentem, hoc eſt, in propoſitionem reſoluendam ablato ſigno, & in vniuerſalem affirmatiuam cum eodem prædicato, & ſubiecto oppoſito ſubiecto prioris coniunctione interpoſitâ, veluti cùm dicimus, *homo tantum non rationalis*, ſic fiet reſolutio, homo non eſt rationalis, & omne non homo ſeu diſtinctum ab homine eſt rationale. Propoſitio de vtroque negato reſoluitur in diſiunctiuam ex partibus contradictoriis præcedenti, veluti, *non tantùm homo eſt rationalis* Nullus homo eſt rationalis, vel aliquid diſtinctum ab homine non eſt rationale.

4 Ex his propoſitionibus prima cum ſecunda & tertia cum quarta opponuntur contradictoriè: prima cum tertia contrariè; ſecunda cum quarta ſubcontrariè; prima cum quarta, & tertia cum ſecunda ſubalternè. Propoſitiones has, illarumque oppoſitionem his dictionibus explicuit Toletus. *Iſte, Regit, Proram, Clauo*: quarum prima dictio reſpondet primæ propoſitioni, ſecunda ſecundæ, & ſic aliæ. Harumque litteræ ſignificationem habent, quam in modalibus explicuimus, quibus exprimunt propoſitiones illas, in quas reſoluenda eſt propoſitio cui reſponderet, cum hac tamen diſtinctione vt ex propoſitionibus ſignificatis primâ & tertiâ dictione fiat propoſitio coniunctiua & ex ſignificatis ſecunda, & quarta diſiunctiua componatur. Dictio prima cum ſecunda, & tertia cum quarta contradictorie opponuntur. Prima cum tertia contrariè. Secunda cum quarta ſubcontrariè. Prima cum quarta & tertia cum ſecunda ſubalternè.

Obiicit nonnullus: ſi hæc propoſitio *non tantum homo eſt rationalis* ſic reſoluitur, nullus homo eſt rationalis, vel aliquid diſtinctum ab homine eſt rationale, ſequitur hanc propoſitionem eſſe veram, *non tantum Deus eſt peccator*, quia illius ſenſus erit Deus non eſt peccator, vel aliquid diſtinctum à Deo eſt peccator, quæ diſiunctiua vera eſt. 5
Reſpondeo prædictam propoſitionem *non tantum Deus eſt peccator*, nullatenus eſſe proferendam, quia vulgo huiuſmodi propoſitiones non ſumuntur in ſua ſtricta ſignificatione, & apud imperitos idem eſt dicere, *non tantum homo currit* ac dicere, homo currit & aliud ab homine currit, licet verus & ſtrictus ſenſus iſte non ſit, ſed ille, quem ſupra explicui; deinde etiam nonnulli ex peritioribus ſtare nolunt expoſitioni, quam de his propoſitionibus tradidimus, apud quos omnes graue ſcandalum gigneret prædicta propoſitio, licet iuxta reſolutionem factam in prædictam diſiunctiuam vera ſit. In huiuſcemodi autem grauiſſimis rebus, quæ ad Deum & ad fidem ſpectant, proferendæ propoſitiones non ſunt, quæ iuxta vulgarem ſenſum prauam ſignificationem habent, etiamſi apud doctos ſanum ſenſum obtineant: & multò minus illæ, de quibus etiam apud doctos eſt controuerſia, an falſam contineant doctrinam etiamſi nonnulli illas ſubtiliter iuxta ſtrictam ipſarum ſignificationem in bonum ſenſum interpretetur.

Præter has propoſitiones excluſiuas, aliæ exceptiuæ reperiuntur, in quibus ſignum aliquod exceptionis apponitur, veluti cùm dicitur *Omne animal currit præter equum*, in quibus obſeruandum eſt vt terminus exceptus contineatur in illo, à quo excipitur, non enim rectè diceremus, *Omnis homo præter lignum currit*, aut, *Omnis homo præter riſibile currit*. Hæc propoſitio quadrupliciter fieri poteſt. Primò cum affirmatione modi & copulæ. Secundò cum affirmatione copulæ; & negatione modi. Tertiò cum affirmatione modi & copulæ negatione. Quartò cum negatione vtriuſque. Si propoſitio ſit facta primo modo, reſoluenda eſt in coniunctiuam, quarum prior pars ſit propoſitio præiacens additâ ſubiecto diſtinctione à termino excepto, & poſterior vniuerſalis negatiua, cuius ſubiectum ſit terminus exceptus, & prædicatum idem cum prædicato prioris. Exempli gratia *Omne animal præter equum currit*, ſic reſoluenda eſt, Omne animal diſtinctum ab equo currit, & nullus equus currit. Si fiat ſecundo modo, veluti cùm dicitur, *Non præter equum omne animal currit*, reſoluenda eſt in diſiunctiuam, cuius partes contradictoriè opponantur partibus propoſitionis iam reſolutæ primo modo factæ. Si propoſitio fiat tertio modo reſoluenda eſt in propoſitionem coniunctiuam, cuius prior pars ſit propoſitio præiacens additâ ex parte ſubiecti diſtinctione termini excepti, & poſterior vniuerſalis affirmatiua, cuius ſubiectum ſit terminus exceptus, & prædicatum idem cum prædicato primæ propoſitionis. Exempli gratia *Nullum animal præter hominem currit*, ſic reſolui debet, Nullum animal diſtinctum ab homine currit, & omnis homo currit. Si propoſitio fiat quarto modo, reſoluenda eſt in diſiunctiuam, cuius partes contradictoriè opponantur partibus præcedentis. Ex his propoſitionibus prima cum ſecunda, & tertia cum quarta contradictoriè opponuntur, Prima & tertia contrariè. Secunda & quarta ſubcontrariè. Prima cum quarta, & tertia cum ſecunda, ſubalternè. Huiuſmodi propoſitiones, illarumque oppoſitionem his dictionibus explicat Toletus: *Date, Prompti, Penam, Pigro*, quæ eodem ordine, quo ſcribuntur reſpondent quatuor propoſitionibus ſupra adductis, eundémque oppoſitionis ordinem ſeruant, quem nuper retulimus in propoſitionibus: binæque vocales ipſarum ſignificant duplicem propoſitionem, in quam reſoluitur propoſitio exceptiua, cum hac tamen differentia, quòd propoſitiones primæ & tertiæ dictionis quandam coniunctiuam componant, ex propoſitionibus ſecundæ & quartæ diſiunctiua efficiatur propoſitio. 6

CONTRO

CONTROVERSIA IV.

De ſtructura ſyllogiſtica.

Pvnctvm Primvm.

Quibus principiis innitatur ſyllogiſtica conſtructio?

1 Vis ſyllogiſtica talis eſt, vt eâ quis teneatur, præmiſſis ſemel conceſſis conſequentiam ineuitabiliter admittere, & verum eſſe conſequens fateri. De hac vi ſyllogiſtica rogamus modò, cui innitatur principio, quódve illius ſit fundamentum?

2 Dicendum eſt vim ſyllogiſticam inniti huic principio, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Probatur concluſio ex modo, quo termini diſponendi ſunt in ſyllogiſmo, quem Punct. 3. explicabo, hic enim talis eſt, vt prius extremitates, quas in conſequenti coniungit, in præmiſſis cum alio tertio, cum medio videlicet coniunxerit, ita vt ex eo inter ſe conueniant per identitatem, quia per identitatem vni tertio conuenerint, & dum hæc identitas vni tertio non præceſſerit reſpectu vtriuſque extremitatis, nullo modo liceat inferri extremorum identitas. Secundò quia ſi aliis principiis inniteretur, his eſſet, *Dici de omni, Dici de nullo* hoc eſt, quidquid affirmatur de ſuperiori, affirmatur de inferiori ſub illo côtento; & quidquid negatur de ſuperiori, negatur de inferiori, quod ſub illo continetur. Sed hæc principia totum ſuum robur deſumunt ex alio principio, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: ergo huic primo innititur tota forma ſyllogiſtica. Minorem probo; ideo quidquid prædicatur de ſuperiori, prædicatur de inferiori, quia inferius ſecundùm ſe totum identificatur cum ſuperiori, vnde cùm inferius & ratio illa, quæ de ſuperiori prædicatur, huic tertio identificetur, neceſſariò debent inter ſe identificari. Vis autem illius principij hæc eſt: *Quidquid negatur de ſuperiori, debet negari de illo, quod cum ipſo eſt identificatum.* Sed inferius eſt identificatum cum ipſo ſuperiori: ergo quidquid negatur de ſuperiori debet negari de inferiori.

3 Confirmatur, Ad hoc vt ex hoc principio. Omnis homo eſt animal, inferamus Petrum eſſe animal, debet ſupponi alia præmiſſa, Petrus eſt homo, ex vi cuius Petrus identificetur cum homine, cum quo fuit identificatum animal in propoſitione vniuerſali: ergo principia vniuerſalia, ſeu vniuerſales propoſitiones non immediatè inferunt inferioribus conuenire rationem, quæ de illorum ſubiecto prædicatur, quouſque hæc inferiora cum eodem ſubiecto identificata cognoſcantur; ergo nihil infertur ex vi horum principiorum ſine identitate vni tertio.

4 Vltimò hæc eſt recta illatio & perfectiſſimus ſyllogiſmus, Hic homo currit, Petrus eſt hic homo: ergo Petrus currit, in qua partem non habent illa principia, *Dici de omni, Dici de nullo*: ergo non illis innititur vis argumentationis, ſeu ſyllogiſmi, ſed huic principio, *Quæ ſunt eadem*, &c. quod hic reperitur.

5 Obiicies: Hoc principium, *Quæ ſunt eadem*, &c. non habet locum in diuinis: ergo non conſiſtit in illo vis ſyllogiſtica, quæ in humanis, & diuinis conſtans eſſe debet. Antecedens probo: Hæ propoſitiones ſunt veræ, Pater eſt Deus. Filius eſt Deus, & non licet inferre: ergo Pater eſt Filius: ergo non ea quæ identificantur vni tertio, identificantur inter ſe. Reſpondeo hanc difficultatem in omnium opinione eundem habere locum, quia in creatis ſyllogiſmus expoſitorius côſtans terminis ſingularibus vim habet, & tantùm huic innititur principio. Secundò quia, vt dicebam, ideo de inferioribus dicitur, quidquid dicitur de ſuperiori, quia inferiora ſunt identificata cum ſuperiori, in diuinis autem non quidquid dicitur de natura diuina, dicitur de Paternitate, aut Filiatione, quæ cum natura identificantur. Rurſus principium illud, *Quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. vim habet in diuinis reſpectu prædicatorum, quæ notionalia non ſunt: ergo hoc principium ex ſe fundamentum eſt formæ ſyllogiſticæ. Quod autem in diuinis non poſſint redargui principia illa, *Dici de omni, & Dici de nullo*, ideo eſt, quia in diuinis non eſt omne, neque nullum, quæ dicunt prædicata vniuerſalia, quæ in inferiora multiplicentur, natura autem diuina, etſi in tribus perſonis reperiatur, eadem eſt in omnibus abſque vlla naturarum multiplicatione. Cur verò principium hoc, *Quæ ſunt eadem*, &c. in diuinis locum non habeat reſpectu notionalium tractent Theologi, ex quibus nonnulli ad diſtinctionem rationis; alij ad diſtinctionem virtualem; alij ad identitatem inadæquatam naturæ cum quolibet prædicato notionali, ſiquidem cum aliis etiam identificatur; alij ad noſtrum concipiendi modum recurrunt, cui difficultati modò ſuperſedeo, quia nimis abs re eſſet in Summulis difficillimum Trinitatis myſterium explicaſſe.

Pvnctvm II.

Deducuntur nonnulla corollaria ex doctrina tradita.

Ex dictis primò infero, omnem argumentationem debere conſtare tribus propoſitionibus, & tribus tantùm terminis, quorum duo in duabus prioribus cum tertio identificentur, vt ex hac identitate, ipſorum identitas in concluſione inferatur, totum enim negotium ſyllogiſticum in eo conſiſtit, vt illa, quæ in præmiſſis cum medio identificata ſignificantur, in conſequentia inter ſe identificata ſignificentur iuxta principium traditum, *Quæ ſunt eadem*, &c. Hinc fit omnem argumentationem ad ſyllogiſmum reduci; Enthymema enim vim habet ratione propoſitionis aliûs, quæ ſubticetur, cùm enim dicimus, *Omnis homo eſt animal: ergo Petrus eſt animal*, ſubintelligimus minorem propoſitionem, *Petrus eſt homo*, quâ non ſubintellectâ conſequentia non eſſet legitima. Ob hanc rationem in mente, in qua nulla poteſt ſuppleri propoſitio, nullum datur Enthymema. Similiter cùm ab Exemplo arguitur, *Petrus facit hoc: ergo tu poteris facere*, ſubintelligitur maior propoſitio: *Quod poteſt facere Petrus, tu poteris facere*, aliàs vim argumentatio non obtinebit. Dilemma habet duo Enthymemata, quæ in mente duo ſunt integri ſyllogiſmi, cùm enim dicimus, *Si vacaſti litteris, & eas non didiciſti, ingenio es hebes*, ſupponitur maior, *Omnis qui vacat litteris, & illas non diſcit, ingenio eſt hebes*; cùm verò ad aliam partem peruenitur, *ſi non vacaſti litteris, negligens es*, ſubticetur propoſitio iſta: *Qui non vacat litteris negligens eſt.* Similiter in Inductione cùm dicimus, *hic homo currit, & hic homo currit*, &c. *ergo omnis homo currit.* Subticetur minor: *ſed hic homo, & hic homo*, &c. *eſt omnis homo.* 1

Infero ſecundò ex vero nunquam poſſe falſum inferri. Ratio eſt deſumpta ab eodem principio, quia ſi verum eſt extremitates identificari cum medio, neceſſum eſt inter ſe identificari: & ita verè hæc de illa neceſſariò prædicabitur. 2

Infero tertiò ex falſo poſſe aliquando verum inferri, quia poſſunt inter ſe identificari illa, quia alicui tertio non identificantur. Sed in hac illatione contingit, *Omnis homo eſt arbor. Platanus eſt homo, ergo Platanus eſt arbor*, in qua conſequens ratione materiæ verum eſt, & illatio legitima propter diſpoſitionem terminorum, ex vi cuius extremitates ſignificantur identificatæ cum vno tertio, quod ſi verum eſſet, non poſſent inter ſe non identificari.

Inferò quartò ex terminis purè particularibus nihil poſſe inferri, quia cùm terminus particularis ſupponere poſſit pro hoc vel pro illo, poteſt in hac maiori propoſitione pro iſto ſupponere, & in minori pro altero, & ita nulla identitas vni tertio his propoſitionibus continebitur. Sic contingit in hoc ſyllogiſmo, Aliquis homo eſt currens. Petrus eſt aliquis homo: ego Petrus eſt currens. Cuius illatio legitima non eſt, quo aliquis homo qui eſt currens, nô eſt neceſſariò idem cum illo, aliquis homo qui eſt Petrus, quia aliquis homo qui eſt currens poteſt eſſe Ioannes, & aliquis homo qui eſt Petrus, neceſſariò eſt Petrus. Ob hanc rationem medium cuiuſque ſyllogiſmi, ſi non ſit ſingulare, ſaltem in vna propoſitione debet eſſe diſtributum, 3

Infero quintò ex præmiſſis vniuerſalibus propoſitionem vniuerſalem ſemper inferri. Ratio eſt, quia earum extremitatum inter ſe identitas debet inferri, quæ in præmiſſis vni tertio identificatæ præceſsêre: ergo ſi extremitates, quæ præceſsêre identificatæ cum medio. fuêre 4

Digitized by Google

vniuerſales:eorumdem debet identitas inferri, quæ propoſitionem vniuerſalem conſtituet. Licebit tamen ex vniuerſali illata,particularẽ iterum inferre,quia particularis propoſitio in vniuerſali continetur, valet enim, Omnis homo eſt ſenſitiuus,ergo aliquis homo eſt ſenſitiuus.Ob hanc rationem damnandus non eſt, qui loco propoſitionis vniuerſalis particularem infert, licet non inferat totum id, quod poteſt, quia particulare quod infert continetur in vniuerſali, quod poterat inferri, & ita quandam veluti partem conſequentis deducit,& alias omittit: ſic ſecundò quia poteſt præſumi retinere immediatam conſequentiam propoſitionis vniuerſalis, & exprimere mediatam propoſitionis particularis ex vniuerſali deductam.

6 Sextò infero,concluſionem negatiuam non poſſe inferri ex duabus præmiſſis negatiuis, ſed ex vna affirmatiua, & altera negatiua, affirmatiuámque concluſionem, non niſi ex duabus præmiſſis affirmatiuis poſſe deduci. Prior pars concluſionis probatur,quia ex eo quod duæ extremitates alicui tertio non ſint identificatæ,& de illo poſſint negari,non ſequitur non eſſe inter ſe identificatas. Secundò, quia ad negandum aliquid de hac re,ex eo quod de illa negetur prius, debet hæc res per propoſitionem affirmatiuam ſignificari identificata cum illa. Poſterior pars quidem concluſionis ſic oſtenditur. Ideo ſignificantur affirmatiuè in conſequentia extremitates inter ſe identificatæ, quia in præmiſſis ſignificatæ præceſsére identificatæ vni tertio: ergo vtraque debuit per affirmationem ſignificari identificata vni tertio,quod dicitur medium: ergo vtraque præmiſſa debuit eſt affirmatiua, vt ex illis affirmatiuè concludatur.

7 En quomodo iuxta illud principium, *Quæ ſunt eadem vni tertio*,&c.à priori ratio aſſignetur omnium proprietatum ſyllogiſmi, quæ hoc principio ſecluſo non poterunt peti ex illis, *Dici de omni*,*Dici de nullo*.

Pvnctvm III.

De materia & forma, ſeu figura ſyllogiſtica.

1 Conſtat ex doctrina tradita ſyllogiſmum tres propoſitiones includere,quarum tertia ex duabus præmiſſis infertur. Huius materia remota termini erunt, ex quibus propoſitiones efficiuntur;hæ autem proxima materia ſyllogiſmi ſubſiſtent. Forma ſyllogiſmi eſt ratio illa, propter quam vna propoſitio ex aliis infertur, ex vi enim huius illationis propoſitiones vnum ſyllogiſmum conſtituere dicuntur. Hæc ratio inferendi eſt diſpoſitio terminorum,quâ ita extremitates diſtribuuntur,vt in præmiſſis vni tertio identificentur,ex qua identitate ipſarum identitas inter ſe infertur in conſequentia: Quapropter ex diuerſa terminorum diſpoſitione, diuerſa forma ſyllogiſtica conſurgit,ex diuerſa autem forma ſyllogiſmum ſpecie diuerſum conſtitui neceſſe eſt.

2 Hinc colligo triplicem eſſe figuram ſyllogiſticam, & triplicem ſyllogiſmum ſpecie diſtinctum, quia triplici tantùm modo poſſunt inter ſe diſponi termini ſyllogiſmi. Primo modo poteſt eſſe medium ſubiectum Maioris, & prædicatum Minoris, & hæc diſpoſitio ſyllogiſmum ad primam figuram ſpectantem conſtituit. Secundò, poteſt eſſe Medium prædicatum in vtraque propoſitione,& hac ratione in ſecunda figura ſyllogiſmus conſtituetur.Tertiò poteſt eſſe Medium ſubiectum vtriuſque propoſitionis, & hoc modo fit ſyllogiſmus pertinens ad tertiam figuram.

3 Dices,poſſe alio modo terminos diſponi,ſi Medium fiat prædicatum Maioris, & ſubiectum Minoris. Reſpondeo non ex eo dici propoſitionem maiorem, aut minorem, quòd priùs, poſteriúſve proferatur, quia in ſyllogiſmo mentali propoſitiones omnes ſimul apprehenduntur, ſed illam dici maiorem propoſitionem, in qua Medium eſt ſubiectum, & altera extremitas eſt prædicatum aut ſubiectum vtriuſque, ac proinde implicat in maiori propoſitione Medium eſſe prædicatum,quia ex eo præciſè propoſitio intrinſece poteſt dici maior, quia in illa Medium ſe habet tanquam ſubiectum, & altera extremitas tanquam prædicatum.In ſecunda autem tertia figura,in quibus Medium aut eſt prædicatum,aut ſubiectum vtriuſque propoſitionis, nulla propoſitio intrinſecè & ex ſe maior dici poteſt,neque in ſyllogiſmo mentali maior,aut minor aliquo modo reperitur, ſed tantùm in vocali extrinſecè, & quoad nos, propoſitio, quæ primo loco profertur Maior dicitur,& quæ poſteriorem obtinet locum,Minor appellatur.

4 Iuxta hanc diſpoſitionem terminorum plures ſyllogiſmi conſtrui poſſunt, quos omnes his carminibus Dialectici deſcribunt.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Pro quorum intelligentia aduerte in his carminibus reperiri has vocales, *A, E, I, O,* quibus in ordine ad quantitatem, & qualitatem propoſitionum, ea ineſt ſignificatio,de qua ſæpe mentionem fecimus,quæque illo verſiculo exprimitur:

Aſſerit A, *negat* E, *ſunt vniuerſaliter ambæ,*
Aſſerit I, *negat* O, *ſunt particulariter ambo.*

Quod ſi in hac dictione *Friſeſomorum* reperiatur littera *V.* ad nihil deſeruit, quia eſt in quarto loco conſtituta tantùm ad carminis ſonum.Semper enim tantum habenda eſt ratio de tribus prioribus vocalibus,quibus tres ſyllogiſmi propoſitiones ſuo ordine reſpondent. Maior primæ litteræ,ſecundæ Minor,Conſequentia tertiæ.Deinde nota his quatuor carminibus denotari tres figuras ſyllogiſticas, quas recenſuimus. Ad primam figuram pertinent nouem priores dictiones *Barbara* vſque ad *Friſeſomorum* incluſiuè, quæ habentur duobus prioribus carminibus. Ad ſecundam ſpectant quatuor priores dictiones tertij carminis, videlicet *Ceſare*, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco*: ſex aliæ dictiones, quæ reſtant, tertiæ figuræ ſyllogiſmos ſignificant.

5 Ex nouem ſyllogiſmis primæ figuræ quatuor priores perfecti dicuntur, in quibus terminorum diſpoſitio ita Conſequens infert,& extorquet ex vi illationis,vt ex ipſa terminorum apprehenſione euidens ſit conſequentia. Quinque poſteriores,etſi legitimam habeant conſequentiam, non adeò clarè præ oculis monſtrant illationis vim. Horum ſyllogiſmorum differentia ex eo procedit, quòd quatuor priores directè,& quinque poſteriores indirectè concludant. Concludi directè dicitur,cùm extremitas, quæ erat prædicatum Maioris fit prædicatum in Conſequentia,& in eadem fit ſubiectum extremitas,quæ erat ſubiectum Minoris.Indirectè concludi dicitur,quando extremitas quæ erat prædicatum Maioris fit ſubiectum in conſequentia, & in eadem vt prædicatum conſtituitur extremitas,quæ Minoris fuit ſubiectum.Hic modus indirectè concludendi tantum reperitur in quinque poſterioribus ſyllogiſmis primæ figuræ, quatuor enim eiuſdem primæ figuræ directè concludunt: & in ſecunda & tertia non poteſt dari concluſio indirecta, cùm non detur vna extremitas,quæ ſit ſubiectum,& altera quæ ſit prædicatum ſed vtraque ſubiectum in ſecunda figura, & vtraque prædicatum in tertia figura ſit.

6 Secundùm has regulas facile erit ſyllogiſmum conſtruere in qualibet ex his dictionibus,id præſtabo in tribus dictionibus reſpondentibus tribus figuris, vt horum præceptorum praxim intuearis. Sit primus ſyllogiſmus in *Dabitis*: dictio hæc ad primam figuram pertinet,ideo ſyllogiſmus illi reſpondens, habere debet Medium ſubiectum Maioris,& prædicatum Minoris.Prima littera illius eſt *A*,quæ ſignificat vniuerſalem affirmatiuam,duæ poſteriores ſunt *I,I*,quibus propoſitiones particulares affirmatiuæ debent reſpondere.Pertinet inſuper hæc dictio *Dabitis* ad quinque poſteriores,quæ indirectè concludunt,ideo in Conſequentia debet poni ex parte prædicati extremitas,quæ eſt ſubiectum Minoris, & ex parte ſubiecti altera extremitas, quæ eſt prædicatum Maioris. Quæ omnia ad praxim reducta inuenies in hoc ſyllogiſmo:

Omnis homo eſt animal:
Petrus eſt homo:
Ergo aliquod animal eſt Petrus.

Pertineret hic ſyllogiſmus ad *Darij* ſi directè concluderet, *ergo Petrus eſt animal*. Si ſyllogiſmus faciendus ſit in *Ceſare*, quia dictio hæc pertinet ad ſecundam figuram,

Medium

Digitized by Google

Medium debet eſſe prædicatum vtriuſque præmiſſæ, & quia prima, & tertia littera ſunt *E*, *E*, Maior & conſequentia debent eſſe vniuerſales negatiuæ, Minor verò vniuerſalis affirmatiua debet eſſe ſignificata per ſecundam litteram *A*, quæ omnia in hoc ſyllogiſmo reperies:

Nullus lapis eſt homo.
Omne rationale eſt homo.
Ergo nullum rationale eſt lapis,

Si placuerit ſyllogiſmum fieri in *Darapti*, quia dictio hæc ad tertiam figuram ſpectat, Medium debet eſſe ſubiectum vtriuſque præmiſſæ: & quia prima, & ſecunda littera *A*, *A*, vtraque præmiſſa vniuerſalis affirmatiua futura eſt: & quia tertia littera eſt *I*, conſequentia debet importare propoſitionem particularem affirmatiuam. Harum conditionum hic ſyllogiſmus praxis eſto:

Omnis homo eſt animal:
Omnis homo eſt rationalis:
Ergo aliquod rationale eſt animal.

PVNCTVM IV.

De aliis ſyllogiſmis.

1 ARiſtoteles *c.1. Priorum*, agit de ſyllogiſmo expoſitorio, qui à præcedentibus enumeratis differt, quia hic Medium habet ſingulare, illi verò Medio communi gaudent. Syllogiſmus, cuius medium eſt ſingulare, *expoſitorius* dicitur, quia adeò clarè concludit, vt præ oculis videatur rem exponere, quapropter nõ abs re aliquibus huiuſmodi ſyllogiſmi demonſtrationes ſenſibiles appellantur. Tota vis huius ſyllogiſmi, ſicuti & aliorum, ex illo principio, *Quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. deſumitur, & adeò eſt manifeſta, quia praxis huius principij in hoc ſyllogiſmo clariùs cernitur, illa enim quæ cum quodam ſingulari cognoſcuntur identifica, perſpicuè videntur identificata vni tertio: nihil enim magis eſt vnum, quàm illud quod ſingulare eſt. Poſſunt huiuſmodi ſyllogiſmi fieri in prima, ſecunda, & tertia figura; poſſunt conſtare extremitatibus ſingularibus, aut particularibus, & etiam vniuerſalibus, dum Medium ſemper ſingulare ſit; poſſunt etiam affirmatiuè, aut negatiuè concludere; exempla abundè ſuppetunt. Syllogiſmus hic conſtat extremitatibus particularibus, concludit negatiuè, & ad primam figuram pertinet:

Petrus non eſt diues:
Hic homo eſt Petrus:
Ergo hic homo non eſt diues:

Exemplum ſyllogiſmi pertinentis ad ſecundam figuram affirmatiuè concludentis, non extremitatibus particularibus, ſubſequens ſyllogiſmus eſto.

Aliquis homo eſt Petrus:
Aliquod album eſt Petrus:
Ergo aliquod album eſt aliquis homo.

Ad tertiam figuram pertinebit hic ſyllogiſmus conſtans extremitatibus vniuerſalibus.

Omne aſtrum efficiens diem eſt hic Sol:
Omnis Planeta qui eſt in quarto cœlo eſt hic Sol.
Ergo omnis Planeta qui eſt in quarto cœlo, eſt aſtrũ efficiens diẽ.

Poſſunt alij quàm plures ſyllogiſmi expoſitorij in dictionibus ſuprà aſſignatis fieri, quorum plures, ſi placet, videre potes apud P. Fonſecam lib. 6. c. 23. & 24. qui abundè & doctè hæc omnia pertractat.

2 Notare autem oportet in his ſyllogiſmis non poſſe cõcludi negatiuè, ſi extremitas ſe tenens ex parte prædicati in conſequentia non ſit terminus ſingularis, ſed particularis, hæc enim eſt mala argumentatio: *Aliquis homo eſt Petrus: Ioannes non eſt Petrus: Ergo Ioannes non eſt aliquis homo.* Ratio eſt, quia totum id quod negatur in concluſione de aliqua extremitate, debet in præmiſſis ſignificari identificatum cum Medio, cum quo altera extremitas de qua negatur fuit identificata, quod hic non contingit; cùm enim dico in conſequentia, *ergo Ioannes non eſt aliquis homo*, nego de Ioanne omnes homines, quos non identificaueram in præmiſſis cum Medio, ſed vnum tantùm, quia vnius identitas ſufficit ad veritatem huius propoſitionis, *aliquis homo eſt Petrus*, omniúmque diſtinctio requiritur ad veritatem huius: *Ergo Ioannes non eſt aliquis homo.*

3 Longam nonnulli diſputationem texunt de ſyllogiſmis obliquis, hypotheticis, & modalibus, qui tales dicuntur, quia terminis conſtant in obliquo ſignificatis, & propoſitionibus hypotheticis aut modalibus componuntur. De his ſyllogiſmis nihil peculiare dicendum occurrit, præter illa, quæ de ſyllogiſmo in communi dicta ſunt, eiſdem enim regulis illorum conſtructio dirigitur. Id autem debet diligenter attendi in his ſyllogiſmis, quia in illis maior eſt occaſio terminos multiplicandi, ratione alicuius modi, aut caſus obliqui, vt quælibet affectio, quæ ſemel ponitur in aliquo termino, ſiue ratione modi, ſiue ratione caſus obliqui, ſemper eundem terminum terminetur, aliàs ſyllogiſmus quatuor terminis conſtabit, vt videre eſt in hoc ſyllogiſmo: *Omnis equus Petri currit: Brunelus eſt equus: ergo Brunelus currit*, quia *equus Petri*, & *equus* ſine addito duos efficiunt terminos. Vltimò aduerte, quando Medium in aliqua ex præmiſſis in obliquo ſignificatur alteram extremitatem conſequentiæ in obliquo eſſe ponendam. Exemplum eſto: *Omnis homo eſt equus: Petrus eſt homo: ergo Petro eſt equus.* Ratio petenda eſt ex conſtructione verbi *eſſe* cùm enim extremitas, & medium ſe tenent ex parte ſubiecti cum eodem verbo *eſt* eodem modo conſtrui debent: ſyllogiſmus enim ille in hunc redit: *Omni homo habet equum, Petrus eſt homo: ergo Petrus habet equum.*

PVNCTVM V.

De reductione ſyllogiſmorum per oſtenſionem, & per impoſſibile.

ETſi omnes ſyllogiſmi facti in dictionibus ſuprà relatis *Barbara, Celarent*, &c. legitimè concludant, non tamen ſi quatuor primos excipias, qui perfecti appellantur, adeò clarè patet vis illationis in aliis, vt non poſſit eiſdem terminis aliter diſpoſitis per eaſdem aut æquiualentes propoſitiones euidentiùs oſtendi. Hoc fit per reductionem cuiuſcumque ad vnum ex quatuor prioribus perfectiſſimis, in quibus adeò euidens eſt conſequentia, vt qui illam neget, amplius redarguendus non ſit, ſed à litteratorum hominum cœtu exterminandus. Hæc reductio duplici modo fit: *per oſtenſionem*, & *per impoſſibile*: dicam modò de reductione factâ per oſtenſionem, poſteaque ad reductionem per impoſſibile faciendam deueniam. 1

Vt artificium huius reductionis agnoſcas, nota dictiones omnes in illis carminibus contentas habere vnam ex his litteris initialem *B, C, D, F*, quæ correſpondent initialibus quatuor ſyllogiſmorum perfectorum *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, cuius correſpondentiæ ſignificatio hæc eſt: Syllogiſmi omnes facti in dictionibus, quarum initialis eſt *B*, ad *Barbara*; facti in dictionibus, quarum initialis eſt *C*, ad *Celarent*; facti in dictionibus, quarum initialis eſt *D*, ad *Darij*; facti in dictionibus, quarum initialis eſt *F*, ad *Ferio* reducendi ſunt. Excipiuntur ab hac regula *Baroco*, & *Bocardo*, quorum ſyllogiſmi per oſtenſionem reduci nequeunt, quia conſtant duabus particularibus negatiuis, quæ nulla conuerſione fieri poſſunt vniuerſales affirmatiuæ, quibus neceſſariò debet conſtare ſyllogiſmus factus in *Barbara*, ad quem reducendi eſſent facti in *Baroco*, & *Bocardo*. 2

Aduertas ſecundò in omnibus dictionibus reperiri ſaltem aliquam litteram ex his *S, P, M*, quarum ſignificatio hæc eſt: littera *S* ſignificat propoſitionem ſignificatam per litteram antecedentem, conuertendam eſſe ſimpliciter: littera *P* ſignificat conuertendam eſſe per accidens: littera *M* ſignificat commutandas eſſe præmiſſas, & ex maiori faciendam eſſe minorem, & ex minori maiorem. Quod ſi hæ omnes litteræ in eadem dictione reperiantur, omnes illarum ſignificationes obſeruandæ ſunt. Exemplum accipe in *Fapeſmo* in quo occurrit praxis omnium præceptorum, quæ circa conuerſionem tradidimus. 3

Omnis homo eſt animal:
Nullus equus eſt homo:
Ergo aliquod animal non eſt equus.

Syllogiſmus hic factus in *Fapeſmo* ad *Ferio* reducẽdus propter litteram *F* initialem. Deinde ex illius minori maior, & ex maiori minor fieri debet propter litteram *M*, in hac dictione repertam. Inſuper propoſitio, quæ antea erat minor, & maior eſt conſtituenda, conuertenda eſt ſimpliciter, quia poſt ſecundam litteram *E* prædictæ dictionis, quâ litterâ minor ſignificatur, reperitur *S*. Rurſus propoſitio, quæ antea erat maior, & minor facienda eſt, per accidens conuerti debet, id enim expoſcit littera *P* immediatè poſita poſt primam litteram *A*, quâ maior propoſitio

Digitized by Google

ſignificatur. Conſequentia inuariata debet permanere, quia poſt tertiam vocalem, quâ ſignificatur, non alia littera reperitur quæ conuerſionem aliquam ſignificet. Horum omnium praxis hæc eſt. Minor prioris ſyllogiſmi hæc erat, *Nullus equus eſt homo* conuerſa ſimpliciter hæc erit, *Nullus homo eſt equus.* Maior prioris ſyllogiſmi erat *Omnis homo eſt animal*, quæ per accidens conuerſa hæc erit, *aliquod animal eſt homo.* Conſequentia erat, *Ergo aliquod animal non eſt equus*, hæc inuariata ex propoſitionibus conuerſis poſitâ minori loco maioris, & maiori loco minoris in hoc ſyllogiſmo infertur.

Nullus homo eſt equus.
Aliquod animal eſt homo.
Ergo aliquod animal non eſt equus.

Sic in omnibus aliis ſyllogiſmis cuiuſcumque figuræ excepto *Bocardo* & *Baroco* reductionem legitimam per oſtenſionem factam inuenies iuxta prædictas regulas.

4 Reductio altera *per impoſſibile* dicitur, quia ex vi illius trahitur reſpondens ad duo contradictoria concedenda, quæ ſimul dari impoſſibile eſt. Ad hanc reductionem faciendam ſume tibi dictiones has, *Neſciebatis*, *Odiebam*, *Letare Romanis*, in quibus has tantùm vocales reperies *A, E, I, O.* *A* ſignificat figuram *Barbara*; *E Celarent*; *I Darij*; *O Ferio*; cum correſpondentia vocalium ad vocales vltimas quatuor dictionum *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, quibus vocalibus conſequentiæ horum ſyllogiſmorum ſignificantur. Inſuper aduertas in prima dictione reperiri quinque vocales ſuo ordine ſignificantes quinque ſyllogiſmos imperfectos primæ figuræ, & in ſecunda reperiri quatuor vocales eodem ordine ſignificantes quatuor ſyllogiſmos tertiæ figuræ, tandem in duabus vltimis dictionibus ſex reperiri cum eodem ordine reſpondentes ſex ſyllogiſmis tertiæ figuræ. Ex his facile erit deduci ad quem ſyllogiſmum ex quatuor perfectis cuilibet ex imperfectis ſit reducendus. Exempli gratiâ, ſcire vis ad quem modum reducendus ſit ſyllogiſmus factus in *Camestres*: Primò aduerte ad quam figuram pertineat, & quem locum in illa obtineat, deprehendis pertinere ad ſecundam figuram, & in hac ſecundum locum occupare, ex quo inferes huiuſmodi ſyllogiſmum ſignificari per ſecundam litteram ſecundæ dictionis *Odiebam*, quæ eſt *I*, *Darij* correſpondens, ex quo deducis ſyllogiſmum factum in *Cameſtres* ad *Darij* per impoſſibile eſſe reducendum, & ſic in omnibus aliis iuxta præſcriptas regulas.

5 Acquiſitâ iam notitiâ modi perfecti ad quem reducendus eſt quilibet imperfectus ſyllogiſmus, hanc regulam deſume tibi pro ſyllogiſmis imperfectis primæ figuræ. Negatâ conſequentiâ, ſubſume cõtradictoriam illius, quæ tibi concedenda eſt, ne negetur duplex propoſitio contrádictoria, hácque Maiorem conſtitue, & Maiorem ſyllogiſmi conceſſi Minorem effice, excluſâ propoſitione, quæ antea erat Minor, & inferes legitimè in ſyllogiſmo perfecto contradictoriam Minoris excluſæ, & iam conceſſæ. Exemplum eſto ſyllogiſmus factus in *Baralipton*:

Omnis homo eſt animal.
Omne rationale eſt homo:
Ergo aliquod animal eſt rationale.

Quem ita reduces, ſi maiori, & minori conceſſa negetur conſequentia:

Nullum animal eſt rationale:
Omnis homo eſt animal:
Ergo nullus homo eſt rationalis.

6 En ſyllogiſmum factum in *Celarent*, quia reſpondet primæ vocali *E* primæ dictionis, in quo Maior negari nequit, quia contradictoriè opponitur cum conſequentia negata; Minor neceſſariò eſt concedenda, quia conceſſa fuit in priori ſyllogiſmo in quo erat maior. Conſequentia eſt legitima, & non poteſt non admitti, quâ admiſsâ inferes has propoſitiones eſſe ſimul veras, *Nullus homo eſt rationalis: Omne rationale eſt homo.* Priorem eſſe veram monſtat ſyllogiſmus perfectus factus in *Celarent*. Poſterior conceſſa fuerat in primo ſyllogiſmo imperfecto, in quo erat minor. His propoſitionibus ab aduerſario admiſſis negatiuâ ſimpliciter conuerte, *Nullum rationale eſt homo*, & euinces has propoſitiones contrarias eſſe ſimul veras, *Nullum rationale eſt homo: Omne rationale eſt homo*, ex quibus tandem duplicem contradictoriam deduces inferendo ſubalternatá ex qualibet ſubalternante contraria: v.g. ex hac propoſitione, *Omnis homo eſt animal: Aliquis homo eſt animal*, & ſic tenebitur aduerſarius admittere has propoſitiones eſſe veras, *Aliquis homo eſt animal: Nullus homo eſt animal*: aut ex negatiua vniuerſali, *Nullus homo eſt animal*, ſubalternatam inferas, *Aliquis homo non eſt animal*, tenebitur concedere has contradictorias eſſe ſimul veras, *Omnis homo eſt animal: Aliquis homo non eſt animal.* Concluditur ſemper, in ſyllogiſmo perfecto, ad quem fuit facta reductio, propoſitio aliqua, quæ ſi contradictoria non eſt propoſitionis excluſæ conuerſione facta ſimpliciter, vel per accidens, inferat duplicem contradictoriam, vel duplicem contrariam, ex quibus duplex contradictoria educatur.

In *Celantes* alio modo reductio facienda eſt ſumpta minori conceſſa loco maioris, & contradictoria conſequentiæ negatæ pro minori, & inferunt contradictorium maioris excluſæ per conuerſionem ſimpliciter maioris excluſæ, vel conſequentiæ illatæ. Exemplum accipe in hoc ſyllogiſmo: *Nullus homo eſt lapis, Omne riſibile eſt homo: ergo nullus lapis eſt riſibilis*, qui ex *Celantes*, hoc modo reducetur ad *Darij* iuxta prædictas regulas: *Omne riſibile eſt homo*; hæc erat minor, ex qua facta fuit maior: *Aliquis lapis eſt riſibilis*; hæc eſt contradictoria conſequentiæ negatæ, *Ergo aliquis lapis eſt homo.* Hæc conſequentia neceſſariò debet concedi, quia concludit in *Darij*, maior excluſa erat, *Nullus homo eſt lapis*, quæ ſi conuertatur ſimpliciter, hanc reddet, *Nullus lapis eſt homo*, quæ eſt propoſitio contradictoria, conſequentiæ illatæ, videlicet, *Aliquis lapis eſt homo.* Poterit etiam inuariatâ permanere maior excluſa, *Nullus homo eſt lapis*, & ſimpliciter in conſequentia illata conuerti, & tunc aduerſarius trahetur ad has contradictorias, *Nullus homo eſt lapis, aliquis homo eſt lapis.* 7

Syllogiſmi ſecundæ figuræ reducuntur ſumpta contradictoria concluſionis pro minori, inuariata maiori, & infertur contradictorium minoris excluſæ, exempli gratia: *Nullus lapis eſt animal: Omnis homo eſt animal: Ergo nullus homo eſt lapis*, qui ſyllogiſmus eſt in *Ceſare*, & ad *Ferio*, iuxta prædictas regulas hoc modo reducitur: *Nullus lapis eſt animal*, hæc erat maior ſyllogiſmi præcedentis, quæ inuariata debebat permanere: *Aliquis homo eſt lapis*, hæc eſt contradictoria conſequentiæ negatæ: *Ergo aliquis homo non eſt animal*, quæ opponitur contradictoriè minori excluſæ, *Omnis homo eſt animal.* 8

Syllogiſmi tertiæ figuræ reducuntur ſumpto contradictorio pro maiori, minori inuariata, excluſa maiori, & ſic infertur, in *Darapti* contraria maioris excluſæ, ex qua contradictoria deducitur; in reliquis verò excepto *Darapti* immediatè infertur contradictoria maioris excluſæ. Exemplum accipe in *Darapti*: *Omnis homo eſt animal: Omnis homo eſt riſibilis: ergo aliquod riſibile eſt animal.* Hic ſyllogiſmus reducendus eſt ad *Celarent*, iuxta primam litteram huius particulæ *Letare*; ſubſume ergo tibi contradictorium conſequentiæ negatæ, *Nullum riſibile eſt animal.* Deinde minorem conceſſam: *Omnis homo eſt riſibilis*, & legitimè inferes, *Ergo nullus homo eſt animal*, quæ eſt contraria maioris excluſæ & iam conceſſæ. In reliquis infertur contradictoria maioris excluſæ, vt monſtrabit reductio huius ſyllogiſmi facti in *Diſamis*: *Aliquis homo currit: Omnis homo eſt riſibilis: Ergo aliquis riſibilis currit*, qui ſic reducitur ad *Celarent*, iuxta prædictas regulas: *Nullum riſibile currit: Omnis homo eſt riſibilis: Ergo nullus homo currit.* In quo ſyllogiſmo conſequens illatum opponitur contradictoriè maiori excluſæ. *Aliquis homo currit.* 9

Felapton à regula tradita excipitur, conuertitur enim ſumpto contradictorio conſequentiæ pro maiori, & minori inuariata, infertúrque contraria maioris excluſæ: v.g. *Nullus homo eſt equus: Omnis homo eſt rationalis; Ergo aliquod rationale non eſt equus.* Qui ſyllogiſmus reducetur ad *Barbara. Omne rationale eſt equus: Omnis homo eſt rationalis: Ergo omnis homo eſt equus.* In quo ſyllogiſmo conſequens illatum contrariè opponitur cum maiori excluſa. 10

Hæc de ſyllogiſmorum ſtructura, de his verò, quæ pertinent ad influxum præmiſſarum in conſequentiam, & de diſtinctione ſyllogiſmi probabilis, & euidentis, & de his, quæ ad inferendum conſequens prænoſcenda ſunt dicam Controu. 9. Logicæ, vbi de natura Diſcurſus diſputationem inſtituo. 11

CONTRO

CONTROVERSIÆ LOGICÆ:

Auctore R. P. FRANCISCO DE OVIEDO, è Societate Iesv.

PROOEMIVM.

PRÆMITTAM Controuerſiam primam de Scientia in communi, vbi de obiecto materiali, & formali Scientiæ, de ratione practici, & ſpeculatiui, & Scientiarum vnitate & ſubalternatione fuſiùs agam, vt his ſemel exactè confectis, ab iiſdem penitus in aliis materiis ſuperſedeam. Sufficiat in proœmiis Phyſicæ, Metaphyſicæ & aliorum tractatuum, ſi quæ ibi de his occurrunt, in hunc locum Lectorem meum reuocare.

CONTROVERSIA PRIMA.

De proœmialibus Logicæ.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid, & quotuplex ſit obiectum Scientiæ?

COMMVNIS loquendi modus *obiectum*, & *ſubiectum* confundit, & abſque vlla diſtinctione de vtroque loquitur; in re tamen idem non ſunt, obiectum enim propriè dicitur complexum conſtans ſubiecto, & prædicato, & vtriuſque connexione: ſubiectum verò dicitur id, de quo aliquid dicitur vt diſtinctum ab illo, quod ſimul cum ſubiecto, & copulá idem conſtituit obiectum. Itaque in actu ſcientifico ex vi cuius infertur: *ergo Petrus eſt animal*, obiectum huius concluſionis ſcientificæ eſt totum hoc complexum, & ſubiectũ eſt *Petrus* de quo dicitur eſſe animal. Obiectum dicitur à verbo *obiicio*; vnde totum illud, quod mediis actibus attingit intentionalis potentia, obiectum eſt actuum, & ratione horum obiectum potentiæ elicientis tales actus appellari conſueuit. Sentiunt plures communi vulgi indulgentia dici obiectum potentiæ, quod tantùm dici debet obiectum actus, quo tantùm attingitur, non immediatè potentiâ, quæ ex eo tantùm quod elicit actum, dicitur actum attingere; Ego verò cenſeo id, quod actu attingitur non impropriè dici obiectum reſpectu potentiæ, cui obiicitur medio actu, quæ eſt quaſi obiectio, propriùs enim dicitur hoc obiicitur meo intellectui, quàm hoc obiicitur meæ cognitioni. Neque potentia tantùm habet eſſe productiuum actus quo attingitur obiectum, ſicuti ſpecies impreſſa, aut habitus, ſed conſtituit formaliter volentem, ſeu cognoſcentem, quod non habet habitus, neque ſpecies impreſſa, reſpectu quorum ob hanc rationem propriè non dicetur obiectum, quia tantùm attingunt potentiæ obiectum medio actu, qui reſpectu illorum eſt purè effectus. Ex his potentiis habentibus intentionales actus, quibus propriè obiecta conueniunt, tranſlatum eſt nomen obiecti ad effectus cuiuſcumque potentiæ, quo ſenſu dicere ſolemus, obiectum omnipotentiæ eſſe creaturas; hæc tamen loquutio eſt impropria, quia ſtrictè loquendo tantùm dicitur obiectum, quod medio aliquo actu intentionali potentiæ obiicitur.

Obiectum diuiditur in materiale, & formale. Obiectũ *formale* eſt illud, quod primò & per ſe attingitur. Obiectum verò *materiale* appellatur, quod non ratione ſui, ſed ratione obiecti formalis attingitur. Vtrumque obiectum explicabit actus, quo ego amo ſciſſionem venæ propter ſanitatem, reſpectu cuius ſanitas ſe habet vt obiectum formale, propter quam appetitur venæ ſciſſio; & hæc obiectum materiale dicitur, quia non propter ſe, ſed propter ſanitatem amatur; hæc enim cauſalis eſt vera, *quia amo ſanitatẽ, amo ſciſſionem venæ*, & hæc falſa, *quia amo ſciſſionem venæ amo ſanitatem*. Idem contingit in aſſenſu concluſionis propter præmiſſas, cuius formale obiectum ſunt præmiſſæ; & obiectum materiale eſt conſequens illatum, eâdemque proportione cauſandi verum eſt dicere, *quia aſſentior præmiſſis, aſſentior conſequenti*, & hæc eſt falſa, *quia aſſentior conſequenti, aſſentior præmiſſis*. Non reſpectu omnium actuum poſſunt aſſignari obiectum materiale, & obiectum formale realiter inter ſe diſtincta, quia ſæpe obiectũ immediatè, & per ſe eodem modo indiuiſibiliter attingitur ſecundùm omnia, quæ potentiam non ſubterfugiunt, vt contingit in aſſenſu terminato ad hæc complexa *quodlibet eſt, vel non eſt: omne totum eſt maius ſua parte*, &c, & alia huiuſmodi principia

Digitized by Google

cipia per ſe nota, & in omnibus externis ſenſationibus, quæ immediatè attingunt qualitates per ipſas: & nihil aliud diſtinctum ab ipſis, quod poſſit dici attingit medio alio. Ob hanc rationem non probo definitionem obiecti formalis ab Hurtado traditam *diſp.* 1. *ſect.* 1. videlicet, id, quod cognitum, vel amatum ducit in cognitionem alterius, quia non eſt de ratione obiecti formalis aliud attingi medio illo, ſed ipſum immediatè, & per ſe attingi, vt patet in colore, qui eſt obiectum formale viſionis, & medio illo aliud non attingitur. His actibus non ego obiectum materiale aſſigno, quia quidquid ex vi illorum attingitur, per ſe attingitur, & obiectum formale dicitur, & nihil reperitur, quod ratione aliûs eiſdem actibus attingatur.

3 Sunt etiam alij actus, qui feruntur in obiecta inter ſe diſtincta, quorum hoc materiale dicitur, & illud formale appellatur tantùm ratione actus, qui terminatur ad vtrumque, ita vt poſſent inuerſo ordine alium actum terminare, & fieri formale obiectum, quod modò eſt materiale reſpectu huius actus, & quod reſpectu eiuſdem formale dicitur materiale nuncupari: ſic contingit in actu, quo quis amat cibum propter vitam conſeruandam, & in actu, quo poteſt amare vitam propter cibum, qui eadem reſpiciunt obiecta, inuerſo tamen ordine, nam quod materiale eſt reſpectu huius reſpectu illius eſt formale, & quod reſpectu huius formale, reſpectu illius eſt materiale. Idem contingit in actu, quo infero à priori dari lucem, quia datur luminoſum; & in actu, quo arguo à poſteriori dari luminoſum, quia datur lux. Ex his inferes rationem obiecti materialis, & formalis eſſe denominationem deſumptam ab actu, & conſequenter actum non ferri in obiectum vt materiale, aut formale, quia non fertur in illud vt denominatum ab ipſo actu, quod fieri non poſſet, niſi per actum ſupra ſe ipſum reflexiuum, ſed ferri in obiectum eo modo, vt illud conſtituat formale, vel materiale propter diſtinctam rationem, quo illud attingit. Inferes ſimiliter antecedenter ad actum nullum obiectum habere rationem obiecti formalis, aut materialis, imò neque rationem obiecti actualis, ſed capacitatem vt obiiciatur medio actu, quæ capacitas dici ſolet ratio obiectiua, & ita entitas capax ſe obiiciendi, obiectum appellari conſueuit. Habet inſuper capacitatem, vt obiiciatur medio actu, ex vi cuius conſtituatur obiectum formale, & vt obiiciatur vt obiectum materiale, ſeu vt conſtituatur obiectum materiale, vel formale. Ex vi capacitatis ad vtramque denominationem obiecti materialis, vel formalis non dicitur determinatè obiectum materiale, neque obiectum formale, ſicuti dicitur obiectum propter capacitatem obiiciendi ſe, quia capacitas illa eſt indifferens ad duas denominationes poſitiuas contrarias, quas non poteſt ſimul habere, neque vnam præ alia, quia ad vtramque æquè eſt indifferens. Obiectum ex ſe tantùm capax obiiciendi ſe medio actu, quo conſtituitur obiectum materiale, vel tantùm capax ſe obiiciendi medio actu ex vi cuius conſtituatur vt obiectum formale antecedenter ad omnem actum, licet per ordinem ad illum poterit dici obiectum formale vel materiale, ſicuti dicitur obiectum quidquid poteſt attingi actibus alicuius potentiæ, etiamſi actu non attingatur, neque ſit obiectum in actu ſecundo, quia tunc capacitates ſe obiiciendi medio actu, quo conſtituatur determinatè obiectum materiale, aut determinatè obiectum formale, non diſtinguuntur, cùm eo ipſo quod potentiæ obiiciatur, debet obiici per actum, ex vi cuius determinatè conſtituatur tale obiectum ſine indifferentia ad materiale, & formale. Propter hanc rationem lux, & color etiamſi actu non videantur, non tantùm obiecta potentiæ viſiuæ, ſed obiecta formalia dici conſueuerunt.

4 Alia eſt diuiſio obiecti in motiuum, & purè terminatiuum, quæ tantùm locum habet reſpectu obiectorum, in quibus diſtinguitur obiectum materiale à formali, in his enim obiectum materiale dicitur obiectum terminatiuum; & obiectum formale dicitur obiectum motiuum. Sicuti cùm amo hominem propter Deum, obiectum terminatiuum dici ſolet homo, & obiectum motiuum increata bonitas, propter quam Deum amo. Quando verò non datur duplex obiectum, vnum materiale, & aliud formale, hæc obiectorum diſtinctio locum non habet. Alij diuidunt formale, in formale *quod*, & formale *quo*, & obiectum formale *quod* appellant, quod nos cum communi ſententia obiectum materiale vocamus, ſeu terminatiuum tantùm, & obiectum formale *quo* illud eſſe dicunt, quod nos ſimpliciter obiectum formale dicimus, illúdque obiectum materiale eſſe dicunt quod remotum vulgò dici ſolet, quod iam aliâ ſubdiuiſione tradam n. 8.

Alij propriùs non quodcumque obiectum formale motiuum appellant, ſed obiectum formale diuidunt in *motiuum*, & *pure terminatiuum*. Obiectum formale purè terminatiuum eſt illud, quod ratione ſui attingitur actu, in 5
quem nullum exhibet influxum actiuum, neque remotum, ſed tantùm quaſi ſe attingi permittit potentiæ actu, quin potentiam ipſam moueat, vel excitet per concurſum aliquem actum præuium; vel ſimultaneum, ad actum, quo obiectum attingendum eſt. Sic ſe haberet color reſpectu actus, ad quem producendum nullam ſpeciem mitteret, neque immediatè concurreret, ſed tantùm à potentia ſpeciebus à Deo infuſis, vel immediatè à Deo adiuta produceretur. Obiectum motiuum illud dicitur, quod non tantùm per ſe terminat actum, ſed actiuè, mediatè, vel immediatè concurrit: ſic ſe habet obiectum viſum concurrens ad viſionem mediis ſpeciebus, vel immediatè per ſe ipſum ſimul cum potentia; & obiectum amatum, quod mediis ſpeciebus impreſſis producit ſpeciem expreſſam excitantem, vel mouentem ad actum amoris. Itaque obiectum motiuum eſt idem quod obiectum mouens, ſeu obiectum quod mouet, quod eſt idem ac obiectum, quod agit: quia ſicut moueri, importat paſſionem, & id dicitur moueri, quod patitur, ita mouere importat actionem, & id dicitur mouere, quod agit.

Rurſus alij obiectum formale diuidunt in obiectum 6
formale *quod*, & obiectum formale *ſub quo*. Obiectum formale *quod* hi appellant rationem quamlibet ſpecificã, in quam tendit actus; obiectum formale *ſub quo*, dicunt eſſe rationem communem, in qua conueniunt omnia obiecta, ad quæ ſe poteſt extendere talis potentia, etiamſi nullus actus potentiæ in rationem illam communem feratur. Sic dicitur potentiam viſiuam ferri in colorem album, & nigrum, non quatenus hic color eſt albus, & ille niger, ſed quatenus præciſè color eſt, quia eo ipſo quod color ſit potentia viſiua tendet in illum independenter ab eo quod ſit albedo, vel nigredo. Hoc obiectum formale *ſub quo*, quando immediatè ſecundum illam rationem communem abſtractam non attingitur aliquo potentiæ actu, vt contingit in potentia viſiua, cuius nullus actus fertur in rationem communem coloris, ſicuti actus intellectus fertur in rationem communem entis, propriè non eſt obiectum, quia id, quod nullo actu potentiæ attingitur, neque attingi poteſt, nequit potentiæ aut alicuius actus dici obiectum, cùm tota ratio formalis huius conſiſtat in capacitate ad actus potentiæ terminandos. Dicitur autem potentia ſub illa ratione communi tendere in hanc communem rationem tanquam in obiectum, quia quodcumque obiectum potentiæ illam participat, & quia reperitur in quolibet ſingulari obiecto, quod tantùm colori vt ſic conuenire dicimus, & non albedini, aut nigredini, quia actus, qui fertur in albedinem; ex parte obiecti nigredinem non reſpicit; neque actus, qui nigredinem attingit; vllo modo fertur in albedinem, & vterque neceſſariò fertur in colorem. Ex quo fit hanc eſſe conſequentiam neceſſariam *non eſt color; ergo non eſt obiectum potentiæ viſiuæ*, & hæc bona *non eſt albedo; ergo non eſt obiectum potentiæ viſiuæ* (omitto modò lucem, vt ſine terminorum multiplicitate rem facilius explicem, & ſuppono colorem eſſe obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ.) Inſuper hæc eſt vera propoſitio: *ad hoc vt aliquid videatur, neceſſario debet eſſe color*; & hæc eſt falſa, *ad hoc vt aliquid videatur neceſſariò debet eſſe albedo, aut neceſſariò debet eſſe nigredo*. Ex quibus fundamentum deſumpſimus ad dicendum potentiæ viſiuæ obiectum videri in ratione coloris, non verò in ratione albedinis, aut nigredinis. Simili loquendi modo dici ſolet creaturam produci à Deo in ratione entis, non verò in ratione talis entis, quo non ſignificatur rationem talis entis à Deo non produci, ſed omne ens, quodcumque illud ſit, à Deo eſſe producendum, ita vt valeat conſequentia: *eſt ens: ergo producitur à Deo*, quod de nulla cauſa creata dici poteſt, quia quælibet habet determinatam actiuitatis ſphæram, vltra quam ſunt plura entia, ad quæ non ſe poteſt extendere. Neque hæc obiecti diuiſio adhuc ſecundum modum à nobis explicatum reſpectu huius ſpecialis actus locum habet, nam hic actus ſpecie in hanc objecti ſpeciem neceſſariò fertur v. g. in albedinem, ita vt neque hic numero actus, neque

Digitized by Google

que alius eiuſdem ſpeciei cum iſto poſſit tendere in colorem ſpecie diſtinctum ab albedine.

7 Demum in mea ſententia, quæ aſſerit rationem communem pluribus entitatibus realibus nihil aliud eſſe, quàm aggregatum omnium rationum particularium, hoc obiectum formale *ſub quo* modò explicatum, nihil aliud eſt, quàm aggregatum obiectorum reſpondentium omnibus actibus potentiæ collectiuè ſumptis, quod eſt obiectum adæquatum potentiæ, hoc enim dicit rationes omnes, quæ poſſunt diſtinctis potentiæ actibus attingi, & obiectum formale *quod*: albedo v.g. aut nigredo ſpecialiter ſumpta, eſt obiectum inadæquatum potentiæ, & ita hæc diſtio obiecti in obiectum formale *ſub quo*, & obiectum formale *quod* in re non diſtinguetur à diſtinctione obiecti formalis, in obiectum formale adæquatum, & obiectum formale inadæquatum, quæ diſtinguuntur tanquam includens, & incluſum.

8 Alia eſt diuiſio obiecti in *proximum*, & *remotum*; quod dici ſolet *immediatum*, & *mediatum*. Obiectum proximum, & immediatum dicitur quod per ſe terminat actus potentiæ. Obiectum verò remotum, & mediatum appellatur, quod non per ſe terminat actus potentiæ, ſed tantùm eſt ſubiectum illius, in quod tendunt actus potentiæ: ſicuti pattes, qui eſt ſubiectum coloris in quem immediatè fertur actus potentiæ viſiuæ. Hæc diuiſio propria non eſt; quia alterum membrum diuidens non propriè participat rationem diuiſi, illud enim quod dicitur obiectum mediatum, & remotum propriè obiectum non eſt, ſed tantùm ſubiecti obiectum.

9 Item obiectum diuiditur in obiectum *adæquatum*, ſeu *totale*, & *inadæquatum*, ſeu *partiale*.

Obiectum adæquatum, & totale eſt illud vltra quod non tendit potentia, quod neceſſariò dicit omnia peculiaria obiecta, quæ poſſunt attingi ab omnibus potentiæ actibus.

Obiectum inadæquatum eſt illud vltra quod poteſt tendere potentia, quod tantùm, dicit partem quandam obiecti. Nonnulli hanc diuiſionem admittere nolunt, quia vnum membrum diuidens includitur in alio, obiectum videlicet inadæquatum in obiecto adæquato: verumtamen propriè poteſt dici diuiſio, quia inadæquatum ſub ratione inadæquati dicit negationem aliùs partis obiecti, & ſecundùm hanc rationem non includitur in obiecto adæquato, & ita eſt membrum diuidens formaliter ratione negationis, quam dicit ab alio condiſtinctum.

10 Vltimò diuiditur obiectum in obiectum *attributionis*, & obiectum *attributi*.

Obiectum attributionis eſt illud, ad cuius exactam cognitionem ordinatur cognitiones terminatæ ad alia obiecta. Obiectum attributi eſt illud, cuius cognitio ordinatur ad aliud obiectum magis præcipuum cognoſcendum, quod dicimus eſſe obiectum attributionis. Hæc obiecta attributionis, & attributi in potentiis præciſè ſumptis nō reperiuntur, quia nullum eſt obiectum potentiæ cognoſcitiuæ, aut volitiuæ ad quod ordinentur omnes actus eiuſdem potentiæ; reperiuntur autem huiuſmodi obiecta in ſcientiis, quia cùm ſcientia ſit aggregatum ex pluribus cognitionibus ſcientificis, ex ſe ad aliquod vnum ordinatis, neceſſum eſt habere aliquod obiectum ad quod ordinentur alij actus ad eandem ſcientiam pertinentes, quod attributionis dicitur obiectum. Volunt nonnulli obiectum attributionis eſſe obiectum principalius; qui bene ſentiūt, ſi per obiectum principalius illud intelligant, de quo præcipuè agitur in ſcientia; ſi verò obiectum principalius ſecundùm intrinſecam perfectionem velint intelligi, decipiuntur profectò, quia cognitiones plurium obiectorum ſecundùm entitatem magis principalium ordinantur ad cognitionem aliorum obiectorum minùs principalium.

11 Obiectum attributionis ſemper eſt obiectum inadæquatum, ac proinde ſi obiectum adæquatum diuidatur in obiectum attributionis, & attributi, dicenda erit diuiſio totius in partes, quarum nulla participat rationem adæquatam diuiſi, ſicuti cùm diuiditur totum compoſitum in materiam, & formam.

12 Hic nonnulli diſputant de obiecto ſpecificatiuo, de quo ego Controu. 14. de anima, vbi de ſpecificatione omnium entitatum, me vide Punct. 4. in quo definio à quibus obiectis omnes vitales actus ſpecificentur, & Punct. 3. vbi de habituum ſpecificatione; & Punct. 1. vbi definio quid ſit ſpecificatio, & quā ratione vnum ens ſpecificetur ab alio, quæ hic omitto, quia de his agi nequit, donec alia principia præiacta ſupponentur, quibus ſunt dirimenda.

PVNCTVM II.

Quid ſit ſcientia practica, & quid ſpeculatiua?

§. I.

Definitiones practici, & ſpeculatiui, illiúſque proprietates.

Habitus ſcientiæ practicus dicitur, qui procedit ab actibus practicis, & in illos inclinat, ſimiliter habitus ſpeculatiuus appellatur, qui ab actibus ſpeculatiuis naſcitur, & ad illos producendos inclinat, & ita tota difficultas circa naturam ſcientiæ practicæ, & ſpeculatiuæ ad actus eſt deuoluenda, & inquirendum, quid importet in actu ſcientiæ, ſeu in cognitione ratio practici, & ſpeculatiui, quod inpræſentiarum definiam. 1

Cognitio practica eſt illa, *quæ ex ſe ordinatur ad praxim, ſeu operationem*; & cognitio ſpeculatiua appellatur, *quæ non ordinatur ex ſe ad praxim, ſed ſiſtit in pura ſui obiecti ſpeculatione.* Poſui in vtraq; definitione particulā illam *ex ſe*, quia quod cognitiō de facto ordinetur, vel non ordinetur ad operationē à cognoſcente, nihil refert ad rationem practici, vel ſpeculatiui: exempli gratiā, cognitio, quam habet Medicus de curatione facienda, ſemper eſt practica, etiāſi Medicus non agat de curatione exhibenda, quia ex ſe cognitio illa ad curationem exhibendam ordinatur. Adhuc tamen ſupereſt explicandum, quid ſit cognitionem ordinari ad praxim, quod exactè præſtabo paucis. Cognitio ex ſe ordinata ad praxim eſt illa, *quæ proponit obiectum, ita vt ex vi illius poſſit voluntas imperare ipſius obiecti exequutionē potentiæ, cui incumbit talis obiecti productio.* Per hanc definitionem exactiùs, clariúſque cognitio practica definietur, & dicemus cognitionem practicam eſſe illam, *quæ proponit obiectum, ita vt ex vi illius poſſit voluntas imperare ipſius obiecti exequutionem potentiæ, cui incumbit talis obiecti productio.* Similiter cognitio ſpeculatiua definietur, *quæ non ita proponit obiectum, vt ex vi illius poſſit voluntas imperare ipſius obiecti exequutionem potentiæ, cui incumbit talis obiecti productio.* Priorem definitionem conuenire omnibus cognitionibus, quas Scholaſtici *practicas* appellant, & non aliis, & poſteriorem omnibus cognitionibus, quas Authores appellant *ſpeculatiuas*, compertum erit cuicumque rem attentè inſpicienti, & quas voluerit cognitiones examinanti: vnam vel alteram propono. Cognitio quā noſcit artifex ligna, lapidéſve hac ratione eſſe collocanda, quæ apud omnes eſt practica, proponit praxim, ſeu operationem, ita vt ex vi ipſius cognitionis poſſit artifex elicere actum voluntatis, quo imperet potentiæ exequutrici lapidum lignorúmve collocationem. Similiter cognitio, quā noſcit Logicus ſyllogiſmum eſſe conſtruendum tribus terminis hac ratione diſpoſitis, voluntati proponit obiectum, quod poteſt imperare potentiæ intellectiuæ ex vi huius cognitionis, & cognitio quam Deus habet de creatura poſſibili, quam Theologi practicam appellant, ita proponit Deo creaturam poſſibilem, vt ex vi illius cognitionis voluntas diuina poſſit imperare omnipotentiæ productionem eiuſdem creaturæ, & illam de facto imperet, quando creatura, à Deo producenda eſt. 2

Explicat inſuper illa definitio illud, quod vulgò dicitur, videlicet, cognitionem practicam debere eſſe de re operabili modo operabili, quia eſſe cognitionem modo operabili, quando illius obiectū operabile eſt, nihil aliud importat, quàm ita tendere cognitionem illam in illud obiectum, vt ex vi talis cognitionis obiectum effici poſſit. Inſuper explicat aliā conditionem, quam Doctores aſſignāt cognitioni practicæ, in quibus P. Vaſq. 1. p. diſp. 8. c. 9. videlicet non tantùm in rem operabilem tanquam in obiectum, ſed etiam tendere in illam tanquā in finem, quia hæc tendentia cognitionis in obiectum tanquam in finem vt Smigletius dandus n. 5. tantùm importat cognitionem talem eſſe vt ex vi illius effectus poſſit produci: cognitio enim ex ſe intrinſecè finem non reſpicit, & tātùm dicetur tendere in obiectum tanquam in finem, cùm obiectum aliquo modo poteſt eſſe illius effectus, eo ſenſu quo dicimus cauſam ordinari ad ſuos effectus tanquam ad finem. 3

EX

Digitized by Google

Ex hoc inferes non eſſe practicam cognitionem, quam Deus habet de peccatis ab homine commiſſis, etiamſi ex hac cognitione moueatur ad hominem puniendum, quia hæc cognitio non dirigit Deum ad exequendum obiectum cognitum, ſed tantùm proponit peccatum mouens ad pœnam infligendam diſtinctam ab ipſo peccato. Inferes ſimiliter cognitionem non dici practicam ex eo quod moueat ad operationem voluntatis, videlicet ad amorem, vel odium circa obiectum cognitum, quando talis actus amoris, vel odij efficax non eſt reſpectu obiecti, aliàs omnis cognitio eſſet practica, quia nulla eſt cognitio, quam naturaliter non poſſit ſequi amor, vel odium circa obiectum, quod proponit.

5 Nonnullæ conditiones ſolent aſſignari ad praxim, ſeu ad obiectum ſcientiæ practicæ, quas breuiter percurram. P.Suarez tom.2. Metaphyſic.diſp.44. ſect.13.n.20.adducit definitionem quandam Scoti, aſſerentis praxim debere eſſe operationem aliûs potentiæ, pro qua ſententia refert Scotum num. 22. quam etiam amplexi ſunt vniuerſim Scotiſtæ: ex recentioribus Rada 1.part.Controu.3. Faber ſuper prolog. diſput. 9. Smigletius quæſt. 4. num. 14. Merinero diſp.vnica procem.quæſt.6.ſect.1. quibus è noſtris adhæſit Smigletius in Logica diſp. 17. quæſt. 4. Alij apud eundem Suarez num.23. ad actum neceſſarium ſententiam Scoti limitant ex Capreolo, quia ſi actus ſit liber, rectè poterit eſſe praxis ad quamcumque potentiam pertineat, quia omnis actus liber cadit ſub electionem, ac proinde poterit dirigi ab intellectu vt fiat, vel non fiat. Alij recentiores apud Arriagam diſp.1. ſect. 4. ſubſect.1. aſſerunt non ſufficere obiectum eſſe liberum libertate contradictionis, ſed requiri libertatem contrarietatis, ex vi cuius poſſit bene vel male fieri, vt poſſit dici praxis, ſeu obiectum practicæ cognitionis. Hurtadus diſp.11. de anima ſect.2. docet ad rationem ſcientiæ practicæ non requiri libertatem contrarietatis, neque contradictionis. Hunc ſequitur Arriaga ſuprà ibid. ſubſect.3. In quæſtionem ab aliis vocatur, an cognitio tantùm dicatur practica reſpectu obiecti, quod repræſentat, an etiam reſpectu aliorum ſimilium, quibus omnibus, nonnullis concluſionibus ſatisfaciam.

6 Dico primò cum P. Suario ſuprà P. Molin. 1. part. quæſt.1. art.4. diſp.2. P. Vaſquez ibid. diſput.8. Rub. in procem. quæſt.5. Hurtad. & Arriag. ad cognitionem practicam non requiri hanc verſari circa actum aliûs potentiæ. Moueor ad hanc concluſionem, quia ſine fundamento talis conditio requiritur. Deinde quia praxis eſt idem, quod operatio cognitione directa. Sed operatio intellectus eſt ſimpliciter operatio, & poteſt dirigi operatione aliâ reflexâ præſcribente naturam illius: ergo poterit eſſe praxis, & cognitio, quæ verſatur circa illam, poterit dici practica.

7 Arguit Scotus: Intellectus ſolâ extenſione fit practicus: ſed hic non extenditur, quando non verſatur circa operationem aliûs potentiæ: ergo non poteſt fieri practicus niſi per ordinem ad aliûs potentiæ operationem. Reſpondeo Maiorem omni fundamento deſtitutam eſſe; hac tamen gratis admiſſa. Minorem eſſe negandam, quia quando intellectus tranſit de vno actu ad alium, extenditur intra ſuum obiectum propriùs, quàm quando verſatur circa actus aliarum potentiarum, qui ad illum non pertinent.

8 Obiicies ſecundò. Actus intellectus quando verſatur circa actum eiuſdem potentiæ, verſatur circa ſpeculationem, quia omnis actus potentiæ intellectiuæ eſt ſpeculatio. Sed ſpeculatio non eſt praxis, potiùs opponitur cum iſta: ergo actus, qui reſpicit vt obiectum alium actum potentiæ intellectiuæ, non reſpicit praxim, ſed ſpeculationem: ergo non eſt practicus ſed ſpeculatiuus. Reſpondeo verum eſſe omnem actum intellectus eſſe praxim, falſum tamen praxim, & ſpeculationem ita opponi, vt id, quod reſpectu vnius obiecti eſt ſpeculatio, non poſſit eſſe praxis reſpectu aliûs actus reflexi, quem terminet, quia id, quod eſt cognitio reſpectu vnius obiecti, poteſt eſſe obiectum reſpectu aliûs cognitionis reflexæ in ordine ad quam dicitur praxis. Exemplum ſit in hac demonſtratione: *Omne animal eſt ſenſitiuum: omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt ſenſitiuus*, quæ demonſtratio ſpeculatio eſt reſpectu hominis, & animalis, & eſt praxis, & obiectum reſpectu cognitionis, quâ dirigitur intellectus ad hanc demonſtrationem faciendam, & quâ præſcribitur rectitudo ipſius demonſtrationis.

Obiicit Smigletius: Cognitio huius obiecti dirigit intellectum in cognitionem aliûs obiecti, & cognitio præmiſſarum dirigit eundem intellectum in cognitionem concluſionis, & tamen cognitio concluſionis non dicitur praxis, neque cognitio obiecti procedens ex cognitione obiecti ſimilis: ergo actus intellectus non poteſt eſſe praxis, etiamſi ſit directus alio actu. Reſpondeo hanc directionem non eſſe per modùm dictaminis proponentis modum, ſeu naturam cognitionis directæ, in qua directione conſiſtit ratio formalis practicæ cognitionis.

9 Dico ſecundò. Quotieſcumque effectus producitur dependenter ab actu voluntatis, ſiue libero, vel neceſſario, talis effectus praxis dicitur reſpectu cognitionis, quæ dirigit talem actum voluntatis, ſeu quæ proponit actui voluntatis ipſum effectum, qui fit dependenter ab illo, & talis cognitio in ordine ad illum effectum practica denominatur. Probo hanc concluſionem. Cognitionem eſſe practicam nihil aliud eſt quam ita obiectum proponere vt ex vi illius voluntas poſſit imperare ipſius obiecti exequutionem potentiæ, cui incumbit talis obiecti productio. Sed omnis cognitio dirigens actum voluntatis, ſiue liberum, ſiue neceſſarium, à quo producitur effectus, ita obiectum proponit, vt ex vi illius voluntas poſſit imperare obiecti exequutionem potentiæ, cui incumbit talis obiecti productio: ergo omnis cognitio dirigens actum voluntatis ſiue liberum, ſiue neceſſarium à quo producitur effectus, eſt cognitio practica. Confirmatur: cognitionem eſſe practicam eſt cognitionem eſſe cauſam obiecti, quod attingit: ſed omnis cognitio dirigens actum voluntatis ſiue liberum, ſiue voluntarium à quo producitur effectus, habet omnem cauſalitatem, quam poteſt habere in ſuum obiectum: ergo eſt cognitio practica. Maior eſt omnino certa, quia praxis idem ſonat, quod operatio, & practicũ idem quod operatiuum: ergo cognitio practica nihil aliud eſt quam cognitio operatiua. Minorem probo: omnis cognitio quæ dirigit actum ſiue liberum, ſiue neceſſarium habet totum influxum, quem poteſt habere actus intellectus in actum voluntatis, quia actus intellectus nullo alio modo influit in actum voluntatis quam illum dirigendo, ſeu proponendo obiectum in quod fertur actus voluntatis, & non minus influit cognitio proponens obiectum in actum liberum, ac in actum neceſſarium. Deinde actus voluntatis imperans actionem externam eo ipſo, quod illam imperet habet totum influxum; quem poteſt habere in talem actionem, quia actus voluntatis tantùm influit determinando potentiam externam per ſympathiam, quam habet cum illa ad externam actionem, & omnis actus voluntatis ſiue liber, ſiue neceſſarius eodem modo influit in obiectum ad quod determinat, & eodem modo illud determinat, cùm actus voluntatis non determinet ad ſuum obiectum efficiendum per libertatem illi extrinſecam, ſed per ſuammet entitatem coexiſtentem effectui, qui ad illum non ſupponitur: ergo eo ipſo quod cognitio dirigat actum voluntatis ſiue liberum, ſiue neceſſarium, ex vi cuius imperatur ſuum obiectum, præſtat in illum totum influxum, quem præſtare poteſt cognitio in ſuum obiectum: ergo in illum exercet totam operationem, quam poteſt exercere actus intellectus in ſuum obiectum: ergo hoc erit praxis illius actus, qui practicus dicitur in ordine ad tale obiectum.

10 Ex hac concluſione aliæ inferuntur, de quibus inter Authores eſt controuerſia. Prima eſt non requiri ad cognitionem in obiecto libertatem contrarietatis, ſed ſufficere libertatem contradictionis, quæ ex præcedenti facilè deducitur. Obiectum liberum libertate contradictionis dependet medio actu voluntatis à cognitione illud proponente, & dirigente talem actum voluntatis: ergo obiectum illud eſt praxis, & in ordine ad illud talis cognitio practica dicetur. Eandem concluſionem explico: duplex eſt directio, vna, quæ gubernat potentiam ne declinet in actum oppoſitum illi, quem elicere debet ad quam directionem requiritur libertas cõtrarietatis. Alia directio eſt directio ex vi cuius potentiæ proponitur via quâ eundum eſt ad talem actionem eliciendam, & ad hanc directionem non requiritur libertas contrarietatis, ſed tantùm dependentia effectus ab actu voluntatis cognitione directo. Conſtat eadem concluſio ex communi ſententia Theologorum, qui in Deo ſcientiam ſimplicis intelligentiæ practicam appellant, etiamſi circa obiectum producendum non poſſit aliquis error à Deo committi. A priori eandem

Digitized by Google

eandem concluſionem efficaciter probo. Cogitatio, à qua medio actu voluntatis aliquis effectus, eodem modo influit, ſiue altera cognitio, quæ retrahit voluntatem ab illo effectu producendo inclinet ad opus contrarium, ſiue tantùm voluntatem ab hoc effectu producendo intendat remouere, eodem modo influit in ſuum obiectum: ſed quãdo cogitatio alia inclinat voluntatem ad opus oppoſitum, voluntas eſt libera libertate contrarietatis; quando tantùm intendit cogitatio remouere voluntatem ab hoc opere producendo, voluntas eſt libera libertate contradictionis: ergo eodem modo influit cogitatio à qua medio voluntatis dependet effectus, ſiue voluntas ſit libera libertate contrarietatis, ſiue tantùm libertate contradictionis: ergo eodem modo in vtroque caſu practica dicetur. Maiorem probo: cætera patent. Cogitatio inclinans ad hunc effectum producendum non influit virtute alius cognitionis, ex vi cuius voluntas conſtituitur libera libertate contrarietatis, vel contradictionis, quia hæc potiùs intendit impedire influxum cognitionis inuitãtem voluntatem ad effectum producendum, ſed per ſe ipſam: ergo permanente eadem cogitatione, & eodem effectu eodem modo influit: imò ſi aliquando magis influeret, hoc accideret quando volũtas tantùm eſt libera libertate contradictionis, quia tunc cogitatio illa habet minus contrarium, quo intendatur retrahi, quàm cùm voluntas eſt libera libertate contrarietatis; quia quando eſt libertas contrarietatis cogitatio contraria intendit voluntatem remouere ab effectu producendo ad quem inclinat alia cogitatio, & allicere ad alium producendum; quando verò eſt libertas tantùm contradictionis, tunc cogitatio contraria tantùm intendit voluntatem remouere ab effectu producendo, & per ſe loquendo eademmet virtus magis influit, dum minus adeſt contrarium retrahens ab effectu producendo, & minorem præſtat influxum, dum adeſt contrarium maius.

12 Infertur etiam ex ſecunda concluſione ſuprà traditâ omnem effectum neceſſariò productum cuius neceſſitas oritur ex ipſa cognitione eſſe praxim talis cognitionis, & per ordinem ad illum cognitionem eſſe practicam. Ratio eſt perſpicua ex concluſione ſuprà tradita: effectus ille dependet medio actu voluntatis à cognitione dirigente talem actum voluntatis, & inferente neceſſitatem eiuſdem actus: ergo cognitio illa eſt practica in ordine ad illum effectum. A priori eandem concluſionem probo, ratione, quâ nuper vſus ſum. Nõ minus influit cogitatio in effectũ medio actu libero: ergo non minori iure dicetur practica, ex eo quod influat medio actu neceſſario, quàm diceretur, ſi influeret medio actu libero. Antecedens probo: tunc influit medio actu neceſſario, quando influit nulla alia cogitatione retrahente, tunc influit medio actu libero, quando influit retrahente alia cogitatione. Sed ex eo quod detur hæc cogitatio retrahens non magis influit, cum influat per ſe ipſam, & non per cogitationem retrahentem, quæ non iuuat ad influxum, ſed potiùs illum intendit impedire: ergo cogitatio non minùs influit medio actu neceſſario orto ab ipſa cogitatione, quàm medio actu libero ab eadem orto: ergo non minùs dicetur practica medio actu neceſſario, quàm medio actu libero. Ex hoc concludo, omnem cognitionem per ſe requiſitam ad actum voluntatis eſſe practicam reſpectu effectus, quem imperat voluntatis actus, etiamſi phyſica aliqua præmotione, vel ex alio capite actus euadat neceſſarius, quia tunc cognitio illa requiſita ad actum influit in illum eo modo, quo cognitio influere poteſt in volitionem, & volitio influit in effectum quem imperat: ergo cognitio illa medio actu voluntatis influit in effectum: ergo eſt practica, cùm tota ratio practici conſiſtat in influxu cognitionis in effectu medio actu voluntatis.

13 Infero ſimiliter quod ſi voluntati iam in actu primo ſufficienter conſtitutæ, & prædeterminatæ ad actum volũtatis cum cognitione ad illum prærequiſita, antecedenter ſeu non conſequenter ad actum voluntatis eliciendum ſuperueniat alia cogitatio inclinans ex ſe, & inuitãs ad eundem actum, ad quem voluntas erat iam prædeterminata, talem cogitationem ſuperuenientem practicam eſſe reſpectu effectus, quem talis voluntatis actus imperaret. Ratio eſto: cogitatio illa ex ſe inuitans ad actum voluntatis ſuperueniens voluntati prædeterminatæ ad talem actum, influeret in actum voluntatis, dum non eſſet poſterior actu, ſeu dependens ab exiſtentia actus, quam ſupponeret: ergo medio actu influeret in effectum, quem imperaret talis actus. Tota difficultas argumenti ſita eſt in hoc antecedenti, quod conſtabit ex dicendis Controu. 8. de anima punct. 5. vbi probabo omnem cogitationem proponentem obiectum, in quod fertur voluntatis actus in illum influere eo præcisè quod illi coexiſtat, & non ſit illo poſterior, etiamſi voluntas aliunde ſit ſufficienter in actu primo conſtituta, & antecedenter prædeterminata ad talem actum.

Infero vltimò: omnem cogitationem influentem in actum voluntatis ex ſe imperantem effectum, practicam eſſe, dummodò talis actus voluntatis non ſit poſterior effectu, quem poteſt imperare, etiamſi ad hanc cogitationem, & ad actum voluntatis ad quem ipſa ſupponitur, ſupponatur alius actus voluntatis, ex vi cuius efficaciter imperetur effectus. Probo hanc concluſionem: etiamſi hoc imperium efficax ex ſe ad hunc effectum producendum ſupponat aliud imperium efficax ad eundem effectum, dummodò non ſit poſterius effectu, ſeu dum ab illo non dependeat, influet in effectum ſimul cum alio imperio, & effectus imperatus dependebit ab vtroque imperio, ſeu ab vtroque actu voluntatis; ergo mediis his imperiis, ſeu mediis his actibus voluntatis effectus dependebit à cogitationibus, à quibus vterque actus dependet: ergo omnes cogitationes, à quibus dependet vnus, & alter actus voluntatis, influent mediis actibus in illum effectum: ergo erunt practicæ reſpectu illius. Diſcurſus eſt legitimus ſuppoſito primo antecedenti, quod probo Contr. 7. Phyſic. Punct. 7. vbi ſtatuo poſſe eundem actum dependere à duplici fine adæquato, medio duplici actu voluntatis, à quorum quolibet adæquatè dependeat, & Controu. 8. de anima Punct. 5. vbi probo omne imperium, ſeu omnem actum ex ſe potentem imperare effectum, illum in actu ſecundo imperare, eo ipſo quod illi coëxiſtat, & ab eo non dependeat. 14

Dico tertiò: nulla cognitio poteſt eſſe practica reſpectu effectus, qui ex ſe non ſubditur imperio voluntatis. Hæc concluſio inconcuſſa eſt apud omnes, quia cognitio repræſentans obiectum, tantùm poteſt in illud influere medio actu voluntatis: ergo ſi effectus talis eſt naturæ, vt in illum actus voluntatis influere non poſſit, nullo modo poterit cognitio in illum influere: ergo effectus ille praxis non erit, neque reſpectu illius cognitio practica dici poterit. Ex hoc fit cognitionem propriæ nutritionis in ipſo homine, qui actiuè ſe nutrit, ſpeculatiuam eſſe, quia immediata actio nutritionis neque ab actu voluntatis, neque ab illius cognitione dependet, *nemo enim cogitans poteſt adÿcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum.* 15

Dico quartò: ſcientia ex ſe in actu primo tantùm propriè dicitur practica reſpectu effectus, quem repræſentat. Probo facilè: ſcientia eatenus dicitur practica, quatenus proponit voluntati obiectum, quod imperet, & cuius exequutionem dirigat. Sed tantùm proponit voluntati obiectum, quod repræſentat, & tantùm poteſt dirigere exequutionem, quam attingit: ergo tantùm reſpectu huius poteſt dici practica in actu primo. Dixi, tantùm ſcientiam dici practicam reſpectu effectus, quem repræſentat, qui rarò aut nunquam eſt vnus indiuiduus effectus determinatus, ab omni alio condiſtinctus, vix enim vnquam artifex diſtinctè percipit vltimam indiuiduationẽ obiecti, quod intẽdit deprimere, ſed tantùm ſibi proponit quemdam effectum huius rationis, quem confundit ex vi cognitionis cum aliis ſimilibus, quos inſtar vnius abſque vlla diſcretione percipit. Sic contingere neceſſe eſt quando intellectus proponit ſyllogiſmum in *Barbara* conſtruendum, quem voluntas imperat non determinando indiuiduationem illius, quam nunquam intellectus cognouit, ſed tantùm ſpeciem, hoc eſt, vnum ex innumeris eiuſdẽ rationis, ad quem in indiuiduo producendum determinat cauſa prima, aut conditiones extrinſecæ, vt alij volunt. Eſt ergo, in actu primo cognitio practica reſpectu omnium effectuum, quos per modum vnius confusè attingit, quia illorum quilibet ex vi illius cognitionis æquè bene poteſt produci. 16

Dico quintò: Cognitio in actu ſecundo tantùm dicitur propriè practica reſpectu effectus, qui de facto producitur ex illis, reſpectu quorum in actu primo practica dicebatur; quod ſi alius produceretur diſtinctus ab illis, reſpectu quorũ in actu primo propriè practica dicebatur, 17

Digitized by Google

reſpectu illius in actu ſecundo propriè non eſſet practica. Poſterior pars probatur : implicat praxis propria in actu ſecundo reſpectu cognitionis,quæ in actu primo non eſt propriè practica in ordine ad illam : ſicuti implicat effectum produci à cauſa, quæ propriè illum producere non poteſt ; à negatione enim potentiæ rectè valet ad actus negationem. Sed cognitio propriè tantùm eſt practica in actu primo reſpectu effectus,quem attingit:ergo hic tantùm,& non alius in actu ſecundo poteſt eſſe praxis reſpectu illius.Priorem partem concluſionis , videlicet cognitionem in actu ſecundo eſſe practicam reſpectu effectus producti ex his, in ordine ad quos practica ſupponitur in actu primo faciliùs probatur : poſito actu primo ad effectum, & poſito effectu,effectus actui primo tribuitur:ergo ſuppoſito effectu producto , & ſuppoſitâ cognitione practicâ,à qua poteſt produci, effectus iſte illi cognitioni tribuendus eſt, & praxis eſt dicendus reſpectu cognitionis,& hæc in actu ſecundo practica reſpectu illius.

18 Dico ſextò : Cognitio poteſt dici practica in actu ſecundo per accidens,& per quaſi monſtroſam productionem reſpectu effectus diſtincti ab illo,circa quod verſatur.R[illegible]o eſt , quia etſi cognitio tantùm per ſe dirigat ad productionem ſui obiecti , poterit potentia inferior non exequi opus illud,quod præſcribit cognitio eo modo,quo præſcribitur:ergo tunc effectus ille productus in actu ſecundo diſtinctus erit ab obiecto cognitionis, qui dicetur praxis monſtroſa , quia eſt præter intentionem agentis. Potentiam inferiorem poſſe exequi effectum diſtinctum ab illo,quem præſcribit cognitio , & quem imperat voluntas mediâ cognitione monſtrat manifeſta experientia. Sæpe enim poſtquam pictor apprimè concipit imaginem Cæſaris, & modum, quo illam eſt in tabula expreſſurus, ex intentione optimæ imaginis modo optimo efficiendæ, aliam valde imperfectam depingit : & ego litteram *A*, verbi gratia perfectiſſimam concipio , & ex intentione illam exprimendi eodem modo , quo illam concipio propter manus titubationem aliam valde imperfectam ſcribo.

19 Dices in his caſibus artificem non ſolùm concipere opus perfectum,quod non exprimit , ſed etiam opus imperfectum , quod exprimit tanquam praxim dictaminis, quod illud opus imperfectum apprehendit, & non aliùs dictaminis,quo apprehendit opus perfectum. Huic ſolutioni experientia & ratio refragatur ; Experientia , quia quilibet artifex ſæpe experitur efformare effectum, quem nunquam apprehendit, ex intentione alium valde perfectum conficiendi , & ſæpe nos ex manus imbecillitate dum rectos characteres conficere intendimus , alios informes valde,quos nunquam concepimus in charta delineatos inuenimus. Ratio, quia ſine fundamento tribuitur potentiæ exequutrici tanta conformitas cum regula præſcribente id,quod eſt factura,vt nunquam poſſit ab illa declinare,imò à priori conſtat ſæpe declinaturam,cùm non dependeat eſſentialiter in operando ab apprehenſione obiecti , ſeu ab obiecto apprehenſo eadem ratione, quâ faciendum eſt.

20 Dices ſecundò ,intellectum tunc nullo regi dictamine ac proinde hunc effectum non dici praxim reſpectu dictaminis,quod hunc alio modo faciendum;vel alium effectum repræſentat.Contrà:quando ego conficio opus aliud ab illo quod intendebam facere , conſtat me moueri ad operandum ex doctrina,& dictamine quod habeo operis exequendi, cui dictamini volo conformari opus à me faciendum,& cui fidens aggredior operis effectionem, non ita facturus ſi dictamine illo carerem , quia ſi nunquam opus artificioſum apprehendiſſem,non illud exequi intẽderem:ergo ſaltem dictamen illud eſt occaſio,vt tale opus quod nunquam apprehendi efformem , loco aliùs quod apprehenderam & intendebam efficere,quod ſufficit , vt dicatur praxis,& operatio monſtroſa reſpectu illius.

21 Vltimò reſpondebis ratione ſuprà traditâ probari praxim poſſe eſſe diuerſam ſecundùm modum ab obiecto apprehenſo,non verò poſſe eſſe diuerſam ſecundùm ſubſtantiam. Contrà:in omni opere artificioſo ſiue intentionali,ſiue reali variato modo variatur ſubſtantia,quia opus artificioſum conſtituitur tale formaliter per modum , & diſpoſitionem,& aliam non habet formam,per quam conſtituatur : ergo implicat variari modum ſubſtantiâ operis artificioſi non variata. Antecedens patet in ſyllogiſmo facto in *Barbara*,quia ita conſtat hac terminorum diſpoſitione,vt ſi aliter termini diſponantur, iam non erit idem, ſed alius ſyllogiſmus ; hic enim ſpecie ſyllogiſmus ; hanc diſpoſitionem terminorum in ſpecie , & hic ſyllogiſmus numero hos numero terminos hoc modo diſpoſitos importat. Idem videre eſt in opere artificioſo externo, videlicet in hac pictura , quæ ita dicit colores hoc modo diſpoſitos, quod ſi alio modo iidem colores diſponantur, iam non erit eadem,ſed alia diuerſa pictura.

§. II.

Extrema ſpecificatiua cognitionis practicæ, & ſpeculatiua aſſignantur.

1 COgnitio practica dicit eſſentialiter eſſe repræſentationem obiecti , quod principium cognoſcens poſſit medio actu voluntatis producere,ex quo infertur cognitionem practicam formaliter vt talem dicere ordinem ad principium potens producere obiectum,& obiectum potens produci ab hoc principio:non enim à principio tantùm poteſt deſumi ratio practici,quia cùm hæc importet ordinem ad principium potẽs producere non vtcumque, ſed potens producere obiectum cognitione repræſentatum , non poteſt percipi ratio practici , quin percipiatur cognitionem repræſentare tale obiectum , & principium cognoſcens eſſe productiuum eiuſdem obiecti repræſentati.

2 Ex hoc infero in quacumque cognitione rationẽ practici deſumi formaliter ex principio, & ex obiecto,quod repræſentat,quia ad hoc vt principium cognoſcens poſſie ex vi huius cognitionis efficaciter imperare obiectum cognitum,requiritur ex parte principij cognoſcentis virtus productiua effectus, & ex parte effectus non repugnantia vt producatur:quantumuis enim artifex haberet virtutem effectiuam operis artificioſi,ſi ipſum opus in ſe repugnaret,non poſſet illud efficaciter imperare : ergo duo eſſentialiter requiruntur ad hoc vt cognitio ſit practica, virtus productiua obiecti cogniti in obiecto producente,& non repugnantia in ipſo obiecto vt producatur, & vtrumque dicit eſſentialiter ratio practici. Quod ſi dicas , non repugnantiam obiecti vt producatur , neceſſariò comitati virtutem actiuam illud producendi : hoc admiſſo adhuc verum erit rationem practici deſumi ex his duobus,videlicet non repugnantia effectus,& ex virtute productiua ad illum producendum in principio cognoſcente , quæ duo ſemper diſtinguentur,etſi per locum intrinſecum ſeparari repugnaret.

3 De ratione formali ſpeculatiui non eadem ratione iudicium fero,exiſtimo enim poſſe ſumi adæquatè ex principio,& adæquatè ſimul ex obiecto,& adæquatè ex obiecto,& non ex principio ; non tamen adæquatè ex principio & non ex obiecto. Poſſe ſumi adæquatè ex principio ſic probo.Ratio ſpeculatiui dicit principium cognoſcens non poſſe efficaciter imperare obiectum cognitum, ex vi illius cognitionis. Sed eo ipſo quod principium cognoſcens non ſit phyſicè potens,non poterit ex vi cognitionis imperare tale obiectum ſiue obiectum repugnet,ſiue non repugnet:ergo hæc cognitio poterit à ſuo principio habere totam rationem ſpeculatiui independenter ab obiecto.Dico cognitionem deſumere poſſe rationem ſpeculatiui adæquatè à principio independenter ab obiecto, non quia ratio iſta non ſemper intelligatur in ordine ab obiectum,ſed quia ita dicit ordinem ad obiectum,vt ex alio capite independenter ab ipſo obiecto intelligatur iam habens principium, ex vi cuius cognitio circa tale obiectum ſpeculatiua neceſſariò euadat.

4 Simili ratione probo rationem ſpeculatiui poſſe ſumi adæquatè ab obiecto. Eo ipſo quod hæc cognitio terminetur ad chymæræ,à quocumque principio procedat, neceſſariò eſt ſpeculatiua : ergo ratio ſpeculatiui in hac cognitione adæquatè ſumitur ab obiecto. Antecedens probo.Chymæra à nullo principio cognoſcitiuo eſt producibilis : ergo repugnat hanc efficaciter imperari ab aliquo principio cognoſcitiuo, etiãſi ſupponatur principium cognoſcitiuum, quatenus eſt ex ſe,cum virtute ſufficienti ad producendã chymæram:ergo eo ipſo quod cognitio terminetur ad chymærã,terminatur ad obiectũ efficaciter imperari repugnãs à cognoſcẽte,etiãſi hoc quatenus eſt ex ſe virtutem habeat producendi chymærã, quam ineſſe omnipotentiæ fert cõmunis Theologorũ opinio:ergo eo ipſo

quòd

Digitized by Google

quòd cognitio terminetur ad chymæram in ſe repugnantem erit ſpeculatiua, etiáſi principiũ cognoſcens ſit Deus ex ſe habens quidquid reperitur ex parte principij actiui ad quemcumque effectum producendum, ita vt ſi per impoſſibile chymæra fieret non repugnans, nulla additá virtute ex parte principij actiui, Deus ex vi eiuſdem omnipotentiæ, quàm modo habet, valeret illam producere.

26 Rationem ſpeculatiui poſſe ſimul ſumi à principio actiuo, & ab obiecto facillimè ex dictis probatur Cognitio quam habet homo de chymæra procedit à principio non potente producere chymæram; ergo ex hoc capite, mente præciſo quocumque alio, intelligitur adæquatè ſpeculatiua: fertur etiam in obiectum repugnans: ergo ex hoc capite ſimiliter præciſâ impotentiâ principij ad chymæram producendam intelligitur adæquatè ſpeculatiua: ergo tam ex principio, quàm ex obiecto, cognitio iſta intelligitur adæquatè ſpeculatiua. Ratio eſt, quia cognitionem non poſſe regere actum voluntatis imperantem productionem chymæræ, eſt quid negatiuum quod poteſt ex multis capitibus adæquatè procedere, quia poſſunt plura impedimenta adæquata reperiri ad eundem poſitiuum effectum.

27 Difficilius probatu eſt rationem ſpeculatiui poſſe ſumi ex obiecto tantùm, & non ex principio, ad quod ſupponendum eſt id, quod latè probo Controu. 10. Metaph. Punct. 4. videlicet virtutem productiuam effectus, ſiue creatam, ſiue increatam, non habere connexionem cum poſſibilitate effectus, ita vt ſi per impoſſibile modò fieret calor repugnans, maneret in igne virtus productiua caloris ex ſe ſufficiens calorem producere, licet repugnaret ignem à calore produci, nõ ex defectu virtutis in igne, ſed ex repugnantia ipſius productionis. His poſitis ſic arguo. Si per impoſſibile modo fieret repugnans ſyllogiſmus à me faciendus, in me maneret eadem virtus intellectiua ex ſe potens producere ſyllogiſmum: inſuper maneret idem dictamen de modo quo faciendus erat ſyllogiſmus, idémque iudicium, quo iudicarem ſyllogiſmum poſſe ex omni capite fieri à me, vel alius actus, quo id iudicarem, ſi velis veritatem eſſe intrinſecam actui: ergo tunc haberem cognitionem, quæ poſſet regere actum voluntatis, quo dicerem, *volo ſyllogiſmum elicere*, qui actus eſſet inefficax, non ratione principij intellectiui, quia hoc ex ſe potens erat producere ſyllogiſmum, ſed de ratione ipſius ſyllogiſmi, qui in ſe repugnaret: ergo tunc cognitio illa eſſet ſpeculatiua tantùm ratione obiecti, & non ratione principij, quia ſi obiectum non repugnaret actui voluntatis, efficaciter ſyllogiſmum imperaret, & cognitio haberet quidquid ex parte principij requiritur, vt effectus ex vi illius produceret, & tantùm hæc productio non poſſet à cognitione dependere propter intrinſecam repugnantiam ipſius cognitionis. Ex hac hypotheſi ad ſtatum abſolutum procedo. Non repugnat Deum producere principium ex ſe potens producere effectum ex ſe repugnantem, & cognoſcens modum quo eſſet producendus, caſu quo talis effectus repugnaret, non ſolum per iudicium verum, quo dicat, effectus iſte repugnans hoc modo eſſet producendus, ſi non repugnaret, ſed etiam per iudicium falſum quo dicat, effectus iſte non eſt repugnans, abſolutè poteſt hoc modo produci: ergo non repugnat Deum producere principium habens cognitionem effectus ſpeculatiuam tantùm ratione obiecti, & non ratione principij. Non repugnare Deum producere principium ex ſe potens producere effectum repugnantem, ſuppoſui ſuprà, & probo loco citato: principium illud iam productum poſſe habere falſum illud iudicium difficultate vacat, quia principium illud capax eſſet erroris, & ex nullo capite illi repugnaret. Conſequentiam probo: Cognitio, quam haberet tale principium de modo producendi obiectum, quod in ſe repugnaret, ſe haberet eodem modo reſpectu principij; & reſpectu obiecti, quo ſe haberet cognitio, quam ego habeo modò de ſyllogiſmo, quẽ de facto poſſum facere, caſu quo ſyllogiſmus ille ille fieret repugnans. Sed mea cognitio in hoc caſu eſſet ſpeculatiua tantùm ratione obiecti, & non ratione principij, vt modò probabam: ergo cognitio illa eſſet ſpeculatiua tantùm ratione obiecti, & non ratione principij.

28 Ad probandum repugnare actionem ſpeculatiuam tantùm ratione principij, & non ratione obiecti, ſupponendum eſt, quod communis Doctorum admittit ſententia, & ego probabo Controu. 10. Met. Punct. 5. videlicet omnem actionem eſſentialiter eſſe connexionem cum principio productiuo, ita vt repugnante principio productiuo repugnet actio, & conſequenter repugnet actio ex ſe potens dependere à principio, quod illam non poteſt elicere, quia ſupponit eſſentialiter principiũ ex ſe potens, quod tãtùm dicitur abſolutè principium. Aduertendum eſt etiã cognitionem practicam non tantùm tendere in effectum, ſed in actionem, ſeu productionem effectus. Ex his principiis argumentum conficio, & facilè concluſionẽ depromo. Cognitio ſpeculatiua ex principio ſupponit in principio cognoſcente impotentiam vt ex illo oriatur actio, ad quam terminatur cognitio. Sed eo ipſo quod principium ſit impotens ad actionem eliciendam repugnat non ſolùm extrinſecè ex defectu principij, ſed intrinſecè, & in ſe ipſa actio præciſè ex ſe potẽs procedere ab hoc principio: ergo eò ipſo quod cognitio ſupponat principium impotens elicere actionẽ, ad quã terminatur, dicit ex parte obiecti actionẽ intrinſecè repugnantem, quia omnis actio vt non repugnans intrinſecè ſupponit ex parte principij virtutem eliciẽdi talem actionẽ: ergo eo ipſo quod cognitio ſit ſpeculatiua ex principio, eſt ſpeculatiua ex obiecto: ergo repugnat actio ſpeculatiua ex principio, & non ex obiecto.

Addo de facto omnem cognitionem creatam ſpeculatiuam ratione obiecti in ſe repugnantis eſſe ſpeculatiuam ratione principij, quia nullum datur principium creatum potens producere adhuc, quatenus eſt ex ſe effectum in ſe repugnantem, ac proinde eo ipſo quod hæc cognitio terminetur ad effectum repugnantem, ſeu ad actionem repugnantem procedere ab hoc principio, procedit à principio non habente virtutem ex ſe ad eliciendam actionem circa talem effectum. 29

Circa cognitionem quam Deus habet de chymæræ productione poſſet dubitari, an ſit ſpeculatiua tãtùm ratione obiecti, & non ratione principij. Ratio affirmatiua poſſet ſuaderi, quia principium cognoſcens videlicet Deus, ex ſe eſt potens producere chymæram, & tantùm repugnat illam producere ex repugnãtia chymæræ, quã ablatâ, Deus chymæram valeret abſolutè producere ex vi eiuſdem omnipotentiæ quam modò habet. Cenſeo nihilominus nullã dari cognitionem in Deo, quæ tantùm ſit ſpeculatiua ex repugnantia intrinſecâ chymæræ, extrinſecâ cognitioni, ſed omnem cognitionem Diuinam de facto exiſtentem circa chymæram eſſe ſpeculatiuam non ſolùm ratione obiecti extrinſeci; ſed ex modo tendendi circa tale obiectũ, quod ſic probo. Ad hoc vt cognitio ſit practica reſpectu obiecti, debet ferri in illius abſolutam poſſibilitatem per iudicium, quo dicat, hæc entitas eſt poſſibilis, vel ſaltem per apprehenſionem, quâ poſſibilitas obijciatur ſine aliquo iudicio, quo dicat intellectus, hæc poſſibilitas ſeu hæc entitas repugnat: cognitio enim quâ quis dicat, hoc obiectum repugnat, non poteſt eſſe practica reſpectu illius obiecti, neque poteſt actum voluntatis regere, quo quis dicat, volo producere hanc entitatem. Sed in Deo nulla datur cognitio circa poſſibilitatem abſolutam chymæræ, quæ non ſit diſſenſus circa illam: ergo nulla datur cognitio, quæ ex ſe apta ſit, vt ex vi illius imperetur productio chymæræ, ſeu ex vi cuius chymæra poſſet imperari à Deo, caſu quo non repugnaret; ergo ex modo tendendi, quem habet omnis cognitio diuina per diſſenſum, actu quo dicit poſſibilitas chymæræ non datur, ſeu chymæra eſt repugnans, vel conditionatè tantum (ſi velis aliquã cognitionem in Deo contemplari circa chymæram, quæ non ſit diſſenſus) actu quo dicit ſi chymæra non repugnaret hoc modo eſſet producẽda, in quo actu adhuc eſt imbibitus diſſenſus circa poſſibilitatem abſolutam, vt explicabo Contr. 6. de Anima Punct. 6. §. 1. cognitio Diuina eſt purè ſpeculatiua, quia cognitio practica debet ferri & non per diſſenſum in obiectum vt poſſibile. Hic cognoſcendi modus poteſt reduci in principium cognoſcitiuũ, quia Deus ex ſe eſt determinatus ad non habendã puram ſimplicem apprehenſionem circa aliquod obiectum, neque aſſenſum circa poſſibilitatem obiecti in ſe repugnantis. Hac ratione cognitio quam Deus habet modò de chymæra, poſſet dici ſpeculatiua non ſolùm ratione obiecti; ſed ratione principij cognoſcentis, non quia Deus principium cognoſcens ex ſe non habeat virtutem requiſitam ad producendam chymæram, ſed quia ſuppoſitâ illius repugnantiâ eſt determinatus ad habendam cognitionem circa chymæram, quæ ex modo tendendi non poſſit eſſe practica, ſed tantùm ſpeculatiua, & nullam habendam, 30

quæ ex modo tendendi practica eſſe poſſit perſeuerante Chymæræ impoſſibilitate.

31 Ad rationem dubitandi ſuprà adductam,reſpondeo,caſu quo modò chymæra fieret poſſibilis,fore vt Deus poſſet chymæram producere ex vi aſſenſus,quem tunc haberet circa poſſibilitatem chymæræ,non verò ex vi alicuius cognitionis quam modò habet, ac proinde nunc nullam dari cognitionem in Deo,ex vi cuius Deus in aliquo caſu poſſet producere chymæram, quia hæc debet eſſe actus quo Deus iudicet chymæram eſſe poſſibilem, qui repugnat,dum chymæra poſſibils non eſt, vt neceſſariò daretur in Deo,caſu quo chymæra eſſet poſſibilis, quia repugnat in Deo falſum iudicium, & neceſſariò datur in ipſo Deo verum iudicium de quocumque obiecto.

§. III.

Formalitates extremorum, in ordine ad quæ ſumitur ratio cognitionis practica,& ſpeculatiua,aſſignantur.

32 DIximus rationem practici ſemper ſumi ex principio, & obiecto, & non niſi ab vtroque ſimul poſſe adæquatè ſumi,& rationẽ ſpeculatiui ab illorũ quolibet poſſe adæquatè ſumi,& de facto ita adæquatè deſumi,licet non repugnet deſumi in aliqua cognitione ex obiecto tantùm & non ex principio,etſi repugnet deſumi ex principio & non ex obiecto.Cæterùm cùm in principio,& in obiecto ſint quædam prædicata eſſentialia, alia indiuidualia, ſupereſt ſciendum à quibus prædicatis obiecti, & principij deſumatur, vt poſſimus agnoſcere an cognitio practica vel ſpeculatiua dicatur in ordine ad aliquod eſſentiale vel indiuiduale principij vel obiecti, ex quo principio inferemus an ratio practici & ſpeculatiui ſit cognitionis eſſentialis,necne,& quomodo hæ differentiæ opponantur.

33 Cenſeo rationem practici in quacũque cognitione non poſſe ſumi ab vno vel altero prædicato obiecti,ſed neceſſariò deſumendam eſſe ab omnibus formalitatibus quæ in illo ſunt, à ſuprema ratione entis vſque ad vltimam differentiam indiuidualem illius. Ratio eſt, quia ex parte obiecti cognitionis practicæ requiritur obiectum contineri in virtute productiua principij cognoſcentis.Sed non ſufficit contineri ratione prædicati ſpecifici,ſed neceſſum eſt contineri ratione omnium prædicatorum, vt cognitio terminata ad tale obiectum ſit practica: ergo ratio practici deſumitur in cognitione ex omnibus prædicatis quæ ſunt in obiecto. Minorem probo:cognitio practica debet tendere circa obiectum quod phyſicè poſſit produci à cognoſcente: ſed eo ipſo quod obiectum cognitum ſecundùm aliquam rationem ſecum identificatam non contineatur in virtute cognoſcentis; non poterit phyſicè ab illo produci, quia ad hoc vt ego poſſim effectum producere non ſufficit effectum non habere repugnantiam ex prædicato generico, aut ſpecifico vt à me producatur, ſi illam habet ex alio prædicato inferiori, quia eo ipſo quod ex aliquo prædicato repugnet produci à me,nullâ ratione potero illum producere; vt patet in cognitione Petri eiuſdem ſpeciei cum alia cognitione, quam ego produco de eodem obiecto, quæ præciſè ex prædicato ſpecifico poſſet à me produci: ſicuti producitur propria cognitio; quia tamen ex prædicato indiuiduali repugnat illam à me produci,abſolutè illam producere non poſſum:ergo ratio practici quæ importat obiectum poſſe phyſicè produci à cognoſcente deſumenda eſt ex omnibus prædicatis, ſeu ex omnibus formalitatibus,quæ in obiecto reperiuntur.

34 Ex ratione ſuprà dicta infertur rationem ſpeculatiui poſſe ſumi adæquatè ex vno vel altero prædicato obiecti, ratione cuius repugnet productio illius ab hoc principio, ſiue hoc prædicatum ſit ſpecificum ſiue indiuiduale:exẽpli gratiâ, cognitio, quam ego habeo ſyllogiſmi qui poteſt fieri à Petro, & non à me deſumit rationem ſpeculatiui ex ratione indiuidua effectus,ratione cuius repugnat à me produci, & non ex ratione ſpecifica, ratione cuius præciſè ſumpta non repugnat à me produci, quia alius ſyllogiſmus eiuſdem ſpeciei poteſt à me produci; cognitio verò, quam ego habeo de creatione Angeli,ſpeculatiua eſt ratione prædicati ſpecifici,quia eo ipſo quòd talis actio in ſpecie repugnat à me procedere, imò ex ratione generica creationis, quia eo ipſo quod ſit creatio, non poteſt à me neque ab aliqua potentia creata dependere, quapropter prædicta cognitio ex ratione generica obiecti, videlicet ex prædicato creationis imbibito in obiecto adæquatè erit ſpeculatiua,& ſimiliter ex ratione ſpecifica talis creationis,necnon ex prædicato indiuiduali huius numero creationis, habebit rationem cognitionis ſpeculatiuæ ex quocumque adæquatè, quia quodcumque prædicatum ſufficiens impedimentum eſt per ſe ſumptum,vt obiectum huius cognitionis procedat tanquam è principio actiuo à principio cognoſcente.

Vnum in hac re ſcire oportet,quòd quotieſcumque ratio ſpeculatiui deſumitur ex aliquo prædicato ſuperiori 35 obiecti, ex omnibus illo inferioribus deſumi neceſſe eſt: ratio eſt,quia quotieſcumque actio ex prædicato generico repugnat produci ab aliquo principio, eandem repugnantiam habet ex differentia ſpecifica contrahente tale prædicatum genericum ad certam ſpeciem; & quotieſcumque habet hanc repugnantiam ex prædicato ſpecifico, eandem habet ex prædicato indiuiduali, quia nequit prædicatum inferius contineri in virtute cauſæ, in qua non continetur prædicatum ſuperius cum illo identificatum, nec poteſt dari virtus productiua Petreitatis, & non hominis, neque virtus productiua rationalis, & non animalis.Sic licet argui:cognitio deſumit rationem ſpeculatiui ex prædicato ſpecifico: ergo ex indiuiduali,& ſimiliter ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis:Cognitio non ſumit rationem ſpeculatiui à prædicato indiuiduali obiecti: ergo neque ab ſpecifico: & ſic de aliis.

Iam ſi rationem ſpeculatiui in ordine ad principium 36 inſpiciamus, eodem modo de alia iudicium ferendum eſt,ac in ordine ad obiectum;poteſt enim deſumi ex prædicato ſpecifico, & ex prædicato indiuiduali adequatè ex quocumque illorum & tantùm ex prædicato indiuiduali;& non ex ſpecifico.Sic cognitio,quam habet homo de Angeli creatione eo ipſo, quod eſt cognitio hominis eſt ſpeculatiua,quia implicat ab homine Angelum produci, & ſimiliter eo ipſo quod eſt cognitio talis hominis, eodem modo ac de ratione ſpecifica & indiuiduali dicebamus, & cognitio quam ego habeo de ſyllogiſmo, qui poteſt fieri à Petro, non habet ex prædicato ſpecifico principij eſſe ſpeculatiuam,quia aliud principium cognoſcitiuum eiuſdem ſpeciei mediâ aliâ cognitione ſpecifica eiuſdem ſpeciei poteſt illum ſyllogiſmum producere, ſed ex prædicato indiuiduali principij cognoſcentis, quod ex eo quod ſi talis homo non poteſt illum ſyllogiſmum producere, quem ex prædicato hominis præciſè ſumpto non repugnabat ab illo principio produci.

Vltimò de ratione practici in ordine ad principiũ eodẽ 37 modo iudicium fero, ac de eadem ratione in ordine ad obiectum; cenſeo enim deſumendum eſſe adæquatè ab omnibus prædicatis, quæ ſunt in principio ſimul ſumptis vſque ad vltimam differentiam indiuidualẽ,quia hæc numero actio quæ eſt praxis, reſpicit hoc numero principium, in quo ſunt contractæ omnes rationes ſuperiores; Exempli gratia: hic ſyllogiſmus in quem fertur cognitio practica ſupponit hunc numero intellectiuum, in quo eſt incluſa ratio intellectiui,& intellectiuũ includit rationẽ viuentis;& ratio viuentis prædicata alia ſuperiora vſque ad ſupremum genus. Vltimò quia ad hoc vt cognitio ſit practica requiritur neceſſariò nullum eſſe prædicatum in principio cognoſcente, ratione cuius repugnet obiectum ab illo produci:ergo ratio practici neceſſariò deſumenda eſt ex omnibus formalitatibus, quæ ſunt in principio cognoſcitiuo.

§. IV.

An ratio practici & ſpeculatiui ſumatur ab extremis tantùm tanquam ab extrinſecis ſpeculatiuis vel etiam tanquam à conſtitutis per ſe?

DIximus iam rationem practici & ſpeculatiui deſumi 38 ab obiecto & principio, & explicuimus formalitates obiecti,& principij à quibus formalitates iſtæ deſumãtur, nunc ſupereſt ſciendum,an ab eiſdem formalitatibus deſumantur prædictæ rationes tanquam ab ſpecificatiuis tãtùm extrinſecis,ex quibus in ipſas cognitiones deriuentur rationes intrinſecæ practici & ſpeculatiui, vel etiam tanquam à formis,ex vi quarum formaliter cognitio in ratione practicæ, vel ſpeculatiuæ conſtituatur, quod eſt idem ac inquirere, an ratio practici, vel ſpeculatiui ſit adæquatè

Digitized by Google

adæquatè intrinſeca cognitioni, an verò conſtituatur per cognitionem,& per aliquid ab illa diſtinctum.

39 Dico primò. Quælibet cognitio practica præter intrinſecum reſpectum, quem dicit ad principium,& obiectum identificatum cum ipſa cognitione, dicit formaliter poſſibilitatem obiecti diſtinctam ab ipſa cognitione. Probo facilè: Cognitio practica, quam modò habet artifex de opere artificioſo, quod poteſt conficere, eo præcisè quod opus illud, quod eſt cognitionis obiectum fieret repugnans, non eſſet practica, neque ex vi illius poſſet opus efficaciter imperari à voluntate artificis: ergo cognitio illa formaliter vt practica importat formaliter poſſibilitatem intrinſecam obiecti, quam ab ipſa cognitione diſtingui certum eſt.

40 Dico ſecundò. Cognitio practica includit formaliter potentiam actiuam principij cognoſcitiui ad producendum ſuum obiectum, quod eadem ratione probo: Cognitio cõſtituitur formaliter practica ex eo quod illius principium poſſit medio actu voluntatis ab ipſa cognitione directo efficere ſuum obiectum. Sed hæc ratio importat formaliter potentiam actiuam in principio cognoſcente ad obiectum producendum: ergo ratio practici conſtituitur formaliter per hanc potentiam actiuam principij cognoſcitiui in ordine ad obiectum. Confirmatur: cognitio ſecundum ſe tantùm eſt quædam applicatio obiecti ad principium cognoſcens, quæ formaliter nihil aliud præſtat: ergo ex eo poteſt dici applicatio practica ſeu deſeruiens ad operationem, quia in principio, cui obiectum applicatur, inſidet actiua virtus ad producendum obiectũ media illâ applicatione, ſic enim cõtingit in applicatione locali agentis ad paſſum, quæ per potentiam agentis formaliter conſtituitur conditio ad operandum, & practica applicatio, non enim ex alio capite dicimus applicationẽ inter ignem & lignum practicam eſſe, & conditionem ad operandum, niſi quia in igne reperitur virtus ad agendum in lignum;& applicationem inter duo alba non eſſe practicam, neque conditionem ad operandum, niſi quia neutrum illorum poteſt agere in alterum; quod ſi alteri virtus actiua ſuperueniret ad agendum in aliud, eadem applicatio, quæ antea non erat conditio ad operandum, diceretur practica, & conditio ad operandum. Vltimò etiamſi per impoſſibile permaneret eadem cognitio, quam modò habeo de ſyllogiſmo faciendo, eo præcise quòd deficeret in me virtus actiua ad talem ſyllogiſmum faciendum, cognitio illa non eſſet practica: ergo cognitio in ratione practicæ dicit formaliter in principio cognoſcente virtutem actiuam in ordine ad ſuum principium.

Dico tertiò. Omnis cognitio practica creata habet connexionem cum principio actiuo, ex vi cuius formaliter conſtituitur practica. Ratio præſto adeſt: Cognitio conſtituitur practica per virtutem actiuam in ordine ad obiectum identificatum cum principio cognoſcente: ſed habet intrinſecam connexionem cum principio cognoſcente à quo per ſe ipſam dependet: ergo habet intrinſecam connexionem cum virtute actiua identificata cum tali principio.

41 Dico quartò. In communi ſententia quæ aſſerit virtutem productiuam eſſe connexam cum poſſibilitate effectus, cognitio quæ de facto eſt practica, habet connexionem intrinſecam cum poſſibilitate ſui obiecti. Probo facilè: cognitio habet connexionem cum principio productiuo ſui obiecti: principium productiuum habet connexionem cum poſſibilitate eiuſdem obiecti, quod poteſt producere: ergo cognitio quæ de facto eſt practica, habet connexionem mediatam cum poſſibilitate obiecti; non præcisè quia hæc poſſibilitas eſt obiectum cognitionis, ſed quia eſt terminus relationis, quam dicit ad illam principium productiuum, cum quo cognitio practica per ſe ipſam coniungitur. Ob hanc intrinſecam connexionem, quam habet cognitio practica ſecundùm hæc principia cum principio actiuo, & obiecto, ex vi quorum formaliter conſtituitur practica, vulgò dicitur rationem practici eſſe intrinſecam cognitioni,& cum illa identificatam, non tamen ita res ſe habet, aliud enim eſt cognitionem per ſe ipſam eſſe connexã cum extremis, ex vi quorum conſtituitur practica,& per ſeipſam habere nõ poſſe non eſſe practicam; aliud per ſe ipſam practicã conſtitui, vt in ſimili dicã *Contr.6.de anima, Punct.*1. de cognitione diuina, quæ per ſe ipſam habet connexionem cum obiecto creato, ex vi cuius vera conſtituitur, & per ſe ipſam habet non poſſe non eſſe veram, & tamen non conſtituitur adæquatè per ſe vera formaliter, ſed per ſe ipſam, & per obiectum ab illa diſtinctum, cum quo habet connexionem.

42 Dico quintò. In mea ſententia, quæ non admittit cõnexionem inter principium productiuum, & poſſibilitatẽ effectus, cognitio practica creata non habet ex ſe ſeu per locum intrinſecum, connexionem cum poſſibilitate ſui obiecti, per quam practica conſtituitur, quia ſi per impoſſibile obiectum fieret repugnans, eadem cognitio permaneret, vt latè probo *Contr.6.de anima Punct.*1. vbi adhuc cognitiones intuitiuas creatas affirmo non eſſe connexas cũ ſuis obiectis, niſi hæc obiecta ſupponantur in alio genere, vt principia ipſarum cognitionum. Dixi cognitiones non habere ex ſe ſeu per locum intrinſecum cõnexionem cum poſſibilitate obiecti, quia etiamſi per impoſſibile deficeret obiectum, permaneret cognitio, quod eſt cognitionem per locum intrinſecum non eſſe connexam cum obiecto, licèt cum illo connectatur propter neceſſitatem, quam in ſe habet poſſibilitas obiecti, quæ indefectibilis eſt, ac proinde quotieſcumque exiſtet cognitio, cuius obiectum aliquando eſt poſſibile, ſemper neceſſariò coexiſtet poſſibilitati obiecti; non neceſſitate ortâ ex ipſa cognitione, ſed ex obiecti neceſſitate, vt dicam citato loco de veritate propoſitionum, quæ feruntur in obiecta neceſſaria.

43 Dico ſextò. Quælibet cognitio practica in Deo non ſolùm eſt connexa, ſed identificata cum virtute productiua obiecti per quam conſtituitur practica,& eſt connexa cum poſſibilitate obiecti per quam etiam formaliter practica conſtituitur. Vtraque pars concluſionis eſt omnino certa, prior, quia in Deo cognoſcente obiectum,& potente illud producere, cognitio,& virtus productiua realiter ſunt idem; poſterior, quia cognitio practica Dei eſt aſſenſus circa obiecti poſſibilitatem, cui eſſentialiter repugnat falſitas; & ita ex eo quod hic aſſenſus exiſtat in Deo per locum intrinſecum infertur dari illius obiectum ea ratione, qua repræſentatur.

44 Dico ſeptimò. Cognitio ſpeculatiua non neceſſariò cõſtituitur ſpeculatiua formaliter adhuc inadæquatè per impoſſibilitatem obiecti, neque per impotentiam principij ad illud producendum, ſed poteſt adæquatè conſtitui ſpeculatiua, ex modo tendendi, quem habet in obiecto: vt patet in ſcientia viſionis, quam habet Deus de effectu iam producto, quæ fertur in obiectum non repugnans,& dicit principium cognoſcitiuum potens producere tale obiectum,& nihilominus non eſt cognitio practica, ſed ſpeculatiua. Similiter cognitio quælibet creata, quâ repræſentatur productio obiecti vt mala,& diſconueniens cognoſcenti, quod illud poteſt producere, ſupponit in principio potentiam ad producendum tale obiectum, & connotat obiectum non repugnans, & nihilominus reſpectu illius productionis ſpeculatiua eſt, quia ex vi talis cognitionis non poteſt voluntas imperare productionem, quæ obiicitur, vt diſconueniens, quod ſi imperet fugam, ſeu non productionem obiecti, cognitio erit practica reſpectu fugæ, ſeu non productionis, non tamen reſpectu productionis. Idem contingit in cognitione, quà credit artifex repugnantiam inuoluere opus artificioſum, quod abſque vlla repugnãtia poſſet ab ipſo fieri, quod iudiciũ neceſſariò eſt ſpeculatiuũ,& tamen in obiecto nulla eſt repugnantia, ſed tantùm in mente falsò apprehendente, & in principio cognoſcente eſt potentia ad tale opus producendum.

45 Dico octauò: Impotentia principij cognoſcentis ad producendum obiectum cognitum,& repugnantia ipſius obiecti ſufficiunt ad conſtituendam adæquatè cognitionem ſpeculatiuam, quia illarum quælibet ſufficiens eſt, vt obiectum non producatur ex vi cognitionis, & ita illarum quælibet ſufficiens eſt vt adæquatè conſtituat cognitionem purè ſpeculatiuam,& non practicam.

46 Ex his concluditur cognitionem conſtitui practicam adæquatè per modum, quo repræſentat obiectum identificatum cum cognitione, & per non-repugnantiam obiecti diſtinctam ab omni cognitione, quam eſſentialiter ſupponit cognitio practica increata, & cum qua cognitio creata nullam habet connexionem, & per virtutem productiuam principij cognoſcentis reſpectu obiecti cogniti, quæ in Deo identificatur cum ipſa cognitione, & cum qua cognitio creata eſſentialiter eſt connexa, quæ omnia ſimul ſumpta eſſentialiter requiruntur, vt cognitio ſit practica. Eadem ratione concluditur cognitionem poſſe adæquatè con-

ſtitui ſpeculatiuam ex defectu cuiuſcumque ex his, quæ ad cognitionem practicam conſtituendã requiruntur, eo enim ipſo quod illorum aliquod deficiat, cognitio non erit practica, ſed pura obiecti ſpeculatio, quod eſt formaliter cognitionem eſſe ſpeculatiuam.

§. V.

Quomodo opponantur cognitio practica & ſpeculatiua?

1 PRobat Hurt. diſp. 11. de anima ſect. 4. §. 14. rationem practici, & ſpeculatiui non eſſe differentias oppoſitas, quas idem habitus, & idem intellectus poteſt dici ſimul practicus, & ſpeculatiuus. Diſplicet ratio, quia idem intellectus eſt ſimul aſſentiens, & diſſentiens circa diuerſa obiecta, & tamen aſſenſus, & diſſenſus, quantumuis ſint circa diuerſa obiecta eſſentialiter differunt, ratio eſt quia intellectus non conſtituitur formaliter aſſentiens, & diſſentiens per ſe ipſum, ſed per actus ſuperadditos, & inter ſe diſtinctos, & ita poteſt habere à formis eſſentialiter differentibus has diuerſas denominationes, quæ eſſentialiter opponuntur in ordine ad eundem actum, & extrinſecè poſſunt idem denominare principium. Sic dici poteſt de cognitione practica, & ſpeculatiua, quia intellectus & habitus non ſunt practici neque ſpeculatiui per ſe formaliter, ſed tantùm deſumunt has denominationes ab actibus, vnde etiamſi eſſentialiter differant, ſicuti aſſenſus, & diſſenſus, amor & odium poſſunt eundem intellectum, & eundem habitum denominare.

2 Soluenda eſt hæc quæſtio ex alio capite, videlicet ex ipſa natura practici, & ſpeculatiui, & ex ipſis formalitatibus, per quas cognitio conſtituitur practica, vel ſpeculatiua, quas aſſignauimus Puncto præcedenti, vbi ſtatui rationem practici deſumi ex modo tendendi per ordinem ad differentias indiuiduales, & ſpecificas principij, & obiecti, & ex ipſis rationibus formalibus ſpecificis, & indiuidualibus obiecti, ex quo infertur rationem practici ſemper importare rationem ſpecificam & indiuidualem cognitionis. Diximus etiam rationem ſpeculatiui aliquando ſumi tantùm ex differentiis indiuidualibus; aliquando verò ex differentiis ſpecificis; ex quibus infero in his cognitionibus, in quibus ratio ſpeculatiui deſumitur ex differentia ſpecifica, rationem ſpeculatiui eſſentialiter differre à ratione practici repertã in alia cognitione; in his verò, in quibus ratio ſpeculatiui deſumitur tantùm ex differentiis indiuidualibus, rationem ſpeculatiui non differre eſſentialiter à ratione practici in alia cognitione reperta. Eo enim modo quo differunt duæ differentiæ indiuiduales, different ratio practici & ſpeculatiui formaliter ſumptæ, & eadem ratione differt hæc cognitio practica illa ſpeculatiua, ſicuti differt hoc indiuiduum ab alio.

3 Rem exemplis explico: cognoſcit homo motum progreſſiuum, quem ipſe elicere poteſt; cognoſcit Angelus eundem motum progreſſiuum: cognitio Angeli eſt ſpeculatiua eo præcisè quòd ſit cognitio Angeli, ac proinde ex differentia eſſentiali; cognitio hominis circa idem obiectum eſt practica ex eo quod ſit cognitio hominis, & talis hominis, qui poteſt hunc motum progreſſiuum præſtare, quod dicit non ſolùm differentiam indiuidualem cognitionis, ſed ſpecificam. In his cognitionibus ratio practici, & ratio ſpeculatiui eſſentialiter different, quia ſumuntur ex differentiis eſſentialiter oppoſitis. Cognoſcit Petrus ſyllogiſmum quem poteſt elicere; cognoſcit Ioannes eundem ſyllogiſmum; cognitio Petri eſt practica, cognitio Ioannis eſt ſpeculatiua præcisè ex differentia indiuiduali: in his cognitionibus ratio practici & ſpeculatiui eſſentialiter non different, ſed tantùm indiuidualiter. Similiter in eadem potentia poteſt eſſe duplex cognitio eiuſdem ſpeciei circa obiecta numero diſtincta, quarum vna ſit practica, & altera ſpeculatiua præcisè ex differentia indiuiduali, in quibus ratio practici & ſpeculatiui non importabunt rationes ſpecificas eſſentialiter oppoſitas ſed tantùm indiuiduales. Exhibeo exemplum; cognoſco ego per hanc cognitionem ſyllogiſmum, qui poteſt fieri à me cognitione practicâ, & cognoſco ſyllogiſmum eiuſdem ſpeciei, quem poteſt elicere Petrus, quæ cognitio erit ſpeculatiua, & tamen cognitiones ſecundùm ſe, illarumque principia & obiecta tantùm indiuidualiter differunt. Ex quibus infertur in his cognitionibus rationem practici & ſpeculatiui non poſſe imponere differentias ſpecificas eſſentialiter oppoſitas, ſed totam illarum oppoſitionem in differentiis indiuidualibus contrahentibus eandem rationem ſpecificam eſſe conſtitutam.

Tandem concludo in aliquibus cognitionibus rationem practici, & ſpeculatiui importare oppoſitionem ſecundùm differentias ſpecificas, in aliis verò tantùm ſecundùm differentias indiuiduales, & ex ſe rationes iſtas abſtractas non magis dicere hanc rationem quàm illam, quia ratio practici dicit cognitionem dependentem à principio & terminatam non per diſſenſum, ſed ſaltem per apprehenſionem, aut per aſſenſum ad productionem effectus, qui non repugnet produci à principio; & principium, quod ex ſe virtutem habeat ad producendum effectum, & cognitio ſpeculatiua conſtituitur per carentiam cuiuſcumque ex requiſitis. Sed hoc principium non poſſe producere hunc effectum, & illud poſſe eundem producere, aliquando procedit ex differentia ſpecifica, vt in homine, & equo, quorum equus ex conceptu ſpecifico poteſt equum producere; & homo ſimiliter ex conceptu ſpecifico non poteſt producere equum; & in homine & Angelo cognoſcentibus eundem diſcurſum, qui poteſt produci ab homine ex conceptu ſpecifico & indiuiduali, & non poteſt produci ab Angelo ex conceptu ſpecifico Angeli, & ita cognitio practica hominis, & cognitio ſpeculatiua Angeli dicent rationes practici & ſpeculatiui eſſentialiter oppoſitas; in cognitionibus verò Petri & Ioannis de ſyllogiſmo eodem, qui poteſt fieri à Petro & non à Ioanne, cognitio Petri quatenus practica ſolùm differt à cognitione Ioannis quatenus ſpeculatiua ſecundùm differentiam indiuidualem, quia cognitiones ipſæ inter ſe tantùm differunt indiuidualiter, & ex indiuiduatione principiorum prouenit hoc non poſſe producere hunc effectum, quem aliud principium producere poteſt. 4

Obicies: Cognitio ſemper conſtituitur ſpeculatiua per reſpectum ad principium & obiectum; ſed reſpectus ad hæc extrema eſt eſſentialis: ergo conſtituitur ſpeculatiua per reſpectum eſſentialem cognitioni: ergo ratio ſpeculatiui ſemper dicit conceptum eſſentialem cognitioni. Reſpondeo eſſentiale eſſe actui dicere reſpectum ad principium, & ad obiectum, non tamen omnis reſpectus, quem actus dicit ad hæc extrema eſt illi eſſentialis, quia in actu reperitur reſpectus ad rationes eſſentiales principij & obiecti, & hic eſt eſſentialis actui, & reperitur reſpectus ad rationes indiuiduas principij & obiecti, & hic reſpectus eſt indiuidualis actui, per quem adæquatè plures actus ſpeculatiui conſtituuntur. 5

Poſſe eandem cognitionem ferri in duplex obiectum & eſſe practicam reſpectu vnius, & ſpeculatiuum reſpectu alterius mihi dubium non eſt, quia poteſt vnum obiectum eſſe operabile, & in illud ferri modo operabili, & aliud non eſſe operabile, vel etiamſi operabile ſit, non ferri in illud modo operabili ex modo illud proponendi, vel defectu virtutis in principio, aut poſſibilitatis in obiecto. 6

Diſputant Hurt. & Arriaga, an reſpectu eiuſdem obiecti poſſint eſſe duo actus inhærentes eidem potentiæ, quorum vnus ſit practicus & alter ſpeculatiuus. Negat Hurt. diſp. 1. §. 16. affirmat Arriaga diſp. 1. §. 69. Ego cum diſtinctione reſpondeo, vtrumque practicum, vel vtrumque ſpeculatiuum eſſe futurum, ſi vterque eodem modo verſetur circa obiectum; ſi verò diuerſo modo verſentur, vnum eſſe practicum & alterum ſpeculatiuum poterit contingere; vt videre eſt in ſcientia viſionis & ſcientia ſimplicis intelligentiæ, de eodem obiecto exiſtente, & poſſibili, quarum ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt practica, & ſcientia viſionis eſt ſpeculatiua, & vtraque reſpicit idem obiectum formaliter abſque formalitate in aliquo diſtincta. 7

PVNCTVM III.

De ſcientiarum vnitate.

VEllem me paucis ab hac quæſtione expedire, & meam in hac re mentem clarè explicare, quia illam apud plures valde confuſam lego, & apud paucos aliquid fixum inuenio, quo quæſtionem definiant, ita vt de illorum mente non poſſit alia ſuboriri prolixior. 1

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Difficultas proponitur, ſtatuiturque ſcientiam non eſſe vnam ſimplicem qualitatem.

2 Diuiditur quæcumque ſcientia in actualem, & habitualem; Scientia actualis dicuntur omnes actus, quos ad vnam ſpectare dicimus: Scientia habitualis vocatur habitus à quo procedunt actus, ſiue talis habitus ſit vnus indiuiſibilis, ſiue vnus integraliter compoſitus ex pluribus partibus, quorum quilibet ad diuerſam concluſionem ſpectat: ſiue plures realiter non vniti, ex quibus vna ſcientia conflari dicitur, quia omnes ordinantur ad idem obiectum formale, quod reſpiciunt mediis actibus. Actus qui dicuntur ad eandem ſcientiam pertinere, nullam in ſe habere vnionem realem & phyſicam per ſe notum eſt: nunquam enim ſimul coëxiſtunt, & quilibet illorum eſt integer conceptus, & integra cognitio, quæ non ordinatur ad vnionem cum alio extremo eiuſdem rationis, potiùs illam reſpuit, cùm actus quàm plures ſub eadem ſcientia conſtituti ſpecie differant. Difficultas eſt quod obiectum commune habeant, quémve ordinem, ſeu ratione cuius ad eandem ſcientiam pertineant, de quo poſtea dicam.

3 Habitus intellectus ab ſpeciebus non diſtingui dicam Controu.14.de anima Punct.7.ex quo infertur iuxta mea principia nullam ſcientiam includere eundem habitum, neque ſimplicem, neque compoſitum ex partibus integrantibus: quia certum eſt nullam habere vnionem ſpecies, quibus diuerſi actus ad eandem ſcientiam ſpectantes producuntur. Dicam inſuper eadem Controu.13.Punct.5. in opinione, quæ admittit habitus diſtinctos ab ſpeciebus hos eſſe multiplicandos pro diſtinctis actibus, etiamſi ad eandem ſcientiam ſpectare dicantur. Tenent eandem ſententiam Scot. in 3.diſtinct.25. quæſt.2.§. *ad ſecundum quæſitum*: hunc ſui ſequuntur qui conſentiunt Nomin. in 1.quæſt. 1. Greg. q.3. art.1. Gabriel q.8. ſuffragantur ex noſtris P. Suar. tom.2. Metaph. diſp 44. ſect.11.à n.45. P. Molina 1.part. quæſt. 1. artic.3. P. Fonſeca lib.1. Met. quæſt.5. ſect.2. & lib.6. cap.2. quæſtion.2. ſect.2. Tolet. in Logica, q.3.procemial. Hurt. diſp.1.Met.ſect.6. Arriag. diſp.1.ſect.3.ſubſect.4.

4 Habemus ex his neque ſcientiam actualem, neque habitualem eſſe ſimplicem qualitatem, ſed ſcientiam actualem includere plures actus, & ſcientiam habitualem, dicere plures habitus, & ex his fieri vnam ſcientiam totalem habitualem, ex illiſque vnam ſcientiam totalem actualem: quiſve ordo, quæve dependentia, aut quæ ſimilitudo debeat intercedere inter actus, & habitus diſtinctos, vt dicantur ad eandem ſcientiam pertinere, hoc opus, hic labor eſt. Neque ex diuerſis capitibus, ſed ex hoc tantùm, vnitatem, & diſtinctionem ſcientiarum debemus colligere, poſtquam enim illud inuenerimus ratione cuius hæc actuum collectio ad eandem ſcientiam pertinere dicatur, omnis actus, cui non inſit eadem vnitatis ratio, ſeu idem reſpectus cum actibus in hac collectione conſtitutis, dicetur non pertinere ad hanc ſcientiam, ſed aliam conſtituere cum reliquis omnibus, in ordine ad quos habuerit ſimilem reſpectum, ſeu vnitatem, ex quibus omnibus fiet alia actuum collectio, quæ erit ſcientia alia adæquata ab iſta diſtincta. Poſtquã verò difficultatem hanc in actibus ſuperauerimus, in habitibus nulla ſupererit; illi enim habitus qui pertinent ad actus, ex quibus conſtituatur vna ſcientia adæquata totalis, vnam ſcientiam habitualem totalem component, & illi qui ſpectant ad actus conſtituentes diſtinctas ſcientias totales, diſtinctas ſcientias habituales conſtituent.

5 Affirmant ferè omnes Doctores ſcientias diſtingui per obiecta formalia ipſarum, & diſtinctæ ſcientiæ diſtinctum obiectum formale competere; ſed adhuc lis integra quomodo diſtinguenda ſint obiecta formalia adæquata ſcientiarum totalium; reperiuntur enim in quacumque ſcientia plures actus procedentes à præmiſſis ſpecie diſtinctis, & conſequenter habentes obiecta formalia ſpecie diſtincta, quia præmiſſæ ſunt obiectum formale concluſionis, dicuntur tamen pertinere ad vnam ſcientiam, & præmiſſæ cuiuſcumque concluſionis ſpecie diſtinctæ à præmiſſis aliarum concluſionum dicuntur obiectum formale adæquatum ſcientiæ, etſi ſint obiectum formale adæquatum talis concluſionis, quia obiectum formale adæquatum ſcientiæ includit omnia obiecta formalia omnium actuum, qui ad eandem pertinent ſcientiam, quorum quodlibet eſt adæquatum reſpectu actus, cui tribuit ſpeciem, & cuius dicitur formale obiectum, & inadæquatum reſpectu totius ſcientiæ. Hinc oritur difficultas, quæ multitudo obiectorum formalium diſtinctorum in ſpecie actuum, quorum quodlibet reſpectu proprij actus eſt adæquatum, ſit aſſignanda ad deſignandum obiectum adæquatum formale ſcientiæ totalis, curve hæc multitudo obiectorum formalium huius multitudinis actuum dicatur vnum obiectum adæquatum formale vnius ſcientiæ, & alia ſimilis multitudo ſit obiectum adæquatum aliûs ſcientiæ, & non ex vtraque multitudine fiat vnum obiectum adæquatum vtriuſque ſcientiæ totalis complectentis omnes actus, quorum ſpecificatiua obiecta formalia in vtraque multitudine continentur; ſeu cur obiecta formalia contenta in hac multitudine non fuerint ſubdiuiſa in duplicem multitudinem, quarum quælibet conſtitueret vnum obiectum formale adæquatum condiſtinctum ab alio vnius ſcientiæ adæquatæ ab alia condiſtinctæ.

Reſpondebis obiecta formalia diſtinctorum actuum pertinentium ad eandem ſcientiam totalem habere conuenientiam aliquam, ratione cuius ex illis fiat vnum obiectum adæquatum totale vnius ſcientiæ, quam non habent cum aliis obiectis formalibus conſtituentibus aliud obiectum adæquatum ſcientiæ diſtinctæ. 6 Adhuc integra permanet noſtra difficultas: fateor ego ſemper in obiectis formalibus conſtituentibus obiectum adæquatum huius ſcientiæ, eſſe aliquam cõuenientiam, quæ non ineſt illis in ordine ad obiecta formalia diſtinctorũ actuũ conſtituentia obiectum adæquatum aliûs ſcientiæ, verũtamen cùm conuenientia, quæ eſt inter obiecta formalia actuum cõſtituentia obiectum adæquatũ vnius ſcientiæ non ſit ſecundùm ſpeciem infimam, facile eſſet omnia illa obiecta, quæ dicuntur conſtituere vnum obiectum adæquatum ſubdiuidere in duplicem multitudinẽ, & ad quæcumque reducere obiecta, quæ inter ſe haberent conuenientiam aliquam, quam non haberent in ordine ad alia obiecta formalia in alia multitudine contenta, & ita propter conuenientiam obiectorum pertinentium ad hanc multitudinem, & diſconuenientiam ipſorum cum obiectis pertinentibus ad multitudinem aliam, poſſent dici obiecta formalia pertinentia ad hanc multitudinem conſtituere vnum obiectum adæquatum ſcientiæ condiſtinctũ ab alio, quod conſtituerent obiecta formalia pertinentia ad aliam multitudinem. Secundò cùm diſconuenientia obiectorum formalium, quæ conſtituunt obiecta adæquata diſtinctarum ſcientiarum, non ſit ſecundùm duo genera ſuprema, facilè eſſe ab his obiectis diſconuenientibus ſecundùm hanc rationem aliam ſuperiorem abſtrahere, ratione cuius dicerentur poſſe conſtituere obiectum vnum adæquatum vnius ſcientiæ, quia ad hoc conſtituendum non requiritur conuenientia ſecundùm aliquam rationem infimam, quæ in plures rationes ſpecie diſtinctas diuiſibilis non ſit.

Multò poſt primam huius operis editionem, nuper librum edidit, cui titulus eſt, Controuerſiæ Metaphyſicales Magiſter quidam Cõplutenſis Dominicanus, in quo frequẽter valde meas ſentẽtias intendit impugnare, & contra hic traditum ſcribit 1.part.contr.2. art.1.n.5. neque proprio nomine in margine refert, & in corpore honorat titulo ſcriptoris è Societate Ieſu; poſtea vero in toto operis decurſu, Ieſu, & propriæ profeſſionis oblitus ſe totum tradit meis opinionibus corrodẽdis, & ſiniſtrè interpretandis, de quibus cum frequenter ſermonẽ inſtituat, tam deſiderabis bona verba, quã argumenta, omnia miſſa facere decreueră, ſed quia ex ſuis alij nõ ſemel noſtrum ſilentium modeſtiæ ſanè opus in victoriã propriã, quaſi iam de noſtris ſententiis omnino actum eſſet, retulerunt; huic ſuſpicioni occurrens, de his agam, non quæ verba, ſed argumenta, ſi quæ ſunt, poſtulare videantur. 7 *Prado 1. par. Contro. 2. art. 1.*

Arguit iſte art.1.citato n.1.vt probet ſcientiã ſpecificari ex obiectis. Scientia eſſentialiter dicit ordinem ad obiectum, & tota illius quidditas eſt propter obiectum: ergo ab illo ſpecificatur. Probat conſequentiam: eadem ſunt principia eſſendi, & diſtinguẽdi, & ſicut definiri ne- 8

Digitized by Google

quit, quin obiectum intret definitionem, ita neque ſpecificari niſi in ordine ad illud. Addităque hoc intendere Authores, cum dicũt actus ſpecificari per actus, & actus per obiecta. In hoc argumento admiſſum conuenio principium, ex quo infero actus à priori non ſpecificari ab obiectis, ſed tantum à poſteriori, quod tantum importet ex obiectorum diuerſitate rectè colligi diuerſitatem actuũ. Aſſerit iſte eadem eſſe principia eſſendi, ac diſtinguendi, ſed obiecta ea, quæ mediis ſpeciebus non influũt in actus qualia plurima reperiũtur nõ ſunt principia illorũ, ſicuti actus ſupernaturales habituum infuſorum principia non ſunt, niſi latiſſimè principium ſumatur pro eo, vnde aliquid eſt, fit, aut cognoſcitur: ergo hæc obiecta, quæ reſpectu actuum tantum ſunt vnde actus cognoſcuntur, & actus, qui tantũ ſunt vnde habitus cognoſcuntur, & non vnde ſunt, aut fiunt, ſicuti non ſunt principia eſſendi, ita nec diſtinguendi, nec ſpecificandi. Deinde obiecta, quæ mediis ſpeciebus in actus influunt, & ſunt illorum principia illos ſpecificabunt mediis ſpeciebus, & ita ſpecificatio procedit à principio actiuo, quod ego intendo à ſpeciebus immediatè, tanquam à principio actiuo immediato, ab obiectis mediatè, tanquam à principio actiuo mediato, non vero tanquam à puro obiecto.

9 Quod autem in definitione ſcientiæ intret obiectum, probat non poſſe cognoſci ſcientiam ſine obiecto, non vero ſuadet hoc eſſe ſpecificatiuum illius. Tandem vltima conſequentia, quã deducit hic Author, videlicet actus ſpecificari per ordinem ad obiectum, nec contra me negantem actus ſpecificari ab obiectis, neque ad rem eſt, aliud enim eſt actum ſpecificari per ordinem ad obiectũ, aliud ſpecificari ab obiecto, cum enim actus per ſe ipſum dicat ordinem ad obiectum, & hic ordo non diſtinguatur ab ipſo actu, dicere ſpecificari per ordinem ad obiectum, eſt dicere ſpecificari per ſe ipſum, qui eſt ordo ad obiectum: ſpecificari autem ab obiecto, dicit obiectum eſſe principium, & determinatiuum ſpecificationis formalis, & intrinſecæ, quam per ſe ipſum habet actus, ſicuti quælibet alia entitas per ſe ipſum formaliter eſt ſuum ſpecificatiuum formale, per quod in ſua ſpecie conſtituitur, & ab omnibus aliis diſtinguitur.

10 Vrgentiorem rationem contra meam ſententiam, nec refert, nec habet hic Author, in ſua autẽ explicanda longior, ſed non difficilior exiſtit. Defendit ſcientiam ſuam vnitatem, & ſpecificationem ab obiectis deſumi, & à diuerſa abſtractione à materia; cumque ſibi obiiceret obiectum adæquatum vnius ſcientiæ nullam habere vnitatem in ſe, quam poſſit in ſcientiam refundere, diſtinguit obiectũ in eſſe rei, & eſſe ſcibilis; atque obiectum vnius ſcientiæ, videlicet Metaphyſicæ nullam vnitatem habere in eſſe rei, illam tamen habere in eſſe ſcibilis. Addit inſuper hanc vnitatem in eſſe ſcibilis, non ſolum eſſe extrinſecam denominationem à ſcientia deſumptã, ſed præter hanc dari in ipſo obiecto aliam vnitatẽ in eſſe ſcibilis, in qua ſumitur extrinſeca denominatio à ſciẽtia deſumpta.

11 Si probaſſet hic Author obiectum in ſe habere hãc vnitatem in eſſe ſcibilis diſtinctum ab extrinſeca denominatione deſumpta, non parum promoueret ſuam ſententiã; verum ad eam probandum, nec rationem inueniret, nec de illa quærenda curauit. Frequens eſt apud hunc, dum ſe omni ratione deſtitutũ inuenit pro ſua ſententia probãda ad authoritatem Diui Thómæ recurrere, & nullã aliã rationem reddere, quaſi ea, quæ Angelicus Doctor tradiderit fide tantum credenda ſint, eorumque ratio penitus ignoranda. Oportet forſan Diuum Thomam referre, qui quæcumque dixerint, volunt illius authoritate fulcire, quod præſtare non poſſent, ſi illius ratione adducta mens Angelici Doctoris non haberet. Fateor Angelicum Doctorem diſtinguere obiectũ in eſſe rei, & in eſſe ſcibilis, nego tamen in eſſe ſcibilis includere præter denominationem extrinſecam deſumptam à ſcientia formalitatem aliquam diſtinctam ab ea, quorũ habet in eſſe rei, neque talem formalitatem tradidit Diuus Thomas, & ita ſicuti in eſſe rei nullam vnitatem habet obiectum ſcientiæ, ita in eſſe ſcibilis nullam entitatem importat; præter extrinſecam à ſcientia deſumptam. Obiectum in eſſe ſcibilis præter denominationem extrinſecam à ſcientia deſumptam, nihil importare ſupra rationem formaliſſimam entis probo contr. 3. Metaphyſicæ, Punct. 3. Ex quo concludo obiectum in eſſe rei, & in eſſe ſcibilis ſolum diſtingui per extrinſecam denominationem à ſcientia deſumptam, & ita vnitatem, quam habet in eſſe ſcibilis, & non in eſſe rei formaliter deſumi à ſcientia, in eaque conſiſtere nullo modo prius in obiecto, quàm in ſcientia reperiri.

Eſt etiam ficta abſtractio, quædam obiectiua, quam vult hic Author in obiectis reperiri diſtinctam ab abſtractione facta per actum intellectus, & extrinſeca denominatione ab actu intellectus deſumpta: hoc enim, quod eſt abſtrahere ſolum eſt intellectum propriis actibus rationes communes cognoſcere, non cognitis rationibus differentialibus, & ab huiuſmodi cognitione obiecta extrinſeca, & non alio modo abſtracta dicuntur. 12

Dixi eum, qui aſſereret libros de Generatione, vel de Anima continere vnam ſcientiam diſtinctam a libris Phyſicorum, ſola tantum Doctorum Authoritate, & non ratione aliqua conuincendam eſſe. Oppoſitum cenſet iſte, cum quo ago, euidenter demonſtrari, demonſtrationem his tantum verbis inſtruit, & illuſtrat, *quia ſine communibus principiis particularia ſciri non poſſunt.* Quid hoc ad intentum demonſtrandum? videant mediocriter docti, tantum vellem, vt recordaretur iſte dari ſcientias ſubalternas. 13

Confirmare intendunt ſuum intentum ex eo, quod in re hac diuerſæ ſunt opiniones, & mens Angelici Doctoris dubia. Videat qualis ſit euidentia in re opinionibus ſubiecta, & circa quam de vnius Angelici Doctoris mente dubitatur. Deinde, & ſi aliquid dem arbitrio Principum ſcientiarum in ſcientiis diuidendis, rationem formalem ſubiecti, ex vi cuius, quælibet totalis ſcientia ab aliis diſtinguitur ex ipſa rei natura deſumi aſſerui concl. 5. Cur igitur de naturis rerum, ſeu de authoritate ipſarum attenta ſit, vt non permittat ad vnam ſcientiam reuocari, & de diuiſionibus ſcientiarum, quas aſſerui rerum naturam earum ſcientiarum Principes fecerunt. Dubia, & opiniones oriri non poſſunt, ſicuti ipſe affirmat oriri de mente D. Thomæ in hac materia? 14

Dicit hic Author ſcientias inter ſe diſtingui ſpecie. Non me cogerent id concedere rationes illius, quas adhuc in re clariſſima deſidero, viſum tamen nemo in dubium vertet, actus, & habitus ad Metaphyſicam pertinentes ſpecie diſtingui ab actibus, & habitibus ad Mathematicam ſpectantibus, & ego, qui in quacumque ſcientia plures actus, & habitus, ſpecie diſtinctos agnoſco, nunquam recuſare potero ex duabus, quibuſcumque ſcientiis deſignatis vnam includere actus, & habitus ſpecie diſtinctos ab actibus, & habitibus alterius. Tantum aſſero in vnitate ordinis plurium actuum, & habituum ſpecie diſtinctorum, in qua ſcientiæ vnitas conſiſtit, aliquid dandum eſſe arbitrio Principum ſcientiarum, attentis ſemper naturis ſubiectorum ſcientiarum, ne inter ſe valde diſparatæ ad vnam ſcientiam quis intendat reducere. 15

§. II.

Impugnatur Thomiſtarum ſententia.

COmmunis Thomiſtarum opinio fert ſcientias diſtingui per obiecta adæquata, & hæc per diſtinctas abſtractiones; aſſignant enim triplicem abſtractionem, ex vi cuius triplex obiectum ſcientiæ conſtituitur. Prima eſt vi cuius abſtrahitur natura ſpecifica ab indiuiduatione, non tamen à materia ſenſibili, vt cùm per intellectum abſtraho rationem hominis à Petro & Ioanne, per quam dicor abſtrahere ab indiuiduatione, quia conceptus ille, ex vi cuius hominem cognoſco non terminatur ad indiuiduationem, & non dicor abſtrahere à materia ſenſibili, quia homo ſecundùm ſe indiuiduatione ſecluſâ ſenſibilis eſt. Alia abſtractio eſt à materia ſenſibili, & non a materia intelligibili; vt cùm concipio ipſam materiam ſecundùm ſe, abſtraho, à materia ſenſibili, quia materia ſecundùm ſe ſenſibilis non eſt, & non à materia intelligibili, quia materiam ipſam ex vi illiús conceptus intelligo. Alia abſtractio eſt à materia ſenſibili, & intelligibili, vt cùm concipio ens, aut ſubſtantiam, præciſa, quæ ſecundùm ſe non dicunt materialitatem, ac proinde ex vi conceptus, quo abſtraho has rationes, materiam non intelligo. Iuxta has abſtractiones diſtinctas triplicem ſcientiam Thomiſtæ diſtinguunt, Metaphyſicam, quæ abſtrahit à materia ſenſibili & intelligibili; Mathematicam quæ abſtrahit à materia ſenſibili & non intelligibili; & Phyſicam ſeu Philoſophiam quæ abſtrahit ab indiuiduatione, non tamen à materia ſenſibili 16

Digitized by Google

ſenſibili,neque à materia intelligibili.Alij aſſerũt omnem ſcienriã debere abſtrahere à materia,quia intellectus ſpiritualis eſt,& immaterialis,& ita nõ poteſt obiecta attingere niſi à materia abſtracta,& ita primam abſtractionem à differentia indiuiduali vocant abſtractionem à materia tantùm ſingulari,ſecundam à materia ſingulari,& ſenſibili tãntùm,tertiã à materia ſingulari ſenſibili,& intelligibili.

17 Contra hæc abſtractionum genera primò occurrit non leuis, nec facilè ſoluenda difficultas, cur videlicet prima abſtractio ex vi cuius concipitur homo,non ſit abſtractio à materia ſenſibili : & ſecunda per quam concipitur materia vt ſic,ſit abſtractio à materia ſenſibili,nõ enim mihi minùs ſenſibilis eſt homo vt ſic quàm materia vt ſic,ſicut enim implicat materiam vt ſic ſentiri, ſic implicat ſentiri hominem vt ſic ; tantùm enim ſentimus hæc accidentia indiuidua phyſicè exiſtentia, & non rationem aliquã abſtractam ab vltimis differentiis indiuidualibus. Quod ſi dicas, hominem vt ſic non abſtrahere à materia ſenſibili, quia includit conceptum materialem neceſſariò contrahendũ per rationes indiuiduas materiales ſenſibiles, idẽ dicam ego de materia vt ſic,quæ vltimò contrahenda eſt ad indiuidua ſenſibilia. Secundò : illud quod poteſt contrahi per rationes indiuiduas ab illis dicitur abſtrahere: ergo homo vt ſic potens contrahi per indiuidua, quibus conueniat ſenſibilitas,ſeu capacitas terminandi ſenſationes cõtractione ſeclusã rectè dicetur abſtrahere à materia ſenſibili. Secundò ſicuti conſtituunt Thomiſtæ quamdam abſtractionem à materia indiuidua & abſtractionem à differentiis indiuidualibus vocant abſtractionẽ à materiæ indiuidua, cur non conſtituunt abſtractionem aliam à ratione corruptibilis,quam vocent abſtractionem à materia corruptibili, & ratione illius conſtituunt aliam ſcientiam de ente incorruptibili,ſeu abſtrahente à corruptibilitate.Tertiò in Metaphyſica triplex abſtractio inuenitur; prima eſt tranſcendentiũ,quæ abſtrahunt à materia præciſiuè, quia illam non dicunt, non tamen negatiuè , quia cum his tranſcendentibus ratio materiæ non opponitur, potiùs prædicata,quæ tranſcendentia dicuntur,de quibus agit Metaphyſica , reperiuntur in quocumque materiali indiuiduo , & hanc abſtractionem permiſſiuam appellat P.Suar.diſp.1.Metaph.ſect.2.

Alia eſt abſtractio, quam dicunt intelligentiæ , eorum quæ negatiuè abſtrahũt à materia,quia illis repugnat materiale ſubiectũ,ex quo ſimul & ex forma componantur, non tamen abſtrahunt ab omni cõpoſitione phyſica,quia dicunt compoſitionem ex ſubſtantia & accidenti. Tertia abſtractio omnium perfectiſſima reperitur in Deo, ex vi cuius negatiuè abſtrahitur ab omni compoſitione,etiam ex ſubſtantia & accidenti , quia Deus eſt ens ſimpliciſſimum : ergo ſi obiecta ſcientiarum, & ſcientiæ multiplicarentur per diuerſas abſtractiones, in vna Metaphyſica tres poſſemus ſcientias diuidere. Scio nonnullos exiſtimaſſe conſequens vi illationis admittendum eſſe , in quibus Smiglerius illud ſatis probabile eſſe affirmat diſput. 17. quæſt. 2. verumtamen Thomiſtæ , & ferè omnes Authores qui aſſerunt vnam Metaphyſicam complecti Deum , & intelligentias , hac ſolutione vti non poterunt.

18 Quartò de rebus ſpiritualibus habentibus eundẽ gradum abſtractionis à materia agunt diſtinctæ ſciẽtiæ:ergo hæ ſcientiæ diſtingui nõ poſſunt per diſtinctas abſtractiones à materia. Probo antecedens : Scientia animaſtica, ſeu Philoſophia agit de operationibus intellectus quatenus ſunt ſpirituales,quatenus important actionem , ex vi cuius ab intellectu procedunt,& quatenus dicunt qualitatem,in qua verbum mentis conſtituitur , & quatenus per actionem,vel qualitatem formaliter conſtituuntur in ratione intellectionũ,& quatenus ſunt vitales, & ſecundùm alias huiuſmodi formalitates,Logica ſeu Dialectica agit de eiſdem operationibus quatenus dicunt directionem formalem formalis ſciendi inſtrumenti , videlicet definitionis,propoſitionis,& ſyllogiſmi mentalis;& quatenus ex vi illarum formaliter,vel quaſi efficienter conſtituuntur genus,& differentia, ſuperius, & inferius. Sed operationes intellectus quatenus habent proprietates illas,de quibus Philoſophia diſputat,& quatenus obeunt hæc munera,de quibus diſputat Logica , ſunt in eodem gradu ſeparationis,ſeu præciſionis à materia,& in eodem vniuerſalitatis gradu : ergo hæ ſcientiæ non diſtinguuntur per diſtinctas præciſiones à materia.

Rurſus eundem modũ diſtinguendi ſcientias per hanc abſtractionem à materia impugno. In his diuerſis abſtractionibus tantùm reperiuntur actus intellectus , illorum obiecta, & denominationes , quæ ex actibus deriuantur in obiecta:ſed Scientiæ non diſtingui dicuntur per actus, aliàs dicerentur diſtingui per ſe ipſas,& ſi hoc diceretur, procederet difficultas de ipſis actibus , de illis enim inquiram, quid ſpeciale habeant,ratione cuius hanc ſcientiam conſtituant diſtinctam ab illa , & ratione cuius horum collectio ad hanc ſcientiam ſpectet, & nullus alius ab his diſtinctus ad eandem pertineat. Si dicas diſtingui per obiecta horum actuum per quos formaliter,aut quaſi effectiuè obiecta abſtracta dicuntur,incidis in communem ſententiam aſſerentem ſcientiam diſtingui per obiecta,cuius difficultatem expendi ſuprà , nullum enim apparet caput,ex quo poſſimus cognoſcere, quod ſit obiectum adæquatum huius ſcientiæ totalis vt diſtinctæ ab illa.Per denominationes ex actibus in obiecta reſultantes non audebis dicere ſcientias inter ſe diſtingui , quia diſtinctæ denominationes ſupponunt diſtinctionem actuum,per quos denominationes conſtituuntur , vel à quibus reſultant tales denominationes. 19

§. III.

Reiiciuntur alij dicendi modi.

RESpondent alij ſcientias diſtingui per diſtincta attributionis obiecta,quia omni ſcientiæ diſtinctæ ab alia cõuenit vnum attributionis obiectum diſtinctum ab obiecto attributionis reliquarum ſcientiarum. Admitto in quacumque ſcientia reperiri vnum attributionis obiectũ, ad quod omnia,quæ in illa ſcientia diſputãtur,dirigũtur; verũtamen per hoc non poſſe ſciẽtias inter ſe diſtingui, ſic probo.Reſpectus ad obiectum attributionis diſtinctũ debet ſupponere ipſum obiectũ attributionis diſtinctum ab obiecto attributionis aliùs ſciẽtiæ:ergo aliud aſſignandũ eſt caput,per quod diſtinguatur obiectum attributionis huius ſcientiæ ab obiectis attributionis aliarũ ſcientiarum,quod æquè difficile erit,ac eſſet aſſignare ſine ordine ad hoc attributionis obiectum,obiectũ adæquatum formale huius ſcientiæ condiſtinctũ ab obiectis adæquatis formalibus reliquarum ſcientiarum.Deinde aſſignato obiecto attributionis huius ſcientiæ ſupereſt difficultas in aſſignandis reliquis obiectis attributi pertinentibus ad eandem ſcientiam,quia etiamſi omnia obiecta attributi ſpectantia ad hanc ſcientiam debeant ordinari ad illius attributionis obiectum, non tamen omnia obiecta, quæ ad illud obiectum attributionis poſſunt ordinari, neceſſariò dicuntur ad eandem ſciẽtiam pertinere,aliàs ſcientia quæ haberet pro obiecto attributionis Deum complecteretur tanquam obiecta attributi omnia obiecta creata,quia hæc omnia poſſunt ordinari ad vnum obiectum attributionis increatum tanquam effectus ad cauſam , à qua procedunt. Eadémque ratione ad obiectum attributionis ad quod ordinantur operationes intellectus,quatenus ſunt ſpirituales,actus vitales,& dicũt qualitatem vel actionem,poſſent ordinari,quatenus conſtituunt formalem definitionem,ſyllogiſmum,genus,ſpeciem,ſuperius,& inferius;quia directio operationum intellectus indiſtincta ab ipſis rectè poterit ordinari ad ipſas operationes ſecundùm ſe conſtituendas, & ad cognoſcendum principium ratiocinandi,& animam, à qua procedunt,& conſequenter ad idem attributionis obiectum,ad quod ordinantur ipſæ operationes,quatenus vitales,ſpirituales,&c.ergo pertinebunt ad eandem ſcientiam ſecundùm ſe ſumptæ & vt habentes directionem, quam præſcribit Logica. 20

Vltimò in Metaphyſica cui plerique Deum aſſignant tanquam attributionis obiectum , nulla poterit ratio ex hoc attributionis obiecto aſſignari,cur tantùm ſe extendat tanquam ad obiecta attributi ad illa entia,quæ præſcindunt à materia,& non ſe extendat ad alia plura,quæ etiam poſſent vt obiecta attributi ordinari ad Deum tanquam ad obiectum attributionis , æquè enim ordinantur ad Deum alia entia, quæ à materia non abſtrahunt,quàm entia abſtrahentia à materia. 21

Alij,in quibus noſtri Conimbricẽſes quæſt.1. prooemij Phyſic.aſſerunt ſcientias diſtingui per diſtinctas ſcibilitates obiectorum , quia quæcumque ſcientia diſtincta includit 22

Digitized by Google

cludit obiectum cum diſtincta ſcibilitate formali,ſeu diſtinctum formaliter vt ſcibile. Hic dicendi modus haud difficilius præcedentibus impugnatur quia ſi per obiectũ vt ſcibile intelligatur, obiectum vt denominatum actu ſcientiæ, diſtincta ſcibilitas obiecti procedet à diſtincta ſcientia,& ita ſupponetur diſtinctio huius ad diſtinctionem illius;& non poterit ſcientia per ſcibilitatẽ diſtingui, ſed potiùs ſcibilitas diſtinguetur per ſcientiam. Si verò per ſcibilitatem intelligatur capacitas, quæ eſt in obiecto ad terminandos actus ſcientiæ, hæc non diſtinguitur ab ipſa ratione formali obiecti; ac proinde idem eſt dicere ſcientias diſtingui per diſtinctas ſcibilitates, ac aſſerere diſtingui per diſtincta obiecta formalia, contra quem dicendi modum non leues difficultates ſuprà expendi.

23 Sotus & alij referunt Nominales aſſerentes in Logica, phyſica,& Metaphyſica tot reperiri ſcientias, quot ſunt concluſiones,quæ demonſtrantur. Horum ratio eſſe poterat nullum reperiri modum,quo cõcluſiones illæ vnirentur ad vnam ſcientiam conſtituendam. Verumtamen P.Suarez Doctorum veterum ſcrutator affirmat 12. Met. diſp.44.ſect.11.num.60.ſe non potuiſſe ſententiam hanc apud Nominales reperire,quod mihi firmiſſimum fundamentum eſt ad aſſerendum nuſquam id docuiſſe Nominales;fundamentum, quo hæc ſententia his Doctoribus tribuitur,forſan erit,illos docuiſſe habitus eiuſdem ſcientiæ nulla phyſicâ vnione annecti,ſed tot dari habitus diſtinctos, quot concluſiones ſpecie diuerſæ; qui per aliquem extrinſecum reſpectum ſcientiam vnam componunt,& ſæpè aſſerunt ſcientiam non eſſe vnam in eſſe rei, ſeu in eſſe qualitatis,eſſe tamen vnam in eſſe ſcibilis ſeu in eſſe ſcientiæ.

24 Picus Mirandulanus apud Noſtros Conimbr. quæſt.1. Proœm. Phyſic aſſeruit omnes concluſiones ad vnam ſcientiam ordinari,neque plures ſcientias adæquatas reperiri,ſed vnam tantùm ordinatam ad intellectum perficiendum, quæ diuiditur in diſtinctas ſcientias partiales Phyſicam,Dialecticam,Metaphyſicam,Mathematicam, & Theologiam, quod probat ex Ariſtotele 5.Ethicor.integrante vnam iuſtitiam ex diſtinctis ſcientiis moralibus, quia omnes ordinantur ad componendos mores: ergo habitus omnes,quos nos in ſcientias diſtinctas diſtribuimus,quia omnes ordinantur ad vnum intellectum perficiendum, vnam ſcientiam adæquatam conſtituent.

25 Picus Mirandulanus ad vnam ſcientiam reuocauit concluſiones omnes, quas nos in ſcientias diſtinctas diſtribuimus, & Metaphyſicam, & Theologiam reliquáſque ſciẽtias,quas nos ſcientias adæquatas appellamus,partes vnius ſcientiæ vocauit,diſtinguebat enim ſcientiam adæquatam tanquam in membra diuidentia,in illas quas nos adæquatas vocamus. Sententiam hanc referunt Noſtri Conimbr.quæſt.1.Proœm.Phyſic.art.2. in quam toto impetu inuehuntur, in primis quia nulli vnquam Philoſophorum in mentem venit; vbicumque enim de ſcientiis meminère,de illis vt de rebus naturâ ſpecieque diſtinctis mentionem faciunt. Secundò quia hic dicendi modus ſcientiarum ſplendorem non mediocriter obſcurat,dum omnes in vnius corporis concretionem conicit. Deinde quia fieri nequit vt tanta rerum diſſidentiũ diuerſitas, & tam vaſta diuerſarum naturarum ſylua in vnius corporis vnitatem veniat. Deinde quia eàdem ratione dici poſſet virtutum omnium materiam,& obiecta ad vnam tantùm virtutẽ pertinere,quò nihil abſurdius in doctrina Morali.

26 Expenſis omnibus quæ in Mirandulani ſententiam Conimbricenſes congerunt,& reliquis,quæ in illam mihi potuère occurrere,illam tantùm damnare audebo, ex eo quod diſcedit à communi loquendi modo, quem noſtri ſcientiarum principes præſcripſerunt, neque aliquid ex ipſa rerum natura deſumptũ in illam apud Authores lego, neque à me inueniendum eſſe præſumo. Ratio eſt, quia vnitas, quam tribuit Mirandulanus ſcientiis omnibus non eſt realis,aut phyſica,ſed tantùm reſpectus quidam ad vnum intellectum, cuius omnes ſunt perfectiones,quem reſpectum negare nobis non licet,omnes enim fateri tenemur ex obiectis diſtinctarum ſcientiarum conflari vnius intellectus obiectum vnum adæquatum,quod ſufficere ait Mirandulanus,vt has omnes ſcientias, vnam adæquatã appellemus, quam diſtribuimus in Metaphyſicam,Theologiam,& reliquas ſcientias,quas nos adæquatas appellamus. Neque hic dicendi modus negat diſtinctionem ſpecificam inter Metaphyſicam,& Theologiam, & reliquas ſciẽtias,etiãſi aſſerat omnes eſſe partes vnius ſciẽtiæ adæquatas,quia in his totis,quæ non phyſica alia vnione partes habent connexas,non repugnat has inter ſe ſpecie eſſe diſtinctas:exercitus enim eſt totum quoddam conſtans partibus inter ſe valdè ſpecie diſſidẽtibus. Neque propter hanc ſcientiarum vnionem in ordine ad vnam tantùm componendã illarum pulchritudo,quæ in diſtinctione ipſarum ſita eſt,deperditur, ſed tantùm dicuntur diſtingui vt partes,quæ antea vt tota diſtingui dicebantur, potiùs illis accreſcet noua pulchritudo ex vnione ipſarum ad aliud totum componendum. Exemplum de virtutibus moralibus potiùs ſententiæ Mirandulani fauet, quia ſicuti ex virtutibus moralibus inter ſe diſtinctis vnam Iuſtitiam,5.Ethicor.conſtituit Ariſtoteles, quia omnes ordinantur ad mores componendos, ſic ex Metaphyſica,Theologia,& reliquis ſcientiis, quia omnes ordinantur ad vnum intellectum perficiendum, poteſt aliud totum componi, quod ſcientia totalis dici poterit. Sic in aliis totis moralibus contingit,ex multis enim capitibus fit domus vna,ex multis domibus vna familia, ſeu genus vnũ;ex multis familiis vnus populus;ex multis populis vna Prouincia; ex multis prouinciis Regnum vnum.Neque ex eo quod hæc omnia ad vnum totum rediguntur aliquid diſtinctionis amittunt,duplex enim prouincia eandem habebit diſtinctionem ſiue ad regnũ vnũ vtraque reuocetur,ſiue vltimò diuiſæ maneant,& vt propriùs deſumamus exempla,eandem diſtinctionem,quam nunc habent, haberent omnia prædicamenta accidentium,quantitatis videlicet, qualitatis & cætera, etiamſi ad vnum Accidentis prædicamentum reuocarentur,quod poſtea in nouem accidentium prædicamẽta diuideretur.

Hurtadus diſp.1.Metaph.ſect.ſubſect.2.& Arriag.diſp.1. 27
Logicæ ſect.3.ſubſect.8.volunt vnitatem ſcientiæ conſtituere propter connexionẽ actuum inter ſe, licet Hurtadus nõ admodum clarè loquatur tantùm enim aſſerit §. 186.aliquos habitus habere inter ſe naturale aliquod vinculum, quo nectantur in ordine ad aliquam ſcientiam, quod oritur ex dependentia actuum,à quibus procedunt, quia ſcientia à priori de homine per eſſentiã demonſtratur,prima paſſio, & per primam paſſionẽ paſſio ſecunda, & ſic paſſiones reliquæ, quarum cognitiones dependent ab vna eſſentiæ cognitione, quam dependentiam habent illarum habitus in radice, ſeu in actibus à quibus procedunt.Similis dependentia reperitur in ſcientia à poſteriori hominis,in qua cognitio primæ paſſionis dependet à cognitione ſecundæ,& cognitio eſſentiæ à cognitione primæ, quod ego verum eſſe exiſtimo, non tamen probat Hurtadus ſimilem connexionem reperiri in omnibus actibus,qui ad eandem ſcientiam pertinere dicuntur,quod difficilè poterit defendi,& difficiliùs poſſet probari,quæ enim connexio poterit ineſſe inter concluſionem, qua infert Phyſicus dari materiam primam, & concluſionem, qua infert idem Phyſicus motum reſilientiæ impediri quiete negatiua,aut poſitiua in pũcto reflexionis?quæve connexio reperiri poteſt inter concluſionem,qua infertur ex principiis philoſophicis dari vnionem ſuperadditam inter materiam & formam,& concluſionem,qua ex principiis ad eandem Philoſophiam ſpectantibus deducitur motum ſucceſſiuum potuiſſe,aut non potuiſſe eſſe ab æterno;aut motũ alterationis præſẽte cõtrario fieri ſucceſſiuè,& contrario abſente fieri in inſtanti?Ego quidem quomodo concluſiones inter ſe adeò diſparatæ aſſumi poſſint, penitus ignoro, ni recurramus ad vnitatẽ obiecti,quia omnes prædictæ cõcluſiones verſãtur circa ens mobile,quod eſt vnum obiectũ vnius Philoſophiæ,quo dicendi modo incidimus in primã difficultatem,quæ exigebat rationem propter quam ens mobile ſit vnum obiectum adæquatum vnius ſcientiæ condiſtinctæ ab aliis,& ens corruptibile,aut ens corporeum, ſeu viuens non dicantur obiecta adæquata aliarũ ſcientiarum.

§. IV.

Propria ſententia.

LEgenda,vel ſupponenda ſunt, quæ trado Cõtrou.15. 28
de Anima,Punct.4. vbi affirmo actus vitales non ſolum ſpecificari ab obiectis formalibus, ſed etiam ab obiectis materialibus,ſeu terminatiuis,quæ per ſe attingũt

actus

Digitized by Google

actus. Reuocandum eſt etiam in memoriam, quod dicebam Punct. 1. videlicet aliud eſſe obiectum formale, quod tribuit ſpeciem vltimam actui; aliud obiectum, ratione cuius actus formaliter pertinet ad hanc ſcientiam: obiectum enim formale concluſionis ſunt præmiſſæ, ex quibus deducitur; & obiectũ formale ratione cuius actus pertinet ad hanc ſcientiam, ad Logicam v.g. eſt ſubiectum de quo verificatur prædicatũ cõcluſionis, quatenus de illo tale prædicatum verificatur, quod propriùs diceretur ſubiectum formale, iam tamen vulgo ſubiectum, & obiectum confunduntur: his præmiſſis,

29 Sit PRIMA CONCLVSIO. Fides diuina vt diſtincta ab aliis ſcientiis non poteſt diſtingui per ſubiectũ formale, ſeu per obiectum terminatiuum actus, ſed tantùm per obiectũ formale vltimò ſpecificãs rationẽ actus. Per hoc optimè diſtingui, ſic probo. Omnis actus fidei diuinæ reſpicit tanquã obiectũ formale motiuũ diuinã reuelationẽ, cui innititur actus fidei, ſiue fides ſit diſcurſiua ſiue non, quod nullus negat, & nulli concluſioni aliûs ſciẽtiæ, etiã Theologicæ conuenit, quia actus reliquarum ſcientiarũ, Theologia dẽpta, nituntur præmiſſis non reuelatis; concluſio verò Theologica etſi reſoluatur in reuelationem, tamen non nititur immediatè in ipſa reuelatione, etiamſi vtraque præmiſſa ſit reuelata. Rem exemplum explicet. Supponito Deum reuelaſſe omnem hominem eſſe rationalem, & hunc ſyllogiſmum conficito. *Omnis homo eſt rationalis, Chriſtus eſt homo: ergo Chriſtus eſt rationalis*. Obiectũ formale huius cõcluſionis Theologicæ nõ ſunt præmiſſæ formales, quæ ſunt duo actus fidei, ſed præmiſſæ obiectiuæ, videlicet *omnem hominem eſſe rationalem*, & *Chriſtum eſſe hominem*, quas etſi ego crediderim propter reuelationes, reuelationes non ſunt, ſed obiecta reuelata, propter quæ aſſentior ego concluſioni Theologicæ, quæ non eſt actus fidei, ſed aſſenſus qui innititur in præmiſſis applicatis per actus fidei. Ex quo inferes actũ illum, *ergo eſt rationalis* deductum ex illis præmiſſis, non eſſe actum fidei, etſi illius obiectum ſit de fide, non ſolum, quia in ſe reuelatum eſt, ſicuti de facto contingit, ſed etiamſi in ſe reuelatũ non eſſet; ex eo quod præmiſſæ eſſent reuelatæ, obiectum concluſionis eſſet reuelatũ in præmiſſis, cum quibus identitatem habet, ac proinde poſtquàm quis nouit reuelatum eſſe omnem hominem eſſe rationalem, & Chriſtum eſſe hominem, poterat inferre: ergo reuelatum eſt Chriſtum eſſe rationalem, & poſtea propter reuelationem immediatè aſſentiri per actũ fidei obiecto illius concluſionis, & actu fidei iudicare Chriſtum eſſe rationalem. Itaque actus fidei ſemper innititur reuelationi, tanquam obiecto formali, tanquam præmiſſæ obiectiuæ, ſi fides ſit diſcurſiua; vel tanquam puro formali motiuo ſi fides diſcurſiua non ſit.

30 SECVNDA CONCLVSIO. Theologia differt à reliquis ſcientiis ex eo, quod illius concluſio ſaltem inferatur ex vna præmiſſa obiectiua reuelata, ſiue applicata per actum fidei, qui ſit præmiſſa formalis concluſionis Theologicæ. Per quod differt à reliquis ſcientiis, quæ independenter à reuelatione, & ab actu fidei applicante præmiſſas obiectiuas ſuas inferunt concluſiones, ad quas nulla præmiſſa ſupponitur, quæ ſit formaliter actus fidei. Differt etiam ab actu fidei, quia vt ſuprà dicebam, obiectum formale actus fidei non eſt obiectum reuelatum, ſed ipſa reuelatio. Differt etiamſi fides non ſit diſcurſiua, ex eo quod actus fidei ex nullis præmiſſis deducatur, cõcluſio autẽ Theologica ſemper ex præmiſſis infertur. Quod ſi fides diſcurſiua ſit, in eo different, quòd actus fidei, non ſupponet aliquam præmiſſam formalem, quæ ſit actus fidei, eo enim ipſo, quod naturæ lumine aſſentiar huic principio *quidquid Deus dicit eſt verum*, & actu fidei humanæ, vel alio quocumque naturali aſſentiar huic obiecto *Deus dicit eſſe Verbum incarnatum*, actu fidei credam verbum eſſe incarnatum propter reuelationem, quæ eſt præmiſſa obiectiua in ſyllogiſmo expreſſa. Cõcluſio verò Theologica prẹterquàm quod non ſupponit aliquam prẹmiſſam obiectiuam, quæ reuelatio ſit, ſupponit præmiſſam formalem quæ ſit actus fidei, ex vi cuius applicanda eſt aliqua ex præmiſſis obiectiuis. Ex his inferes, quod ſi quis tantùm ex principiis lumine naturæ notis demonſtret Deum eſſe infinitum, immenſum, omnipotentem, omniſcientem, liberum, abſque vlla mutatione, & oſtendat etiam modum, quo ſint conſtituenda decreta Dei, vt illi poſſint liberè abſque vlla ſui mutatione cõuenire, nullam concluſionem ex illis eſſe Theologicam, ſed omnes ad Metaphyſicam ſpectare.

TERTIA CONCLVSIO. In reliquis ſcientiis ex præmiſſis formalibus, & obiectiuis nulla poteſt certa regula illis præſcribi, per quam conſtituatur vnitas adæquata totius ſcientiæ, neque diſtinctio huius ſcientiæ ab illa. Ratio eſt, quia præmiſſæ obiectiuæ actuum pertinentium ad eandem ſcientiam adeò inter ſe ſunt diuerſæ, vt nulla poſſit illis communis aſſignari ratio. Exemplum appono in duabus concluſionibus Logicis. *Diuiſum latiùs patet membro diuidente: Definitio debet eſſe clarior definito*. Præmiſſæ prioris ſunt: *Omne totum latiùs patet ſuis partibus. Diuiſum eſt totum reſpectu membri diuidentis*, ex quibus infertur *ergo diuiſum latiùs patet membro diuidente*. præmiſſæ poſterioris ſunt: *Omne quod deſeruit ad explicãdum debet eſſe clarius re explicanda. Definitio deſeruit ad explicandum*, ex quibus infertur: *ergo definitio debet eſſe clarior re explicanda* videlicet definito. Quæ ratio vniuoca poterit aſſignari in his præmiſſis; profectò ego nullam inuenio, quod ſi in his illam inuenire præſumpſeris, recurre prẹmiſſas, quibus probat Philoſophus primas qualitates attingere, & non excedere numerum octonarium, & illis rationem communem dato, quæ inueniri non poſſit in præmiſſis ad diſtinctas ſcientias ſpectantibus. Idem dico de præmiſſis formalibus, non enim formales præmiſſæ minorem inter ſe diuerſitatem habent, quàm obiectiuæ. 31

QVARTA CONCLVSIO. Scientia totalis, quatenus dicit aggregatum omnium actuum, qui eandem ſcientiam conſtituere dicuntur, diſtinguitur ab omni alia ſcientia per ſubiectum formale illius, de quo ſub tali ratione communi demonſtrat paſſiones, & proprietates, cauſas, effectus inquirit. Hanc concluſionem exiſtimo doceri ab omnibus Philoſophis aſſerentibus ſcientias diſtingui per ſuum obiectum formale, quod cum ſubiecto confundunt hoc tantùm intẽdentes ſignificare, quod ex eo patet, quod cùm definiunt obiectum à quo aſſerunt ſcientias ſpeciem deſumere, dicunt eſſe illud cuius paſſiones & proprietates demonſtrantur, effectus, & principia inquiruntur, quod non eſt ſcientiæ obiectum ſtrictè loquendo, ſed illius ſubiectum. Deinde quia quoties ego prædico, ſeu oſtendo aliquid de operationibus intellectus illis conueniẽs, quatenus ſunt ſciendi inſtrumenta formalia, actus ille ad Logicam pertinere dicitur, & quoties prẹdico aliquid de homine, aut equo, aut de quocumque alio ſubiecto, quod illi conuenit, quatenus eſt ens naturale ſeu mobile, actus ille ad Philoſophiam pertinere dicitur, & non inquirimus, ex quibus præmiſſis formalibus aut obiectiuis inferatur? hi enim actus, *Totum materiale compoſitum conſtat materia, forma & vnione. Totum materiale cõpoſitum conſtituitur in loco per præſentiam ſuperadditam*, eo ipſo quod non innitantur reuelationi, aut principio reuelato, & ex parte ſubiecti dicant totum vt ens naturale, ſeu vt ens mobile pertinent ad Philoſophiam, & hi actus, *definitio eſt clarior definito: ſyllogiſmus conſtare debet tribus terminis*, excluſa reuelatione, & obiecto reuelato, cui innitantur, pertinent ad Logicam, ergo actus conſtituitur pertinẽs ad talem ſcientiam, quatenus dicit ordinem ad ſubiectum formale, de quo ex vi illius aliquid enuntiatur, quod dicitur ſcientia oſtendere de obiecto formali, ſumpto obiecti nomine ad ſubiectum ſignificandum. Dixi eo ipſo, quòd hi actus non innitantur reuelationi, aut obiecto reuelato, quia reuelatio extrahere poteſt quodlibet ſubiectum à propria ſcientia; poteſt enim quacumque ratione conſideretur quoduis obiectum reuelari, & propter illius reulationem actu fidei credi. Similiter ex illo actu fidei credito poteſt inferri concluſio, quæ erit Theologica, in quacumque materia contingat. Quod ſi velis ad hanc Theologiam, quam Doctores tractant tantùm ſpectare ea quæ de Deo inferũtur, ex his quæ ſpecialiùs ad Deum ſpectant, ſicuti virtutes, quibus Deo moraliter coniungimur, & vitia quibus ab illo ſeparamur, & alia huiuſcemodi, concluſiones circa alias materias innitentes præmiſſis reuelatis ad hanc Theologiam reducito, aut dicito pro his ratione materiæ Theologiam aliam inſtituendam eſſe. 32

QVINTA CONCLVSIO. Ratio illa formalis ſubiecti, ex vi cuius quælibet totalis ſcientia ab aliis diſtinguitur, ſumitur ex ipſa rei natura iuxta quam rectè inſtituitur ſciẽtia adæquata de hoc formali ſubiecto ſub hac extenſione, ſeu vniuerſalitate, & nõ ſub alia maiori vel minori, quia hac ratione rectè ſcientiæ diſtribuuntur, & aptè vt 33

poſſimus

Digitized by Google

poſſimus concluſiones omnes ad aliquam illarum reducere, & hanc ſcientiam ab alia diſtinguere. Si enim quis vellet ad eandem ſcientiam reducere cõcluſiones Logicæ, & Mathematicæ incõgruè ſatis coniungeret res, quæ ex natura ſua, adeò inter ſe ſunt diuerſæ, non tamẽ hæc vniuerſalis ratio ſubiecti formalis tribuentis ſciẽtiæ vnitatem, ita naturæ legibus præſcribentibus, vt aliter non potuerit à ſcientiarum principibus taxari, attenta etiam ipſarum rerum conuenientia, & diſconuenientia. Tradit hanc concluſionem Smigletius diſp. 17. ſect. 2. vbi poſtquam dixerat ſcientias ex natura rei diſtinctionem habere, ſubdit: *Non tamen ita exiſtimo eſſe ex natura rei, quaſi non potuerit ſalua rei natura, alia diſtinctio ſcientiarum inſtitui. Sicut enim exercitus ſecundum varios ordines variè ordinari, & diſtingui poterunt, & quidem conuenienter ex natura rei: ita & ſcientiarum particularium multitudo in varios veluti ordines diſtribui poterat, ſpectando varios fines formarum, & varios modos, in quibus conuenire poſſunt. Nullus tamen melior, & conuenientior inuentus eſt quàm iſte,* &c. Pro eadem ſententia refero Nominales, & omnes qui aſſerunt ſcientiam non habere vnitatem in eſſe entis, ſed in eſſe ſcibilis, quibus terminis ſignificari intenditur, ſcientiam non eſſe vnum ens, ſed plura, quæ ſimul ſumpta dicuntur vna ſciẽtia, & vniuerſim omnes Doctores aſſerentes diſtingui per obiecta, quæ illis ex ipſa rei natura conueniunt, qui nomine obiecti ſubiectum intelligunt, quod iuxta rei naturam conuenienter fit ex tali ratione cum tanta vniuerſalitate, & non cum alia maiori, aut minori, etiamſi non inconuenienter ex alia, non tamen ex quacumque fieri poſſit: ſicuti exercitus fit ex militibus, & ex his ducibus, qui poſſet ex paucioribus pluribúſve fieri, non tamen ex quacumque alia multitudine minori, & maiori, quia licet multitudo, ex qua exercitus fieri poteſt, latitudinem patiatur, & indiuiſibiles non habeat terminos aliquos tamen magnitudinis, & paruitatis, quos non poſſit attingere debet habere, quia tanta poteſt eſſe hominum multitudo, vt nulla militari diſciplina poſſit gubernari, nullaque ciborum ali copia; & adeò exigua, vt nec minimum hoſtis impetum poſſit ſuſtinere. Sic poſſet obiectum ſcientiæ adeò vniuerſale, & extenſum inſtitui; vt nullis poſſit principiis comprehendi, & adeò exiguum, & inextenſum, vt tantùm intra illud poſſet intellectus vnam vel alteram elicere concluſionem, ita vt neceſſum eſſet innumeras ſcientias deſignari, quibus comprehenderetur totum obiectum per quod intellectus variis diſcurſibus diuagatur. Concluſio hæc probanda eſt ex rationibus, quibus omnes modos ſcientiam diuidendi ab iſto diſtinctos impugnauimus, & ex argumentis adductis contra ſententiam, quæ ſcientiam diuidit per obiectum, ſeu formale ſubiectum, quæ tantùm probat obiectum formale vniuſcuiuſque ſcientiæ potuiſſe cum alia aliquantulùm maiori, minoreve latitudine deſumi, attenta præciſè natura rerum, etiamſi iuxta hanc congruenter ſatis ſubiecta cum illa latitudine, quæ illis ſcientiarum Principes deſignarunt, diſtributa fuerunt, ſicuti rectè attenta natura rerum, quæ in Logica tractantur aptè ab hoc authore in duodecim diſputationes diuiduntur, & non minùs aptè in quatuordecim ab alio tota Logicæ materies diſtribuitur, & ineptè in duas tantùm, ſeu in centum diſputationes alius eandem Logicam partiretur, ipſa enim Logicæ natura, ſeu earum rerum, quæ in Logica tractantur expoſcit, vt intra certam capitum latitudinem tota interſecetur Logica.

34 Sententiam hanc veriſſimam eſſe tibi perſuadebis, ſi tibi fingas ſententiam aſſerentem libros de generatione, & corruptione adæquatam, totalémque ſcientiam continere, cuius obiectum eſt ens generabile, ad quod ordinãtur omnia, quæ de natura qualitatum illarũ, productione, & corruptione; de nutritione, & accretione; de rarefactione, & mixtione in his libris diſputat Ariſtoteles, & hanc ſcientiam diſtingui ab illa, ad quam pertinent reliqua omnia, quæ nos ad vnam Philoſophiam reducimus, cuius obiectum eſſet ens naturale abſtrahens præciſiuè à generatione, & corruptione, diſtinctum ab obiecto huius ſcientiæ inſtitutæ ex his, quæ in libris de generatione diſputantur, cuius obiectum eſſet ens generabile & corruptibile; & hanc ſententiã ita compoſitã ſecluſa omni authoritate Philoſophi, & reliquorum Doctorum impugnandam ſuſcipias. Profecto nec mediocrem rationem contra illam meditaberis. Ex quo infero, non ita ex ipſa rerum natura diſtinctis ſcientiis obiecta eſſe deſignata, vt aliter non potuerint obiecta diſtribui, & ſcientiæ ordinari, & inter ſe diſtingui: vbi enim nulla eſt phyſica actuum aut habituum connexio, aut dependentia, ſtrictior alia vnio non poterit excogitari.

Suadet etiam eandem ſententiam diſſertatio quæ inter Doctores de eadem Dialectica, An pertineat ad Philoſophiam, an ad Metaphyſicam, an ſpecialis ſcientia ſit dicenda? & de eadem Metaphyſica an triplicem ſpecie ſcientiam diſtinctam contineat? quas quæſtiones non ex aliis principiis, quàm ex authoritate Philoſophi præſcribente his ſcientiis propria obiecta, vllus rectè definiet: poſtquàm enim omnes cõuenerint, ſcientias per obiecta diſtingui, menſura ſingulorum obiectorum deſumenda erit ex Philoſopho, ſeu ex Principe cuiuſuis ſcientiæ, quæ illi obiectum cum tanta latitudine, & vniuerſalitate, & non cum alia maiori, minorive deſignauit. Lege ſi placet circa prædictas quæſtiones P. Suar. diſp. 1. Metaphyſ. & PP. Conimbr. quæſt. 1. Procem. Phyſicæ. 35

Obiicies: Scientiæ diſtinctæ habent diſtincta principia, ex quibus ſuas inferant concluſiones: ergo per hæc principia poterunt ſcientiæ inter ſe diſtingui. Reſpondeo concedendo antecedens, negando conſequentiam, quia principia ſpecialia cuiuſcumque ſcientiæ adeò inter ſe ſunt diſparata, vt ſæpe nulla poſſint ratione vniuoca, qua omnia inter ſe conueniant, ſecerni à principiis aliarum ſcientiarum. Secundò quia diſtinctæ ſcientiæ diſtinctis vtuntur principiis, quia illis indigent ad diſtincta prædicata de ſubiectis formaliter diſtinctis inferendis, ac proinde prior eſt in quacũque ſcientia diſtinctio ſui obiecti ab obiectis reliquarũ ſcientiarum, quàm diſtinctio ſuorum principiorum ab aliarum ſcientiarum principiis. Demum noto, quod etiamſi per principia diſtincta ſciẽtiæ inter ſe diſtinguerẽtur, eadem latitudine diſtinguenda eſſe, qua per obiecta diſtinguuntur, poſſent enim ex natura rei ex pluribus paucioribúſve principiis diſtinctæ inſtitui ſcientiæ, licet attenta eiuſdem rei natura, rectè ex principiis, quibus de facto vtuntur eſſent inſtitutæ. 36

PVNCTVM IV.

De ſcientiarum ſubalternatione.

De ſcientiarum ſubalternatione agit Ariſtoteles 1. Poſter. cap. 9. text. 23. ex quo ferè omnes Doctores triplicem modum ſubalternationis in ſcientiis aſſignant. 1 Primus eſt ratione finis, quia ſcientia hæc reſpicit illius obiectũ tanquam proprium finẽ, ſicuti ars frænefactoria reſpicit equeſtrem, & equeſtris reſpicit militarem, in quo ſenſu ars frænefactoria & equeſtris militari ſubordinari dicuntur, & artes ſeruiles architectonicæ arti. Secundus eſt ratione principiorum, quando principia vnius ſcientiæ ſunt concluſiones alterius: tunc enim ſicuti principia vnius ſcientiæ ſunt ſub alterius principiis, ſic vna ſcientia dicitur eſſe ſub altera. Tertius ratione obiecti, quando vnius obiectum eſt ſub obiecto alterius contractum per differentiam accidentalem, ſicuti ſe habet Perſpectiua reſpectu Geometriæ, quia id quod Geometria probat de linea, Perſpectiua probat de linea viſuali. Ex his ſcientiis ſubalternatis illa propriè dicitur ſubalternata, quæ ſubalternationem habet ratione obiecti contracti per differentiam accidentalem, hanc definiuit Ariſtoteles 1. Poſter. cap. 7. & 9. Conſtituit enim Philoſophus ſubalternationem in eo, quod ſcientia inferior, ſeu ſubalternata à ſubalternante dependeat, illiuſque demonſtrationes ſub eadem ratione formali ad ſe deriuet, qùod fit quando ſcientia inferior accipit obiectum formale ſuperioris, & illi tantùm addit accidentalem differentiam. Ratio eſt quia ſcientia, & demonſtratio ſequitur ſuum formale obiectum, ac proinde, vt ſcientia ſubalternata aſſumat demonſtrationes ſubalternantis, debet ſuum obiectum deſumere, non contractum per differentiam aliquam eſſentialem, quia iam non eſſet idem obiectum formale, ſed contractum per aliquam differentiam accidentalem, quæ non extrahat obiectum à ſua ratione formali, & illi aliquam adhibeat differentiam, vt aliquomodo ſaltem accidentaliter ſcientia ſubalternata à ſubalternante diſcrepet.

Ex hac doctrina tres proprietates agnoſcũt ferè omnes 2
Authores

Digitized by Google

Authores in ſcientia ſubalternata reſpectu ſubalternantis. Prima eſt vt principia ſubalternatæ probentur à ſubalternante. Hanc conditionem appoſuit Philoſophus 1. Poſter. text. 13. vel 69. vbi ait principia Harmoniæ ſeu Muſicæ probari ab Arithmetica, cui Muſica ſubalternatur. Ratione probatur proprietatem illam inſeparabilem eſſe à ſcientia ſubalternata. Si principia vnius ſcientiæ non dependeant ex principiis alterius, illæ ſcientiæ eſſent omnino diuerſæ, & nulla in illis reperiretur dependentia: ergo nec ſubordinatio, quæ dicit dependentiam vnius ſcientiæ ab alia: ergo ad rationem ſubordinationis ſeu ſubalternationis ſcientiarum requiritur vt principia ſcientiæ inferioris, ſeu ſubalternatæ, dependeant à ſubalternantis principiis. Secunda proprietas eſt vt obiectum ſubalternatæ contineatur ſub obiecto ſubalternātis, ita vt ab illo depēdeat intrinſecè in eſſe & cognoſci à priori. Conditionem hanc expreſſit Ariſtoteles 1. Poſt. tex. 100. aliàs 300. dicens ſubalternatam habere *quia*, & ſubalternantem habere *propter quid*, hoc eſt, ſubalternantem probare à priori obiectum, quod ſubalternata tantùm probat à poſteriori; ergo non poteſt perfectè ſciri obiectum ſcientiæ ſubalternatæ, quouſque obiectum ſubalternantis, ſub quo cōtinetur demonſtretur *propter quid*, ſeu à priori, non enim perfectè res cognoſcitur quouſque à priori, qui eſt perfectiſſimus cognoſcendi modus, innoteſcat. Secundò probatur inductione facta in omnibus obiectis ſubalternatis, & ſubalternantibus, in quibus ſemper ſubalternatum ab obiecto ſubalternantis dependet; cognitio enim lineæ viſualis dependet à cognitione lineæ, & cognitio corporis humani ſanabilis dependet à cognitione corporis humani. Ratione probatur, quia ideo datur tranſitus à ſubalternante ad ſubalternatam, vt quæ ſunt cognita in ſubalternante deſeruiant ad cognitionem perfectam eorum, quæ ſunt in ſubalternata, ſi cognitio à priori habenda ſit: ergo obiectum ſubalternatæ vt à priori cognoſcatur dependet à cognitione obiecti ſubalternantis. Tertia conditio eſt vt obiectum ſubalternantis ſit aliquo modo idem cum obiecto ſubalternatæ, & aliquo modo diuerſum ab illo. Explicuit hanc proprietatem Ariſtoteles 1. Poſter. tex. 20. aliàs 58. 59. & 60. docens ſubiectum ſubalternantis debere eſſe alterum à ſubiecto ſubalternatæ, quo modo loquendi ſignificatur obiectum ſubalternatæ accidentaliter differre, & non eſſentialiter, quia id cui eſſentialis differentia conuenit *aliud* dicitur, & id cui tantùm accidentalis *alterum* appellatur. Proprietatem hanc probaui ſuprà num. 1. quæ potiſſima eſt ſcientiæ ſubalternatæ, ex qua reliquæ dimanant; cùm enim ſcientia ſequatur ſuum obiectum, eo ipſo quòd ſcientia inferior ſumat obiectum ſcientiæ ſuperioris, debet accipere cum obiecto principia, & demonſtrationes ſcientiæ ſuperioris, & ſibi applicare in obiecto ſuperioris per differentiam accidentalem contracto, qua ratione fiunt propriæ demonſtrationes illæ quas ſcientia ſuperior de eodem obiecto non contracto per talem differentiam exhibuit.

3 Ex hoc fit primum ſubalternationis genus ratione finis proprium non eſſe, & artem frænefactoriam non ſubordinari militari, neque artes ſeruiles arti architectonicæ, quia huiuſmodi artes, quæ reſpiciunt alias, tanquam fines ad quos ordinantur, non ex illis deſumunt obiectum, neque illarum principiis vtuntur, ars enim frænefactoria obiectum habet adæquatè diſtinctum ab equeſtri; & equeſtris à militari; & ars ſcindendi lapides non habet pro obiecto obiectum architectonicæ contractum per aliquam differentiam accidentalem, neque ars frænefactoria vtitur principiis artis equeſtris; aut equeſtris deſumit principia artis militaris, ſed quælibet habet principia inter ſe diuerſa abſque eo quod propria vnius artis poſſint deſeruire ad inferendas concluſiones alterius, neque vnius artis concluſionibus poteſt alia vti tanquam principiis ad proprias concluſiones inferendas.

4 Infertur ſimiliter reliquas ſcientias non ſubordinari Metaphyſicæ, etiamſi Metaphyſica agat de ente in tota ſua latitudine, & reliquæ ſcientiæ de ente contracto contento ſub ratione committentis, quia reliquæ ſcientiæ agunt de ente contracto per differentiam eſſentialem, quod diuerſam ſcientiam ſibi vendicat, ac ens abſtractum ab illa differentia. Eadem ratione ſcientia de homine non ſubalternatur ſcientiæ animalis, quia ſcientia de homine eſt ſcientia de animali contracto per differentiam eſſentialem. Ratio à priori eſt, quia illa, quæ demonſtrantur de ente, ſeu de quocumque prædicato communi eſſentialiter contracto, non poſſunt demonſtrari ex principiis, quibus demonſtrantur illa, quæ de illo prædicato abſtracto enunciantur, cùm nullam connexionem habeant cum illo, ſed ſpecialiter oriantur ex differentia contrahente, & propter eandem rationem nulla concluſio pertinens ad ſcientiam de illo prædicato communi poteſt eſſe antecedens ad illa inferenda, quæ de illo prædicato iam contracto, ſeu de ſpecie ad quam contrahitur enunciatur. Exempli gratia: demonſtrat ſcientia de homine hominem eſſe admiratiuum, hoc inferri non poterat ex nulla concluſione, quam habeat ſcientia de animali, neque ex aliquibus principiis, quibus ſcientia de animali de illo diſputet, quia eſſe admiratiuum oritur ex differentia rationalis incluſa in homine, de qua ſcientia de animali non agit, & cum qua nihil eorum, quæ de animali abſtractè ſumpto prædicantur connexionem habent, quia animal abſtractè ſumptum cum omnibus, quæ de illo poſſunt enunciari ſecundùm conceptum abſtractum indifferens eſt, vt coniungatur cum rationali, vel cum hinnibili.

Ob eandem rationem ſcientia, quæ agit de obiecto alquo contracto per differentiam accidentalem in eſſe rei, reſpectu obiecti, eſſentialem tamen in eſſe obiecti reſpectu talis ſcientiæ, quia obiectum illud conſideratur ſub tali accidenti, tanquam ſub ratione formali obiectiua, ratione cuius ſubiecto conueniunt illa, quæ ſcientia enunciat de tali ſubiecto, ſubalternata non erit reſpectu ſcientiæ, quæ agit de illo obiecto non contracto per illam differentiam, ſed alia ſcientia eſſentialiter diſtincta, quia ſcientia illa non vti poterit demonſtrationibus, neque concluſionibus ſcientiæ de obiecto non contracto, ad inferenda illa, quæ conueniunt obiecto contracto ratione differentiæ, ad quam contrahitur, cum qua nullam habet connexionem. Ratio eſt quia ſcientiæ differunt per rationem formalem ſubiecti de quo diſputant, ratione cuius ſubiecto conueniunt illa, quæ de illo enunciantur: ergo quotieſcumque ſcientia agit de ſubiecto ſub diuerſa ratione formali, etiamſi hæc accidentalis ſit ſubiecto; dummodò ratione illius conueniant ſubiecto illa, quæ de illa ſcientia demonſtrantur, ſcientia erit eſſentialiter diſtincta, & principiis eſſentialiter diſtinctis indigebit, & diſtinctis demonſtrationibus. Confirmatur: ſcientia de homine albo formaliter vt albo, in ordine ad illa, quæ homini conueniunt ratione albedinis, non minùs differt à ſcientia de homine ſecundùm ſe ſumpto, quàm differt ſcientia de homine à ſcientia de animali, quia ſicuti concluſiones, quæ inferuntur in ſcientia de animali deſeruire non poſſunt ad inferenda illa, quæ homini conueniunt, quatenus homo eſt, ita concluſiones, quæ inferuntur in ſcientia de homine ſecundùm ſe ſumpto deſeruire non poſſunt ad inferenda illa, quæ homini albo formaliter ratione albedinis conueniunt; quia nihil eorum, quæ conueniunt homini quatenus homo eſt, connexionem habet cum aliquo illorum, quæ conueniunt homini albo formaliter ratione albedinis. 5

Debet ergo ſcientia ſubalternata, quæ agit de ſubiecto contracto per differentiam accidentalem, demonſtrare paſſiones, quæ illi ſubiecto conueniant ratione ſui, & non ratione differentiæ, præciſè applicando ſubiecto contracto, id quod de eodem ſubiecto dicitur independenter à tali contractione, applicando demonſtrationes propriæ materiæ, quas ſcientia ſubalterna in materia non contracta per differentiam accidentalem conficiebat, & non conſiderando differentiam contrahentem vt rationem formalem obiecti; ob quam rationem dicebat Ariſtoteles 13. Metaphyſ. ſumm. 1. cap. 3. Harmonicam non conſiderare vocem prout eſt vox, ſed prout eſt numerus, & Perſpectiuam non conſiderare viſum, vt viſus eſt, ſed vt lineam; etiamſi huius obiectum ſit viſualis linea, ſeu linea contracta per differentiam viſualis, & illius obiectum ſit numerus vocum. Cùm ergo dicimus Perſpectiuam reſpicere tanquam obiectum lineam vt in viſu, non reduplicamus ibi rationem formalem obiecti, ſed aſſignamus conditionem accidentalem, ſeu materiam, in qua linea conſideratur à Perſpectiuo. Ex quo etiam fieret, quod ſi illa conditio accidentalis ad rationem formalem obiecti ſcientiæ ſubalternatæ pertineret, iam talis ſcientia ſubalterna non eſſet, quia in illa ratione formali eſſet independens à ſubalternante ſcientia, habere enim principia 6

Digitized by Google

propria , & proprietates illius rationis formalis demonſtraret propriis demonſtrationibus , & ſubalternantis ſcientiæ demonſtrationibus.

7 Aduerto inſuper, quod etiamſi demonſtrationes ſcientiæ ſubalternæ diuerſæ videantur à demonſtrationibus ſubalternantis ratione principiorum, quia ſubalternata vtitur concluſione ſubalternantis tanquam principio , & ratione concluſionis, quia in Medicina concluſio eſt: *Vulnera circularia difficilè ſanantur* , quam nullo modo Geometria infert ; nihilominus demonſtrationes vtriuſque ſcientiæ accidentaliter tantùm differunt ratione materiæ affectæ differentia accidentali in demonſtratione ſcientiæ ſubalternatæ , quâ non afficitur materia in demonſtratione ſcientiæ ſubalternantis. Rem explicet exemplum. Concluſio illa *Vulnus circulare difficilè ſanatur* , hoc eſt , partes carnis à quibus vulnere circularis portio fuit auulſa, ex cuius defectu figuram circuli conficiunt, difficiliùs vniuntur, quàm vnirentur, ſi triangularem, aliámve figuram redderent, eſt purè Geometrica, quia difficultas illa vnionis non conuenit vulneri circulari , quia vulnus eſt , ſed præcisè quia figuram retinet circularem , eadem enim eſſet difficultas in quacumque alia materia, in qua figura circularis contingeret , ac proinde probatio illius concluſionis non Medico , ſed Geometræ incumbit , cuius eſt dicere, *omnis figura circularis habet partes inter ſe maximè diſtantes , quæ difficiliùs vniuntur.* Ex quo infero demonſtrationem , in qua infert Geometra; *ergo partes figuræ circularis maximè diſtant*, & & demonſtrationem , in qua infertur ; *ergo vulnus circulare habet partes maximoperè diſtantes* , tantùm differre ex eo quod prior demonſtratio abſtrahit à materia poſterior verò fit in materia ſpeciali, quæ differentia accidentalis eſt, ac proinde, demonſtratio formaliter eſt eadem , & ex eiſdem principiis , ex quibus fuit illatum hoc conſequens , *figura circularis habet partes maximè diſtantes* potuit immediate inferri conſequens, quod infertur in demonſtratione ſcientiæ ſubalternantis , videlicet , *vulnus circulare habet partes maximè diſtantes*, licèt frequentiùs prius inferamus, *ergo figura circularis habet partes maximè diſtantes* , deinde ex hoc conſequenti illato tanquam ex principio iterum ſubinferamus, *ergo vulnus circulare habet partes maximè diſtantes*, quæ illationes in re non differunt, poſterius enim conſequens in priori formaliter erat incluſum, ſicuti in hanc vniuerſali, *Omnis homo eſt animal* includitur hæc propoſitio, *Omnis homo albus eſt animal* , quia differentia accidentalis albedinis non extrahit ſubiectum à ratione hominis , neque ratione talis differentiæ conuenit homini, qui eſt albus eſſe animal, ſed præcisè ratione hominis, quod eodem prorſus modo contingit in vulnere circulari ; ratio enim vulneris non extrahit circulum à propria ratione circuli , neque circulus, qui eſt in materia vulneris habet partes maximè diſtantes ; quia eſt in hac materia, ſed præcisè, quia circulus eſt.

8 Ex his infero , ſcientiam ſubalternatam diſtingui à ſubalternante inadæquatè & accidentaliter tantùm ratione differentiæ non pertinentis ad rationem formalem ſcientiæ , ex eo videlicet, quod id , quod ſcientia ſubalternans inferebat abſtrahens à materia, ſcientia ſubalternata infert in hac ſpeciali materia , vel ex eo , quod id quod ſcientia ſubalternans inferebat in materia vniuerſaliter ſumptâ, ſcientia ſubalternata infert ex eiſdem principiis in materia contracta per differentiam accidentalem , abſque eo, quod ratione talis differentiæ prædicatum talis concluſionis inferatur de ſubiecto, ſed præcisè ratione ſubiecti, quatenus ad talem contractionem ſupponebatur.

9 Ex his infero , nullam cognitionem practicam ſubordinari cognitioni ſpeculatiuæ aliùs ſcientiæ , quia cognitio practica reſpicit ex parte obiecti formalis factibilitatem, quam non reſpicit cognitio ſpeculatiua , ac proinde cognitiones iſtæ differunt inter ſe ex obiecto , ſeu ex modo illud reſpiciendi, quæ differentia maior eſt, quàm illa, quæ reperitur inter concluſionem ſcientiæ ſubalternatæ & ſubalternantis. Quod ſi communiter feratur multas ſcientias practicas ſubalternari ſpeculatiuis vt Nauticam Aſtrologiæ ; Muſicam practicam Muſicæ ſpeculatiuæ ; Medicinam Phyſicæ, ideo eſt , quia ſcientiæ practicæ in multis dependent à ſcientiis ſpeculatiuis, quæ ita conducunt ad cognoſcendum obiectum , circa quod tanquam circa materiam ſcientiæ practicæ verſantur , vt abſque illarum directione ſcientiæ practicæ procedere nequeant. Rem declaret exemplum. Nauticus cognoſcit modum , quo nauis ducenda eſt , & quâ ratione debeat vela pandere , & remos inflectere, cognoſcit etiam non oportere nauim mari credere, niſi quando tempus eſt tranquillum , quæ cognitiones practicæ ſunt, & ad nauticam ſpectantes, verumtamen cognitiones illæ Nautico inutiles erunt , & nunquam opportunum effectum habere poterunt, abſque alia Aſtrologica : ex vi cuius cognoſcat tempus fore tranquillum , & mare pacatum , quod ex ſyderum coniunctione deducit Aſtrologia : duplicem ergo cognitionem debet habere Nauticus , quamdam merè ſpeculatiuam , ex vi cuius cognoſcat ſyderum coniunctionem, quódve tempus hæc , & illa ſyderum coniunctio portendat; aliam, quâ ratione debet expandere vela, remos flectere, nauimque ducere; prior illa cognitio ſpeculatiua eſt non practica, nec propria artis Nauticæ. poſterior practica propriiſſimáque artis Nauticæ , verùm quia Nauticus vtrâque indiget , & poſterior priori regitur , & Aſtrologus nunquam indiget cognitionibus practicis, quæ ad Nauticam propriè ſpectant , Aſtrologia dicitur ſcientia ſubalternans ; & Nautica , ſcientia ſubalternata , etiamſi concluſiones practicæ artis Nauticæ in principia propria reſoluantur, & non dependeant à concluſionibus Aſtrologiæ, quod propriè requiritur ad ſcientiam ſubalternatam.

10 Similiter Medicus duplicem cognitionem habet quædam eſt de humorum natura, de illorum complexione , de herbarum qualitate, & virtute ſanatiua ſimplicium, atque mixtorum, quorum obiectorum cognitio ſpeculatiua eſt, & ad Philoſophiam ſpectat ; poterat autem cognitio de humorum natura , & de illorum incomplexione in corpore ſanabili dici cognitio Medica ſubalternata Philoſophiæ, quia tantùm attingit in ſubiecto differentiâ accidentali contracto quod Philoſophia attingit in omni corpore, vtraque tamen cognitio tam ſubalternans , quàm ſubalternata ſpeculatiua eſt, & ſecundùm has cognitiones , quibus agnoſcit Medicus complexionem humorum , & qualitatum naturam , & oppoſitionem cum aliis in corpore ſanabili , verum eſt medicinam ſubalternari Philoſophiæ, hoc tamen non eſt ſcientiam practicam ſpeculatiuæ ſubordinari , quia vt dixi cognitio ſubalternans , quàm ſubalternata ſpeculatiua eſt. Alia eſt cognitio practica, quæ attingit modum medendi , hoc eſt, applicandi medicinas , & alia media ad ſanitatem inducendam , & vtendi herbis illis , quas ex Philoſophia nouit Medicus habere virtutem ſanatiuam , quæ cognitio non ſubalternatur cognitioni ſpeculatiuæ de virtute herbarum, humorum complexione & qualitatum naturâ, & oppoſitione, ſed qualibet cognitio in principia propria reſoluitur, dicitur tamen poſterior hæc cognitio priori ſubalternata , quia Medicus non poterit opportunè applicare hanc herbam corpori medendo , ſi prius non cognouerit naturam herbæ , & corporis medendi naturam. Neque ex eo quod moueatur Medicus ex cognitione complexionis huius corporis , & virtutis ſanatiuæ huius medicinæ ad applicandam hanc medicinam huic corpori , infertur cognitionem complexionis huius corporis , aut cognitionem Medicinæ eſſe practicam , quia Medicus neque producit ex vi huius cognitionis complexionem corporis , aut Medicinam , ſed mouetur ad applicandam medicinam corpori , ſicuti mouetur Deus ex cognitione peccati ad infligendam pœnam, & tamen cognitio de peccato in Deo practica non eſt, quia ad cognitionem practicam vt dicebam Punct. 2. non ſufficit quod ex vi illius alius effectus producatur , ſed requiritur , quod ex vi illius medio voluntatis actu producatur obiectum terminans talem cognitionem.

11 Obiicies primò : Principia aliarum ſcientiarum probantur à Metaphyſica teſte Ariſtotele 1. Phyſic. text. 8. & ad illam tanquam ad ſcientiam vniuerſaliſſimam pertinet probare omnium principia : ergo ſcientiæ omnes ſubalternantur Metaphyſicæ. Reſpondeo Metaphyſicam probare aliarum ſcientiarum principia demonſtratione deducente ad impoſſibile deducendo ad duo contradictoria , negantes talia principia per principium vniuerſaliſſimum *quodlibet eſt , vel non eſt*, non verò demonſtratione oſtenſiuâ, quâ demonſtrat ſcientia ſubalternans principia ſubalternatæ , quando principia iſta ex illius concluſione inferuntur.

12 Obiicies ſecundò: Theologiam ſubordinari Metaphyſicæ, quia hæc agit de Deo, illa verò de Deo cõtracto per differentiã accidentalẽ extrinſecam, videlicet de Deo reuelato.

Reſpondeo

Digitized by Google

Reſpondeo ſubiectum Theologiæ non eſſe Deum reuelatum, quia Theologia non infert: ergo Deus reuelatus eſt immenſus, aut æternus: ſed Deus ſecundùm ſe, qui in Theologia applicatur intellectui per actum fidei innitentis reuelationi. Addo, quod etiamſi Deus reuelatus eſſet obiectum Theologiæ, non ideo Theologia eſſet ſubalternata Metaphyſicæ, quia differentia illa non ſe haberet per accidens reſpectu ſcientiæ Theologicæ, cùm plura de Deo propter reuelationem demonſtret Theologia, quæ Metaphyſica non aſſequitur.

13 Obiicies tertiò: Scientia Animaſtica agit de operationibus intellectus; Logica agit de eiſdem operationibus vt directis: ergo Logica agit de obiecto ſcientiæ Animaſticæ contracto per differentiam accidentalem: ergo Logica ſubordinatur ſcientiæ Animaſticæ. Reſpondeo Logicam agere de operationibus vt directis reſpiciendo tanquam rationem formalem obiectiuam ipſam directionem, ac proinde reſpectu Logicæ directio differentia accidentalis non eſt, ſed eſſentialis ſiue reſpectu operationum ſecundùm ſe accidentalis ſit, ſiue eſſentialis.

14 Obiicies quartò: Ariſtoteles 1. Poſter. cap. 9. ait ſcientiam ſubalternantem demonſtrare *propter quid*, & ſcientiam ſubalternatam demonſtrare *quia*: ergo demonſtrationes ſcientiæ ſubalternantis, & ſcientiæ ſubalternatæ non poſſunt eædem eſſe, neque in eadem principia vltimò reſolui, cùm demonſtratio *propter quid* ſit à cauſis, & demonſtratio *quia* ab effectibus. Reſpondeo ſæpe Ariſtotelem vocare tantùm demonſtrationem *propter quid* omnium perfectiſſimam de ſubiecto adæquato totius ſcientiæ, & reliquas omnes demonſtrationes *quia*, etiamſi in eadem principia illarum concluſiones reſoluantur, & in in hoc ſenſu dixit ſcientiam ſubalternantem demonſtrare *propter quid*, quia demonſtrat primam paſſionem de ſubiecto adæquato totius ſcientiæ, & ſcientiam ſubalternatam demonſtrare *quia*, ex eo quod nihil demonſtret de ſubiecto adæquato totius ſcientiæ, ſemper enim agit de ſubiecto contracto per aliquam differentiam accidentalem.

Pvnctvm V.

De diſtinctione habitus in intellectum, ſcientiam ſapientiam, prudentiam, & artem.

1 Ariſtoteles 6. Ethicor. cap. 3. habitus animæ diuiſit in Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, & Artem; quæ diuiſio in præſentiarum breuiter exponenda, vt ſingula membra diuidentia nobis innoteſcant. Diuiſum, quod in hæc membra partitur, non comprehendit habitum intellectus, quatenus ſe extendit ad facultatem, & virtutem, ſed tantùm Ariſtoteles definiuit habitum intellectus, quo anima affirmando, vel negando verum dicit, ratione ipſius habitus in cognitionem veram in ſe inclinantis, qui habitus ab Ariſtotele virtus appellatur. Cùm enim virtus ſit diſpoſitio perfecti, & optimi, & in intellectu verum ſit optimum, hinc eſt quod habitus qui diſponit ad cognitionem veram virtus appelletur. Ex hoc fit in hanc diuiſionem non venire opinionem neque fidem humanam, qui habitus ex ſe indifferentes ſunt ad cognitionem veram, & falſam, vtriuſque enim actibus facultas poteſt contingere. Dicuntur habitus, quorum actibus poteſt veritas, falſitáſve contingere, facultates, quia ex vi illorum facultatem habet intellectus ad verum, & falſum, & quaſi liber eſt ad vtramque partem, Sic ſentiunt Alexander initio Topicor. vbi ait facultatem in vtramque partem diſputare, & circa vtramque partem diſputationis verſari, & Niphus cum Petro Victorino 1. Rhetor. cap. 1. vbi aſſerunt facultatem eſſe idem, ac vim, vel poteſtatem, quæ verſatur circa vtramque partem de omni materia, vel probabiliter, vt facit Topica, vel ornatè vt Rhetorica, vel ſophiſticè vt facit Sophiſtica, neceſſariò, aut euidenter verſari non poteſt, quia neceſſitas, & euidentia dari non poſſunt circa duplicem partem contradictionis. Neque audiendi ſunt Rhetores quidam, quos refert Alexander in principio Topicorum, qui vt ſuam facultatem extollerent inanis gloriæ cupidi, abſque vllo fundamento dixêre Ariſtotelem 1. Rhetor. c. 4. Rhetoricam facultatem appellaſſe eo quòd hominem in facultate conſtituat, vt illum reliqui colant & admirentur. Habitus erroris facultas non eſt, quia non eſt indifferens ad verum, & falſum, ſed ex ſe ad falſum inclinat, ex eo tamen potiori ratione ab hac diuiſione reiiciendus, quia magis opponitur cum virtute, quàm facultas. Et hæc de toto diuiſo.

Primum membrum diuidens quod eſt *Intellectus* aliqui à potentia intellectiua non diſtinguunt, veruntamen cùm hæc non ſit habitus acquiſitus, de quo agit Philoſophus immeritò in præſenti loco nomine intellectus potentia intellectiua deſumitur. Meliùs ſentit Albertus 6. Ethicor. tract. 2. cap. 18. vbi aſſerit intellectum ſignificare habitum primorum principiorum, hoc eſt habitum, quo intellectus diſponitur, & redditur promptus, vt bene verſetur circa principia vniuerſaliſſima, quæ ſunt intellectui euidentiſſima. Qui habitus iure optimo propter ſuam vniuerſalitatem *intellectus* dicuntur, quia ſicuti potentia intellectiua influit in actus omnium ſcientiarum, ab illa omnes iſti dependent, ſic aliquo modo habitus iſti influunt in omnes actus cuiuſuis ſcientiæ, & ab illis horum veritas aliquo modo dependet, quia poſtquam quis illa, quæ euidenter ſunt nota proteruè negat ad actus horum habituum reducitur, totáque res vſque ad hæc prima principia reſoluitur, & contra huiuſmodi principia negantes infertur idem ſimul eſſe, & non eſſe, quod contradicit principium illud vniuerſaliſſimum *implicat idem eſſe, & non eſſe.* 2

Nomine *Scientiæ* non quamcumque demonſtrationem, ſeu cognitionem euidentem intelligit Philoſophus, ſed illam, quæ ſpeculatiuè verſatur circa obiectum, quod non poteſt ſic, & aliter fieri, ſed circa obiectum neceſſarium incorruptibile, & æternum, ideo ab hoc membro diuidenti excluditur concluſio euidens procedens ex aliquo principio ſenſuum euidentiâ præcognito, quod potuit aliter contingere, & non ita percipi; excluduntur etiam omnes ſcientiæ practicæ, quod oſtendam inter explicandum vltimum diſtinctionis membrum. Quod explicat Albertus tract. 2. cap. 2. in 6. Ethic. vbi ait in vera ſcientia omnes arbitrari id, quod ſcimus non poſſe aliter ſe habere, hoc eſt ad veram ſcientiam neceſſarium eſſe, vt obiectum non poſſit aliter ſe habere, quod idcirco eſt neceſſarium ad veram, & perfectam ſcientiam, quia ea quæ ſunt contingentia habent eſſe ita debile, vt quandoſiunt, non poſſumus alio modo cognoſcere vtrùm ſint, vel non ſint, niſi per ſenſum, neque poſſumus illa cognoſcere in ſuis cauſis, quia cùm cauſæ poſſint illa producere & non producere neſcimus vtrùm illa produxerint, necne, niſi per ſenſum, non autem per veram, & propriam ſcientiam: propterea non poteſt eſſe obiectum ſcientiæ, quod debet eſſe tale, vt non poſſit aliter ſe habere. 3

Tertium membrum diuidens eſt *Sapientia*, quæ ſecundùm varias acceptiones ſolet intelligi. Primò pro congerie plurium, vel omnium ſcientiarum, quæ in eodem homine reperiuntur, qua ratione hominem his ſcientiis inſtructum ſapientem appellare ſolemus. Quomodo Ariſtot. 1. Metaphyſ. c. 2. vult hominem ſapientem omnia eo modo, quo poſſibile eſt, ſcire. In hoc ſenſu videtur ſumpſiſſe ſapientiam Cicero in 4. Tuſcul. & lib. 2. de officiis, quando dixit ſapientiam eſſe rerum diuinarum, & humanarum, cauſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientiam. Et hoc eodem modo videntur ſumpſiſſe Philoſophi, quando dicebant eſſe cognitioné rerum omnium, etiam vſque ad vltimas proprietates, quod vna tantùm ſcientia præſtare non poteſt, ſed tantùm omnium collectio. 4

Secundò ſumitur Sapientia pro excellentia cuiuſcumque ſcientiæ, vel artis, quo modo ſolemus vocare ſapientem illum, qui vltra vulgarem modum alicuius facultatis notitiam aſſequutus eſt. Quo ſenſu videtur ſapientiam accepiſſe Philoſophus 6. Ethic. c. 7. quando dixit, ſapientiã in artificibus illis attribuere ſolemus, qui abſolutiſſimi ſunt, vnde Phidiam ſapientiſſimum marmorariũ, & Polycletum ſapientiſſimum ſtatuarium dicere ſolemus. Huius acceptionis meminit *S. Thom. 1. p. q. 1. art. 6.* vbi inquit in vnoquoque genere ſapientem illum appellari, qui altiſſimam illius rei cauſam conſiderat, vt in genere artifex qui formam domus diſponit, dicitur ſapiens Architectus reſpectu artificum inferiorum, qui dolant ligna, vel parant lapides. Et de hac ſapientia videtur loquutus S. Paulus 1. Corinth. 3. dicens *vt ſapiens architectus fundamentum poſui.* 5

Tertiò ſumitur Sapientia pro ſcientia omnium perfectiſſima; ſecundùm quam acceptioné illa in hac diuiſione adduxit Ariſtot. qui eodem lib. 6. Ethic. c. 7. dicit ſapien- 6

tiam eſſe perfectiſſimam quandam ſcientiam, quæ non ſolùm ea, quæ ex principiis ſunt cognoſcit & per vniuerſaliſſimas cauſas, ſed etiam de aliarum ſcientiarum principiis iudicat, quam idem Ariſtotel. in principio Metaph. dicit eſſe Metaphyſicam, & lib. 3. Met. text. 15. dicit ex his, quæ ab antiquis determinata ſunt apparet, quænam ſcientia ſapientiæ nomine donanda ſit; vnaquæque enim ſciētia poteſt hoc nomine appellari, ſed ſi propriè loqui velimus, illa eſt verè ſapientia, quæ & principaliſſima, & honorabiliſſima eſt, & cui reliquæ ſcientiæ tanquam ancillæ contradicere non debent, & quæ eſt ipſarum finis, quia huius causâ ſunt cætera omnia. Quæ omnia approbat S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 2. & inde infert ſapientiam tantùm eſſe vnam, quia etſi plures ſint ſcientiæ, vni tantum principatus, & excellentia inter omnes poteſt competere, hancque Theologiam eſſe affirmat, etſi Ariſtoteles Metaphyſicam eſſe exiſtimauerit, quia noſtram Theologiam non cognouit.

7 Huius ſapientiæ ſex conditiones deducit Suar. diſp. 1. Metaphyſ. ſect. 3. n. 8. ex Ariſtotele 1. Metaphyſ. cap. 2. Prima eſt vt verſetur circa omnia, & ſit eo modo quo poteſt omnium rerum ſcientia. Secunda eſt, vt in rebus difficilioribus, & à ſenſibus remotioribus verſetur, ex his quæ intra humanæ ſcientiæ ſphæram, & intra naturalem hominis capacitatem continentur. Tertia conditio eſt, vt ſit cognitio certiſſima. Quarta, vt ſit aptior ad docendum, ad reddendas cauſas rerum, quarum eſt ipſa ſcientia, ſeu ſapientia, quam conditionem tradidit Philoſophus 1. Metaphyſ. vbi dixit, ſignum ſcientiæ eſſe, poſſe docere, & ad ſapientiam pertinere cauſas rerum cognoſcere, & tradere, & in quacumque ſcientia illum ſapientiorem exiſtimari, qui rerum cauſas intimiùs, & vniuerſaliùs comprehendit. Quinta conditio eſt, vt propter ſeipſam, & ſciendi causâ ſapientia appetatur, hoc eſt, vt ſpeculatiua, quod ad ſcientiæ dignitatem pertinet. Sexta conditio eſt, vt ſapientia aliis ſcientiis proſit potiùs, quàm miniſtret. Harum conditiones nonnullæ aliis ſcientiis à Metaphyſica diſtinctis conueniunt; omnes tamen perfectiſſimo, & eminentiori quodam modo Metaphyſicæ competere probat P. Suar. ſuprà citatus.

8 Tertium hoc membrum in re adæquatè non differt à ſecundo, quia ſcientia omnium perfectiſſima intra reliquarum numerum continetur; differt tamen inadæquatè, quia ſecundum membrum extenditur ad plures ſcientias, hoc autem tantùm ad vnam, etſi contentam in ſcientiis, quæ continentur in ſecundo membro diuidente. Differt etiam ratione, quia idemmet habitus poteſt dici ſcientia, quatenùs cognoſcit concluſiones per ſua principia, & poteſt dici ſapientia, quatenùs procedit per altiſſimas cauſas & de aliarum ſcientiarum principiis iudicat. Vtraque diſtinctionis rationem attigit S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 2. ad 1. vbi dixit non eſſe abſurdum vnum, & eundem habitum habere duas rationes formales ſpecificas, & conſtituere duplex membrum diuidens huius diuiſionis; addiditque hanc diuiſionem ſimilem eſſe illi, qua diuiditur anima in ſenſitiuam, vegetatiuam, & rationalem, & cuius diuiſi rationes omnes diuidentes eidem numero animæ phyſicè competere poſſunt.

9 Quartum membrum diuidens eſt *Prudentia*, quam definit Ariſt. 6. Ethic. c. 5. *Habitus cum vera ratione actiuus circa ea, quæ & bona, & mala homini ſunt.* Dixerat enim priùs prudentis viri eſſe conſulere de his, quæ ſibi ipſi bona ſunt, atque vtilia. Diſtinguit S. Thom. 1. 2. q. 52. art. 4. artem à prudentia, quod ars dat facultatem operandi, prudentia verò dat vſum illius facultatis, ideò ars non præſupponit, neque requirit rectitudinem appetitus, quam requirit prudentia, quia prudentia requirit hominem eſſe benè affectum circa finem, quod fit per appetitus rectitudinem. Hac de cauſa artifex magis laudatur, quando ſciens, & volens facit opus diſconforme regulis artis, quàm ſi hoc faciat neſciens, & nolens, quia in primo caſu non eſt malè affectus in habitu artis, ſed in habitu appetitus, qui non pertinet ad artem; quicumque enim excellentiſſimus artifex poteſt pro ſua voluntate in artem peccare, & non ideo dicetur minùs conſcius eorum quæ ad artem ſpectant: in ſecundo vero caſu eſt malè affectus circa habitum artis, & minùs conſcius eorum, quæ ad artem pertinent, ſiquidem non ex prauo voluntatis affectu, ſed ex ignorantia procedet diſconformitas operis cum regulis artis.

Aliter in prudentia contingit, quia ſi artifex peccat non volens, & neſciens, minùs peccat, quàm ſi peccaret ſciens, & volens, cuius ratio eſt, quia rectitudo appetitus & voluntatis eſt de ratione prudentiæ, non verò de ratione artis. Sic in vniuerſum homines, qui ex ignorantia, ſeu neſcientiâ peccant, potiùs ignaros, & inſcios, quàm imprudentes appellamus; illos verò, qui ex praua intentione delinquunt, & fines ſibi à ratione aberrantes proponunt, non inſcios, ſed imprudentes appellamus. 10

Hic prudentiæ habitus eſt recta ratio de rebus agendis & in intellectu practico reſidet, quia ad hunc pertinet tractare de rebus agendis; aliquo modo eſſe in æſtimatiua docuit S. Thom. ſuprà, quia ad hanc pertinet cognitio ſingularium, de quibus prudentiæ habitus fert iudicium, quomodo hic & nunc fieri debeant. Sub hac virtute prudentiæ tres aliæ ſolent conſtitui; *Eubulia* ſeu virtus, quâ & nobis, & aliis recta conſulimus: *Syneſis*, quâ in caſibus extraordinariis qui non poſſunt ratione communi comprehendi, iudicamus: & *Gnome*, quæ poſt rationem, & conſilium indicat quid agendum ſit; quibus alij addunt virtutem perceptiuam, cuius proprius actus eſt imperiū, & in hac virtute plures Thomiſtæ virtutem prudentiæ vltimò conſtituunt, & tres alios habitus ad hanc præſupponi affirmant: & ideo eodem prudentiæ nomine omnes appellari. An vero admittendi ſint quatuor habitus, vel tantùm tribus tota prudentiæ ratio contineatur, parum ad rem noſtram refert; cui ſufficienter ſatisfacimus aſſerentes ad prudentiam pertinere tres illos habitus priùs annumeratos, & quartum, ſi detur de imperij actu dicam Controu. 11. de anima Punct. 5. Circa diſtinctionem horum habituum in mea ſententia vix poteſt aliqua reperiri difficultas: defendo enim Controu. 13. de anima punct. 2. habitus intellectus non diſtingui ab intellectus ſpeciebus, & ita facile eſt pro diſtinctione quorumcumque actuum habitus diſtinguere. De omnibus quæ ad Prudentiam ſpectant legendus eſt S. Tho. 1. 2. quæſt. 57. art. 6. 11

Quintum membrum diuidens eſt *Ars*; artem autem definit Ariſtot. 6. Ethic. cap. 4. *habitus cum vera ratione effectiuus*, & ideo ait artem verſari circa ea, quæ eſſe, & non eſſe poſſunt, quorum principium eſt in eo, qui facit, non verò in eo quod efficitur, & ideo addit artem non verſari circa actionem, ſed circa factionem. Verumtamen difficultas eſt quomodo differant *factio*, & *actio*, Sanct. Thom. 1. 2. quæſt. 57. artic. 4. exiſtimat factionem dici ab Ariſtotele actionem, quæ tranſit in externam materiam, quam tranſeuntem appellare ſolemus; ex cuius mente ſolæ artes quarum actiones externæ ſunt, comprehenduntur nomine artis in diuiſione ab Ariſtotele adductâ, & artes alias, quarum actiones ſunt internæ, vt Grammaticam, & Poeſim, (quas ſolemus appellare artes *liberales*, ſeu liberas ad diſtinctionem illarum, quarum actiones externæ ſunt, quas *ſeruiles* dicimus, quatenus illarum exercitio corpus ſeruiliter animo ſubditur,) ad ſcientiam reducit, quia ſunt habitus cum ratione actiui diſtincti ab habitu prudentiæ. Cæterùm etſi habitus iſti aliquam ſimilitudinem habeant cum ſcientia, quia illorum actiones internæ ſunt, nihilominùs negari nequit magnam ſimilitudinem habere cum aliis artibus, quatenùs præſcribunt modum, quo obiectum faciendum eſt, & à ſcientiis maximopere recedunt, quatenùs plures exhibent demonſtrationes circa ſuum obiectum deductas ex principiis legitimis; Grammatica verò, & aliæ huiuſmodi artes nihil demonſtrant, neque aliquid ex principiis certis, & euidentibus deducunt. Ob hanc rationem cenſeo dicendum ad hoc membrum diuidens reuocaſſe Ariſtot. omnes artes liberas, quarū actiones internæ ſunt, & has dici habitus cum vera ratione factiuos. Confirmatur ex ipſo Ariſtotele, qui loco citato duas requirit conditiones ad rationem artis. Prima eſt, vt verſetur circa aliquid ſingulare factibile, quod nunquam ex ſolis naturalibus principiis per ſe fiat, (niſi fortè caſu contingat) ſed opera humanæ rationis, & ex his quæ præſcribit habitus, ac proinde ſit opus in ſe artificiale, cuius principium ſit in ipſo efficiente, & in intellectu humano per quandam illius operationem, quem aliqui vel proprio labore inuenerint. Secunda conditio eſt, vt tali operatione ratio, & intellectus operantis intendant rectitudinem ipſius operationis ſecundùm ſe, ſiue illa operatio ſit immanens, ſiue tranſiens, & his duabus conditio- 12

conditionibus poſitis, diſtinguetur ſufficienter ars liberalis à prudentia, quod intendere videtur Ariſtoteles cap. 4. citato, quem in hunc ſenſum interpretantur Valentia 1.2. diſp. 9. quæſt. 3. Punct. 2.

13 Secundùm hanc interpretationem dicendum eſt Ariſtotelé intellexiſſe nomine factionis quamcumque operationem ſiue immanentem, ſiue tranſeuntem diſtinctam ab operationibus ipſius appetitus, ita vt dependeat à voluntate, & appetitu quoad imperium, & non quoad efficientiam, ſed ab alia potentia phyſicè, eliciatur. Differt autem Ars à Prudentia, quia ars in actione ſeu in factione non attendit rectitudinem operantis, ſed tantùm ipſius operis, ita vt ſi opus ſit iuxta artis præcepta, etiamſi turpiter efficiatur ab operante propter propter ſiniſtram intentionem à qua imperatur opus artificioſum, habeat totam rectitudinem, quam expoſcit ars. Prudentia verò verſatur circa ipſas operationes immanentes, quatenus rectæ ſunt moraliter, & rectè ab homine exercentur, & ex honeſta intentione procedunt, ita vt nunquam opus, quod peccaminosè ſit quatumuis ſit iuxta præſcripta cuiuſuis artis, ſeu ſcientiæ, poſſit dici factum iuxta veram prudentiam, cuius eſt ita voluntatem gubernare, vt ab illa peccatum omne remoueat.

14 Secundùm hanc acceptationem ad hoc membrum reuocantur omnes ſcientiæ practicæ, quæ ſunt habitus cũ ratione factiui, etiamſi verſentur circa operationes intellectus, ſicut Logica, & ob hanc rationem huiuſmodi ſcientias excluſit Philoſophus 1. poſter. tex. 5. aliàs 7. & 2. Metaphyſ. tex. 3. à vera ratione ſcientiæ, vbi tantùm ſciẽtiam purè ſpeculatiuam, ſcientiam ſimpliciter appellauit, quam definiuit 6. Ethic. cap. 3. Hoc ſibi volebat Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 4. docens ſcientiam eſſe circa ea, quorum principium non eſt in nobis, hoc eſt quæ à nobis non fiunt, ſeu quæ non conſiderantur, quatenus à nobis, fieri poſſunt, ſeu ad hoc vt à nobis fiant, ſed in ipſis rebus; hoc eſt, quorum principia contemplantur ex parte ipſius obiecti ſcientiæ, & nobis non inſunt; Ars verò dicitur eſſe circa ea, quorum principium eſt in nobis ipſis; id eſt circa quæ nos ipſi artis ope facere poſſumus.

15 Et hoc ſit iuxta mentem Ariſtotelis ſcientiam non diſtingui ab Arte ex eo, quod ſcientia aliquid de ſuo obiecto demonſtret, & ars nihil de illo demonſtret; quia etſi verum ſit omnem ſcientiam plura de ſuo obiecto demõſtrare, & nonnullas artes nulla ornari demonſtratione, tamen non eſt contra rationem artis plura de ſuis obiectis demonſtrare; ſcientiæ enim practicæ plura demonſtrant de ſuis obiectis, & ſecundum acceptionem, qua hic vtitur Ariſtoteles, ſcientiæ non ſunt, ſed artes. Diſtinguuntur ergo ſcientia, & ars ex eo, quod ars verſetur circa operationes diſtinctas à voluntate, quatenus à nobis fieri poſſunt; & ſcientia verſetur demonſtratiuè circa illa, quæ à nobis fieri nequeunt. Ex quo fit, vt optimè docuit Ariſtoteles Met. tex. 3. ſcientiam per ſe afferre cauſas ſui obiecti, quia illius eſt rem per cauſam oſtendere; artem verò (ſub qua ſcientiæ practicæ continentur) per accidens cauſas adducere, quia ad artem, & ad omnem habitum practicum tantum ſpectat dare modum, & regulam operis faciendi, & illud etiam facere, quando fieri debet, quod ſi cauſas afferat, has non adducit præcisè, vt res per cauſas melius innoteſcat, ſed vt cauſis cognitis faciliùs res fieri poſſit.

16 Ex his concluditur habitum, virtutem, quem intendebat Ariſtoteles diuidere, in hæc quinque membra adæquatè ſecari, quia omnis habitus aut eſt ſpeculatiuus, aut practicus: ſi ſpeculatiuus aut eſt habitus, quò intellectus benè diſponitur circa principia vniuerſaliſſima, aut circa principia ſeu concluſiones alicuius peculiaris ſcientiæ. Si circa principia vniuerſaliſſima, erit intellectus. Si circa principia alicuius ſcientiæ, aut circa principia omnium perfectiſſimæ, vel non omnium perfectiſſimæ. Si circa principia omnium perfectiſſimæ, erit ſapientia, quatenus conuenit cum aliis in hoc, quod eſt verſari circa principia peculiaris ſcientiæ, erit ſcientia. Si verſetur circa principia ſcientiæ non omniumm perfectiſſimæ, erit ſcientia, & non ſapientia. Si habitus ſit practicus, aut erit actiuus, aut factiuus. Si actiuus, erit prudentia: ſi factiuus, erit ars.

17 Nota vltimò quod licet in præſenti nomine ſcientiæ Ariſtoteles ſcientias practicas non comprehendat, quia non quamcumque cognitionem demonſtratiuam ſcientiam appellauit, iam tamen frequenter Philoſophi ſcientias practicas, ſcientias ſimpliciter dicunt, & omnem cognitionem demonſtratiuam, ſcientificam appellãt, in quò ab Ariſtotele non recedunt, qui 6. Met. 1. inter ſcientias intellectuales annumerat Philoſophiam moralem, & artes, non quia omnis ars ſit ſcientia, ſed quia ratio ſcientiæ cum ratione artis non opponitur. Quod ſi Ariſtoteles in præſenti ſcientiam, & artem diſtinxit tanquam membra in ſe oppoſita, ideo fuit, quia nomine ſcientiæ non ſcientiam ſecundùm totam ſuam latitudinem deſumpſit, ſed contractam ad rationem ſcientiæ perfectiſſimæ, quæ eſt ſcientia purè ſpeculatiua. Quod ſi velis defendere ſcientias practicas ex eo præcisè quod ſunt practicæ, etſi demonſtratiuè circa ſuum obiectum procedant, abſolutè ſcientias non eſſe dicendas, quæſtio erit pura de nomine, conueniéſque in obiecto & in modo tendendi circa tale obiectum his ſcientiis aſſignando, & tantùm in nomine illis imponendo diſſenties.

CONTROVERSIA II.

De Proœmialibus Logicæ.

PVNCTVM PRIMVM.

De obiecto Logicæ.

§. I.

Præmittuntur quædam.

CONSTANS eſt omnium ſententia Logicam agere de modo ſciendi, hoc eſt de ſciendi inſtrumento, quod forſan tantùm eſt demonſtratio, quia hac ſolùm ſcire dicimur, nihilominus Logica non tantùm agit de demonſtratione, ſed etiam de oratione, propoſitione, diuiſione, definitione, argumẽtatione, & ſyllogiſmo in communi; & de omnibus illius ſpeciebus, quia hæc omnia, vel partes ſunt modi ſciendi, ſciendique inſtrumenta, vel eorum notitia requiritur ad cognitionem demonſtrationis, quapropter à multis demonſtratio obiectum dicitur attributionis, reliqua verò obiecta attributi, de quo poſtea.

In hoc ſciendi modo quatenus continet hæc omnia inueniuntur in primis conceptus formales, actus videlicet intellectus, in quibus formaliter conſiſtit ſciendi inſtrumẽtum definitio, propoſitio, argumentatio, &c. quia nullo alio modo fiunt hæc inſtrumenta, quam formando hos conceptus, hoc vel illo modo inter ſe ordinatos, quos poſtea voce manifeſtamus, & aliis mediis his vocibus proponimus interna ſciendi inſtrumenta à nobis facta, definitionem, & argumentationem, &c. quibus correſpondent voces externæ tanquam conceptibus, loco quorum ſubſtituuntur. Conceptus iſti, ſeu hæc ſciendi inſtrumenta habent obiecta in quæ feruntur, & quæ repræſentãtur, ſeu cognoſcuntur, per cognitiones illas, in quibus conſiſtit formalis definitio, propoſitio, & argumentatio, &c. quia omnis cognitio alicuius obiecti ſiue realis, ſiue ficti eſt cognitio. Ex his orta fuit diuiſio modi ſciendi in formalem, in obiectiuum, & vocalem. Modus ſciendi formalis dicit conceptus illos internos, ex vi quorum rem definio, affirmo, infero in ſyllogiſmo probabili & demonſtratiuo, qui dicuntur inſtrumenta ſciendi formalia, quia tanquam propriæ formæ inhærent intellectui: talis eſt conceptus reſpondens his vocibus *animal rationale*, in quo conſiſtit clara, & definitiua cognitio, ſeu definitio hominis, & ſic de aliis huiuſmodi conceptibus. Modus ſciendi obiectiuus ſunt obiecta ſignificata per modum ſciendi formalem, quæ repræſentatur per cognitiones, in quibus conſiſtunt formalis definitio, propoſitio, & argumẽtatio. Modus ſciendi vocalis dicit voces reſpõdentes conceptibus, in quibus conſiſtit modus ſciendi formalis, v. g. voces iſtæ *animal rationale*, quæ dicuntur vocalis definitio, quia ſubſtituuntur loco definitionis formalis, ſeu conceptus, quo hominem quidditatiuè, & definitiuè cognoſco. Ex his quæſtio ſuborta, an obiectum Logicæ ſit modus

Digitized by Google

ſciendi formalis,an obiectiuus , an etiam ſe extendat ad modum ſciendi vocalem ?

3 Oportet etiam aduertere quæſtionem non eſſe an Logica agat de conceptibus formalibus, in quibus conſiſtunt ſciendi inſtrumenta , ſecundùm rationem communem cognitionis,ſeu actionis vitalis , & ſpiritualis ; ſub his enim formalitatibus ad libros de anima ſpectant , ſed tota difficultas eſt an Logica agat de conceptibus formalibus ſecundùm ſpecialem rationem inſtrumentorum ſciendi,videlicet quatenus ſunt formalis definitio, diuiſio, & argumentatio,&c.

4 Statuendum eſt etiam non ita poſſe agi de conceptibus formalibus,quin aliquo modo agatur de obiectiuis , quia cùm ad hos illi referantur , non poſſunt cognoſci , quin indirectè & in obliquo illorum obiecta cognoſcantur, quæ conceptus obiectiui dicuntur.Ex his fit Authores aſſerentes Logicam tantùm agere de conceptibus formalibus, negare non poſſe aliquo modo obiectiuos attingere, quia tantùm poteſt eſſe quæſtio an conceptus obiectiui primò, & per ſe attingantur, ita vt ſint obiectum Logicæ primarium,an tantùm ſecundariò , & in obliquo ratione formalium, quod tantùm poſſunt affirmare , qui aſſerunt Logicam tantùm agere de conceptibus formalibus.

5 Eadem imò potiori ratione dicendum eſt illos , qui aſſerunt Logicam tantùm agere primariò de conceptibus obiectiuis,negare non poſſe agere de conceptibus formalibus,per quos entia illa,quæ per formales cognoſcuntur dicuntur obiecta. Ratio eſt perſpicua , quia Logica non agit de obiectis cognitis præciſè ſecundùm ſuam entitatem,cum enim agit de natura generica, & ſpecifica, non agit de natura animalis, & hominis quæ genus & ſpecies denominantur , ſed de illis quatenus ſubiiciuntur his denominationibus,neque de obiecto definito , aut demonſtrato ſecundùm ſe , ſed quatenus ſubeſt definitioni , aut demonſtrationi,aliàs Logica ageret de omni ente ſecundùm ſe ſumpto, cùm nullum ſit ens , quod non ſit obiectum modi ſciendi formalis. Addit benè Arriaga diſp. 2. ſect... ſubſect.2.non poſſe agi de rebus obiectis , vt ſubſunt conceptibus formalibus, ſeu de obiectis vt formaliter ſunt obiecta,quin agatur de ipſis conceptibus formalibus, per quos illa , quæ cognoſcuntur , conſtituuntur formaliter obiecta , & per quos formaliter dicuntur conceptus obiectiui ſubeſſe formalibus , ſicuti non poteſt agi de obiecto vt albo, quin agatur de albedine , per quam conſtituitur formaliter album , qua ratione poſtea probabo conceptus formales , ſeu modum ſciendi formalem neceſſariò pertinere ad obiectum formale Logicæ.

§. II.

Voces non ſunt obiectum Logicæ.

6 NOn poteſt in quæſtionem vocari an voces ſecundùm ſe cadant ſub Logicæ obiectum, ſed tantùm tractanda eſt difficultas de vocibus , quatenus in ſyllogiſmo, & in aliis ſciendi inſtrumentis conſtituuntur , & ordinantur.

7 Multi referunt pro ſcientia affirmatiua Nominales aſſerentes Logicam tantùm agere de vocibus,ac proinde has eſſe obiectum adæquatum Logicæ;illos tamen ab hac impoſtura defendit Hurtadus diſp.1.ſect.3.ſub. 1. qui hac voce *nomen* vtebantur ad ſignificandum conceptum illi reſpondentem ſicuti enim nomina loco conceptuum ſubſtituuntur,ſic nominibus vtebãtur loco conceptuum, & illa quæ de conceptibus ſignificare volebant,de nominibus prædicabant, quod in cauſa fuit vt vulgò *Nominales* appellarentur, in cuius nominis ignominiam illorum gloria præualuit,quæ ex doctiſſimis viris in nomen ipſum aliàs non decorum,iam ad illos contractum redundauit , & magno ſcholæ plauſu *Nominalium* hodie nomen recipitur.

8 Alij ſunt , qui vulgi errore ſuffulti pro ſe referunt Nominales,aſſerunt voces eſſe obiectum inadæquatum Logicæ.

9 Alij acuti recentes tenent voces eſſe obiectum materiale Logicæ, quia participant artificium modi ſciendi deriuatum ex conceptibus formalibus ; ſicut actus externus prudentiæ participat rationem virtutis deriuatum ab actu interno.

Dicendum eſt cum communi Doctorũ ſententia , quos 10
refert,& ſequitur P.Suarez diſp.1.Metaphyſ.ſect.4. n. 27. voces nullatenus ad Logicum ſpectare , neque aliquam rationem obiecti Logicæ habere,quod ſic probo. Significatio & congruentia vocum non ſpectant ad Logicum, ſed ad Grammaticum,cuius eſt nominibus vti ſignificantibus id quod intendimus , & congruenter nomina ſeu voces componere , quibus vtitur. Ornatus earumdem vocum non pertinet ad Logicum ſed ad Rethorem. Sed in nominibus ſeu vocibus præter ſignificationem , congruentiam,& ornatum nihil reperitur : ergo nihil eſt in vocibus,de quo agat Logicus.

Dices in ſyllogiſmo vocali reperiri ordinem,quo priùs 11
ponitur maior,deinde minor, & poſteriùs conſequentia; & in propoſitione inueniri ſignum,ita collocatum vt afficiat hunc terminum & non illum , quæ omnia ad Logicum ſpectant. Reſpondeo,huiuſmodi collocationem non ſpectare ad Logicum,ſed ad Grammaticum ; quod probo,& non ſolùm diſſoluo argumentum , ſed meam concluſionem confirmo. Ad Grammaticum ſpectat vti vocibus ſignificantibus res eo modo, quo à nobis concipiuntur, & illas adducere , ita vt ſuppoſita libera hominum impoſitione ſubſtitui dicantur loco conceptuum, quos exprimere intendimus: ergo ad Grammaticum ſpectat tali modo ordinare voces vt propoſitio conſtituatur affirmatiua, & vt ſignum hunc terminum afficiat, & vt hæc propoſitio vocalis ſubſtituatur loco illius,quæ dicitur maior;& illa vocalis propoſitio loco illius quæ dicitur minor;& alia vocalis propoſitio loco mentalis,quæ conſequentia dicitur , alioquin res non ſignificarentur vocibus eo modo, quo concipiuntur , neque voces ſubſtituerentur loco conceptuum : ergo ad Grammaticum ſpectat totum artificium ſyllogiſticum,quòd poteſt reperiri in vocibus ſi in his aliquod reperitur. Probo antecedens: voces inuentæ ſunt ad ſignificandos noſtros conceptus,& cùm quis lingua Latina inſtruitur, id intenditur, vt ille vocibus Latinis vti ſciat,vt illis ſuos exprimat cõceptus , & ſimilibus vocibus ab aliis explicatos percipiat:ergo ad artem cuiuſcumque linguæ , ſeu ad Grammaticam illius pertinet vti vocibus eo modo, quo res exprimuntur, ea ratione, qua concipiuntur,& quo noſtri interni conceptus panduntur.Conſequentiam prioris enthymematis probo.In ſyllogiſmo vocali tantùm requiritur ille verborum ordo,ex vi cuius ſufficienter exprimitur mentalis ſyllogiſmus,ſeu explicantur conceptus formales in quibus conſiſtit ſyllogiſmus mentalis : ergo ſi ordo requiſitus ad hanc expreſſionem mentalis ſyllogiſmi pertinet ad Grammaticum,vt iam probaui, nullus eſt ordo in ſyllogiſmo vocali,qui ad Logicum pertineat.

Obiicies primò : Logica eſt ignoti manifeſtatiua. Sed 12
voces manifeſtant ea, quæ ſunt ignota : ergo voces pertinent ad Logicam.Reſpondeo voces manifeſtare Grammaticaliter non Logicè , Logica enim per expreſſiores conceptus manifeſtat nobis obiecta illa,quæ confuſè cognoſcebamus;voces verò non ipſi proferenti aliquid manifeſtant, ſed tantùm audienti ea, quæ per Logicam vel aliundè proferens didicit. Sic de vocali definitione dicendum eſt explicare rei naturam Grammaticaliter, & in ordine ad audientem,qui illi exteriùs manifeſtat conceptus proferentis, per quos natura definiti Logicè explicatur,& hæc explicatio,ſeu definitio interna ad Logicam ſpectat,& non illa externa vocalis.

Obiicies ſecundò : Ad Logicum ſpectat contemplari 13
ſyllogiſmum vocalem : ergo voces pertinent ad Logicã. Probo antecedens:Grammaticus non poteſt cognoſcere an ſyllogiſmus vocalis rectè,vel malè ſit conſtructus:ergo hæc contemplatio ad Logicum pertinet. Reſpondeo omnia,quæ pertinent ad voces rectè geri, ſi reſpondeant cõceptibus,cuius ſunt ſigna,quod ad Grãmaticum pertinet,neque de illis aliquid aliud contemplandum eſt. In vocibus enim non ſpectanda eſt forma ſyllogiſtica , ſed ſignificatio conceptuum , quod ſi hi formam ſyllogiſticã habeant,hanc voces repræſentabunt,& homo inſtructus ſimul Logica & Grammatica, per Logicam ſpeculabitur conceptus internos, quos poſtquam nouerit, per Grammaticam tantùm cognoſcet,an voces formæ ſyllogiſticæ reſpondeant,quod eſt habere totam figuram ſyllogiſticã, quæ in illis poteſt reperiri.Quod ſi purus Grammaticus id præſtare nequit,ideo eſt quia non cognoſcit an conceptus illi,quibus voces reſpõdeant, habeant in ſe figuram ſyllogiſti

Digitized by Google

ſyllogiſticam, & ita poſtquam nouit voces conceptibus his reſpondere, dubius manet, an reſpondeant conceptibus habentibus formam ſyllogiſticam, & an habeant formam ſyllogiſticam, quæ in ipſis poteſt expoſci, quod eſt idem; ſicuti pictor poſtquàm nouit imaginem referre hanc figuram, ignarus erit, an referat figuram leonis vel vrſi, ſi aliundè non nouit, an hæc figura ſit leonina vel vrſina, quod arte pictoria comparare non poterit.

14 Obiicies tertiò: Terminus diſtinguitur in terminum mentalem, & vocalem: ergo Logica agit de termino vocali: ergo de vocibus: ergo voces ſunt obiectum Logicæ. Reſpondeo eodem modo poſſe probari ſcripturam eſſe obiectum Logicæ, quia ſimiliter diuidimus terminum in mentalem, vocalem, & ſcriptum, quapropter aſſero diuiſionem illam eſſe nimis impropriam, & analogam; ſicuti diuiſio, qua ſolemus hominem diuidere in hominem viuum, & hominem pictum.

15 Ad exemplum recentiorum quod adduximus de actu externo prudentiæ, qui ſimul cum interno ad virtutem prudentiæ pertinet. Reſpondeo talem actum externum pertinere ad virtutem prudentiæ, quia eſt effectus actus interni prudentiæ, à quo imperatus procedit, ſyllogiſmus verò vocalis non eſt effectus ſyllogiſmi interni mentalis, neque ab hoc imperatur ſeu dirigitur, ſed tantùm procedit directus regulis Grāmaticæ, quarū directione ita diſponuntur voces, vt reſpondeant conceptibus, in quibus internus ſyllogiſmus conſiſtit, quem voces reſpiciunt nō tanquam principium dirigens, aut imperans, ſed tanquā obiectum, quod ſignificant, ſeu loco cuius ſubſtituuntur.

16 Adduci etiam ſolet S. Thomas opuſc. 9. quæſt. 1. & initio libri Periherm. pro ſententia aſſerente voces eſſe obiectum Logicæ, intelligendus verò eſt Angelicus Doctor de vocibus pro conceptibus ſubrogatis, ſicut Ariſtoteles ſæpe loquitur, & Porphyrius, qui librum prædicabilium, *librum quinque vocum* appellat.

§. III.

Aſſignatur obiectum materiale Logicæ.

17 Dicendum eſt cum Patre Suario 1. Metaphyſ. diſt. 1. ſect. 4. & tract. 2. diſp. 36. in initio, Patre Fonſ. tract. 2. Metaphyſ. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 5. Hurt. diſp. 1. ſect. 5. ſubſect. 2. Arriag. diſp. 2. ſect. 1. ſubſect. 2. conceptus formales eſſe obiectum materiale Logicæ, quod ſic probo. Dialectica ſeu Logica eſt ars præſcribens regulas diſputandi, vt omnes fatentur, & docuit Ariſtoteles 1. Rhetor. ad Theodectem cap. 1. & 2. vbi docet munus Dialecticæ eſſe diſputare, & 1. Periherm. cap. 1. vbi docet ſciri oportere à dialectico, quid ſit affirmatio, & negatio, & S. Auguſt. 17. contra Creſconium cap. 18. dicit *quid aliud eſt dialectica, quàm peritia diſputandi?* & docuit Ariſt. & cap. 14. *A diſputatione Dialectica nomen accipit, ita Gracè Dialecticus multò vſitatius, & tolerabilius Latinè dicitur diſputator; quod ſi vſus admitteret Latinè Dialectica, diſputatoria diceretur*: ergo ex mente Ariſtotelis, & Auguſtini Dialectica agit de affirmatione, negatione, & diſputatione, ſed affirmatio, negatio & diſputatio ſunt conceptus formales mentis: ergo agit de conceptibus formalibus. Confirmatur & declaratur eadem ratio: Logica agit de definitione, propoſitione, & argumentatione: ſed definitio, propoſitio, & argumentatio important conceptus formales: ergo agit de conceptibus formalibus. Probo minorem: Conceptus, quem ego formo reſpondentem his vocibus *animal rationale*, rectè explicat naturam hominis: ergo eſt definitio hominis: ergo definitio importat cōceptum formalem, & ſic de propoſitione & ſyllogiſmo, & reliquis ſciendi inſtrumentis philoſophandum: conceptus formales ſunt ſciendi inſtrumenta: ergo Logica, quæ agit de ſciendi inſtrumentis, agit de conceptibus formalibus.

18 Vidi recentiores aſſerentes Logicam verſari circa intellectus operationes tanquam circa finem, non tanquam circa obiectum immediatum, ſicut ars frænefactoria habet pro fine equeſtrem, & pro obiecto fræni conſtructionem; ſic Logicam habere dicunt pro fine conceptus formales dirigendos, & pro obiecto conceptus obiectiuos. Contra: Logica immediatiùs agit circa conceptus formales, quàm circa obiectiuos: ergo non poſſunt conceptus obiectiui habere rationem obiecti, & formales rationem finis. Antecedens probo: Conceptus obiectiui reſultant ex formalibus, & eatenus poteſt illis aliqua regula præſcribi, quatenus formalibus præſcribitur, cùm enim in ſe ipſis non fiant, ſed tantùm in formalibus, ex quibus reſultant; ſic in ſe ipſis dirigi non poſſunt, ſed tātùm in formalibus: ergo immediatiùs agit Logica de conceptibus formalibus quàm de obiectiuis: ergo non verſatur Logica circa cōceptus formales tanquam circa finem mediarum mediis conceptibus obiectiuis, circa quos vt obiectum immediatum verſetur. Corrobotabitur præcedens concluſio rationibus, quibus iam probabo conceptus obiectiuos non pertinere ad primarium Logicæ obiectum.

Dicendum eſt ſecundò, Logicam primariò & per ſe non agere de conceptibus obiectiuis, ſed tantùm ſecundariò, quatenus hi ſunt obiectum formaliū; ſicuti pictor, qui agit de Cæſaris imagine tantùm de Cæſare agit, quatenus eſt obiectum imaginis, quæ eſt proprium & immediatum obiectum ſuæ artis. Logicam non agere de conceptibus præciſè ſecundum ſe ſumptis, ſed tantùm quatenus formalibus ſubſunt extra omnē controuerſiā eſt, de illis ergo tantùm poterit agere, quatenus formalibus ſubſūt. Sed hac ratione nō poſſe de illis agere, niſi quatenus agit immediatè de formalibus, ſic probo. Eatenus poteſt agere de conceptibus obiectiuis vt ſubſunt formalibus, & de illis præcepta tradere, quatenus ab ipſa fiunt: ſed conceptus obiectiui vt directi tantùm fiunt à Logica quatenus ad ipſa fiunt formales: ergo tantùm poteſt agere de conceptibus obiectiuis, vt ſubſunt formalibus, quatenus agit de formalibus. Maior per ſe patet, fruſtra enim præcepta traderentur de illo, quod fieri nequit, præcepta enim ordinantur ad praxim, & ad illud per ſe tantùm poſſunt ordinari præcepta, quod eſt praxis, ſeu operatio exercita præceptorum directione. Minorem probo: in conceptibus obiectiuis vt directis, ſeu vt ſubſunt formalibus duo reperiuntur: entitates ipſæ, quæ cognitiones ſeu formales conceptus terminant. Sed Logicus non facit entitates ipſas ſecundùm ſe: ergo tantùm afficit formales conceptus. Confirmatur & declaratur eadē ratio: conceptus obiectiui vt directi, ſeu vt formalibus ſubſunt per ſe non fiunt, ſed tantùm reſultant ex formalibus, ſicuti denominatio viſi reſultat ex viſione, & eatenus tantùm poſſunt benè maléve fieri, quatenus benè vel malè fiunt formales: ergo tota directio eò debet tēdere, vt rectè fiant formales, quibus rectè factis obiectiuos rectè eſſe directos neceſſe eſt: obiectiui enim vt directi, tantùm fiunt in directione ipſa, ſicuti paries formaliter vt viſus tantùm fit in ipſa viſione. Rem vnico cape verbo. Id doceor Logicā, quod facio: Sed ego tantùm facio conceptus formales: ergo tantùm Logicā doceor circa conceptus formales. Rurſus, Logicā tantùm docemur definire, diuidere, enunciare, & arguere, ſed hæc omnia tantùm conſiſtunt in noſtris intellectus operationibus: ergo Logica tantùm agit de noſtris intellectus operationibus. 19

Dices his probari actus practicos Logicæ tantùm tendere circa conceptus formales, dari tamen in eadem Logica alios actus ſpeculatiuos, qui verſantur immediatè non ſolùm circa conceptus formales, ſed etiam circa obiectiuos. Poterā ſolutionem reiicere ex dicendis Punct. 5. vbi probabo nullum actum ſpeculatiuum reperiri in Logica; ſed eſto, actus ſpeculatiuos contineat Logica, adhuc hi tantùm immediatè formales conceptus intuebuntur, quod ſic probo. Logica non ſpeculatur res ſecundùm ſe ſumptas, ſed formaliter quatenus directas: ergo id, quod formaliter ſpeculatur, eſt earum directio. Sed directio ipſarum nihil aliud eſt, quàm formales conceptus, à quibus obiecta extrinſecè directa dicuntur: ergo id, quod formaliter Logica immediatè contemplatur, tantùm eſt directio conceptuum obiectiuorum, quæ non diſtinguitur à conceptibus formalibus. 20

Dices, conceptus vt directos duo dicere, formalem directionem, & obiecta, quæ ab hac extrinſecè directa dicuntur, & vtrumque Logicam ſpeculari. Contra: Logica non agit de obiectis, quæ cōceptibus formalibus directa dicuntur, ſecundùm ſe ſumptis, vt diſtinctis à formalibus, ſed illa formalitate, ſub qua ſubeunt denominationem directorum: ergo tantùm agit de forma illa à qua procedit talis denominatio; ſicuti pictor, qui agit de tabula vt picta tantùm agit primariò, & per ſe de pictura, & de tabula tantū ſecundariò. Confirmatur: conceptus obiectiui vt directi tantùm dicūt primariò & per ſe illud ſupra quod cadit reduplicatio vt; ſed hæc tantùm cadit ſupra rationē formalem 21

Digitized by Google

formalem illorum : ergo conceptus obiectiui formaliter vt directi tantùm,dicunt primariò & per ſe directionem, & ſecundariò & in obliquo ſubiecta, quæ denominantur directa , ergo dicere Logicam agere de conceptibus obiectiuis formaliter vt directis,tantùm eſt dicere Logicam primariò agere de directione , ſecundariò de ſubiectis, quæ his ſubſunt. Particulam *vt* tantùm cadere ſupra rationem formalem illius quod afficit, communis omnium loquendi modus oſtendit , & communi omnium conſenſu impoſita eſt ad hanc rationem formalem ſignificandam , quod conſtat ex omnibus loquutionibus , quibus hac particula vtimur ; dicimus enim de ſubiecto albo & dulci , v. g. de ſaccharo , ſaccharum vt eſt album non eſt dulce , quo tantùm ſignificamus albedinem non eſſe dulcedinem , ſeu non eſſe eandem formam, ex vi cuius idem ſubiectum album conſtituitur, & vi cuius dulce redditur.

22 Obiicit Hurtadus ; Plura præcepta, quæ tradit Logica non poſſunt verificari de conceptibus formalibus , ſed tantùm de obiectiuis : ergo Logica non tantùm agit de conceptibus formalibus, ſed etiam de obiectiuis. Probat antecedens : Logica docet definitionem , & definitum debere conuerti,quod non poteſt conuenire conceptibus formalibus , qui inter ſe conuertuntur, & optimè quadrat conceptibus obiectiuis : deinde docet genus prædicari de ſpecie , quod de conceptibus formalibus dici nequit,ſed de obiectiuis:Similiter docet vtramque præmiſſam non diſtingui realiter à concluſione , ſed tantùm ratione noſtra,quod verum eſt in præmiſſis,& in concluſione obiectiuis,& non in formalibus,ergo hæc & alia huiuſmodi præcepta traduntur tantùm de conceptibus formalibus,& non de obiectiuis. Si aliquid probaret hæc ratio extorqueret Logicam agere de obiectis conceptuum formalium ſecundùm ſe ſumptis, & non quatenus ſubſunt conceptibus formalibus, quod nemo admittit ; & ego ſic inferri probo. Obiectum conceptus formalis definitionis, & obiectum conceptus formalis definitionis,ſeu definitionis formalis in ſe independenter à formalibus conceptibus abſque vllo reſpectu ad illos conuertuntur,ſeu ſunt idem vt per ſe notum eſt,& vt ſubſunt his conceptibus formalibus diſtinctis non conuertuntur:ergo hoc quod definitionem,& definitum conuerti, non conuenit conceptibus obiectiuis vt ſubſunt formalibus, ſed ſecũdùm ſe ſumptis: ergo de illis ſecundùm ſe ſumptis agit Logica. Obiecta illa non conuerti vt ſubſunt illis diſtinctis cognitionibus ſic probo : Obiecta vt ſubſunt illis cognitionibus dicunt formaliter cognitiones realiter diſtinctas : ergo licet materialiter conuertantur,ſeu ſint idem ſimplex, obiectum, formaliter non conuerti dicentur , non enim concreta, quorum formæ diſtinguuntur formaliter ſumpta,conuerti poſſunt , quantumuis ſubiecta conuertantur , quia hæc formaliter ſumpta conuerti, dicit conuerti formas , per quas conſtituuntur. Confirmatur:hæc propoſitio in omnium ſententia eſt falſa *ſaccharum vt ſubeſt albedini , ſubeſt dulcedini*, quæ idem ſonat cum iſta *ſaccharum vt eſt album, eſt dulce*, & vtraque dicit identitatem inter albedinem & dulcedinem : ergo ſimiliter hæc propoſitio eſt falſa, *homo vt ſubeſt conceptui formali definitionis , ſeu definitio formalis, ſubeſt conceptui formali definiti* , quæ cum iſta coïncidit, *homo vt cognitus per definitionem formalem , eſt cognitus per conceptum formalem definiti , qui non eſt definitio , ſed conceptus confuſus definiti*, & vtraque importat identitatem inter definitionem formalem, & conceptum,ex vi cuius definitum confuſè apprehenditur , quæ in re non ſubſiſtit, & ita vtraque propoſitio eſt falſa. Idem argue de identitate præmiſſarum cum concluſione, & generis cum ſpeciebus,& de quibuſcumque aliis.

23 Reſpondeo præcepta Logica immediatè tradi circa conceptus formales ; quæ tantùm dirigi poſſunt ; quorum ſenſus hic eſt : Definitio & definitum debent conuerti, hoc eſt , conceptus formales definitionis , & conceptus formales definiti ſic debent confici vt obiectum vtriuſque ſit idem indiuiſibiliter ſumptum : Genus prædicatur de ſpecie : hoc eſt, conceptus formalis generis, & conceptus formalis ſpeciei tales debent eſſe vt obiectum conceptus formalis generis verè dici poſſit de obiecto conceptus ſpeciei : Præmiſſæ non diſtinguuntur realiter à concluſione , hoc eſt conceptus formales præmiſſarum , & conceptus formales concluſionis ſic debent efformari , vt obiectum conceptus formalis concluſionis non diſtinguatur ab obiecto conceptuum formalium præmiſſarum , & ſic de omnibus aliis præceptis. Sic intelliguntur præcepta cuiuſcumque artis , cùm enim ars architectoria dicit , ædificium debet habere hanc proportionem longitudinis , & latitudinis , præceptum hoc immediatè dirigitur ab architecto , cui immediatè non præcipitur proportio longitudinis , & latitudinis , ſed id , ex quo reſultat longitudo , latitudo, & harum proportio , quod & præcipi illarum actiones lapidum & lignorum ex quibus reſultant longitudo , latitudo harùmque proportio.

§. IV.

An omnes operationes intellectus pertineant ad obiectum Logicæ ?

Eſt difficultas an Logica , quæ habet pro obiecto conceptus, ſeu intellectus operationes , verſetur circa omnes operationes , apprehenſionem videlicet , iudicium , & diſcurſum ; an harum aliqua ab obiecto Logicæ ſit excludenda ? Non defuere antiqui , qui tantùm ad tertiam intellectus operationem obiectum Logicæ reducerent ; neque alij , qui ſtrictiores terminos Logicæ obiecto aſſignarent aſſerentes hos demonſtrationem non excedere. Iam tamen inter Authores tota controuerſia ad apprehenſionem ſimplicem deducitur. De iudicio & quocumque diſcurſu apud omnes Doctores , vno vel altero dempto, ſtatutum eſt ad obiectum Logicæ pertinere. Simplicem apprehenſionem ab obiecto Logicæ excludunt Noſtri Conimbricenſes quæſtion. 5. Procem. art. 3. Hurt. diſp. 1. ſect. 2. §. 16. Logicam amplecti tanquam proprium obiectum omnes intellectus operationes defendunt P.Suarez tom.1.Metaphyſ. diſp.1.ſect.4.P.Fonſ. 2.Metaphyſ.cap.3.quæſt.1. ſect.5. P. Rub. quæſt.6. Arriag. diſp.2. ſect.4. 24

Præmitto duplicem dari apprehenſionem , quandam ſimplicem , aliam compoſitam. Simplex apprehenſio dicitur illa , in qua obiectum apprehenſum apparet indiuiſibiliter vt vnum, ſiue in ſe ſit vnum , ſiue plura, ſicuti apprehenſio, quæ fertur in rationale, quod ex parte obiecti dicit plura , & omnia inſtar vnius ex vi huius apprehenſionis attinguntur. Apprehenſio compoſita eſt illa, in qua obiectum inſtar duorum apprehenditur, ſicuti in hoc complexo *animal rationale* , in quo rationale apprehenditur inſtar diſtincti ab animali, etſi cum illo identificetur. 25

Præmitto ſimiliter bifariam poſſe rem aliquam arte dirigi. Primò vt compoſitum artificioſum, quod ars ſua directione conſtruit , quo pacto cathedra domuſve ab arte dirigitur : Secundò poteſt dirigi non vt opus artificioſum neque arte factum , ſed vt pars operis ſeu vt materia quam deſumit ars in conſtructionem operis artificioſi. Sic domificatoris ars dirigit ligna , & lapides ab alio artifice expolita , ad quorum vſum , & non ad illorum effectionem regulas præſcribit. Quod primo modo dirigitur, poteſt eſſe omnino ſimplex & omnis compoſitionis expers. Ratio eſt facilis : opus aliquod ab arte dirigi nihil aliud eſt, quàm in ſe tale euadere , quale illud præſcribit ars, ſeu quale cognitio dictat eſſe faciendum. Sed entitas omnino ſimplex poteſt fieri ea ratione , quâ cognitio dictat eſſe faciendum : ergo opus omnino ſimplex poteſt dirigi cognitione præſcribente non ſolum illius vſum , ſed illius effectionem : ſic Angelus à Deo productus procedit directus ſecundùm ipſius effectionem à cognitione ſimplicis intelligentiæ,quâ Deus cognouit Angelum poſſibilem indifferentem vt produceretur. Quæ poſteriori modo diriguntur , etſi ſecundùm ſuam entitatem ſimplicia vel compoſita eſſe poſſint,quia poſſum ego vti re ſimplici vel compoſita ad aliam conſtruendam,ſemper diriguntur directione quadam ordinatâ ad opus componendum ex illo,cuius vſus præſcribitur;& ex alio adiungendo entitati , quâ vtimur tanquam materiâ,aut parte rei faciendæ. His præmiſſis duplici concluſione difficultatem definio. 26

Apprehenſio compoſita poteſt dirigi ab intellectu in ſe, vt fiat artificioſè,& de facto ita dirigitur , quod ſic probo. Apprehenſio,quâ expreſsè,& diſtinctè percipio partes metaphyſicas hominis per conceptum reſpondentem his vocibus *animal rationale*,eſt ſciendi inſtrumentum, videlicet, definitio 27

Digitized by Google

definitio conſtans genere & differentia facta iuxta regulas Logicæ, quæ præſcribunt definitionem debere conſtare genere & differentia: ergo hæc apprehenſio poteſt dirigi Logicæ præcepto, quo inſtruor hac ratione definitionem conficere. Confirmatur: ſi quis intendens hominem definire apprehenderet animal ſenſitiuum, contra Logicæ regulas definitionem exhiberet, ſeu potiùs nihil definiret: & ſi apprehenderet animal rationale ſenſitiuum, definitio illa eſſet contra Logicæ præcepta; quia in illa ſuperflueret ly *ſenſitiuum*: ergo definitio fieri poteſt iuxta Logicæ præcepta, & contra eadem Logicæ præcepta: ergo poteſt præſcribi Logicæ præceptis. Rem ſimplici enthymemate oſtendo: Logica tradit præcepta definiendi: ergo definitio poteſt dirigi his præceptis, aliàs ſuperfluè præcepta iſta darentur, ſi nihil deſeruirent ad definitionem faciendam. Definitionem conſiſtere in ſimplici apprehenſione ſic probo: quando ego dico, *homo eſt animal rationale* prædico definitionem de definito: ergo definitio non eſt totum hoc complexum *homo eſt animal rationale*, ſed illud extremum, quod ſe tenet ex parte prædicati, videlicet *animal rationale*, quod eſt obiectum ſimplicis apprehenſionis, quæ regulariter præcedit hoc iudicium, vt plurimùm enim antequam ego enunciem *animal rationale*, apprehendo vtrumque extremum, quod poſtea annecto per actum iudicij, & apprehenſio terminata ad hoc extremum *animal rationale* eſt adæquata hominis definitio, quæ ex parte obiecti continet quod eſſentiale eſt homini, & hoc diſtinctè ſine confuſione partium metaphyſicarum attingit cum diſcretione inter genus & differentiam, videlicet inter animal, ex vi cuius homo conuenit cum aliis ſpeciebus, & rationale, ex vi cuius differt à reliquis omnibus.

28 Reſpondet Hurtadus definitionem non pertinere ad Logicum, niſi quatenus affirmatur definitio, vel de illa aliquid affirmatur vel negatur, & tunc non eſt obiectum ſimplicis apprehenſionis, ſed iudicij, neque in hoc iudicio (ait Hurtadus) reperitur aliqua apprehenſio, quæ iudicio correſpondeat, quia hæc non eſt pars iudicij, ac proinde etiamſi hæc propoſitio *homo eſt animal rationale*, ſit obiectum Logicæ, nulla ſimplex apprehenſio in hac propoſitione reperitur, quæ Logicæ dicatur obiectum. Fateor in hoc iudicio *homo eſt animal rationale* nullam reperiri ſimplicem apprehenſionem, quia iudicium non componitur ex apprehenſionibus vt benè docet Hurtad. verumtamen non aſſentior Hurtado aſſerenti definitionem extra iudicium per ſimplicem apprehenſionem, factam, ex vi cuius percipio *animal rationale*, non eſſe obiectum Logicæ, quod ſic impugno. Hæc apprehenſio *animal rationale* verè attingit partes Metaphyſicas hominis diſtinctè cognitas, quarum vna eſt genus & altera eſt differentia, & in omnibus eſt conformis præceptis definitionis, quod non habet alia apprehenſio *animal ſenſitiuum* ſeu *animal ſenſitiuum rationale*: ergo hæc apprehenſio eſt iuxta regulas Logicæ quod alia non habet: ergo hæc apprehenſio eſt Logicæ obiectum.

29 Dices apprehenſionem hanc eſſe iuxta Logicæ præſcriptum, nihilominus nõ eſſe de præceptis Logicæ directam, quia independenter ab his fuit in mente excitata, & in ordine ad hanc apprehenſionem perinde ſe habent præcepta Logicæ, ac ſi non eſſent. Addes conſequenter, quod ait Hurt. præcepta Logica nõ eſſe de definitione facienda extra iudicium, quia fruſtrà traderentur præcepta de illo quod vi præceptorum fieri nequit, ſed de definitione incluſa in iudicio, quo quis dicit, *homo eſt animal rationale*, alióve huiuſmodi.

30 Tota rei difficultas in huius ſolutionis doctrina vertitur, nullus enim negare poterit apprehenſionem reſpondentem his vocibus *animal rationale* definitionem continere, in qua nullus ſcrupuloſus Dialecticus vitium deprehendet, & ita non ex alio capite poterit ab obiecto Logicæ extrahi, niſi ex eo quod independenter fiat à præceptis omnibus Dialecticis, & ita illius rectitudo non à Logica acquiſita procedat. Quod ſi intellectus poſſit aliquo præcepto dirigi ad hanc apprehenſionem eliciendam, ipſam intra obiectum Logicæ contineri extra dubium erit. Sentio inhærens doctrinæ traditæ, rectitudinem huius apprehenſionis, ſeu ipſam apprehenſionem, à qua rectitudo non diſtinguitur optimè fieri poſſe dependenter à præceptis Logicis quibus intellectus inſtruitur. Probant hoc nonnulli ex eo quod poſtquàm intellectus apprehendit animal, & apprehendit rationale, & apprehendit hinnibile, & apprehendit mortale, & alias huiuſmodi differentias, poteſt præceptis Logicæ inſtructus coniungere apprehenſionem animalis cum apprehenſione rationalis, & quandam complexam appehenſionem componere, ex vi cuius hominem definiat, quod forſan non ita faceret ſi præceptis Logicæ non eſſet inſtructus, ſed his deſtitutus coniungeret cum apprehenſione animalis aliam aliáſve apprehenſiones, quibus vitioſam redderet definitionem. Hac ratione defendunt ſimplicem apprehenſionem dirigi præceptis Logicæ non tanquam opus artificioſum, ſed tanquam materiam ex qua ſit artificioſum opus; ſicuti diriguntur ligna & lapides in conſtructione domus. Doctrina hæc non omnino placet, quia apprehenſio compoſita non componitur ex duplici ſimplici apprehenſione, ſicuti neque iudicium ex duplici apprehenſione, quod probabo Controu. 5. de anim. Punct. 2. ergo intellectus non poteſt coniungere apprehenſionem ſimplicem animalis, & apprehenſionem ſimplicem rationalis ad conſtruendam hanc complexam apprehenſionem *animal rationale*: ergo præcepta Logicæ non poſſunt intellectum inſtruere ad hanc apprehenſionem eliciendam.

31 His tamen non obſtantibus cenſeo præcepta Logicæ intellectum dirigere ad apprehenſionem compoſitam faciendam ex pluribus ſimplicibus, non quia intellectus ſimplices apprehenſiones in ſe vniat, ſed quia ex obiectis apprehenſis diſtinctis apprehenſionibus ſimplicibus vnã compoſitam conficiat amplectentem obiecta vtriuſque ſimplicis. Exempli gratia, apprehendit intellectus *animal*, & apprehendit intellectus *rationale*, & hoc abſque vllis Logicæ præceptis, vel ſaltem abſque præceptis, quæ verſantur circa definitionem; his habitis apprehenſionibus dicit Logica: annecte obiecta harum duarum apprehenſionum alia apprehẽſione, quæ indiuiſibiliter vtrumque attingat obiectum, quo facto optimam hominis definitionem conſtrues conſtantem genere, & differentia: poſtea voluntas hac cognitione præuenta imperat intellectui apprehenſionem illam, quam conficit intellectus imperatus volitione directiua Logicæ præcepto ſeu cognitione præſcribente quomodo ſit facienda definitio. Itaque apprehenſo animali, & apprehenſo rationali, per apprehenſiones diſtinctas, imperat voluntas præuenta cognitione præſcribente, definitionem faciendam eſſe per apprehenſionem complexam indiuiſibiliter ad vtrumque obiectum terminatam, quam apprehenſionem elicit intellectus, quæ eſt praxis actus Logicæ illiúſque obiectũ.

32 Ex his inferes apprehenſionem animalis, & apprehenſionem rationalis extrinſecè tantùm poſſe dirigi vt materiam, ex qua fiat definitio, quæ non fit ex ipſis apprehenſionibus, quia, vt dicebam, apprehenſio compoſita ex ſimplicibus non componitur, ſed tantùm ex obiectis, ad quæ ſimplices apprehenſiones terminantur.

33 Procedit modò difficultas an ſimplex apprehenſio poſſit in ſe dirigi, vt opus artificioſum, quæ tota deuoluitur ad inquirendum, an apprehenſio, qua conficio genus, vel ſpeciem; ſiue per præciſionem ex parte actus, ſiue ex parte obiecti poſſit à voluntatis imperio dependere. Quia certum eſt apprehenſionem, qua cognoſco animal abſtractum à ſuis inferioribus, & apprehenſionem, qua apprehendo rationale abſtractum a ſuis inferioribus & præciſum ab animali conſtituere verum genus, & veram differentiam, ita vt nullũ vitium contra Logicæ præcepta in his apprehenſionibus poſſit reperiri. Cenſent nonnulli has ſimplices apprehenſiones non poſſe imperari, quia ſi intellectus ſufficientem habet ſpeciem ad illas, neceſſariò elicientur; ſin minus, nullo imperio intercedente elici poterunt. Non aſſentior huic rationi, quia non omnes ſpecies quæ ſunt in intellectu ſufficientes ad aliquem actum, ſemper intellectum ad illum eliciendum determinant, ſed illum conſtituunt potentem elicere actum, ſi determinetur à voluntate ad talem actum eliciendum, vt in omni probabili iudicio certum eſt. Affirmo ergo poſtquã quis cognouit hominem & equum cum aliquibus operationibus ſimilibus & aliis diſſimilibus, & ex præceptis Logicæ cognouit rationem genericam abſtractam ac ſpeciebus diſtinctis habentibus ſimiles operationes, quarum principium confusè cognitum dicitur genus, poſſe voluntatem imperare intellectui, vt abſtrahat principium aliquod commune illarum operationum ſimilium, quod dicetur genus illarum ſpecierum, ex vi cuius imperij intellectus apprehendet principium illarum operationum,

Digitized by Google

tionum, videlicet animal, quod eſt propriè genus conſtitutum formaliter per illam cognitionem, ſi cognitio pertinet ad rationem formalem generis; vel quaſi efficienter, ſi cognitio non pertinet ad rationem formalem generis, ſed illam fingit, &c. Voluntatem poſſe huiuſmodi abſtractionem factam per ſimplicem apprehenſionem, mihi ſuadeo ex eo quod ſcimus intellectum ſubiici voluntati in omnibus actibus, quorum habet principium ſufficiens, & non ad illos neceſſariò determinans, quod habere reſpectu harum apprehenſionum experientia ipſa ſuadet. Secundò quia ſcimus intellectum in pluribus actibus voluntari obedire, & nulla eſt ratio, quæ huiuſmodi apprehenſionem ab illius eximat imperio. Tertiò quia ipſa experientia compertum eſt nos pro noſtræ voluntaris libertate modò apprehendere rationem animalis præciſam, modo rationem rationalis, & alia huiuſmodi prædicata vniuerſalia.

34 Obiicies: quando voluntas imperat hanc apprehenſionem, ex vi cuius conſtituitur vel efficitur vniuerſale; iam intellectus cognoſcit illam apprehenſionem: ergo cognoſcit illius obiectum per eandem cognitionem, quâ apprehenſionem cognouit: ergo iam habet apprehenſionem de illo obiecto, cuius apprehenſionem imperat; ergo iam ſupponitur factum genus, aliúdve vniuerſale ad quod faciendum imperatur apprehenſio. Confirmatur: eo ipſo quod voluntas imperet intellectui apprehenſionem circa principium ſentiendi commune homini, & equo, iam ſupponitur intellectus cognoſcens hoc principium commune: ergo iam ſaltem ſupponitur apprehendẽs tale principium: ergo iã ſupponitur conſtruens vniuerſale: ergo vniuerſale nunquam fit Logicæ præceptis, vel ſi aliquando fit, illius effectio eſt ſuperflua, cùm iam ſupponatur factum ex alia apprehenſione præcedente actum imperij Logicæ præceptis directum. Reſpondeo actum voluntaris imperare in actu primo conſtructionem vniuerſalis, ſeu principij communis omnium actuũ ſciendi, non verò hanc ſpecialem conſtructionẽ vniuerſalis, ſeu hoc ſpeciale *animal* quod nondum intellectus agnouit, licèt ex illo imperio hoc vniuerſale ſpeciale procedat, ſicuti cũ voluntas imperat intellectui inquiſitionẽ rationum ad aliquam concluſionẽ probandam, & ex vi huius imperij intellectus inquirit, & hanc ſpecialẽ inuenit rationem, quam nunquam intellectus in particulari apprehenderat. Ex quo fit non ſupponi ad illud imperium, ex quo procedit conſtructio huius vniuerſalis *animal*, cognitionem aliquam de apprehenſione ſpeciali, per quam fit, neque de illius ſpeciali obiecto, ſed in cõmuni de aliqua apprehenſione, cuius ſpecialem naturá nondum intellectus perſpectá habebat. Sic contingit in omnibus ſciendi inſtrumentis, quia antequam intellectus apprehendat in particulari demonſtrationem aliquá, quâ concludatur hominem eſſe riſibilem, eo ipſo quod proponatur intellectui hoc obiectum, *homo eſt riſibilis*, eſſe demonſtrabile, voluntas imperare poteſt intellectui vt obiectũ demonſtret, quod præſtabit intellectus per hanc numero demõſtrationem, cuius principia ipſe inquiret.

35 Obiicies primò: Simplex apprehenſio eſt vnicus ſimplex actus: ſed vnicus actus non eſt capax directionis: ergo ſimplex apprehenſio non eſt capax directionis. Reſpondent nonnulli ſimplicem actum nõ eſſe capacẽ directionis, vt opus artificioſum, benè tamen vt materiam ad opus artificioſum conducentem; ego verò hac ſolutione prædicto argumento ſatisfacere non poſſum, quia dixi ſimplicem apprehenſionem dirigi vt opus in ſe artificioſum. Reſpondeo negando minorem, quia ſimplex actus conformis poteſt eſſe regulis artis, & ita poteſt regulis dirigi, quibus ſit conformis. Neque obſtat non poſſe malè fieri, quia directio non ſemper deſeruit vt idem opus, quod poſſet malè fieri, rectè fiat, ſed vt fiat opus intrinſecè rectum, quod ſine directione, quoad ſubſtantiam non fieret: ſed de hoc latiùs.

36 Obiicies ſecundò: Dialectica nullum tradit præceptum ad ſimplices apprehenſiones eliciendas, neque illa docemur obiecta apprehendere: ergo Dialectica non reſpicit ſimplices apprehenſiones tanquam proprium illarum obiectum. Reſpondeo Dialecticam non tradere præcepta ad apprehenſiones faciendas præciſè, vt ſunt cognitiones, ſed quatenus ſunt formæ conſtituentes vniuerſale, vel illius effectiones, & quatenus ſunt definitiones alicuius obiecti: docemur enim præceptis Logicæ quales debeant eſſe apprehenſiones, vt huiuſmodi munera præſtent, & quibus debemus, vti ad definiendum, diuidendum, quod fit per ſimplicem apprehenſionem; ex vi cuius cognoſcútur diſtinctè obiecta, quæ antea inſtar vnius fuerant præcognita, & ad conſtruendum vniuerſale, quæ omnia ad Dialecticam, & ad ſciendi modum ſpectant.

§. V.

An ens rationis ſit obiectum Logicæ.

FRequens eſt in Thomiſtarum ſchola ſententia, quæ docet obiectum Logicæ eſſe ens rationis. Ita ſentire 37 videtur D. Thom. 4. Metaphyſ. lect. 4. part. 2. quam ſententiam illi adſcribunt Sot. quæſt. 1. Proœm. vbi citat alia loca S. Thom. Ægid. Romanus initio Elench. Tol. quæſt. 5. proœm. Fonſ. lib. 2. Met. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 3. P. Rub. qu. 6. concl. 2. qui omnes vno Fonſeca dempto S. Thomam ſequuntur; eandem ſententiam tenet Durãdus in 1. diſt. 33. quæſt. 1. num. 10. Cæterùm P. Hurt. ſubſect. 1. & 2. præcipuè à §. 53. optimè probat Angelici Doctoris mentem eſſe, obiectum Logicæ eſſe noſtros formales conceptus, qui entia rationis dicuntur, quia efficienter ab intellectu procedunt, & in intellectu ſubiectiuè, & ab intellectu eſſe habent, ac proinde cũ ratio pro intellectu ſumatur, optimè noſtræ ratiocinationes entia rationis dicuntur, quia à ratione, hoc eſt ab intellectu procedunt, & in ratione ſubiectantur. In eodem ſenſu rectè interpretatur Ariſtotelem, & ferè omnes Doctores pro hac ſententia ſuprà citatos, quos legitimè ab Hurtado exponi præcipuè Angelicum Doctorem conſtabit legenti, teſtimonia ab ipſo adducta, quæ omitto, quia apud ipſum facilè videri poſſunt.

Obiectum Logicæ non eſſe ens rationis, hoc eſt ens 38 ratione fictum fert communis ſententia, quam amplector iuxta doctrinam traditam, ex qua ita clarè infertur vt noua probatione non indigeat. Vnico verbo diſcurſum inſinuo: Obiectũ Logicæ ſunt operationes noſtri intellectus: hæ non ſunt entia ficta ſed realia, ſed realiter ab intellectu producta, & in intellectu recepta: ergo obiectum Logicæ eſt aliquid reale & non ratione fictum. Quod ſi dicas, præter operationes intellectus, quæ ſunt reales, etiam entia rationis ad obiectum Logicæ, ſpectare, facilè viam hanc ex præiactis præcludam. Si ens rationis aliquo modo pertineret ad obiectum Logicæ, maximè quia eſt obiectum conceptuum formalium ad Logicam ſpectantium: Sed obiectum conceptuum formalium non eſt obiectum Logicæ, ergo nulla ratione entia rationis poſſunt ad obiectum Logicæ pertinere. Tradunt maiorẽ omnes, qui aſſerunt obiectum Logicæ eſſe ens rationis. Minorẽ ex profeſſo ſuprà probaui; obiecta enim conceptuum formaliũ ſunt conceptus obiectiui, & hos nõ pertinere ad primariũ Logicæ obiectũ multis oſtẽdi.

Ex hac doctrina totum ſententiæ contrariæ fundamen- 39 tum euertitur, ſic enim illius propugnatores arguunt: Logica agit de definito, de genere, de differentia, & ſpecie & aliis ſecundis intentionibus. Sed definitum vt definitum, genus, differentia, & ſpecies ſunt entia rationis: ergo agit de entibus rationis. Reſpondeo; Logicam primariò non agere de definito vt definito, neque de genere, differentia, aut ſpecie quatenus ſunt obiecta ficta à noſtro intellectu, ſi verum eſt hæc eſſe obiecta ficta; ſed de actibus, ſeu de operationibus, ſeu cognitionibus, quibus hæc obiecta finguntur, quas reales eſſe nemo ibit inficias, quia obiectum fictum non poteſt fingi, niſi per realẽ cognitionem, ex vi cuius habet eſſe obiectiuè in intellectu. Dixi non agere de his quatenus ſunt obiecta ficta, ſi talia eſſe verum eſt, quia exiſtimo definitum vt definitum, genus, differentiam, & ſpeciem eſſe entia realia, ac proinde etiamſi Logica de his ageret, non ageret de obiectis fictis. Hæc obiecta non eſſe ficta, ſed realia ſic probo. Definitum vt definitum tantùm importat denominationem extrinſecam deriuatam à cognitione, in qua formaliter conſiſtit definitio, ſeu à definitione formali: verbi gratia homo vt definitur dicit hominem vt cognitum ex vi cognitionis reſpondentis his vocibus *animal rationale*, quæ cognitio eſt formaliter definitio, & ſuum obiectum definitum denominat. Sed hæc extrinſeca denominatio non eſt ens fictum, ſed ens reale indiſtinctum à ſubiecto denominato, & à forma denominante:

Digitized by Google

nante:ergo definitum vt definitum non dicit quid fictum, ſed tantùm quid reale extrinſecum. Definitum vt definitum tantùm importare extrinſecam denominationem à definitione deriuatam:ſicuti viſum vt viſum, & cognitum vt cognitum ſimiles denominationes important procedentes à cognitione & viſione, negabit nemo: has denominationes extrinſecas non eſſe entia rationis, ſed realia probo Controu. 12. Met. Punct. 5. Genus, differentiam, ſpeciem, & alia huiuſmodi concreta non eſſe entia rationis,ſed realia intentionalia conſtabit ex dicendis Controu. 3. vbi probabo vniuerſale, & conſequenter omnes illius ſpecies in quibus continentur concreta ſuprà relata, conſtitui formaliter per cognitionem realem terminatam ad obiecta realia, nullâ fictione intercedente; ac proinde etiamſi Logica reſpiciat tanquam proprium obiectum vniuerſale,genus,& ſpeciem, nullum fictum obiectum reſpiciet, quia animal vt vniuerſale, & vt genus reſpectu hominis, & equi tantùm dicit cognitionem quandam confuſam,in qua conſiſtit forma vniuerſalis,& forma generis, quæ extrinſecè dat conceptui obiectiuo animalis denominationem vniuerſalis, & talis vniuerſalis, videlicet generis,& ſic in quibuſcumque aliis ſpeciebus vniuerſalis contingit, quæ tantùm important extrinſecam quandam denominationem ab hac, vel ab illa cognitione tanquam à forma deriuatam.

40 Agit ergo Logica de vniuerſali, genere, & ſpecie ſecundùm id quod formaliter dicunt, hoc eſt,de formis per quas vniuerſale, & illius ſpecies conſtituuntur, quæ ſunt cognitiones reales; quod ſi cognitiones iſtæ non conſtituerent formaliter vniuerſale,& illius ſpecies,ſed tantùm terminarentur ad formas fictas ex vi ipſarum cognitionum,per quas formas vniuerſale, illúſque ſpecies conſtituerentur,quod ita fieri multi probabiliter ſentiunt, tunc non diceretur Logica agere tanquam de obiecto primario, de formis vniuerſalis,& ſpeciebus vniuerſalis, ſed de cognitionibus, ex vi quarum fierent tales formæ fictæ, quia formæ fictæ in ſe ipſis dirigi non poſſent,ſed in cognitionibus, ex vi quarum fierent; implicat enim obiecta ficta directionem aliquam habere,præter directionem intrinſecè inhærentem cognitionibus,quæ extrinſecè obiecta directa denominant, non enim aliâ ratione obiectum benè, vel malè cognitum poteſt conſtitui, niſi quatenus cognitio ad illud terminata benè vel malè ſe habet, & tantùm poteſt arte fieri obiectum ſiue reale,ſiue rationis conſtitui rectè cognitum, quatenus poteſt arte fieri conſtitui rectam cognitionem ad illud terminatam.

41 Ex his inferes,quod etiamſi genus, aut ſpecies pro materiali ſit ens rationis,vt cùm chymæra conſideratur tanquam quid ſuperius reſpectu hircocerui, & hippocétauri; non ideo Logicam agere de ente rationis, quia Logica immediatè & per ſe non reſpicit tanquam proprium obiectum materiam, ex qua ſit vniuerſale, ſed cognitionem per quam ſit, ſiue hæc ſit forma vniuerſalis, vt ego cum multis ſentio,ſiue tantùm terminetur ad formam illius vt alij opinantur. Quod ſi Logica inquirat, quæ ſit materia, & quæ ſit forma vniuerſalis, ideo eſt, quia Logica intendit dirigere cognitionem, in qua conſiſtit, vel ex vi cuius fingitur forma vniuerſalis & cognitionem terminatam ad materiam vniuerſalis, & ideo non poteſt non ſecundariò de harum cognitionum obiectis agere.

42 Obiicies primò: Ariſtotelem 4. Met. text. 5. dicentem Dialecticum & Metaphyſicum agere de omni ente: Sed Metaphyſicus agit de ente reali:ergo Logicus agit de ente rationis. Abſurdè ſatis hoc Philoſophi teſtimonium ad rem hanc adducitur, ſi enim aliquid probaret, ex illo inferretur Logicum agere de omni ente rationis vniuerſaliter ſumpto, quod Dialecticum eſſe errorem affirmat P. Suar. diſput. 50. Met. initio. Aliter intelligendus eſt Ariſtoteles, videlicet de ente reali reſpectu Dialectici & Metaphyſici, de quo ſecundùm ſe ſumpto agit Metaphyſicus, & de eodem formaliter vt definibili, & vt demonſtrabili, & ſub aliis denominationibus, quas participat à ſciendi inſtrumentis agit Dialecticus, quod tantùm eſt agere de definitione,de demonſtratione, & de aliis ſciendi inſtrumentis.

43 Ad quæcumque alia teſtimonia, quæ ex Ariſtotele & S.Thoma adducuntur, reſpondendum eſt, per ens rationis non intelligi ens fictum, ſed ens à ratione ſeu ab intellectu factum, quod frequenter apud Ariſtotelem, & S.Thomam ens rationis appellatur. Sic Ariſtoteles 6. Politic.cap.14. vbi artes intellectuales, artes rationis vocat, & S. Thom.opuſcul.47.ſyllogiſmum vocauit actum rationis,& opuſc.48.in tract.de demonſtratione cap.14. ſcientiam appellat motum rationis.

Obiicies iterum:Contrariorum eadem eſt ſcientia, ſeu diſciplina: Sed Logica agit de definitione reali:ergo agit de definitione fictâ, ſeu de definitione rationis: ergo agit ſaltem inadæquatè de ente rationis. Confirmatur: quia Metaphyſicus agit de ente reali,agit de ente rationis,quod opponitur enti reali: ergo quia Logicus agit de definitione formali reali, debet agere de definitione formali rationis, quæ illi opponitur. Eodem argumento poterit pobari quamcunque aliam ſcientiam agere de ente rationis, Theologia enim, quæ agit de Deo reali, dicetur eadem ratione debere agere de Diis fictis, qui opponuntur Deo vero, & reali; & facultas, quæ agit de vera Medicina dicetur agere de Medicina ficta. Reſpondeo definitionem rectam, de qua agit Dialecticus non opponi contrariè cum definitione rationis,ſed cum definitione vitioſa, quæ non eſt iuxta regulas rectæ definitionis, & ita Dialectica, quæ agit de recta definitione, etiamſi debeat agere de definitione illi contrariè oppoſitâ, non debet agere de definitione rationis. Ad confirmationem deſumptam ex Metaphyſica, Reſpondeo obiectum Metaphyſicæ eſſe conceptum entis realis abſtractè ſumptum,cui tantùm poteſt ens rationis opponi, quia vnum contrarium debet eſſe extra aliud, & extra ens reale præter ens rationis nil poteſt excogitari,quod illi opponatur. 44

§. VI.

De rectitudine, & directione operationum intellectus, & artificio Logicâ præſcripto.

DVplex eſt directio, quædam actiua, alia paſſiua,vel formalis. Directio actiua eſt dictamen illud, ex vi cuius præſcribitur modus, quo faciendum eſt opus quod dicitur directum, actus verbi gratia quo dicit Logicus, *definitio debet conſtare genere, & differentiâ*, & actus quo dicit Architectus: *ædificium debet habere hanc proportionem longitudinis cum latitudine.* Directio paſſiua vel formalis eſt ratio illa, ex vi cuius opus arte factum conforme eſt dictamini præſcribenti modum, quo faciendum eſt,quod in ædificio erit hæc proportio longitudinis cum latitudine,& in definitione hæc compoſitio ex genere,& differentia,quæ correſpondent duplici directioni actiuæ ſuprà explicatæ. Directio actiua extrinſeca eſt operi directo, & directioni formali, fertur enim actiua directio in opus directum, & in illius directionem tanquam in obiectum quod præſcribit,& ad quod faciendum dirigit operantem. Directio formalis ſeu paſſiua extrinſeca eſt operi directo, & in illo reperitur: intrinſeca enim eſt definitioni compoſitio ex genere,& differentia, & ædificio proportio longitudinis,& latitudinis,quam habet. 45

Cæterùm in ipſo opere directo duplicem directionem poſſumus intueri, quandam intrinſecam, extrinſecam aliam. Directio intrinſeca eſt illa, ex vi cuius opus eſt conforme præceptis artis, ſiue ab illis proceſſerit, ſiue non. Sic definitio conſtans genere, & differentia dicitur iuxta præcepta Logicæ, etiamſi caſu facta fuerit nullo præuio dictamine Logico,& hæc directio ſumitur formaliter ab aliquo intrinſeco rei directæ. Aliter poteſt dici opus extrinſecè directum,quatenus de facto eſt obiectum directionis actiuæ,à qua procedit,& à qua tanquam à forma extrinſeca dicitur directum, ſicuti dicitur obiectum viſum à viſione,quam terminat. Hac directione extrinſecâ carebit definitio quantumuis exacta,quæ caſu facta fuit, ſeu ab homine ignaro ſeu oblito præceptorum Logicæ, quæ horum actuum obiectum non eſt, neque ab illis dependet, eademque directione extrinſecâ gaudet definitio, quæ procedit à dictamine præſcribente modum, quo facienda eſt, cui dictamini conformis euadit, & cuius dicitur praxis ſeu operatio. Itaque hæc eadem definitio *animal rationale*, quæ ſemper eſt intrinſecè directa, habebit directionem extrinſecam ſi procedat à directione actiua,ſeu à dictamine præſcribente modum quo facienda eſt, & extrinſeca directione carebit, ſi non procedat ab illa directione actiua à qua tanquam obiectum à cognitione, quæ eſt directio,denominetur cognita, & directa. 46

Directio extrinſeca in opere directo nullá perfectionem formaliter

Digitized by Google

formaliter imperat, tantùm enim ordinatur vt ſit cauſa directionis intrinſecæ, in qua conſiſtit perfectio operis, directi: quod ſi hæc directio intrinſeca fiat abſque vlla extrinſeca directione, à qua opus factum denominetur extrinſecè directum, nihil in illo opere deſiderabitur, vt abſolutè dicatur perfectum; non enim perfectius quis dicit eſſe ædificium factum regulis artis alio, eodémve caſu facto, ita tamen vt ſi regulis artis fieret, non alia ratione, ſed eadem omnino faciendum eſſet, neque quis eum ſyllogiſmum contemplatur, inquirit an proceſſerit à Logica naturali, vel acquiſita, ab homine conſcio vel ignaro præceptorum Logicæ, ſed an ſe habeat ad rectitudinem formalem intrinſecam, ex vi cuius conforme ſit præceptis Logicis ſiue ab illis proceſſerit, ſiue independenter ab illis fuerit factum.

48 Totum Logicæ artificium ſitum eſt in hac formali rectitudine, eo enim ipſo quod definitio, diuiſio, & ſyllogiſmus habeant hanc formalem rectitudinem, ex vi cuius definitio in ſe conformis ſit omnibus præceptis, nil deſideratur: ſed eo ipſo quod ſit exacta definitio, habet omne artificium definitionis, ſine quo non poſſet eſſe definitio: ergo eo ipſo definitio ſit conformis omnibus præceptis de definitione traditis ſiue ab illis dependeat, ſiue non, habebit omne artificium definitionis.

49 Hæc directio intrinſeca, ſeu hoc Logicæ artificium, quod reperitur in quolibet ſciendi inſtrumento, non diſtinguit ab ipſis conceptibus formalibus. Vt rem clariùs explicem, præmitto inſtrumentum ſciendi poſſe dici conſtare vnico tantùm conceptu formali, ſeu vnica cognitione: vel poſſe dici conſtare duplici formali conceptu, ſeu duplici cognitione, quo admiſſo aſſero directionem, ſeu artificiũ inſtrumenti ſciendi includentis vnicum tãtum cõceptum formalem ab hoc non diſtingui, & directionem inſtrumenti ſciendi includentis duos, treſve conceptus formales non diſtingui ab his tribus actibus ſimul ſumptis. Concluſionem ſic explicatam probo: poſito ſimplici conceptu repræſentante animal rationale, ex vi cuius diſtinctè cognoſcuntur partes Metaphyſicæ hominis, ſi hoc complexum *animal rationale* per eundem actum repræſentatur, vt communis fert opinio, quam ego defendo Controuerſ. 5. de anima, Punct. 2. ſecluſo quocumque alio datur exacta hominis definitio formalis: ergo nulla alia directio ſeu nullum artificium ſuper additum requiritur ad exactam definitionem: ergo artificium, quod importat exacta definitio, non eſt quid ſuper additum huic conceptui formali, ſeu huic ſimplici cognitioni, ex vi cuius cognoſcitur animal rationale. Secundò iudicium, quo ego dico homo eſt animal, quod ſimplicem actum indiuiſibilem importare probo eadem Controu. 5. de anima Punct. 2. quocumque ſuperaddito ſecluſo eſt enunciatio ſuperioris de inferiori: ergo eſt prædicatio directa & formalis, iuxta regulas Logicæ: ergo per ſe ipſum habet totam directionem Logicam, ſeu totum Logicæ artificium: ergo nihil requiritur ſuperadditum, vt hoc iudicium ſit intrinſecè directum. De inſtrumento ſciendi quod conſtat pluribus cõceptibus formalibus eodem modo arguo. Pono definitionem hanc *animal rationale* includere duplicem conceptum formalem ſeu duplicem cognitionem, quandam terminatam ad animal; aliam ad rationale: eo ipſo quod daretur hæc duplex cognitio, quædam terminata ad animal, alia ad rationale; ex vi vtriuſque intellectus cognoſceret animal rationale: ergo vtraque conſtitueret definitionem hominis: ergo in vtraque conſiſtet totum artificium definitionis. Idem dicam de iudicio, ſi velis defendere conſtare tribus actibus realiter diſtinctis. Eadem ratione argno in ſyllogiſmo: eo ipſo quod dentur hæc iudicia: *Omnis homo eſt animal*: *omne animal eſt ſenſitiuum*: & poſtea aliud procedens ex his duobus: *ergo omnis homo eſt ſenſitiuus*, datur ſyllogiſmus perfectus: ergo ſyllogiſmus non includit directionem aliquam ſuperadditam his iudiciis, ſi in his tribus ſyllogiſmus conſiſtit: ergo nulla directio ſuperaddita his iudiciis requiritur ad rectum ſyllogiſmum conſtituendum, ſiue probabilem, ſiue demonſtratiuum, eùm enim duo priora iudicia ſint probabilia, ſyllogiſmus erit probabilis, & cum fuerint euidentia ſyllogiſmus demonſtratiuus euadet.

50 Ratio à priori facilis eſt: directio formalis & intrinſeca conceptuum formalium eſt modus, quo attingunt obiecta, & hæc ex vi illorum cognoſcuntur: ſed in cognitione non diſtinguitur ratio cognoſcendi, & modus cognoſcendi, & ratio attingendi, & modus attingendi obiecta: ergo in cognitionibus non diſtinguitur directio ipſarum ab ipſis cognitionibus: ergo idem eſt dari hos conceptus, ſeu formales, & hos hanc habere rectitudinem, hanc directionem, ſeu hoc Logicæ artificium.

Ex hoc inferes eundem numero conceptum, eoſdémve indiuiſibiliter ſumptos non poſſe benè, & malè dirigi quia directio & indirectio ab ipſis non diſtinguitur, ſed eatenus dicitur Logica dirigere conceptus formales, quatenus præſcribit elicientiam eorum, qui per ſe ipſos ſunt, directi, & prohibet elici alios, qui per ſe ipſos ſunt indirecti. Similiter in inſtrumento, quod conſtat duplici conceptu formali poteſt dici Logica dirigere hunc conceptum formalem iam elicitum, quatenus dictat coniungendum eſſe cum hoc eliciendo, & non cum alio: exẽpli gratia, poſtquam quis habet hos duos conceptus formales, *omnis homo eſt animal*: *omne rationale eſt homo*, poteſt Logica illos dirigere præſcribendo elicientiam huius *ergo omne rationale eſt animal*, cum quo priores coniungantur, & omnes ſimul habeant rectitudinem ſyllogiſticam, quam duo priores non haberent, ſi coniungerentur cum iſto: *ergo omnis homo eſt rationalis*. 51

Inferes ſimiliter in conceptibus formalibus non poſſe diſtingui dirigibilitatem ab ipſa directione actuali intrinſeca, quia cum per ſuammet entitatem dirigantur, non poſſunt concipi cum potentia vt dirigantur, neque cum indifferentia ad directionem, niſi eadem ratione, qua impropriè dicere ſolemus entitatem eſſe indifferentem ad exiſtendum, quæ indifferentia non importat aliquam potentiam phyſicam; ſed tantùm Logicam, aut Metaphyſicam. Dixi non diſtingui directionem actualem intrinſecam à dirigibilitate, quia reſpectu inſtrumenti quod conſtet pluribus conceptibus poſſimus in aliquibus eorum ab aliis ſeparatis concipere aliquam dirigibilitatem, ſeu potentiam vt dirigantur; Exempli gratia, hi duo conceptus *omnis homo eſt animal*: *Petrus eſt homo*, nondum habent directionem ſyllogiſticam, quam habebunt ſi coniungantur cum iſto: *ergo Petrus eſt animal*: ſed poſſunt cognoſci indifferentes ab hoc, vt cum illo coniungantur: ergo poſſunt cognoſci indifferentes ad hoc vt dirigantur. Hæc tamen indifferentia non eſt ad directionem, quam in ſe poſſint habere vt opus artificioſum; ſed vt partes componentes opus artificioſum, videlicet ſyllogiſmum, qui nunquam indifferens eſt ad habendam vel non habenbam directionem, quam eſſentialiter includit. Concludo ergo in opere artificioſo diſtingui non poſſe dirigibilitatem à directione, niſi per dirigibilitatem intelligatur ipſa actualis formalis directio in ſtatu poſſibilitatis; & tunc diſtinguentur dirigibilitas & directio, ſicuti homo exiſtens, & homo poſſibilis, & poſſibilitas, & exiſtentia cuiuſcumque entitatis. Poterit tamen diſtingui dirigibilitas partis componentis opus artificioſum, ab ipſa directione actuali, quia huius dirigibilitas tantùm dicit potentiam partis ad componendum, & actualis directio dicit actualem compoſitionem, quæ conſiſtit in coniunctione partis potentis componere cum alia comparte, ſeu cum aliis compartibus, ex quibus ſimul ſumptis adæquatè reſultat opus artificioſum. 52

Obiicies primò: Rectitudo actus voluntatis diſtinguitur ab actu voluntatis: ergo rectitudo actus intellectus diſtinguitur ab actu intellectus. Reſpondeo, antecedens negari à multis Theologis; nihilominus illo admiſſo conſequentiam à me negari, quia actus voluntatis induit honeſtatem moralem, quæ reſpicit extrinſecas circunſtantias temporis, & loci, aliáſque quàm plures, ex quibus quacumque deficiente deficiet honeſtas actus, ſeu illius moralis rectitudo, quia bonum ex integra cauſa; actus verò intellectus hanc moralem rectitudinem participat aliquando ab actu voluntatis, quæ etiam illi ſuperaddita eſt, in præſenti autem non diſputamus de rectitudine morali, ſeu in genere motis, cuius fundamentum eſt voluntatis libertas, ſed de rectitudine phyſica actuum intellectus, quæ à nulla extrinſeca circumſtantia dependet, datá enim entitate intrinſeca huius formalis conceptus *animal rationale* quocumque extrinſeco ſuperaddito implicat non dari rectam exactamque hominis definitionem. 53

Obiicies ſecundò: Rectitudo domus diſtinguitur ab elementis, ex quibus componitur: ergo rectitudo ſyllogiſmi diſtinguitur à conceptibus formalibus ex quibus compo- 54

nitur

Digitized by Google

nitur, etiam ſimul ſumptis. Reſpondeo negando conſequentiam,quia omnia domus elementa,ſeu tota materia, ex quibus domus conſtruitur, dari poſſunt domo non conſtructâ, quia conſtructio domus addit, ſupra omnia elementa illorum vbicationes ſuperadditas:ex vi quarum domus habet hanc proportionem partium inter ſe, quæ poſſunt ab ipſis elementis ſeparari; aſſenſus verò ex quibus componitur ſyllogiſmus non poſſunt exiſtere, quin exiſtat ſyllogiſmus, qui nihil his ſuperadditum includit, ſed conſiſtit in ipſum coexiſtentia, ſeu in exiſtentia concluſionis, ſuppoſitâ exiſtentiâ præmiſſarum.

55 Inſtabis contra hanc ſolutionem:Ex eiſdem actibus intellectus poſſunt fieri diuerſa ſciendi inſtrumenta: ergo ſciẽdi inſtrumenta diſtinguuntur ab actibus intellectus, etiam ſimul ſumptis.Probatur antecedens. Ex conceptu hominis,& ex conceptu animalis,& ex conceptu copulæ *eſt* poteſt fieri hæc propoſitio, *animal eſt homo*:poteſt itẽ hæc componi,*homo eſt animal*:ergo ex eiſdem conceptibus poſſunt fieri diuerſa ſciendi inſtrumenta.Reſpondeo has propoſitiones non conſtare eiſdem conceptibus, ſed in opinione,quæ aſſerit iudicium importare ſimplicem qualitatem,eſſe omnino diuerſas in nullo communicantes;in opinione verò, quæ aſſerit iudiciũ inuoluere tres cognitiones diſtinctas, cognitionem terminatam ad copulam *eſt* eſſe diſtinctam in his duabus propoſitionibus, quia diuerſus eſt modus annectendi extrema ſignificatus in hac propoſitione,*homo eſt animal*,à modo eadem extrema annectendi ſignificato in hac propoſitione,*animal eſt homo*.

§. VII.

De Obiecto formali Logicæ.

56 OBiectum formale cuiuſuis concluſionis pertinentis ad aliquam ſcientiam ſiue probabilis,ſiue ſcientificæ,ſunt præmiſſæ,ex quibus talis concluſio deducitur,ex vi quarum intellectus concluſioni aſſentitur. Sic obiectum formale huius Logicæ:*Definitio debet eſſe clarior definito*, erunt præmiſſæ ex quibus deducitur,videlicet:*Omne quod deſeruit ad explicandum debet eſſe clarius re explicanda. Sed definitio deſeruit ad explicandum definitum.* Ex quibus legitimè concluditur:*ergo definitio debet eſſe clarior definito.* Et ſic reliqui actus cuiuſuis ſcientiæ reſpiciunt tanquam obiectum formale præmiſſas, ex quibus deducuntur. In quo ſenſu non inquirimus quod ſit obiectum formale Logicæ, aut aliùs cuiuſuis ſcientiæ,ſed tantùm rogamus quæ ſit formalitas in ſubiecto cuiuſuis ſcientiæ, ratione cuius conſtituatur ſubiectum actuum talis ſcientiæ:&cuius paſſiones, & proprietates ſcientia contempletur,ſeu oſtendat practicè,vel ſpeculatiuè,etiamſi talis formalitas non ſit obiectum formale motiuum actus ſcientiæ, quatenus actus habet hanc ſpeciem. Itaque cùm inquiritur, quod ſit obiectum formale ſcientiæ, inquirimus quæ ſit formalis ratio propter quam illa,quę de hoc ſubiecto enunciantur pertineant ad hanc ſcientiam, quæve ratio formalis ad conſtituendum actum pertinentem ad hanc ſcientiam, & materialis in ordine ad conſtituendum actum ſub hac ſpecie determinata, ex pluribus quæ ſub eadem ſcientia continentur. Exemplum ſit in his actibus: *Definitio debet eſſe clarior definitos diuiſum latiùs debet patêre quolibet membro diuidente.* Ratio formalis propter quam vterque pertinet ad Logicam eſt, quia vterque verſatur circa dirigendas operationes intellectus;prior circa dirigendam operationem intellectus ex vi cuius fit definitio;poſterior circa dirigendam operationem intellectus, ex vi cuius fit demõſtratio:& ita ab obiecto vtriuſque abſtrahitur directio operationis intellectus,circa quem vterque verſatur.Si tamen inquiramus, à quo ſpecificetur hic actus ſpecificus,*diuiſum latiùs debet patêre membro diuidente*, neceſſariò dicemus ſpecificari à ſuis præmiſſis,quæ erunt: *Omne totũ latiùs patet ſuâ parte: Diuiſũ eſt totũ:Ergo latiùs patet ſuâ parte.* Ex quibus poſtea infertur: ergo latiùs patet membro diuidente, quod eſt pars illius,& ſic alter actus,*Definitio debet eſſe clarior definito*,ſpecificatur à præmiſſis ſuprà adductis.Ex hoc inferes non quæri cùm inquirimus, quod ſit obiectum formale alicuius ſcientiæ, quod ſit ſpecificatiuum ſingularium actuum ſecundùm propriam vniuſcuiuſque rationem ſpecificam,ſed ſecundùm rationem illam communem,ex vi cuius dicetur pertinere ad talem ſcientiam videlicet ad Logicam,ad Philoſophiam,vel ad Metaphyſicam,quæ ſpecificatio deſumitur ex ratione formali ſubiecti;de quo aliquid enunciatur, ex vi harum vel illarum præmiſſarum,quæ materialiter ſe habet in ordine ad hanc ſpeciem actus ſcientifici conſtituendam,ex pluribus quæ ſunt ſub eadem ſcientia;& potiùs diceretur ratio formalis ſubiecti, quàm obiecti ſcientiæ, eſt enim formalis ratio illius de quo aliquid demonſtratur, & non eſt ratio formalis demonſtrandi, ſeu enunciandi illud, quod dicitur de ſcientiæ ſubiecto.

Duo inſuper ſunt præceptorum genera,quæ poſſumus 57
in Logica reperire:quædam poſitiua, alia negatiua. Præcepta poſitiua ſunt, quibus dicitur:*Definitio debet componi ex genere & differentia:In ſyllogiſmo rectè concludente maior extremitas debet in concluſione ex parte prædicati collocari.* Præcepta negatiua ſunt quibus dicitur:*Syllogiſmus non debet habere quatuor terminos.Membra diuidentia non latiùs debent patêre ſuo diuiſo*,& alia huiuſmodi.Præcepta poſitiuâ immediatè reſpiciunt ipſam rectitudinem ſciendi inſtrumenti,quam per ſe attingunt;compoſitio enim ex genere & differentia,quam præſcribit primum præceptum poſitiuum, eſt ipſa definitionis rectitudo;& collocatio maioris extremitatis ex parte ſubiecti in concluſione, quam attingit vt obiectum; ſecundum præceptum, formaliter pertinet ad rectitudinem demonſtrationis. Præcepta negatiua, etſi ordinentur ad rectitudinem poſitiuam non immediatè illam attingunt, ſed irrectitudinem quam intendunt vitare in ſciendi inſtrumento,præceptum enim, quod dicit,ſyllogiſmus non debet conſtare quatuor terminis,& præceptum quod dicit,membra diuidentia non debent latiùs patere diuiſo,dicunt modum, quo non eſt faciendum ſciendi inſtrumentum, non tamen præſcribunt modum, quo faciendum eſt, & explicant quid debeant non habere ſciendi inſtrumenta,non tamen definiunt quid poſitiuè continere debeant,quod placet pręnotaſſe ad exactiorem explicationem obiecti formalis Logicæ.

PRIMA CONCLVSIO. Obiectum formale Logicæ non 58
eſt directio actiua.Hæc concluſio facillimè probatur:directio actiua eſt præceptum, ex vi cuius præſcribitur modus,quo faciendum eſt ſciendi inſtrumentum.Sed hoc præceptum eſt actus ipſius Logicæ,ſeu ipſa Logica:ergo non eſt obiectum Logicæ, cum Logica à ſuo obiecto diſtinguatur. Maior conſtat ex dictis. Minorem admittunt omnes,qui aſſerunt munus Logicæ eſſe præcepta tradere ad inſtrumenta Dialectica conſtruenda.

SECVNDA CONCLVSIO. Obiectum formale Logicæ 59
non eſt directio extrinſeca operis artificioſi.Probo clarè hæc directio extrinſeca eſt denominatio reſultans ex ipſo actu Logicæ, ſeu ex ipſo præcepto præſcribente modum, quo faciendum eſt ſciendi inſtrumentum:Sed præceptum Logicæ non fertur tanquam in obiectum in denominationem reſultantem ex illo in obiecto, circa quod verſatur:ergo directio extrinſeca inſtrumenti ſciendi, ſeu inſtrumentum ſciendi vt extrinſecè directum per directionem actiuam non eſt obiectum Logicæ.Antecedens conſtat ex dictis. Conſequentiam probo:actus quo ego agnoſco ſyllogyſmum componendum eſſe ex tribus terminis non reſpicit ſyllogiſmum vt cognitum per illum actum,aliàs ſe ipſum reſpiceret & ſupra ſe ipſum reflecteret:ergo non reſpicit ſyllogiſmum vt directum extrinſecè per directionem actiuam.

TERTIA CONCLVSIO. Præcepta poſitiua ſeu aſſenſus 60
Logicæ reſpiciunt in opere artificioſo ipſam directionem intrinſecam formalem indiſtinctam ab ipſo opere artificioſo, & à conceptibus formalibus ex quibus componitur. Probo hanc concluſionem: Obiecta horum actuum: *Syllogiſmus debet conſtare tribus terminis,& Definitio debet conſtare genere, & differentia*, ſunt ipſa conſtructio ſyllogiſmi ex tribus terminis,& ipſa compoſitio definitionis ex genere, & differentia:ſed hæc ſyllogiſmi conſtructio,& hæc definitionis compoſitio important directionem actualem ſyllogiſmi, & definitionis, vt conſtat ex doctrina tradita: ergo obiectum horum actuum eſt directio actualis horum inſtrumentorum. Idem contingit in quocumque præcepto poſitiuo Logicæ,ſeu in quocumque aſſenſu de opere artificioſo, ſeu de ſciendi inſtrumento, cuius obiectum ſemper erit directio formalis intrinſeca ipſius inſtrumenti. Hanc directionem intrinſecam non diſtingui ab ipſo opere

opere artificioſo,& à conceptibus formalibus,ex quibus adæquatè conſurgit ſciendi inſtrumentum probaui ſuprà. Conſtabit etiam ex dicendis de præceptis negatiuis, ſeu de actibus diſſenſus, Logicam formaliter intendere hanc directionem intrinſecam inſtrumenti ſciendi.

61 Qvarta conclvsio. Præcepta negatiua Logicæ ſeu actus diſſenſus verſantur circa poſitiuam indirectionem operationum intellectus, quam vitare intendunt. Ratio eſt facilis: ſicuti actus,quo dicimus,*definitio debet conſtare genere, & differentia*,attingit operationem intellectus propter rectitudinem operationis,ſeu operationum intellectus quam in definitione reperiri intendit Logica; ſic actus quo dicimus *ſyllogiſmus non debet conſtare quatuor terminis*, attingit operationes intellectus quibus fieret vitioſus ſyllogiſmus conſtans quatuor terminis propter irrectitudinem,quæ in talibus actibus, & quia hanc intendit Logica vitare in intellectus operationibus, deteſtatur operationes,in quibus talis irrectitudo reperitur: & ſicuti præcipit fieri operationem,ſeu operationes, in qua vel in quibus reperitur rectitudo definitionis compoſitæ ex genere,& differentia,quia in his operationibus rectitudo reperitur,ſic prohibet fieri operationes,in quibus reperitur rectitudo ſyllogiſmi vitioſi compoſiti ex quatuor terminis,quia in his operationibus hæc irrectitudo,ſeu hoc vitium reperitur:ergo ſicuti præcipiens rectitudinem definitionis reſpicit rectitudinem,quam præcipit in exacta definitione vt obiectū,ratione cuius formaliter actus iſte pertinet ad Logicam; ſic actus prohibens irrectitudinem ſyllogiſmi vitioſi conſtantis quatuor terminis reſpicit irrectitudinem,quam prohibet,ratione cuius formaliter actus iſte pertinet ad Logicam:ergo ſicuti rectitudo,quæ præcipitur,ex vi huius actus:definitio debet conſtare genere,& differentia,eſt ratio formalis propter quam actus ex vi cuius præcipitur,pertineat ad Logicam,irrectitudo,quæ prohibetur,ex vi huius actus ſyllogiſmus non debet conſtare quatuor terminis,eſt ratio, propter quam actus, ex vi cuius hæc irrectitudo prohibetur, pertineat ad Logicam.

62 Qvinta conclvsio. Obiectum formale Logicæ non tantùm eſt rectitudo operationum intellectus, ſed etiam irrectitudo operationum intellectus. Hæc concluſio ex duabus præcedentibus efficaciter probatur. Obiectum formale alicuius ſcientiæ, quod in præſentiarum inquirimus eſt illud ratione cuius actus dicuntur ad illam ſcientiam pertinere; ſed præcepta poſitiua Logicæ, ſeu illius aſſenſus pertinent ad Logicam propter rectitudinem, quam præcipiunt;& præcepta negatiua Logicæ, & illius diſſenſus pertinent ad Logicam propter irrectitudinem,quam prohibent, vt probaui tertia, & quarta Concluſione:ergo rectitudo operationum intellectus eſt ratio,vt ad Logicam pertineat hic actus; & irrectitudo erit ratio vt ad eandem ſcientiam pertineant alij actus: ergo Logica,quæ hos,& illos actus amplectitur rectitudinem,& irrectitudinē vt obiectum formale adæquatum; rectitudinē mediis actibus præcipientibus,& irrectitudi-
63 nem mediis actibus illam prohibentibus reſpiciet.

Sexta conclvsio. Etiamſi irrectitudo operationum intellectus ſit obiectum formale, ex vi cuius aliqui actus pertinent ad Logicam,vt probaui Concluſione 4. & obiectum formale Logicæ non ſolùm dicat rectitudinem operationum, ſed etiam illarum irrectitudinem,abſolutè dicitur obiectum formale Logicæ eſſe rectitudinem operationum, nulla mentione habita de irrectitudine. Statuit hanc concluſionem communis loquendi modus,iuxta quem dicitur rectitudinem operationum intellectus eſſe obiectum formale Logicæ, quod de irrectitudine non dicitur. Deinde plures ſunt rationes quæ illam ſuadent. Primò,quia actus illi, quibus prohibetur irrectitudo pauciores ſunt,& minus pręcipui,quàm actus quibus rectitudo percipitur. Secundò, quia ipſis actibus, quibus prohibetur irrectitudo,intendit Logica rectitudinem ſyllogiſmi, & ita poſſunt dici ordinari ad poſitiuam rectitudinem, eò enim tendit actus,qui dicit ne fiat ſyllogiſmus conſtans quatuor terminis, vt fiat ſyllogiſmus rectus conſtans tribus terminis, & ideo prohibetur irrectitudo vt exerceatur rectitudo, quam præcipit alius actus; non autem ideo præcipitur rectitudo, ne exerceatur irrectitudo:præcepta enim negatiua Logicæ non ſiſtunt in negatione irrectitudinis,ſed ordinantur ad rectitudinem poſitiuam: præcepta autem poſitiua in ipſa rectitudine ſiſtunt,quam per ſe intendant, & ſecundariò irrectitudine auertunt,ne deficiat actibus intellectus debita rectitudo. Tertiò;quia præceptum Logicę prohibens ſyllogiſmum fieri ex quatuor terminis:quaſi præcipit negationem quatuor terminorum in ſyllogiſmo pertinentem ad illius formalem directionem & rectitudinem, ac proinde quaſi immediatè præcipit rectitudinē. Non dixi abſolutè præcipere negationem pertinentem ad rectitudinem, ſed quaſi præcipere, quia ſtrictè loquendo præceptum prohibens ſyllogiſmum ex quatuor terminis componi non præcipit negationem quarti termini in ſyllogiſmo qui tantùm tribus conſtat,quia implicat hunc numero ſyllogiſmum ex tribus tantùm termini compoſitum ex quatuor illius componi,quia conceptus formales illius per ſe ipſo reſpiciunt hos terminos, & per ſe ipſos habent non reſpicere alios, ſed tantùm prohibet fieri loco huius ſyllogiſmum alium per ſe ipſum reſpicientem quatuor extrema, & ex quatuor terminis compoſitum quem tantùm immediatè prohibet, & ob hanc rationem dixi tendere in irrectitudinē ſyllogiſmi vitioſi, ſi enim immediatè tēderet in negationem formalem pertinentem formaliter ad rectitudinē ſyllogiſmi,immediatè tenderet in ſyllogiſmi rectitudinem,& ita nullus daretur actus Logicæ, qui reſpiceret irrectitudinem, tanquam rationem formalem,ex vi cuius ad Logicam pertinebat. 64

Contra concluſiones præcedentes ſuppoſita iam doctrina tradita vix aliquid poteſt obiici, quod ſolutum non ſit,hoc vnum ſupereſt argumentum quod expendo, & ſoluo. Obiectum materiale Logicæ dicit operationes intellectus:obiectum formale dicit earundem rectitudinem ab ipſis indiſtinctam: ergo Logicus tantùm agit de ipſis operationibus formalibus ſecundùm ſe ſumptis, & quatenus ſunt expreſſiones talium obiectorum:ſed Animaſticus agit de eiſdem operationibus ſecundùm ſe ſumptis, & quatenus ſunt expreſſiones ſuorum obiectorum: ergo Logicus, & Animaſticus agunt de eodem formali obiecto. Reſpondeo Animaſticum agere de operationibus intellectus quatenus, ſunt expreſſiones ſuorum obiectorum inferendo eſſe ſpirituales,conſiſtere in qualitate vel in actione,fieri mediis ſpeciebus, vel produci immediatè à phantaſmate;quaſdam eſſe abſtratiuas, & intuitiuas alias;Logicum vero nihil ex his inferre,ſed hanc cognitionem denominare hoc obiectum ſubiectum, & illud prædicatum;hoc diuiſum,& illud membrum diuidens;hoc ſuperius,& illud inferius; hoc antecedens, & illud conſequens & alia huiuſmodi,de quibus non curat Animaſticus, ac proinde longè diuerſo modo operationes iſtæ pertinent ad Animaſticum,& ad Logicum,& ſub diuerſa ratione formali terminãt actus vtriuſque ſciētię.

§. VIII.

De obiecto attributionis.

65 DE obiecto attributionis Logicæ inter noſtros recentiores longa eſt diſſertatio, quam magna ex parte de nomine eſſe cenſeo, quod fatetur Arriaga diſput. 2. ſect. 5. ſubſect. 1. num. 45. multi enim ſibi fingunt definitionem obiecti attributionis,vt iuxta illam facilè defendant obiectum attributionis illud eſſe, quod ipſis tale placuit appellari. Lege Hurtadum,ſi vis diſp. 1. ſect. 8. & Arriagam ſuprà, apud quos diffusè difficultatem tractatam inuenies;ego enim breuiſſimè ab illa me expediam.

66 Pater Suarez diſput. 1. Metaphyſ. ſect. 4. à num. 26. P. Fonſeca 2. Metaphyſ. cap. 3. quæſt. 1. ſection. 5. PP. Conimb. quæſt. 5. artic. 3. P. Rubius quæſt. 6. à num. 21. ſentiunt obiectum Logicæ eſſe modum ſciendi in communi amplectentem definitionem,diuiſionem, & argumentationem.

67 Sotus cum aliis Thomiſtis,quibus conſentiunt Conimbricenſes quæſt. 5. proœmial. art. 3. & apud hos Scotus & Albertus docent obiectum adæquatum attributionis Logicæ eſſe argumentationem in communi.

68 Hurtad. & Arriag. & alij plures recentes affirmant obiectum attributionis eſſe demonſtrationem, ad quam reliqua ordinantur, quæ in Logica docentur.

69 Prima conclvsio. Modus ſciendi in communi non poteſt eſſe obiectū attributionis Logicæ;quod ſic probo. Per modū ſciendi in cōmuni vel intelligitur ratio aliqua abſtracta ex parte obiecti ab omnibus ſciendi inſtrumentis,

Digitized by Google

tis, vel intelliguntur omnia ſciẽdi inſtrumẽnta confuſè cognita;in nullo autem ſenſu poſſe modum ſciendi in communi eſſe obiectum attributionis Logicæ ſic probo. Ratio abſtracta ex parte obiecti ab omnibus ſciendi inſtrumentis non poteſt fieri ab intellectu, qui nunquam poteſt efficere rationes communes,ſed peculiares,videlicet hanc definitionem,hanc diuiſionem,ſeu hunc ſyllogiſmum: ergo Logica non docet quomodo facienda ſit ratio ex parte obiecti abſtracta ab omnibus ſciendi inſtrumentis: ergo non reſpicit tanquam obiectum attributionis aut attributi hanc rationem communem: ergo hæc ratio communis abſtracta non eſt obiectum attributionis Dialecticæ. In poſteriori ſenſu modum ſciendi in communi, hoc eſt, omnia ſciendi inſtrumenta non eſſe obiectum attributionis ſic probo. Obiectum attributionis eſt illud ad quod reliqua omnia obiecta illius ſcientiæ ordinantur,& quod non ordinatur ad aliud:ſed definitio, & diuiſio ordinantur ad propoſitionem tanquam partes illius,propoſitio ad ſyllogiſmum: ergo non poſſunt eſſe obiecta attributionis,quod non debet ordinari ad aliud. Minorem probo:definitio eſt pars propoſitionis, & propoſitio eſt pars ſyllogiſmi. Sed partes ordinantur ad totum:ergo definitio ordinatur ad propoſitionem, & propoſitio ordinatur ad ſyllogiſmum. Mitto alias rationes,quibus Hurtadus,& Arriaga hanc concluſionem impugnant,quibus abſtineo quia mihi efficaces non ſunt.

70 SECVNDA CONCLVSIO. Demonſtratio non eſt obiectum attributionis;quod ſic probo:Syllogiſmus probabilis non ordinatur ad demonſtrationem: ſed Logica agit de ſyllogiſmo probabili:ergo non omnia,de quibus agit Logica ordinantur ad demonſtrationem: ergo demonſtratio non eſt obiectum attributionis.Syllogiſmum probabilem non ordinari ad demonſtrationem probo,ex eo quod non ſit pars illius, neque præſupponatur ad illam, neque aliquo modo ad demonſtrationem pertineat. Rurſus ſyllogiſmus vniuocè diuiditur in demonſtratiuum & probabilem, tanquam in ſpecies eſſentialiter oppoſitas. Sed vna ſpecies non ordinatur ad aliam:ergo ſyllogiſmus probabilis non ordinatur ad demonſtrationem.Dices ſyllogiſmum probabilẽ non ordinari ad demonſtrationem, cognitionem tamen ſyllogiſmi probabilis ordinari ad demonſtrationem,cognitio enim vnius contrarij conducit ad cognitionem alterius,& ob hanc rationem dicitur contrariorum eandem eſſe diſciplinam, ſeu contraria ad eandem ſcientiam ſpectare.Contrà:ob eandem rationem poſſet dici cognitionẽ demonſtrationis ordinari ad ſyllogiſmum probabilem, quia ſicut opponitur contrariè ſyllogiſmus probabilis cum demonſtratione,ita demonſtratio opponitur cum ſyllogiſmo probabili:ergo ex hoc capite non potiori iure dicetur demõſtratio,quàm ſyllogiſmus attributionis obiectũ.Dices demonſtrationẽ eſſe principaliorẽ ſpeciem,& ideo cognitionẽ ſyllogiſmi ordinari ad demonſtrationẽ,& cognitionem demonſtrationis non ordinari ad cognitionẽ ſyllogiſmi.Contrà:etiamſi demonſtratio ſit perfectior ſyllogiſmo,æquè conducunt cognitio ſyllogiſmi ad demonſtrationem faciendam, & cognitio demonſtrationis ad eliciendum ſyllogiſmũ:ergo non magis ordinatur cognitio ſyllogiſmi probabilis ad demonſtrationẽ,quàm cognitio demonſtrationis ad ſyllogiſmum.Deinde in ſpeciebus quæ vniuocè participant rationẽ generis, cognitio ſpeciei imperfectioris non ordinatur ſpecialiter ad ſpeciem perfectiorẽ cognoſcendã, nullus enim dicet cognitionem equi ſpecialiter ordinari ad cognoſcendũ hominẽ, neque cognitionẽ canis ordinari ad cognoſcendũ leonẽ:ergo ex eo quod demõſtratio ſit perfectior ſyllogiſmo probabili,nõ infertur cognitionẽ ſyllogiſmi probabilis ordinari ad demõſtrationem.

71 Aliter probo cognitionem ſyllogiſmi probabilis non conducere ad demõſtrationem.Cognitio ſyllogiſmi probabilis non poteſt cõducere ad diſpoſitionem terminorum demonſtrationis, neque ad modum inferendi conſequens ex præmiſſis, quia hic modus inferendi, & illa terminorum diſpoſitio eadem eſt in ſyllogiſmo probabili & in demõſtratiuo,& præmiſſis ſuppoſitis eadem neceſſitate infertur conſequens in ſyllogiſmo probabili, & in demonſtratiuo, qui tantùm materialiter differunt ex eo quod ſyllogiſmus probabilis componitur ex præmiſſis tantùm probabilibus,& ſyllogiſmus demonſtratiuus, ex præmiſſis euidentibus eadem ratione diſpoſitis:ergo cognitio formæ ſyllogiſmi probabilis non deſeruit ad cognitionem formæ ſyllogiſmi demonſtratiui,cùm prorſus ſit eadem omnino.Sed cognitio materiæ neutiquam poteſt deſeruire,& etiamſi deſeruiret,non diceretur deſeruire cognitio ſyllogiſmi,quia materia ſyllogiſmi ſyllogiſmus non eſt:ergo cognitio ſyllogiſmi probabilis non ordinatur ad cognitionem demonſtrationis.

Quod ſi demonſtratio,& ſyllogiſmus probabilis contrariè opponantur & ad eadem ſcientiam pertineant,non 72 ideo infertur ſyllogiſmum probabilem,neque illius notitiam ordinari ad demonſtrationem; ex hoc enim capite non eſt maior ratio vt ordinetur ſyllogiſmus probabilis,aut illius notitia ad demonſtrationem,quàm vt ordinetur demonſtratio, aut illius notitia ad ſyllogiſmum probabilem, ſæpe enim de vtroque contrario æquè primò agit ſcientia, vt patet in qualitate reſpectu primarum qualitatum, Tunc autem dici ſolet ſcientia ſecundariò agere de aliquo contrario, quando hoc non eſt ſimpliciter tale,neque illius notitia per ſe eſt vtilis,niſi quatenus conducit ad aliud cognoſcendum,ſicuti Metaphyſica,quæ agit de omni ente agit de ente rationis, quia opponitur cum ente reali,& primariò, quia non eſt ſimpliciter ens;& quia illius notitia tantùm eſt vtilis,quatenus conducit ad ens reale cognoſcendum, & ita nulla ſcientia per ſe primariò agit de ente rationis.

TERTIA CONCLVSIO. Obiectum attributionis Logicæ 73 eſt ſyllogiſmus perfectus complectens probabilem, & demonſtratiuum,abſtractus tantùm ex parte modi,& ex parte obiecti includens ſyllogiſmos omnes peculiares demonſtratiuos & probabiles,quos docet Logica facere,& non rationem aliquam illis communem. Concluſio hæc ex præcedenti facilè deducitur, illius rationem breuiter attingo,cuius doctrinam fuſius tradidi. Omnia quæ tractantur in Logica ordinantur ad ſyllogiſmum perfectum,termini enim,definitio,& diuiſio propoſitionem componunt, & hæc ſyllogiſmum: ergo omnia diſtincta à ſyllogiſmo,de quibus agit Logicus, ordinantur ad ſyllogiſmum.Inſuper ſyllogiſmus perfectus,qui complectitur demonſtratiuum,& probabilem non ordinatur ad aliud, de quo agat Logica, neque vnus ſyllogiſmus perfectus ordinatur ad alium,vt probaui concluſione præcedenti:ergo ſyllogiſmus perfectus complectens demonſtrationem,& ſyllogiſmum probabilem eſt obiectum attributionis Logicæ.

Arguit Hurtadus: Sola demonſtratio eſt vltimus finis 74 Logicæ:ergo hæc ſolùm eſt obiectum attributionis.Probat antecedens ex parte intellectus,quia vna demonſtratione, quæ triplicem operationem includit, adæquatè & ſimpliciter perficitur,illud enim eſt finis vltimus alicuius, in quo adæquata illius perfectio continetur. Probat ſecundò ex parte obiecti: finis vltimus alicuius potentiæ eſt ille, per quem exhauritur, & percipitur totum obiectum: ſed intellectus per demonſtrationem tantùm exhaurit, & percipit totum obiectum: ergo demonſtratio tantùm eſt vltimus finis Logicæ. Vrget: potentia cognoſcitiua naturaliter appetit ſuam operationem, & quò perfectior eſt operatio, eò vehementiùs illam appetit, ergo cùm adipiſcitur totam ſuam perfectionem in demonſtratione contentam, in illa tanquam in vltimo fine requieſcet,& nihil amplius appetet. Totam perfectionem intellectus in demonſtratione contineri ſic probat:per demonſtrationem cognoſcuntur eſſentia obiecti, illius principia, proprietates, atque paſſiones perfectiſſimo modo, quo poſſunt cognoſci: ergo nihil ſupereſt cognoſcendum:ergo in demonſtratione inuenit intellectus totam ſuam perfectionem. Reſpondeo demonſtrationem non eſſe vltimum finem intellectus,neque in illa contineri,omnem perfectionem intellectus,ſed hunc referri tanquam in vltimum in demõſtrationem,& ſyllogiſmũ probabilem, quia per vtrumque vltimò perficitur,vterq; enim ſyllogiſmus eſt perfectio intellectus, & neuter ordinatur ad aliam operationem perfectiorem ipſo. Deinde aſſero habita demonſtratione intellectum quieſcere, hoc eſt,non procedere ex demonſtratione ad aliam perfectiorem operationem,qua ratione etiã quieſcit habito ſyllogiſmo probabili,ex quo infero ego vtrũque ſyllogiſmum eſſe finem vltimũ Logicæ,non tamẽ ita quieſcere vt demonſtratione habita intellectus nõ appetat ſyllogiſmum probabilem,quia intellectus nõ tantùm appetit cognoſcere omnia obiecta perfectiſſimo modo, quo poteſt illa cognoſcere,ſed cognoſcere omnia obiecta omnibus

omnibus modis quibus perfectè cognoſci poſsũt,& cùm obiecta ſint cognoſcibilia per ſyllogiſmum probabilem, & per demonſtrationem, ſit appetere illa vtroque modo cognoſcere,etſi vehementiùs appetat modum perfectiorem cognoſcendi,videlicet demonſtrationem, quod non impedit ipſum appetere minùs vehementer ſyllogiſmum probabilem propter ſe ipſum,tanquam finem vltimum inadæquatum.

75 Inſtat Hurtadus:quidditatiua,& propria hominis perfectio eſt eſſe cognoſcitiuum per diſcurſum, quod ſonat rationalitas:ſed hæc virtutem diſcurrendi reducit ad actũ per demonſtrationem:ergo demonſtratio eſt propria hominis cognitio, & exercitium illius differentiæ eſſentialis per ordinem ad quod hæc differentia deſumitur.Sed quælibet potentia amat tanquam perfectionem ſibi vltimò expetibilem illam operationem , per ordinem ad quam conſtituitur eſſentialiter : ergo demonſtratio eſt quod vltimò appetit humanus intellectus. Eidem maiori hanc ego minorem ſubiicerem , ſed intellectus eam virtutem diſcurrendi reducit ad actum per demonſtrationem & per ſyllogiſmum probabilem ; & deinde inferrem : ergo demonſtratio, & probabilis ſyllogiſmus, ſeu omnis perfectus ſyllogiſmus eſt propria hominis cognitio, & exercitiũ differentiæ, per quã conſtituitur, & vltimus finis potentiæ intellectiuæ.Reſpondeo omnem ſyllogiſmum perfectum pertinere ad vltimum finem intellectus,& eſſe exercitium propriæ differentiæ,& propriiſſimam ratiocinationem , non enim minus raciocinatur in ſyllogiſmo probabili, quàm in demonſtratiuo, in vtroque enim eodem modo procedit,& ſeruat eandem formam inferendi vnum ex alio, tantùm enim differunt ratione materiæ.

76 Obiicies:Definitio ex ſe non ordinatur ad propoſitionem , neque propoſitio ordinatur ad ſyllogiſmum perfectum:ergo ſyllogiſmus perfectus non eſt obiectum attributionis. Reſpondeo definitionem ex ſe habere virtutem componendi propoſitionem, & propoſitionem ex ſe illatiuam cõcluſionis, quod ſufficit,vt definitio ad propoſitionem, & propoſitio ad ſyllogiſmum ordinari dicantur. Inſtabis,eodem modo poſſe dici ordinari ad ſyllogiſmum fallacem. Reſpondeo ſyllogiſmum fallacem propriè non eſſe ſyllogiſmum,quia de ratione ſyllogiſmi eſt,vt conſequens ex præmiſſis inferatur;nihil autem infertur in ſyllogiſmo fallaci,& ita ſyllogiſmus non eſt,ſed tantùm habet apparentiã quandam terminorũ, quia fallimur exiſtimantes eſſe verum ſyllogiſmum , & ita cùm Logica agit de ſyllogiſmo,tantùm ſecundariò agit de ſyllogiſmo fallaci,qui ſimpliciter non eſt ſyllogiſmus;ſicuti Metaphyſica diſputat de ente rationis quod ſimpliciter non eſt ens.

PVNCTVM II.

De diuiſione Logicæ docentis & vtentis.

1 MVlta nonnulli ſcribunt de diſtinctione Logicæ docẽtis,& vtentis,in qua quæſtione nihil inuenio,quod de nomine non ſit, in re eniũ apud omnes vna omnium mens, quod paucis rectè oſtendit Arriaga diſp.3. ſect.1. Certum eſt Logicum tradere præcepta rectè definiendi, diuidendi , & argumentandi, inſuper eſt certum ipſam Logicam, & reliquas ſcientias vti his præceptis. Inſuper eſt certum Logicam tradere hæc præcepta , & ipſam Logicam reliquáſque ſcientias illis vti non ſolum in vna vel in altera materia,ſed etiã in quacumque materia ſiue euidenti,ſiue probabili.En doctrinam Logicæ,quam ipſa tradit,& vſum eiuſdem Logicæ tum in ſe ipſa,tum in aliis materiis;nunc ex hac doctrina & hoc vſu Logica docens, & Logica vtens deſumenda eſt,quibus autem actibus hæc aut illa denominatio ſit largienda,quæſtio eſt purè de nomine. ſiue enim dicas Logicam vtẽtem eſſe tantùm ipſam Logicam , quatenus ſuis præceptis vtitur , ſiue dicas eſſe actus omnium ſciẽtiarum,quatenus præceptis Logicæ dirigũtur,nihil reale apponis diſtinctum in his actibus,neque ſecundum hos diſtinctos dicendi modos , diſtinctas actibus formalitates tribuis,ſed tantùm ſecundùm hunc dicendi modum his actibus tribuis vtentis Logicæ nomen quod negas aliis,& ſecũdùm illum aliis actibus idem nomen accommodas,quod his negas nulla noua formalitate actibus conceſſa,aut ab illis ablata.In quæſtione purè de nomine conueniunt omnes Logicam docẽtem dici ipſam Logicam quatenus præcepta tradit, quibus tum ipſa Logica,tum aliæ ſcientiæ vtuntur,diſſenſio eſt quid intelligatur nomine Logicæ vtentis.

Prima ſententia aſſerit Logicam vtentem eſſe habitum quemdam , qui in quauis materia probabiliter diſputat. Sententia hęc non apparenti fundamento innititur,& facili negotio reiicitur. Non datur habitus,qui in qualibet materia probabiliter concludat:ergo non datur habitus, qui in quacumque materia probabiliter diſputet.Conſequẽtia eſt certa,antecedens per ſe eſt notũ;quęlibet enim ſcientia pro diſtinctione materiæ ſeu obiecti habet diſtinctos habitus , quibus quælibet de ſuo obiecto euidenter diſputat.Secũdò habitus quibus probabiliter diſputat Logica,diſtinguũtur ab actibus,quibus probabiliter diſputat Philoſophia:ergo non datur vniuerſalis quidam habitus ad diſputandum probabiliter in quacumque materia. 2

Secunda ſententia eſt aliorum , qui aſſerunt Logicam vtentem eſſe,quam nos Topicam vocamus,quæ non probabiliter diſputat in quacumque materia, ſed præcepta tradit in quacumque materia probabiliter diſputandi, quæ loci communes vocantur,& frequenter apud Rhetores vſum habent.Non nego dari talem habitum,verumtamen me penitus latet , propter quam rationem habitus iſte præ aliis Logica vtens ſit dicendus , æquè enim ad alias ſcientias condùcit pars Topica,& pars demonſtratiua Logicæ,& æquè vtraque parte reliquæ ſcientiæ vtuntur:quare ergo ſpecialis hæc pars præ aliis Logica vtens dicenda eſt?ex hoc ergo capite ſententiam hanc reiicio, quæ enim ſine fundamento dicuntur, maiori operâ impugnanda non ſunt. 3

Pater Vaſq.1.par.diſp.8.c.5.n.19.aſſerit Logicam vtentem eſſe praxim ſeu operationem ipſius Logicæ docentis, ipſam videlicet conſtructionem propoſitionis,& ſyllogiſmi, quæ in quacumque ſcientia reperitur. Itaque ſecundùm hanc ſententiam Logica vtens erit inſtrumentum ſciendi elicitum directione Logicæ,quod quidem ſciendi inſtrumentum non ſemper eſt actus pertinens ad eandem ſcientiam. Philoſophia enim ,Metaphyſica,& Theologia habent proprios ſyllogiſmos , & proprias definitiones, quæ dicuntur ſciendi inſtrumenta,imò ipſa Logica,cuius munus eſt tradere præcepta ad inſtrumenta ſciendi facienda,propria habet inſtrumenta,& proprias definitiones,& demonſtrationes , quibus tradit præcepta ad alia ſciendi inſtrumenta facienda,quia mediâ definitione docet demonſtrationem conficere,& per demonſtrationem oſtendit,& docet quomodo facienda ſit definitio.Dicuntur ergo ſecundùm hanc acceptionem Logica vtens omnia ſciendi inſtrumenta,quatenus præceptis Logicæ diriguntur.Quod ſi aliquod ſciendi inſtrumentum caſu fiat, vel luminis naturæ ductu abſque directione præceptorum Logicæ,tale ſciendi inſtrumentum non dicetur Logica vtens , quia ſyllogiſmus ſecundùm ſe & quodlibet ſciendi inſtrumentum tantùm denominatur Logica,quatenus procedit ab actu Logicæ,& eſt illius externa conſummatio,& effectus;quod ſi à Logica non procedat,ex nullo capite Logica dici poterit.Placuit hic dicendi modus Hurtado diſp.2.ſect.1.concluditque iuxta illum non eſſe tantùm vnam Logicam vtentem ſed plures ; omnes enim ſcientiæ Logicæ vtentes dicuntur , aſſeritque eſſe conformem D. Auguſt.qui Paulum,& reliquos Doctores vocat Dialecticos,quia Logicâ vtuntur.Eidem ſententiæ ſuffragari affirmat Hurtadus diuiſionem illam à Dialecticis traditam,quâ partiuntur Logicam, in Logicam rebus auulſam,quæ eſt Logica docens, ſcientia ſpecialis,& Logicam rebus concretã,quæ eſt Logica vtens comprehendens omnes ſcientias. Eandem ſententiam tradunt Noſtri Conimbr. q.4. Procem.art.2. P. Smigletius diſp.2. ſect.4.& Merinero diſp.vnica procem.q.2.ſect.1. 4

Arriaga ſuprà citatus docet tantùm dici Logicam vtentem ipſam Logicam,quatenus vtitur ſuis præceptis,quod ex eo probat,quia reliquæ ſcientiæ Logica non ſunt:ergo non poterunt dici Logica vtens;quod enim non eſt Logica,non poterit dici Logica vtens;quod verò Logicâ vtantur , fundamentum non eſt vt dicantur Logica vtentes ſed vtentes Logicâ. Neque ex eo quod actus reliquarum ſcientiarum dirigãtur actibus ſeu præceptis Logicæ,poterunt dici Logica , quia effectus non habet rationem cauſæ neque rectè diuidetur virtus productiua caloris in ignem qui eſt virtus productiua,& ipſum calorẽ,qui eſt effectus productus.Non cogent hęc à communi ſententia diſcedere, 5

Digitized by Google

diſcedere, quia & ſi effectus non denominetur virtus productiua, ex eo quod ab illa dependeat, tamen denominationem deſumit virtutis ſeu habitus, à quo procedit; ſic actionem externam imperatam ab actu interno prudentiæ actum prudentiæ appellamus, & illi tribuimus honeſtatem prudentiæ; & actionem externam imperatam ab actu interno humilitatis, actum humilitatis vocamus, & illi honeſtatẽ humilitatis tribuimus, quia huiuſmodi externæ actiones conſummationes ſunt internarum virtutum, & ita ad eandem virtutem pertinere dicuntur, & eodem virtutis nomine gaudet, quo gaudent interni actus, & habitus à quibus procedunt. Sic in Logica contingere poteſt, actus enim internus Logicæ conſummatur per effectum, videlicet per ſyllogiſmum procedentẽ ab illo actu, ſiue ſyllogiſmus pertineat ad Logicam, ſiue ad Metaphyſicam, vel Theologiam, & ita poterit dici quaſi actus externus Logicæ, & Logica denominari, ſicuti dicitur actus externus prudentiæ, & prudentia denominatur actio externa directa actu interno prudentiæ.

6 Sto ergo ſententiæ Patris Vaſq. quæ in quæſtione purè de nomine congruè ſatis rem dirigit. Illud quod addit Hurtadus, videlicet non ſolùm dandam eſſe vnam Logicam vtentem, ſed plures quia quælibet ſcientia eſt Logica vtens, & ita cùm plures ſint ſcientiæ, plures Logicæ vtentes dandæ ſunt, in loquendi modo non probo, quia etiamſi omnes ſcientiæ ſint obiecta præceptis Logicæ directa, nihilominus non dicuntur dari plura obiecta adæquata Logicæ præceptis directa, ſed vnum adæquatum inuoluens plura inadæquata: ſic etiamſi quęlibet ſcientia ſit Logica vtens, & ſcientiæ ſint plures, non ſunt dicẽdæ plures Logicæ vtẽtes adæquatæ, ſed vna cõprehendens plures ſcientias, quarum quælibet ſicuti eſt obiectum inadæquatum Logicæ, ſic eſt Logica vtens inadæquata, quia non diſtinguitur in quacũque ſpeciali ſcientia eſſe obiectũ directũ præceptis Logicæ & eſſe Logicã vtentẽ.

7 Quæſtio eſt, an ſicut Logica ſecundùm omnem partem dicitur docens, ita ſecundùm omnem partem dicatur vtens? P. Fonſeca 2. Metaphyſic. cap. 3. quæſt. 1. Patres Cõnimbr. quæſt. 4. procœm. art. 2. docent Logicam tantùm habere vſum reſpectu partis Topicæ, & Sophiſticæ, non verò reſpectu partis Demonſtratiuæ. Communis tamen ſententia docet Logicam vſum habere ſecundùm omnẽ ſui partem, quia ſicuti Logica docet ſyllogiſmos fallaces, topicos, & demonſtratiuos conſtruere, ſic ſyllogiſmi fallaces, topici, & demonſtratiui fiunt cõformes præceptis Logicæ & directi Logicæ præceptis: ergo hi omnes ſyllogiſmi præceptis Logicæ diriguntur: ergo ſunt vſus Logicæ, & actus Logicæ vtentis illorũ quilibet dici poterit.

8 Fundamentum Conimbricenſium ad oppoſitam ſententiam defendendam eſt, ſyllogiſmos in materia neceſſaria aliarum ſcientiarum effici ab ipſis ſcientiis peculiaribus, & non à Logica, & ita non poſſe dici Logicæ effectus, neque actus Logicæ vtentis, & ſyllogiſmi materia neceſſaria ipſius Logicæ ſunt ipſa Logica, & ita non poſſunt eſſe vſus Logicæ, quia vſus diſtinguitur realiter à doctrina, cuius eſt vſus. In materia probabili & fallaci aliter rem ſe habere putant, quia exiſtimant nullam ſcientiam elicere ſyllogiſmos probabiles in propria materia, quia ſcientia tantùm elicit actus ſcientificos, ſed omnes ſyllogiſmos probabiles & fallaces in quacumque materia fiãt, elici putant ab habitu Logicæ, cuius eſt miniſtrare reliquis ſcientiis in huiuſmodi ſyllogiſmis elaborandis. Neque ideò, inquiunt Conimbricenſes, timendum eſt ne reliquæ ſcientiæ inopes maneant, ſi omni doctrina probabili denudentur, quia Dialectica omnium famula adminiſtráque cùm ſit, nõ cenſetur alienas efficere ab aliis ſcientiis eas opiniones, quas vt proprias colit; quemadmodum nec opes famulorum opera comparatæ à dominorum facultatibus alienæ cenſentur.

9 Hæc Conimbricenſium doctrina multis laborat difficultatibus, multa ſupponit à veritate aliena. breuiter nonnulla in illam adducam. In primis ſupponit demonſtrationes in materia neceſſaria fieri a Metaphyſica, Philoſophia, & Theologia in propriis materiis, & circa propria obiecta ſine Logicæ induſtria, quod omnino falſum eſt, quia quantumuis demonſtratio Metaphyſica euidens ſit, dum à Metaphyſico conficitur, Metaphyſicus regulis Logicæ dirigitur, quæ præſcribunt modum, quo in quacumque materia facienda eſt demonſtratio, quod ſufficit vt demõſtratio Metaphyſica vſus Logicæ dicatur, & ad Logicam pertineat, tanquam effectus, & conſummatio præceptorum, quæ tradit Logica. Secundò ſupponit Logicam in propria materia non poſſe conficere demonſtrationem, qua doceat, quomodo facienda ſit definitio, directam præceptis, quibus ipſa Logica præſcribit modum, quo facienda eſt demonſtratio, quod à veritate alienum eſt, quia hæc demonſtratio: *Explicatio debet eſſe clarior re explicata: definitio eſt explicatio definiti: ergo debet eſſe clarior:* Definitio eſt actus, quo præſcribitur modus, quo faciendá eſt definitio, & eſt Logica docens definitionem, & vſus præceptorum, quibus Logica tradit modum, quo facienda eſt demonſtratio, quia fit iuxta præcepta, quibus dicit Logica, demonſtratio debet conſtare tribus terminis hac ratione diſpoſitis in propoſitionibus per ſe notis, & ita falſum eſt non poſſe eundem actum eſſe Logicam, & vſum Logicæ, hoc eſt eſſe pręceptum circa aliquod ſciendi inſtrumentum, & vſum pręceptorum circa illum. Tertiò docent Conimbricenſes, omnem ſyllogiſmum probabilem circa obiectum cuiuſcumque ſcientiæ non dependere ab habitu ſpeciali illius ſcientiæ, ſed tantùm ab habitu Logicæ, quę adminiſtra eſt reliquarum ſcientiarum, quod à veritate longè abeſt, quia id, quod vocamus vnam ſcientiam totalẽ, includit plures habitus & plures actus quoſdam probabiles, & alios ſcientificos, licèt aggregatum illud ſcientiam vocemus ſumpta denominatione à pręcipuis illius actibus. Ratio eſt, quia Logica tantùm docet artificium ſyllogiſticum tam in materia probabili, in qua probabilem ſyllogiſmum conſtituit, quàm in materia euidenti, in qua demonſtrationem conficit, & ex vi habitus Logicæ tantùm poteſt intellectus vincere difficultatem quæ eſt in opere reſultans ex artificio Logico, illá verò, quæ ex materia reſultat ſiuę in materia probabili, ſiue euidẽti vincenda eſt à peculiari habitu illius ſcientię, ad quem materia ſyllogiſmi ſpectat. Secundò ſi ab habitu Logicæ procederent omnes ſyllogiſmi probabiles cuiuſcumque materiæ, Logicus pręcisè quatenus Logicus, haberet habitus ad diſputandum de omnibus, quæ Philoſophia, Metaphyſica, & Theologia probabiliter diſputant, & conſequenter ad ferè omnia, de quibus hæ ſcientiæ agunt, in quibus ſi res exactè examinentur, vix vnam demonſtrationem pro centum ſyllogiſmis probabilis reperiemus. Ex quo infero vix vnum vel alterum ſyllogiſmum demonſtratiuum ſcientiæ ſupereſſe. Quod enim Conimbricenſes aſſerunt, videlicet id timendum non eſſe, quia omnia, quæ Logica ſcientiarum famula acquirit, ſupellectili accreſcit reliquarum ſcientiarum, quibus acquiruntur, eleganter, & rhetoricè dictum eſt.

10 Sit ergo firmum, vſum Logicæ extendi ad ſyllogiſmos probabiles, & ad demonſtrationes ad quamcumque materiam pertinentes, etiam in materia ipſius Logicę, quia licèt hæ demonſtrationes ſint actus Logicæ, & habeant pro obiecto ſciendi inſtrumentum; v. g. definitionem, cuius directionem pręſcribunt, poſſunt eſſe obiectum aliorum pręceptorum, quę ad ipſam demonſtrationem dirigantur; & ita pręceptum circa definitionem, poteſt eſſe vſus pręceptorum circa demonſtrationem, ſicuti de cognitione dicebam, quę poteſt eſſe ſpeculatio vnius obiecti, & praxis reſpectu alius cognitionis reflexę.

11 Ex his inferes rationem docentis, & vtentis non eſſe differentias ſpeciales Logicæ, quælibet enim ſcientia practica; & quælibet ars poteſt diuidi in docentem; & vtẽtem: docens dicetur actus artis vel ſcientiæ præſcribens modũ praxis efficiendæ, & praxis ipſa vtẽs appellabitur.

Circa diſtinctionem actuum, & habituum nonnulli aſſerunt actuum, & habituum Logicæ docentis eſſe eundem: alij actus diſtinguunt, & non habitus: quod autem iuxta noſtra principia dicendum ſit facilè explicabo. Actus Logicæ vtentis diximus eſſe omnes actus ad quamcumque ſcientiam ſpectantes, directos etiam ad ipſam Logicam Logicæ præceptis. Ex quibus infertur actus Logicæ vtentis pertinentes ad omnes ſcientias diſtinctas à Logica differre ab actibus Logicæ, quia nullus actus alicuius ſcientiæ diſtinctæ à Logica eſt actus Logicæ docentis, demonſtratio enim Metaphyſica, & Theologica quantumuis dirigantur præceptis Logicæ docentis, non ſunt Logica docens, vt per ſe notum eſt. Actus verò Logicæ vtentis pertinentis ad ipſam Logicam, neceſſariò erunt actus Logicæ docentis, & vtentis; vtentis quia tales eſſe ſupponimus, ex eo quod dirigantur aliis præceptis Logicæ,

docentis quia ſunt actus proprij Logicæ cuius munus eſt docere,& cuius omnes actus ſunt præcepta,quibus docemur conficere ſciendi inſtrumenta. Verumtamen talis actus, qui ſimul ſit actus Logicæ docentis,quia præſcribit modum,quo facienda eſt definitio,& Logicæ vtentis, qui dirigitur præceptis demonſtrationis, dicetur Logica docens,quatenus Logica docens verſatur circa definitionem per ipſum actum,& Logica vtens quatenus Logica verſatur circa demonſtrationem per alios actus, quibus Logica tradit modum quo facienda eſt demonſtratio,quorum directione fit hæc demonſtratio, quâ docemur definitionem conficere, & ita nunquam reſpectu eiuſdem partis Logicæ, neque reſpectu eorundem præceptorum poterit eſſe idemmet actus Logicæ docentis, & vtentis.

13 Ex his infero omnem actum Logicæ eſſe actum Logicæ docentis,quia per hoc quod eſt docere conſtituitur actus in ratione actus Logicæ,non verò omnem actum Logicæ eſſe actum Logicæ vtentis,quia non omnes actus Logicæ diriguntur aliis actibus;imò ne in infinitum procedamus, dandus eſt aliquis actus Logicæ docentis, qui nullo alio dirigatur, qui non erit actus Logicæ vtentis, quia cùm actus non poſſint ſe ipſos mutuò dirigere, neceſſum eſt peruenire ad aliquem,qui à nullo alio dirigatur,vel in infinitum procedere.Hæc exiſtimo à nullo poſſe negari niſi tantùm contendendi animo, ſunt enim iuxta principia tradita omnino certa.

14 De diſtinctione habituum rem ita compono. In actu Logicæ vtentis duplex poteſt excogitari difficultas,quædam procedens ex materia,in qua fit ſciendi inſtrumentum; alia ex artificio Logico, quo debet conſtare ſciendi inſtrumentum, definitio videlicet, vel demonſtratio. difficultas orta ex materia,in qua fit ſciendi inſtrumentum, debet ſuperari habitu ſcientiæ, ad quam pertinet materia, & obiectum formale inſtrumenti ſciendi, quia Logica non poteſt vincere difficultatem, quam habet Philoſophus in demonſtrando dari vnum primum motorem, vel dari materiam primam,ex qua omnia naturalia compoſita componantur, ſi enim hanc difficultatem vinceret Logicæ habitus, ſuperflueret habitus omnium ſcientiarum,vna enim Logica ſufficeret ad vincendas difficultates omnium ſcientiarum.Vincenda ergo eſt in actu Logicæ vtentis difficultas orta ex materia demonſtrationis,& ſyllogiſmi,& ex obiecto formali, circa quod verſatur talis demonſtratio, quod materiam voco reſpectu artificij logicalis,& directionis formalis ſyllogiſticę.Difficultas alias poteſt excogitari orta ex artificio logicali, quod eſt eiuſdem rationis in omnibus demonſtrationibus in quacumque materia fiant, & ad quamcumque materiam ſpectent. Ad hanc difficultatem vincendam plurimùm conducere actus Logicæ docentis mihi eſt omnino certum, nemo enim inficias ibit faciliùs conficiendum eſſe ſyllogiſmum in quacumque materia cæteris paribus ab homine apprimè cognoſcente modum, quo faciendus eſt,quàm ab alio penitus ignorat præcepta Dialecticæ circa ſyllogiſmum efficiendum, notitiâ enim præceptorum circa demonſtrationem, quæ eſt actus Logicæ docentis, dirigitur quiſque ad demonſtrationem faciendam in quacumque alia materia. Ex hoc infero actus Logicæ vtentis directiuè procedere ab actibus Logicæ docentis,& mediis his actibus ab habitu Logicæ docentis à quibus elicitiue procedunt actus Logicæ docentis,eo modo, quo actus procedunt à propriis habitibus ſiue per concurſum actiuum, vt alij volunt, ſiue mediâ informatione habitus, mediâ, qua tanquam conditione potentia faciliùs producit ſuos actus, vt alij opinantur, de quo dicam Controu.12.de anima,Punct.4.

15 Supereſt difficultas an intellectus optimè directus per præcepta Logicę docentis ad demonſtrationes conficiendas,iam promptior,& facilior ad illas,quàm eſſet,ſi hanc directionem actiuam non haberet, quæ conſiſtit in actibus Logicæ docentis,adhuc habeat aliquam difficultatem ortam ex artifico logicali diſtinctam ab illa,quæ oritur ex hac materia,& ex hoc formali obiecto,circa quod verſatur demonſtratio,quæ vincenda eſt ab habitu ſcientię,ad quam vincendam requiratur ſpecialis habitus Logicæ vtentis? Nonnulli affirmatiuam partem tuentur, ex eo quod artifex,v.g. pictor poſtquàm apprimè didicit pingendi artem, ſuppoſita directionis arte difficultatem habet in ipſa pictura conficienda.Negatiuam partem veriorem eſſe affirmo:nullum enim inuenio caput,ex quo poſſit eſſe intellectus difficilis ad demonſtrationem conficiendam,poſtquàm apprimè nouit modum,quo facienda eſt diſtinctum à materiali, & formali obiecto, circa quod demonſtratio debet verſari; cùm verò difficultas ex hoc capite orta vincenda ſit ab habitu ſcientiæ ad quam pertinet demonſtratio illa ratione materiæ,& obiecti formalis circa quod verſatur, ſuperfluit alius ſpecialis habitus Logicæ vtentis, cum nulla ſpecialis difficultas vincenda ſupereſt.

Ratio adducta pro oppoſita ſententia nihil probat, 16
quia pictor difficultatem habet in ipſa exequutione picturæ,poſtquam eſt inſtructus arte pingendi,quia non eſt eadem potentia,quæ præſcribit modum pingendi,& quæ pingit; & ita poſtquam intellectus eſt optimè inſtructus arte pingendi, poteſt eſſe manus difficilis ad exequendum id quod intellectus præſcribit. In intellectu autem eadem eſt potentia pręſcribens demonſtrationem faciendam,& exequens ipſam demonſtrationem,cui ſi ex materia difficultas nô accreſcat in exequutione,nulla illi poteſt ineſſe ſuppoſita directione, quâ habet circa opus exequendum.Quod ſi poſtquàm intellectus actu prudentiæ hic & nunc eſt optimè inſtructus circa actum fidei eliciendum, difficultatem habeat in actu fidei ab ipſo elicien do, tota hæc difficultas oritur ex ipſa materia,ſeu ex motiuo actus fidei,quod obſcurè mouet, quæ ſub habitu fidei vincenda eſt; ſicuti difficultas orta in actu Logicæ vtentis ex materia & motiuo, vincenda eſt ab habitu ſcientiæ, ad quam pertineat talis actu ratione materiæ, & obiecti formalis, ſeu motiui.

Ex hoc infero omnes actus Logicæ vtentis procedere 17
elicitiuè ab habitu,ad quem pertinet actus talis ſcientiæ, & directiuè ab habitu Logicæ docentis, non immediatè & formaliter,quia habitus non immediatè neque formaliter dirigit potentiam,ſed mediis actibus Logicæ docentis, qui immediatè & formaliter dirigunt potentiam ad conficiẽdam demonſtrationem(idem intelligere de quocumque alio ſciendi inſtrumento)in quacumque materia & ad quãcumque ſcientiam ſpectantem. Infero ſimiliter actum Logicæ docentis directum aliis præceptis eiuſdem Logicæ,qui ſimul eſt actus Logicæ docentis,v.g.demôſtratio præſcribens modũ, quo facienda eſt definitio directa præceptis definitionis,procedere elicitiuè ab habitu partis Logicæ præſcribentis modum definitionis conficiendæ, & directiuè ab habitu partis Logicæ præſcribentis modum,quo facienda eſt demonſtratio,nô immediatè, ſed medio actu procedente ab habitu, qui actus immediatè dirigit demonſtrationem, qui eſt actus Logicæ docentis circa definitionem, & vtentis reſpectu præceptorum,quæ tradit Logica circa demôſtrationem.

Obicies: Ad habitum Logicæ docentis non pertinet 18
conficere inſtrumenta ſciendi, ſed præſcribere modum quo ſciendi inſtrumenta facienda ſunt:ergo nullus actus Logicæ vtẽtis elicitiuè procedit ab aliquo habitu Logicæ docentis. Reſpondeo, ad Logicam docentem ſpectare tradere præcepta circa inſtrumenta; per demonſtrationem enim oſtendit Logica, quomodo facienda ſit definitio?& per definitionem circa ipſum demonſtrationem docet,quomodo facienda ſit demonſtratio;&ita ad Logicam docentem pertinere conficere in propria materia ſciendi inſtrumenta,quæ formaliter ſunt præcepta, ſeu directiones circa alia inſtrumenta, quæ tanquam obiecta reſpiciunt. Habitus tamen Logicæ docentis à quo immediatè elicitur tale inſtrumentum,demonſtratio videlicet,quæ eſt doctrina circa definitionem, deſeruiet ad vincendam difficultatem, quæ oritur in hac demonſtratione ex materia, & obiecto formali illius; illa verò quæ oritur ex ipſo artificio Logicali communis omnibus demonſtrationibus,non vincitur ab hoc habitu, ſed immediatè ab actu præſcribente modum, quo facienda eſt demonſtratio, & mediatè ab habitu Logicæ docentis à quo elicitiuè procedit talis actus.

Obicies:Actus Logicæ docentis, & vtentis diſtinguuntur 19
in ſpecie:ergo nô poſſunt procedere ab eodem habitu. Dixi eundemmet actum Logicæ docentis poſſe eſſe actum Logicę vtentis,licet in ordine ad diuerſa extrema, quia actus dicitur docens reſpectu praxis,quã præſcribit & reſpicit tanquam obiectum; & dicitur vtens reſpectu aliûs actus,à quo tanquam obiectum reflexè reſpicitur,& cuius eſt praxis,quapropter omiſſo antecedẽti,diſtinguo conſequens.Ergo non poſſunt procedere ab eodẽ habitu

vterque

Digitized by Google

vterque directiuè, vel vterque elicitiuè, concedo conſequentiam; in eodem enim actu, qui ſimul eſt actus Logicæ docentis aſſigno reſpectum ad vnum habitum, à quo quatenus eſt docens procedat, & ab alio à quo procedat quatenus vtens: ergo non poſſunt procedere ab eodē habitu vnus elicitiuè, & alter directiuè, nego conſequentiam; volitio enim cuiuſcumque obiecti directuè procedat à cognitione, & media hac ab habitu, & principio à quo procedit elicitiuè cognitio, & nihilominus cognitio, & volitio ſpecie differunt.

20 Obiicies: ſequi ex noſtra doctrina habitum Logicæ vtentis adhuc reſpectu huius actus non eſſe vnum ſimplicem ſed duplicem, vnum directiuum, & alium elicitiuum. Reſpondeo reſpectu eiuſdem actus tantùm dari vnum habitum Logicæ vtentis, qui directiuè concurrit ad actū, hunc verò connotare alium habitum à quo elicitiuè procedat talis actus, qui non dicitur habitus Logicæ vtentis, ſed habitus illius ſcientiæ ad quem ſecundum ſe pertineat actus ille, qui dicitur Logica vtens, ſicuti potentia intellectiua, quæ eſt directiua actuum voluntatis connotat potentiam volitiuam, à qua actus voluntatis elicitiuè procedant, quia illius munus eſt dirigere mediis propriis actibus actus eliciendos ab aliis potentiis, & ita elicitiua dicitur reſpectu propriorum actuum, & directiua reſpectu actuum potentiæ volitiuæ, non tamen dicitur dari duplicem potentiam directiuam reſpectu eiuſdem actus volitiuæ potentiæ. Sic contingit in habitu Logicæ vtentis, cuius eſt mediis propriis actibus dirigere actus eliciendos ab alio habitu, & reſpectu illorum propriorum actuum, quos immediatè elicit, dicitur Logica docens, ſeu habitus Logicæ docentis; & reſpectu aliorum, quos ab alio habitu eliciēdos dirigit, dicitur habitus Logicæ vtentis. Et ſicut actus voluntatis, quia dirigitur ab actu intellectus, ſupponit potentiam volitiuā tanquam principium elicitiuum, & potentiam intellectiuam, quæ eſt principium elicitiuum intellectionis, qua dirigitur, tanquam principium directiuum remotum; ſic actus Logicæ vtentis, quia eſt actus peculiaris ſcientiæ directus actu Logicæ docentis ſupponit tanquam principium elicitiuum proximum habitum talis ſcientiæ, cuius eſt proprius, & habitum Logicæ docentis, qui eſt principium elicitiuum proximum actus, quo dirigitur, tanquam principium directiuum remotum, qui quatenus directiuus eſt dicitur habitus Logicæ docentis.

21 Obiicies vltimò: Is qui conficit plures demonſtrationes Philoſophicas in *Darij* abſque vllis præceptis Logicæ, facilis eſt ad faciendas alias demonſtrationes in *Darij*: ergo per actus aliarum ſcientiarum conſtituitur quis facilis ad faciendos ſyllogiſmos, & ad alia ſciendi inſtrumenta conficienda: ego actibus aliarum ſcientiarum acquiritur habitus Logicæ vtentis; ergo habitus Logicæ vtentis non diſtinguitur ab aliarum ſcientiarum habitibus. Reſpondeo hominem abſque arte conficientem ſyllogiſmos, aut alia ſciendi inſtrumenta, conſtitui facilem ad ſyllogiſmos, ſeu alia ſciendi inſtrumenta facienda; hunc tamen neque habere actum, aut habitum Logicæ vtentis, quia actus Logicæ vtentis eſt ſyllogiſmus factus cum directione artis Logicæ, & habitus huius actus eſt facilitas ad faciendos ſyllogiſmos ſine præceptis Logicæ directos, ille verò qui ſyllogiſmos ſine præceptis Logicæ efficeret, quantumuis facilis eſſet ad illos, neque ſyllogiſmos ex arte faceret, quod eſt habere actum Logicæ vtentis, neque facilis eſſet ad faciendos ſyllogiſmos arte directos, quod eſt habere habitum vtentis Logicæ: Sicut qui ex experientia, & nulla Medicinæ regula ductus medendi facilitatem habet, nullo Medicinæ docentis, aut vtentis habitu gaudet, quia habitus Medicinæ non eſt facilitas ad medendum, ſed facilitas ad medendum actibus directis Medicinæ præceptis.

PVNCTVM III.

An Logica ſit ſcientia?

1 PLures inuenio circa eaſdem quæſtiones oppoſitas ſententias, quarum rationem diſconuenientiæ ſi illius expendiſſent Authores, facilè inter ſe conuenirent, & perlongis, & valdè prolixis diſputationibus parcerent, agnoſcentes tanta opera quæſtionis materiam dignam non eſſe, totámque reſolui in puram de nomine quæſtionem. In his eſt, quam præfixus titulus proponit, in qua multum de nomine diſſertatur, vt ex dicendis conſtabit, in quibus accuratè diſcernam illa, in quibus tantùm de nomine diſſenſio ab his, in quibus de re ipſa poteſt eſſe contentio.

Logicam non eſſe ſcientiam defendunt nonnulli ex antiquis, quos referunt Noſtri Conimbricenſes, quæſt. 4. Procem. art. 3. Hos ſequuntur Pereira lib. Philoſophiæ cap. 1. P. Vallius part. 1. Prolegomenorum quæſt. 4. cap. 10. P. Smigletius diſp. 2. quæſt. 5. 2

Logicam propriſſimè eſſe ſcientiam defendunt D. Th. 4. Met. c. 4. ſect. 4. Scot. quæſt. 1. vniuerſalium, Conimbr. ſuprà. Toletus quæſt. 2. Procemij, Hurt. diſp. 2. ſect. 1. §. 2. Arriag. diſp. 3 ſect. 3. Meruero diſp. vnic. procem. q. 3. qui omnes aſſerunt Logicam docentē eſſe ſcientiā, licet de Logica vtente diuerſimodè loquantur. Patrocinantur eidē ſētentiæ quàm plures antiqui Philoſophi apud Con. ſuprà. 3

Ex his qui aſſerunt Logicam non eſſe ſcientiam nullus eſt, qui neget Logicam habere plures demonſtrationes, & ex principiis per ſe notis per legitimas illationes plures concluſiones deducere, hoc tamen non obſtante aſſerunt Logicam non eſſe ſcientiam, quia plures habet concluſiones non ſcientificas, ſed tantùm ex principiis probabilibus deductas. En egregiam de nomine quæſtionem inter Patronos vtriuſque ſententiæ: conueniunt omnes Logicam habere aliquos actus ſcientificos, & alios tantùm probabiles, & diſſentiunt, an ratione actuum ſcientificorum ſcientia ſit abſolutè dicenda, non obſtantibus probabilibus, vel an non ita ſit dicenda ratione actuum probabilium nō obſtantibus actibus ſcientificis? In quæſtione de nomine cum illis eo, qui aſſerunt actus probabiles, & non ſcientificos non impedire Logicam ratione aliorum actuum ſcientiam dici, ſi ex alio capite reliqui actus abſolutè ſcientifici ſint: quamlibet enim ſcientiam totalem abſolutè nomine ſcientiæ appellamus etiamſi ſecundùm aliquas ſui partes probabiliter tantùm circa obiectum feratur, dum tamen ſecundùm alias ſcientificè procedat: Si enim totalis ſcientia abſolutè ſcientia dicenda non eſſet, quoties probabiles aliquos actus includit, neque Philoſophia, neque Metaphyſica ſcientiæ eſſent dicendæ, cùm plures concluſiones includant tantùm probabiliter deductas. 4

Alij verò Logicam à ratione ſcientiæ excludunt, quia non eſt ſpeculatiua. ſed practica, & Ariſtoteles nomine ſcientiæ tantum intellexit Metaphyſicas ſcientias. Et aliam de nomine quæſtionem in qua Authores, qui affirmant, & alij qui negant Logicam eſſe ſcientiam, admittunt Logicam demonſtratiuè, & practicè procedere circa ſuū obiectum, & poſtea diſputant an poſſit ſcientia dici nécne, ex eo quod practica ſit. Quæ quidem quæſtio ad hūc locum trahenda non eſſet, in quo debebamus ſupponere quid ſit ſciētia, ſeu quid debeamus intelligere hoc nomine *ſcientia*, & poſtea examinare an ratio ſignificata per nomen Logicæ conueniat? Eſt ergo in hac quæſtione firmum inter Authores, Logicam eſſe ſcientiam, ſi per ſcientiam actualem tantùm intelligamus cognitionem legitimè deductam ex principiis euidentibus, & per ſe notis: eſt etiam inconcuſſum inter illos, qui affirmant ſcientiam eſſe practicam, Logicam non eſſe ſcientiam dicendam, ſi nomine ſcientiæ actualis non intelligatur quæcumque legitima cōcluſio ex principiis euidentibus, & per ſe notis, ſed illa quæ ſpeculatiuè circa ſuum obiectū verſatur. Eſt ergo tota diſſenſio in hac materia an tātùm concluſio euidens purè ſpeculatiua dicenda ſit actualis ſcientia; an etiam quælibet concluſio euidens etiam practica talis ſit dicenda; quæ eſt purè de nomine, vel ad ſummum de mente Ariſtotelis, de qua poſſumus diſputatare inquirentes an Ariſtoteles nomine ſcientiæ intellexerit tantùm ſcientias ſpeculatiuas, & etiam eodem nomine practicas voluerit intelligi. Ariſtotelem tantùm intellexiſſe nomine ſciētiæ ſciētias purè ſpeculatiuas, dū 6. Ethic. cap. 3. habitus, virtutes diuiſit in Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, & Artem, oſtendi Controu. 1. Punct. 5. eodemque ſenſu loquutum eſſe dixi 1. Poſter. text. 5. aliàs 7. & 2. Metaphyſ. text. 3. vbi ſcientias practicas excluſit à ratione ſcientiæ. Veruntamen ibidem retuli Ariſtotelem 6. Metaphyſ. textu 1. vbi ſcientias practicas abſolutè nomine ſcientiæ appellauit. Ex quo intuli locis primò citatis non intellexiſſe Ariſtotelem 5

ſcientiæ nomine omnem ſcientiam propriè dictam, ſed rationem perfectiſſimam ſcientiæ,quæ eſt in ſcientia ſpeculatiua,& tandem concluſi in fine Punct. 5. citati, quæſtionem eſſe purè de nomine,an ſcientiæ practicæ abſolutè ſcientiæ dicendæ ſint necne ; quod iterum affirmo. In quæſtione ergo de nomine,cuius neutra contradictionis pars poterit probari ex alio capite, quàm ex Doctorum vſu, affirmo ſcientias practicas abſolutè ſcientias eſſe dicendas, quia communis hominum conſenſus cuicumque concluſioni euidenti nomen actualis ſcientiæ impertitur.

6 Verumtamen ſunt alij, qui ex natura cognitionis practicæ nonnullas proprietates cum ratione ſcientiæ repugnantes deducere intendant,quorum fundamenta adducam, & ſolnam,vt ex omni capite conſtet Logicam abſolutè ſcientiam eſſe dicendam, etiamſi ſecundùm omnes ſuos actus practica ſit.

7 Obiiciunt primò : De ratione ſcientiæ eſt, vt ſit de iis quæ ſunt talia ſecundùm naturam,non ex nobis;ſed quæ in ſe ipſis, & in ſua natura, & non in nobis principium habent. Sed practica cognitio non verſatur circa obiectum, quod ſit tale ex natura rei, ſed ex nobis: ergo cognitio practica non poteſt eſſe ſcientifica, ſeu actualis ſcientia. Maior probatur ex Ariſt. 6. Ethic.cap.3. Minor probatur ex ipſa natura cognitionis practicæ, cuius eſt dare eſſe obiecto.Conſequentia videtur legitima. Reſpódeo Ariſtotelem nomine ſcientiæ non ſemper intellexiſſe ſcientiam in tota ſua latitudine, ſed aliquando illud contraxiſſe ad rationem perfectiſſimam ſcientiæ, quapropter etſi conditio in maiori propoſitione appoſita tantùm conueniret ſcientiis ſpeculatiuis, non ideò à ratione ſcientiæ,ſcientiæ practicæ eſſent relegandæ : quâ doctrinâ ad Philoſophi authoritatem ſatisfacio. Iam ad doctrinam Maioris propoſitionis ſecundùm ſe ſumptam, Reſpondeo non eſſe inconueniens principium exiſtentiæ obiecti eſſe in ipſa cognitione,ad hoc vt cognitio verſetur ſcientificè circa illud,quia etiamſi obiectum à cognitione producatur,dicitur tale ſecundùm ſuam naturam, quia ex ſuâ natura habet non poſſe exiſtere ſine his prædicatis eſſentialibus, & repugnare ſine ipſis exiſtere, quod eſt habere eſſe ex ſua natura omni modo,quo illud poteſt habere ens creatum, quod eſſentialiter debet ab alio dependere.Rem explico: agit Philoſophia ſpeculatiuè de homine,Logica practicè de ſyllogiſmo ; differunt ex eo,quod cognitio Philoſophica, non eſt principium hominis,& cognitio Logica eſt principium ſyllogiſmi, quæ differentia reperitur in ipſis obiectis in ordine ad ad eaſdem cognitiones,quorum vnum procedit à cognitione practica tendente circa illud,& aliud non procedit à cognitione ſpeculatiua,qua reſpicitur. Cæterùm ſicuti ſyllogiſmi exiſtentia habet eſſe à cognitione practica,tanquam à principio, hominis exiſtentia habet eſſe ab alio principio,à quo procedit,cùm non ſit à ſe,& ſicuti dicimus hominem habere à ſe,ſeu ex ſe ſua prædicata eſſentialia,verbi gratia eſſe animal & rationale,quia repugnat eſſe hominem,quin ſit animal rationale ; ſic ſyllogiſmus habet ex ſe,ſeu à ſe ſua prædicata eſſentialia,quia repugnat dari ſyllogiſmum, qui non conſtet tribus terminis certa,fixaque ratione diſpoſitis, neque minùs repugnat dari ſyllogiſmum in *Barbara* non compoſitum tribus terminis, quorum vnus qui dicitur medium ſit ſubiectum. Maioris propoſitionis, & prædicatum Minoris, & alius, qui dicitur maior extremitas ſit prædicatum Maioris, & & Concluſionis,& alius,qui minor extremitas dicitur ſit prædicatum Minoris,& Concluſionis,quàm repugnat dari hominem,qui non ſit animal rationale:ergo in eo ſenſu,in quo poteſt dici obiectum creatum ſcientiæ ſpeculatiuæ habere eſſentiam à ſe, ſeu ex ſe, quia illam aliter habere non poteſt,quàm ab aliquo principio, quodcumque ſit illud, à quo producatur,poterit idem dici de obiecto ſcientiæ practicæ.

8 Obiiciunt ſecundò : Obiectum cognitionis practicæ poteſt hac vel illa ratione produci, bene & malè fieri : ergo non habet ex ſe determinata prædicata, de quibus poſſit dari ſcientia. Reſpondeo idem obiectum cognitionis practicæ,v.g.ſyllogiſmum in *Barbara*,ſeu in alia quacumque figura, non poſſe diuerſis rationibus produci, neque indifferens eſſe,vt bene,maléve fiat,ſed neceſſariò certa quadam ratione producendum eſſe, & rectè eſſe faciendum,ſi talis ſyllogiſmus faciendus ſit,ſcientia enim practica non eò tendit, vt rectè fiat aliquod obiectum, quod indifferens eſt,vt benè vel malè fiat, ſed ne loco obiecti producendi, quod per ſe ipſum rectum eſt,& nó poteſt eo ipſo quod fiat non rectè fieri, producatur aliud obiectum quod per ſe ipſum declinet à dictamine ſcientiæ practicæ,aliter fieri nequeat. Patet hoc in quocumque ſyllogiſmo,qui eſt obiectum ſcientiæ practicæ, qui per ſe ipſum eſt conformis,aut diſconformis regulis artis, & nunquam fieri poteſt vt ſyllogiſmus ille, qui ſemel eſt diſconformis,fiat conformis, aut è contra ; idémque eſt dicere : ſyllogiſmus iſte non eſt rectè factus iuxta ſyllogiſmi regulas,ac dicere,ſyllogiſmus iſte, ſeu propoſitiones iſtæ,quæ ſyllogiſmi loco ponuntur non ſunt ſyllogiſmus, neque ex illis ſyllogiſmus reſultat : idem dico de quocumque ſciendi inſtrumento, idem enim eſt dicere, hæc definitio, ſeu hæc diuiſio, ſeu hæc demonſtratio eſt vitioſa,ac dicere hæc definitio, aut diuiſio, aut hæc demonſtratio ſimpliciter talis non eſt.

Obiiciunt tertiò:Omne obiectum cognitionis practicæ eſt illud,quod fieri poteſt à nobis: ſed illud quod fieri poteſt à nobis eſt ſingulare:ergo omne obiectum practicum eſt ſingulare.Sed de ſingularibus non datur ſcientia: ergo de obiecto cognitionis practicæ non poteſt dari ſcientia : ergo cognitio practica,quæ verſatur circa tale obiectû,ſcientia non eſt.Hurtadus diſp.1. Metaph. ſect.6. ſubſect.4.aſſerit poſſe dari ſcientiam de ſingularibus,quia de his numero cœlis, qui de facto ſunt inquirit Philoſophia,an conſtent materia,& forma:& quia cùm quæritur de magnitudine cœli Empyrei, Solis, & Lunæ agitur de hoc cœlo Empyreo,& de hoc Sole,& Luna,quæ de facto ſunt,& ex his ſingularibus doctrina ad alia ſimilia deducitur. Similiter demonſtrat Aſtrologus hanc numero eclipſim craſtina die futuram, & hanc numero ſtellarum coniunctionem, quæ motu naturali cœlorum media hac nocte continget. 9

Non hæc conuincunt dari ſcientiam de ſingularibus quatenus ſingularia ſunt, & vltimas differentias indiuiduales includût, quia cùm inquiritur de his numero cœlis,qui de facto ſunt,an conſtent materia, & forma,non de illis inquiritur formaliter,vt ſunt talia indiuidua,quia etiamſi eſſent alij cœli numero diuerſi cû proprietatibus omnino ſimilibus, quos neque ſenſus neque intellectus humanus ab his poſſet diſcernere,idem eodem modo de illis diſputaret;ſed demonſtratio ſi qua eſt in hac materia,procedit de his cœlis, quatenus conueniunt cum aliis eiuſdem rationis cum ipſis, qui eorum locis poſſent produci.Idem dico de eclipſi,& ſiderum coniunctione, quas demonſtrat Aſtrologus:non enim illas demonſtrat, quatenus ſunt talia indiuidua,neque quatenus procedunt ab hac ratione indiuidua motus, ſed ſecundùm rationem communem quæ comprehendit aliam indiuiduam eclipſim,& aliam indiuiduam coniunctionem, quæ ab alio numero cœlorum motu,& ab aliis cœlis numero diſtinctis poſſent contingere. 10

Reſpondeo obiectum cognitionis practicæ eſſe obiectum quod poteſt fieri à nobis, nihilominus poſſe eſſe rationem communem, & vniuerſalem materialiter ſumptam,ſeu quæ ſit vniuerſalis per ipſam cognitionem,quia hæc ex parte obiecti nihil aliud dicit,quàm plura indiuidua,quorum vniuerſalitas,non ſupponitur ad ipſam cognitionem, quia in mea ſententia vniuerſalitas à cognitione non diſtinguitur, & in ſententia aliorum ſit per ipſam cognitionem.Ad formam argumenti reſpódeo cóceſſa maiori diſtinguendo minorem. Obiectum quod poteſt fieri à nobis tantùm eſt hoc numero ſingulare, & non aliud,nego : hoc ſingulare, & illud ſingulare vnumquodque vt diſtinctum ab alio, concedo. Deinde diſtinguo conſequens : ergo obiectum cognitionis practicæ debet eſſe hoc ſingulare, & aliud, nego conſequentiam : debet eſſe hoc ſingulare, & illud ſingulare, concedo conſequentiam. Deinde diſtinguo minorem ſeu ſecundum antecedens, ſed de ſingularibus non datur ſcientia, diſtinguo minorem ; de ſingularibus non datur ſcientia, quatenus cognoſcuntur ſecundùm rationem communem omnibus, & inſtar vnius noſtro modo concipiendi, in réque omnibus ſimilem, nego: ſecundùm rationem illam quæ eſt propria huius numero indiuidui vt diſtincti ab aliis, tranſeat. Itaque cognitio practica reſpicit plura indiuidua, quorum quodlibet poſſumus ex vi illius cognitionis efficere, 11

intercedit

Digitized by Google

intercedit tamen duplex differentia; prima eſt, quod vna, eademque practica cognitio attingit ſimul omnia indiuidua, quæ non niſi ſucceſſiuè & per diſtinctas actiones nos poſſumus efficere. Secunda, quod ex vi cognitionis practicæ ſcientificæ, qua omnia indiuidua, quæ à me fieri poſſunt confunduntur, & ab illis præſcinduntur, ſiue ex parte actus, ſiue ex parte obiecti, differentiæ indiuidualis, ex vi tamen actionum, quibus fiunt neque datur confuſio aliqua indiuiduorum, neque differentiarum præciſio, quia licet intellectus vim habeat præſcindendi vnum prædicatum ab alio ex his, quæ ſunt in obiecto, nulla potentia effectiua neque ipſe intellectus poteſt ſimilé præciſionem exhibere circa effectum. Itaque ex vi cognitionis præſcindentis, per quam fit ſiue actiuè, ſiue formaliter obiectum vniuerſale; datur actio non præſcindens: ſeu hæc numero praxis, quia ex vi cognitionis, qua ego dico, ſyllogiſmus in *Darij* conſtat tribus terminis hac ratione diſpoſitis, quæ ſe extendit ad omnes ſyllogiſmos, qui in *Darij* fieri poſſunt, & præſcindit à differentia indiuiduali cuiuſque, habet intellectus ſufficientem directionem, vt oblata hac aut illa materia, in hac ſeu in illa poſſit ſyllogiſmum in *Darij* conficere.

12 Obiicies: Cognitiones ſcientificæ ſunt æternæ veritatis, & habent obiectum neceſſarium. Sed id quod poteſt à me fieri non habet æternam veritatem, ſiquidem in tempore fit, neque eſt obiectum neceſſarium, ſiquidem poteſt non fieri: ergo non eſt obiectum ſcientiæ. Reſpondeo. Cognitiones ſcientificas dici æternæ veritatis, & neceſſarias, non quia annuncient aliquod obiectum exiſtens ab æterno, ſeu neceſſarium ſecundùm exiſtentiam, ſed quia de obiecto ſiue neceſſario, ſeu contingenti, ſecundùm exiſtentiam ab æterno, vel in tempore exiſtenti enunciant ea, quæ illi ſunt eſſentialia, præciſè quatenus eſſentialia, ſeu quatenus connexa cum ſubiecto in quocumque ſtatu conſideretur, ſiue exiſtens, ſiue tantùm poſſibile, exempli gratia, hæc propoſitio, *homo eſt animal rationale*, dicitur æternæ veritatis, quia tantùm ſignificat implicare dari hominem, qui non ſit animal rationale, quod per totam æternitatem verum eſt, quia nullum æternitatis inſtans aſſignabis, in quo detur homo, qui non ſit animal rationale, etſi quocumque inſtanti homo exiſtens contingenter exiſtat, & in illo potuerit non exiſtere. In hoc ſenſu de ſyllogiſmo, quem contingenter in tempore conficio poteſt dari propoſitio veritatis neceſſariæ, & æternæ, hæc enim veritas, *ſyllogiſmus in* Darij *conſtat tribus terminis hac ratione diſpoſitis*, ab æterno prolata eſſet vera, quia ſicuti implicat dari hominem in aliquo æternitatis inſtanti, in quo non ſit animal rationale, ſic implicat in aliquo æternitatis inſtanti dari ſyllogiſmum in *Darij*, qui non conſtet tribus terminis hac ratione diſpoſitis. Eodem ſenſu omnes concluſiones ab æterno veritatem, & neceſſitatem habent, ab æterno enim eſt obiectum huius propoſitionis, *Definitio conſtat genere & differentia*, hoc eſt, eo ipſo quod ſit definitio, in quacumque materia illa ſit conſtabit genere, & differentia, & ab æterno eſſet verum dicere, *definitio eſt clarior definito*, hoc eſt eo ipſo quod ſit definitio, in quacumque materia illa ſit erit clarior ſuo definito: ex hoc ergo capite non repugnat cognitionem practicam tendere ſcientificè in obiectum ex vi illius in tempore, & contingenter productum, cùm de obiecto contingenti ſecundùm exiſtentiam poſſint dari enunciationes neceſſariæ, & veritatis æternæ.

13 Ex hoc inferes verum non eſſe, quod docet Smigletius, diſp. 2. quæſt. 5. pag. 173. eſſentiam ſubiecti practici dependere à nobis, & à nobis conſtitui, & ita omnem concluſionem practicam dependere ex altera præmiſſa contingenti, quia etſi medium in maiori neceſſariò coniungatur cum paſſione, in minori contingenter coniungitur cum ſubiecto, quæ contingentia impedit abſolutam propoſitionem concluſionis. Quam doctrinam hoc Logico exemplo confirmari dicit. *Omnis ſyllogiſmus conſtans tali diſpoſitione rectè concludit: ſyllogiſmus in* Barbara *conſtat tali diſpoſitione terminorum: ergo ſyllogiſmus in* Barbara *rectè concludit*: in quo ſyllogiſmo manifeſtum eſſe ait, medium neceſſariò coniungi cum paſſione; in minori autem affirmat, contingenter cum ſuo ſubiecto coniungi; nam quod ſyllogiſmus ille ſit in *Barbara*, & quod habeat talem diſpoſitionem non prouenit ex natura rei, ſed ex intellectu noſtro talem ſtructuram ſyllogiſmi conficiente ad finem recti diſcurſus.

Rem non ita ſe habere conſtat ex doctrina tradita, quia quod ſyllogiſmus ille, qui de facto eſt in *Barbara* ſit in *Barbara*, & totalem diſpoſitionem terminorum habeat, tantùm poteſt à noſtro intellectu dependere, quatenus dependet à noſtro intellectu fieri talem ſyllogiſmum, in quo ſenſu etiam pendet à Ioanne generante Petrum, hunc eſſe hominem, & eſſe animal rationale, quia ſicuti ſyllogiſmus, qui eſt in *Barbara* non exiſteret, ſi non fieret à noſtro intellectu, ſic Petrus, qui eſt animal rationale, non exiſteret ſi non procederetur à Ioanne, vel ab alio loco Ioannis, & ſicut implicat Petrum produci à Ioanne, vel à quocumque alio, quin Petrus euadat homo, & animal rationale, ſic implicat hunc ſyllogiſmum, quem dicimus eſſe in *Barbara* produci ab intellectu, quin euadat *Barbara*, & cum hac terminorum diſpoſitione, qua eſſentialiter conſtat, ita vt ſi in aliquo terminorum alteraretur diſpoſitio, non ſolùm non eſſet ſyllogiſmus in *Barbara*, ſed neque eſſet idem ſyllogiſmus, quia phyſicè eſſe, hunc ſyllogiſmum, eſſe in tali figura, & habere hanc terminorum diſpoſitionem ſunt omnino realiter idem. Quomodo autem regulæ artis deſeruiant vt ſyllogiſmus ſit in *Barbara* dixi ſuprà. Regulæ autem artis, vt ſæpe dixi non deſeruiunt, vt ſyllogiſmus idem indifferens vt ſit, vel non ſit in hac figura, de facto ſit in illa, ſed vt innumeris ſyllogiſmis probabilibus, quorum hic eſſentialiter eſt in *Barbara*, ille in *Darij*, ille in *Ceſare*, & ille in *Darapti*, & aliis conceptibus, qui ſyllogiſmorum apparentiam habent, & ſyllogiſmi non ſunt, à nobiſque propter illam fallacem apparentiam ſyllogiſmi fallaces appellantur, de facto intellectus noſter eliciat hunc ſyllogiſmum præ alio, qui eſſentialiter eſt in illa figura, in qua nos intendimus ſyllogiſmum conficere. 13

Vltimò adduci ſolet quoddã problema Ariſtotelis aſſerentis abſurdum eſſe ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi: Sed Logica eſt modus ſciendi: ergo non eſt ſcientia, aliàs in Logica ſimul daretur ſcientia, & modus ſciendi, & qui Logicam inueſtigaret, quæreret ſimul ſcientiam, & modum ſciendi. Plauſibilis inter Doctores ſolutio eſt, Ariſtotelem fuiſſe loquutum de ſcientia diſtincta à modo ſciendi, & tantùm intendiſſe abſurdum eſſe ſimul quærere Logicam, & ſcientiam aliam à Logica diſtinctam. 14

Hic latè nonnulli diſputant, an Logica non tantùm vt docens, ſed vt vtens ſit ſcientia? Huic quæſtioni facilè reſpondeo; Logica vtens formaliter eſt quodlibet ſciendi inſtrumentum in quacumque materia confectum, ſeu ad quamcunque ſcientiam pertinens vt actu directum, & dependens à præceptis Logicæ: ſed hunc ſyllogiſmum, quẽ ego conficio, actu dirigi Logicæ præceptis, & ab illis dependere, eſt quædam extrinſeca denominatio, quia abſque vllis præceptis, etſi non ita facilè poſſet fieri idẽmet ſyllogiſmus, & non pertinet formaliter ad tendentiam ſyllogiſmi directi in ſuum obiectum: ergo non pertinet ad rationem formalem ſcientiæ: ergo Logica vtens vt vtens non eſt ſcientia. Priorem conſequentiam probo: ratio ſcientiæ eſt intrinſeca actui, & dicit reſpectum ad obiectum. Sed ratio formalis vtentis, non eſt intrinſeca actui, neque dicit reſpectum ad obiectum: ergo ratio formalis vtentis, non eſt ratio formalis ſcientiæ: ergo actus Logicæ vtentis vt vtentis non eſt ſcientia. Ex hoc infero actum Logicæ vtentis vt vtentis nunquam eſſe ſcientiam formaliter; materialiter autem aliquando non ita, quia aliquando actus directus præceptis ſcientificus eſt. 15

Logicam docentem, vt docentem vulgò dicitur eſſe ſcientiam, quod non ita intelligendum eſt, vt omnis formalitas docentis, ſeu omnis docendi ratio ſit ratio formalis ſcientiæ, quia in Logica docente plures ſunt actus tantùm probabiles, quia nulla ratione, neque formaliter vt docentes, neque materialiter ſumpti ſcientifici ſunt. Reſpectus docentis eſt reſpectus ad obiectum, de quo Logica oſtendit qua ratione faciendum ſit, quod poteſt docere concluſione deducta ex principiis probabilibus, & tunc talis doctrina formaliter non erit ſcientia; & poteſt docere modũ quo faciendum ſit ſciendi inſtrumẽtum per mediũ euidens, ſeu concluſione deducta ex præmiſſis euidentibus, & tunc talis doctrina, ſeu talis docendi modus erit formaliter ſcientia, ad cuius rationem for- 16

malem

Digitized by Google

malem ſpectat tendentia in obiectum, quod ex vi illius apparet per medium euidens. Ex hoc infero Logicam docentem, vt docentem præciſè ſumptam non eſſe ſcientiã, quia poteſt dari actus Logicæ docentis, qui ſcientia non ſit; Logicam verò vt docentem, ſeu vt oſtendentem modum quo faciendum eſt ſciendi inſtrumentum per medium euidens, ſeu concluſione deducta ex præmiſſis euidentibus formaliſſimè eſſe ſcientiam.

18 Omnia quæ de actibus Logicæ vt ſic, & de actibus Logicæ docentis & vtentis huc vſque diximus diſputantes, an illis ratio ſcientiæ actualis conueniat, eodem prorſus modo transferenda ſunt ad habitus, à quibus cedunt; ille enim habitus dicitur habitualis ſcientia, qui eſt principium actus, qui eſt ſcientia actualis; & habitus, qui huiuſmodi actus principium non eſt, nullatenus habitualis ſcientia dicitur.

Pvnctvm IV.

An Logica ſit ars?

1 INcidimus in egregiam de nomine quæſtionem, quam ſine contentione adhuc illorum, qui de hac re contendunt, breuiter definiam. Logicam eſſe artem defendunt P. Fonſeca 2. Met. cap. 3. quæſt. 2. ſect. 4. P. Vaſq. 1. 2. diſp. 85. cap... & pauci ex antiquis apud Vallium modò citandum. Dialecticam non eſſe artem defendunt P. Tolet. q. 4. de Dialectica in communi propè finem, P. Vallius. Part. 2. q. 4. cap. 10. Smigletius diſp. 2. ſect. 5.

2 Ariſtoteles artem definit: *Habitus cum ratione factiuus*, quæ differt à prudentia, quam definiuit idem Philoſophus: *Habitus cum ratione actiuus*, per ly *factiuus*, cuius verbi expoſitio eſt totum huius difficultatis negotium. Dixi Controu. 1. Punct. 1. Ariſtotelem factionem appellaſſe, omnem actionem ſiue internam, ſiue externam diſtinctã ab habitu voluntatis, quod inferebam, ex eo, quod in illa diuiſione habitus in Intellectum, Sapientiam, Prudentiam, & Artem, nomine artis ſcientias practicas intellexerit, & nomine ſcientiæ ſpeculatiuas tantùm comprehenderit. Iuxta hanc definitionis Artis expoſitionem, Logicam eſſe artem compertum eſt, quia eſt habitus cum ratione præſcribens, qua ratione facienda ſint ſciendi inſtrumenta, quæ ſunt operationes intellectus diſtinctæ à voluntatis operationibus. Neque ars ſecundùm hanc acceptationem deſumpta opponitur cum ratione ſcientiæ, potiùs omnes ſcientias practicas comprehendit.

4 Alij ex Ariſtotele probare intendunt factionem eſſe actionem, quæ præter ipſam habet aliquod opus externum quod poſt ſe relinquat, ſicuti ars ædificandi poſt actionem relinquit ædificium poſt illam perſeuerans. Ex eodem capite ijdem affirmant Ariſtotelem 1. Magnorum Moralium c. 33. negare citharizationem eſſe factionem, quia non relinquit opus poſt ſe. Iuxta hanc artis acceptionem Logicam non eſſe artem compertum eſt, quia operatio, ex vi cuius ſciendi inſtrumentum conſtituitur nullum opus poſt ſe relinquit, & ita habitus, ex vi cuius ſit ſciendi inſtrumentum habitus factionis dici nequit, & conſequenter habitus factiuus dici non poteſt. Ex hoc capite à ratione artis P. Toletus, P. Vallius, & P. Smigletius ſuprà citati Logicam excludunt.

Tota hæc quæſtio deuoluitur ad inquirendum, quid Ariſtoteles intellexit per nomen *factiuus* in definitione poſitum, & quid idem Philoſophus per factionem intelligat, cuius principium nomine *factiuus* ſignificatur, in qua video nobiles Ariſtotelis interpretes aſſerentes Ariſtotelem nomine *factiuus* intellexiſſe principium operationis externæ, ideo ab hac expoſitione non recedo, iuxta quam dicendum eſt Logicam non eſſe artem. Standum tamen eſt dictis Controu. 1. Punct. 5. vbi dixi nomine artis omnes ſcientias practicas intellexiſſe Ariſtotelem, & ita nomen *factiuus*, in definitione artis appoſitum extendendum eſſe ad omnes operationes etiam internas diſtinctas à voluntatis operationibus.

5 Quæ duo componentur ſi dicamus in prædicta definitione extendiſſe nomen artis, & rationem factiui, ad habitus, qui ſtrictè loquendo factiui non ſunt, & rationem factionis ad actiones, quæ non ita ſimpliciter debent appellari, ſed tantùm ſecundùm quid propter ſimilitudinẽ aliquam, quam habent in hoc quod eſt dirigi alijs actibus intellectus cum externis operationibus, quæ propriæ factiones dicuntur. Cum enim in eadem diuiſione nomen ſcientiæ non in tota ſua latitudine deſumpſiſſet, quatenus ſe extendit ad omnẽ ſcientiam, ſed tantùm pro ſcientiis ſpeculatiuis, neceſſum fuit illi nomen artis extendere ad illa quæ tantùm ſecundùm quid, & propter ſimilitudinem aliquam artes dicuntur, vt ſub illo comprehenderetur ea, quæ nomine ſcientiæ ſub quo legitimè comprehendi debebant, continerentur. Potuit autem Ariſtoteles vti nomine ſcientiæ ſtrictiori ſignificatione, quam in ſe habet, vt oſtenderet excellentiam ſcientiarũ ſpeculatiuarum, quarum comparatione practicæ ſcientiæ, etſi eſſentia ſcientiæ gaudeant, non ſimpliciter ſcientiæ appellandæ eſſe videntur. Suppoſita autem hac ſtricta acceptione ſcientiæ, neceſſum fuit laxa vti artis acceptione, ne ſcientiæ practicæ in illa diuiſione non contentæ nomine ſcientiæ omninò à diuiſione excluderentur.

Pvnctvm V.

An Logica ſit ſcientia practica vel ſpeculatiua?

REuocanda ſunt in memoriam illa, quæ de natura ſcientiæ practicæ & ſpeculatiuæ tradidi Controu. 1. Punct. 2. quibus præmiſſis facilè præſentem dirimam quæſtionem. 1

Prima ſententia docet Logicam eſſe purè ſpeculatiuã: ſententiam hanc defendunt Scotus, quem ſui ſequuntur. Ex modernis Rada Controu. 3. art. 2. Faber in prologo ſententiarũ diſp. 9. c. 1. Theodorus ibid. quæſt. 4. Mirinero in Logica diſp. vnica proœmial. quæſt. 6. ſect. 2. & apud hos plures ex antiquis Scoti diſcipulis. Eandem amplectuntur ex Thomiſtis non pauci, Capreol. q. 2. prol. Soncinas 6. Met. q. 2. Tabel. ibid. Sotus in Logica q. 4. 2

Secunda ſententia docet Logicam partim eſſe practicam, partim ſpeculatiuam: ita ſentiunt P. Vaſq. 1. part. diſp. 4. n. 2. P. Suar. 2. Met. diſp. 44. ſect. 13. n. 54. P. Rub. q. 5. Proœmij num. 14. Hurt. diſp. 2. ſect. 2. 3

Tertia ſententia docet Logicam neque eſſe practicam, neque ſpeculatiuam, neque vtramque differentiam ſecundùm diſtinctos actus habere, quia neutram illarum propriè in ſe habet; & impropriè aliquid vtriuſque participat. Sententiam hanc defendunt Smigletius diſp. 2. ſect. 4. & P. Vallius part. 2. prolog. q. 4. c. 16. c. 15. 16. & 17. 4

Quarta ſcientia cui aſſentior aſſerit Logicam eſſe merè practicam. Defendunt hanc ſententiam Fonſeca 2. Met. c. 3. q. 2. ſect. 4. Conimbr. q. 4. art. vnico, Arriaga diſp. 3. ſect. 4. ſubſect. 2. 5

Primæ ſententiæ fundamentũ eſt Logicam verſari circa operationes intellectus, ex quo infert Logicam nõ eſſe practicam, quia ratio practici dicit ordinem ad praxim, operatio intellectus praxis eſſe nequit, cum eſſentialiter ſit ſpeculatio, quæ praxi opponitur. Fundamentum iſtud impugnaui Controu. 1. Punct. 2. vbi contra Scotum, & illius aſſeclas probaui noſtri intellectus operationem optimè poſſe rationem praxis habere, & hanc non dicere actionem diſtinctam à noſtri intellectus operationibus. 6

Fundamentum ſecundæ ſententiæ eſt, dari in Logica aliquos actus, qui practici eſſe nequeunt, quos poſtea obiiciam contra propriam ſententiam, & oſtendam tales actus practicos eſſe, vel ad Logicam non pertinere. 7

Eidem ferè fundamento, quo prima, tertia innititur ſententia, quæ aſſerit Logicam non eſſe propriè practicã, neque propriè ſpeculatiuam, negat enim eſſe ſpeculatiuam, quia non ſiſtit in cognitione ſui obiecti; & non affirmat ſimpliciter eſſe practicam, quia illius obiectum ſunt noſtri intellectus operationes, quibus ratio praxis conuenire nequit, quia hæc dicit actionem diſtinctã ab operationibus noſtri intellectus. Concedo ergo huic ſententiæ Logicam non eſſe ſpeculatiuam propter rationẽ, qua ipſa vtitur, & nego practicam dici non poſſe, quia verſetur circa operationes noſtri intellectus, quibus ratio praxis conuenire nõ poſſit, oſtendi enim loco citato optimè prædictam rationem praxis noſtri intellectus operationibus conuenire. Quod ſi velis defendere praxim dicere actionẽ diſtinctam à noſtri intellectus operationibus alicui teſtimonio Philoſophi adhærens, contentio tantùm poterit eſſe de Philoſophi mẽte, in re enim omnes conuenimus Logicã dirigere noſtras intellectus operationes 8

&

Digitized by Google

& non alias ab his diſtinctas, quod nos dicimus ſufficere, vt practica appelletur, & tu dicis ſufficiens non eſſe vt à nobis practica dicatur, abſque eo quod tu neges in Logica formalitatem aliquam, quam nos concedamus, vel abſque eo quod nos aliquam formalitatem ab his, quas tu in Logica ponis auferamus aliáue ratione conſtituamus.

9 Poſſem pro quarta ſententia, quam amplector adducere D. Thomam opuſc. 70. in Boetium de Trinitate quæſt. de diuiſione ſcientiæ ſpeculatiuę, in reſponſione ad ſecundum, vbi expreſsè affirmant Logicam non eſſe ſpeculatiuam; ſed quia poterunt Authores ſecūdæ ſententiæ reſpondere Angelicum Doctorem dixiſſe eſſe practicam, & nō ſpeculatiuam, quia ſecundū maiorem partem actuum eſt practica, & tantùm ſecundùm aliquos ſpeculatiua, ab authoritate Doctoris Angelici abſtineo, & ratione meam concluſionem probo. Logica verſatur circa intellectus operationes dirigendas: ſed directio operationum intellectus eſt praxis, ſeu operatio: ergo verſatur circa operationem, ſeu praxim: ergo Logica eſt practica. Non verſari circa aliquod obiectum merè illud ſpeculando ſic probo. Totum Logicæ obiectum adæquatum ſunt intellectus operationes, harúmque directio, videlicet conſtructio definitionis, diuiſionis, propoſitionis, argumentationis: ſed hæc omnia fiunt à Logica, quæ verſatur circa illa dirigendo intellectum, vt rectè hæc ſciendi inſtrumenta conficiat: ergo totum obiectum circa quòd Logica verſatur eſt operabile, & circa illud modo operabili verſatur.

10 Reſpondent Authores oppoſitæ ſententiæ Logicam ipſam circa obiectum à ſe factum poſt ipſam operationem tendere ſpeculatiuo modo, ſicut artifex factâ domo merè ſpeculatiuè conſiderat eſſe diuturnam, & à frigore defendere. Contra conſideratio paſſionum, vel proprietatum obiecti facti à Logica vel conducit ad operationes intellectus dirigendas, vel non conducit: ſi conducit, erit practica; ſi non conducit, non pertinebit ad Logicam quia hæc tantùm agit de operationibus dirigendis, non verò de ipſis operationibus ſecundùm ſe, nec de ipſa directione, niſi quatenus ab ipſa Logica procedente. Contēplatio enim inſtrumentorum ſciendi ſecundùm ſe non ad Logicum, ſed ad Philoſophum, vel Metaphyſicum attinet. Exemplum de architecto nihil probat, quia quando conſiderat artifex domum eſſe diuturnam, & defendentem à frigore, conſiderat id quod artifex intendit facere, quia intendit facere domum defendentem à frigore, hoc eſt, tali modo diſpoſitam vt à frigore defendat. Cognitio enim, quæ pertinet ad artificem, & in qua ars actualis conſiſtit, dicit, domus ita facienda eſt vt à frigore defendat, ex vi cuius artifex domum facit tali modo diſpoſitam, vt à frigore defendat.

11 Inſtabis: artifex conſiderat domum iam factam, quæ conſideratio ad domum faciendam nequit deſeruire, ac proinde neque practicam eſſe, ſed purè ſpeculatiuā. Reſpondeo domum factam poſſe conſiderari vt iam factam præciſè, vel poſſe conſiderari vt factibilem ex ſe, vel quatenus poteſt in illa corrigi aliquis error, ſi forſan in illius ſtructura ſit commiſſus. Si poſteriori modo conſideretur, cognitio practica erit; ſi priori, cognitio illa ad artem architectandi non pertinebit, quod eâdem prorſus ratione in Logica contingit, poſſum enim ego examinare circa ſyllogiſmum iam factum, an habeat omnem conformitatem cum præceptis Logicæ cognitione præciſè ordinata ad illum ſyllogiſmum ſpeculandum, ita vt ſi appareat ſyllogiſmum non eſſe legitimum, ex vi illius cognitionis non ego potero ſyllogiſmum legitimum conficere, & tūc cognitio illa practica non erit. Poſſum inſuper inſpicere an ſyllogiſmus à me factus habeat conformitatem cum præceptis Logicæ, vt ſi proprietates illæ in ſyllogiſmo facto deſiderentur, alium conficiam, in quo reperiatur omnimoda conformitas cum Logicæ præceptis, & tunc talis conſideratio ſpectabit ad Logicam, & erit practica.

12 Inſtabis: quando ego conſidero ſyllogiſmum à me factum non eſſe iuxta regulas artis, & ideo ſyllogiſmum alium regulis illis conformem efficio, duplicem reperiri cognitionem, quandam ex vi cuius detego ſyllogiſmum non eſſe legitimum, aliam, quæ præſcribit modum, quo alius ſyllogiſmus legitimus ſit faciendus, qui loco legitimi ſubſtituatur, ex quibus poſterior erit practica, quia præſcribit modum, quo faciendus eſt alius ſyllogiſmus; & prior ſpeculatiua, quia illa immediatè nō præſcribit modum, quo faciendus eſt talis ſyllogiſmus, ſed proponit malitiam ſyllogiſmi iam facti, ex qua moueor ad faciendum alium directum præceptis Logicæ, & non cognitione qua deprehenditur malitia prioris ſyllogiſmi: ergo prior illa cognitio practica non eſt, quia non ex eo, quod mouear ego, ad aliquid faciendū ex hoc obiecto cognito, cognitio talis obiecti practica eſt, aliàs cognitio qua Deus cognoſcit hominum peccata, practica eſſet, quia ex peccatis cognitis mouetur Deus ad pœnam infligendam.

Reſpondeo cognitionem illam priorem, ex vi cuius tantùm deprehenditur malitia ſyllogiſmi iam facti, & tantùm deſeruit ad alium legitimum faciendum applicando motiuum, quo voluntas determinatur ad faciendum alium ſyllogiſmum, per ſe, & intrinſecè, non pertinere ad Logicam, ſed tantùm extrinſecè, quatenus ego illam elicio ex intentione faciendi ſyllogiſmum, ſi forſan errorem aliquem deprehenderim in ſyllogiſmo iam facto, & ita ſicuti extrinſecè, & non per ſe pertinet ad Logicam, ſic poteſt extrinſecè, & non per ſe, ſed ratione intentionis, à qua procedit dici practica, etiamſi intrinſecè & per ſe cognitio ſit ſpeculatiua, vt rectè probat ratio facta. Neque obſtat Logicam frequenter vti tali cognitione, vt dicamus adhuc talem cognitionem Logicam non eſſe, ſed Philoſophicam, aut Metaphyſicam, quia Naucleros vtitur cognitione coniunctionis ſyderum, vt temporis opportunitatem ad nauigandum agnoſcat, & tamen cognitio circa ſyderum coniunctionem, & temporis tranquillitatem non pertinet per ſe formaliter ad artem Nauticam, ſed ſupponitur ad exercitium ipſius artis: ſic affirmo in præſenti Logicum ſpeculantem malitiam huius ſyllogiſmi, ex qua mouetur ad rectum ſyllogiſmum faciendum regulis artis directum, vti cognitione ſpeculatiua circa malitiam ſyllogiſmi iam facti, quæ formaliter non pertinet ad Logicam, ſed ad Philoſophiam, ſeu ad Metaphyſicam, vt ex illa moueatur ad faciendum ſyllogiſmum directum Logicæ præceptis, ſicuti Nauclerus vtitur cognitione pertinente ad Aſtrologiam, vt ex illa moueatur ad nauim ducendam iuxta præcepta Nauticæ artis. 13

Obiiciunt Authores aſſerentes Logicam habere aliquos actus ſpeculatiuos: Hæ cognitiones, definitio & definitum connectuntur; genus latiùs patet ſuis differentiis; concluſio identificatur cum præmiſſis pertinent ad Logicam, & tamen non ſunt practicæ: ergo non omnis cognitio practica pertinet ad Logicam. Priorem partem antecedentis nemo negabit, poſteriorem probo. Illa quæ indentificantur ſunt obiectum definitionis cum obiecto cognitionis, per quam cognoſcitur definitum, & obiectū concluſionis cum obiecto præmiſſarum. Similiter, illud quod latiùs patet eſt obiectum, quod ex vi cognitionis genus denominatur reſpectu obiecti, quod ex vi cognitionis denominatur differentia: ſed hæc maior extenſio generis & illorum extremorum identitas ſunt independentes à prædictis cognitionibus: ergo prædictæ cognitiones per ordinem ad hæc obiecta practicæ non ſunt. Reſpondeo hos Logicæ actus non verſari circa conceptus obiectiuos, ſed circa formales, quod probaui Punct. 5. & ita eſſe practicos, ſonant enim, ſic conficienda eſt definitio vt illius ſignificatum ſit idem cum ſignificato cognitionis, per quam repræſentatur definitum: tales præmiſſæ debent in ſyllogiſmo adduci, taliſque debet eſſe concluſio, vt huius illarumque obiectum ſignificatum realiter ſit idem; demum talis debet eſſe cognitio generis vt ad plura ſe extendat obiecta, quàm cognitio alterius differentiæ, quæ cognitiones practicæ ſunt, deſeruiunt enim, vt iuxta modum ab illis præſcriptum efficiatur definitio formalis, formales præmiſſæ, concluſio formalis, & formales conceptus generis, & differentiæ. Idē dico de illis principiis, dici de omni, & dici de nullo, quia immediatè dirigunt intellectum, vt ex propoſitione vniuerſali affirmatiua particularem affirmatiuam inferam, & ex vniuerſali negatiua particularem negatiuam deducā. 14

Pvnctvm IV.

De vtilitate, & neceſſitate Logicæ ad alias ſcientias.

Dvplici ratione vtilis eſt Logica omnibus aliis ſcientiis. Primò dirigendo intellectum ad ſciendi inſtrumenta facienda, videlicet definitionem, diuiſionem, argumen- 1

Digitized by Google

argumentationem, quibus ſcientiæ omnes vtuntur. Secundò ſuppeditando generalia media ad diſputandum, & diſcurrendum de rebus omnibus, oſtendendo videlicet locos communes,& ſedes argumentorum, ex quibus argumenta ad quamcumque rem probandā deſumi poſſunt. Primum illud ſpectat ad formam argumentandi, ſecundum ad materiam; quamuis enim quælibet ſcientia habeat media ſingularia ad ſuas concluſiones inferendas, tamen Logica omnibus præbet generalia quædam media ex locis communibus deſumpta,v.g.de locis definitionis deſcriptionis, notationis,partium,totius,cauſarum, effectuum,antecedentium,conſequentium,repugnantium,ſimilium &c. de quibus omnibus doctè, & latè Noſter Fonſeca lib.7. conſtitut. Dialecticarum à cap. 10. vſque 38. Hæc pars topica vt diſtincta à reliquis iuxta ſtrictam nominis ſignificationem, Dialecticæ nomen ſibi aſſeruare debebat, vt eruditè oſtendunt Noſtri Conimbricenſes quæſt. 4. Proœmial. artic. 1.iam tamen vſu receptum eſt Dialecticæ nomen extendi ad hanc partem topicam, & ad alias, quæ ſpecialiter Logicæ nomine gaudebant.

2 Hæc duo præſtat Logica reliquis ſcientiis immediatè per proprios actus, habitus enim Logicæ immediatè ad actus aliarum ſcientiarum non concurrit, neque ab illis gignitur, ſed tantùm à Logicæ actibus; omnis enim habitus concurrit ad actus ſimiles illis, à quibus producitur. Actus Logicæ directiuè concurrere ad actus reliquarum ſcientiarum conſtat ex dictis de natura Logicæ docentis,& vtentis, vbi per directionem explicuimus docentis & vtentis Logicæ formalitates. Neque alius eſt actiuus influxus neceſſarius procedens à Logicæ actibus terminatus ad actus aliarum ſcientiarum, eo enim ipſo, quod per actus Logicæ inſtruatur intellectus de modo, quo faciendum eſt ſciendi inſtrumentum, oblata materia cuiuſcumque ſcientiæ intellectus facilis eſt ad inſtrumenta ſciendi conficienda, quæ elicitiuè procedant à ſcientia illa,ad quam ſpectant,& directiuè à Logicæ actibus,vt latiùs dicebam Punct.2.n.17.

3 Ad definiendum quomodo Logica neceſſaria ſit ad alias ſcientias ſuppoſito modo influendi in illas, ſciendum eſt duplicem eſſe neceſſitatem, vnam ad ſimpliciter operandum,quæ ſuppleri nullo modo poteſt,qua neceſſitate exiſtentia ad operandum requiritur. Alia eſt neceſſitas ſecundùm quid vel ad melius, quæ ſuppleri poteſt aliquo labore, vt neceſſitas, quam habeo equi,vel currus ad eundum Matritum. Deinde in memoriam reuocandum eſt Logicam actualem aliam,quandam eſſe habitualem; Logica actualis dicitur ipſe actus Logicæ;habitualis Logica appellatur habitus,à quo procedit actus, qui dicitur Logica actualis. His præmiſſis nonnullis concluſionibus breuiter rem definio.

4 Prima conclvsio. Quilibet actus ſcientificus cuiuſlibet ſcientiæ poteſt acquiri ſine Logica actuali,& ſine habituali. Probo hanc concluſionē:priores actus ſcientifici Logici acquiruntur ſine Logica præcedenti: ergo ſimiliter poterunt alij acquiri, cuiuſcumque ſcientiæ ſint. Secundò probatur:poſſunt præmiſſæ cuiuſcumque concluſionis in particulari,& illarum cum concluſione connexio agnoſci ſine Logica: ergo poteſt acquiri ſcientia actualis ſine Logica. Antecedens patet in pluribus illationibus,quas homines nulla inſtructi ſcientia conficiūt: ruſticus enim dicit,*homo ſentit quia eſt animal,* quæ cauſalis propoſitio hanc inuoluit demonſtrationem:*Omne animal eſt ſenſitiuum: Homo eſt animal: ergo homo eſt ſenſitiuus.* Quod ſi aliæ ſunt concluſiones, de quibus non eſt eadem ratio, quia difficiliùs illarum connexio cum præmiſſis agnoſcitur,difficultas illa vinci poterit maiori ſtudio,& ingenij perſpicacia, quibus ſine Logica quiſque poterit aſſequi perfectam notitiam illarum præmiſſarum cum concluſione. Addo difficultatem vinci non poſſe Logica actuali, aut habituali, quia non oſtendit connexionem præmiſſarum in particulari cum concluſione, ſed docet quomodo diſponendæ ſunt præmiſſæ,quæ aliàs cum concluſione cognoſcantur connexæ,vt ex illis per diſcurſum legitimum inferatur concluſio.

5 Secvnda conclvsio: Omnes actus ſcientifici omnium ſcientiarum metaphyſicè loquendo poſſunt acquiri ſine Logica. Infertur hæc concluſio manifeſtè ex præcedenti, quia ſi quilibet in particulari poteſt acquiri, vno acquiſito poterit alius, & alius acquiri, acquiſitio enim vnius non impedit aliûs acquiſitionem; imò ad illam adiuuat.

Tertia conclvsio: Moraliter loquendo implicat quocumque maximo ſtudio, atque labore acquiri ſimul actus alicuius ſcientiæ,ſine Logica actuali. Ratio concluſionis ſumenda eſt ex difficultate obiectorum,quę maxima eſt,& ex imbecillitate intellectus, idque experientia ſuadet, qua videmus hominem Logicæ ignarum vix vnum,vel alterum diſcurſum rectum efformare, ſed quàm plura, quantumuis polleat ingenio, repetitione terminorum inuoluere,& implicare. 6

Qvarta conclvsio: Non poteſt aliqua ſcientia moraliter loquendo ſecundùm omnes ſui partes ſine Logica habituali acquiri. Ratio eſt,quia non poteſt acquiri ſine pluribus actibus Logicæ, ex quibus neceſſariò conſurgit habitus, ac proinde habitus Logicæ connectuntur cum actibus aliarum ſcientiarum mediis actibus Logicæ, à quibus producuntur, quaſi quid conſequens actus Logicæ, qui aliarum actus antecedunt, & mediis aliis actibus,quos producunt tanquam principia mediata, quæ influunt in actus Logicæ immediatè dirigentes aliarum ſcientiarum actus. 7

Qvinta conclvsio: Logica actualis requiritur ad faciliùs, & minori labore, & abſque errandi periculo reliquas ſcientias acquirendas. Probatur concluſio ex tertia iam tradita,quia ſi moraliter nō poſſunt omnes actus ſcientiæ acquiri ſine actibus Logicæ, certum eſt actus Logicæ conducere ad aliarum ſcientiarum actus faciliùs exercendos. 8

Sexta conclvsio: Habitus Logicæ iuuat ad reliquas ſcientias faciliùs acquirendas. Probatur hæc cōcluſio ex proximè præcedenti:actus Logicæ requiruntur ad alias ſcientias faciliùs acquirendas: ergo habitus Logicæ,qui facilitatem inducit ad actus Logicæ prærequiſitos, mediis his iuuabit ad illas ſcientias acquirendas. 9

CONTROVERSIA III.

De Natura Vniuerſalis.

PLvra, quæ non pauci in hoc loco intempeſtiuè tractant, ſupponenda ſunt,vel legenda Controu.4.Metaph. vbi per totam latè ago de diſtinctionum generibus, & explico quid ſit realis diſtinctio,& diſtinctio rationis & quibus entitatibus hæc & illa conueniant.

Definiam ergo omnia, quæ ad præſentem materiam ſpectant, ex principiis ibi tradendis, quod ſi tibi videantur neceſſariò præmittenda ad explicandam Vniuerſalis naturam, non tibi difficile erit illorum lectionem præmittere, ſi adeas Controu.4. Metaphyſicam,quam hoc eodem volumine tibi offero. Ne tamen credas precor,ab illo loco eſſe extrahenda, & ad præſentem transferenda, quia neceſſaria ſunt ad intelligentiam eorum, de quibus in præſenti ſumus acturi, nihil enim propriùs ſibi vendicat Metaphyſica, quàm quæſtiones de diſtinctionum generibus,& prædicatis, in quibus ſingulæ diſtinctiones reperiantur, & ſi omnia, quæ perfectam intelligentiam eorum, de quibus tractat Logica eſſent præmittenda, neceſſariò Metaphyſica tota Logicam præiret. Poſſes forſan damnare me hîc agere de natura vniuerſalis, cuius eſſentiam iure optimo Metaphyſica ſpeculari debebat. Non inficior vniuerſalis naturam à Metaphyſica eſſe inquirendam, veruntamen negabit nemo, nec verbum poſſe dici de naturis quinque prædicabilium, quæ in Logica neceſſariò ſunt explicandæ, ſi priùs vniuerſalis natura nobis non innoteſcat, quapropter neceſſarium duxi hanc de vniuerſalis natura Controuerſiam præmittere.

Pvnct.

Digitized by Google

Pvnctvm Primvm.

Quid ſit vniuerſale.

1 VNiuerſale definiuit Ariſtoteles, 7. Metaph. text. 45. his verbis: Hoc enim dicitur vniuerſale, *quod in pluribus natura aptum eſt ineſſe*, & lib. de interpretatione c. 5. *Dico autem vniuerſale quod in pluribus prædicari natum eſt, vt homo quidem vniuerſalium eſt*, quas definitiones apud eundem Philoſophum ſimul repeties libro de Poſter. reſolut. cap. 10. text. 25. ex quibus quæ communiter circunferuntur Authores deduxerunt, *vnum aptum eſſe in multis*, & *vnum aptum prædicari de multis*. Ex quibus definitionibus conſtat requiri ad vniuerſale vnitatem, & multiplicabilitatem. Vnitatem exprimit verbum *vnum* in definitionibus expreſſum, multipicabilitas explicatur per aptitudinem ad eſſendum in multis, aut prædicandum de multis, quia quod eſt in aliquo, & de illo prædicatur neceſſariò indentificatur cum ipſo: ergo quod eſt in multis, & prædicatur de multis identificatur cũ multis: ergo fit multiplex: ergo in multa illa diuiditur, & multiplicatur: ergo omne aptum eſſe multis, & cõſequenter omne vniuerſale debet eſſe multiplicabile in multa, de quibus poſſit prædicari.

2 Ex natura vniuerſalis ſic explicata, deprehendes hoc nomen *vniuerſale* latiùs ſæpe patere vniuerſalis natura, de qua agimus in præſenti. Quædam enim vniuerſalia dicuntur propter multitudinem eorum, ad quæ dicunt ordinem, ſic principium aliquod ex quo plures poſſunt inferri concluſiones vniuerſale vocamus. Similiter nomen aliquod, quod ad plura ſingularia ſignificãda poteſt extẽdi, vniuerſale in ſignificando dicere ſolemus, & cauſam, quæ plures effectus ſpecie diſtinctos ſub ſe continet cauſam vniuerſalem, ſeu vniuerſale in cauſando ſolemus appellare. Secundùm has acceptiones dicimus hoc principium *quodlibet eſt vel non eſt*, ex quo plures inferuntur cõcluſiones eſſe vniuerſale, & hoc nomen *homo*, quo Petrum & Ioannem ſignificare ſolemus eſſe vniuerſale in ſignificãdo, quia plura ſignificat, & Solem, à quo plures effectus dependent cauſam eſſe vniuerſalem; nullum tamen horum vniuerſale dici poteſt ſecundùm acceptionẽ, de qua in præſenti agimus, quia principium illud non eſt multiplicabile in plura alia principia, neque nomen in plura nomina, neque Sol potens cauſare plures effectus in plures alios Soles eandem virtutem habentes. Infertur etiam eandem formam exiſtentem in pluribus ſubiectis, v. g. eandem animam rationalem exiſtentem in pluribus ſubiecti partibus vniuerſalem non eſſe, quia in omnibus ſubiectis eſt ſine ſui multiplicatione, eadem enim eſt rationalis anima exiſtens in capite, & in pede, eadémque eſſet exiſtens in aliis materiis adæquatè diſtinctis.

3 Ob eandem rationem natura diuina exiſtens in tribus perſonis vniuerſalis non eſt, quia in omnibus exiſtit ſine ſui multiplicatione, neque vnquam verum eſt dicere, natura diuina in tribus perſonis ſit triplex natura diuina, licèt enim perſonæ multiplicentur, natura diuina in ratione naturæ manet ſimplex, & immultiplicabilis. Neque ſufficit naturam vnam identificari cum multis diſtinctis, quando ex hac identitate non infertur multiplicitas ſecundùm naturam, ſicuti contingit in natura diuina, quæ identificatur cum tribus perſonis diſtinctis, in quibus eſt, nihilominus vniuerſalis non eſt, quia non eſt verum dicere, natura diuina eſt multiplex in tribus perſonis, etiamſi verum ſit dicere, natura diuina eſt identificata cum tribus perſonis. In creatis autem eo ipſo, quod entitas identificetur multiplici extremo, in ſe ſit multiplex, ideo quotieſcumque detur identitas cum multiplici extremo, non deficiet creaturæ multiplicitas requiſita ad vniuerſalis naturam.

4 Arguit etiam hæc vniuerſalis multiplicabilitas vnitatem, quam ſecum ferat vniuerſale, ea enim debet eſſe, quæ cum hac multiplicitate compatiatur, cùm enim vniuerſale ſit *vnum aptum eſſe in multis*, quod dicit formaliter vnum aptum multiplicari, neceſſum eſt in ipſo componi vnitas, & multiplicabilitas, licet non componantur vnitas, & multiplicatio, quia multiplicatio actualis deſtruit vnitatem. Itaque vniuerſale vnum debet eſſe multiplicabile, ſicuti vna quantitas vlnaris diuiſibilis eſt in duas ſemi-vlnares, cuius vnitas compoſſibilis eſt cum diuiſibilitate in duas ſemi-vlnares, non tamen cum diuiſione, quia eo ipſo quod quantitas vlnaris in duas ſemi-vlnares diuidatur, iam non manet cum vnitate quantitatis vlnaris, quæ deſtruitur formaliter per ipſam diuiſionem. Vnitas hæc compoſſibilis cum mutiplicabilitate indiuidualis vnitas eſſe non poteſt, quia indiuiduum eſt multiplicabile, impartibile in alia indiuidua cum quibus identificetur, dicit enim indiuiduatio indiſtinctionem rei indiuiduæ à ſe ipſa, & diſtinctionẽ à quolibet alio, neque ex eo quod indiuiduum poſſit multiplicari in ſuas partes habet vnitatẽ ſufficientem, vt poſſit dici vniuerſale, quia vniuerſale dicit multiplicabilitatẽ reſpectu plurium, cum quibus adæquatè identificetur, quæ multiplicitas componi nequit cum vnitate indiuiduali, quam indiuiduum importat.

Excluſa vnitate indiuiduali à natura vniuerſalis tantùm illi ſupereſt vnitas ſpecifica, vel generica, cuius beneficio plura adunantur, quæ indiuidualiter diſtinguuntur, ita tamen vt de illorum quolibet ratio illa vna ſecundùm ſe totam formaliter ſumpta prædicetur modo explicato. Exempli gratia, ex vi vnitatis ſpecificæ identificatur Petrus, Ioannes, Franciſcus, & reliqua indiuidua naturæ humanæ, & ſiunt vnus homo, qui homo quatenus iis identificatur cum quocunque indiuiduo, vt de illo poſſit ſecundùm ſe totum prædicari, & ita in omnia indiuidua multiplicari, vt totum id, quod formaliter in ſtatu abſtractionis dicebat, ſit in quolibet indiuiduo, & in ipſis ſiat multiplex homo, quorum quilibet dicat totam rationem adæquatam, quã dicebat ſimplex conceptus hominis antequàm illius obiectum in ordine ad intellectum, reſpectu cuius erat vnum, in plures homines multiplicetur. Idem contingit in genere reſpectu ſpecierum, per vnitatem enim genericam adunantur plures ſpecies, v. g. homo, equus, & leo in vno animali, quod poſtea adæquatè de illarum qualibet multiplicatur. Quid verò importet hæc vniuerſalis vnitas dicam Punct. 4. & quomodo totum vniuerſale identificetur adæquatè cum quocumque ſingulari, explicabo Punct. 5. & ex doctrina ibi tradenda conſtabit non implicare rem vnam vnitate formaliter requiſita ad vniuerſale conſtruendum in plura inferiora multiplicari. 5

Pvnctvm II.

An ante operationem intellectus detur vniuerſale, ſeu vnitas poſitiua multis communis?

ARiſtoteles 1. Metaph. à textu 25. & 7. Metaphyſ. à textu 44. & 1. Ethic. cap. 6. adſcribit Platoni ſententiam quandam aſſerentem, rerum ſpecies, quæ ideæ ſecundùm hanc ſententiam appellantur per ſe exiſtere, eſſéque naturam vniuerſalem & veluti exemplaria naturarũ ſingularium: v. g. hominis eſſentiam aſſerebat hæc opinio in communi per ſe exiſtere, quam potiſſimum hominẽ appellabat, quia particulares homines, nõ abſolutè & ſimpliciter homines, ſed hi homines dicerentur. D. Aug. lib. 83. quæſtionum, quæſt. 46. Plotinus, Iamblicus, Philoponus, Simplicius, & alij Platonici cenſent Platonem poſuiſſe ideas rerum in mente Dei, non verò extra Deum exiſtentes, falſóque prædictum errorem Ariſtotelem impoſuiſſe Platoni; vel quia illum non intellexit, vel vt aliquid Magiſtro adſcriberet, quod ab ipſo poſſet impugnari; vel demum ſententiam iſtam ab Ariſtotele non impugnari vt traditam à Platone, ſed vt intellectam à Xenocrate & aliis Philoſophis illius temporis. Philoſophum Platonis mentem non percalluiſſe, difficilè, credã, cùm illũ viginti annis docentem audierit, quibus millies eandem ſententiã à Platone, traditam, & explicatam accipere neceſſum fuit, ſidémque ſuperare videtur poſt tam diuturnã eiuſdem doctrinæ explicationem, nunquam viuido & perſpicaci Philoſophi intellectu fuiſſe perceptam. Platonis ſententiam vt ab ipſo traditam, & non vt ab aliis Philoſophis intellectam ab Ariſtotele fuiſſe impugnatam, ſuadente ex eodem Philoſopho 1. Ethic cap. 6. vbi de hac re loquens ingenuè fatetur ſe veritatis cauſã, etiam amicos (Platonem intelligebat) deferere. Demum Philoſophum ſententiam hanc Magiſtro non impoſuiſſe licet conijectari, quia nimia eſſet impudentia, ſi præceptorem ſuum in re grauiſſima, & omnibus Platonis audito- 1

ribus nota voluiſſet calumniate. Tandem illa ſententia non obſcurè legitur apud Platonem in Dialogo, quem *Parmenidem* inſcripſit, vbi expreſſè docet ideas non eſſe notiones, ſed notionum obiecta, neque in animis exiſtere, ſed tanquam exemplaria in natura conſiſtere. Accedit quod Plato tria poſuit rerum perpetua principia, Deum, Ideam, & Materiam. At ſi Idea eſſet in mente Dei non eſſet diſtinctum principium à Deo. His non obſtantibus adhuc in re leuis momenti, quæ minimè ad doctrinam ſpectat, nihil contra Diui Auguſtini mentem aſſerere audebo, à quo neque grauioribus aliis fundamentis recederem. Neque de hac re definienda quidquam curo, lege ſi vis Patres Conimbr. in præfatione Porphyrij quæſt.1.art.3. qui eruditè referunt omnes, qui ab hac calumnia Platonem liberare contendunt.

2 Cuiuſcumque ſit relata ſententia, falſiſſima eſt & abſurda, quod ſic oſtendo. Nihil reperitur in rerum natura, quod non habeat eſſe ſingulare, & determinatum, quod implicat eſſe vniuerſale, quia quidquid habet eſſe ſingulare, & determinatum non eſt indifferens ad plura, quod eſt de conceptu quidditatiuo vniuerſalis, ſed contractum & determinatum ad vnum, quod eſt de ratione quidditatiua ſingularis, & eſſentialiter oppoſitum cum eſſentia vniuerſalis. Quod autem habeat eſſe determinatum, & ſingulare quidquid eſt in rerum natura exiſtit, ſic euincitur. Quidquid eſt in rerum natura præter Deũ habet eſſe ab alio: ergo productum per aliquam actionem à cauſa prima, vel ſecunda adiuta à prima: ſed omnis actio verſatur circa rem determinatam, nam ſi cauſa aliquid producit, producit rem diſtinctam ab entitate, quæ producta non eſt, & poſtea producetur: ergo ſi diſtinguitur, vnitatem aliquam, & determinationem debet in ſe habere. Secundò, ratio illa ſeparata vel diſtinguitur, vel non diſtinguitur à prædicatis, quæ ſunt in indiuiduo. Si non diſtinguitur: ergo eſt ſingularis, & diſtincta in omnibus indiuiduis, ſicuti ſunt horum indiuiduales differentiæ: ſi diſtinguitur, diſtinguitur tanquam res à re vel modo ſuperaddito, & indifferens non erit vt ſit in indiuiduis, niſi forſan eo modo, quo materia prima eſt indifferens vt ſit ſub pluribus formis, quas ſimul poteſt recipere, ſicuti de facto accidentales recipit, quæ diſtinctio eſt rei ſingularis à pluribus aliis ſingularibus, quibus poteſt produci: ergo non niſi per inſignem chymeram fingi poteſt hæc vniuerſalis idea extra intellectum in rerum natura exiſtens. Me vide Controu. 4. Metaphyſicæ, Punct. 3. vbi ex inſtituto probo omnia prædicata Metaphyſica in indiuiduis reperta realiter identificari cum differentia indiuiduali, ex qua doctrina hæc vniuerſalis idea & quælibet alia natura ante intellectum vniuerſalis longè abigetur.

3 Commune eſt inter Thomiſtas, & alios quàm plures Authores docuiſſe Scotum in 2.diſtinct.3.quæſtion.1.&7. Metaphyſ. quæſt. 18. dari à parte rei naturas, quæ denominantur vniuerſales, & formam illam à qua actu, & formaliter vniuerſales denominantur. Horum fundamentum eſt Scotum conceſſiſſe naturam communem omnibus indiuiduis ex natura rei ante omnem intellectus operationem formaliter diſtinctam à differẽtiis indiuidualibus, habentémque vnitatem formalem prædicta diſtinctione à numerica diſtinctam, multiſque communem, per quam vnitatem tanquam per vniuerſalitatem, naturam formaliter vniuerſalem conſtitui neceſſe eſt. Veruntamen Merinero nobilis inter omnes recentes Scoti diſcipulos, & ſedulus illius doctrinæ inueſtigator capit. 1. de vniuerſalibus diſput. 2. quæſtion. 1. acriter inuehitur in illos, qui opinionem hanc Scoto adſcribunt, quam ſubtilem Doctorem nunquam defendiſſe, potiùs oppoſitam docuiſſe, mea quidem ſententia efficaciter probat teſtimoniis ex ipſo Scoto deductis, quæ ad verbum refert loco citato. Fundamentum, quo ſententiam iſtam Thomiſtæ aliique plures Scoto tribuerunt, eſt, dediſſe Scotum naturis, quatenus eſt ex ſe ſecundùm ſuum eſſe quidditatiuum communitatem quandam, ſeu indifferentiam ad plura indiuidua, quam negatiuam eſſe aſſerebat Scotus, & ideo inſufficientem ad vniuerſale conſtituendum, quod formaliter dicit poſitiuam communitatem; Thomiſtæ verò exiſtimarunt ab Scoto communitatem poſitiuam admitti, & ideo aſſeruere ab ipſo concedi vniuerſalitatem, ſeu formam, per quam conſtituitur vniuerſale ante omnem intellectus operationem. Quid verò de hac vniuerſalitate negatiua ſentiendum ſit, dicam Punct. 3.

P. Fonſeca 5. Metaph. cap. 28. q. 3. duplicem ſtatum in natura meditatur, vtrumque ante omnem intellectus operationem. Primum, in quo eſt prior ſingularitate, ad quam contrahitur, & indifferens vt ad hanc vel illam ſingularitatem contrahatur. Poſteriorem, in quo eſt iam ad talem ſingularitatem contracta. In hoc poſteriori ſtatu naturæ nullam vniuerſalitatem competere affirmat, in priori verò eandem naturam vniuerſalem eſſe dicit, quia natura, quæ eſt in Petro, vt eſt prior ſingularitate, eſt indifferens, & indeterminata ad omnia indiuidua, & quia à parte rei eſt prior ſingularitate, à parte rei habet hanc indifferentiam, & à parte rei eſt vniuerſalis, habet enim vnitatem, & aptitudinem ad multa, quibus natura vniuerſalis formaliter conſtituitur. Sententiam Fonſecæ defendit etiam Soncinas 7. Metaph. q.4. 4

Sententia iſta iuxta noſtra principia, quæ nullam admittit diſtinctionem inter gradus ſuperiores, & differentias indiuiduales, nullatenus poteſt ſubſiſtere, quia vbi non eſt diſtinctio non poteſt eſſe contradictio, neque indifferentia ad contractionem, nihil enim per ſe ipſum contrahitur, neque ad ſe ipſum eſt indifferens: ſed natura humana, quæ eſt in Petro, nullam diſtinctionem habet ante operationem intellectus reſpectu differentiæ indiuidualis, cum qua coniungitur: ergo nunquam potuit eſſe indifferens, vt contraheretur per talem differentiam, vel per aliam ab ipſa diſtinctam: ergo in nullo priori fuit vniuerſalis. Secundò admiſſa diſtinctione formali ex natura rei inter prædicata ſuperiora, & differentias indiuiduales, Fonſecæ ſententiam impugno. Etiamſi prædicata ſuperiora ex natura rei formaliter diſtinguantur à differentia indiuiduali, nihilominus realiter cum illa identificantur: Sed illa, quæ realiter identificantur, etiamſi formaliter ex natura rei ſint diſtincta, neque antecedenter de potentia Dei abſoluta ſeparari poſſunt: ergo nullus fuit ſtatus, in quo prædicata ſuperiora, quæ ſunt in Petro contracta per hanc differentiam indiuidualem, haberent indifferentiã, vt à tali differentia ſepararentur: ergo in nullo ſtatu habuerunt indifferentiam, vt per hanc, vel per illam differentiam indiuidualem contraherentur: ergo in nullo ſtatu præcedente operationem noſtri intellectus habuerunt hanc indifferentiam. Prædicata ſuperiora identificari realiter cum differentiis indiuidualibus concedit Fonſeca, & propugnat Scotus cum omnibus, qui diſtinctionem formalem ex natura rei defendunt. Illa, quæ realiter identificantur, non poſſe realiter ſeparari, etiamſi ex natura rei formaliter diſtinguantur, concedunt omnes nemine dempto, & per ſe notum eſt, ſi enim ſeparatio cum identitate componeretur, poſſemus dicere, Petrùm modò exiſtentem habere identitatem cum Ioanne, qui nondum exiſtit, & non diſtingui ab illo realiter, ſed tantùm formaliter ex natura rei. 5

Dices naturam eſſe indifferentem, vt contrahatur per hanc, vel illam indiuiduationem in illo priori, in quo eſt indifferens, vt producatur, & non producatur; & in illo priori, in quo eſt Deus indifferens ad producendum Petrum, vel Paulum, quia in illo priori Deus eſt indifferens, vt producat naturam humanam in Petro, vel in Paulo. Reſpondeo, naturam nunquam habere phyſicam indifferentiam, vt producatur, vel non producatur, quia vt oſtendam Controu. 2. de anima Punct. 1. antequam res formaliter ſit exiſtens, nihil illius eſt, neque poſſibilitas rei importat aliquid diſtinctum formaliter ex parte obiecti ab ipſa re exiſtente, ac proinde hæc differentia ad exiſtendum tantùm eſt obiectiua, quia id, quod phyſicè non eſt, non poteſt eſſe Phyſicè indifferens: ſed entitas antequam ſit exiſtens, & producta, phyſicè non eſt: ergo non poteſt eſſe phyſicè indifferens: ergo tantùm habet obiectiuam indifferentiam. De hoc latiùs loco citato. Reſpondeo ſecundò, admiſſa hac indifferentia ad exiſtendum, & non exiſtendum, adhuc naturam nunquam futuram eſſe indifferentem, vt contraherentur per differentias indiuiduales, quia in illo ſtatu, in quo natura conſideretur eo modo, quo eſſet in illo eſſet contracta cum propriis differentiis indiuidualibus, & eandem indifferentiam, quam haberet natura ad exiſtendum, & non exiſtendum, haberent differentiæ indiuiduales cum illa identificatæ, neque vnquam eſſet indifferens ad exiſtendum cum his differentiis indiuidualibus, vel cum illis, ſed eo 6

ipſo

Digitized by Google

ipſo quod exiſteret hęc natura, quæ modò in me contracta dicitur, debuit exiſtere cum meis differentiis indiuidualibus, & eo ipſo, quod eadem natura poſſibilis eſſet, & indifferens ad exiſtendnm, eandem poſſibilitatem, & indifferentiam haberet mea differentia indiuidualis, ita vt nullo ſtatu præſcindibilis eſſet ante intellectus operationem natura, quæ modò eſt in me, à mea differentia indiuiduali in eodem ſtatu eadem ratione ſe habente.

7 Ad illud quod dicitur, videlicet Deum eſſe indifferentem ad producendam naturam in Petro, vel in Paulo, reſpondeo Deum eſſe indifferentem ad producendum Petrum, vel Paulum, & conſequenter naturam Petri, vel naturam Pauli; non tamen eſſe indifferentem ad producendam naturam eandem realiter in Petro, vel in Paulo, quia eo ipſo, quod produceret Petrum, illum produceret cum tali natura, quam non poſſet cum aliis differentiis indiuidualibus, neque in alio à Petro producere. Ex quo infertur Deum eſſe indifferentem ad producendam naturam, quam voluerit ex pluribus naturis, quamlibet in illo indiuiduo, cum quo eſt identificata, non verò ad producendam eandem naturam in hoc, vel in illo indiuiduo, ac proinde nullam dari naturam ante operationem intellectus indifferentem ad plura indiuidua, quam dari neceſſum erat, vt daretur ante operationem intellectus natura vniuerſalis.

8 Age iam, admitto, quod falſiſſimum eſt, dari naturam ante omnem operationem intellectus indifferentem, vt contraheretur per hanc, vel per illam differentiam indiuidualem, ita vt natura Petti, quæ per Petritatem fuit contracta, poſſet contrahi per Pauleitatem, adhuc affimo naturam illam, ſic indifferentem ad plura indiuidua vniuerſalem non eſſe futuram. Ratio eſto: natura illa non eſſet indifferens ad plura indiuidua, ita vt poſſet ſimul cōtrahi ad plura ſimultate ſe tenēte ex parte actus, ſed tātùm eſſet indifferēs ad plures cōtractiones ſub diſiunctione futuras, hoc eſt, vt contraheretur per hanc, vel per illam; non verò per hanc, & per illam contractionem inter ſe coëxiſtentes, & ſimul eandem naturam actu contrahentes, quia eadem natura non poteſt ſimul duo indiuidua realiter diſtincta conſtituere, quia conſtituit indiuidua per contractionem identitatis cum differentiis indiuidualibus, & licet daremus naturam indifferentem, vt contraheretur per identitatem ad hanc, vel illas differentias indiuiduales inter ſe diſtinctas, non tamen concedenda eſſet natura potens contrahi ſimul per identitatem ad differentias inter ſe diſtinctas, in quibus multiplicatur: implicat enim eandem rem contrahi per identitatem ad res oppoſitas, in quibus fiat realiter multiplex, quæ antea realiter fuerat vna ſimplex entitas, quod per ſe motum eſt quia etiamſi natura diuina contrahatur per identitatem ad perſonalitates diſtinctas in illis non multiplicatur, ſed ſemper manet eadē ſimplex natura: ergo adhuc entitas illa contrahibilis per plures identitates ſub diſiunctione non eſſet vniuerſalis. Probo conſequentiam: de ratione quidditatiua Vniuerſalis eſt, vt in inferioribus multiplicetur, & vt ſimul cōtrahatur ad plura indiuidua, vt patet in hoc vniuerſali *homo*; quod non tantùm eſt indifferens, vt cōſideretur in Petro, vel in Paulo, & vt prædicetur de hoc, vel de illo; ſed etiam vt conſideretur in Petro, & in Paulo, & vt prædicetur de vtroque, & vt ſimul dicamus *Perus eſt homo: Paulus eſt homo*. Sed natura illa non haberet hanc multiplicabilitatem: ergo natura illa nō eſſet vniuerſalis.

9 Ex his infeto, quod etiamſi daretur diſtinctio ex natura rei formalis inter prædicata ſuperiora, & inferiora, quę ſunt in Petro, non ideo dicendum eſſe dari naturam aliquam vniuerſalē; quia non ideo daretur vna natura multiplicabilis in plures naturas, quia natura humana, quæ eſſet in Petro diſtincta formaliter ex natura rei à differentia indiuiduali Petri, non eſſet realiter eadem cum natura humana Pauli, quæ eſſet in Paulo diſtincta formaliter ex natura rei à differentia indiuiduali; quia identitates reales, quas haberent hæ naturæ cum differentiis indiuidualibus, ratione quarum multiplicantur, impedinnt naturas inter ſe identificari, & fieri vnam naturam. Quòd ſi natura Petri, & natura Pauli eſſet eadem natura identificata cum pluribus differentiis indiuidualibus, ratione quarū in ratione naturæ non multiplicaretur, adhuc vniuerſalis nō eſſet, ſicuti vniuerſalis non eſt natura diuina, etiāſi identificetur cum tribus perſonalitatibus diſtinctis, quia non ſit multiplex in ratione naturæ, etiamſi cum multiplici perſonalitate identificetur. Daretur autem ante operationem intellectus vniuerſalis natura, ſi daretur natura, quæ ante operationem intellectus eſſet vna, & ante operationem identificaretur cum differentiis indiuidualibus inter ſe diſtinctis, ratione quarum eademmet natura, quæ fuerat vna fieret plures naturæ inter ſe diſtinctæ, quod fieri manifeſtam inuoluit repugnantiam.

Standum eſt communi ſententiæ, quam defendunt D. 10
Thomas 1. part. quæſt. 85. art. 12. & quæſt. 29. art. 7. & ferè omnes Doctores, non dari ante operationem intellectus naturam vniuerſalem, neque vnitatem aliquam multis communem minorem vnitate numerica, aut ab illa diſtinctam. Ratio petenda eſt ex identitate differentiarum indiuidualium cum omnibus prædicatis ſuperioribus, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur, quam modò ſuppono: quod ſi illā à me ſupponi nō patiaris, adito Punct. 3. Controuerſ. 4. Metaphyſicæ, vbi illam latè probo. Ex hac identitate differentiarum indiuidualium cum prædicatis ſuperioribus efficacia deſumuntur argumenta ad probandam ſententiam iam traditam. Primum eſto: Differentia iudiuidualis Petri identificatur cum natura Petri: ſed differentia indiuidualis Petri non eſt communis Ioanni, neque habet vnitatem communem Ioanni, aut diſtinctam ab vnitate nnmerica: ergo natura humana Petri non eſt communis Ioanni, neque habet vnitatem communem Ioanni, aut diſtinctam à numerica. Maiorem ſtatuimus modò, probandam poſtea loco citato: Minorem admittunt omnes: conſequentia eſt legitima, quam ſic cortoboro. Ex duabus entitatibus identificatis realiter implicat aliquid realiter vni conuenire, quod non conueniat realiter alteri, aliàs idem conueniret, & non conueniret eidem entitati: ſed natura humana quæ eſt in Petro, & differentiæ indiuiduales Petri identificantur: ergo implicat aliquid conuenire naturæ humanæ, quæ eſt in Petro, quod non conueniat differentiis indiuidualibus ipſius Petri: ſed differentiis indiuidualibus Petri non conuenit eſſe communes Ioanni, neque habent aliquam vnitatem communem Ioanni, aut minorem vnitate numericâ: ergo neque aliquid horum conuenit naturæ humanæ, quæ eſt in Petro.

Secundò: Si natura eadem eſſet in multis indiuiduis, 11
& multiplicata ratione differentiarum indiuidualium, eſſet eadem, & non eſſet eadem: Eſſet eadem, vt ſupponitur; non eſſet eadem, quia eſſet multiplex, vbi autem intercedit multiplicitas, diſtinctionem identitati contradictorie oppoſitam intercedere neceſſe eſt, multiplicitas enim conſurgit ex rebus diſtinctis, diſtinctionem autem opponi contradictoriè cum identitate certum eſt, quia etiamſi dicatur vnitatem & diſtinctionem in rebus poſitiuis eſſe entitates poſitiuas, quæ immediatè non opponuntur contradictoriè, quia oppoſitio contradictoria ſēper verſatur inter duo extrema, quorum vnum eſt poſitiuum, & alterum negatiuum, nihilominus nullus negat diſtinctionem inter duas entitates habere ſibi eſſentialiter coniunctam negationem identitatis inter entitates diſtinctas, quæ contradictoriè opponitur identitati ipſarum, & identitatem habere eſſentialiter coniunctam negationem diſtinctionis inter extrema identificata contradictoriè oppoſitam diſtinctioni: inuoluunt ergo manifeſtam contradictionem identitas, & diſtinctio reſpectu eorumdem extremorum: ergo eandem inuoluunt identitas, & multiplicitas, quæ eſſentialiter includit diſtinctionem. Quod ſi neges naturam identificatam multiplici differentia indiuiduali multiplicem eſſe, & affirmes adhuc ſuppoſita hac identitate non eſſe multiplicē, ſed ſimplicem, fingis in creaturis aliud myſterium ſimile Trinitatis myſterio, in quo reperientur differentiæ indiuiduales identificatæ vni tertio, & non identificatæ inter ſe, & naturā identificatam cum pluribus differentiis indiuidualibus inter ſe diſtinctis, quin ipſa ſit multiplex, ſed tantùm vna natura, quod in creatis admitti, plus eſt quam chymæricum. Deinde hoc figmento admiſſo adhuc non daretur natura vniuerſalis, quia, vt ſupra dicebam, vniuerſale debet eſſe vnum in ſe, & multiplicatum in inferioribus, & non ſufficit identificari cum multiplici inferiori, ſi ſecundùm rationem communem non multiplicatur; ratione cuius natura diuina vniuerſalis non dicitur, ſed vna ſingularis natura, etiamſi identificetur cum tribus ſubſiſtentiis diſtinctis, quia ex vi huius identitatis non ſit multiplex in ratione naturæ, neque dicitur triplex natura, ſed vna triplici ſubſiſtentia identificata. Sic contingeret na-

turæ humanæ, quæ vniuerſalis non eſſet, ſed particularis, ſi eâdem abſque ſui multiplicatione in ratione naturæ identificaretur cum pluribus differentiis indiuidualibus inter ſe diſtinctis.

11 Poſſes reſpondere contradictionem inuoluere naturã ſimul eſſe vnam, & multiplicem, quod non requiritur ad vniuerſale, ad quod ſufficit naturam, quæ antea fuerat vna, fieri multiplicem illius vnitate deſtructa, quod contingit in vniuerſali intentionali, quod communis ſententia conſtituit, cuius vnitas deperditur cùm ad plura inferiora contrahitur, huiuſmodi enim contractio eſt diuiſio vnius in plura, poſita autem diuiſione, ex qua reſultat pluralitas, vnitatem diuiſi deſtrui neceſſe eſt. Non tamẽ ſimilem contradictionem reperiri in eo, quod natura quæ antea fuerat vna, poſtea multiplex fiat, quod ſufficit ad vniuerſale conſtituendum. Reſpondeo verum eſſe ſufficere ad vniuerſale conſtituendum naturam, quæ antea fuerat vna, fieri plures per identitatem adæquatam totius diuiſi, ſeu totius naturæ cum quolibet membro diuidenti, ſeu cum quolibet inferiori, ad quod contrahitur, in hoc tamen eandem contradictionem reperiri, ac in eo, quod ſimul ſit eadem natura ſimplex, & multiplex, quia cùm ſimplicitas & multiplicitas rebus per ſe ipſas conueniãt, omni tempore, eodem modo conueniunt, & nequit eadem entitas modò eſſe ſimplex, & poſtea multiplex, quia eo ipſo quod ſit eadem, manet cum eadem ſimplicitate, quam habebat, ac proinde, ſi res quæ modò eſt ſimplex, poſtea fieret multiplex, retineret ſimplicitatem, quam haberet, & acquireret multiplicitatẽ, ac proinde eſſet ſimplex, & multiplex. Idem contingit in omnibus prædicatis inter ſe repugnantibus, quæ rebus per ſe ipſas conueniunt, ſicuti eſſe hominem, & eſſe equum, eadem enim repugnantia eſt in eo, quod eadem entitas, quæ hodie eſt homo, cras ſit equus, & in eo quod ſimul ſit homo, & equus, & hæc ex illa neceſſariò infertur: quod ſi de entitate de qua eſt verum dicere modò, hodie eſt homo, eſſet verum dicere cras, erit equus, cras verum eſſet dicere, modò hæc entitas eſt homo, & equus. Deinde nullus poteſt aſſignari ſtatus ante operationem intellectus, in quo natura, quæ contracta ad plures differentias indiuiduales eſt multiplex, præceſſerit vt vna, cùm non præceſſerit ante hanc contractionem, quæ in quocumque indiuiduo nõ diſtinguitur ab ipſa natura, quæ eſt contracta, quia naturam eſſe contractam ad differentiam indiuidualem, nihil aliud eſt, quam eſſe identificatam cum differentia indiuiduali, eſſe autem identificatum extremum non diſtinguitur ab ipſo extremo, quod dicitur identificatum.

Pvnctvm V.

An detur ante operationem intellectus vnitas negatiua multis communis?

1 Dixi Puncto præcedenti ſubtilem Doctorem nihil contra Angelicum docuiſſe de exiſtentia vniuerſalitatis ante operationem intellectus, quam nullatenus admiſit Scotus, vt ex Magiſtri mente tradunt illius diſcipuli, & ex illius teſtimoniis clarè conſtat. Iam verò in præſenti difficultate præcipuum Angelici Doctoris diſcipulum, Caietanum inquam, Scoti veſtigia ſequentem video. Aſſerit Caietanus cap. 4 de ente & eſſentia quæſt. 6. cum Scoto in 2. diſt. 3. quæſt. 1. & 7. Metaph. quæſt. 18. dari in natura vnitatem quandam communem, non poſitiuam, in qua vniuerſalitas conſiſtit, ſed tantùm negatiuam, quã ſic explicatam inuenio apud Scotum, Scoti diſcipulos, & Caietanum. Duplex communis vnitas ab his Authoribus diſtinguitur: quædam poſitiua, alia negatiua. Vnitas poſitiua communis dicitur, quam habet natura ita determinata ad plura indiuidua per ſeparationem & abſtractionem à differentiis indiuidualibus, vt eademmet ſit proximè potens vt de illis prædicetur. Vnitas communis negatiua eſt illa, quam habet natura, ex eo præcisè quod ſingularis non ſit, quia natura communis negatiuè nihil aliud eſt, quàm natura non ſingularis. Ita has vnitates ex Scoto explicant Rada 2. tom. Controuerſiarum, Controuerſia 3. art. 1. & Merinero cap. 1. de vniuerſalibus diſp. 1. quæſt. 3. ſect. 2. Eadem ratione diſtinctionem hanc explicat Caietanus loco citato vbi aſſerit naturam humanam Petri diſtingui a natura humana Pauli non ratione naturarum, quæ ſecũdùm ſe ſunt vnum quid negatiuum, quatenus ex ſe non dicunt diſtinctionem, ſed ratione differentiarum indiuidualium cum quibus identificantur. Addit naturæ Petri ex ſe non repugnare eſſe in Ioanne, licet non habeat poſitiuam aptitudinem vt ſit in illo.

Hanc vnitatem negatiuam reiicit communis Doctorum ſententia, & illam ego eadem ratione impugno, qua vnitatem poſitiuam impugnaui. Hæc vnitas negatiua non conuenit differentiæ indiuiduali Petri: ergo non conuenit naturæ identificatæ cum eadem differentia indiuiduali: implicat enim aliquid ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum à parte rei independenter à noſtro intellectu competere alicui formalitati, & non competere alteri, cum qua formalitas illa eſt identificata. Alio modo idem argumentum conficio. Differentia indiuidualis Petri ex ſe habet poſitiuam repugnantiam vt ſit in Ioanne: ergo natura Petri habet eandem poſitiuam repugnantiam vt ſit in Ioanne. Probanda eſt conſequentia ſuppoſita identitate inter naturam, & differentiam indiuidualem ex principio ſæpe repetito, videlicet, debere affirmari, & negari de quacumque formalitate, quidquid de alia cum ipſa realiter identificata affirmatur vel negatur, tanquam quid illi conueniens independenter à noſtro intellectu. 2

3 Vrgeo: Natura negatiuè vna eſt natura non ſingularis, vt volunt, qui hanc vnitatem negatiuam defendunt: ſed ante operationem intellectus non datur natura ex ſe non ſingularis, neque negatiuè, neque præciſiuè: ergo ante operationem intellectus non datur natura negatiuè communis. Non dari naturam non ſingularem, hoc eſt, priuatam ſingularitate, quæ poſſit intelligi carens ſingularitate, ſicuti aer obſcurus intelligitur carens luce, certum eſt quia nihil poteſt poſitiuè intelligi carẽs illo cum quo eſt identificatum, & cum quo per ſe ipſum eſt pluſquàm connexum, ſiquidem eſt idemmet. Non poſſe dari naturã præciſiuè non ſingularem, ex eo probatur, quia in his, quæ realiter identificantur, non niſi intellectus beneficio poteſt reperiri præciſio, & adhuc intellectus acie formalitates identificas non poſſe ex parte obiecti præſcindi, fert grauium Doctorum ſententia, quam vt veriorem amplector Controu. 4. Metaph. Punct. 8.

4 Demum apud me inſignis contradictio in his terminis reperitur. Natura ante operationem intellectus non eſt ſingularis ex ſe, ſed ratione differentiarum, cum quibus identificatur, quia ante operationem intellectus nihil magis ex ſe poteſt conuenire rei, quam illud quod conuenit ratione formalitatis, cum qua eſt identificata, ſeu quæ eſt idem cum ipſa; quid enim magis ex ſe realiter, & phyſicè poteſt conuenire entitati, quàm illud quod phyſicè, & realiter per ſe ipſum illi competit? Dices magis ex ſe formalitati aliquid conuenire, quod ratione eiuſdem formalitatis conuenit, quàm id quod illi conuenit ratione alius formalitatis, cum qua identificatur, v. g. magis ex ſe conuenire animali identificato cum rationali eſſe principium ſentiendi, quod conuenit ratione eiuſdem formalitatis animalis, quàm eſſe principium ratiocinandi, quod illi conuenit non ratione formalitatis animalis, ſed ratione formalitatis rationalis, quæ identificatur cum formalitate animalis. Diſcurſus iſte fefellit Authores oppoſitæ ſententiæ, qui aſſerunt naturam hominis eſſe communem negatiuè, quia non ex ſe formaliter vt natura hominis eſt, habet non eſſe communicabilem Petro, & Ioanni, ſicut habet eſſe principium diſcurrendi, ſed ratione differentiæ indiuidualis, cum qua coniungitur.

Totam prædictam doctrinam non graui opera facilè euerto. In re phyſicè eadem ante operationem intellectus non eſt hæc, & illa formalitas, quia has tantùm intellectus acies partitur in obiecto phyſicè, & realiter impartibili, & omnino ſimplici, in quo non reperitur vnum, & aliud phyſicè diſtinctum: ergo ante intellectus operationem non poteſt aliquid alicui entitati conuenire ratione vnius formalitatis & non ratione alterius cum illa identificatæ, cum ante operationem intellectus non ſit vna formalitas, & altera, ſed ſimplex quædã, & indiuiſibilis entitas, ratione cuius conueniunt omnia, quæ entitati cõueniunt intrinſecè per ſe ipſam, ſeu non per aliquid ab illa diſtinctam: ergo ante operationem intellectus non poſſunt reperiri in Petro natura, & differẽtia indiuidualis quatenus ſunt vna formalitas, & altera, ſed quatenus ſũt vna ſimplex entitas, neque poteſt conuenire incõmunicabilitas poſitiua naturæ Petri magis ratione differentiæ indiuidualis, 5

indiuidualis,quam ratione naturæ,cùm inter naturam,& differentiam indiuidualem nulla reperiatur præciſio ante intellectum,qui in entitate ſimplici duas partitur formalitates, & ex illis proprietatibus, quæ indiuiſibiliter, realiter,& phyſicè eidem entitati ſimplici conueniunt; quaſdam formaliter attribuit huic formalitati,& alias alteri formalitati accommodat.

6 Exemplum quod adducitur de ſenſatione, quæ homini conuenire dicitur quatenus animal eſt, & non quatenus eſt rationalis,aduerſariorum ſententiam non probat, ſed meam ; quia ſenſatio procedens ab homine , ſeu homini conueniens , ſecluſa intellectus præciſione non magis prouenit è formalitate animalis, quàm à formalitate rationalis, ſed indiuiſibiliter à toto homine phyſicè indiuiſibili procedit , & homini ſecundùm ſe totum ſenſatio conuenit,quia à parte rei non datur formalitas animalis à rationali diſtincta , ſed tantùm datur ſimplex homo, quem intellectus diuidit in formalitatem animalis , & in formalitatem rationalis, & cùm dicimus , *homo vt animal ſentit,& non vt rationale* , illud *vt* explicat formalitatem, cui intellectus ſpecialiter ſenſationem attribuit , non illam à qua phyſicè ſpecialiter procedit, æquè enim procedit ſenſatio à prædicato animalis,& à prædicato rationalis in homine, & hinnibilis in equo identificato cum animali.Eadem prorſus ratione contingit in communicabilitate indiuidui, quam intellectus differentiis indiuidualibus attribuit,& non naturæ,licet in re indiuiduum, v.g.Petrus, ſecundùm ſe totum indiuiſibiliter ſumptum ſit Ioanni incommunicabile, ita vt nihil ſit in Petro,quod ex ſe phyſicè non repugnet Ioanni communicari , cùm phyſicè non ſit in Petro natura , vt diſtincta à differētia indiuiduali, quæ poſſit dici ex ſe cōmunicabilis,neque differentia indiuidualis vt diſtincta à natura , cui ex ſe ſpecialiter conueniat incommunicabilitas , ſed ſimpliciſſima entitas Petri ſecundùm ſe totā à Ioanne diſtinctā.

7 Obiicies:De conceptu quidditatiuo,& eſſentiali naturæ non eſt ſingularitas : ergo de conceptu eſſentiali naturæ non eſt incommunicabilitas , ſed diſtinctio ab alio, quæ cōuenit naturæ & indiuiduo ratione ſingularitatis. Reſpōdeo diſtinguendo primū antecedens. De conceptu quidditatiuo naturæ non eſt ſingularitas , ſumpta natura metaphyſicè in ordine ad noſtros conceptus , concedo antecedens : ſumpta natura phyſicè,& quatenus eſt in ſe ſine reſpectu ad noſtros conceptus , nego antecedens. Quia phyſicè æquè eſt de eſſentia Petri natura & differētia indiuidualis,imò phyſicè loquendo non eſt natura,& differentia indiuidualis quatenus ſignificatur per duos conceptus,ſed ſimplex entitas quam intellectus partitur in duos conceptus,quorū vnum appellat naturā & inſtar alicuius cōmunis multis conſiderat, & aliud vocat differentiā indiuidualem, cui incommunicabilitatē attribuit.

8 Obiicies ſecundò:Natura,quæ eſt in Petro quatenus eſt ex ſe, non eſt incommunicabilis : ergo habet vnitatem communem negatiuam , quæ conſiſtit in negatione incommunicabilitatis,ſeu ſingularitatis. Probatur antecedens ſi natura Petri eſſet incommunicabilis , non poſſet ab intellectu cognoſci vt communicabilis,quia nulla entitas apprehendi poteſt cum prædicato oppoſito illi,quo gaudet: ſed natura Petri præciſa à differentiis apprehenditur ab intellectu vt communicabilis:ergo ex ſe non eſt incommunicabilis. Iuſto clarè contra illationis vim. In ſententia horum Authorum natura nō habet communicabilitatem poſitiuam, ſed tantùm communicabilitatem negatiuam, & negationem communicabilitatis poſitiuæ: & intellectus apprehendit in natura communicabilitatē poſitiuam : ergo intellectus apprehendit in natura communicabilitatem poſitiuam contradictoriè oppoſitam cū negatione communicabilitatis poſitiuæ:ergo etiamſi natura habeat incommunicabilitatem poſitiuam poterit intellectus apprehendere in natura poſitiuam communicabilitatem,non enim poteſt reperiri maior repugnantia in eo, quod natura apprehendatur cum aliquo prædicato contrario, quam cum contradictorio illi quod naturæ ineſt. Ad argumentum reſpondeo naturam ex ſe eſſe incommunicabilem , & intellectum vi abſtractionis poſſe illam apprehendere ſine incommunicabilitate ,præciſa incommunicabilitate ex parte obiecti,ſi præciſiones obiectiuè poſſibiles ſunt, vel tantùm ex parte actus,ſi tantū formales præciſiones ſunt admittendæ,cui apprehenſioni nulla ſubeſt falſitas, quia abſtrahentium non eſt mendacium,ex vi enim illius cognitionis non dicit intellectus naturam non eſſe poſitiuè incommunicabilem , ſed præciſè incommunicabilitatem omittit , & de illa nihil agit. Poteſt intellectus duplici modo naturam poſitiuè communicabilem apprehendere. Primò non apprehendo poſitiuam communicabilitatem ex parte obiecti , ſed tantùm obiectum ipſum incommunicabile,& incommunicabilitatem ipſam per quandam cognitionem, ita confuſam, vt obiectum inſtar communicabilis appareat , & extrinſecè per ipſam cognitionem communicabile denominetur,ita vt cognitio non tangat communicabilitatem vt proprium obiectum, ſed ipſa formaliter ſit extrinſeca obiecti communicabilitas, in qua cognitione nulla falſitas reperitur,quia ex parte obiecti nihil apparet, quod in illo non ſit. Alio modo poteſt apprehēdi communicabilitas poſitiua tenens ſe ex parte cognitionis, & formaliter vt inhærēns naturæ cognitionem terminans, tunc illa communicabilitas erit facta ab intellectu , & naturæ tantùm intellectus fictione conueniens , & illa cognitio ſi tantùm ſit apprehenſiua,falſitatem habebit, quam dixi Contr.6.de anima Punct. 4. poſſe competere apprehenſioni complexæ;quod ſi iudicatiua fuerit abſolutè & ſimpliciter erit iudicium falſum.

Pvnctvm IV.

De vnitate vniuerſalis.

§. I.

Nonnullæ opiniones vniuerſalis.

PRobaui non dari vniuerſale ante operationem intellectus ; inſuper certum eſt intellectum apprehendere naturas vniuerſales,& communes pluribus inferioribus, vt patet in conceptu, quo apprehenditur homo non apprehenſis differentiis indiuidualibus Petri , aut Ioannis, ſeu nullo indiuiduo apprehenſo,ex vi cuius obiectum indiuiſum repræſentatur,& abſque vlla diſtinctione,& poteſt contrahi in indiuidua, ita vt illorum quolibet appareat tota formalis ratio diuiſi, quod contingit , quando poſtquam apprehendi hominem in communi dico,*Petrus eſt homo. Ioannes eſt homo*, per quas prædicationes trahò totam rationem hominis , quæ antea apprehendebatur præciſa ab indiuiduis ad Petrum,& totam ad Ioannem. 1

Ex his neceſſario infertur naturam vt vniuerſalem,ſeu vniuerſalitatem fieri neceſſario ab intellectu,quia per intellectus actum fingitur ens rationis , in quo vniuerſalitas contingat, vel in eodem formaliter conſiſtit, hæc eſt enim legitima conſequentia ; ablata cognitione non datur vniuerſalitas, poſita cognitione abſque eo, quod aliquid aliud præſupponatur , vel comitetur cognitionem, datur vniuerſalitas : ergo vniuerſalitas conſiſtit in ipſa cognitione,vel ab ipſa cognitione procedit. Scio dixiſſe nonnullos Thomiſtas vniuerſale fieri ab intellectu agente,& conſiſtere vniuerſalitatem in ſpecie impreſſa. Verumtamen audiendi non ſunt,vel intelligendi de vniuerſalitate radicali, & fundamentali,ſeu remota,hoc eſt, de cauſa efficiente cognitionis,per quam fit vniuerſale , quæ eſt ſpecies impreſſa,a qua producitur expreſſa , quam fit vniuerſale. Neque in alio ſenſu ſpeciem veritatis poteſt habere hæc opinio,quia ſpecies impreſſa non eſt formalis repræſentatio obiecti, neque per illam obiectum repræſentatur ; ergo neque per illam formaliter repræſentatur, aut cognoſcitur obiectum vt vniuerſale,neque vt ſingulare. Quod vulgò dicitur intellectum agentem per ſpeciem impreſſam abſtrahere obiectum à phantaſmatibus, id ſolùm importat ſpeciem impreſſam produci ab intellectu agenti , qua adiutus intellectus poſſit ſine concurſu immediato phantaſmatum obiectum cognoſcere actu immateriali ſeu ſpirituali, & modo immateriali, hoc eſt, præſcindendo inter prædicata , quæ nequeunt præſcindi actu potentiæ materialis. 2

Hac doctrina ſuppoſita eſt modò difficultas, quomodo intellectus per proprium actum vniuerſale conficiat. P. Hurtad. diſp.5. Metaph. ſect. 11.& P. Arriaga diſp.6. Logicæ ſect. 1. referunt ſententiam cuiuſdam recentioris aſſerentis obiectum immediatum actus intellectus , per quem fit, & apprehenditur vniuerſale,eſſe idolum quoddam,ſeu ſimulacrum mente confictum,quod in eſſe appre- 3

henſo,& cognito habeat quidquid obiectum realiter habet: Ita vt quando ego concipio hominem meus conceptus formalis immediatè attingat ſimulacrum illud à me confictum, in quo ego conſidero prædicata ſimilia his quæ realiter video in Petro, aut in Ioanne, qui remotè cognoſcuntur in illo idolo, quatenus intellectus noſter ex cognitione illius ducitur ad cognoſcendum Petrum, & Ioanné. In hoc ergo idolo conficto prædicti recentiores affirmant conſiſtere vniuerſale, ipſúmque idolum reperiri in Petro & in Paulo non intrinſecè, ſed extrinſecè, & intentionaliter per ſimilitudiné prototypi cũ exemplari, ea ratione, qua Cæſaris imago reperitur in ipſo Cæſare.

4 Recentes alij ita ſe his ſimulacris dedere, vt omnia difficilia, quæ in Dialectica, & Metaphyſica occurrũt, illis componere præſumant. Affirmant à noſtro intellectu ſpectra quædam produci, quæ ſubſtituuntur loco obiectorum, & in illis tanquam in imaginibus iſta cognoſci, ita vt eatenus dicatur intellectus cognoſcere animal, quatenus ſpeculatur ſpectrum quoddam, quod loco animalis ſubſtituitur, & eatenus dicatur rationale percipere, quatenus percipit ſpectrum aliud ab ipſo productum, & ſubrogatum loco rationalis.

5 Intellectum noſtrum per ſe ſpeciem expreſſam, ſeu cognitionem immediatè in ſe ipſis obiecta cognoſcere, nullo idolo producto, quod immediatè attingat, ſeu in quo cognoſcat obiectum, tanquam in ipſius ſubſtituto probo Controu.5. de anima Punct.1. ad finem; ex his autem quæ ad illa impugnanda adduco, vnum præ aliis mihi magni momenti eſt, contra modum hæc ſpectra defendendi, quem ſecundo loco retuli. Videlicet ſequi per actus ſupernaturales fidei, & charitatis non attingi à nobis Deum in ſe ipſo, ſed in ſimulacro quodam, quod intellectus loco Dei ſubſtituit, quia ſi intellectus tantùm dicitur Deum cognoſcere, quia cognoſcit ſpectrum loco Dei ſubrogatum, immediatè non attingit per actum fidei entitatem diuinam in ſe ipſa, quod ſi illam non attingit per actum fidei, neque per alium intellectus actum, neque illam attinget per actum voluntatis, quia id amat voluntas, quod intellectus proponit, neque poteſt volitio attingere obiectũ immediatè in ſe ipſo, quod immediatè in ſe ipſo intellectus non propoſuit. Dicere autem actum charitatis erga Deum non attingere immediatè diuinam bonitatem in ſe ipſa, erroneum eſt.

6 Reiicienda ſpecialiter in præſenti ſunt hæc ſpectra: ſeu idola, quia omnino inutilia ſunt ad præſentem difficultatem, & alias huic affines definiendas: in primis enim illis admiſſis falſum eſt ſpectrum in ſe intrinſecè habere vniuerſalitaté, ipſúmque eſſe vniuerſale, quia ſpectrum ſeu idolum animalis non identificatur adæquatè cum aliis ſpectris, quæ dicantur illius inferiora, neque cum inferioribus animalis, v.g. cum homine & equo: ergo ſpectrum animalis non eſt vniuerſale reſpectu ſpectri hominis, & ſpectri equi, neque reſpectu ipſius hominis, & equi, cum quibus non identificatur, quia de ratione vniuerſalis eſt identificari cum ſuis inferioribus, & de illis prædicari, quod ſine identitate fieri nequit.

7 Dices ſpectrum animalis eſſe vniuerſale reſpectu ſpectri hominis, & ſpectri equi, quia in illo vno cognoſcit intellectus omnia obiecta, quæ in his duobus attingit. Contrà: ſi ſpectrum vniuerſale dicitur reſpectu aliorum, quia repræſentat ſimul obiecta, quæ duobus aliis repræſentantur, eadem ratione poſſet dici vniuerſalis vna cognitio Angelica reſpectu duplicis cognitionis humanæ, quia illa quæ homo attingit duplici cognitione, vnicâ indiuiſibili percipit Angelus. Eademque ratione hæc vox *homo* vniuerſalis eſſet reſpectu harum *Petrus* & *Ioannes*, quia vox illa ſignificat omnia indiuidua, quæ his diſtinctis vocibus, & aliis ſimilibus ſignificantur. Non ergo ad hæc vniuerſalia aſſignanda neceſſaria erant illa ſpectra, poſſẽt enim in ipſis cognitionibus, ſeu ſpeciebus expreſſis conſtitui, quæ in obiectis poſſent dici eſſe tanquã imagines in prototypo. Neque de his vniuerſalibus ſermo eſt in præſenti, ſed de illis, quorũ ſuperiores naturæ cum inferioribus identificantur. Neque in ordine ad formalitates præſcindendas, neque ad alias difficultates explicandas vtilia ſunt: ea enim, quæ his ſpectris aguntur, eodem modo poſſunt cognitionibus, ſeu ſpeciebus expreſſis agi, cùm enim obiecta referenda ſint ad illa, loco quorũ ſubſtituuntur, æquè difficile eſt dari ſpectrum relatũ ad formalitatem animalis, & non ad formalitatem rationalis, loco animalis & nõ loco rationalis ſubſtitutũ, ac dari cognitioné immediatè relatã ad animal tanquã ad obiectũ cognitum, & non ad rationale identificatũ cum animali.

8 Alij recentiores apud Arriagam ſuprà ſect.3. aſſerunt vniuerſalitatem eſſe intrinſecam, & realem naturæ, dependere tamen tanquã à cõditione extrinſeca ab abſtractione mei intellectus, qua poſita natura, quæ fuerat diuiſa in inferioribus, & in vnoquoque diſtincta, fit per ſe ipſam vna in omnibus. Nuſquam tam inſigne figmentũ referrem, ni poſtquam illud euulgauit Arriaga, aliquibus arriſiſſet Authoribus, qui non minori conatu, quàm difficultate illud propugnabant. Ne tamen huius genij recẽtes hanc ſuam ſententiam in meo opere deſiderent, illã paucis retuli, & paucioribus impugnabo. In primis hoc vnum quod bene expendit Arriaga, conuincit opinionem hanc chymericam eſſe: Qui fieri poteſt vt ex eo tantùm, quod ego in meo cubiculo præſcindã animalis prædicatum, ſeu habeam talé cognitionem, prædicatum animalis, quod erat in Petro exiſtente Matriti, non tantùm vniatur cum prædicato huius equi exiſtente Romæ, ſed etiam cũ illo identificetur, ita vt ſit verum dicere, idemmet prædicatum reale, quod modò eſt in Petro, realiter, & à parte rei per ſe ipsũ eſt in tali equo. Deinde quomodo fieri, aut dici poterit poſita præciſione, ex vi cuius cognoſco rationem cõmunem animæ rationalis, omnes beatorum, & damnatorum animas, & omnium hominum, etiam Chriſti Domini in maſſam quandam confluere, & fieri vnã animam. Profectò ſi hæc attentè inſpiciantur, alia impugnatione non indigent, ſimplici enim ipſorum propoſitione ab hominum ſenſibus abhorrent. Deinde in ipſis terminis, quibus hæc ſentẽtia explicatur, manifeſta inuoluitur contradictio, implicat enim aliquid conuenire alicui entitati per ſe ipſam; & dependenter ab extrinſeco connotato; quidquid enim rei per ſe ipſam conuenit, eſt cum illa identificatum, quod autem eſt identificatum cũ re ſecluſo quocumque extrinſeco, illam neceſſariò ſemper comitatur, quia nequit aliquando id, quod eſt cum aliquò identificatum, ab ipſo ſeparari. Scio reſponderi huiuſmodi formalitates identificatas dependenter à connotatis non ſeparari quoad entitatem, ſed ſeparari quoad formalitatem ablato connotato, quia tantùm ſunt quoad formalitatem, quando adeſt connotatum, à quo tanquam à conditione dependent. Superſedeo modo huic ſolutioni, quia hęc de connotatis doctrina multis locis occurrit impugnanda, ideo ne paſſim eadem argumẽta contra illã referré, ex profeſſo placuit illam euertere, vbi proprium ſibi locũ vendicat, videlicet in relationibus, ex quibus ad alias materias, quibus his connotatis recentes abutuntur, dimanauit. Ideo illã impugno Contr.9. Met. Punct.5. §.1.

§. II.

Natura conſtituitur vniuerſalis & vna per abſtractionem formalem ſeu cognitionem præſcindentem.

9 VT propiùs ad veritatem accedamus præmittenda eſt duplex præciſio, quam circa gradus metaphyſicos & formalitates diuerſas eiuſdem phyſicæ entitatis Authores meditantur. Quædam dicitur præciſio obiectiua ex vi cuius intellectus attingit formalitatem aliquã, quin eadem cognitione attingat formalitatem cum illa identificatam, v.g. formalitatem animalis non attacta ex parte obiecti formalitate rationalis. Alia eſt præciſio tantùm formalis, & ex parte actus, ex vi cuius attinguntur immediatè, & per ſe omnes formalitates, quæ intrinſecè ſũt in obiecto, ſeu totum phyſicum obiectum, ſeu tota entitas phyſica: dicitur autem cognoſci formalitas animalis & nõ formalitas rationalis, quia obiectum illud cognoſcitur per operationes illas, quas intellectus attribuit animali, & non rationali, ex quo fit vt cognitio illa attingat confuſè obiectum illud in ordine ad hominem, & equum & reliqua omnia, quæ ſunt animalia, quin vnum animal ab alio animali diſcernat, & diſtinctè reſpectu omnium quæ animalia non ſunt. De his Contr.4. Metaph. Punct.8. vbi accuratè has præciſiones explico, & latè probo non poſſe dari præciſionem obiectiuam inter prædicata realiter identificata.

10 Fert communis Thomiſtarum ſententia vniuerſale fieri per actum intellectus obiectiuè præſcindentem, ex vi cuius cognoſcitur prædicatũ hominis, quod eſt in Petro, & in

Digitized by Google

in Paulo abſtractum ab omnibus differentiis indiuidualibus,quin Petrus aut Paulus cognoſcantur,neque ex parte actus, neque ex parte obiecti,per quam cognitionem vnitas quædam rationis impingitur prædicato hominis quod eſt in Petro,& prædicato hominis,quod eſt in Ioanne, quia intellectus rationes hominis diſperſas per indiuidua mediâ illâ cognitione adunat, & cognoſcit vt vnum ſimplex obiectum vnitate non reali, ſed ficta per illam cognitionem, quæ reſpicit tanquam obiectum prædictam vnitatem, non enim vtcumque attingit præciſas rationes hominum,quæ ſunt in indiuiduis,ſed formaliter vt vnam ſimpliciter rationem.

11 Opinio hæc ex duplici capite mihi eſt falſa, primò, quia præciſiones ſupponit obiectiuas, quas non dari probo Controu.4.Metaph.Punct.8. Veruntamen quia familiaris eſt multis opinio, quæ has præciſiones defendit, placet his admiſſis de hac ſententia iudicium ferre, & explicare quomodo iuxta illius principia aſſignanda ſit vniuerſalitas, ſeu forma, per quam natura conſtituitur formaliter vniuerſalis, Suppoſitis ergo obiectiuis præciſionibus, ex altero capite reiicio prædictam ſententiam, videlicet quia ſine fundamento impingit naturæ illam rationis vnitatem, ad quam terminetur cognitio, quod ſic probo. Ex eo tantùm quod cognitio terminetur ad rationes hominis, quæ ſunt in Petro, & Paulo quin attingat differentias indiuiduales, omnes illæ rationes hominis apparent intellectui abſque illa diſtinctione,ſeu diuiſione:ergo apparebunt indiſtinctæ ſeu indiuiſæ:ergo omnes illæ obiiciuntur per hanc cognitionem ſic præſcindentem inſtar vnius obiecti indiuiſi apti prædicari de quolibet indiuiduo inferiori contento ſub ratione hominis.Confirmatur:rationes hominis,quæ ſunt in Petro, & in Ioanne differunt formaliter in ordine ad noſtrum intellectum per differentias indiuiduales,cum quibus ſunt identificatæ:ergo ablatis differentiis indiuidualibus aufertur id, per quod rationes iſtæ inter ſe diſtinguuntur: ergo ablatis differentiis indiuidualibus apprehenduntur inſtar vnius obiecti indiuiſi:ergo præciſè per hanc cognitionem abſtractiuam apprehenduntur omnes rationes hominis ad inſtar vnius obiecti indiuiſibilis:ergo vnitas illa rationis ſuperfluè ſuperadditur his naturis & abſque illa per ſolam intellectus præciſionem omnes rationes hominum, quæ in re ſunt plures in pluribus indiuiduis, contractæ in ordine ad noſtrum intellectum apparent inſtar vnius obiecti apti prædicari de multis.

12 Dices per hanc præciſionem ſeclusâ vnitate rationis tenente ſe ex parte obiecti naturam non apprehendi vt vnam poſitiuè, ſed tantùm negatiuè, quia vnitate non apprehenſa non poteſt vnum vt vnum formaliter apprehendi, & vniuerſale debere apprehendi formaliter vt vnum vnitate poſitiua,quia vniuerſale formaliter,& poſitiuè eſt vnum. Æquiuocatione laborat prædictus diſcurſus,confundit enim fieri vniuerſale, vnum,& apprehendi vt vnum,& fieri formaliter naturam vniverſalem vnitate poſitiuâ, & apprehendi vt vnam poſitiua vnitate, quæ realiter diſtinguuntur, per cognitionem enim per quam fit natura vniuerſalis,& conſtituitur vt vna vnitate poſitiua extrinſeca,apprehenditur tantùm vt vna negatiuè,eo enim ipſo quod natura Petri,& Ioãnis abſtrahatur à differentiis indiuidualibus, & apprehendatur negatiuè vt vna:reſultat conſequenter in illa denominatio cognitæ, vt vnius, per quam denominationem conſtituitur formaliter poſitiuè vna per intellectum, & vniuerſalis vnitate,& vniuerſalitate poſitiuâ, quæ eſt cognitio reſpiciens tantùm vt obiectum naturam negatiuè vnam, hoc eſt,ſine differentiis, per quas fit multiplex in ordine ad noſtrum intellectum,& conſtituens per ſe ipſam naturam vniuerſalem,& vnam vnitate poſitiua extrinſeca, quæ eſt cognitio.Quod ſi natura non tantùm conſtituẽda ſit vniuerſalis,& vna vnitate,& vniuerſalitate poſitiua,ſed etiã vt talis cognoſcenda ſit tenente ſe vniuerſalitate,& vnitate poſitiua ex parte obiecti;cognoſcenda erit per aliam cognitionem reflexam terminatã ad aliam cognitionem præſcindentem naturam à differẽtiis, per quam conſtituta fuit vna, & vt vniuerſalis vnitate & vniuerſalitate poſitiua,& cognita tantùm eſt vna vniuerſalitate negatiua.

13 Dices,per cognitionem, per quam fit natura formaliter vniuerſalis, debere cognoſci formaliter vt vniuerſalis,& vt vna vnitate poſitiua,& ita nõ poſſe fieri vniuerſalem per ipſam cognitionem tanquam per formam,quia cognitio abſtractiua non terminatur ad ſe ipſam, & cognitio, qua cognoſcitur natura vt vniuerſalis, & vt vna debet terminari ad vnitatem, & vniuerſalitatem. Rectè inferres cognitionem,per quam fit vniuerſale debere terminari ad vnitatem,& vniuerſalitatem, & ita vtramque diſtingui à cognitione,per quam fit vniuerſale,quia talis cognitio non terminatur ad ſe ipſam,ſi probares cognoſcendam eſſe naturam vt vnam & vniuerſalem vnitate,& vniuerſalitate poſitiua, ex vi cognitionis, per quam formaliter conſtituitur talis, quod mihi falſum eſt; cenſeo enim ex eo quod natura cognoſcatur vt vna negatiuè,cõſtitui formaliter vnam poſitiuè per ipſam cognitionem tanquam per formam extrinſecam,quia ſicuti eſſe plura, ſeu diſtingui per intellectum eſt cognoſci cum differentiis, per quas diſtinguuntur, eſſe vnum per intellectum erit cognoſci ſine illis differẽtiis,quæ ſunt rationes differendi ab alio, ſicuti enim per negationem diſtinctionis phyſicæ,ſiue hæc importet aliquid poſitiuum, ſiue negatiuum conſtituitur ens phyſicè à parte rei formaliter vnum ſic per negationem diſtinctionis intentionalis conſtituitur ens intentionaliter exiſtens vnum,ſeu vnum formaliter in ordine ad noſtrum intellectum.

Ob hanc rationem dicunt nonnulli cognitionem factiuam vniuerſalis eſſe cognitionem præciſiuam terminatam tantùm tanquam ad obiectum ad rationem illam, quæ à differentiis præſcinditur,& non ad aliquam rationis vnitatem,reſultare tamen ex hac præciſione vnitatem quandam rationis in qua formaliter conſiſtit vniuerſalitas, & per quam natura formaliter conſtituitur vniuerſalis & vna formaliter, vnitate, & vniuerſalitate poſitiua. Non probo hunc dicendi modum,quia ex cognitione tantùm reſultat in obiecto ad quod terminatur denominatio cogniti,quam non eſſe ens rationis,ſed quid reale indiſtinctum ab obiecto quod denominatur,& ab ipſa cognitione denominante tanquam forma, probo Controu. 12, Metaph.Punct.5.Quod ſi velis ſupra hanc denominationem cogniti aliud ens rationis reſultare ab illa diſtinctum,denominatio fundamentum erit huius entis rationis, & prior illa, ac proinde antequam intelligatur hoc ens rationis, obiectum erit conſtitutum formaliter vniuerſale. Si verò contendas ipſam denominationem cogniti eſſe ens rationis, & affirmes vniuerſalitatem conſiſtere in ente rationis, quia conſiſtit in hac denominatione,non à me diſſenties in vniuerſalitate aſſignanda,vterque enim dicemus conſiſtere in extrinſeca denominatione deſumpta à præciſione formali,ſeu à cognitione, per quam natura ſine differentiis cognoſcitur, ſed tantùm inter nos erit diſſenſio circa naturam extrinſecæ denominationis, quæ in hoc loco non eſt componenda, ſed vbi ex profeſſo de natura denominationis extrinſecæ diſputatio inſtituetur, quam inſtituo citato loco. 14

Vidit Smigletius diſp.4. 15.q.4 fol.319.per abſtractionem naturam ab intellectu fieri vniuerſalem, quia per hanc abſtractionem tollitur diuiſio, ſeu diſtinctio, quæ formaliter fit per differentias,qua diuiſione ablata natura manet vna formaliter,& apta vt ſit in multis,ſeu indifferens ad multa,quod eſt formaliter naturam manere vniuerſalem, ne tamen in cognitione formaliter conſtitueret vniuerſalitatem,aſſeruit vniuerſalitatem conſiſtere in negatione differentiarum tenentium ſe ex parte obiecti, quæ eſſent rationes diſtinguendi obiectum, ſi ex parte obiecti cognitiones tenerentur, ſeu ſi attingerentur cognitione, quæ negationes non debent apprehendi, ſed ſufficit non apprehendi habitus poſitiuos, videlicet differentias oppoſitas his negationibus,quia apprehenſio tantùm requiritur ad ens rationis, quod per apprehenſionem habet rationem entis, negationes autem cùm non ſint entia,ſed eſſe illarum ſit non eſſe, non egent apprehenſione, ſed poſito fundamento abſolutè conueniunt.Sic in præſenti materia,poſita abſtractione,ſeu cognitione terminata ad rationem hominis, & non ad differentias formalitati hominis poſitiuè cognitæ conuenit ex parte obiecti negatio differentiarum indiuidualium. Eadem ratione, poſita tanquam conditione terminata ad animal ſecundùm ſe,& non ad aliquam differentiam ſpecificã,ponitur ex parte obiecti cogniti,videlicet animalis,negatio rationalis.Ex hac doctrina fundamentum deſumpſit ſubtilis quidã recentior ad aſſignandũ duplex ens rationis, quoddam poſitiuum factum per cognitionem poſitiuam, quod omnes admittunt: aliud negatiuum, 15

quod fiebat, quin cognoſcetur per negationem cognitionis, ſuppoſita alia cognitione poſitiua terminata ad aliquid identificatum cum illo, quod non cognoſcebatur, quod fiebat cùm cognoſcebatur animal non cognito rationali, quia tunc negatio rationalis non exiſtentis ex parte obiecti, ſeu ipſum non exiſtere rationale ex parte obiecti, erat opus rationis procedẽs ex eo, quod ſuppoſita tendentia cognitionis ad animal non daretur tendentia ad rationale, ſeu negatio tendentiæ ad rationale.

15 Adeò ſubtilis eſt hæc doctrina vt propria ipſius ſubtilitate euaneſcat. Ex eo quod cognito animali non cognoſcatur rationale, non præſcinditur in ipſo obiecto realiter rationale ab animali, non enim vnum prædicatũ in ſe realiter ab alio ſecatur ex eo quod vnum cognoſcatur ſine alio, ſed tantum præſcinditur in ordine ad noſtrum intellectum, quod tantùm dicit non eſſe cognitum per cognitionem, per quam cognoſcitur animal: ergo ſicuti in animali eſſe cognitum per cognitionem, per quam non cognoſcitur rationale, nihil aliud eſt, quàm hanc cognitionem terminari ad animal, & non ad rationale, quod non diſtinguitur ab hac cognitione, quia hac cognitio per ſe ipſam habet terminari ad animal, & non terminari ad rationale, ſic in rationali non cognito, eſſe præciſum ab animali, quod cognoſcitur, quod eſt non eſſe cognitum per cognitionem, per quam cognoſcitur animal, dicit cognitionem terminatam ad animal non terminari ad rationale, quod non diſtinguitur ab ipſa cognitione, quæ per ſe ipſam habet terminari ad animal, & non terminari ad rationale. Stat ergo animal conſtitui præciſum à rationali, & ſine differentiis in ordine ad noſtrum intellectum per cognitionem terminatam ad animal, & non ad rationale, ex vi cuius reſtat in animali denominatio cogniti, quæ non reſultat in rationali per quam denominationem exiſtentem in animali, & non in rationali conſtituitur animal, cognitum indiuiſum in ſpecies, ad quas contraheretur per differentias, quod eſt conſtitui vnum, quia vnum & indiuiduum ſunt idem. Stat ergo abſque vlla rationis diſtinctione præciſè per præciſionem naturæ à differentiis, per quam natura cognoſcitur negatiuè vt vna conſtitui vniuerſalem, & vnam formaliter vnitate extrinſeca poſitiua.

16 Obiicies: eſſe vniuerſalis eſt cognoſci: ergo non poteſt eſſe natura formaliter vniuerſalis, & poſitiuè vna, quin cognoſcatur formaliter vt vniuerſalis, & vt vna vnitate poſitiua. Reſpondeo eſſe vniuerſalis conſtitui per cognitionem tanquam per formam, non verò per obiectum cognitionis: ex eo enim quod cognoſcatur natura, quæ in ſe eſt multiplex, negatiuè vna conſtituitur per cognitionem, qua ita cognoſcitur poſitiuè vna. Ad argumentum in forma reſpondeo: eſſe vniuerſale vniuerſalitate, & vnitate poſitiua, eſt cognoſci vniuerſalitate, & vnitate poſitiua tenente ſe ex parte obiecti, nego antecedens: vnitate & vniuerſalitate negatiua tenente ſe ex parte obiecti, quod per ipſam cognitionem tanquam per formam habet vnitatem, vniuerſalitatem poſitiuam, concedo antecedens: deinde nego conſequentiam.

17 In ſententia præſcindente tantùm ex parte actus, & non ex pate obiecti, vniuerſale conſtitui per ipſam formalem præciſionem, ſeu cognitionem terminatam ad indiuidua in ordine ad connotata ſimilia, per quam omnia cognoſcuntur inſtar vnius naturæ vnitate negatiua, & conſtituuntur poſitiuè vnam naturam vniuerſalem vnitate, & vniuerſalitate poſitiua eiſdem rationibus defenditur, quibus eandem concluſionem propugnaui iuxta opinionem obiectiuè præſcindentem; imò ex his qui præciſiones obiectiuas defendunt, ferè omnes docent vniuerſale conſtitui per vnitatem, & vniuerſalitatem rationis, ex illis verò qui tantùm præciſiones formales, ferè omnes aſſerunt vniuerſale conſtitui formaliter per ipſam cognitionem.

18 Obiicies: Forma vniuerſalis eſt cognitio: ergo forma vniuerſalis, ſeu vniuerſalitas datur à parte rei. Sed natura ſeu materia vniuerſalis datur à parte rei: ergo materia, & forma vniuerſalis: ergo datur vniuerſale à parte rei, quod omnes Doctores vnanimes negant. Reſpondeo Doctores negare dari vnam naturam phyſicè multis communẽ independenter ab intellectu, & independenter ab iſto dari vniuerſale: non tamen negant dari à parte rei vniuerſale conſtitutum per intellectus operationem à parte rei exiſtentem, quod probat obiectio, & abſque vlla repugnantia concedo.

19 Obiicies ſecundò: cognitio eſt ſingularis: ergo non poteſt conſtituere vniuerſale. Diſtinguo antecedens: eſt ſingularis entitatiuè, & phyſicè, concedo: in repræſentando, nego: quia non tantùm repræſentat vnum, aut alterum ſingulare, ſed plura inter ſe confundit ratione cuius, etſi entitatiuè ſit ſingularis, dicitur vniuerſalitas, & vniuerſale conſtituit, vt expreſsè docuit S. Thomas opuſc. 55. per hæc verba. *Eſt enim* (de vniuerſalitate loquitur) *in ſolo intellectu ſingularis, & eſt vniuerſalis in quantum habet rationem vnius formæ ad omnia indiuidua, quæ ſunt extra animam prout æqualiter eſt ſimilitudo omnium.* Mitto eandem obiectionem poſſe fieri contra illos, qui vnitatem rationis fingunt ad vniuerſale conſtituendum, quia illa vnitas ficta, erit in ſe ſingularis & determinata facta per hanc numero cognitionem determinatam.

20 Obiicies tertiò: vniuerſalitas conſiſtit in cognitione: ſed cognitio per quam fit vniuerſale ſpecificum hominis differt in ſpecie à cognitione, per quã fit vniuerſale ſpecificum equi: ergo ſpecies hominis, & ſpecies equi in ratione ſpecierum, & vniuerſalium non tantùm differunt numero, ſed etiam in ſpecie. Retorqueo argumentum ad illos, qui per ens rationis vniuerſale conſtituunt: cognitiones terminatæ ad rationem hominis, & ad rationem communem equi diſtinguuntũr in ſpecie: ergo vnitates rationis, quæ ex illis reſultant diſtinguuntur in ſpecie, quia quoties cognitiones factiuæ entium rationis ſpecie differunt, entia rationis per illas facta ſpecie differre neceſſe eſt. Nonnulli conſequentiam concedunt, qui tenentur aſſerere nullam dari ſpeciem vniuerſalis, quæ ſub ſe duo indiuidua contineat, ſed hæc omnia inter ſe ſpecie differre, ſicuti de Angelis dici ſolet. Verumtamen leui argumento in hanc difficultatem ſe coniicient, facilè enim reſpondetur, cognitiones illas differre ſpecie phyſica, ſeu quatenus ſunt vniuerſalitates, ſeu rationes confundendi, & repræſentandi plura indiuidua inſtar vnius obiecti, quia ſicuti cognitio reſpondens huic voci *homo* confundit, & per modum vnius repræſentat omnia humana indiuidua, cognitio reſpondens huic voci *equus* confundit, & repræſentat omnia equina indiuidua, & ita tantùm differunt quaſi materialiter in ratione confundendi, & adiuuandi, quæ ad vniuerſalitatem pertinent.

21 Obiicies quartò, contra id, quod diximus cognitionem, per quam fit vniuerſale vnum, non exprimere vnitatem tenentem ſe ex parte obiecti. Diuiſio mentis Logica eſt cognitio exprimens pluralitatem tenentem ſe ex parte obiecti: ergo vnitio mentis Logica debet exprimere vnitatem ex parte obiecti. Reſpondeo, non omnem diuiſionem Logieam exprimere pluralitatem ex parte obiecti, vt patet in diuiſione totius in partes Metaphyſicas, quæ nullam pluralitatem obiectiuam important, genus enim & differentia, in quæ diuiditur ſpecies, ex parte obiecti idem formaliter dicunt, quod ſpecies ipſa. Imò ex diuiſione ad indiuiſionem argumentum conficio, ſicuti enim per actum diuidendi non repræſentatur membra diuidentia vt diuiſa, ſeu vt membra diuidentia, ſed ſecundùm ſe, & per illum actum conſtituuntur extrinſecè diuiſa, ſeu membra diuidentia, ſic in diuiſione, ſeu adunatione intellectus non repræſentantur illa, quæ fiunt indiuiſa, & vna formaliter vt vna, ſed tantùm fundamentaliter, & conſtituuntur formaliter per talem actum poſitiuè vnum, & indiuiſum, ſeu vniuerſale.

22 Obiicies quintò, ad probandum nimiam ſimilitudinem operationum non ſufficere, ad hoc vt intellectus cognoſcens ſimul plura indiuidua illa inter ſe confundat, & inſtar vnius apprehendat. Nimia ſimilitudo tantùm poteſt deſeruire vt intellectus ſucceſſiuè videns duo indiuidua illa confundat, ita vt cùm hoc tantùm videat, non valeat diſcernere, an hoc vel alterum videat, non tamen poteſt eſſe in cauſa, vt intellectus ſimul cognoſcens vnum, & alterum non diſcernat inter hoc & illud, & cognoſcat hoc ab illo diſtingui, vt patet in quibuſcumque indiuiduis inter ſe ſimilibus, in duobus ouis, v.g. quæ ſi ſucceſſiuè oculis obiciantur, non poterit intellectus diſcernere, an idem bis proponatur, an verò antea vnum, & modò alterum videat: at verò vt primum ſimul obiiciantur, vnũ ab alio diſcerneret. Reſpondeo nimiam

ſimilitudinis

ſimilitudinem poſſe deſeruire vt intellectus non diſcernat inter illa indiuidua, etiam dum actu vtrumque ſimul cognoſcit, quod obiectio non impugnat. Exemplum additum ad rem non eſt, quia quando duo indiuidua corpora intuitiuè videntur, apparent in diuerſis locis, & ita quantumuis ſimilia ſint, ex præſentiarum deſtinatione, diſtinguentur ab intellectu; quod ſi penetrata apparerent, tanta poterat eſſe ſimilitudo, vt poſtquam vtrumque ſimul intellectui obiiceretur, non valeret intellectus vnum ab alio ſecernere. Ita fore credo, ſi duo oua omnino æqualia oculis obiicerentur, in quibus vnum ab altero ſenſus, neque intellectus diſcerneret, ſed vtrumque inſtar vnius apprehenderet.

Pvnctvm V.

De materia vniuerſalis, cui contingit vnitas.

§. I.

Iuxta obiectiuè præſcindentes rem dirimo.

1 VT vniuerſalis eſſentia magis innoteſcat, explicanda eſt natura, cui tanquam ſubiecto contingit vniuerſalitas, ſiue hæc in vnitate rationis, ſiue in cognitione conſiſtat, quod in opinione non præſcindente ex parte actus, etſi facilè dicatur eſſe collectionem indiuiduorum, non ſine difficultate videtur poſſe defendi. Meum eſt explicare, quomodo iuxta hanc ſententiam formaliter, & non obiectiuè præſcindentem, quam amplector, res ſit componenda? Cùm verò gratis in fauorem cōmunis ſententiæ, obiectiuè præſcindentis ſuſciperem explicandam vniuerſalis naturam, iuxta vtramque ſententiam, iam teneor difficultatem hanc in vtraque explanare, quæ non minùs, imò forſan magis obiectiuè præſcindentes vrget, quàm tantùm ex parte actus præciſiones admittentes.

2 Vulgò dicitur iuxta obiectiuè præſcindentes intellectum per cognitionem præſcindentem, quâ non attingit differentias, attingere formalitatem quandam realem indiuiſibilem potentem contrahi ſecundùm ſe totam ad quodlibet inferius, & ad omnia, quæ ſub illa continentur, ita vt per cognitionem, qua abſtrahitur animal ab omnibus differentiis, & ſpeciebus cognoſcatur vnum indiuiſibile ſentiendi principium, quod idem ſecundùm ſe totum reperitur in homine, & idem ſecundùm ſe totum reperitur in Petro, & modò ad hanc ſpeciem, modò ad illam indiuiſibiliter ſumptum contrahi poteſt, quia ſeclusis differentiis nullum eſt principium, per quod differāt diuerſæ rationes animalis, ſed omnes fiunt vnum ea ratione, qua ſine differentiis conſtituuntur, & quia per rationem tantùm rationes illæ fiunt extra differentias, per rationem tantùm dicuntur habere vnitatem.

3 Sententiam efficaciſſimè impugnari, mihi ſemper ſuaſi, nonnulla non leuis momenti contra illam expendam. Nihil eſt in Petro, quod realiter ſit in Paulo: ergo implicat conceptus quidam obiectiuus, qui ſecundùm totum id, quod importat, poſſit prædicari de Petro, & poſſit prædicari de Paulo. Antecedens probaui Controu. 4. Metaphyſ. Punct. 3. vbi probaui omnia, quæ ſunt in Petro, eſſe identificata cum differentiis indiuidualibus Petri. Conſequentiam probo. Conceptus obiectiuus potens prædicari de Petro, & Paulo debet eſſe in Petro, & in Paulo: ſed nullus conceptus, qui eſt in Petro eſt in Paulo: ergo nullus conceptus, qui prædicatur de Petro, & eſt in Petro, eſt in Paulo: ergo nullus conceptus, qui eſt in Petro, & prædicatur de Petro, poteſt prædicari de Paulo, cùm nullus conceptus, qui in Paulo non eſt, poſſit de ipſo prædicari. Dices poſita abſtractione reſultare rationem omnino eandem, & communem Petro, & Paulo. Contra: poſita abſtractione non reſultat in obiecto identitas aliqua realis, quia abſtractio non immutat obiectum realiter: ergo tantùm reſultat identitas intentionalis vel rationis. Sed hæc non poteſt deſeruire vt verificentur de eodem ſubiecto illa, quæ ſoluta hac vnitate rationis non habebant phyſicam identitatem: ergo vnitas rationis non poteſt deſeruire, vt rationes, quæ illa ſecluſa realiter non identificantur cum ſubiecto, de illo identificentur. Huc vſque legitimus eſt diſcurſus, primum enim antecedens, & conſequens ex illo illatum, admittunt Doctores, cum quibus agimus, & per ſe notum eſt recognitionem obiectum relinquere in ſe ipſo inuariatum, vt contra recentiores ſupra oſtendimus. Secundum antecedens eſt manifeſtum, quia verificatio ſumitur ex identitate reali, quæ eſt inter ſubiectum & prædicatum, & non ex identitate, quam ego fingo, quantumuis enim ego per apprehenſionem, vel quomodocumque fingam hominem identificari cum equo, tertium illud fictum ex homine, & equo, neque de homine, aut de equo verificari poterit, neque poterit verificari hominem eſſe equum, aut equum eſſe hominem. Conſequentia eſt legitima: Pergo vlteriùs: ſed illa ratio hominis vna per rationem, & multiplex realiter ſecundùm totum id, quod dicit, non identificatur cum Petro, & Paulo, quia includit rationem hominis realiter identificatam cum Petro, quæ non identificatur cum Paulo, & rationem hominis identificatam cum Paulo, quæ non identificatur cum Petro: neque aliquid in illa ratione vna per intellectum reperitur, quod indiuiſibiliter cum vtroque identificetur, quia rationis vnitas cum nullo identificatur, & obiectum vnum identificatur cum Petro tantùm ſecundum rationem hominis à Petro abſtractam, & cum Paulo tantùm ſecundum rationem hominis à Paulo abſtractam, quæ realiter diſtinguuntur: ergo nihil eſt in illo obiecto vno, quod indiuiſibiliter poſſit prædicari de Petro, & Paulo.

Vrgeo, nihil eſt in Petro, aut in Paulo quando datur ratio hominis abſtracta ab illis, quod non ſit, quando deficit abſtractio: ſed quando deficit abſtractio nihil eſt in Petro, quod ſit commune Paulo, aut realiter identificatum cum Paulo: ergo neque quando abſtractio adeſt: ergo adhuc poſita abſtractione, nihil datur, quod ſecundùm eandem indiuiſibilem rationem poſſit de indiuiduis diſtinctis prædicari. Idem infero in ratione generica reſpectu differentiarum, nihil enim poteſt includi in ratione animalis abſtracta, quod ſecundùm eandem rationem indiuiſibilem prædicetur de homine, & equo. 4

Rurſus ſi vna ratio indiuiſibilis abſtracta eſſet communis omnibus, ſecundùm eandemmet indiuiſibilem rationem ratio omnium hominum prædicaretur de Petro, & in Petro eſſet ratio aliqua, quæ eadem indiuiſibilis eſſet in reliquis omnibus indiuiduis, & quodlibet indiuiduum in quocumque alio ſuam naturam agnoſceret, quam ab ipſo poſſet repetere, & aliud reddere non deberet, quia eodem iure illi competebat, potiùs poſſet reſpondere, quod petis intùs habes, quia eademmet natura propria Petri, quæ eſſet in Ioanne, eſſe ſimiliter propria Ioannis, & eſſet ſimiliter in Petro, eſſet enim in vtroque, & vtriuſque eſſet propria, quatenus propria cum alieno opponitur & neutrius propria diceretur, quatenus proprium opponitur communi, illa enim natura communis eſſet vtrique indiuiduo. 5

Ob hanc rationem cenſeo adhuc in opinione præſcindente obiectiuè cognitionem terminatam ad conceptum hominis reſpicere tanquam ſubiectum vnitatis, per quā conſtituitur vniuerſale, ſiue hæc ſit ens rationis, ſiue ipſa abſtractio realis, rationem hominis, quę eſt in Ioāne, & aliam rationem hominis, quæ eſt in Petro, & ſic alias rationes hominis diſperſas per omnia indiuidua, quæ in ſe etiam ſecundùm illa formalitates, ratione quarum terminant cognitionem, realiter non identificantur, etiamſi illa à differentiis mente præſcindantur, & per cognitionem identificentur vnitate extrinſeca, quæ à cognitione non diſtinguitur ſecundùm veriorem ſententiam, quam vt veriorem tradidi, ex vi cuius naturæ illæ cognoſcuntur vt vnum obiectum vnitate negatiua, quia ex eo præciſè, quod intellectus non percipiat illarum differentias indiuiduales eas omnes inter ſe confundit, & eodem modo ſe habet circa illas, ac ſe haberet ſenſus circa duo obiecta omnino ſimilia, & æqualia penetrata, in quibus non diſcerneret vnum ab alio, & eodem modo ſe haberet in ordine ad obiecta diſtinguenda, ac ſi vnū tantùm videret obiectū, licèt in re duo attingeret. Confirmatur: materia illa, cui ſuperadditur vnitas intētionalis, ſeu ficta vt condiſtincta ab vnitate illi ſuperaddita non eſt vna, ſed multiplex. Sed natura, quæ ſubſternitur vnitati, vt diſtincta ab vnitate terminat cognitionem per quam fit vniuerſale: ergo natura multiplex, quatenus eſt multiplex realiter terminat cognitionem, per quam illi ſuperadditur vnitas intentionalis: ſeu rationis. Maior ab 6

ab omnibus admittitur: Minor facillimè probatur: Cognitio, per quam natura fit vna (eſto ad vnitatem terminetur, quod mihi falſum eſt) non tantùm terminatur ad vnitatem, ſed concretum vnum; quod eſſentialiter dicit ſubiectum, cui ſubſternitur vnitas, quatenus ab vnitate diſtinctum: ergo natura, cui accidit vnitas, quatenus ab vnitate diſtincta terminat cognitionem, per quam fit vniuerſale: ergo natura vt multiplex realiter per ſe ipſam terminat cognitionem, per quam fit vniuerſale, licèt terminet eandem cognitionem, vt vna per rationem, quod ego iudico verum non eſſe, quia in mea ſententia cognitio, per quam fit vniuerſale, conſtituit naturam vt vnam, non verò ad illam vt vnam terminatur.

7 Obiicies: natura adhuc vt diſtincta ab vnitate, & vt illius ſubiectum, non terminat cognitionem, per quam fit vniuerſalis, ſecundùm differentias, ſed ſecundùm prædicatum abſtractum à differentiis ergo non terminat naturam vt multiplex: Probo conſequentiam: non poteſt terminare cognitionem vt multiplex, & vt diſtincta, quin terminet ſecundùm illam rationem, qua eſt multiplex, & diſtincta: ſed eſt multiplex & diſtincta ſecundùm differentias: ergo ſi non terminat cognitionem ſecundùm differentias, ſicuti de facto accidit non terminat cognitionem quatenus multiplex & diſtincta. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando primam conſequentiam; deinde concedo maiorem; & diſtinguo minorem: natura eſt multiplex & diſtincta ſecundùm differentias: in ordine ad noſtrum intellectum concedo: in ſe eſt multiplex, & diſtincta per differentias, ſubdiſtinguo: per differentias tantùm nego; per differentias, & per ſe ipſam, concedo, quælibet enim formalitas, quæ abſtrahatur à Petro, etiam ratione entis ſecundùm ſe per ipſam habet non eſſe in Ioanne, licèt in ordine ad noſtrum intellectum, ſecundùm illam formalitatem præciſam non dicatur diſtincta, quia intellectus noſter diſtinctionem, quam habet Petrus à Ioanne ſecundùm quamcumque formalitatem, quam in ſe includit tantùm attribuit differentiæ indiuiduali.

8 Ex quo fit intellectum noſtrum cognoſcentem rationem hominis, quæ eſt in Ioanne præciſis differentiis indiuidualibus, cognoſcere has rationes formaliter vt diſtinctas in ſe, ſeu ſecundùm formalitates, quæ per ſe ipſas important diſtinctionem, licèt non illas cognoſcat vt diſtinctas in ordine ad intellectum, hoc eſt, ſecundùm formalitates, quibus intellectus diſtinctionem attribuit, quod ſolemus explicare docentes intellectum cognoſcere rationes has vt diſtinctas negatiuè, & non poſitiuè. Ex hac doctrina facilè diſtinguitur conſequens eodem modo: ergo ſi intellectus non cognoſcit differentias, non cognoſcit naturas vt diſtinctas in ordine ad intellectum, concedo conſequentiam; vt diſtinctas in ordine ad ſe, nego conſequentiam.

9 Ex his inferes cognitionem, per quam fit hoc vniuerſale *animal* terminari ad formalitatem animalis, quæ eſt in homine, & ad formalitatem animalis, quæ eſt in equo, & in aliis ſpeciebus, vt inter ſe diſtinctis realiter, quibus tribuit vnitatem extrinſecam ſiue rationis. Si verò difficile percipiatur præciſis differentiis indiuidualibus adhuc naturas inter ſe diſtingui hanc difficultatem ſecum fert opinio obiectiuè præſcindens, quam ego non amplector; ſed latè impugno in Metaph. Controu. 4. Punct. 8. Quomodo autem conceptus animalis in ſe includens animalitatem equi diſtinctam ab homine poſſit prædicari de homine, & conceptus hominis includens humanitatem Petri diſtinctam à Ioanne poſſit de Ioanne prædicari, dicam poſtea, dum explicem quomodo conceptus hominis, qui iuxta opinionem præſcindentium formaliter dicit aggregatum omnium indiuiduorum, poſſit de Petro, & de quocumque indiuiduo prædicari.

§. II.

Iuxta præſcindentes tantùm formaliter quæſtionem definio.

10 Ex hac doctrina neceſſariò infertur quid dicendum ſit iuxta opinionem præſcindentem tantùm ex parte actus, & non ex parte obiecti, quam ego conſtanter defendo. Affirmo in mea ſententia formaliter tantùm præſcindente cognitionem, per quam fit vniuerſale terminari ad collectionem omnium indiuiduorum, quæ ſub illa ratione communi contineri dicuntur, quæ omnia confuſè cognita in ordine ad connotata communia, & ſimilia inſtar vnius naturæ cognoſcuntur, & extrinſecè per ipſam cognitionem vnum vniuerſale denominantur. Hæc opinio eſt Nominalium, quos optimè vindicat Hurtad. à calumnia, quæ illis imponitur, videlicet ipſos negaſſe conceptus vniuerſale, & tantùm vniuerſalia in rebus conſtituere. Tribuitur etiam D. Thomæ, quem cum Nominalibus ſentire contendit Hurtad. & plura illius teſtimonia refert, confértque cum Nominalium teſtimoniis, ex quibus vnum tantùm dabo, in quo videtur noſtram ſententiam, expreſsè ab Angelico Doctore fuiſſe traditam. Sic ille Opuſc. 55. *Hæc autem ſimilitudo ſiue ſpecies exiſtens in anima eſt vna numero, & ſingularis, eius tamen vniuerſalitas non ex eo, quod ſit in anima, ſed ex eo, quod comparatur ad plura ſingularia eodem modo ſe habentia opinata* (hoc eſt cognita) *eodem modo.* En aſſerit Angelicus Doctor vniſalitatem eſſe ex eo, quod cognitio terminatur ad plura ſingularia cognita eodem modo, hoc eſt, ſimilia inter ſe. Eandem opinionem Hurtadus attribuit Patri Suario Diſput. 5. Metaph. ſect. 10. ſubſect. 2. vbi illam tenaciter amplectitur, eandémque defendit Arriaga diſp. 6. Logicæ ſect. 4.

Ad huius opinionis faciliorem intelligentiam breuiter explico, de quo latè Controu. 4. Metaph. Punct. 8. quid ſit rem confuſè, quid diſtinctè cognoſcere. Res confuſè agnoſcitur, quando ex vi illius cognitionis non poteſt ſecerni ab alia, quæ per eandem cognitionem attingitur, quod contingit, quando quæ entitates, quas cognitione confundi dicimus, & inſtar vnius attingi, cognoſcuntur per connotata communia, & inter ſe ſimilia, exempli gratiâ cognoſco hominem, & equum per connotata ſimilia, videlicet ſenſationes, quæ ſimiles in vtroque reperiuntur, tunc dicor cognoſcere animal, quod eſt confundere hominem, & equum, & vtrumque confundere vnum reſpectu alterius, quia ex vi illius cognitionis non valeo hominem ab equo diſcernere, neque equum ab homine quod facerem, ſi hominem non per ſenſationes, quas habet quibus aliæ ſimiles in equo correſpondent, ſed per intellectiones cognoſcerem, quibus aliæ ſimiles in equo non reperiuntur; tunc enim in ordine ad has operationes hominem ab equo diſtinguerem, ſeu hominem in ordine ad equum diſtinctè cognoſcerem. Ex hoc fit poſſe idem obiectum confuſè & diſtinctè cognoſci per eandem cognitionem in ordine ad diuerſa extrema: cùm enim cognoſco hominem ſimul cum equo per operationes ſentiendi, & dicor cognoſcere animal, confundo hominem cum equo, in quo ſunt operationes ſimiles illis, per quas hominem cognoſco, & illum diſtinguo à lapide, in quo ſimiles operationes non reperiuntur. Hac ratione dicor per cognitionem, qua apprehendo animal non apprehendere diſtinctè vt rationem hominis, quia etſi illam apprehendam, illam confundo cum equo, qui non eſt homo, qua etiam ratione prædicatum animalis, quod eſt homo, confundo cum equo, quia tamen non illud confundo cum aliquo, quod non ſit animal, ſicuti confundo hominem cum aliquo, quod non ſit homo, dicor diſtinctè cognoſcere animal, & confuſè cognoſcere hominem, licet animal ſit identificatum cum homine, & ipſum hominem in ordine ad eadem obiecta eodem modo cognoſcatur, animal enim identificatum cum homine confunditur cum animali equi, & cum equo, & diſtinguitur ab omnibus, quibus non conuenit ratio animalis, quod etiam conuenit homini quatenus ſignificato per hunc conceptum *animal*, ex vi cuius tantùm confunditur cum equo, & aliis ſpeciebus, quibus conuenit ratio animalis, & diſtinguitur à lapide, & ligno, & reliquis omnibus, quæ animalia non ſunt. De hoc latiùs loco citato. 11

His poſitis, dico vniuerſale ſpecificum, v. g. *homo* includere pro materiali Petrum, & Ioannem, & reliqua indiuidua, in quibus ratio hominis reperitur, quæ omnia indiuidua tanquam per formam extrinſecè denominātur vnus homo, & vnum vniuerſale per cognitionem, qua omnia apprehenduntur in ordine ad operationes ſimiles in omnibus, per quam cognitionem confunduntur inter ſe omnia indiuidua cognita, & omnia illa propter nimiam connotatorum ſimilitudinem inſtar vnius cogno- 12

Digitized by Google

cognoſcuntur, ita vt tantùm poſſit intellectus omnia ſimul ſumpta diſcernere ab illo indiuiduo, in quo ſimiles rationes non inueniantur, verbi gratia ab hoc equo, non verò poſſit in ipſis indiuiduis vnum ab alio diſcernere, nec poſſit intellectus dicere an plura, vel pauciora cognoſcat, cùm nihil repræſentatur in omnibus, quod propter nimiam ſimilitudinem in quolibet illorum non videatur reperiri, eſt enim cognitio illa cuiuſdam obiecti veluti definitiui in modo cognoſcendi, quia non magis diſcernitur in toto illo obiecto, quàm in qualibet parte illius, ſeu in tota indiuiduorum collectione, quàm in quolibet indiuiduorum contento ſub illa collectione, ratione cuius ſimilitudinis, ſeu condiſtinctionis in ordine ad noſtrum intellectum, tota illa collectio apparet inſtar prædicabilis ſecundùm ſe totam de quocumque indiuiduo, etiamſi tantùm de quocumque indiuiduo poſſit prædicari ſecundùm rationem inadæquatam, in qua cum illo identificatur, vt poſtea dicam. Explicata iam materia vniuerſalis ſpecifici, facilè vniuerſalis generici materia innoteſcit, ſicut enim vniuerſale ſpecificum hominis fit ex collectione indiuiduorum, quæ ſub hominis ſpecie continentur, & vniuerſale ſpecificum equi ex collectione indiuiduorum, quæ continentur ſub ſpecie equi, & ſic de alijs ſpeciebus, vniuerſale genericum fit ex collectione indiuiduorum, ex quibus fiunt ſpecies, verbi gratia hoc vniuerſale *animal* ex his indiuiduis hominis, ex quibus fit ſpecies hominis, & ex indiuiduis equi, ex quibus fit ſpecies equi, & ſic ex omnibus indiuiduis contentis ſub ratione communi animalis. Quæ omnia indiuidua dicuntur vnum animal ex vi cognitionis, qua attinguntur in ordine ad operationes ſimiles in quolibet illorum repertas, ex vi cuius omnia inter ſe confunduntur, & tantum diſtinguuntur à reliquis indiuiduis, & ſpeciebus, in quibus ratio animalis non reperitur, videlicet à ligno, & lapide. Secundùm hunc diſcurrendi modum materia vniuerſalis ſpecifici, & differentialis, videlicet hominis, & rationalis non diſtinguuntur, quia vtrumque vniuerſale reſpicit eadem indiuidua tanquam inferiora, quorum collectionem vtrumque dicit pro materiali; diſtinguuntur autem vniuerſalia, quia rationale tantùm connotat ratiocinationes, quorum ſit principium, ſicuti animal tantùm connotat ſenſationes, homo autem connotat ſenſationes, & ratiocinationes tanquam procedentes ab vno principio indiuiſibiliter ſignificato, quod eſt homo.

13 Materiam vniuerſalis eſſe collectionem omnium indiuiduorum iuxta non præſcindentes obiectiuè eiſdem rationibus probatur, quibus probauimus materiam vniuerſalis, eſſe collectionem rationum abſtractarum, & non vnam ſimplicem rationem abſtractam in opinione obiectiuè præſcindentium. Secundò ſpecialiùs probatur iuxta principia huius ſententiæ. Ablata vna ratione præciſa ex parte obiecti nihil poteſt intellectui obijci, quod antecedat vnitatem, quæ in cognitione conſiſtit, præter indiuiduum aliquod, vel plura, quæ ſimul cognoſcantur, ſed vnum indiuiduum eſt materia apta vt fiat vniuerſale multis commune, neque vt illi tribuatur vnitas extrinſeca, ſiquidem illam habet intrinſecam in ſe ipſo: ergo illud, quod obijcitur tantùm poteſt eſſe indiuiduorum collectio, ſeu plura indiuidua habentia operationes adeò inter ſe ſimiles, vt in ordine ad illas, poſſit intellectus inſtar vnius obiecti indiuiſi ea omnia indiuidua cognoſcere. Cõfirmatur; per vniuerſale conſtituitur vnum, & indiuiſum illud, quod à parte rei erat multiplex, & diuiſum antecedenter ad cognitionem per quam fiat vniuerſale: ſed à parte rei antecedenter ad cognitionem per quam fit vniuerſale tantùm erat collectio indiuiduorum, quæ dicit plura indiuidua inter ſe diuiſa: ergo tantùm hæc indiuiduorũ collectio fieri poteſt vna & indiuiſa, ſeu vniuerſalis.

§. III.

Argumenta ſoluta.

14 OCcurrunt nonnulla ſoluenda argumenta contra doctrinam traditam, quibus ſolutis illius veritas clariùs elucet.

Obijcies primò. Collectio indiuiduorum non poteſt prædicari de quolibet indiuiduo, ſeu inferiori contento ſub vniuerſali: ſed vniuerſale prædicatur de quolibet inferiori ſub illo contento: ergo vniuerſale non dicit totam collectionẽ indiuiduorum, ſeu inferiorum, quæ ſub ſe cõtinet. Idem argumentum fit contra doctrinam traditam iuxta opinionem obiectiuè præſcindentium, quorum vniuerſale diximus continere plures rationes abſtractas inter ſe diſtinctas, quarum collectio de nullo inferiori poteſt prædicari. Reſpondeo vniuerſale prædicari de omnibus indiuiduis non ſecundùm ſe totum, ſed ſecundùm aliquã partem ſui, quæ apparet inſtar totius, quia intellectus non decernit inter partem, & totum, propter confuſionem partium vniuerſalis, videlicet ſingulorum indiuiduorum cum toto vniuerſali, ſeu cum tota collectione indiuiduorum: collectio enim illa, vt ſuprà dicebam, repræſentatur quaſi definitiuo modo, ita vt non magis apparere videatur in tota illa ſimul ſumpta, quàm in qualibet parte illius, repræſentatur enim quælibet pars ſine ratione, per quam in ordine ad intellectum diſtinguitur à comparte, & ita vt non diſtincta ex parte actus ab alia comparte, & conſequenter vt non diſtincta à toto, quia pars tantùm differt à toto per aliam compartem, cum qua ſimul totum componit, & non cognita alia comparte vt diſtincta, nullum eſt caput, ex quo cognoſcatur pars vt diſtincta à toto. Ad argumentum in forma reſpondeo: Collectio, quam dicit vniuerſale non prædicatur de quolibet indiuiduo: æquiualenter, & quoad modum prædicandi, nego: ratione materiæ, ſubdiſtinguo; ſecundùm ſe totam, concedo; ſecundùm aliquam partem ſui, nego. Itaque collectio eſt prædicabilis de pluribus indiuiduis, ſeu inferioribus ſecundùm plures rationes, quas includit abſtractas à pluribus inferioribus ſiue abſtractione obiectiua, ſiue formali, & eſt prædicabilis de quolibet indiuiduo ſeorſim ſumpto ſecundùm rationem abſtractam ab illo indiuiduo, quæ in illa collectione includitur.

Obijcies ſecundò. Si in hac prædicatione *Petrus eſt homo*, non prædicatur vniuerſitas illa ſingularium ſaltem materialiter, ſed vnam tantùm, quod identificatur cum Petro, prædicatio non erit vniuerſalis, ſed ſingularis. Reſpondeo in prædicatione naturæ vniuerſalis de inferiori ſub illa contento, prædicatum non retinere vniuerſalitatem, quam habebat, ſed contrahi ſubiectum ad rationem illam inferiorem, qua ſubiectum circumſcribitur. Dicitur autem prædicatio naturæ vniuerſalis, quia eſt prædicatum cuiuſdam naturæ, quæ continebatur in illo vniuerſali, quod per aggregationem inferiorum erat conſtitutum, & quia eodem modo ſignificatur iam contracta in actuali prædicatione, quo ſignificabatur aggregatum, in quo continebatur, in hac enim prædicatione *Petrus eſt homo*, ratio hominis identificata cum Petro, quæ tantùm ſe tenet ex parte prædicati, eodem modo ſignificatur, quo ſignificabatur tota collectio hominum in hoc vniuerſali ſpecifico *homo*. 15

Obijcies tertiò. In hac prædicatione *Petrus eſt homo*, tantùm ſe tenet ex parte prædicati ratio hominis identificata cum Petro, & nihilominus eſt prædicatio vniuerſalis: ergo hæ prædicationes *Petrus eſt Petrus*; *Petrus eſt quidam homo*; *Petrus eſt hic homo*, erunt prædicationes naturæ vniuerſalis, quia illarum quælibet idem dicit ex parte prædicati, ac dicit propoſitio illa *Petrus eſt homo*. Reſpondeo prædictas propoſitiones non eſſe naturæ vniuerſalis, quia non dicunt ex parte prædicati naturam identificatam cum Petro, quæ in vniuerſali continetur, eodem modo ſignificatam, quo ſignificatur totum vniuerſale *homo*, ſed affectam ſigno particulari, aut demonſtratiuo, quibus non afficitur prædicatũ huius propoſitionis naturæ vniuerſalis *Petrus eſt homo*. Adde in hac propoſitione prædicatum nominis præciſè, quatenus ſignificatur ex parte prædicati præſcindere ex parte actus, vel ex parte obiecti eo modo, quo præciſiones admittuntur à differentiis indiuiſibilibus, in illis verò non præſcindere, qui ſignum particulare, & demonſtratiuum illas important. 16

Obijcies quartò. Vniuerſale eſt aggregatum omnium indiuiduorum: ergo hoc complexum *omnis homo* erit vniuerſale. Reſpondeo negando conſequentiam, quia in illo complexo ſignificantur ſingularia diſtincta inter ſe, quia complexum illud ratione ſigni *omnis* reſoluitur formaliter in iſtud. *hic homo, & hic homo, & hic homo*, &c. Sed inſtabis etiam in aggregato, in quo nos vniuerſale conſtituimus, ſignificantur indiuidua vt diſtincta inter ſe: ergo eadem eſt ratio in vtroque. Probatur aſſumptum: Indiuidua ſignificantur vt ſimilia; ergo vt extrema diſtincta, relatio 17

enim

enim ſimilitudinis non poteſt eſſe niſi inter extrema ſimilia.Reſpondeo in vniuerſali non ſignificari indiuidua vt ſimilia formaliter, & poſitiuè, ſed materialiter,& negatiuè, quia tantùm ſignificantur non differentia inter ſe propter ſimilitudinem fundamentalem,quam habent,quę apparet veluti quædam identitas, cùm propter illam non poſſit intellectus vnum indiuiduum ab alio diſcernere.

PVNCTVM VI.

De aptitudine vniuerſalis ad eſſendum in multis, & prædicandum de multis.

1 THomiſtę ferè omnes,in quibus eſt Rub.q.4.procemial. n.58.qui cenſent vnitatem vniuerſalis eſſe ens rationis, eodem modo de aptitudine vniuerſalis ad eſſendum in multis philoſophantur, qui reiiciendi ſunt rationibus infra dandis,& ex his, quæ contra illos de vnitate vniuerſalis tradidimus.P.Fonſeca, & alij, qui neſcio quam vnitatem multis communem naturæ intrinſecam meditabantur, aptitudinem ad eſſendum in multis eodem modo intrinſecam eidem naturæ largiuntur,qui eodem modo reiiciendi ſunt circa præſentem difficultatem,quo reiecti ſunt circa vniuerſalis vnitatem. Hurtadus, Arriaga & ferè omnes recentes, qui aſſerunt vnitatem conſiſtere in cognitione, in eadem aptitudinem conſtituunt, aſſeruntque naturam eſſe aptam vt ſit in multis, & vt prædicetur de multis dicere in natura denominationem quandam extrinſecam à cognitione deſumptam. Quid in quæſtione tantùm de nomine ſentiendum ſit, paucis explicabo.

2 Dupliciter poteſt natura vniuerſalis conſiderari apta eſſe in multis,aut actu in multis.Pimò phyſicè,& realiter,ſecundò intentionaliter,ſeu in ordine ad noſtrum intellectum. Dicam priùs quid circa aptitudinem, & exiſtentiam phyſicam ſentiendum ſit, & poſtea ad intentionalem procedam.

3 Sit PRIMA CONCLVSIO:Exiſtentia realis & phyſica naturæ vniuerſalis in ſuis inferioribus conuenit illi realiter & phyſicè rationes partium quas includit. Ratio eſt, quia hæc exiſtentia nihil aliud eſt,quàm identitas ſingularium cum partibus materialibus vniuerſalis:ſed identitas non diſtinguitur ab ipſa natura identificata:ergo cùm ſingularia, quæ identificantur ſint realia,identitas ſingularium,quæ eſt exiſtentia phyſica vniuerſalis in ſuis inferioribus ab ipſis ſingularibus non diſtinguetur,& eiuſdem rationis erit cum illis. Conſultò dixi hanc exiſtentiam in multis vniuerſali realiter conuenire ratione partium,& non ratione totius, quia cùm totum non ſit reale phyſicum,ſed tantùm intentionale, nihil poteſt illi conuenire ratione ſui independenter ab intellectu. Secundò, quia phyſicè totum nullam aliam habet identitatem cum partibus, præter illam quam ſingulæ partes habent cum inferioribus; eadem enim inferiora confuſè cognita partes vniuerſalis conſtituuntur, & ex hac identitate partium cum inferioribus reſultat totum dici cum illis identificari. Itaque ſicuti ſingula indiuidua,quæ in re erant plura,per abſtractionem extrinſecè fiunt vna natura vniuerſalis, ſic ſingulæ exiſtentiæ indiuiduorum in ſe ipſis per abſtractionem dicuntur vna aptitudo naturæ vniuerſalis ad eſſendum in multis cum accommoda diſtributione,qua de pluribus diximus prædicari. Ob hanc rationem doctè dixit Smigletius diſp.4.q.4.fol.315.poſita abſtractione ſequi ordinem,& aptitudinem naturæ ad eſſendum in multis,licet enim hanc aptitudinem habeat natura à parte rei, quia reuera eſt in multis;tamen non habet à parte rei aptitudinem per modum vnius,& cum multis,ſed diuiſa,& non vna:vnde hæc aptitudo non eſt realis,ſed rationis, quia eſt fundata in abſtractione,quæ fit per rationem.Per ly *rationem* non ficta,ſed intẽtionalis aptitudo intelligenda eſt.

4 SECVNDA CONCLVSIO:Ad actum exiſtendi in multis per identitatem propriè loquendo nulla ſupponitur aptitudo,ſeu potentia, quia hic actus tantùm dicit identitatem indiuiduorum ſecum ipſis;nulla autem entitas eſt potens identificari ſecum,quia identitas illi conuenit per ſuammet entitatem,ad quam in eadem entitate nulla poteſt potentia ſupponi.Sicuti de aptitudine ad exiſtendum dicam Controu.2.Metaph.quam dicam propriè non eſſe potentiam, cùm quælibet res per ipſam exiſtat, quod clariùs cernitur in noſtro caſu;in quocumque enim ſtatu conſideretur entitas,conſideratur identificata ſecum ipſa; ſic homo poſſibilis identificatur cum animali rationali poſſibili,& homo exiſtens cum animali rationali exiſtenti. Hæc de exiſtentia phyſica naturæ vniuerſalis in multis: venio iam ad exiſtentiam intentionalem.

Duplicem exiſtentiam intẽtionalem in inferioribus 5
circa naturam vniuerſalis contemplor. Prima,quæ fit per ſimplicem comparationem,qua ſine iudicio natura cognoſcitur, inſtar reſpicientis inferiora de quibus poteſt prædicari, quæ conuenientia ſolet ſignificari per hæc complexa, *natura ad inferiora : natura cum inferioribus : natura in inferioribus*, quæ conuenientia exprimitur quacumque relatiui apprehenſione, quotieſcumque enim apprehendo patrem, apprehendo cum ordine ad filium, nullo iudicio intercedente; & cùm quis dubitat an aſtra ſint paria, apprehendit conuenientiam inter aſtra,& numerum parem, nullùmque conficit iudicium, imò ſæpe apprehendimus totam propoſitionem ab alio prolatam, & totum obiectum illius, & nullum iudicium ferimus de illo obiecto; poſtquam enim ego audio hominem dicentem, *Petrus currit*;ſæpè obiecto apprehenſo hæret intellectus,nullúmque fert iudicium de obiecto propoſito.Alia exiſtentia intentionalis fit per comparationem compoſitam, quæ formaliter dicit iudicium, ex vi cuius enunciamus hoc eſſe illud. His præmiſſis rem definitio.

Sit TERTIA CONCLVSIO. Per puram abſtractionem 6
naturæ ab inferioribus,quæ iam præcognita ſupponuntur natura fit apta,& proximè potens vt comparetur per ſimplicem comparationem ad plura indiuidua. Probo hanc concluſionem : Ante ipſum comparationem nullus poteſt eſſe proximior naturæ ſtatus ad comparationem, quam ſtatus abſtractionis, neque alius actus immediator ſimplici comparationi poteſt excogitari,quàm ſtatus abſtractionis:ergo per hanc abſtractionem conſtituitur natura proximè potens comparari ad plura, ſeu eſſe in pluribus per ſimplicem comparationem. Ex hac concluſione infertur aptitudinem ad exiſtendum intentionaliter in multis per ſimplicem comparationem eſſe realem intentionalem, ſiquidem identificatur cum abſtractione, quæ eſt realis cognitio.

QVARTA CONCLVSIO:Exiſtentia naturæ vniuerſalis 7
in inferioribus per ſimplicem comparationem conſiſtit formaliter in actu, quo intellectus naturam, quam iam à multis abſtraxerat ad eam comparat tanquam ad extrema, cum quibus habet conuenientiam, ſeu identitatem, quam intellectus per illum actum apprehendit, & non iudicat. Probo clarè : eſſe in multis intentionaliter, dicit vt illud eſſe in multis, quod in ſe habet obiectum, habeat in mea intentione, ſeu in meo intellectu : ergo dicit, quod ego illud cognoſcam; ergo dicit meam cognitionem : ergo comparatio naturæ ad multa dicit meam cognitionem: ergo comparatio non compoſita,ſeu non iudicatiua dicit cognitionem, quæ non ſit iudicium : ergo dicit apprehenſionem.

QVINTA CONCLVSIO.Hęc comparatio ſimplex na- 8
turæ ad multa,ſeu hæc apprehenſio,in qua ſita eſt prædicta comparatio non habet pro obiecto aliquod ens rationis, neque naturam abſtractam reſpicit formaliter vt habentem ordinem ſeu relationem ad inferiora,ſed tantùm inſtar habentis ordinem, ſeu relationem ad illam, eo modo, quo intellectus apprehendit Angelum non vt iuuenẽ, ſed inſtar iuuenis,Probo hanc concluſionem : compoſita comparatio naturæ ſuperioris ad inferiora, qua illam de his prædico vt, cùm dico *Petrus eſt homo, Ioannes eſt homo*, non habet pro obiecto aliquod ens rationis : ergo neque ſimplex; vtraque enim eſt inter obiecta identificata,neque maior ordo,ſeu relatio cognoſcitur ex vi iudicij circa extremorum identitatẽ,quàm ex vi apprehenſionis circa eandem identitatem : ergo ſicuti iudicium fertur per comparationem compoſitã naturæ ſuperioris ad inferiora abſque vllo figmento,ſic poteſt dari apprehenſio comparans naturam ſuperiorem ad inferiora abſque vllo figmento. Ratio à priori eſt, quia neutra formalis comparatio reſpicit relationem aliquam formalem ex parte obiecti,quæ eſſet rationis, quia relatio realis inter extrema identificata nequit reperiri, ſed tantùm obiectum exprimat modo relatiuo repræſentatum,quaſi bis eadem indiuidua cognoſceretur, ſemel confuſè per modum vnius naturæ vniuerſalis,& iterum diſtinctè,ac ſi diſtinguerentur ab illo obiecto,quod confuſè per eandẽ cognitionem repræſen

Digitized by Google

repræſentatur, ea ratione, qua contingit in hoc iudicio *homo eſt animal rationale* reſpectu partium metaphyſicarum hominis, in quo ſemel ex parte ſubiecti confuſè ſignificantur per terminum *homo*, & iterum in eodem iudicio, ac ſi ab homine diſtinguerentur, ſeu inſtar diſtinctarum ab homine diſtinctè ſignificantur ex parte prædicari per terminum *animal rationale*.

9 Sexta conclvsio. Per exiſtentiam intentionalem naturæ in multis per ſimplicem comparationem, eadem natura, ſeu idē vniuerſale fit proximè potens eſſe in multis per comparationem compoſitam. Probo hanc concluſionem eadem ratione, qua probaui tertiam. Ante ipſam comparationem compoſitam nullus poteſt excogitari ſtatus proximior ad illam, quàm ſtatus in quo natura per ſimplicem comparationem cognoſcitur in ordine ad indiuidua; neque alius actus poteſt excogitari immediatior comparationi compoſitæ, quàm ſimplex comparatio; ergo per ſimplicem comparationem actualem fit vniuerſale proximè potens prædicari de pluribus inferioribus.

10 Septima conclvsio: Naturam eſſe actu in multis per comparationem compoſitam dicit actu prædicari de multis per prædicationes, quibus dicimus *Petrus eſt homo; Ioannes eſt homo*, & ſic quæcumque alia inferiora de ſuperiori natura prædicantur. Hæc concluſio facillimè ſuadetur: Eſſe phyſicè naturam in multis, eſt eſſe identificatam cum multis: ergo eſſe intentionaliter in multis eſt cognoſci identificatam cum multis, ergo eſſe intentionaliter in multis per comparationem compoſitam, eſt cognoſci in multis per cognitionem, quæ ſit compoſitio, ſeu iudicium: ergo dicit iudicium, quo natura prædicatur de hoc inferiori, & iudicium quo prædicatur de illo.

11 Ex his infero puram actualem abſtractionem eſſe potentiam ad comparationem ſimplicem actualem, & hanc ſimplicem comparationem actualem eſſe potentiam ad comparationem compoſitam, & comparationem compoſitam eſſe vltimum actum vniuerſalis, ex vi cuius natura, quæ erat indiuiſa, & diuiſibilis in plura, actu diuiſa conſtituitur, & iam non rurſus diuiſibilis manet, ſicut quantitas diuiſibilis in tres palmos, poſtquàm in hos fuit diuiſa iam non in eoſdem rurſus manet diuiſibilis: deſtruitur ergo per actum exiſtendi in multis vniuerſalitas naturæ, quia per illum deſtruitur illius vnitas, & indiuiſio, & fit diuiſio, & multiplicitas eiuſdem naturæ. Diuidi enim naturam in inferiora nihil alud eſt, quàm contrahi ad illa, & de eiſdem prædicari. Ob eandem rationem deſtruetur vniuerſalis vnitas per ſimplicem comparationem, ſi hæc fiat reſpectu ſingulorum inferiorum, vel omnium diſtributiuè ſumptorum, eo enim ipſo, quod comparetur ad iſtud indiuiduum vt condiſtinctum à reliquis, contrahitur natura illa comparata ad illud, quod cum hoc indiuiduo, ſeu inferiori identificatur, quod non poteſt eſſe vniuerſale, quia tantùm in hoc inferiori, & non in pluribus eſſe erit aptum. Facienda ergo eſt ſimplex comparatio naturæ abſtractæ ſumptæ ad omnia inferiora collectiuè ſumpta, nulla facta diſtributione partiū naturæ vniuerſalis ad ſingula indiuidua per comparationem ad illa ſeorſim, ſeu diſtributiuè ſumpta, quia hac comparatione facta deſtruetur vnitas vniuerſalis naturæ, & iam hæc non manebit diuiſibilis, ſed diuiſa in plura inferiora. Neque ideo nego poſſe naturam abſtractam ab indiuiduis immediatè comparari ad ſingula indiuidua, ſeu ad omnia diſtributiuè ſūpta, ſed affirmo huiuſmodi comparationem non conſtituere vniuerſale prædicabile in ratione vniuerſalis, potiùs illud deſtruere, & diuidere in partes, quas continet prædicabiles, quamlibet de inferiori, cum quo identificatur, quæ prædicabilitas non erit naturæ vniuerſalis neque ſuperioris de inferiori, ſed æqualis de æquali.

12 Placet etiam aduertere has potentias, & hos actus non adeò ſtrictum ordinem actus, & potentiæ inter ſe habere, ſicuti habent intellectus, & intellectio, & aliæ potentiæ cum ſuis actibus, in quibus intercedit ſtricta dependentia actus à potentia, ita vt ſine iſta ille dari nequeat, ſed laxiori quodam modo, ita vt ſimplex comparatio, quam dicimus eſſe actum puræ abſtractionis, poſſit dari ſine eo, quod talis abſtractio præceſſerit; & hæc comparatio ad omnia indiuidua collectiuè ſumpta, quæ dicitur potentia ad comparationem compoſitam, non neceſſariò illam debeat præcedere, quia poteſt intellectus affirmare Petrum eſſe hominē, & Ioannem eſſe hominem nulla præcedenti comparatione ſimplici. Aſſignatur autem prædictus ordo potentiæ, & actus inter prædictas abſtractiones, & comparationes, quia actus illi, quos potentias, ſeu aptitudines ad alios eſſe dicimus, plurimùm ad illos conducunt, etſi ſimpliciter neque ipſi, neque alij loco ipſorū neceſſarij ſint. Ob hanc rationem cenſendum non eſt cum aliis aſſerentibus hos actus, quos nos potentias, ſeu aptitudines cum communi ſententia vocamus, non ita eſſe dicendos; ſed tantùm conditiones applicantes naturam ex ſe intrinſecè potentem alios actus terminare propter idētitatem, quam habet cum extremis, ad quæ per apprehenſionem, vel iudicium cōparanda eſt, & extrinſece à poſſibilitate actuum, per quos formaliter eſt comparanda, & à potentia intellectus ad illos actus, ſeu ad illas comparationes formales eliciendas. Tantùm enim dicimus hos actus ad illos ſupponi, & fatemur non ſupponi vt potentias illorum ſtrictè ſumptas, ſed illis potentiarum ſeu aptitudinum nomen ſumus impertiti, vt cum communi ſententia loqueremur, neque renuemus concedere potuiſſe dici hos actus, qui ad alios ſupponuntur, ſupponi tanquam conditiones applicantes obiecta, in quæ alia feruntur, verumtamen id non fert communis loquendi modus, cui ſtandum eſt præcipuè cùm parum referat hoc, aut illo modo loqui.

Explicata iam vnitate, & aptitudine vniuerſalis facilè eſſentia vniuerſalis Metaphyſici, & Logici deprehenditur, quam facilè aſſigno in vtroque. De eſſentia vtriuſque vniuerſalis tam Logici, quàm Metaphyſici eſt vnitas, & exiſtentia phyſica in multis per identitatem partium vniuerſalis cum ſuis inferioribus; quia de eſſentia vtriuſque vniuerſalis eſt continere per modum vnius illa, quę in inferioribus vt plura ſignificantur: ergo de illius eſſentia eſt vnitas, & idētitas cum inferioribus, quę dicit exiſtētiā phyſicam in inferioribus. Eſſentia vniuerſalis Metaphyſici dicit vnitatē, & aptitudinem ad eſſendum in multis per ſimplicem comparationem, quia vniuerſale metaphyſicum dicit naturam purè abſtractam in ordine ad inferiora, per quam abſtractionem conſtituitur proximè potens ordinari, ſeu comparari ad illa per ſimplicem comparationem, vt dicebam Concluſione 3. Eſſentia verò vniuerſalis Logici, quod formaliter includit comparationem ad indiuidua dicit naturam per apprehenſionem comparatam ad collectionem indiuiduorum, per quam comparationem conſtituitur apta eſſe in multis per compoſitam comparationem quod eſt naturam eſſe aptam prædicari de multis. Rectè ergo deſcribitur vniuerſale metaphyſicum *vnum aptum eſſe in multis* quod *eſſe* intelligendum eſt per comparationem ſimplicem ad quam ex vi puræ abſtractionis vniuerſale conſtituitur aptum, & vniuerſale Logicū definietur *vnum aptum prædicari de multis*, cum qua aptitudine conſtituitur per ſimplicem comparationem, ſatis explicui. 13

Pvnctvm VII.

An natura abſtracta ab vno indiuiduo ſit vniuerſalis?

Ratio dubitandi eſt, quia natura abſtracta ab vno indiuiduo videtur non poſſe habere vnitatem indiuidualem, quia omnia, quæ ad indiuiduationem pertinent ſupponimus iam ab illa præciſa, neque aliquid habet per quod differat à naturis reliquorum indiuiduorum; vnde omnibus talis natura communis videtur eſſe dicenda. Ex alio capite non apparet, quomodo poſſit eſſe vniuerſalis, quia natura ad illa indiuidua dicit ordinem, à quibus eſt abſtracta: ſed tantùm ſupponitur ab vno indiuiduo abſtracta: ergo tātùm dicit ordinem ad vnum indiuiduum: ergo non eſt vniuerſalis, quia de ratione vniuerſalis eſt dicere ordinem ad plura. 1

Non defuerunt, qui exiſtimarent poſſe dari vnitatem quandam mediam inter indiuidualem, & vniuerſalem, & hanc eſſe de mente Patris Soarij diſp. 6. Met. ſect. 1. n. 8. & 9. vbi aſſerit præter vnitatem indiuidualem dari vnitatem formalem ratione diſtinctam, quia quot ſunt modi diuiſionis, tot debent eſſe modi vnitatis: ſed in rebus datur diuiſio materialis, & formalis: ergo datur vnitas materialis & formalis. Inſuper quia vnitas indiuidualis non conuenit naturæ ſecundùm ſe præciſè, ſed neceſſariò includit aliquid ratione diſtinctum, vt indiuidua fiat, quapropter eſſentia abſtracta ab indiuiduis non includit vnitatem indiuidui, etiamſi includat vnitatem formalem ſeu eſſentiæ. 2

3 Cæterùm cùm P.Suar ibid.num.10. & 11. aſſerat hanc vnitatem formalem non diſtingui ab indiuiduali, neque ante intellectus operationem dari naturam vniuerſalem, aut vnitatem multis communem, imò implicare naturam ſeu vnitatem eſſe realiter in indiuiduis, & ab illis numero diſtingui, nullo modo poteſt aſſerere dari vnitatem mediam inter ſingularem, & vniuerſalem, ſed tantùm loco citato intendit docere dari vnitatem quandam ſumpt ã à tota entitate materialiter accepta, & aliam non phyſicè, & realiter, ſed metaphyſicè deſumptam à prædicatis eſſentialiter, & metaphyſicè primò entitatem conſtituentibus, quia vnitas eſt prædicatum tranſcendens, & ita tot debent dari vnitates, quot formalitates; quælibet enim formalitas eo modo, quo differt ab alia, eo habet vnitatem ab illa diſtinctam; & ſicuti formalitates tantùm, ratione differunt, ita formalitates tantùm habent vnitates ratione diſtinctas; & ſicut prædicata eſſentialia metaphyſicè rem conſtituentia tantùm per rationem differunt ab eadem entitate phyſicè ſumpta, ſic vnitas realis illorum prædicatorum tantùm per rationem differt ab vnitate totius entitatis materialiter ſumptæ. Dico vnitatem prædicatorum eſſe realem, quod intelligendum eſt de vnitatibus omnium prædicatorum, quæ reperiuntur abſtracta à Petro, Ioanne, & reliquis indiuiduis in hoc vniuerſali *homo*, non quatenus omnes conficiunt vnam ſimplicem vnitatem multis communem, hoc enim habent extrinſecè ab intellectu, ſed quatenus in ſe ſunt entitatiuè plures, quia ſicuti in hoc complexo *homo*, quantumuis præciſio fiat ex parte obiecti reperiuntur pro materiali plures rationes abſtractæ à pluribus indiuiduis, quas intellectus confundit, & adunat, ſic reperiuntur plures vnitates tranſcendentes illos rationes abſtractas, quas confundit intellectus, & facit extrinſecè in vnam ſimplicem vnitatem, in ordine ad ipſum confluere.

4 P.Hurtad.diſp.5 Metaph.ſect.9.& P.Smigletius diſp.4. quæſt.4.num.113. affirmant naturam abſtractam ab vno indiuiduo, ab omnibus, & pro omnibus eſſe abſtractam. Apud vtrumque hanc lego rationem: natura abſtracta ab vno indiuiduo cognoſcitur ſine vlla ſingularitate: ſed natura cognita ſine omni ſingularitate abſtrahitur ab omnibus, quia abſtrahere eſt vnum ſine alio cognoſci: ergo natura abſtracta ab vno in diuiduo ab omnibus abſtrahitur. Sic Hurtad. § 114. & Smigletius loco citato. Prædicti Authores in præſenti non attentè inſpexêre, quid ſit intellectum vnum prædicatum ab alio abſtrahere, non enim abſtractio dicit tantùm vnum ſine alio cognoſci, quando enim cognoſco animal non cognito lapide, non dicor abſtrahere animal, à lapide. Eſt ergo abſtrahere cognoſcere vnum ſine alio, quod cum ipſo eſt identificatum. Vnde ab illo dicitur prædicatum abſtractum ſine quo cognoſcitur, & cum quo identificatur, quod nemo poterit negare. Ex hoc principio argumentum Hurtadi, & Smiglctij ſoluo, illudque in hos Authores deſumo. Soluo argumentum concedendo naturam abſtractam ab vno indiuiduo cognoſci ſine omni differentia, & negando abſtrahi per intellectum ab omni, ſed tantùm ab illa, cum qua eſt identificata, abſtraheretur autem ab omnibus, ſi cum omnibus eſſet identificata. Argumentum deſumo ex eadem doctrina: ab illo abſtrahitur per intellectum entitas, cum quo identificatur: ſed natura, quæ eſt in vno indiuiduo tantùm eſt identificata cum vno indiuiduo; ergo etiamſi cognoſcatur ſine omni differentia indiuiduali tantùm ab vno indiuiduo, & tantùm ab illius indiuiduali differentia dicetur abſtrahi.

5 Vrgeo eandem rationem. De illo tantùm poteſt prædicari natura, quæ ſine differentiis indiuidualibus cognoſcitur, cum quo realiter, & phyſicè identificatur: ſed natura, quæ eſt in Petro quantumuis cognoſcatur ſine differentiis indiuidualibus, realiter, & phyſicè tantùm identificatur cum Petro, quia abſtractio per intellectum non illi tribuit identitatem realem, quam in ſe non habet: ergo natura quæ eſt in Petro quantumuis cognoſcatur ſine omnibus differentiis indiuidualibus, tantùm poteſt prædicari de Petro: ergo natura abſtracta ab vno indiuiduo non eſt vniuerſalis. Liquet concluſio ex tota doctrina tradita de natura vniuerſalis, illiuſque forma, & materia. Hoc vniuerſale *homo* continens naturam Petri, & Pauli, & aliorum indiuiduorum non prædicatur de Petro ſecundùm eandem rationem, ſecundùm quam prædicatur de Paulo, ſed de quocumque indiuiduo ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam cum illo habet identitatem: ergo cùm prędicatur conceptus iſte *homo* de Petro ex naturis omnium indiuiduorum, quæ in illo conceptu vniuerſali extra prædicationem præcontinebantur, tantùm prædicatur natura Petri, quæ cum aliis erat confuſa, quæ natura de nullo alio prædicatur, quia ſi conceptus ille vniuerſalis de Ioanne eſſet dicendus, ab illo extraheretur natura cum Ioanne identificata: ergo quantumuis natura vnius indiuidui cognoſcatur abſque vlla differentia indiuiduali, tantùm poterit de vno indiuiduo prædicari. Rem declaro: ſi ſufficeret ad hoc vt quælibet natura poſſet de quocumque indiuiduo prædicari, ipſam cognoſci ſine aliqua differentia indiuiduali, totum quod eſt in hoc conceptu vniuerſali *homo* poſſet prædicari de Petro, & non latiùs pateret extra prædicationem quàm intra prædicationem de Petro hic conceptus *homo*: ſed ſic eſt quod non prædicatur de Petro totum, quod extra prædicationem dicit hic conceptus *homo*: ergo non ſufficit naturam cognoſci ſine vlla differentia indiuiduali, vt poſſit de quocumque indiuiduo prædicari. Maiorem probo: omnis natura, quam dicit hic conceptus *homo*: cognoſcitur abſque vlla differentia indiuiduali: ergo ſi ex eo, quod natura quæcumque cognoſceretur abſque vlla differentia indiuiduali poſſet de quocumque indiuiduo prædicari, omnis natura contenta in hoc conceptu vniuerſali *homo*, poſſet de quocumque indiuiduo, & conſequenter de hoc indiuiduo Petro prædicari. Non omitem naturam contentam in hoc conceptu vniuerſali *homo* prædicari de Petro latè tradidi inter materiam, & vnitatem vniuerſalis explicandam. Quod ſi dicas, omnem naturam contentam in illo conceptu vniuerſali prædicari ſub diſiunctione, in actuali prædicatione, cùm dicitur, *Petrus eſt homo*, argumentum eandem vim obtinet, quia etſi omnes ſub diſiunctione prædicentur, in ordine ad vnam verificatur propoſitio, ſi enim in ordine ad omnes verificaretur, non tantùm ſub diſiunctione, ſed copulatiuè poſſet de ſubiecto prædicari: ergo ſecluſa illa natura reſpectu cuius verificatur propoſitio, reliquæ omnes nullo modo manent prædicabiles de Petro, & tamen cognoſcuntur ſine vlla differentia: ergo non eo ipſo, quod natura cognoſcatur ſine vlla differentia fiet prædicabilis de quocumque indiuiduo.

Arguit Hurtadus: Natura abſtracta ab vno indiuiduo 6
eſt prædicabilis de illo indiuiduo à quo fuit abſtracta: ergo de reliquis indiuiduis illi ſimilibus, quia illud indiuiduum non fuit magis clarè cognitum, quàm cætera: ergo non eſt magis prædicabilis de vno, quàm de omnibus. Rationem à priori reddit: ille actus eſt confuſus de ſuo obiecto quia confuſione vnit omnes partes ſui obiecti, quia illas non diſcernit: ergo per illum actum habet obiectum indiuiſionem in ſe, quæ opponitur diuiſioni clarè diſſecanti obiectum in ſuas partes. Hæc obiectio eò tendit, vt ſubiectum quæſtionis deſtruat, ſi enim cognitio illa, de qua agimus æquè confuſè attingit plura indiuidua; ergo cognitio illa attingit rationem abſtractam à pluribus indiuiduis, quia ratio abſtracta à pluribus indiuiduis nihil aliud eſt, quàm plura indiuidua confuſè cognita, vt Hurtadus defendit: ergo cognitio illa non abſtrahit naturam ab vno tantum indiuiduo: ergo non datur natura abſtracta ab vno indiuiduo: ergo non ſubſiſtit quęſtionis ſubiectum, neque dicendum eſt naturam ab vno indiuiduo abſtractam eſſe vniuerſalem, ſed non poſſe dari naturam ab vno indiuiduo abſtractam.

Sic aliquando ſentiebam ego, dicebamque implicare 7
naturam abſtrahi ab vno indiuiduo, & arguebam hac ratione abſtrahere eſt cõfundere illa, quæ in re diſtinguuntur: ergo cognitio abſtrahens eſt cognitio confundens illa, quæ in re diſtinguuntur: ergo cognitio abſtrahens neceſſariò attingit obiecta in re diſtincta, quæ inter ſe confundit: ergo cognitio abſtrahẽs attingit plura obiecta, quę ex vi illius confunduntur: ergo abſtrahit ab illis obiectis diſtinctis, quæ confundit: ergo neceſſariò abſtrahit à pluribus, vbi enim confuſio diſtinctorum, neceſſariò intercędit pluralitas, ſine qua diſtinctio nequit reperiri.

Cæterum re attentiùs inſpecta, deprehendi ſpecie ratio- 8
nis non incompta fuiſſe deceptum: duplex enim eſt cognitio confuſa; quædã repræſentans tantùm vnum obiectum in ſe vnum, & indiuiduum, hoc tamen ita imperfectè, vt ſi poſtea aliud obiectum ab ipſo diſtinctum loco illius appareret ex vi aliûs cognitionis, vel per impoſſibile, ex vi illius,

Digitized by Google

illius, non poſſet intellectus diſcernere inter obiectum denuò apparens,& antea cognitum propter imperfectionem vtriuſque cognitionis. Alio modo poteſt eſſe cognitio confuſa,quæ duplex obiectum attingat de facto per ſe ipſam, & neutrum ab alio diſcernat. Exemplum prioris cognitionis habes in Petro à longè viſo,quem tantùm vides; diceris autem confusè videre Petrum, quia ſi loco Petri ſubſtitueretur Ioannes, & inciperes videre Ioannem,& non Petrum, non poſſes diſcernere inter Ioannẽ, quem modò videres,& Petrum antea viſum. Poſterioris cognitionis exemplum eſto viſio terminata ad Petrum & Ioannem à longè exiſtentes,quos adeò imperfectè vides vt propter nimiam loci diſtantiam,& obiectorum approximationem,& ſimilitudinem,appareant ſenſui & intellectui,ac ſi tantùm eſſent vnus homo, ita vt intellectus ex imperfectione viſionis duos homines inſtar vnius apprehendat,& ex hac imperfecta apprehenſione fundamentum deſumat ad iudicandum obiectum ſenſu perceptum eſſe tantùm vnum hominem. En duplicem cognitionem vtramque confuſam, quarum vna attingit tantùm obiectum in ſe vnum,& altera attingit obiecta in ſe plura, & inſtar vnius,ſeu eodem modo,ac ſi eſſent vnum obiectũ. Ex his cognitionibus illa,quæ plura attingit obiecta propriùs confuſa ſeu confundens dicitur,quia actu illa, quæ in ſe ſunt diſtincta confundit. Prior verò vnum tantùm obiectum attingens non ita propriè poteſt dici confundens,ſed confuſa dicitur, quia ex vi illius non poterit intellectus diſcernere obiectum cognitum ab alio,quod denuo incipiat apparere. Dicetur propriiſſimè vtraque cognitio non diſtinguens,quia neutra diſtinguit obiectum, ſeu obiecta in ſe ſingularia, ad quæ terminatur, ab aliis eiuſdem rationis cum ipſis. Et hanc ſingularium indiſtinctionem eſſentialiter habet omnis abſtractiua cognitio, quæ conuenit cognitioni abſtrahenti naturam ab vno indiuiduo.quam rationem abſtractionis habet ex eo, quod ita cognoſcat indiuiduum,vt ex vi illius cognitionis non poſſit intellectus illud diſcernere ab alio, quod cognouerit,vel cognoſcere incipiat,quod prouenit ex eo quod illud cognoſcat per operationes, quibus alias ſimiles in quocumque alio indiuiduo cognoſceret.Habet inſuper cognitio abſtractiua per ſe ipſam confundere omnia illa, quæ attingit ſecundum illam rationem, à qua dicitur abſtrahere,ſeu præſcindere,quia eo ipſo quod attingat plura, & inter illa non diſtinguat, illa neceſſario confundit, & per modum vnius cognoſcit: actu verò plura per ſe ipſam confundere non eſt de ratione cognitionis præciſiuæ vniuerſaliter ſumptæ, ſed de ratione cognitionis præſcindentis a pluribus.

9 Ex his ad rationem Hurtadi reſpondeo cognitionem præſcindentem naturam ab vno indiuiduo tantùm attingere vnum indiuiduum à cuius differentia dicitur naturam abſtrahere, & reliqua omnia nullo modo per ſe ipſa reſpicere. Inſtabis;natura abſtracta tantùm à Petro, tantùm eſt prædicabilis de Petro:ergo natura abſtracta tantùm à Petro, & Ioanne,tantùm poterit prædicari de Petro, & Ioanne:ergo vt natura poſſit prædicari de omnibus indiuiduis debet ab omnibus abſtrahi. Reſpondeo has omnes conſequentias eſſe legitimas, & vera omnia conſequentia, & abſque formidine admittenda.

10 Sit ergo firmum naturam ab vno indiuiduo abſtractam vniuerſalem non eſſe. Non tamen ideo danda eſt vnitas aliqua media inter vniuerſalem, & particularem; ſed dicendum naturam abſtractam ab vno indiuiduo in ſe habere vnitatem ſingularem, & ex parte obiecti eſſe poſitiuè ſingularem, præcipuè in noſtra ſententia,quæ nullam præciſionem ex parte obiecti admittit;in ordine verò ad noſtrum intellectum neque poſitiuè erit ſingularis, neque poſitiuè vniuerſalis,aut aliquam poſitiuam vnitatem habebit, ſed tantùm negatiuam, quæ poterit dici negatiuè vniuerſalis,quia habet præciſionem à differentiis, quæ requiritur ad hoc vt natura denominetur vniuerſalis,non tamen habet aliud prærequiſitum ad vniuerſale, videlicet in re eſſe plura,& poſſe in plura diuidi, quæ actu cognitione confundantur, poterit etiam dici negatiuè ſingularis, quia habet hoc quod eſt non poſſe in plura diuidi, quod eſt de ratione ſingularis, & non habet in ordine ad intellectum præſcindentem ex parte actus differentiam indiuidualem,cui intellectus indiuiſionem attribuit.

PVNCTVM VIII.

Nonnulla expediuntur de natura vniuerſalis.

Circa actum intellectus,per quẽ fit vniuerſale, aliquæ 1
difficultates occurrunt,quas breuiter percurram.Prima eſto:an vniuerſale fiat non tantùm per abſtractionem negatiuam, ſed per abſtractionẽ, ſeu præciſionẽ poſitiuã. Præciſio negatiua eſt cognitio illa,ex vi cuius vnum prædicatũ cognoſcitur,alio nullo modo cognito:v.g. cognitio reſpondens huic voci *animal*, quæ nullo modo rationale attingit.Præciſio poſitiua eſt illa cognitio, ex vi cuius prædicata realiter identificata per eandem cognitionem attinguntur ac ſi inter ſe diſtinguerentur, & eſſent coniuncta,ſeu vnita,vt contingit in cognitione reſpondẽti his vocibus *animal rationale*. Per abſtractionẽ negatiuã fieri vniuerſale mihi certum eſt,neque caput inuenio, ex quo poſſit oppoſitum in quæſtionem verti,per illam enim cognitionem illa,quæ in re ſunt plura,confunduntur, & extrinſecè ſunt vnum. Circa abſtractionem poſitiuam affirmo,prædicatum minùs vniuerſale, ſeu coniunctum cũ alio, quod non ſit minus vniuerſale illo, habere eandem vniuerſalitatẽ in præciſione poſitiua, quam in abſtractiua,quod ſic probo.Prædicatum minus vniuerſale, rationale, v.g. coniunctũ cum animali in hoc complexo *animal rationale*, ſe extendit ad omnia illa,ad quæ ſe extẽderet ſi non eſſet coniunctum cum animali, & illa ſignificat cum eadem confuſione,ſeu indiſtinctione inter ſe, qua eadem ſignificaret,ſi non coniungeretur cum animali, quia conceptus animalis non reſtringit conceptum rationalis ſibi coniunctum,cùm ex ſe animal latiùs pateat quàm rationale neque diſcernit rationale à rationali: ergo rationale eandem vniuerſalitatem habet, quando coniungitur cũ animali,ac ſi cũ illo nõ coniungeretur,cùm vniuerſalitas conſiſtat in pluralitate obiectorum, & ipſorũ cõfuſione. 2

De termino vniuerſaliori coniuncto cum alio minùs vniuerſali cenſeo nõ retinere in præciſione poſitiua eandem vniuerſalitatem,quam haberet in negatiua:quia conceptus animalis adiunctus conceptui rationalis in hoc complexo *animal rationale* non ſupponit pro omni animali,contrahitur enim per rationale adiunctum ad illa animalia,quæ ſunt rationalia,& pro illis tantùm ſupponit,& non pro aliis,ſed ex vi præciſionis negatiuæ, qua tantùm apprehenderetur *animal* conceptus iſte ſe extenderet ad omnia animalia: ergo ad pauciora ſe extendit animal in præciſione poſitiua,quàm in negatiua. Affirmo nihilominus non omnino ſuam vniuerſalitatem amittere conceptum illum,ſed manere vniuerſalem reſpectu illorum inferiorum ad quæ alter conceptus minùs vniuerſalis ſe extendit,quia omnia ſub ſe continet,& illa inter ſe confundit abſque diſcretione vnius ab alio. Itaque in hoc cõplexo *animal rationale*,rationale retinet eandem vniuerſalitatem quam haberet ſi non eſſet animali adiunctum; & animal amittit vniuerſalitatem, quam habebat reſpectu, equi,& leonis,aliarúmque ſpecierum, & remanet vniuerſale reſpectu Petri & Pauli,& aliorum indiuiduorum ſpeciei hominis, quæ omnia abſque ipſorum diſcretione comprehendit,& nullo modo alia ab his diſtincta.

Secunda difficultas eſt, an actus per quem fit vniuer- 3
ſale attingat omnia indiuidua diſiunctiuè, vel copulatiuè. Hurtadus diſputat. 5. Metaphyſic. ſect.10.§.157.& §.179. affirmat actum illum diſiunctiuè attingere omnia indiuidua,& hac ratione defendit totum vniuerſale poſſe prædicari de quocumque indiuiduo, quia omnia indiuidua diſiunctiuè ſumpta bene poſſunt de vno indiuiduo prædicari, ſicuti prædicantur in hac enunciatione *Petrus eſt aliquis homo* quæ formaliter cum iſta conuertitur, *Petrus & Ioannes, vel Paulus, vel Franciſcus*, &c. Melius affirmat Arriaga diſput.6.ſect.6.ſubſect.2. per actum attingentem indiuidua diſiunctiuè non poſſe fieri vniuerſale. Ratio præſto adeſt:actus diſiungens indiuidua, ſeu inferiora illa inter ſe diſtinguit, diſiunctio enim ſine diſtinctione eſſe nequit, neceſſariò enim illud, quod ab aliquo diſiungitur, ab eodẽ diſtinguitur:ergo actus ille non repræſentat illa indiuidua vt vnum, ſeu inſtar vnius naturæ indiuiſibilis: ergo actus ille non conſtituit naturam vniuerſalem. Quod ſi dicas per actum, quo cognoſcitur hic homo, vel ille homo,vel ille homo, non perfectè cognoſci illorum

ſingularitates, ac proinde has inter ſe confundi; nondum ſatisfacies, quia etſi aliquo modo confundantur, quia perfectè non cognoſcuntur, oon ità confunduntur, vt non appareat diſtinctio ſingularium, & vt repræſentantur inſtar vnius obiecti indiuiſibilis, quod requiritur ad vniuerſale conſtituendum. Neque alia ratio reddi poteſt, propter quam hi conceptus, *omnis homo, aliquis homo,* vniuerſales non ſint, niſi quia repræſentaot plura expreſſa ipſorum coniunctione, & diſiunctione, quæ æquè diſtinctionem arguunt. Quomodo vniuerſale de quocumque indiuiduo poſſit prædicari iam dixi, & aſſerui vniuerſale tantùm ſecundum hanc partem ſui, de hoc indiuiduo prædicari, & ſecundùm illam partem de illo indiuiduo, & ſic accommodè per partes diſtributum de omnibus inferioribus prædicari.

4 Huic difficultati affinis valde eſt alia, an per actum iudicij fiat vniuerſale, quæ alio modo inquiritur, an videlicet natura io actuali prædicatione maneat vniuerſalis. Conſequenter ad id, quod in difficultate præcedenti dicebat Hurtad. dicendum eſſet naturam manere vniuerſalem in actuali prædicatione, etiamſi illius ſubiectum ſit indiuiduum, quia de illo totum vniuerſale prędicaretur, ſi hoc diceret omnia indiuidua ſub diſiunctione. Nos verò conſequenter ad doctrinam traditam neceſſariò tenemur dicere prædicatum naturæ vniuerſalis ſecundùm totum id, quod dicit, identificari cum ſubiecto, neque extra illud ſe extendere, ac proinde io hac prædicatione *Petrus eſt homo* prædicatum non manere formaliter vniuerſale, quod ſępe dixi.

5 Difficilius eſt definire an quando ſubiectum, & prædicatum ex ſe ſunt æquè vniuerſalia vtrumque ſuam vniuerſalitatē retineat, & conſequenter an quando vnum eſt vniuerſalius alio, minùs vniuerſale ſuam retineat vniuerſalitatem, & magis vniuerſale illam coarctet ad inferiora alterius extremi minùs vniuerſalis: ſicuti modò dicebamus de terminis poſitiuè præciſis,

6 Ad hanc difficultatem definiendam noto, dupliciter poſſe ſupponere ſubiectum propoſitionis. Primò ſimpliciter ſeu immobiliter; ſecundò perſonaliter. Simpliciter ſeu immobiliter, ſupponere dicitur ſubiectum, quādo non verificatur de illius inferioribus diſtributiuè, aut diſiunctiuè ſumptis, ſed de toto illo immobiliter ſumpto, ſicuti in hac propoſitione *homo eſt ſpecies*, perſonaliter ſubiectum ſupponit, quando de illius inferioribus diſiunctiuè, aut diſtributiuè ſumptis dicitur prædicatum, vt in his propoſitionibus *homo currit, homo eſt rationalis* ex quibus licet inferri: ergo hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & hic homo eſt rationalis, & hic homo eſt rationalis. His præmiſſis affirmo in hac prædicatione, *homo eſt ſpecies*, ſubiectum retinere eandem vniuerſalitatem, ac haberet extra illam, quia ad eadem inferiora, & æquè confuſè io hac propoſitione, & extra illam eodem omni modo ſe extendit.

7 De terminis perſonaliter ſupponentibus maior eſt difficultas, circa quos primò ſtatuendum eſt, in propoſitionibus quarum alter terminus afficitur ſigno diſtributiuo, aut diſiunctiuo neutrum illorum eſſe vniuerſalem. De termino ſigno affecto certum eſt, quia termini illi extra propoſitionem vniuerſales non ſunt: ergo neque intra propoſitionem. De extremo altero, de rationali, v.g. in his propoſitionibus, *omnis homo eſt rationalis*, & *aliquis homo eſt rationalis*, eadem ratione probatur. Quia ſicuti ſubiectum huius propoſitionis diſtributiuè ſupponit, & huie ęquiualet *hic homo eſt rationalis*, & *hic homo eſt rationalis*, & diſtinctionem connotat in indiuiduis tenentibus ſe ex parte ſubiecti propter illorum cōiunctionem ſignificatam ſigno *omnis*, ſic eadem diſtinctio ſignificatur ex parte prædicati, quod cum ſubiecto identificatur eadem diſtributione, qua ſubiectum ſignificatur, hoc rationale cum hoc homine, &c Similiter diſiunctio ſubiecti diſiunctionē prædicati ſignificat, quia cùm dicimus, aliquis homo eſt rationalis, ſenſus non eſt hunc vel illum hominem eſſe rationale vt ſic, ſeu omnia indiuidua rationalia copulatiuè ſūpta, ſed eſſe hoc rationale, vel illud rationale, &c. ob eandem ratiooem dicendum eſt in propoſitionibus, quarum prædicatum accidentaliter de ſubiecto dicitur, extrema non poſſe eſſe vniuerſalia, quia tunc ſubiectum diſiūctiue ſupponit & nunquam de toto illo copulatiuè ſumpto prædicatum enunciatur, cùm enim dicimus, homo eſt albus, idem formaliter eſt ac dicere, aliquis homo eſt albus, neque de collectione hominum copulatiuè ſumpta dicimus eſſe albam.

8 Supereſt tantùm difficultas de hac Propoſitione homo eſt rationalis, & aliis eiuſdem rationis cum iſta. Per hanc propoſitionem naturam fieri vniuerſalem defendunt Arriaga diſput. 6. ſect. 9. & plures alij recentes. Ratio eſt, quia in illa propoſitione tam ex parte ſubiecti, quàm ex parte prædicati confunduntur ſingularia, & abſque diſtinctione prædicantur, & de tota collectione hominum ſignificata per modum vnius prædicatur collectio rationalium eodem modo ſignificata. Alij negatiuam partem tuentur, quia in propoſitione illa, indiuidua tenentia ſe ex parte ſubiecti diſtributiuè ſignificantur, & conſequenter cum diſtinctione, quam inuoluit diſtributio, hæc enim propoſitio *homo eſt rationalis*, & aliæ huiuſmodi indefinitæ in materia neceſſaria, æquiualent vniuerſalibus, quarum ſubiectum ſigno *omnis* afficitur, ac proinde idem eſt dicere *homo eſt rationalis*, ac dicere *omnis homo eſt rationalis*, & ſicuti in hac poſteriori propoſitione ſubiectum vniuerſale noo eſt, ſic neque in priori. Sentio vtrumque ſenſum poſſe habere propoſitionem reſpondentem his vocibus *homo eſt rationalis*, quæ ſubſtitui poſſunt loco conceptus, qui ſignificet collectionē homioum per modum vnius repræſentatam identificatam cum collectione rationalium eodem modo ſignificata, ex vi cuius conceptus fiet vniuerſalis naturæ. Poſſunt etiam ſubſtitui loco conceptus, qui ſignificet diſtributiuè identitatem homioum cū rationabilibus, ex vi cuius conceptus non conſtituitur vniuerſalis natura propter rationes poſterioris ſententiæ. Frequeotius tamen fieri contingit poſterior iſte conceptus, ideo dicitur propoſitiones indefinitas æquiualere vniuerſalibus, in materia neceſſaria, quod intelligendum eſt, quando in materia neceſſaria non ſit prædicatio de collectione contēta ſub nomine commuoi per modum vnius ſignificata. Quod ſi ita collectim ſumpta io propoſitione ſumantur, propoſitio illa non æquiualebit propoſitioni indefinitæ, propriè loquendo, poterit tameo ratione materiæ aliquo modo dici æquiualens, quia ex iodefinita vniuerſalis licet inferri. Idem iudicium fertur de ſimplici comparatione, ſi enim natura vniuerſalis cum indiuiduis ſeorſim ſumptis comparetur, per illam vniuerſalis non fiet; ſi autem tota natura vniuerſalis comparetur cum tota collectiooe indiuiduorum, ex vi huius comparationis vniuerſalis euadet, vt ſuprà dicebam.

9 De comparatione per quam fit vniuerſale in dubium vertitur, an includat ſimplicem actum, an plures. Affirmant nonnulli includere duplicem actum; quendam ex vi cuius apprehenditur natura ſecundùm ſe, per quem conſtituitur vniuerſalis; alium per quem apprehenduntur indiuidua, ad quæ natura illa comparatur. Ratio eſt, quia in cōparatione apprehenditur natura ſecundùm ſe, quod eſt apprehendi omnia indiuidua confuſè, & indiſtinctè, & apprehēduntur indiuidua ſeu inferiora, ad quæ natura cōparatur vt inter ſe diſtincta, quod implicat fieri ex vi eiuſdē cognitionis, quia eademmet cognitio non poteſt diſtinguere, & confundere eadē inferiora, aliàs eadēmet inferiora diſtingueret, & nō diſtingueret, cōfundere enim eſt non diſtinguere: ergo eo ipſo, quod inferiora confundat, non diſtingnit illa: ergo ſi diſtinguit & confundit eadem indiuidua, eademmet indiuidua diſtinguet. Verius puto comparationem dicere ſimplicem actum, ex duplici enim non poſſet fieri vna comparatio, quia cognitio, quæ apprehenderet inferiora diſtinctè, diſparatè ſe haberet reſpectu cognitioois, ex vi cuius eadem inferiora confuſè repræſentarentur. Ad rationem adductam pro oppoſita ſententia reſpondeo eademmet indiuidua bis repræſentata per eandem cognitionem ac ſi eſſent duplex obiectum diſtinctum ſemel in recto, & iterum in obliquo, poſſe in recto ſignificari confuſe, & non diſtingui, & in obliquo diſtingui, & ſignificari diſtinctè, io quo nulla eſt contradictio, diſtingui enim indiuidua vt ſignificata io obliquo per hanc cognitionem, & non diſtingui vt ſignificata in recto, nullo modo opponuntur, ſicuti non opponuntur in hac propoſitione, *homo eſt animal rationale*, partes hominis vt ſignificatas ex parte ſubiecti confundi, & non diſtingui, & vt ſignificatas ex parte prædicati diſtingui, & non confundi.

10 Circa potentiam, à qua fiat vniuerſale, dico breuiter à Deo non fieri vniuerſale cognitione immediatè terminata ad naturam, ſeu ad indiuidua, quia Deus cognitione immediatè terminata ad obiecta illa diſtinguit, & ſecundùm omnem ſui vltimam perfectionē intimè penetrat. An verò

Deus

Digitized by Google

Deus poſſit facere vniuerſale cognitione immediatè terminata ad cognitionem, ex vi cuius illam conficio, in qua cognoſcat indiuidua ea ratione,ua ego eadem cognoſco pendet ex difficultate, quam Theologi tractant 1. part. quæſt.... an videlicet dicat imperfectionem in Deo ipſum confusè obiecta cognoſcere in medio, quod tantùm determinat ad illa confusè cognoſcenda, in qua quidam dicunt cognitionem imperfectionem inuoluere, in quorum ſententia dicendum eſt Deum nullo modo poſſe facere vniuerſale. Alij negant huiuſmodi cognitionem aliquam in Deo imperfectionem importare, iuxta quos dicendum eſt, Deum poſſe facere vniuerſale non cognoſcendo in ſe ipſa immediate naturam, ſed in cognitione creata, ex vi cuius confusè omnia indiuidua cognoſcuntur,& inſtar vnius naturæ indiuiſæ repræſentantur. Quæ harum ſententiarum verior ſic alienum eſt ab hoc opere definire.

11 Eadem ratione reſpondendum quæſtioni inquirenti, an vniuerſale fiat à potentia Angelica, quæ dependet ex modo, quo Angeli cognoſcunt, ſi enim Angelo non repugnent ſpecies aliquæ, vi quarum confusè, & inſtar vnius ea, quæ in re ſunt plura cognoſcat, non repugnabit ab Angelo per hanc cognitionem vniuerſale fieri. Si verò Angelus huiuſmodi cognitionem habere non poſſit, non poterit ab illo fieri vniuerſale. An verò huiuſmodi ſpecies Angelus de facto habeat, & an illi repugnent à Theologis definiendum eſt.

12 De nomine tantùm eſt quæſtio, An vniuerſale poſſit fieri à voluntate, certum enim eſt voluntatem poſſe ferri in obiectum eadem ratione, qua ab intellectu proponitur, & propoſitis pluribus indiuiduis inſtar vnius naturæ indiuiſæ per cognitionem, ex vi cuius fit vniuerſale, poſſe eademmet obiecta, ac ſi eſſent vnum, ſine aliqua ipſorum diſtinctione amare. Ob hanc rationem quidam affirmant voluntatem facere vniuerſale, quia amat obiecta, quæ in ſe ſunt plura, ac ſi eſſent vnum indiuiſum obiectum. Alij negant ex hoc capite dici poſſe à voluntate poſſe fieri vniuerſale, quia voluntas non præſcindit illud obiectum, ſed illud ſupponit præciſum. Non acquieſco huic rationi, quia etiamſi obiectum ſupponatur præciſum, poteſt iterum, & iterum præſcindi, quia præſcindi nihil aliud eſt quàm hac ratione attingi actu intentionali, & poſtquam hac ratione attactum eſt per hunc actum, poteſt per alium, & alium actum eadem ratione attingi. Alij melius negant vniuerſale fieri à voluntate, quia volitio quantumuis obiectum præciſum agnoſcat, illud non conſtituit prædicabile, quia ab ipſa voluntate non poteſt prædicari, neque immediatè ex ipſa volitione intellectui vt prædicabile repræſentatur.

13 Ob eandem rationem negandum eſt fieri vniuerſale à ſenſibus externis, & internis, quia ſenſus prædicationes non eliciunt, neque ſenſatio immediatè proponit intellectui obiectum prædicabile, etſi verum ſit aliquando percipere ſimul duo obiecta adeò imperfectè, vt inſtar vnius ſenſui appareant, vt contingit cùm à longè videmus plura obiecta, in quibus diſtinctionem ſenſus non percipit, ſed inſtar vnius indiuiſi illa, quæ in ſe diuiſa ſunt intuetur.

Pvnctvm IX.

De prædicatione actuali.

1 PRædicatio eſt actus potentiæ prædicabilis, ideo poſtquam vniuerſalis prædicabilitatem explicauimus ad actualem prædicationem deſcendimus. Prædicatio eſt enunciatio vnius de alio, de qua in præſenti tantùm agimus, quatenus his, vel illis terminis ſub hac vel illa ſubiecti,& prædicati diſpoſitione conſtat, in præſentique ſuſcepimus explicandum, quomodo inter ſe in ratione ſubiecti,& prædicati poſſint & debeant termini comparari, vt prædicatio vera euadat.

2 Duplex eſt prædicatio; quædam directa, alia indirecta. Prædicatio directa eſt illa, in qua ſubiectum eſt inferius, & prædicatum ſuperius, vel ſi ſint inæqualia prædicatum ſe habet per modum formæ reſpectu ſubiecti, ſicut in his propoſitionibus. *homo eſt animal; homo eſt rationalis*. Prædicatio indirecta eſt, in qua prædicatum eſt inferius ſubiecto, vel ſi ſint æqualia, ſubiectum ex ſeſe habet veluti formā prędicati, ſicuti in his propoſitionibus, *animal eſt homo: rationale eſt homo*. Rurſus prædicatio alia eſt formalis, aliá identica. Identica eſt illa, in qua ſubiectum non ſolùm eſt idem cum prædicato, ſed in qua ſubiectum eodem omnino modo ac prædicatum apprehenditur, vt in hac propoſitione, *Petrus eſt Petrus*. Propoſitio formalis eſt illa, in qua ſubiectum & prædicatum diuerſo modo ſignificantur vt in hac propoſitione, *animal eſt rationale*.

Cæterùm in omni propoſitione formali eſt identitas inter ſubiectum,& prædicatum, quæ in omni propoſitione vera ſemper identificantur, vocatur autem identica propoſitio, quando ſubiectum & prædicatum obiiciuntur eodem modo, quia tunc eſt pura identitas non ſolùm conceptuum obiectiuorum, ſed etiam formalium, in hac enim propoſitione, *Petrus eſt Petrus*, non reperitur vnus conceptus ex parte ſubiecti, & alter ex parte prædicati, ſed idem bis repetitus, quod non reperitur in propoſitione formali, in qua etſi ſit identitas in conceptibus obiectiuis, non hæc in formalibus reperitur. Hinc eſt, quod in his propoſitionibus formalibus, quædam ſint veræ tantùm ratione identitatis, quam continent obiectiui conceptus; aliæ verò non ſolùm ratione identitatis, ſed ratione conuenientiæ. Exemplum priorum ſint hæ propoſitiones *actio eſt paſſio: iuſtitia Dei eſt miſericordia*, licet non ſint formales, veritatem deſumunt non ex aliqua conuenientia formæ ad ſubiectum, vel ſuperioris ad inferius, aliúſve rationis, quæ ſit inter extrema, ſed propter puram identitatem. Hæc autem conuenientia eſt vt prædicatum, & ſubiectum habeant aliquem ordinem, vel generis ad ſpeciem, vel ſpeciei ad indiuiduum, vel differentia ad ſpeciem quam componit, vel ad genus, quod contrahit, vel formæ ad ſubiectum. 3

Hinc inferes ad propoſitionem veram purè formalem tria requiri; identitatem ſubiecti cum prædicato; diuerſum modum ſignificandi; ordinem inter prædicatum ad ſubiectum, ſuperioris ad inferius, vel ſubiecti ad formam ſiue phyſicam, ſiue metaphyſicam, ſiue accidentalem. Hinc eſt quod prędicatio generis de ſpeciebus,& ſpeciei de indiuiduis ſint formales, quia ſunt prędicationes ſuperiorum ad inferiora, & prędicationes tertij, quarti & quinti prędicabilis, qūia ſunt prædicationes formarum, quæ phyſicè aut methaphyſicè ſubiectum afficiunt. 4

Inſuper animaduertendum eſt terminos prędicationum aliquando eſſe nomina abſtracta, aliquando concreta. Rurſus tam concreta, quàm abſtracta, quędam ſunt accidentalia, alia ſubſtantialia. Concreta dicuntur, quando ſignificantur non ſolùm formę aut ſubiecta nuda, ſed forma connotans ſubiectum, aut ſuppoſitum, vel ſubiectum, vel ſuppoſitum veſtitum forma. Abſtracta dicuntur quando ſignificantur formæ præciſæ, vt humanitas & albedo. Inſuper vtraque concreta aliquando ſignificatur ſubſtantiuè per modum per ſe ſtantis, aliquando adiectiuè, ſeu per modum alteri adiacentis. Concreta ſubſtantialia ſubſtantiua ſunt homo, & equus; adiectiua animatum, & humanatum. Concreta adiectiua ſunt album,& dulce; ſubſtantiua artifex, & creator: addunt nonnulli huiuſmodi complexa albedo in pariete, dulcedo in ſaccharo. Tandem concreta,& abſtracta, quædam ſunt primę intētionis quæ independenter ab intellectu ſuas habent entitates ſicut homo,& humanitas, album,& albedo; quædam ſecundæ intentionis, ſicuti genus,& ſpecies, genereitas, & ſpecieitas. Frequens eſt apud aliquos vſus horum nominum ſubſtitutum,& conſtitutum, ne tamen vocis nouitate terrearis, ſcito conſtitutum eſſe idem, quod concretum, quod ex forma & ſubiecto conſtituitur, ſeu conſtitutum eſt, & ſubſtitutum dici ſubiectum, quod formæ ſubſternitur.

Supponendum eſt etiam tam concreta accidentalia, quàm ſubſtātialia ſignificata per modum adiectiui dicere ſubiectum in recto, & in obliquo formam, album enim idem eſt, ac habens albedinem,& animatum idem importat, ac habens animam. Deinde ſuppono concreta ſubſtantialia ſubſtantiuè ſignificata ſignificare in recto naturam, & in obliquo ſubſiſtentiam, homo enim idem eſt ac natura humana cum ſubſiſtentia. Hæc propoſitio non eſt certa apud omnes, illam tamen optimè propugnat P. Vaſq. tom. 2. 1. partis diſp. 155. num. 8. & 18. Abſtineo à rationibus, quas adducit P. Vaſquez, quia Theologicæ ſunt, quandámque ad Philoſophiam ſpectantē breuiter ſubiicio. Hæc eſt vera propoſitio *homo eſt conſtans corpore & anima*: ergo id, quod ponitur ex parte ſubiecti eſt natura,& nō ſubſiſtentia, quia de hac non dici poteſt conſtare corpore & anima, 5

ſicuti de natura dicitur; prædicatum autem debet verificari de illo, quod ex parte ſubiecti in recto ponitur, non de illo, quod ponitur in obliquo. Item ſuppono concreta accidentalia ſubſtantiuè ſimplici nomine ſignificata dicere ſubiectum in recto, & formam in obliquo, dicimus enim, *artifex eſt homo: artifex eſt muſicus*, propter identitatem ſubiecti, quod ſignum eſt in recto ſignificari, quia identitas illorum, quæ in recto ſignificantur ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati, eſt quæ conducit ad veritatem propoſitionis. Concreta accidentalia his complexis ſignificata, *albedo in pariete, dulcedo in ſacchare*, dicere formam in recto, & ſubiectum in obliquo per ſe notum eſt. His præmiſſis, de his omnibus terminis explicandum eſt, quomodo in propoſitione vera poſſint inter ſe comparari, quod iam nonnullis concluſionibus trado.

7 Dico primò: Concreta ſuperiora, ſiue accidentalia, ſiue ſubſtantialia, & inferiora de ſuperioribus rectè prædicantur. Prior pars per ſe patet, natura enim ſuperior eſſentialiter conuenit inferiori, vt homini eſſe animal, albo eſſe coloratum. Poſterior facilè ſuadetur, quia quando dicimus, animal eſt homo, coloratum eſt album, idem eſt ac dicere aliquod animal eſt homo, aliquod coloratum eſt album. Ratio eſt, quia prædicatum ſe habet per modum accidentis ad ſubiectum, in propoſitione autem, cuius prædicatum eſt accidens reſpectu ſubiecti, ſubiectum indefinitum æquiualet particulari, ex quo oritur differentia inter prædicationem ſuperioris de inferiori, & inferioris de ſuperiori, quod illa poſſit affici ſigno vniuerſali non iſta.

8 Dico ſecundò: Abſtracta ſuperiora, ſiue accidentalia, ſiue ſubſtantialia poſſunt prædicari de inferioribus, & inferiora de ſuperioribus, hæc in propoſitione particulari, & illa in vniuerſali. De abſtractis accidentalibus conueniunt omnes, certum enim eſt prædicari *albedo eſt color*. De ſubſtantialibus negant plurimi, exiſtimant enim dici non poſſe, *humanitas eſt animalitas*; ratio diſparitatis eſt, quia illa abſtrahuntur tantùm à ſubiecto, & non ab eſſentia, quæ abſtractio eſt phyſica, non metaphyſica, ac proinde manent albedo, & color abſtracta à ſubiecto, metaphyſicè concreta, ſicut homo, & animal. Cæterùm licèt hæc differentia vera ſit, affirmo nihilominus hanc prædicationem veram eſſe *humanitas eſt animalitas*, quod ſic probo. Hæc propoſitio eſt vera *homo eſt animal*: ergo & iſta *humanitas eſt animalitas*. Reſpondent Authores oppoſitę ſententię negando conſequentiam, quia homo & animal prædicantur connotando idem ſuppoſitum, & ita ratione ſuppoſiti communis verè prædicantur, ſicuti ratione ſubiecti communis hæ ſunt veræ propoſitiones *album eſt coloratum*, etiamſi albedo non eſſet color, ſicut hæc *album eſt dulce*, & ſic ſimiliter homo *homo eſt animal*.

9 In multis diſplicet ſolutio, primò quia ſicuti iuxta communem ſententiam quælibet pars phyſica habet ſuam ſubſiſtentiam phyſicam phyſicè diſtinctam; ſic partes metaphyſicæ diſtinctæ debent habere ſuas ſubſiſtentias metaphyſicè diſtinctas, ac proinde in homine, & animali ſubſiſtentia non erit metaphyſicè eadem, quod eodem modo continget in humanitate, & animalitate. Secundò: ſi hæc propoſitio *homo eſt animal*, tantùm eſt vera, quia humanitas & animalitas connotant idem ſuppoſitum: ergo nō eſt vera in ſenſu formali, ſed tantùm in ſenſu identico. Probo conſequentiam, hæc propoſitio *album eſt dulce*, tantùm eſt vera in ſenſu identico, quia non verificatur ratione formarum, ſed ratione obiecti communis: ergo ſi hæc propoſitio homo eſt animal non verificatur ratione humanitatis & rationalitatis, ſed tantùm, quia ſuppoſitum harum formarum eſt commune, tantùm erit vera in ſenſu identico, & non in ſenſu formali, & eodem modò dicetur, *homo eſt animal*, ac dicitur *Deus eſt homo*, ſenſus enim illius propoſitionis erit, ſuppoſitum, quod eſt homo, eſt animal, ſicut ſenſus huius eſt, ſuppoſitum, quod eſt Deus, eſt homo.

10 Dico tertiò: Abſtracta differentiarum non prædicantur de abſtractis generum in ſenſu formali, ſed tantùm in ſenſu identico, neque de abſtractis aliarum differentiarum ſuperiorum, hæc enim propoſitio *rationalitas eſt animalitas*, vel *rationabilitas eſt ſenſibilitas*, tantùm ſunt veræ in ſenſu identico. Hæc concluſio conſtabit ex dicendis Controu. 1. Metaph. Punct. 4. vbi probo differentiam infimam non includere formaliter ſubalternam neque genus. Idem dico ob eandem rationem de differētiis infimis reſpectu differentiarum ſubalternatū, & reſpectu generum. Huiuſmodi differentias illiúſque rationes abſtractas in ſenſu identico prædicari, certum eſt apud omnes.

Dico quartò: Abſtracta non poſſunt prædicari de concretis ſubſtantialibus, neque accidentalibus adiectiuè ſignificatis, hæ enim ſunt falſæ prædicationes *album eſt albedo*, *animatum eſt anima*, quia id, quod ſignificatur in recto ex parte ſubiecti, ſubiectum videlicet non identificatur cum prædicato. Ob eandem rationem non poſſunt hæc concreta prædicari de ſuis abſtractis, non enim poſſumus dicere *albedo eſt habens albedinem*. Obiter nota de his concretis prædicari eorum ſubſtituta, rectè enim dicitur, *paries habens albedinem eſt paries: corpus habens animā eſt corpus*, ratio eſt, quia prædicatum identificatur cum ſubiecto directè ſignificato, etiamſi non identificetur cum illo, quod indirectè ſignificatur, quod non refert ad veritatem propoſitionis. Hanc doctrinam attentè obſerua pro veritate plurium propoſitionum. 11

Dico ſextò: Abſtracta eſſentialia tranſcendentia poſſunt prædicari de quibuſcumque concretis, dicimus enim *album eſt entitas*, & *homo eſt entitas*, *ens eſt entitas*. Hæc propoſitio inconcuſſa eſt apud omnes, ratio illius deſumitur ex tranſcendentia prædicati, ratione cuius cuicumque ſubiecto formaliter conuenit. 12

Dico ſeptimò: Abſtracta ſubſtantialia poſſunt prædicari in ſenſu identico de propriis concretis, & ſi ſubiectum afficiatur ſigno demonſtratiuo erit prædicatio formalis ſuperioris de inferiori, hæc enim eſt vera prædicatio *homo eſt humanitas*. Hanc concluſionem tradit Arriaga diſp. 7. ſect. 10. ſubſect. 2. quam efficaci ratione probo. Homo dicit in recto naturam, & in obliquo perſonalitatem: ergo idem eſt homo ac natura humana cum ſubſiſtentia: ergo ſicut hæc propoſitio eſt identicè vera, *natura humana cum ſubſiſtentia eſt natura humana*, ita hæc erit vera *homo eſt humanitas*. Probo antecedens: ſubiectum & prædicatum ſecundùm id, quod dicunt in recto ſunt idem, & ſicut ob hanc rationem hæc eſt vera propoſitio, *paries habens albedinē, vel cum albedine, vel connotans albedinem eſt paries*, quia etiamſi id, quod ſignificatur ex parte ſubiecti in obliquo non identificetur cum prædicato, identificatur quod ſignificatur in recto, ſic eſt iſta propoſitio, *natura humana cum ſubſiſtētia eſt natura humana*: ergo & hæc, homo eſt humanitas, quia in vtraque propoſitione idem formaliter ponitur ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati. 13

Quod ſi ſubiectum afficiatur ſigno demonſtratiuo prædicatio fit ſuperioris de inferiori: facilè ſuadetur, quia ſicuti hæc propoſitio *homo eſt homo* eſt idētica, & hæc eſt formalis, & ſpecifica *hic homo eſt homo*, ſic iſta, *natura humana cum ſubſiſtentia eſt natura humana*, erit identica, & hæc erit ſpecifica, *hæc natura humana cum ſubſiſtentia eſt natura humana*, quia in vtraque dicit prædicatum rationem ſubiecti à differentiis indiuidualibus præciſam. 14

Dico octauò, non valere ad conuertentiam *homo eſt humanitas: ergo humanitas eſt homo*, quia licet in priori propoſitione prædicatum identificetur cum ſubiecto, tamen arguit à non reſtricto ad reſtrictum, in quibus non valet affirmatiuè conſequentia, quia homo, etſi tantùm dicat naturam humanam in recto, dicit illam reſtrictam per connotatum in obliquo, ac proinde latiùs ex ſe patet prędicatum, quàm ſubiectum in hac propoſitione *homo eſt humanitas*, & ita ad conuertentiam non dicuntur, ſicut enim dicimus, *eſt pallium Petri: ergo eſt pallium*, non tamen licet inferri *eſt pallium: ergo eſt pallium Petri*, ſic licet inferri *eſt humanitas cum ſubſiſtentia: ergo eſt humanitas*, non tamen licet arguere, *eſt humanitas, ergo eſt humanitas cum ſubſiſtentia*. Hæc ita diſtinctè expoſui ne quis iudicaret inferri ex noſtris principiis, quod aliqui rem non percallentes ex hac propoſitione *homo eſt humanitas* inferebant, videlicet veram eſſe futuram hanc propoſitionem, *Deus aſſumpſit hominem*, quæ aliena eſt à vera & Catholica doctrina, neque ex his quæ diximus poteſt inferri, quia homo dicit naturam cum ſubſiſtentia, & etiamſi vera ſit hæc propoſitio *Deus aſſumpſit humanitatem*, falſa eſt hæc *Deus aſſumpſit hominem*, quia eſt dicere *Deus aſſumpſit humanitatem cum ſubſiſtentia*, quod eſt falſum. Sed nonnulli hoc modo nobis obiiciunt: homo eſt humanitas: ergo humanitas eſt idem cum homine. Sed ſic eſt quod Deus aſſumpſit humanitatem: ergo aſſumpſit hominem. Reſpondeo concedendo primum antecedens, & diſtinguendo conſequens: ergo humanitas eſt idem cum homine, ſecundùm quod homo dicit in recto, concedo: ſecundùm quod dicit in obliquo 15

Digitized by Google

obliquo, nego. Deinde concedo minorem, videlicet Deum aſſumpſiſſe humanitatem,& diſtinguo conſequens: aſſumpſit hominem, ſecundùm id quod dicit in obliquo, nego; ſecundùm id præcisè,quod dicit in recto, videlicet ſecundùm humanitatem, concedo.

16 Dico nonò:Hæc propoſitio,*humanitas eſt homo*, eſt propoſitio accidentalis, ſicut hæc; *accidens eſt inhærens ſubiecto*,quæ poteſt eſſe vera, & poteſt eſſe falſa, de facto tamen ſemper eſt vera. Prior pars probatur, quia facit hunc ſenſum *humanitas eſt natura humana cum ſubſiſtentia*, eſſe autem cum ſubſiſtentia, accidens eſt quod poteſt ſeparari: ergo eſt prædicatio accidentalis, cui veritas, & falſitas poteſt contingere.De facto veram eſſe ex eo infero, quod nulla detur humanitas,quæ non ſit cum ſubſiſtentia propria,vel aliena,imò ſi vna tantùm haberet ſubſiſtentiam, eſſe vera,quando terminus *humanitas* poneretur indefinitè ex parte ſubiecti, quia terminus indefinitè poſitus in materia accidentali æquiualet particulari.

17 Dico decimò:de concretis accidentalibus ſubſtantiuis ſimplici nomine ſignificatis,ſicuti artifex, & creator, non poſſunt abſtracta prædicari. Hæc cõcluſio eſt per ſe nota, non enim dicimus *artifex eſt ars*:ratio à priori eſt,quia hæc cõcreta dicũt in recto ſubiectũ,quod à forma diſtinguitur

18 Dico vndecimò: De concretis accidentalibus, quæ ſignificantur per huiuſmodi complexa *albedo in pariete,dulcedo in ſacchara* rectè prædicantur propria abſtracta, hæc enim eſt vera,prædicatio *albedo in pariete eſt albedo*, quia dicunt formam in recto, quæ per nomen abſtractum ſignificatur,& ita prædicatum harum propoſitionum identificatur cum illo, quod in recto ex parte ſubiecti ſignificatur.Ob eandem rationem huiuſmodi concreta de propriis abſtractis prædicantur,accidentaliter tamen ratione illius quod ex parte prædicati additur in obliquo, hæc enim eſt accidentalis prædicatio *albedo eſt albedo in pariete.*

19 De terminis ſecundæ intentionis aſſero, concreta ſecundæ intentionis prædicari de concretis primæ intentionis,dicimus enim *homo eſt ſpecies,animal eſt genus*,ita tamen prædicata ſubiecta afficiunt, vt illa immobiliter faciant ſupponere, non enim licet prædicatum per inferiora diſtribui,nec poſſumus inferre, homo eſt ſpecies: ergo Petrus eſt ſpecies. Prædicantur item concreta ſecundæ intentionis de abſtractis primæ intentionis, dicimus enim *animalitas eſt genus*, quia cùm hæ ſint veræ prædicationes *humanitas eſt animalitas:equinitas eſt animalitas*, animalitas ſe habet tanquam genus reſpectu humanitatis, & equinitatis. Non tamen poſſunt prædicari abſtracta ſecundæ intentionis de concretis, neque de abſtractis primæ intentionis,non enim poteſt dici *homo eſt ſpecieitas;animal eſt genereitas*,neque *humanitas eſt ſpecieitas*, aut *animalitas eſt genereitas*.Concreta verò ſecundæ intentionis inter ſe rectè prædicantur,rectè enim dicitur *vniuerſale eſt genus: genus eſt vniuerſale,& genus eſt ſpecies.* Tandem dico circa concreta & abſtracta ſecundæ intentionis inter prædicanda regulariter eaſdem regulas obſeruandas eſſe, quas tradidimus de terminis primæ intentionis; videndum tamen in his ſæpe confundi formas cum ſubiectis, nam eadem formalitas, quæ modò conſideratur afficiens naturam, poſtea conſideratur affecta alia formalitate,v.g. genereitas,quæ conſideratur tanquam forma afficiens naturam, quam denominat genus, poteſt rurſus conſiderari tanquã ſubiectũ,cui contingit ſpecieitas, ex vi cuius ſpecies denominatur, genereitas enim ſpecies dicitur reſpectu huius & illius genereitatis.Ratio eſt,quia cùm hæ formæ, per rationem adueniant,in infinitum ferè poſſunt procedere,quapropter in re parum vtili non vltrà procedam.

CONTROVERSIA IV.

De Genere.

POSTQVAM explicuimus naturam vniuerſalis in communi, aggredimur iam explicationem ſuorum inferiorum in particulari, quæ vulgò quinque prædicabilia dicuntur, quorum primum ſibi locum Genus vendicat, cuius naturam præſens Controuerſia explicabit.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit genus?

RElictis variis acceptionibus huius nominis *genus*, genus Logicum,de quo noſtra inſtituitur diſputatio, primò fuit à Porphyrio definitum, *Genus dicitur, cui ſupponuntur ſpecies*; ſecundò, *Genus eſt quod de pluribus differentibus ſpecie,in eo quod quid eſt prædicatur.* Prima eſt difficultas quæ circa hanc definitionem occurrit eſt, an illa conſtet genere, & differentia; videtur enim generis non poſſe dari genus, aliàs genus eſſet ſpecies, quod videtur implicare, quia ratio generis, & ſpeciei inter ſe opponuntur. 1

Affirmant nonnulli in hac definitione nullum reperiri genus, quia accidentia & concreta accidentalia rectè per ſubiectum loco generis conſtitutum definiuntur. Communis veriórque ſententia aſſerit in hac definitione reperiri verum genus, & generis poſſe dari genus, quod ſic euinco. Genus habet hoc quod eſt taliter prædicari de ſuis inferioribus: ergo in genere reperiuntur duo conceptus, primus eſt eſſe prædicabile de inferioribus, qui communis eſt quinque prædicabilibus; ſecundus eſt taliter prædicari de ſuis inferioribus, per quem differt formaliter à reliquis prædicabilibus, & in ratione generis conſtituitur: ergo genus ſpecies quædam eſt reſpectu cuius vniuerſale ſe habet tanquam genus: ergo rectè poterit per proprium genus, & propriam differentiam explicari. 2

Difficultas primò propoſita, & aliæ eiuſdem rationis, quæ in hac re moleſtè obiiciuntur,expeditam ſolutionem habent, ſi rem attentè inſpicias. Reſpondeo id, quod eſt eſſentialiter genus poſſe accidentaliter ſpeciem denominari per aliam ſecundam intentionem. quæ accidentaliter illi contingit, ſicuti homo qui eſſentialiter tantùm eſt animal rationale,poteſt accidentaliter ſpecies denominari, quod accidit generi, hoc enim eſſentialiter eſt genus, & dicit concretum quoddam conſtitutum per cognitionem confundentem plures ſpecies, ſicuti ſpecies dicit concretum aliud conſtitutum per cognitionem aliam confundentem plura indiuidua,quæ rationes eſſentiales ſunt generis & ſpeciei.Iam ergo genus,& ſpecies ſic eſſentialiter conſtituta poſſunt confundi per aliam cognitionem reflexam, ex vi cuius abſque vlla diſtinctione vtrumque cognoſcatur ſignificatum per hunc conceptum vniuerſale, ex vi cuius cognitionis ab illis ratio quædam abſtrahetur, reſpectu cuius veluti ſpecies ſe habeant. Cùm verò accidentale ſit generi ita confundi per illam cognitionem, quam terminat ſimul cum ſpecie, quia ex ſe tantùm petit tanquam formam cognitionem confundentem ſpecies, & non aliam ad ipſum terminatam, per quam confundatur; hinc eſt quod accidentaliter denominatio ſpeciei generi conueniat, & non per eandem formam, quia genus conſtituitur eſſentialiter per cognitionem confundentem ſpeciem quam intrinſecè includit in ratione generis, & denominatur ſpecies per formam extrinſecam, videlicet per cognitionem ad ipſum terminatam, ex vi cuius confunditur cum aliis prædicabilibus, & cognoſcitur vniuerſale tanquam obiectum,& hoc conſtituitur formaliter genus reſpectu primi prædicabilis,& reliquorum prædicabilium,quæ omnia ſunt ſpecies vniuerſalis. 3

Ex his inferes genus non ita opponi cum ſpecie,vt generi iam eſſentialiter conſtituto non poſſit alia forma extrinſeca accidere, ratione cuius denominetur ſpecies, ſed tantùm opponi ſecundùm formas eſſentialiter conſtitutiuas vtriuſque, ita vt implicet per eamdem formam conſtitui formaliter genus,& ſpeciem & eſſentialiter non differre formam conſtitutiuam generis, & conſtitutiuam ſpeciei. 4

Ex hac doctrina reſpondebis alij argumento, quod multum negotij recentibus Dialecticis faceſſit. Sic obiicitur: Genus definitur per genus: ergo definitur per ſe ipſum, quod implicat, quia definiri nihil aliud eſt quàm explicari, nihil autem poteſt per ſe ipſum explicari. Reſpondeo genus, neque aliud quoduis definitum non definiri, neque explicari per genus, ſed per naturam, 5

cui accidentaliter contingit ratio generis. Exemplum ſit in definitione hominis, quæ rationem hominis explicat per conceptum animalis ſecundùm ſe ſumptum, ſecluſa omni alia ratione ſuperaddita animali ſecundùm quam rationem animal formaliter non eſt genus, quia animal conſtituitur formaliter in ratione generis per formam extrinſecam, videlicet per abſtractionem, ex vi cuius animal cognoſcitur ſine homine, & equo, quæ eſt cognitio confundens hominem,& equum.Sic contingit in definitione generis, ex vi cuius genus non definitur per genus, ſed per prædicabile imbibitum in ipſo genere, cui poſtea accidit denominatio generis, cùm enim genus definimus,non dicimus *genus eſt genus de pluribus ſpecie diſtinctis*: Sed genus eſt prædicabile de pluribus ſpecie diſtinctis, cui conceptui prædicabilis in ipſo genere imbibito accidentaliter conuenit ratio generis, quatenus per cognitionem reflexam à genere abſtrahitur, & confusè cognoſcitur cum reliquis prædicabilibus,ſicuti animali imbibito in homine,per quod eſſentia hominis explicatur, accidentaliter cõuenit denominatio generis, quatenus ab homine abſtrahitur, & confusè cum reliquis animalibus cognoſcitur.

6 Eadem ratione ſit conceptum vniuerſalis,qui ſecundùm ſuam rationem eſſentialem latiùs patet genere, & eſt id, per quod genus explicatur, accidentaliter fieri inferius ipſo genere,quatenus illi contingit denominatio generis, quæ non eſt de conceptu quidditatiuo vniuerſalis, quia vniuerſale ex ſe, per quod genus explicatur, abſtrahit à differentia conſtitutiua generis, & ſpeciei, ſicuti animal à rationali & hinnibili: eſt ergo vniuerſale ſecundùm conceptum quidditatiuum eſſentialem vniuerſalis præcisè ſumptum, natura quæ latiùs patet genere,& per quam genus explicatur, & ratione differentiæ generis, quæ illi accidentaliter accidit reſpectu quinque prædicabilium ſit inferius ipſo genere, quia formaliter vt denominatum tali differentia iam contrahitur ad tale genus, & non poteſt conuenire ſpeciei, ſicuti animal vt genus formaliter,non poteſt conuenire homini, aut equo. Quod verò vniuerſale formaliter vt ſuperius,& vt genus contineatur ſub aliqua ſpecie,videlicet ſub primo prædicabili, non eſt ex eo præcisè quia ab illo abſtrahitur, animal enim formaliter vt ſuperius,& vt genus ſub nulla ſpecie à qua abſtrahitur continetur, ſed quia denominatio generis,quæ contingit rationi vniuerſalis abſtractæ ab omnibus prædicabilibus,conſtituit quoddam ſingulare genus, à quo,& à reliquis omnibus generibus abſtrahit primum prædicabile,quod eſt ſpecies vniuerſalis ſub ſe continens tanquam propria indiuidua hoc & illud genus.

7 Secunda difficultas eſt,quid importet genus in *eo quod quid* prædicari. Prædicari in *quid* dicit prædicari eſſentialiter, quia dicit prædicari tanquam quidditas ſubiecti, quidditas autem rei dicit illius eſſentiam. Ex quo differt à proprio,& accidenti. Prædicari autem in eo *quod quid*, ſentiunt nonnulli eſſe prædicari per modum partis materialis, ſeu per modum materiæ, quam in concretis *quod* appellare ſolemus. Ex hoc capite afferunt recentes iſti genus differre à ſpecie,& differentia,quia ſpecies prædicatur tantùm in *quid*, quod eſt prædicari eſſentialiter & non vt partem, & conſequenter vt totum, à differentia, quæ prædicatur in *quale quid*,quod eſt prædicari vt partem formalem eſſentialem,quia prædicari in *quale*, dicit prædicari vt partem formalem.

8 Non inficior genus ex eo differre à reliquis prædicabilibus,quia prædicatur tanquam pars materialis de ſuis inferioribus; cæterùm gratis ſibi fingunt hanc rationem partis exprimi per illam particulam *quod* appoſitam in definitione generis, neque id tantùm ſine fundamento confingunt, ſed expreſsè contra Porphyrium, qui capite tertio de ſpecie, ſpeciem his verbis definiuit: *Species eſt quæ de pluribus differentibus numero in eo, quod quid eſt prædicatur.* Ex qua definitione clarè euincitur particula *quod* partem materialem non ſignificari, ſiquidem ſpecies non vt pars materialis,ſed vt tota quidditas prædicatur. Neque ratio aliqua ex ipſa rei natura, aut loquendi modo inuenire poteſt ad aſſerendum particula *quod* ſignificari partem materialem, præcipuè totius metaphyſici, quod æquè dicit in recto genus & differentiam, quæ ſe habent inſtar materiæ,& formæ, homo enim æque dicit in recto conceptum animalis, & conceptum rationalis. Dicitur ergo prædicari in *eo quod quid* prædicari tanquam id, quod eſt quidditas ſubiecti, quod dicit prædicatum ſubiecto eſſentiale, & æquè conuenit generi, ſpeciei, & differentiæ, quia hæc non differt à duobus prædicabilibus ex eo quod prædicetur *in eo quod quid*, quia prędicari *in eo quod quid* nihil addit ſupra prædicari in *quid*, quod conuenit differentiæ, ſed quia differentia non prędicatur in *quid* purè,ſicuti duo priora prædicabilia,ſed in *quale quid*.

9 Melius dicetur prædicari in *quid* eſſe prædicari eſſentialiter,& prædicari in *quale* eſſe prædicari per modum partis formalis quæ non opponuntur, cùm confluant in differentiam, quæ prædicatur eſſentialiter, & per modum partis formalis, & ideo dicitur in *quale quid* prædicari. Iuxta hanc explicationem prædicandi in *quid*, prædicandi in *quale*, genus & ſpecies prædicantur in *quid* purè, quia prædicantur eſſentialiter, & non per modum partis formalis,& proprium, & accidens prædicantur in *quale* purè, quia prædicantur per modum partis formalis; & non prædicantur eſſentialiter. Reſtat modò aliquod caput aſſignandum, ex quo poſſimus cognoſcere, quando prædicatum per modum partis formalis de ſubiecto dicitur, quod breuiter tradam. Quotieſcumque prædicatum accidentale eſt ſubiecto, prædicatur per modum partis formalis ſiue nomine ſubſtantiuo, ſiue adiectiuo ſignificetur, quia tale prædicatum dicit pro formali accidens, quod eſſentialiter habet eſſe partem formalem concreti, ſeu compoſiti,ad quod ordinatur,quia omne accidens eſſentialiter habet rationem formæ reſpectu ſubiecti, cui conuenit. Ex hoc inferes has prædicationes *Petrus eſt albus*, & *Petrus eſt artifex*, ſeu *Petrus eſt efficiens*, ſeu *effector* æquè eſſe in *quale*, etſi ſubiectum prioris nomine adiectiuo, & poſteriorum ſubiecta nominibus ſubſtantiuis exprimantur. Cùm verò prædicatum eſt eſſentiale indifferens eſt,vt ſit pars formalis, vel pars materialis, aut totum, & ita tunc videndum eſt, an ſignificetur nomine ſubſtantiuo, vel adiectiuo, quod ſi nomine adiectiuo ſignificetur, dicendum eſt ſignificari per modum formæ, quia ſignificatur per modum alteri adiacentis, quod proprium eſt formæ quæ ſubiecto adiacet. Si verò ſignificetur nomine ſubſtantiuo dicendum eſt non prædicari tanquam partem formalem,quia ſignificatur per modum per ſe ſtantis, quod proprium eſt totius, & partis materialis, ſeu materiæ.

10 Proprium modum prædicandi generis, qui eſt prædicari per modum partis materialis, cenſeo explicari per hoc,quod eſt prædicari in *quid* purè de pluribus differentibus ſpecie, quia eo ipſo, quod prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, non poteſt prædicari tanquam tota eſſentia,quia tota eſſentia vnius ſpeciei nequit eſſe communis alij ſpeciei, & ita prædicatum huius ſpeciei quod alij eſt commune,non eſt tota eſſentia huius ſpeciei,quia alij ſpeciei conuenit,neque tota eſſentia aliùs, quia conuenit huic. Infertur ergo genus non prædicari vt totam eſſentiam,ex eo quod prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, infertur etiam quod prædicetur eſſentialiter ex eo quod prædicetur in *quid*, & conſequenter infertur, quod prædicetur vt pars eſſentialis, quia quod eſſentialiter prædicatur, & non vt tota eſſentia neceſſariò prædicatur vt pars eſſentiæ. Vltimò infertur non prædicari, vt partem formalem ex eo, quod prædicatur in *quid* purè,& pars formalis prædicatur in *quale quid*, & conſequenter prædicari vt partem materialem, quia ex partibus tantùm materialis in *quid* purè, & formalis in *quale quid* prædicantur.

11 Clariùs eſſentia generis definiretur *quod prædicatur de ſuis inferioribus vt pars materialis.* Per quam definitionem prima terminorum apprehenſione explicatur id,quod per longos diſcurſus debemus inferre, & per id *quid*, & *quod* ſatis inuolutè traditur, in hoc enim quod eſt de inferioribus prædicari conuenit genus cum reliquis prædicabilibus, & per hoc quod eſt prædicari per modum partis materialis differt à reliquis omnibus,quia ſpecies prædicatur vt tota eſſentia,& tria poſteriora prædicabilia prædicantur vt partes formales. Vitatur etiam hac definitione vitioſus circulus,qui ſolet committi definiendo genus per differentiam,& differentiam per genus.

12 Inquirunt multi quid ſit definitum huius definitionis, quos accuſat Neotericus quidã quaſi ſeriò in ſcholis interrogantes eodẽ modo,quo ſolemus puerulos ſimplices interrogare, *quis pater filiorum Zebedæi?* quodnam enim in definitione

Digitized by Google

definitione generis præter ipſum genus poterit eſſe definitum; Veruntamen non omnino contemnenda eſt interrogatio, petit enim quid intelligatur nomine generis cùm dicimus per hanc definitionem genus definiri, & quod ſit ſubiectum, cui hæc definitio conuenit, & ex vi illius definitum dicitur.

13 Duo enim dicit genus naturam, & ſecundam intentionem, & in his dubium eſt cui definitio conueniat, an naturæ, an ſecundæ intentioni, an concreto ex natura, & ſecunda intentione reſultanti, ſed adhuc in hac quæſtione vix mihi videtur poſſe contentioni locum dari, quia apud omnes certum eſſe debet definiri id, quod formaliter eſt genus, per hanc enim definitionem reſpondemus inquirenti, *Quid eſt genus*, & dicimus genus eſt *quod prædicatur*, &c. cùm autem inquirimus, quid ſit concretum aliquod accidentale, non rectè reſpondemus explicantes quidditatem ſubiecti, ineptè enim quis reſponderet inquirenti, quid eſt quantum, definiendo materiam primam, quæ eſt quantitatis ſubiectum. Quod ſi Scotus, quem ſui ſequuntur, aſſerat per hanc definitionem per ſe & in recto definiri ſecundam intentionem, & naturam in obliquo, quod communis negat ſententia, quæ aſſerit hanc definitionem non conuenire in recto ſecundæ intentioni, ſed concreto, quod in obliquo ſecundam intentionem importat, ideo eſt, quia Scotus quæſt. 8. vniuerſalium affirmat omnia concreta accidentalia importare in recto formam accidentalem, & in obliquo ſubiectum, & reliqui Authores, qui ab Scoto diſceſſerunt, aſſerunt concreta accidentalia dicere in recto ſubiectum, & in obliquo formam; omnes tamen in eo conſentiunt, quod hæc definitio concreto accidentali conſtituto ex natura & forma accidentali conueniat, & eadem ratione applicari naturæ, & ſecundæ intentioni, quæ in cócreto continentur, quia immediatè definitio de toto concreto prædicatur, & toti concreto primariò, & per ſe conuenit. Ratio eſt clara cùm definitur genus, non explicatur natura animalis ſecundùm ſe ſumpta, hæc enim per viuens ſenſibile deberet explicari, ſed per hoc quod eſt prædicari de pluribus, quod illi eſt accidentale, & extrinſecum. Secundò conceptus obiectiuus explicatus per definitionem formalem non debet eſſe omnino contingens, & per accidens ſe habens reſpectu definiti: ſed conceptus obiectiuus eſt omnino contingens, & per accidens ſe habet reſpectu naturæ ſecundùm ſe ſumptæ, cui accidentaliter, extrinſecè, & per accidens conuenit prædicabilitas reſpectu ſuorum inferiorum: ergo natura ſecundùm ſe ſumpta, non poteſt eſſe definitum huius definitionis.

14 Secundam intentionem ſecundùm ſe ſumptam, natura ſecluſa, non definiri per hanc definitionem, quod vulgò dicitur Caietanum docuiſſe cap. de genere, qui forſan à Scoto non diſſentit, haud difficilè probatur. Secunda intentio ſecundùm ſe ſumpta non eſt prædicabilis de ſuis inferioribus: ergo ſecundæ intentioni non conuenit hæc definitio. Deinde ſecunda intentio per ſe ipſam non eſt genus, neque denominatur genus, potius eſt genereitas, quæ naturā generis denominat: ergo ſiue definiatur, quod formaliter eſt genus, ſiue definiatur, quod genus denominatur, non definitur ſecunda intentio, quæ neque formaliter eſt genus, neque denominatiuè genus dicitur.

15 Standum ergo eſt communi ſententiæ aſſerenti per hanc definitionem explicari concretum conſtitutum ex natura & ſecunda intentione, quod dicitur prædicabile. Rationem huius concluſionis omnibus communem inſtituo. Illud eſt formale definitum cuiuſcumque definitionis, cui formaliter conuenit definitio. Sed definitio formaliter conuenit concreto ex natura & ſecunda intentione conſtituto: ergo hoc concretum eſt formaliter definitum. Minorem probo: natura ſecundùm ſe non eſt prædicabilis, ſed conſtituitur prædicabilis per ſecundam intentionem: ergo prædicabile formaliter dicit concretum ex natura, & ſecunda intentione, ſicut album dicit formaliter concretum ex pariete, & albedine conſtitutum, ex pariete tanquam ex ſubiecto, & albedine tanquam ex forma: ergo id, quod eſt prædicabile formaliter de pluribus per modum partis materialis eſt concretum ex natura, & ſecunda intentione reſultans: ergo hoc eſt, cui formaliter conuenit definitio generis, & quod formaliter definitur.

16 Vulgare argumentum eſt ad probandum naturam tantùm eſſe definitum huius definitionis, naturam tantùm identificari cùm ſuis inferioribus, ac proinde hanc tantùm de illis prædicari, quia id tantùm de ſubiecto dicitur, quod cum ſubiecto identificatur. Ex quo infertur naturam tantùm eſſe prædicabilem de inferioribus, & conſequenter ipſam tantùm eſſe genus, quod eſt formaliter id, quod prædicatur, & eſt prædicabile de ſuis inferioribus. Vulgari argumento vulgaris ſolutio eſt, naturam prædicari vt *quod*, & ſecundam intentionem prædicari, vt *quo*, hoc eſt eſſe rationem formalem prædicandi. Veruntamen ſolutio iſta obſcura eſt nimis, & rem non omnino dirimit, videtur enim rationem formalem prædicandi eſſe rationem formalem, ex vi cuius prædicatum conuenit ſubiecto, & cùm hæc non ſit ſecunda inrenrio, adhùc iſta ratio formalis prædicandi videtur non eſſe dicenda, & conſequenter neque prædicatum vt *quo*, ideo placet clarioribus terminis difficultatem dirimere, huiuſque materiæ veram doctrinam propalare.

17 In primis in memoriam reuocandum eſt vniuerſale, & conſequenter genus, quod ſpecies quædam eſt vniuerſalis, non eſſe actu prædicatum, ſed prædicabile, imò eo ipſo, quod actu prædicetur de inferioribus non manere vniuerſale, ſed deſtrui illius formā, quæ eſt vnitas, quia prædicatio cuiuſcumque vniuerſalis de ſuis inferioribus, eſt diuiſio ipſius vniuerſalis in ſua inferiora, ex vi cuius prædicationis, ſeu diuiſionis deſtruitur illius vnitas, & vniuerſalitas, & iam non manet vnum, & vniuerſale, ſed plura ſingularia. Conſequenter ad hanc doctrinam diximus Controuerſia præcedenti vniuerſale formaliter vt vniuerſale non prædicari, ſed eſſe prædicabile, quod per ipſam prædicationem deſtruitur, ſicut diuiſibile per ipſam diuiſionem deſinit eſſe diuiſibile. Ex hoc inferes rationem formalem vniuerſalis, ſeu prædicabilis de pluribus, quæ eſt *quo* generis, ſeu id, per quod genus formaliter conſtituitur non eſſe *quo* actualis prædicari, neque ad ipſius cóſtitutionem pertinere, ſed tantùm ad ipſum præſupponi. Deinde ex eadem doctrina infertur nullo modo, neque vt *quod*, neque vt *quo* actu prædicari id, quod formaliter eſt prædicabile, formaliter vt tale, ſed ſubiectum, quod denominatur prædicabile per ſecundam intentionem, cum conſtituit prædicabile formaliter, iam nudum hac ſecunda intentione, & prædicabilitate actu prædicari ſecundùm id, quod materialiter includebat concretum prædicabile, quod per prædicationem actualem deſtruitur, ſicuti deſtruitur diuiſibile per diuiſionem.

18 Ex hac doctrina facilè reſpondeo ſecundam intentionem neque vt *quod*, neque vt *quo* actu prædicari, hoc eſt, non eſſe prædicatum, neque formam, qua prædicatum conſtituitur, nihilominus eſſe formam qua conſtituitur prædicabile de inferioibus per modum pattis materialis, quod eſt definitum huius definitionis, genus enim non eſt prædicatum de pluribus differentibus ſpecie, ſed prædicabile de pluribus differentibus ſpecie, neque ita eſt prædicabile, quod quatenus tale eſt actu prædicetur, ſeu actu ſit prædicatum, ſed quod eſt prædicatum ſecundùm ſui partes & quod per actualem prædicationem, formaliter amittit prædicabilitatem de pluribus, & vniuerſalitatem, ſicut lignum eſt diuiſibile, & formaliter vt diuiſibile, includit vnionem, licet formaliter vt diuiſibile, & vt includens vnioné non ſit actu diuiſum, potius vt diuiſú, dicit negationem vnionis, quæ nunquam vt talis eſt diuiditur, ſed deſinit eſſe per diuiſionem, nihilominus formaliter pertinet ad diuiſibile, vt diuiſibile eſt, & cùm diuiſibile deſinitur non tantùm definiuntur partes ſecundùm ſe, quæ actu diuiſæ remanent, & ſeparatæ, ſed hæ partes vt includentes vnionem. Sic prorſus contingit in genere, & & in quocumque prędicabili, quod formaliter vt prædicabile eſt vnū includens tanquam vnioné ſecundā intentionem, quę non prędicatur vt *quod*, ſed conſtituit vt *quo* prædicabile vt prædicabile de pluribus, & vt vnum, quod per prędicationé actualé amittit prędicabilitaté de pluribus, & vnitaté, quam habebat per ſecundam intentionem.

19 Argumenta, quæ contra noſtram ſententiam obiici ſolent leuis ſunt momenti: vnum eſt, per definitionem hanc non explicari eſſentiam aut paſſionem naturæ, ex quo inferri intenditur nullo modo eſſe definitum huius definitionis. Reſpondeo per hanc definitionem non explicari eſſentiam, aut paſſionem naturæ ſecundùm ſe, explicari tamen eſſentiam concreti reſultantis ex natura, & ſecunda intentione, & ita hoc concretum eſſe definitum talis definitionis, quod eſſentialiter includit naturam. Alterum argumentum eſt concretum ex natura, & ſecunda intentione

tione

tione eſſe quoddam aggregatum per accidens, cuius non poteſt dari definitio,ac proinde dici non poſſe tale concretum eſſe definitum huius definitionis. Reſpondeo de Concreto omnino per accidens, cuius partes nullum habent ordinem, neque reſpectum ſaltem extrinſecum non poſſe dari definitionem aliquam, neque de concreto accidentali includente materiam, & formam ſpectantes ad diuerſa prædicamenta, etiam cum vnione,& ordine inter ſe non poſſe dari vnam definitionem, quæ quidditatiuè explicet naturam cuiuſcumque partis ſecundùm ſe ſumptæ vt condiſtinctæ ab alia;poſſe tamē dari definitionem, quæ explicet eſſentiam partium præciſè, quatenus formaliter conducunt ad illud totum,& quæ explicet totum, quod ex illis componitur formaliter ſumptum, ſic definiuntur exercitus, muſica, Reſpublica,& alia huiuſmodi tota. Neque contra hanc doctrinam aliud argumentum alicuius momenti inuenio.

Pvnctvm II.

An genus prædicetur vt pars vel vt totum potentiale vel actuale.

1 Qvæſtionem leuis momenti leui opera peragam. Genus poteſt conſiderari vt totum quoddam actu compoſitum ex alio genere ſuperiori,& ex differentia:animal, v.g. ex viuenti,& ex ſenſitiuo,ſub qua ratione dicitur totum actuale. Hæc ratio non pertinet ad conſtitutionem generis neque ad illius rationem formalem, quia genus ſupremum,quod propriè eſt genus hac compoſitione caret.Secundò conceptus animalis formaliter, & intrinſecè non dicit talem compoſitionem, ſed tantùm extrinſecè, vt probabo Controu.6.Punct.2.n.6.& ſeq.

2 Genus totum potentiale dicitur, quæ denominatio optimè poteſt illi competere, quatenus eſt quoddam totum,quod in potentia continet plures ſpecies, & quatenus poteſt in illis reperiri,& per illarum differentias contrahi. Sub hac etiam ratione pars ſpecierum poteſt dici, non actu illas componens, ſed potens illas componere, quia licet totum dicatur reſpectu illarum,quia omnes illas in ſe includit, & vltra quamlibet in particulari ſe extendit ad aliam,& ad omnes ita vt non latiùs pateant omnes ſpecies ſimul ſumptæ, quàm genus, quod proprium eſt totius,quod ſe extendit vltrà quaſcumque ſui partes, in quibus non illarum tota collectio continetur cum qua iuſtè commenſuratur,nihilominus eatenus poteſt ad quācumque ſpeciem contrahi,quatenus poteſt coniungi cum differentia conſtitutiua illius ſpeciei,& ſub hac ratione poteſt dici pars potens componere quamcumque ſpeciē. Neque illa ratio totius potentialis, cum hac ratione partis opponitur, quia ſub diuerſis rationibus genus dicitur totum,& dicitur pars: totum dicitur in ordine ad extenſionem ſpecierum, quatenus vltra hanc, & illas, ad alias potens eſt ſe extendere quouſque cum omnium collectio adæquatè commenſuretur; pars verò dicitur quatenus potens eſt contrahi in ordine ad quamcumque ſpeciē, & quatenus poteſt adiungi cum differentia conſtitutiua talis ſpeciei,& cum illa ſpeciem conſtituere, & componere ea ratione,qua ſpecies poteſt dici compoſita. Poteſt etiam genus totum potentiale dici reſpectu ſpecierum, quatenus pro materiali ſpeciebus omnibus conſtat, ex quibus componitur; poſſunt autem ſpecies iſtæ dici partes potentiales, & genus totum potentiale denominari, quatenus ſub diſtincto ſpecierum conceptu actu non continentur in toto,quo inter ſe per conceptum generis confunduntur,ſed tantùm ſub hoc expreſſo conceptu dicuntur eſſe in potentia in genere, à quo poſſunt extrahi, & diuiſo genere diſtinctæ vt membra diuidentia,quæ partes ſunt totius,cui contigit diuiſio,ſub expreſſo conceptu diſtinctè cognoſci.

3 Rationes iſtæ totius potentialis, & partis potentialis generi conueniunt,vt genus eſt, quia de eſſentia generis eſt poſſe ſe ad omnes ſpecies extendere per prædicationem,quod eſt poſſe de omnibus prædicari, & poſſe quācumque ſpeciem componere,quod eſt contrahi per differentiam illius ſpeciei conſtitutiuam, ex quo infero genus eſſe prædicabile,vt eſt totum potentiale, & pars potens componere omnes ſpecies, quia hæc habet vt genus, & vt genus eſt prædicabile de pluribus ſpeciebus. Infero ſimiliter genus in actuali prædicatione non retinere rationem totius potentialis, quia per actualem prædicationem contrahitur ad hanc ſpeciem, de qua prædicatur, & iam non manet ſub illa ratione, ſub qua prædicatur commune aliis ſpeciebus.Eadem ratione infertur nō manere genus in actuali prædicatione partem potentem cōponere ſpecies alias diſtinctas ab illa, à qua prædicatur, ſiquidem ſecundùm rationem,ſecundùm quam, per prædicationem coniungitur cum differentia huius ſpeciei, de qua prædicatur,non poteſt coniungi cum aliis differentiis. Ex quibus fit genus non prædicari vt totū potentiale,neque vt partem potentē componere plures ſpecies; ſicuti non prædicatur vt genus,neque vt vniuerſale, ſed prædicationem generis tantùm poſſe dici eſſe prædicationem totius potentialis, & partis potentis componere plures ſpecies, eo ſenſu quo dicitur eandem prædicationē eſſe prædicationē generis,& vniuerſalis,hoc eſt,naturæ, quæ ante prædicationē actualem cum aliis confuſa denominabatur totum potentiale,& pars potens componere plures ſpecies,& quæ in actuali prædicatione ex parte prædicati, quod in actuali prædicatione contrahitur, præciſè ſumpti eadem ratione ſignificatur, qua ante actualem prædicationem, & contractionem factam, ex vi illius ſignificabatur.

Infero ſimiliter genus, quod ante actualem prædicationem erat pars potens componere per prædicationem actualem conſtitui partem actualem metaphyſicam ſpeciei,quam componit.Ratio eſt quia poſſe componere plures ſpecies nihil aliud eſt quam poſſe contrahi per plures differentias, cum quibus plures ſpecies conſtituat: ergo componere actu plures ſpecies erit contrahi per plures differentias ad plures ſpecies:ergo componere hanc ſpeciem erit contrahi per hanc differentiam ad hanc ſpeciē: ſed contrahi per hanc differentiam ad hanc ſpeciem eſt prædicari de hac ſpecie:ergo per prædicationem actualē quæ eſt contractio,conſtituitur genu actus ſpeciem componens.Secundò genus componere ſpeciē,eo modo quo illam componit,de quo dicam diſputās de differentia,nihil aliud eſt,quàm coniungi cum differentia, quam ſimul cum genere includit ſpecies tanquā ſui partem eſſentialem:ſed per prædicationem coniungitur genus cum differentia:ergo per prædicationem conſtituitur pars actualis. 4

Concludo ex his genus prædicari vt partem actualem de ſpecie,quod non ita intelligendum eſt, vt prædicatio terminetur ad ipſam rationem formalem partis vt actu componentis,ſeu ad ipſam actualem compoſitionem, ſed ad partem ſecundùm ſe,quæ conſtituitur actu componens per ipſam prædicationem. In hoc ſenſu poteſt dici genus vt partem potentialem,& vt totum potentiale prædicari de ſpecie,hoc eſt prædicationem generis de ſpecie terminari ad naturam,quæ ad ipſam prædicationem ſupponebatur vt pars potentialis,& vt totum potentiale, & conſtituitur per ipſam prædicationem pars actu componens, ea ratione qua diuiſio terminatur ad totum, quod ad diuiſionem ſupponebatur vnitum, & per diuiſionem conſtituitur non vnitum, ſed diuiſum. Hac ratione componi poterunt diuerſæ opiniones circa hanc quæſtionem, opinio enim,quæ aſſerit genus prædicari vt totum potentiale,& vt partem potentem componere,vera eſt, ſi intelligatur de genere ſub illa ratione, qua ſupponitur ad prædicationem,ſicut verum eſt dicere, diuiſionem terminari ad totum vnitum, ſi ſermo ſit de toto quatenus ad diuiſionem ſupponitur. Opinio autem quæ aſſerit genus non prædicari vt totum potentiale, neque vt partem potentialem, ſed vt partem actualem, vera eſt, ſi intelligatur de genere ſub illa ratione,ſub qua conſtituitur ex vi prædicationis, ſicuti loquendo de diuiſo ſub ratione, ſub qua conſtituitur ex vi diuiſionis verum eſt dicere, non terminari ad totum vnitum, ſed ad totum ſectum in membra diuidentia. 5

Partem metaphyſicā,quæ ex eo pars dicitur,quod non dicat expreſſè quidquid totum, dicere confuſè quidquid dicit totum,eſt certū apud omnes, in hac enim prædicatione *homo eſt animal*,etſi rationale non expreſſe ponatur ex parte prædicati,confuſè continetur in illo, & ob hanc rationem poteſt dici genus prædicari vt totum confuſum de ſpecie, quia omne prædicatum ſaltem confuſè dicit quidquid continet ſubiectum, aliàs prædicatio non eſſet vera,ſicuti nō eſt vera prædicatio *homo eſt caput*,quia homo præter caput dicit partes alias, quas neque diſtinctè, 6

neque

Digitized by Google

neque confusè dicit caput,in quo ſenſu poteſt dici genus, & quamcumque partem metaphyſicam de ſpecie vt totum confuſum prædicari, quod non opponitur cum hoc, quod eſt prædicari vt partem,quia rectè poteſt idem prædicatum dici pars ſecundùm rationem in illo deſtinatè ſignificatam præcisè ſumptam,& dici totùm ſecundùm rationes in illo diſtinctè,& confusè ſignificatas.

PVNCTVM III.

An genus eſſentialiter requirat plures ſpecies?

1 FErt communis ſententia genus requirere eſſentialiter plures ſpecies,ſine quibus non poteſt ſubſiſtere, quia ex eo ab ſpecie differt, quod genus prædicetur, ſeu ſit prædicabile de pluribus ſpeciebus, & ſpecies de pluribus indiuiduis.Oppoſitam ſententiam amplectuntur recentiores non pauci,quam ſic probant. Ex eo quod prædicatum animalis eſſet prædicabile de pluribus indiuiduis eſſet vniuerſale, quia vniuerſale tantùm requirit plura inferiora,inſuper diſtingueretur ab homine, quia homo prædicaretur de Petro, & Ioanne tanquam tota eſſentia, & animal vt pars materialis eſſentiæ: ergo caſu, quo tantũ eſſent humana indiuidua,homo, & animal eſſent vniuerſalia,& prædicabilia reſpectu illorum,homo vt tota eſſentia,& animal vt pars materialis eſſentiæ: ergo differrent hæc duo prædicabilia, eadem ratione,qua modò differũt: ergo homo eſſet ſpecies,& animal eſſet genus,quod conſtituitur ex eo præcisè quod prædicetur de pluribus per modum partis materialis,& non per hoc quod eſt prædicari de pluribus numero,vel ſpecie differentibus.Confirmatur:genus ſubalternum & ſupremum prædicantur de pluribus differentibus genere,& genus infimum tantùm prædicatur de pluribus differentibus ſpecie,& nihilominus non conſtituunt diſtincta prædicabilia,neque diuerſum modum prædicandi habere dicuntur, quia tam ſupremum genus,quàm ſubalternum,& infimum prædicantur vt partes materiales:ergo non ex eo quod prædicetur genus de pluribus differentibus ſpecie; & ſpecies de pluribus differentibus numero differunt inter ſe hæc prædicabilia,ſed ex eo quod genus prædicetur vt pars materialis, & ſpecies vt tota eſſentia: ergo eo ipſo quod genus vt pars materialis ſit prædicabile de pluribus, quæcumque illa ſint retinebit rationem generis:ergo animal reſpectu indiuiduorum eiuſdē ſpeciei, de quibus per modū partis materialis prædicatur,poterit eſſe genus: ergo ſecluſa quacumque alia ſpecie rationem generis retinebit.

2 Hoc argumento conuincor aſſerere animal retenturũ rationem generis,eo ipſo quod eſſet prædicabile de pluribus indiuiduis eiuſdem ſpeciei per modum partis materialis,etiamſi de aliis non eſſet prædicabile,ſentio tamen implicare prædicatum,quod poſſit per modum partis materialis prædicari de pluribus indiuiduis vnius ſpeciei, & non de pluribus ſpeciebus,& indiuiduis diſtinctarum ſpecierum. Et ex hoc capite affirmo genus eſſentialiter requirere plures ſpecies, à quibus abſtrahatur vt pars materialis, quia ratio partis materialis non niſi à pluribus ſpeciebus poteſt abſtrahi.Rationem partis materialis nōniſi à pluribus ſpeciebus poſſe abſtrahi ſic probo. Caſu quo tantùm cognoſceremus animalia naturæ rationalis v.g.Petrum,& Ioannem,& Franciſcum,prædicatum animalis non latiùs pateret, quàm prædicatum hominis,ſed ſe haberent vt omnino æqualia,ſicuti modò ſe habent intellectiuum,& volitiuum, in quibus nullum dicimus eſſe ſuperius altero,quia nullum intellectiuum cognoſcimus, quod non ſit volitiuum,neque volitiuum, quod intellectiuum non ſit:ergo tunc rationale non contraheret animal. Probo conſequentiam:illud quod contrahitur debet eſſe ſuperius illo, ad quod contrahitur, ſed animal tunc non eſſet ſuperius homine, aut rationali: ergo tunc non contraheretur ad hominem per rationale:ergo ex hoc capite animal nō ſe haberet vt materia, neque vt pars materialis reſpectu hominis. Secundò in illo caſu rationale, & ſenſitiuum æquè paterent: ergo nullum eſſet caput ex quo poſſet dici ſupponi concretum conſtitutum per ſenſitiuum,videlicet animal tanquam partem materialem cōtrahibilem per rationale:ergo nullum eſſet caput,ex quo poſſet dici animal eſſe partem materialem, cui rationale adiaceret.Rem intuere in differentiis intellectiui,& volitiui,quarum neutra dicitur conſtituere concretum ſe habens per modum partis materialis,cui tanquam pars formalis altera adiaceat,non enim principium intellectiuum ſubſtantiuè ſumptum ſe habet tanquam materia,cui adiaceat volitiuum adiectiuè ſumptum, quod ex eo eſt quod æquè patet vtraque differentia,& inter ſe nunquam ſeparantur; ſi enim agnoſceremus vnum principium potens intelligere,non potens amare, & alterum potens intelligere, & amare, principium intelligens ſe haberet tanquā genus,& pars materialis,cui adiaceret differētia volitiui.

3 Sentio in prædicto caſu, quo tantùm cognoſceremus indiuidua humana,à quibus poſſet abſtrahi ratio animalis,tunc differentias ſenſitiui,& rationalis futuras eſſe inadæquatas,& vtramque in vnam ſimplicem, & adæquatā eſſe confluxuram,ex vi cuius conſtitueretur ſpecies infima hominis,quæ tunc vltimò conſtitueretur per principium ſentiendi, & ratiocinandi, ſicuti modò conſtituitur principium intelligendi, & amandi; & ſicuti modò vno ſimplici nomine *rationale* ſignificamus differentias inadæquatas intellectiui, & volitiui per modum vnius differentiæ indiuiſibiliter conſtituentis ſpeciem infimam hominis, ſic in illo caſu ex rationali, & ſenſitiuo tanquam ex duplici differentia inadæquata coaleſceret vna ſimplex adæquata differentia conſtituens vnam ſpeciem infimam, cui differentiæ totali aliud tertium nomen impertiretur,quod per modum vnius adiectiuè ſignificaret principium ſenſationum,& ratiocinationum. Moueor ad hanc cōcluſionem, quia nullū aliud eſt caput,ex quo poſſimus cognoſcere differētias adæquatas,& inadæquatas,niſi ex ſeparatione aut inſeparatione operationum,neq; rationem aliquam poteris reddere,propter quàm principium intelligēdi vt diſtinctum à principio volendi, & principium volendi vt diſtinctum à principio intelligendi adiectiuè ſignificata,non ſint duæ differentiæ adæquatè cōſtituentes duplicem ſpeciem, & duplicem ſubſtantiæ gradum inter ſe diſtinctum, ſicuti diſtinguuntur principium ſentiendi, & ratiocinandi,niſi quia intellectiones,& volitiones inter ſe non ſeparantur, & ita in ſententia, quæ aſſerit poſſe dari principium intellectiuum non volitiuum,principium potens intelligere ſuperius eſt principio potente amare, & contrahibile per differentiam volitiui,ſicut animal contrahibile eſt per differentiam rationalis. Eadem ratione principium ſenſationum externarum,& internarum ſimplici differentia ſenſitiui conſtituentis animal ſignificamus, & non conſtituimus ſpeciem quandam viuentis potentis elicere ſenſationes internas & aliam potentis elicere externas, quod fieret ſi cognoſceremus vnū animal, quod tantùm poſſet ſenſationes externas elicere, & aliud,quod poſſet elicere externas,& internas, tunc enim potens externè ſentire eſſet genus contrahibile per principium ſenſationum externarum, ſicuti modò animal eſt contrahibile per principium ratiocinationum: ergo caſu, quo non cognoſceremus adhuc vt poſſibilia alia indiuidua ſenſitiua præter indiuidua humana, nunquam apprehenderemus ſenſationes ſeparabiles à ratiocinationibus, & ſic has,& illas operationes ſimplici differentiæ tribueremus conſtituenti ſpeciem infimam hominis, quæ æquè primò cōſtitueretur in ratione ſpeciei infimæ per principium ſentiendi,& per principiū ratiocinandi,ſicuti modò æquè conſtituitur per principium intelligēdi, & volendi.

4 Ex his inferes tunc prædicatum animalis,quatenus animal dicit principium præcisè potens ſentire, fore prædicatum ſpeciei infimæ inadæquatæ,quod diſtingueretur ab homine,ea ratione, qua modò ab eodem homine diſtinguitur principium præcisè potens intelligere, quia ſicuti nunc homo ſecundùm rationem ſpeciei infimæ dicit principium potens intelligere, & potens amare,tunc diceret principium potens intelligere, potens amare, & potens ſentire,quorum diceretur vna ſimplex differentia conſtitutiua,pro operationibus ſentiendi,intelligendi,& amandi,ſicuti modò datur rationale pro operationibus intelligendi,& amandi.

5 Ex his infero ad hoc vt genus prædicetur vt pars materialis adhuc reſpectu indiuiduorum eiuſdem ſpeciei neceſſariò requirere plures ſpecies,quibus ſit commune,ac proinde non poſſe eſſe prædicatum genericum prædicatum illud, quòd pluribus ſpeciebus commune non eſt,neque poſſe dari genus ſine pluribus ſpeciebus ſaltem poſſibilibus. Hæc concluſio communis eſt inter Authores, quā ſuadet diſcurſus ſuprà factus,& confirmat authoritas

Philoſophi

Digitized by Google

Philoſophi 4. Topicor. cap. 3. vbi hæc habet : *Quoniam omnis generis plures ſpecies, inſpiciendum, ſi non contingit alteram ſpeciem eſſe dicti generis. Nam non ſi eſt manifeſtum, quoniam non erit genus omnino, quod dictum eſt.* Quibus verbis docet expreſsè Philoſophus non poſſe dari genus non reſpiciens plures ſpecies. Accedit diſcurſui ſuprà facto, quod illum rurſus explicabit, genus tantùm dici partem materialem non phyſicam, ſed per analogiam, & ſimilitudinem: ergo ablata ſimilitudine, quam habet ad materiam, aufertur ab illo tota ratio partis materialis. Huc vſq; firmus eſt diſcurſus, pergo vlterius: ſed tota ſimilitudo generis cum materia in eo ſita eſt, quod natura generica ſit contrahibilis per formas, & quod indifferens ſit ad illas: ergo hac ſimilitudine ablata aufertur tota ratio generis. Sed hæc ſimilitudo aufertur ab animali ſi nunquam ſepararetur à rationali, quia tunc non contraheretur per rationale, tanquam quid ſuperius, ſeu indifferens ad hoc vt illi adiungeretur, vel non adiungeretur rationale, illud enim per modum adiacentis alij contemplamur, quod aduenit ſubiecto indifferenti ad illud: ergo auferretur tota ratio ſimilitudinis, quam habet animal in ordine ad rationale cum materia in ordine ad formam: ergo auferretur tota ratio generis.

6 Sentio inſuper genus ex ſe indifferens vt contrahatur à pluribus ſpeciebus, à quibus abſtrahitur, iam ſemel ab his abſtractum, per ordinem ad indiuidua vnius ſpeciei aliis ſecluſis poſſe conſiderari vt genus eſſentialiter, licet non integraliter completum. Ratio eſt, quia animal abſtractum ab homine, & equo prædicatur per modum partis materialis de omnibus indiuiduis omnium ſpecierum: ergo de indiuiduis ſpeciei hominis: ergo in ordine ad indiuidua ſpeciei hominis habet prædicari de pluribus indiuiduis, etſi eiuſdem ſpeciei per modum partis materialis: ergo habet rationem eſſentialem generis, quæ conſiſtit in hoc quod eſt prædicari de pluribus per modum partis materialis: quomodocumque hæc plura ſpecie inter ſe differant, vt probabat ratio dubitandi initio Puncti adducta. Genus in ordine ad hæc indiuidua non habere totam ſuam latitudinem integralem certum eſt, cùm genus ex ſe æquè prædicetur de omnibus indiuiduis omniũ ſpecierum, & de omnibus ſpeciebus. Sententia hæc à nobis tradita poterit explicari dicendo genus ratione vniuerſalitatis contentum eſſe pluribus indiuiduis eiuſdem ſpeciei, ratione verò materiæ à qua illius abſtractio eſt facienda eſſentialiter requirere plures ſpecies, quia ad hoc vt ſit pars materialis reſpectu plurium indiuiduorum eiuſdem ſpeciei, eſſentialiter requirit eſſe abſtractum ab indiuiduis ſpecie differentibus, ſeu à pluribus ſpeciebus.

7 Obiicies: Etiamſi tantùm indiuidua hominis eſſent poſſibilia, homo haberet eandem eſſentiam, ac nunc habet: ſed nunc non pertinet ad illius differentiam conſtitutiuam prædicatum ſenſitiui: ergo neque tunc ad eandem differentiam pertineret. Reſpondeo in vtroque caſu hominem eadem prædicata eſſentialia eſſe habiturum, in vtroque enim caſu eſſet eſſentialiter ſenſitiuus & rationalis, illius tamen prædicata non habitura eandem vniuerſalitatem, quam nunc habent, quia prædicatum animalis, quod modò concipitur commune homini, equo, & leoni, tunc conciperetur proprium hominis, & non communicabile alteri, ex quo fieret tunc dicendum eſſe prædicatum illud pertinens ad ſpeciem ſubalternam animalis, quod extrinſecum eſt homini, & animali ſecundùm ſe ſumptis.

8 Obiicies ſecundò. Poteſt dari materia prima phyſica contrahibilis tantùm per vnam formam ſpecificam, ſeu per formas indiuiduas vnius tantùm ſpeciei: ergo poteſt dari materia metaphyſica tantùm contrahibilis per indiuidua vnius ſpeciei: Reſpondeo dato antecedenti, negando conſequentiam, quia tota ratio materiæ metaphyſicæ in materia generica ſumitur ex ſimilitudine, quam habet cum materia, quam modò agnoſcimus, in hoc, quod eſt eſſe indifferens vt contrahatur per plures differentias, ſicut materia eſt indifferens, vt contrahatur per plures formas, & ita hac ablata ſimilitudine aufertur tota ratio materiæ metaphyſicæ, licèt non auferatur ratio materiæ phyſicæ, ex eo, quod auferatur indifferentia ad plures formas, quia poteſt excogitari alia formalitas, in qua cõſtituatur formalis ratio materiæ phyſicæ. Quod ſi inſtes poſſe reperiri in prædicato metaphyſico aliam ſimilitudinẽ cum materia phyſica, ratione cuius poſſit dici analogicè materia metaphyſica ablata indifferentia ad plures differentias ſpecie diſtinctas, dicam ego hanc rationem materiæ non ſufficere ad rationem generis, quia hæc poſſet reperiri in prædicato potentis intelligere reſpectu differentiæ volitiui, quod non habere rationem materiæ requiſitam ad conſtituendam naturam genericam apud omnes eſt inconcuſſum.

9 Obiicies tertiò: Animal abſtractum ab indiuiduis vnius tantùm ſpeciei prædicatur de illis vt prima pars quidditatis illorum: ergo prædicatur vt materialis: ergo vt genus. Reſpondeo animal ſic abſtractum ab his indiuiduis aliis nunquam cognitis non eſſe primam partem eſſentiæ indiuiduorum, à quibus abſtraheretur, quia tunc principiũ ſenſationis, & principium ratiocinationis eſſent prædicata infima eſſentialiter conſtituentia illa indiuidua, ſicuti modò principium intellectionum, & principium volitionũ ſunt prædicata infima eſſentiæ hominis, quæ ſimplici differentiæ conſtituenti ſpeciem infimam tribuunt.

PVNCTVM IV.

Quomodo prædicetur genus de indiuiduis?

1 Dvplex eſt indiuiduum; quoddam completum, aliud incompletum. Indiuiduum completum eſt illud, quod continet in ſe totam rationem ſpecificam, & rationes omnes per quas poteſt contrahi ratio generica, ſicuti Petrus, & hic homo, in quibus reperitur vltima differentia ſpeciei infimæ contrahens rationes omnes ſuperiores contracta per vltimam indiuidualem differentiam. Indiuiduum incompletum eſt illud, quod non continet totam eſſentiam ſpeciei, ſed tantùm aliquod illius prædicatum præciſum ab alio cum quo componit ſpeciem, & immediatè contractum per differentiam indiuidualem, ſicuti hoc animal, in quo rationale non conſideratur, vt hoc rationale, in quo non inſpicitur animal, licèt enim animal confuſè & implicitè dicat gradum ſpecificum, videlicèt rationale; & hoc rationale eadem cõfuſione inuoluat prædicatum genericum videlicet animal, expreſsè tamen, & diſtinctè hoc animal non dicit rationale, neque hoc rationale dicit animal.

2 Scio negari à Thomiſtis huiuſmodi indiuidua incompleta, quia putant animal tantùm poſſe media ſpecie in indiuidua multiplicari, non immediatè in indiuidua diuiſum. Cæterùm ſi Thomiſtæ loquantur de multiplicatione reali, & à parte rei, animal neque media ſpecie, neque mediis indiuidualibus differentiis multiplicatur, quia in his, quæ realiter ſunt idem, non poteſt realiter mediatum, & immediatum reperiri, ſed per ſe ipſum eſt plura indiuidua per ſe ipſa multiplicata. Si verò ſermo ſit, vt oportet eſſe, de multiplicatione per intellectum nullam rationem poterunt Thomiſtæ reddere, propter quam non poſſit intellectus diuidere immediatè animal in hoc animal, & illud animal non cognita differentia ſpecifica, quare non poſſit intellectus prædicatum animalis cum ſua differentia indiuiduali non præſcindere à rationali: Imò vulgari exemplo animalis à longè viſi, in quo apprehenditur ratio animalis non apprehenſa ratione rationalis, noſtram concluſionem ſuadeo, quia tunc non tantùm apprehendo animal vt ſic, ſed vnum indiuiduum animal, & ex vi illius apprehenſionis poſſum dicere animal viſum eſt vnum numericè, & non poſſum dicere, eſt hinnibile, aut eſt rationale: ergo rectè poteſt per intellectum contrahi ratio animalis ad hoc numero animal differentia ſpecifica non apprehenſa.

3 Affirmo naturam genericam immediatè prædicari de his indiuiduis completis, non tamen formaliter vt genus, ſed vt ſpeciem reſpectu talis indiuidui incompleti. Priorem partem concluſionis probo. In hac prædicatione *hoc animal eſt animal* non mediat ratio ſpecifica inter prædicatum & ſubiectũ, quia hæc non eſt de conceptu prædicati, neque de conceptu ſubiecti, in quo tantùm includitur ratio generica immediatè contracta per differentias indiuiduales: ergo nihil mediat: ergo eſt prædicatio immediata. Poſteriorẽ partem haud difficiliùs probo: in hac prædicatione, *hoc animal eſt animal* prædicatum dicit expreſsè, & diſtinctè quidquid dicit ſubiectum ſecluſa differentia indiuiduali, ergo prædicatum dicit totã eſſentiam ſubiecti;

ergo

Digitized by Google

ſubiecti : ergo non eſt prædicatio generis,in qua prædicatum tantùm dicit;partem materialem eſſentiæ ſubiecti, ſed prædicatio ſpeciei , talis eſſentialiter dicitur ex eo, quod prædicatum dicat totam eſſentiam ſubiecti,ſeu totum quod dicit ſubiectum indiuiduum differentia indiuiduali ſecluſa.Confirmatur,& declaratur eadẽ ratio:ſi hæc prædicatio *hoc animal eſt animal* eſſet incõpleta, quia prædicatum non diceret rationẽ rationalis ſed hæc ratio nõ includitur in ſubiecto vt modò probanimus: ergo ex hoc capite non eſt incõpleta:ergo ex nullo: ergo eſt cõpleta.

4 Obiicies in hac prædicatione *hoc animal eſt animal* includitur confusè & indiſtinctè ratio ſpecifica ex parte ſubiecti.quæ non includitur ex patre prædicati:ergo non eſt prædicatio completa.Reſpondeo concedendo antecedens,& negando conſequentiam, quia ratio prædicationis completæ,& incompletæ, non ſumitur ex rationibus confusè ſignificatis ex parte ſubiecti, aut ex parte prædicati,ſed ex rationibus diſtinctè ſignificatis. Quod ſi attendendum eſſet ad rationes confusè ſignificatas , poſſet dici in hac prædicatione *hoc animal eſt animal*,confusè importari ex parte prædicati prædicatum rationalis eadem ratione qua dicitur importari ex parte ſubiecti.

5 Obiicies:Supremum genus poteſt prædicari immediatè de indiuiduo incompleto,in hac prædicatione *hac ſubſtantia eſt ſubſtantia* , aut in iſta *hoc ens eſt ens*: ergo datur ſpecies abſque genere,quia nulla eſt ratio ſuperior , quæ poſſit eſſe generica reſpectu generis ſupremi. Reſpondeo concedendo conſequentiam , ex vi cuius nullum abſurdum infertur,quia ſpecies tantùm vt ſubiicibilis , & non vt prædicabilis,dicit ordinem ad genus,ſpecies autem illa prædicabilis eſſet,& non ſubiicibilis.

6 Obiicies rurſus : In hac prædicatione *hæc ſubſtantia eſt ſubſtantia* vel *hoc ens eſt ens* , prædicatum eſſe ſupremum genus , & ſubiectum infimum indiuiduum : ergo inter vtrumque debet poni prædicatum medium. Reſpondeo medium poni inter ſupremum,& infimum , in illa ſerie, quæ includit infimum, medium,& ſupremum in ſerie autem , quæ tantùm includit duo extrema infimum, & ſupremum eſſe immediata , huiuſmodique eſſe ſeriem factam ex ente,& hoc ente , ſeu ex ſubſtantia, & hac ſubſtantia,ſi eſt omnium ſupremum genus.

7 Circa indiuidua completa fert communis ſententia de illis immediatè tantùm prædicari, & immediatè tantùm de ſpecie,& ideo animal prædicari de Petro, quia prædicatur de homine.Nonnulli recentes ſententiam hanc ſic impugnant. Species prædicatur immediatè de indiuiduo: ergo genus. Probatur conſequentia , genus continetur in ſpecie:ergo eo ipſo quod ſpecies immediatè prædicetur de indiuiduis, de eiſdem immediatè prædicatur genus. Vrgent: ſpecies prædicatur immediatè de indiuiduis non ſolùm ſecundum differentiam ſed ſecundùm ſe totam,ergo non ſolùm ſpecies hominis prædicatur immediatè de indiuiduis ſecundùm prædicatum rationalis , ſed ſecundùm prædicatum animalis: ergo animal immediatè prædicatur de indiuiduis. Non vrget hæc ratio,quia tantùm probat animal vt incluſum in conceptu hominis, in quo cum rationali confunditur , prædicari immediatè de Petro,non verò vt præciſum à rationali,ſicuti ſignificatur in hac prædicatione *Petrus eſt animal*, de qua eſt quæſtio an ſit prædicatio mediata,vel immediata.

8 Arguunt ſecundò in hac prædicatione *Petrus eſt animal*, inter prædicatum, & ſubiectum non mediat homo quatenus animal , quia ſub hac ratione non diſtinguitur à prædicato,non quatenus rationale , quia Petrus vt rationalis formaliter non eſt animal: ergo nullo modo. Reſponderi poteſt inter ſubiectum,& prædicatum huius prædicationis mediare hominem non ſecundùm præciſum conceptum animalis,neque ſecundùm conceptum præciſum rationalis, ſed ſecundùm ſimplicem conceptum hominis,quo animal rationale confunditur.

9 Inſtant:hæc prædicatio *Petrus eſt animal rationale* eſt immediata : ergo animal immediatè prædicatur de Petro. Reſpondeo animal iam contractum per rationale, in hoc complexo *animal rationale* immediatè prædicari de Petro ratione contractionis,quam habet cum animali, quod nõ eſt abſolutè animal immediatè de Petro prædicari,ſed media cõtractione ad rationale tenẽte ſe ex parte prædicati.

10 Alia me cogit ratio ad firmandum genus immediatè poſſe prædicari de indiuiduis,quam ſic conſtituo. Genus nihil aliud eſt quam aggregatum quoddam indiuiduorũ pertinentium ad diuerſas ſpecies:ergo licèt poſſit immediatè diuidi in plures ſpecies diuiſione quadam habente membra diuidentia vniuerſaliora, poterit etiam immediatè diuidi in indiuidua,ex quibus coaleſcit. Rem explico exemplo vlnæ , quæ conſtat ex ſemi-vlnis, & palmis, quæ poteſt immediatè diuidi in duas ſemi-vlnas,& poſtea quælibet ſemi-vlna in duos palmos,& poteſt etiam immediatè diuidi in quatuor palmos. Sic ergo , etiamſi genus immediatè poſſit diuidi in plures ſpecies , ex vi alius diuiſionis poteſt diuidi in plura indiuidua , & ſicuti ab alio aggregato plurium indiuiduorum poteſt immediatè extrahi ſpecies quædam in hac propoſitione *homo eſt animal*, ad quam contrahatur genus,& in qua extrahantur omnia indiuidua humana; ſic ab illo aggregato poteſt immediatè extrahi vnum indiuiduum, ad quod immediatè contrahatur genus in hac prædicatione *Petrus eſt animal*. Confirmatur : extrahi ab illo toto generico ſpeciem vnam nihil aliud eſt , quàm extrahi hæc omnia indiuidua ſingularia, quibus clauditur talis ſpecies:ergo ſicuti extrahũtur hæc omnia ſimul in prædicatione generis de ſpecie , poterit vnum extrahi in prædicatione ſpeciei de indiuiduo: Vrgeo:hæ prædicationes homo eſt animal , equus eſt animal,leo eſt animal,&c.in omniũ ſententia ſunt immediatæ,etiamſi genus potuit aliis vniuerſalioribus prædicationibus adæquatè diuidi in hominem & brutum:ergo etiamſi animal poſſit diuidi vniuerſalibus prædicationibus in hominem,& equum,&c.ſeu etiamſi poſſit immediatè diuidi in membra diuidentia vniuerſalia, poteſt immediatè in membra diuidentia ſingularia , ſicuti omne totum conſtans pluribus partibus finitis,poteſt primò diuidi in partes diuiſibiles,quæ rurſus vltimò diuidantur,& poteſt primò immediatè diuidi in partes non vltra diuiſibiles,ſeu in prima elementa ex quibus componitur.

11 Eandem concluſione rurſus confirmo. Eadem ratione, quâ prædicatum aliquod abſtrahitur ab inferioribus poteſt de illis prædicari: ſed cognitis indiuiduis diuerſarum ſpecierum,v.g.cognitis his duobus equinis, tribus leoninis,& quatuor humanis poteſt ab illis immediatè abſtrahi ratio animalis: ergo poteſt immediatè de illis prædicari. Maior eſt certa, quia eadem ratione, qua aliquid ab illo abſtrahatur in illo reperitur,& eadẽ ratione, qua aliquid in aliquo reperitur poteſt de illo prædicari.Minorẽ probo:illa indiuidua poſſunt immediatè cognoſci in ordine ad operationes in omnibus ſimiles, ſiquidem in illis omnibus immediatè reperiuntur: ergo poſſet ab illis omnibus immediatè abſtrahi quædã ratio cõmunis generica.

12 Affirmo poſſe prædicari ex aliarum prædicationum genus de indiuiduis media ſpecie, & de ſpecie mediis indiuiduis.Prior pars admittunt ferè omnes, quia poteſt aſſumi vt mediũ ad probandũ Petrũ eſſe animal,quia eſt homo.Poſteriorẽ ex eodem principio ſic probo : animal poteſt immediatè prædicari de Petro,& de Ioanne,&c. ergo poteſt probari hominem eſſe animal, quia indiuidua ſunt animalia,ergo poteſt animal mediis indiuiduis de homine prædicari. Probo priorem conſequentiã : hic diſcurſus eſt legitimus,*Petrus eſt animal,& Ioannes eſt animal*,&c.*Sed Petrus,Ioannes* &c. *eſt homo:ergo homo eſt animal*. Confirmatur:potero ego poſtquã diuiſero animal quod antea erat abſtractum ab indiuiduis genere differentibus,in Ioannẽ, Petrũ,hunc equum,& illum equum &c.rationes animalis repertas in Petro,& Ioanne adunari in hoc vno conceptu hominis,in quo cõfunduntur Petrus,& Ioãnes,ex vi huius prædicationis *homo eſt animal* : ergo poteſt ratio generica vi intellectus mediis indiuiduis ſpeciei attribui: ergo poteſt ratio generica mediis indiuiduis de ſpecie prædicari.

13 Obiicies:Genus definitur in ordine ad ſpecies,& non in ordine ad indiuidua : ergo tantùm dicit immediatum ordinem ad ſpecies. Reſponderi poſſet genus definiri in ordine ad ſpecies,& non in ordine ad indiuidua, quia ex ordine ad ſpecies , in definitione expreſſo infertur ordo immediatus ipſius ad indiuidua,& ideo neceſſum nõ fuit illum exprimere terminorum multiplicatione.Melius tamen exiſtimo reſpõderi genus æquè definiri in ordine ad indiuidua. & in ordine ad ſpecies , quia genus non definitur per hoc quod eſt prædicari de pluribus ſpeciebus, ſed de pluribus differentibus ſpecie, ſiue hæc quæ ſpecie differunt ſint ſpecies,ſiue indiuidua; rectè enim indiuidua equina dicũtur ſpecie differre à ſingularibus leoninis,ſicuti dicũtur ſpecie differre homo,& equus.Abſtrabitur in hac definitione generis *quod prædicatur de pluribus*

Digitized by Google

differentibus ſpecie in eo quod quid ab ſpeciebus, & indiuiduis.& ſenſus illius eſt,quod prædicatur de pluribus differentibus ſecundùm prædicatum ſpecificum, differunt autem ſecundùm prædicatum ſpecificum Petrus, & Brunelus hic equus,ſicut homo,& equus.

14 Obiicies:genus vt genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie: ſed quando animal v.g. prædicatur immediatè de Petro,& Ioanne,non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie: ergo non prædicatur vt genus.Eâdem ratione poſſes inferre,non prædicari vt genus,quando prædicatur de ſpecie hominis, ſeu de homine ſecundùm conceptum communem. Reſpondeo genus non ſolùm eſſe prædicabile de pluribus differentibus ſpecie, ſed etiam de pluribus inter ſe tantùm numero differentibus, & ſpecie ab aliis.Quando autem prædicatur de Petro,& Ioanne,non prædicatur vt actu genus,ſed tanquam natura quæ antecedenter ad prædicationem erat genus formaliter apprehenſa ſimul cum aliis inſtar vnius communis pluribus ſpecie differentibus.

15 Inquiri ſolet an eodem reſpectu, quo genus reſpicit ſpecies,reſpiciat indiuidua in illis contenta,cui quæſtioni reſpondeo eodem reſpectu, quo attingit ſpecies attingere indiuidua cuiuſcumque ſpeciei,vt confuſè,& inſtar vnius ſignificata in ſpecie propria,non tamen indiuidua vt inter ſe diſtincta,quia diuerſus actus eſt, quo comparatur animal ad hominem ſub hoc conceptu confuſo hominis,ab actu quo comparatur ad Petrum,& Ioannem,& reliqua indiuidua vt inter ſe diſtincta.

CONTROVERSIA V.

De ſpecie, & indiuiduo.

TRIPLICITER ſumi ſolet ſpecies:primò impropriè pro quacumque eleganti & pulchra forma,quo ſenſu dicitur præſtantem ſpeciem dignam eſſe imperio. Secundò ſumitur pro ſpecie Logica,quæ eſt correlatiua generi. Tertiò pro ſpecie Logica, quæ ad indiuidua refertur. Has tres acceptiones adducit Porphyrius; qui de ſpecie ſecundo, & tertio modo ſumpta agit capite de ſpecie, cui annectit diſputationem de indiuiduo, quia Indiuiduum correlatiuum eſt generi & ſpeciei. Nos ergo de ſpecie vtroque modo ſumpta,& indiuiduo cum Porphyrio Controuerſiam hanc inſtituimus.

PVNCTVM PRIMVM.

De ſpecie ſubiicibili.

1 SPecies ſubiicibilis definitur à Porphyrio duplici definitione. Vna eſt *quæ ſubiicitur generi*; alia quæ ab aſſignato genere collocatur. Pro explicatione harum definitionum,noto ſpeciem aliam eſſe infimam, ſeu atomam aliam mediam, ſeu ſubalternam. Species infimæ dicuntur homo, & equus,& aliæ huiuſmodi, quæ non in alias naturas, ſed tantùm immediatè in indiuidua poſſunt diuidi. Species ſubalternæ ſeu mediæ ſunt illæ quæ reſpectu inferiorum genera appellantur, reſpectu ſuperiorum ſpecies dicuntur. Adde genus immediatum ſupremum poſſe dici ſpeciem ſupremam, quia ſupremum eſt omnium, quæ ſpecies dici poſſunt in ordine ad aliud prædicatum ſuperius,ſupremum enim genus, quod illo eſt vniuerſalius, in ordine ad nullum prædicatum ſpecies poteſt nuncupari. Ex his, quæ diximus de generibus ſupremo,medio,& infimo omnia videlicet eadem definitione definiri,& tantùm numero differre, idem inferendum eſt de ſpecie ſubiicibili.

2 Primò contra has definitiones ſolet obiici vitioſum circulum in illis committi, quia definitur genus per ſpeciem, & ſpecies per genus, ac proinde idem per idem, quia ſi definitio ſpeciei eſt, *quæ ſubiicitur generi*, & genus definitur, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, idem erit dicere, ſpecies eſt, quæ ſubiicitur generi,ac dicere, ſpecies eſt, quæ ſubiicitur illi, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & per ſpeciem ſpecies definietur. Communis ſolutio eſt genus definiri per ſpeciem, & ſpeciem per genus, nihilominus in definitione ſpeciei non poni genus vt cognitum per ſpeciem, ſed vt cognitum aliunde; ſaltem cognitione confuſa, quæ comparari poteſt ſine ordine ad ſpeciem. Hac ratione circulus non committetur, neque definietur idem per idem,nam ſi definiatur, *ſpecies eſt, quæ ſubiicitur generi*, ſi rurſus petas explicationem huius vocis *generi* poſitæ in definitione, non tibi per ſpeciem,ſed ex alio capite reddetur.

3 Faciliùs res componetur ſi genus definiatur, *quod prædicatur de pluribus per modum partis materialis*, qua poſita definitione abſque timore vitioſi circuli conſtare poterunt definitiones adductæ de ſpecie ſubiicibili. Adhuc tamen ſtando definitioni à Porphyrio traditæ negari poteſt genus definiri per ordinem ad ſpeciem, quia vt dicebam ſuprà, genus non definitur per hoc, quod eſt prædicari de pluribus ſpeciebus, ſed pluribus differentibus ſecundùm prædicatum ſpecificum, quod eſt dicere de pluribus notabiliter differentibus ſiue illa ſpecies ſint,ſiuè indiuidua.

4 Secundò contra has definitiones obiicitur, vtramque competere indiuiduo,de quo genus prædicatur, & quod generi ſubiicitur. Reſpondet Arriaga diſp.7.ſect. 2. indiuiduis non competere ſubiicibilitatem immediatam reſpectu generis, quam importat definitio, neque de illis genus immediatè prædicari, ac proinde ſpeciem tantùm hac definitione comprehendi. Solutio hæc impugnanda eſt ex dictis Controuerſ. 4. vbi probaui æquè immediatè poſſe genus prædicari de indiuiduis,& de ſpecie. Sed eſto indiuidua mediatè tantùm generi ſubiiciantur, differentia hæc ſufficiens non eſt, vt diſtinguat ſpeciem ſubiicibilem ad indiuiduo, quod ſic probo. Hæ prædicationes homo eſt animal, & homo eſt corpus æquè primò pertinent ad primum prædicabile,licèt animal immediatè, & corpus mediatè de homine prædicentur, ſi verum eſt animal mediatè prædicari de indiuiduis: ergo in definitione generis prædicabilitas abſtrahit à potentia prædicandi proximè,vel remotè, quia huiuſmodi differentiæ per accidens ſe habent reſpectu generis,quod tantùm dicit eſſe prædicabile de pluribus per modum partis materialis ſiue prædicatione proxima,ſiue remota.

5 Melius reſpondet Hurtadus diſp. 5. ſect. 1. ſpeciem & indiuiduum in ratione ſubiicibilium tantùm differre accidentaliter, quia vtrique generi tanquam parti materiali ſubiicitur, & hanc differentiam explicandam eſſe per particulam *ſoli* additam in definitione ſpeciei, quæ erit *ſpecies eſt quæ ſubiicitur ſoli generi*. Modus iſte dicendi non tuetur definitionem alteram,videlicet de qua *genus in quid prædicatur*,cui illa particula *ſoli* non debet addi, quapropter melius exiſtimo reſponderi ſubiicibilitatem ſpeciei, & indiuidui non diſtingui ratione termini, quia vtraque reſpicit genus,differre tamen ratione fundamenti, quia ſubiicibilitas indiuidui fundatur in natura phyſicè,& intentionaliter vna & ſubiicibilitas ſpeciei fundatur in natura intentionaliter vna, & multiplici phyſicè, & realiter: ſecundùm hanc doctrinam ſpecies ſubiicibilis definienda eſt *natura in ſe multiplex, & intentionaliter, vna,quæ generi ſubiicitur*. Ex eodem capite ad ſpeciem coarctanda eſt altera definitio *de qua genus in quid prædicatur*, quæ ſic proferenda eſt *natura in ſe multiplex, & intentionaliter vna de qua genus in quid prædicatur*. Neque definitiones iſtæ à Porphyrianis diſcrepant, quia naturam intentionaliter vnam, & phyſicè multiplicem, quam nos in definitionibus expreſſimus, Porphyrius in illo relatiuo inuoluit *de qua genus*, &c. & *quæ ſubiicitur*, &c. neque crimen fuit in Porphyrio illam non explicaſſe,quia Porphyrius non intendebat explicare naturam ſpeciei ſecundùm ſe, ſed ſpeciei vt reſpicientis genus, & ita tantùm curauit de exprimenda differentia, ex vi cuius reſpicit genus ſuppoſita natura ſpeciei aliundè nota, vel cognoſcenda,& ita definiuit, *quæ ſubiicitur generi, ſeu de qua genus prædicatur*, hoc eſt,*ſpecies generi ſubiicibilis, & ſpecies de qua genus prædicari poteſt*.adducta ipſa ſpecie in definitione, ſicuti cum nos intendentes explicare veritatem propoſitionis propoſitionem veram definimus *propoſitio ex vi cuius dicitur res ſicuti eſt*, in qua definitione propoſitio

Digitized by Google

propoſitionem apponimus intendentes veram propoſitionem definiri.

6 Dices nunquam Porphyrium ſpeciem ſecundùm ſe quatenus abſtrahit à multiplici, & prædicabili definiſſe, quod mea parum refert: ſic ergo ſpeciem infimam metaphyſicè ſumptam quatenus abſtrahit à ſubiicibili & prædicabili definio, *natura eſſentialiter completa intentionaliter indiuiſa, & phyſicè diuiſa in plura indiuidua non notabiliter differentia*, Per illam particulam *non notabiliter differentia*, excludo indiuidua ſpecie differentia, quin vtar verbo *ſpecies*, ne nomine definiti vtar in definitione, illa enim indiuidua dicuntur ſpecie differre, quæ ſecundum ſe notabiliter differunt, vt probabo Controuerſ. 1. de anima Punct. 8. Per illam particulam *eſſentialiter completa* excludo ab hac definitione differentiam infimam, quæ tantùm dicit partem eſſentiæ. Species ſecundùm ſe abſtrahens à ſubiicibili, & prædicabili, ſubalterna, & infima cum vniuerſali metaphyſico confunditur, & ideo forſan Porphyrius omiſit definitionem ſpeciei ſecundùm hanc latitudinem, quia ſupponebat definitionem vniuerſalis, videlicet *vnum in multis*.

7 Iuxta actum, quo fit ſpecies ſubiicibilis dicendum eſt fieri per ſimplicem comparationem, qua inſtar vnius comparatur ad genus ſimili ratione, qua diximus genus fieri per ſimplicem comparationem ad inferiora. Difficultas eſt an poſſit fieri per iudicium, ſeu an maneat ſpecies formaliter ſubiicibilis in hac prædicatione *homo eſt animal*. Vnum in hac definitione certum eſt, amiſſa vnitate ſpeciei ſubiicibilis deſtrui ſpeciem, & conſequenter ſpeciem ſubiicibilem, quapropter videndum eſt, an in hac prædicatione *homo eſt animal*, ſpecies maneat vna in ſe continens confusè indiuidua, ita vt abſque vlla diſtinctione inſtar vnius ſimplicis entitatis appareant, quod ſi ita permanſerit manebit ſpecies actu ſubiecta, & ſubiicibilis; ſi autem hanc vnitatem amittit, non manebit ſpecies, ſed tantùm ſubiecta dicetur ratione inferiorum, quæ in ſe continebat vt ſubiicibilis antecedenter ad prædicationem. An verò hanc vnitatem amittat vel non, tractaui Controu. 3. Punct. 8. num. 4. vbi diſputaui an in prædicatione naturæ vniuerſalis de natura vniuerſali maneat vna, & dixi per hanc prædicationem *homo eſt rationalis*, poſſe enunciari prædicatum de indiuiduis ſubiectis, & formaliter huic æquiualere *omnis homo eſt rationalis*, & tunc naturam non manere vniuerſalem neque vnam, & poſſe collectionem rationalium per modum vnius enunciari de collectione hominum, & tunc naturam retinere vnitatem, & vniuerſalitatem. Eadem ratione poſſe collectionem animalium inſtar vnius entitatis indiuiduæ appreheſæ prædicari de collectione hominum apprehenſa inſtar vnius entitatis, & tunc ſpeciem retinere vnitatem, & eſſe ſpeciem ſubiicibilem, & actu ſubiectam, poſſe verò alio actu enunciari de indiuiduis contentis in collectione hominum indiuidua, quæ illis correſpondent in collectione animalium; qua ratione fit in hoc actu *omnis homo eſt animal*, & tunc ſpeciem amittere ſuam vnitatem, & ſubiicibilitatem, quam antea habebat.

8 Inquiri ſolet an eodem actu comparetur ſpecies generi tanquam inferior ſuperiori, quo comparatur genus ſpeciei tãquam ſuperius inferiori, Affirmat Hurtadus diſp. 5. ſect. 1. meliùs tamen negat Arriaga, diſp. 7. ſect. 2. Ratio eſt, quia per actum, quo comparatur natura generica ad ſpecificam, natura generica apprehenditur in recto & ſpecifica in obliquo; per actum verò, quo comparatur natura ſpecifica ad genericam, natura ſpecifica apprehenditur in recto, & generica in obliquo, & formalitates prædicabilis & ſubiicibilis de inferiori diſtinguuntur, ſicuti diſtinguuntur formalitates actiui, & paſſiui, licèt enim per eandem entitatem, ſeu cauſalitatem conſtituatur vnum principium agens, & alterum patiens, hæc entitas ſupponit in principio actiuo virtutem formaliter diſtinctam à principio paſſiuo, & in paſſo virtutem paſſiuam diſtinctam formaliter à principio actiuo, ſimiliter licèt ſit eadem enunciatio, per quam conſtituitur natura ſuperior prædicatum, & inferior ſubiectum, hæc ſupponit in extremis diſtinctas formalitates, ex vi quarum natura ſuperior apta eſt prædicari de inferiori, & inferior apta eſt ſubiici ſuperiori.

9 Inquiri etiam poteſt an prædicatum ſpecificum abſtractum ab vno indiuiduo poſſit dici ſpecies ſubiicibilis. Reſpondeo prædicatum illud eſſe ſubiicibile generi, quia de illo poteſt genus prædicari, propriè tamen non dici ſpeciem ſubiicibilem, quia non dicit vnitatem intentionalem multis communem, poſſe autem dixi ſpeciem negatiuè ea ratione qua dixi Controu. 3. Punct. 7. naturam ſic abſtractam negatiuè poſſe dici vniuerſalem.

Vltimò inquiritur, an ſpecies ſubiicibilis vt ſubiicibilis ſit vniuerſalis. Reſpondeo ſpeciem ſubiicibilem includere pro materiali vnitatem intentionalem, ex vi cuius ea quæ in ſe ſunt plura inſtar vnius apprehenduntur, quæ eſt forma vniuerſalis metaphyſici, pro formali autem non eſſe vniuerſalem, quia reſpectus naturæ vniuerſalis, eſt reſpectus naturæ ſuperioris ad inferiora, reſpectus autem ſpeciei ſubiicibilis eſt reſpectus naturæ inferioris ad ſuperius. Declaratur eadem ratio: ſpecies vt ſubiicibilis eſt reſpicit ſuperius, ſed ad rationem vniuerſalis impertinens eſt reſpectus ad aliud ſuperius: ergo ſpecies ſubiicibilis vt ſubiicibilis includit reſpectum impertinenter ſe habentem ad rationem vniuerſalis: ergo formaliter ex vi illius reſpectus non eſt vniuerſalis. Conſultò non dixi reſpectum ſubiicibilis, & inferioris opponi cum reſpectu prædicabilis, & ſuperioris, quia licèt detur hæc oppoſitio in reſpectibus ad ſubiectum indiuiſibiliter idem, & terminum eundem indiuiſibiliter, non tamen datur reſpectu eiuſdem ſubiecti in ordine ad diuerſos terminos, & eadem ſpecies, quæ habet reſpectum ſubiicibilis, in ordine ad genus, habet reſpectum prædicabilis in ordine ad inferiora. 10

Obiicies: Quodlibet inferius participat rationem ſui ſuperioris: ſed ſpecies ſubiicibilis eſt inferior vniuerſali, & ſpecies illius: ergo participat rationem vniuerſalis, & eſt vniuerſalis. Reſpondeo quodlibet inferius participare rationem ſui ſuperioris, non tamen formaliter, quatenus eſt inferius & ſubiectum ſui ſuperioris, quia hoc quod eſt eſſe inferius ſupponit iam naturam participatam, non enim homo eſt viuens ſenſibile, quia eſt inferior animali, ſed quia eſt viuens ſenſibile denominatur inferior animali, quæ denominatio cadit ſupra naturam ſuperioris iam participatam, ac proinde ex vi illius non habet ſuperioris naturam, ſed iam cum illa præſupponitur præcisè quatenus homo, & non quatenus inferior animali. Sic contingit in ſpecie, quæ intrinſecè participat rationem ſui ſuperioris, & conſtituitur vniuerſalis per ſe ipſam, & poſtea per denominationem illi ſuperadditam extrinſecè denominatur ſubiicibilis, ex vi cuius denominationis non habet vniuerſalitatem, ſeu naturam ſui ſuperioris, ſed iam cum illa præſupponitur præcisè quatenus eſt ſpecies. Ad argumentum in forma reſpondeo diſtinguendo maiorem. Quodlibet inferius participat rationem ſui ſuperioris materialiter ſumptum, concedo: formaliter vt inferius eſt, nego. Deinde conceſſa minori diſtinguo conſequens: ergo ſpecies ſubiicibilis eſt vniuerſalis: materialiter, concedo: formaliter vt ſubiicibilis, nego. 11

Inſtabis: ſpecies ſubiicibilis prædicatur de hac, & illa ſpecie ſubiicibili: ergo ſpecies ſubiicibilis eſt vniuerſalis. Reſpondeo ſpeciem ſubiicibilem formaliter vt ſubiicibilem, ſeu vt reſpicientem genus aliquod ſuperius de nullo prædicari, ſed eſſe ſubiectum, de quo genus ſuperius prædicatur, ſed tantùm ſumptum materialiter, quatenus ſubiacet alij denominationi, ex vi cuius conſideratur in ordine ad inferiora: ipſa enim formalitas ſubiicibilitatis poteſt conſiderari non in ordine ad illud prædicatum ſuperius, cui ſubiicit ſpeciem, ſed in ordine ad aliquas ſpecies indiuiduas, in quibus reperitur in ordine ad quas poteſt denominationem vniuerſalis ſubire. 12

PVNCTVM II.

De ſpecie prædicabili.

Species quæ ſecundum prædicabile conſtituit, formaliter vt prædicabilis à Porphyrio definitur quæ *prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.* Per hanc definitionem differt ſpecies formaliter vt prædicabilis ab ipſa vt ſubiicibili, quia ſubiicibilis, vt ſubiicibilis de nullo prædicatur. Differt à differentia, proprio, & accidenti per hoc quod eſt prædicari *in quid* purè, quia differentia prædicatur in *quale quid*, & proprium, & accidens purè in *quale.* Differt etiam differentia à 1

genere, quia ſpecies prædicatur vt tota eſſentia, & genus, eſt pars, quæ differentia explicatur per hoc quod eſt prædicari tantùm de pluribus differentibus in *quid* purè, cũ quo modo prædicandi non componitur prædicari vt partem formalem, quia hæc prædicatur *in quale quid*, neque vt partem materialem, quia hæc non tantùm prædicatur de pluribus differentibus numero, ſed etiam de pluribus differentibus ſpecie, ex quo neceſſariò infertur prædicari vt totum, quia id quod non prædicatur vt pars formalis, neque vt pars materialis, vt totum prædicari neceſſe eſt, cùm nullus alius ſuperſit prædicandi modus.

2 Dixi differentiam ſpeciei reſpectu generis explicandam eſſe per hoc quod eſt prædicari tantùm de pluribus differentibus numero, licèt verbum *tantùm* in definitione non ſit expreſſum, quod ſubintelligendum eſt, & virtualiter dicitur eo ipſo, quod ſpecies tantùm explicetur per ordinem ad indiuidua, quia ſi de ſpeciebus prædicabilis eſſet, non ſpecialiter in ordine ad indiuidua illi prædicabilitas adſcriberetur, ſed definiretur ſicuti genus definitur in ordine ad plura ſpecie differentia, nulla mentione facta de indiuiduis. Fateor aptiùs & faciliùs ſpeciem eſſe definiendam, *quod prædicatur de pluribus, vt tota illorum eſſentia.*

3 Obiicies: ſpecies non dicit differentias indiuiduales. Sed differentiæ indiuiduales ſunt de eſſentia indiuidui: ergo ſpecies non dicit totam eſſentiam indiuidui. Laborant plurimi, vt defendant differentias indiuiduales non eſſe de eſſentia indiuidui, quod difficile ſanè eſt, quia ſicut per differentiam ſpecificam conſtituitur ſpecies, ſic per differentiam indiuidualem indiuiduum: ergo ſicut differentia ſpecifica eſt eſſentialis ſpeciei, ita differentia indiuidualis indiuiduo. Secundò quia illud eſt de eſſentia cuiuſuis rei per quod res conſtituitur in eſſe talis, ſed indiuiduum conſtituitur in eſſe talis per differentias indiuiduales: ergo differentiæ indiuiduales ſunt de eſſentia indiuidui. Reſpődeo amittendo differentias indiuiduales eſſe de eſſentia indiuidui, & has nő exprimi in prædicato ſpecifico, nego tamen ideo eſſe adæquatã prædicationem ſpeciei, quia licet non dicat eſſentiam indiuidui, dicit totam eſſentiam prædicabilem; quæ tantùm eſt eſſentia Logica, de qua agitur in præſenti, ex eo enim (quidquid ſit de differentiis indiuidualibus) differt ſpecies à genere, quia ſpecies dicit totam eſſentiam prædicabilem, & multis communem, quæ in ſubiecto reperitur, quam non dicit genus, neque vllum aliud prædicabile.

4 Hic inquiritur, an ſpecies prædicabilis requirat plura indiuidua numero diſtincta: quam quæſtionem definiui Controu. 3. Punct. 7. vbi dixi naturam ab vno indiuiduo abſtractam non eſſe vniuerſalem. Veruntamen in hoc loco ſpecialiùs difficultatem hãc exagitant Authores occaſione deſumpta ex quadam Thomiſtarum opinione aſſerente omnes Angelos numero diſtinctos ſpecie eſſe differentes. Pro ſententia aſſerente nullam eſſe ſpeciem cui repugnet indiuiduorum multiplicitas, quam plures Authores, in quibus eſt S. Thomas, quem refert Hurtad. diſp. 5. ſect. 3. ſubſect. 3. veruntamen ab hac quæſtione modò Logicum agens me abſtineo, & diſputationis gratia admiſſis his ſpeciebus, quibus, indiuiduorum multiplicitas repugnet, ad quæſtionem Logicam accedo & diſputo an ſpecies iſtæ vniuerſales eſſent.

5 Caietanus cap. 4. de ente, & eſſentia, & cap. 4. de ſpecie docuit tales ſpecies vniuerſales eſſe. Oppoſitam ſententiam docuit S. Thomas vt bene ſuadet Hurtadus ſuprà & perſuadent teſtimonia adducta à Petro Bergomenſi, verbo *Species* num. 1. eandemque amplectuntur omnes ferè Authores, quibus ſubſcribo. Probari poteſt hæc ſententia iuxta Thomiſtarum principia ex eo, quod conceptus ſpecificus talis naturæ præſcindibilis non eſſet à differentia indiuiduali, quia iuxta Thomiſtarum dogma omnis indiuiduatio diſtincta à principio ſpecifico ſumitur per connotationem ad materiam. Sed huiuſmodi naturæ angelicæ non haberent materiam: ergo in his non poſſet dari indiuiduatio diſtincta à conceptu ſpecifico: ergo conceptus ſpecificus, & indiuiduus eſſet idem formaliter. Sed conceptus indiuiduus non eſſet multis communis: ergo neque ſpecificus. Verumtamen hoc fundamento omiſſo, quia licet ad homines efficax ſit, iuxta communia principia non ita facilè probari poſſet, cùm natura illa haberet prædicatum ſpecificum, quod poſſet ab indiuiduali præſcindi per hoc quod eſt eſſe principium operationũ notabiliter differentium ab operationibus aliarum ſpecierum, quod proprium non eſt naturæ indiuidualis: paucis veram ſententiam efficaciſſimè probo. Vniuerſale eſt vnum aptum eſſe in multis: ſed illa natura non eſſet apta eſſe in multis: ergo non eſſe vniuerſalis: ergo non eſſet ſpecies vniuerſalis. Maior continet definitionem vniuerſalis ab omnibus admiſſam: minor nequit negari, quia ſupponimus naturam non eſſe multiplicabilem in plura indiuidua, ſed vnico contineri: ergo de hoc tantùm poterit prædicari, ſicuti conceptus naturæ diuinæ, ſeu hic conceptus *Deus* vniuerſalis non eſt neque de pluribus prædicari poteſt, quia tantùm poteſt dari vnus Deus. Vtraque conſequutio eſt legitima, prior ex terminorum diſpoſitione, poſterior, quia in illa arguitur negatiuè ex ſuperiori ad inferius.

Reſpondent Thomiſtæ naturam Michaëlis immultiplicabilem in plura indiuidua poſſe apprehendi communem aliis indiuiduis ab intellectu confictis in ordine ad quæ eſſet vniuerſalis. Poſſent eadem ratione dicere Thomiſtæ intellectum fingere alios Deos chymæricos diſtinctos à Deo Optimo Maximo, & reſpectu habito ad Deos factos naturam diuinam eſſe de multis prædicabilem: & ſicuti hoc fundamento abſolutè aſſerunt, naturam Michaëlis in ipſorum ſententia immultiplicabilem in plura indiuidua eſſe vniuerſalem, eodem aſſerere naturam diuinam vniuerſalem eſſe, quod malè audiret apud omnes. Aliter ſolutionem impugno: natura Michaëlis prædicabilis de Michaële vero, & de Michaële ficto, deberet abſtrahi à Michaële vero, & à ficto, quia abſtracta tantùm à Michaele vero de illo tantùm poſſet prædicari, de illis enim indiuiduis prædicatur conceptus abſtractus, à quibus fuit abſtractus, & in quibus reperitur, natura tantùm abſtracta à Petro, de Ioanne non prædicatur, vt ex toto vniuerſalium opere conſtat: ergo in illo conceptu abſtracto non tantùm contineretur verum prædicatum ſpecificum Michaëlis veri, ſed fictum prædicatum ſpecificum Michaëlis ficti: ergo vniuerſale non eſſet tantùm natura Michaëlis veri immultiplicabilis in plura indiuidua, ſed quoddam aggregatum huius naturæ, & aliarum, quas fingeret intellectus: ergo hæc natura vera veri Michaëlis vt diſtincta ab aliis fictis, quatumuis præſcinderetur, nunquam poſſet eſſe ſubiectum adæquatum, cui contingeret vniuerſalitas: ergo non eſſet vniuerſalis. Habemus ergo veram naturam immultiplicabilem in plura indiuidua vt diſtinctam à reliquis nulla mentis præciſione poſſe fieri vniuerſalem, quod in præſenti diſputamus, non enim eſt quæſtio an ex natura vera multiplicabili, & alia natura ficta poſſit fieri vniuerſale fictum ab intellectu; ſed an hęc natura vera immultiplicabilis in indiuidua ſine conſortio aliarum naturarum poſſit puræ præciſionis beneficio ab intellectu vniuerſalis conſtitui. 6

Dices naturam abſtractam tantùm à Michaële vero poſſe prædicari de Michaële ficto, etſi propoſitione non vera. Contra: ſi eſſentia vniuerſalis poſſet conſtare prædicabilitate in ordine ad propoſitiones falſas, nullus conceptus excogitabilis eſt, qui non ſit vniuerſalis, quilibet enim quem tu aſſignes propoſitionibus falſis poteſt de quocumque ente excogitabili prædicari. 7

Obiiciunt Thomiſtæ: ſpecies Angelorum ponuntur in prædicamento: ergo ſunt vniuerſales. Concederem ego gratis conſequens, & ex illo inferrem contra Thomiſtas naturas ſpecificas Angelorum multiplicabiles eſſe in plura indiuidua. Quod ſi dum nobis hoc obiiciunt argumentum, illius ſibi quærant ſolutionem, reſpondeo, poni in prædicamento, quia habent genera ſupremum, intermedia, & infimum vniuerſalia, & ſpeciem infimam prædicabilem de vno, quæ vniuerſalis non eſt, ſicut enim in reliquis prædicamentis ponitur indiuiduum vltimum, quod vniuerſale non eſt, ſic in hac ſententia ponetur ſpecies infima etſi vniuerſalis non ſit. 8

Obiiciunt ſecundò: Natura Gabrielis, & natura Michaëlis differunt ſpecie: ergo habent genus & differentiam: ergo ſunt vniuerſales. Concedo antecedens, & diſtinguo primum conſequens: habent differentiam communem multis indiuiduis, nego conſequentiam: conuenientem tantùm vni indiuiduo, concedo conſequentiam: ergo eſt vniuerſalis, nego conſequentiam. 9 10

Obiiciunt tertio: Intellectus apprehendit res ſpirituales inſtar materialium: ſed naturam ſpecificam materialem apprehendit vt communem multis: ergo & ſpiritualem. Reſpondeo intellectum apprehẽdere res ſpirituales inſtar

Digitized by Google

inſtar materialium ſeruatis ſeruandis, quia non apprehendit in ſpiritualibus prædicata, quæ illi repugnant, non enim ex eo quod inſtar ſubſtantiæ materialis ſpiritualem apprehendam, & materialis ſubſtantia ſit impenetrabilis, apprehendo ego ſubſtantiam ſpiritualem eſſe impenetrabilem, quod ſi id apprehendam per fictionem, impenetrabilitatē impingam ſpirituali ſubſtantiæ, ex vi cuius non negabo ſpeciei immultiplicabili vniuerſalitatem attribui, id enim mihi ſuadent Thomiſtæ huiuſmodi ſpeciem vniuerſalē eſſe eodem iure, quo aſſerere poſſent ecceitatem Petri, ſeu Petreitatem eſſe vniuerſalem, & ſupremum genus in prædicamento ſubſtantiæ. Addo intellectum apprehendere ſubſtantias ſpirituales inſtar materialium in ordine ad hæc accidentia corporea, quæ ſenſibus percipimus, non verò in ordine ad vniuerſalitatem neque alia accidentia, quæ ſenſibus non percipiuntur. Demum etſi intellectus ex eo, quod res ſpirituales inſtar materialium cognoſcat, ſpeciem illam inſtar vniuerſalis apprehenderet, non illam vt vniuerſalem apprehenderet, aliud enim eſt apprehendere Angelum inſtar iuuenis, aliud apprehendere Angelum formaliter vt iuuenem.

11 Obiiciunt quartò: Species illa abſtracta à differentia indiuiduali non eſt ſingularis: ergo vniuerſalis. Reſpondeo ſpeciē illā ex parte obiecti indiuiduam eſſe, & ex parte actus neque apprehendi poſitiuè vt vniuerſalem, neque vt ſingularem, ſed poſſe dici ſingularē negatiuè. Vide quæ dixi Cont. 3. Punct. 7. de natura abſtracta ab vno indiuiduo quæ eodē modo de hac ſubſtantia ſunt intelligēda.

12 Inquiri etiam ſolet, an tota ratio ſpecifica reperiatur in ſingulis indiuiduis naturæ multiplicabilis in plura indiuidua. Diximus naturam vniuerſalem dicere aggregatum omnium indiuiduorum iuxta ſententiam non præſcindentium ex parte actus, & iuxta præſcindentium in aggregato rationum abſtractarum. Ex quo manifeſtè infertur omnem ſpeciem non poſſe eſſe in ſingulari indiuiduo, cùm in illo non ſint reliqua indiuidua ab ipſo diſtincta, neque rationes non ab ipſo, ſed ab aliis abſtractas. Dicendum ergo eſt in quolibet indiuiduo non requiri totam ſpeciem extenſiuè, dici autem ſolet intenſiuè reperiri in vnoquoque omnem perfectionem eſſentialem, quia perfectiones eſſentiales omnium indiuiduorum numero tantùm, & non in aliquo prædicato eſſentiali vniuſcuiuſque indiuidui perfectionem vincunt.

Pvnctvm III.

De indiuiduo primò intentionaliter ſumpto.

1 INdiuiduum finitum fuit à Porphyrio cap. de ſpecie, *cuius collectio proprietatum, quæ in vno ſunt, in alio reperiri nequeunt.* Harū proprietatū collectio his verſiculis cōtinetur:

Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus,
Vnum perpetuā reddere lege ſolent.

Hæ proprietates indiuiduo extrinſecæ ſunt, & ita definitio per illas exhibita tantū eſt deſcriptiua data per ſigna, quæ arguunt differentiam indiuidualem, ex vi cuius indiuiduum conſtituitur, non per aliquid, quod formaliter indiuiduum conſtituat. Neque hæc definitio comprehendit omnia indiuidua, ſed tantùm humana, quibus ſolùm competunt aliquæ ex proprietatibus in definitione adductis, quia bruta non dicuntur habere patriam, & communiter nomina non habent, & indiuidua non ſenſitiua rarò patria, aut nomine donantur. Melius indiuiduum definiuit Angelicus Doctor 1. part. quæſt. 29. art. 4. *indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio,* id eſt, cui repugnat multiplicari in plura, quæ ſunt idem cum ipſo. Ex hoc deprehendes differentiam inter indiuiſum modo dicto, indiuiſibile, & diuiſibile: diuiſibile dicitur, quod habet partes, in quas poteſt ſecari, indiuiſibile eſt, quod his partibus non componitur, ſed ſimplicem dicit entitatem, indiuiſum, in ſe, & diuiſū à quolibet alio, ſeu indiuiduum eſt, quod nequit diuidi in ea, quæ inter ſe ſunt diſtincta ſecundùm naturam, quorum quodlibet ſecundùm eandem naturam, adæquatè cum diuiſo identificetur. Inferes ſimiliter indiuiduum eſſe idem, ac vnum numericè, & differentiam indiuidualem importare formaliter vnitatem indiuidualem omne ens tranſcendentem. Multa habes Controu. 3. Met. Punct. 3. vbi definio an importet aliquid poſitiuum, vel negatiuum, quomodo diſtinguatur à reliquis gradibus, quam indiſtinctionem importet, & omnia tracto, quæ deſiderari poſſunt ad perfectam cognitionem differentiæ indiuidualis, & indiuidui, & ex vi illius conſtituti.

Vna tantùm ſupereſt quæſtio ad Logicum ſpectans, quam hic definiam. An videlicet ab omnibus indiuiduis primò intentionaliter ſumptis, ſeu ſecundum id, quod intrinſecè important poſſit abſtrahi communis aliqua ratio. Negant P. Fonſeca 5. Metaph. cap. 6. quæſt. 5. ſect. 4. P. Toletus cap. de ſpecie Sotus & alij ex antiquis ibid. Affirmatiuam partem tuentur S. Thom. 1. part. quæſt. 30. art. 4. Scotus in 1. diſtinct. 23. quæſt. vnica Hurtad. diſp. 5. ſect. 7. Arriaga diſp. 7. ſect. 2. Merinero cap. 3. de ſpecie diſp. 2. quæſt. 1. 2

Sciendum eſt quæſtionem non eſſe an à Petro & Ioanne, qui ſunt indiuidua naturæ humanæ, poſſit abſtrahi aliqua ratio eſſentialis, ſeu ſpecifica, in qua conueniant, certum enim eſt ab vtroque abſtrahi rationem hominis, ſed an ab indiuiduis quatenus formaliter ſunt indiuidua poſſit abſtrahi aliqua ratio, quæ illis competat, ratione differentiæ indiuidualis, quod eſt inquirere, an à differentia indiuiduali Petri, & à differentia indiuiduali Ioannis poſſit abſtrahi aliqua communis ratio, ſicuti cùm inquiritur, an ab albedine, & nigredine ratio communis, idem eſt ac inquirere, an albedine, & nigredine communis ratio poſſit abſtrahi. In hunc ſenſum quæſtionem definiuit ſubtilis Doctor loco ſuprà citato his verbis: *Poteſt dici, quod ab indiuiduis poteſt abſtrahi ſpecies, quæ dicit quidditatem indiuiduorum, ſed etiam aliquid quaſi proprium.* 3

Inſuper in memoriam ſunt reuocandæ duæ opiniones, quædam præſcindens tantùm ex parte actus præciſè per confuſionem plurium ſingularium, abſque eo quod intellectus ex vi præciſionis partiatur duas formalitates, quandam quam attingit, & aliam quam omittit. Alia eſt opinio præſcindens ex parte obiecti, iuxta quam præciſio non conſiſtit tantùm in confuſione ſingularium, à quibus præſcindi dicitur ratio aliqua communis, ſed neceſſariò debet attingere vnam formalitatem, & aliam omittere vtramque contentam in illo inferiori, à quo dicitur abſtrahi rationē communē ſeparando illam ab alia formalitate, quæ in inferiori continetur, & ex vi præciſiuæ cognitionis non attingitur. Rem explico in opinione præſcindente ex parte actus, ad hoc vt præſcindatur ab homine, & equo ratio communis tantùm requiritur ſpecies hominis: & equi inter ſe confundi cognitione reſpondente huic voci *animal.* & ita iuxta hanc ſententiam tantùm eſt neceſſarium aſſignari vnam rationem abſtractam, & inferiora, à quibus abſtrahitur ex parte obiecti, neque inadæquatè diſtincta, ſi omnia ſimul ſumantur, à ratione, quæ abſtracta concipitur. In opinione autem præſcindente ex parte obiecti debent aſſignari inferiora, à quibus abſtrahitur ratio abſtracta ex parte obiecti inadæquatè diſtincta ab inferioribus, ratio alia quæ in inferioribus includitur, & ab illis inadæquatè diſtincta, quæ per cognitionem præciſiuam non attingitur, exempli gratia abſtrahitur ratio animalis ab homine, & equo, in qua abſtractione inferiora intercedere neceſſe eſt tanquam materiā, à qua abſtrahitur, vel potiùs extrahitur ratio animalis inadæquatè diſtincta ab inferioribus, inferiora enim formaliter ſunt animal rationale, & animal hinnibile, & ratio abſtracta tantùm eſt animal, dantur item differētiæ inadæquatè diſtinctæ ab inferioribus in quibus includuntur, quia inferiora ſunt animal rationale, & animal hinnibile, & differētiæ tantùm ſunt rationale, & hinnibile, quæ differentiæ ſunt formaliter condiſtinctæ à ratione abſtracta, & ex vi cognitionis præſcindentis non attinguntur. 4

Ex hoc fit omnia inferiora, à quibus ratio aliqua communis abſtrahitur debere eſſe reſolubilia in duas formalitates ex parte obiecti per intellectum formaliter diſtinctas, quarum altera cōmunis ſit omnibus inferioribus, & cognitione præſcindente attingatur, & altera ſit propria cuilibet inferiori, & in quocumque illorum diſtincta, quæ non attingatur per cognitionem præſcindentem. Ob has formalitates, in quibus homo, & equus poſſunt reſolui, ab illis opinio ex parte obiecti præſcindēs rationem cōmunem abſtrahit, homo enim reſoluitur in animal rationale, equus in animal hinnibile, & cognitio præſcindens rationē cōmunem homini, & equo, in homine attingit animal & omittit rationale, & in equo attingit animal, & omittit hinnibile, quod eſt præſcindere, ſeu ſeparare animal à differen- 5

differentiis, quibus erat vnitum, & illud abſtrahere, ſeu propriùs extrahere ab homine, & equo, in quibus erat quaſi contentum tanquam pars in toto.

5 Ex his infero in opinione Thomiſtarum præſcindentium ex parte obiecti non poſſe dari rationem communem omnibus differentiis. Hæc concluſio eſt contra Hurtadum ſuprà §. 67. qui aſſerit in omnium opinione dandam eſſe rationem communem indiuiduis; illam verò ex dictis efficaciter probo: differentia indiuidualis reſolubilis non eſt in duos conceptus, quorum quilibet inadæquatè diſtinguatur à differentia, & ſecundum ſe totum ſit ab altero condiſtinctus, ergo non eſt indifferens aliqua formalitas, quæ attingatur cognitione præſcindente, & altera, quæ omittatur, ſicut eſt in homine formalitas animalis, quá attingit cognitio præſcindens ab homine, & equo & formalitas rationalis, quem omittit: ergo non poteſt à differentiis indiuidualibus abſtrahi communis ratio. Antecedens eſt certum, quia ſi in Petreitate aſſignes duos conceptus formaliter inter ſe condiſtinctos, vnus ex vi cuius Petreitas conueniat cum Ioanneitate, & alter quo differant, differentia indiuidualis adæquatè conſtituetur in illo vltimo conceptu, ex vi cuius differunt, & primus, in quo conueniunt ad differentiam indiuidualem non pertinebit, quia differentia indiuidualis eſt illud ex vi cuius hoc indiuiduum vltimum differt à quocumque alio. Quod ſi rurſus vllum vltimum conceptum velis partiri ex parte obiecti, in infinitum procedes, & ego ſemper differentiā indiuidualem conſtituam in conceptu vltimo, vel nunquam fatear inuentum eſſe conceptum indiuidualis differentiæ, quovſque ad aliquem ſit peruentum, qui nihil in ſe conuenientiæ cum alio includat. Idem quod dixi de differentiis indiuidualibus intellige de quibuſcumque differentiis ſpecificis inter ſe oppoſitis, rationale enim, & hinnibile ſecundùm ſe ſunt conceptus, ex vi quorū vltimò differunt homo, & equus, qui nihil ſe conuenientiæ habent admixtum, neque rurſus in duas alias formalitates ſunt partibiles.

6 Ex hoc infero ab indiuiduis formaliter ſumptis vt indiuidua ſunt ſecundùm opinionem Thomiſtarum non poſſe abſtrahi rationem communem. Ratio eſt manifeſta: rationem communem abſtrahi ab indiuiduis formaliter vt indiuiduis, dicit abſtrahi hanc rationem ab indiuiduationibus, ita vt ratio abſtracta exeat, ſeu extrahatur non quomodocumque a toto conſtituto ex indiuiduatione, & ſubiecto, cui hæc contingit, ſed formaliter ab ipſa indiuiduatione, & materialiter tantum à ſubiecto, cui contingit indiuiduatio, ſicuti abſtrahi ab albo, & nigro formaliter ſumptis, rationem communem dicit hanc rationem abſtrahi formaliter ab albedine, & nigredine: ſed ab indiuiduationibus formaliter ſumptis non poteſt abſtrahi ratio communis, vt iam probauimus: ergo neque ab ipſis indiuiduis formaliter ſumptis vt indiuidua ſunt.

7 Dices ſequi ex his ab homine formaliter vt homine, & ab equo formaliter vt equo non poſſe abſtrahi rationem cōmunem, quia ſicut indiuiduum vt indiuiduum dicit formaliter differentiam indiuidualem, à qua non poteſt abſtrahi communis ratio, ita homo formaliter vt homo dicit differentiam ſpecificam, à qua nequit abſtrahi ratio communis: ergo ſicuti dicimus non poſſe abſtrahi rationem communem ab indiuiduo formaliter, vt indiuiduo, quia non poteſt abſtrahi ratio communis ab indiuiduatione, per quam conſtituitur in eſſe indiuidui, ſic dicemus non poſſe abſtrahi rationem communem ab homine formaliter vt homine, quia non poteſt abſtrahi à rationali, per quod conſtituitur in eſſe hominis. Probat ratio ab homine formaliter vt rationali, & equo formaliter vt hinnibili non poſſe abſtrahi rationem communem, quia hæc non poteſt abſtrahi à rationali, & hinnibili ſecundùm ſe ſumptis, dicitur tamen abſtrahi ab homine vt homo eſt, quia homo vt homo non tantùm dicit conceptum rationalis, ſed conceptum animalis, qui extrahitur ab homine per cognitionem ex vi cuius attingitur animal, rationali non attacto. Inſtabis, homo vt homo non tantùm dicit pro formali conceptum rationalis ſed conceptum animalis, & quia ab hoc toto *animal rationale* extrahatur animal, dicitur abſtrahi rationem communem ab homine vt homine: ergo indiuiduum vt indiuiduum non tantùm dicit pro formali differentiam indiuidualē, ſed naturam, & quia ab hoc toto *natura indiuidua* extrahitur conceptus naturæ, dicetur abſtrahi rationem communem ab indiuiduo vt indiuiduo. Reſpondeo quæſtionem hanc iam eſſe de nomine, an videlicet ſicut ratio animalis abſtracta ab homine, & equo dicitur abſtracta ab homine vt homine, & ab equo vt equo, poſſit ratio hominis abſtracta ab hoc indiuiduo humano, & illo indiuiduo equino poſſit dici abſtracta ab indiuiduis vt indiuiduis, & præter hoc quod eſt eſſe de nomine, non attinet ad noſtram quæſtionem, quæ inquirit, an præter rationem hominis, quæ abſtrahitur à Petro, & Ioanne, ſiue dicatur abſtrahi ab ipſis indiuiduis, ſiue non poſſit abſtrahi communis alia ratio indiuidui, cuius formalitas extrahatur, & exeat tanquam pars à toto à formalitate huius indiuiduationis, quod nec probat, neque intendit probare obiectio adducta. Addo dici hominem includere pro formali non ſolùm conceptum rationalis, ſed etiam conceptum animalis, quia rationale tantùm adiunctum animali, & non aliis prædicatis conſtituet hominem, vnde ſi per impoſſibile rationale coniungeretur cum viuenti non ſenſibile non faceret hominem, indiuiduatio autem quicumque naturæ adiungatur faceret indiuiduum, & ita indiuiduum tantùm dicitur pro materiali naturam includere, & pro formali indiuiduationem, ſicuti album dicitur pro materiali includere ſubiectum, quia cuiuſcumque naturæ ſit, dum illi adiungatur albedo fiet album, albedo enim contingens parieti conſtituit album, & ſic cum omnibus aliis ſubiectis. Ob hanc rationem poteſt dici rationem communem hominis abſtrahi à Petro, vt Petro, & Ioanne vt Ioanne, quia hoc indiuiduum ſignificatum nomine Petrus pro formali, ſignificat naturam rationalem, cui contingit indiuiduatio, ſicut homo dicit pro formali rationem animalis, cui coniungitur differentia rationalis.

8 In ſententia non præſcindente ex parte obiecti, ſed tantùm ex parte actus ſentio poſſe præſcindi rationem communem indiuiduationibus formaliter ſumptis, & ipſis indiuiduis vt indiuiduis formaliter ſumptis. Ratio eſt, quia poſſunt confusè omnia cognoſci inſtar vnius per conceptum reſpondentem huic voci indiuiduum, cuius obiectū non erit ratio aliqua ex parte obiecti præciſa, ſed aggregatum quoddam omnium indiuiduorum, & indiuiduationum, quod per diſtributionem accommodam erit prædicabile de hac indiuiduatione, & illa indiuiduatione, de hoc indiuiduo, & illo indiuiduo. Confirmatur ſicut Petrus eſt indiuiſus in ſe, & diuiſus à quolibet alio: ergo habent in hoc ſimilitudinem, ex vi cuius poſſunt concipi per conceptū repræſentantē indiuiſum à ſe & diuiſū ab alio confundendi in illo *à ſe, & , ab alio* ſubiecta inter ſe diſtincta, eodem nomine ſignificata.

9 Obiicies, hoc indiuiduum, v.g. Petrus dicit eſſe indiſtinctum à Petro, & diſtinctum a non Petro: ſed in hoc conceptu nihil eſt commune alij indiuiduo, quodcumque enim aliud quod tu aſſignes non habebit eſſe indiſtinctum à Petro, quia diſtinguetur à Petro, neque eſſe diſtinctum à non Petro, quia non erit diſtinctus à ſe, qui erit non Petrus: ergo ab hoc indiuiduo non poteſt abſtrahi ratio communis. Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens; ab hoc indiuiduo tantùm non poteſt abſtrahi ratio communis, concedo conſequentiam; ab hoc indiuiduo & ab aliis, nego conſequentiam; quia licet nihil ſit in aliquo indiuiduo, quod ſit commune multis, ſed quidquid vnicuique conuenit, illius proprium eſt, totum illud quod ſit ex pluribus indiuiduis per cognitionem illa confundentem, & repræſentatem per modum vnius, quæ dicitur abſtrahens rationem communem ab illis, eſt commune pluribus ratione diuerſarum partium, quas in ſe continet, quatenus includit hoc indiuiduum *Petrus*, eſt commune Petro, & quatenus continet hoc indiuiduum, *Ioannes*, eſt commune Ioanni, & ſic de reliquis per accommodam diſtributionem.

10 Obiicies ſecundò. Idem non poteſt eſſe ratio conueniendi, & diſconueniendi. Sed differentia indiuidualis Petri eſt ratio diſconueniendi inter Petrum & Ioannem: ergo non poteſt eſſe ratio conueniendi. Reſpondeo rationem diſconueniendi, quam habet Petrus reſpectu Ioannis eſſe differentiam indiuidualem ipſius Petri diſtinctè cognitam, quæ tantùm illi conuenit, & rationem conueniendi eſſe differentiam indiuidualem ipſius Petri, & differentiam indiuidualem Ioannis cognitas confusà inſtar vnius obiecti, quod commune eſt Petro, & Ioanni iuxta diſtributionem accommodam, vnde nunquam idem adæquatè ſumptum, neque eodem modo cognitum eſt ratio conue

Digitized by Google

conueniendi & diſconueniendi. Ad argumentum in forma diſtinguenda eſt maior: idem eodem modo cognitum non poteſt eſſe ratio conueniendi, & diſconueniendi, cõcedo maiorem: diuerſo modo cognitum, ſubdiſtinguo; idem adæquatè, concedo; idem inadæquatè, nego. Deinde diſtinguo minorem. Differentia indiuidualis Petri eſt ratio formalis diſconueniendi in Petro: per ſe ſolam & diſtinctè cognitam, concedo; ſimul cum aliis confusè cognitis, nego. Rurſus eodem modo diſtinguo conſequens: ergo non poteſt eſſe ratio diſconueniendi: per ſe ſolam diſtinctè cognitã, nego: ſimul cũ aliis confusè cognita cõſtituendo aggregatũ, in quo includũtur plures differentiæ indiuiduales inſtar vnius obiecti repræſentatæ, concedo.

11 Obiicies, ſi ab vltimis differentiis poteſt abſtrahi ratio communis, hæc ratio abſtracta poteſt iterum contrahi per differentias, & ab his rurſus poterit abſtrahi communis ratio: ergo poterit in infinitum procedi. Poſſes eodem modo obiicere: ſi ab homine, & equo abſtrahitur ratio animalis, rurſus hæc ratio poterit iterum contrahi ad hominem, & equum, & iterum abſtrahi ab homine, & equo, & ſic in infinitum dandas eſſe abſtractiones. Reſpondeo abſtractiones, & contractiones non fieri per nouas formalitates, quæ in ſingulis abſtractionibus reperiantur, ſed per repetitionem eorundem conceptuum, ſi enim ab hoc, & illo indiuiduo abſtrahas rationem communem, cùm illam contrahas, repetes eoſdem conceptus, quos ante abſtractionem de indiuiduis diſtinctè cognitis habueras, & ſi iterum ab indiuiduis, ad quæ fuit contracta communis ratio, velis abſtrahere, repetes eundem conceptum, quem antea elicueras, & de eodem obiecto eandem rationem per abſtractionem omnino ſimilem priori, & conceptum formalem tantùm numero diſtinctum abſtrahes, & ſi hac ratione in infinitum procedas, in infinitum eoſdem conceptus repetes, in quo præter tui capitis defatigationem nullum inconueniens reperio: tibi conſule.

12 Obiicies vltimò contra vtramque concluſionem, quibus diximus non poſſe abſtrahi rationem communem ab indiuiduis in opinione præſcindente ex parte obiecti, benè tamen in præſcindente ex parte actus. Idem fundamentum, quod ſufficit ad præſcindendum formaliter vnum ab alio, ſufficit ad præſcindendum obiectiuè admiſſa poſſibilitate præciſionum obiectiuarum, quia hoc fundamentũ in vtraque ſententia eſt obiectorum ſimilitudo: ergo in vtraque ſententia, aut in neutra admittenda eſt ratio cõmunis indiuiduis. Reſpondeo à me probatum fuiſſe poſſe abſtrahi rationem communẽ ab indiuiduis iuxta propriã ſententiam tantũ formaliter præſcindentem, contra quam concluſionem præcisè ſumptam non procedit prædicta obiectio. Item probaui iuxta præſcindentem obiectiuè non poſſe dari rationem communem indiuiduis, quod ſi ex alio capite probetur dandam eſſe ſemel admiſſis his obiectiuis præciſionibus duplex contradictorium inferretur, non præcisè ex concluſione à me tradita, ſed ex eo quod hæ præciſiones obiectiuæ admittantur, quod potero libens admittere, quia ego nunquam has obiectiuas præciſiones poſſibiles eſſe admitto, ſed repugnantes, ac proinde quo plura abſurda ex illis inferantur, mea magis ſententia corroborabitur. Secundò reſponderi poterit ad præciſiones obiectiuas requiri inferius à quo extrahitur ratio cõmunis omiſſa differentiali, adhuc expreſsè cognitũ cognoſci in ordine ad duo connotara diſtincta, quorũ vnum fundet ſimilitudinem, ſeu ſit fundamentum ad cognoſcendam rationem communem, & aliud fundet diſſimilitudinem, ſeu ſit fundamentum ad cognoſcendam rationem communem, in qua differunt. Exempli gratia, homo, qui reſoluitur in duos conceptus, vnum in quo conuenit cum equo, dicit ordinem ad ſenſationes, in ordine ad quas cognoſcitur ratio conueniendi cum equo, & ad ratiocinationes, in ordine ad quas cognoſcitur ratio diſconueniendi ab equo, videlicet rationale. Similiter albedo reſoluitur in conceptum genericum in quo conuenit cum nigredine, dicit ordinem ad eandem potentiam, ad quam ſimilem ordine dicit nigredo, in ordine ad quã potentiam cognoſcitur prædicatum genericum coloris, & dicit ordinem ad ſpeciales actus diſtinctos a potentia, quos non terminat nigredo in ordine ad quos cognoſcitur prædicatum differentiale. In hoc autem indiuiduo Petro, qui tantùm dicit indiſtinctionem in ſe, & diſtinctionem à quolibet alio, non reperitur ordo realis ad vnũ connotatum in ordine ad quod cognoſcatur ratio aliqua conueniendi, & aliud diſtinctũ in ordine ad quod cognoſcatur ratio diſconueniendi, & ideo non poteſt ab illo obiectiua ratio præſcindi, licet poſſit ex parte actus præſcindendi ab ipſo, & ab alio inter ſe diſtinctis ex eo præcisè quod intellectus illa cognoſcat ſine connotatis, ex vi quorũ apprehenditur expreſsè realis diſtinctio inter alia indiuidua, à quibus ratio communis abſtrahi dicitur.

Pvnctvm IV.

De indiuiduo prædicabili.

Indiuiduum ſecundò intentionaliter ſumptum definiuit Porphyrius, *quod de vno tantum prædicatur.* Alio modo *Quod ſubiicitur ſpeciei.* Poſterior definitio explicanda eſt ex dictis Punct. 2. vbi explicui, quomodo indiuiduum ſubiiciatur non ſolùm ſpeciei, ſed etiam generi; ſpeciei tanquam toti eſſentiæ, generi tanquam parti materiali. 1

2 Circa priorem definitionem docuit noſter Toletus indiuiduum tantùm prædicari de ſe ipſo prædicatione identica, quem impugnant ferè omnes recentes, qui aſſerunt indiuiduum multis prædicationibus formalibus de ipſo prædicari, quia prædicatio identica non eſt illa, in qua prædicatum idẽtificatur cum ſubiecto, ſic enim omnis vera prædicatio eſſet identica, ſed in qua prædicatum, & ſubiectum omnino eodem modo ſignificantur. Cùm verò indiuiduum poſſit ſignificari per diuerſos formales conceptus, poteſt ex vi vnius poni ex parte prædicati, & ex vi aliûs; quo diuerſo modo ſignificetur poni ex parte ſubiecti, quod fit in his prædicationibus *hic homo eſt Petrus; hoc indiuiduum eſt Petrus; hoc animal rationale eſt Petrus,* quæ ſunt omnes prædicationes formales, in quibus Petrus de ſe ipſo prædicatur.

3 Cæterùm aliud eſt prædicationẽ eſſe formalem, aliud prædicatum de ſubiecto formaliter verificari, quod explicui Controu. 3. Punct. 9. vbi dixi ad propoſitionem formalem ſufficere prædicatum non omnino eodem modo ſignificari, quo ſignificatur ſubiectum, ad veritatem autem in ſenſu formali, & non in ſenſu identico requiri aliquẽ ordinem inter ſubiectum, & prædicatum, ſicuti ſuperioris ad inferius, aut accidentis ad ſubiectum, qua ratione dixi plures prædicationes formales tantùm eſſe veras ſenſu identico. Hac ratione exiſtimo contingere in prædicationibus ſupra adductis, & in aliis ſimilibus, in quibus hoc indiuiduũ, v.g. Petrus, vel Ioannes eſt illarum prædicatũ, in quo ſenſu explico Cardinalẽ Toletum, & illi aſſentior.

Pvnctvm V.

De indiuiduo vago.

Indiuiduum vagum opponitur certo, & determinato, quod definiri poteſt *certa res determinata, & ſingularis, quæ nequit demonſtrari proprio nomine, vel termino diſtincto ex vi cognitionis.* Dixi *ex vi cognitionis*, quia quodlibet indiuiduũ exiſtens habet ſuum eſſe determinatum, & demonſtrari poteſt à cognoſcente rem clarè, & perfectè. Dicitur autem vagum in ordine ad intellectum, qui non poteſt illud ex vi cognitionis determinatè aſſignare, vt cùm dicimus, *aliquis homo currit*, licèt Deus dicere poſſit, quis ſit, qui currit, & in re vnus ſit determinatus, ex vi tamen cognitionis reſpondentis his vocibus *aliquis homo currit*, quam elicit homo, non poterit idem homo alia cognitione non ſuperueniente aſſignare Petrum currentem. 1

2 Hanc diſiunctionem in indiuiduo vago repertam docet Arriaga diſp. 7. ſect. 4. ſubſect. 4. oriri aliquando ex imperfectione cognitionis, vt cùm audio hominẽ loquentẽ & non diſtinguo hominem loquentem à reliquis ab ipſo diſtinctis, neque percipio, quis ſit, qui loquatur, & ob hanc cauſam dicere non poſſum, hic homo loquitur, ſed hic vel ille loquitur; quod eſt idem ac dicere aliquis homo loquitur. Docet inſuper aliquando huiuſmodi diſiunctionem oriri ex eo, quod obiecta indeterminatè ad aliquam rem requirantur, vt requiritur Miſſæ auditio ad nõ peccandum, nõ enim hæc auditio præ aliis requiritur, ſed ſub diſiunctione hac vel illa. Meliùs docet Hurtad. diſp. 7. ſect. 9. huiuſmodi diſiunctionem ſemper oriri ex imperfectione cognitionis, vt plurimũ enim cùm aliquid diſiunctiuè

ctiuè requiritur ad effectum, eſt quia effectus diſiunctiuè ponitur, vt cùm dicimus hic vel ille equus requiritur ad equitandum, eſt, quia illud ad *equitandum*, non dicit hanc equitationem in particulari, ad hanc enim hic equus requiritur, & ad illam equus ille neceſſarius eſt.

3 Hanc rationem vidit Arriaga, & reſpondet, ideo ipſum in re ſingulari exemplum apponere, v.g. in auditione Miſſæ requiſita ad non peccandum, ſeu ad negationem peccati, quod eſt effectus determinatus, & non requirit determinatam Miſſæ auditionem, ſed hanc vel illam. Reſpondeo ſufficere quamlibet auditionem Miſſę ad non peccandum in re eſſe idem, ac opponi cum peccato omiſſionis circa præceptum audiendi Miſſam, hanc Miſſæ auditionem, & illam miſſæ auditionem, & ſic quamcumque aliam ſingularem, ſeu peccatum omiſſionis includere negationes omnium auditionum Miſſarum, ita vt destructa quacumque negatione auditionis Miſſę per auditionem illi oppoſitam tanquam habitum priuationis deſtruatur peccatum. In quo nihil vagum reperitur, licet vagè à nobis ſignificetur, id enim quod nos ſignificamus per hanc diſiunctionem, aliqua auditio Miſſæ requiritur ad non tranſgrediendum pręceptum, in re eſt tranſgreſſionem præcepti includere negationes omnium auditionum Miſſarum, & quamcumque auditionem Miſſæ opponi cum ſua negatione, & conſequenter cum aggregato negationum, in quo conſiſtit tranſgreſſio præcepti, quod in ſe includebat negationem deſtructam per auditionem Miſſæ. Aliter poſſet dici veritatem illam diſiunctiuam, aliqua auditio Miſſæ requiritur ad non peccandum, ſeu ad non tranſgrediendum præceptum, importare quamcumque Miſſæ auditionem, hanc videlicet per ſe ſumptam, & ſic illam actum abſolutè ſufficientem eſſe omnibus aliis ſecluſis ad non tranſgrediendum præceptum, & non poſſe non tranſgredi præceptum abſque omni auditione, ſeu nulla auditione Miſſæ exiſtente, quod dicit neceſſitatem vniuſcuiuſque auditionis, ſub conditione negationum reliquarum auditionum, hæc enim eſt vera propoſitio: ſi abſint omnes auditiones Miſſæ diſtinctæ ab iſta, hæc neceſſariò requiritur ad non tranſgrediendum præceptum de Miſſa audienda.

4 Idem dico de pręcepto offerendi par turturum aut duos pullos columbarum, ſicut enim intelligitur in præcepto audiendi Miſſam diſiunctio in hanc, & illam Miſſæ auditionem, ſic in prædicto præcepto intelligenda eſt diſiunctio inter oblationem paris turturum, & oblationem duorum pullorum columbarum. Sunt etiam hæc intelligenda de non tranſgreſſione præcepti, de adimpletione verò poſitiua, dicendum eſt phyſicè diuerſam adimpletionem præcepti eſſe factam per hanc Miſſæ auditionem ab adimpletione facta per illam Miſſæ auditionem; quia hæc adimpletio conſiſtit in hac Miſſæ auditione, & ita deficiente hac Miſſæ auditione deficit hæc præcepti adimplitio, etiamſi data illa Miſſæ auditione, detur alia adimpletio æquè ſufficiens ad non eſſe peccati, quod dicit negationem omnium adimpletionum.

5 Eadem ratione reſpondendum eſt ad exemplum aliud, quod adducit idem Arriaga de igne ſingulari, qui non indiget ad ſui exiſtentiam hac actione præ omnibus aliis, ſed hac vel illa contentus eſt, quia huiuſmodi diſiunctio tantùm dicit quamlibet actionem ex ſe eſſe ſufficientem ad hoc, vt ex vi illius exiſtat ignis, ſeu ignem ſufficienter ex vi cuiuſcumque, quæ aſſignetur, poſſe exiſtere, & non poſſe exiſtere ſine omnibus ſimul ſumptis, quod dicit neceſſitatem huius actionis ex ſuppoſitione, quod aliæ abſint, & ſic de reliquibus omnibus.

6 Circa prædicabilitatem indiuidui vagi dicendum eſt ipſum non prædicari prædicatione pertinente ad aliquod vniuerſale, quia terminus iſte *aliquis homo*, quo indiuiduū vagum ſignificatur non comprehendit omnes homines inſtar vnius ſignificatos, ſed vt plures & inter ſe diſtinctos, diſiunctio enim, quam terminus *aliquis* ſignificat eſſentialiter connotat extremorum diſtinctionem. Hanc prædicationem *Petrus eſt aliquis homo*, eſſe formalem, tantúmque verificari ratione identitatis inter ſubiectum & prædicatum, & non ratione alicuius ordinis, qui in his reperiatur, ac proinde non eſſe veram in ſenſu formali, ſed in ſenſu identico conſtat ex dictis Punct. 4. de indiuiduo ſecundò intentionaliter ſumpto.

CONTROVERSIA VI.

De differentia, proprio, & accidenti.

QVINQVE differentiarum acceptiones adducit Porphyrius, apud omnes tamen recepta eſt diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam. Differentia propriiſſima abſolutè differentia dicitur, & tertium prædicabile conſtituit: differentia propria abſolutè proprium appellari conſueuit, & conſtituit quartum prædicabile: differentia communis accidens nuncupatur, & quintum prædicabile conſtituit, de his omnibus in hac Controuerſia breuiter diſputatio inſtituetur.

PVNCTVM PRIMVM.

Qualis ſit diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam?

INquirimus, an differentia communis, propria, & propriiſſima vniuocè, vel analogicè, tantùm conueniant, 1
potéſtque quæſtio intelligi de differentiis primò intentionaliter ſumptis, in quo ſenſu in præſentiarum non tractatur, pendet enim ex aliis principiis, an videlicet à ſubſtantia, & accidenti poſſit abſtrahi communis ratio, & an à conceptu metaphyſico differentiæ propriiſſimæ poſſit abſtrahi aliqua ratio communis, quas quæſtiones propriis locis expendo. Poteſt etiam intelligi quæſtio de differentiis ſecundò intentionaliter ſumptis, quatenus ſunt vniuerſales reſpectu ſuorum inferiorum, in quo ſenſu vniuocè conuenire oſtendam Controu. 7. Punct.... Rurſus poteſt quæſtio procedere de differentiis ſecundò intentionaliter ſumptis in ordine ad rationem communem, quam contrahunt, & ſpeciem, quam cum ratione communi conſtituunt, in quo ſenſu in præſentiarum exagitatur.

Affirmant noſtri Conimbricenſes hîc hanc diuiſionem 2
eſſe vniuocam. Aſſentior Patri Rubio cum aliis aſſerenti diuiſionem hanc non eſſe vniuocam, ſed analogam. Ratio eſto: tantùm differentia propriiſſima ſimpliciter & abſolutè contrahit genus, & conſtituit ſpeciem: ergo tantùm differentiæ propriiſſimæ ſimpliciter & per ſe conuenit ratio differentiæ. Probo antecedens: riſibile, quæ eſt differentia propria, eſt quid ſuperueniens ſpeciei iam conſtitutæ: ergo illam non conſtituit: ergo neque diuidit genus, quia eo ipſo quod ſpecies ſit conſtituta intelligitur iam genus diuiſum, & contractum ad ſpeciem per differentiam propriiſſimam: ergo quando aduenit differentia propria nihil ſupereſt conſtituendum, aut contrahendum. Confirmatur: riſibile (idem dico de quacumque alia paſſione) non facit per ſe differre hominem ab equo, ergo non conuenit illi ratio faciendi differre. Probatur antecedens: homo differt ab equo per ſuam eſſentiam, & per id per quod conſtituitur. Sed riſibile non eſt eſſentia hominis, neque id, per quod homo conſtituitur: ergo homo non differt ab equo per riſibile: ergo animal commune homini, & equo non contrahitur ad hominem per riſibile: ergo riſibile propriè non contrahit genus, neque propriè conſtituit ſpeciem: ergo non conuenit vniuocè cum differentia propriiſſima, cuius munus eſt per ſe ipſam ſpeciem primò conſtituere, & genus contrahere. Denique hoc ſibi vult proloquium illud, differentia propriiſſima facit aliud, & communis, & propria faciunt alterum, hoc eſt, differentia propriiſſima facit ſpeciem, quam conſtituit ab alia ſimpliciter differre, & eſſe aliud ab omni illo, quod formaliter conſtituitur per aliam differétiam, & communis & propria tantùm reddunt ſubiectum alteratum, quod ſalua eadem eſſentia, quam habebat, conſtituunt formaliter habens aliud accidens eſſentiæ ſuperueniens.

Dices

Digitized by Google

3 Dices, ſicut homo eſſentialiter differt ab equo per rationale, ſic homo albus differt accidentaliter ab homine nigro per albedinem: ergo vtraque differentia conueniunt in hoc quod eſt facere differre, etiamſi differant ex eo quod vna faciat differre eſſentialiter, & alia accidentaliter. Reſpondeo negando antecedens, quia in hoc quod eſt facere differre accidentaliter, *illud accidentaliter* non ſolùm eſt additum importans modum ſpecialem faciendi differre, ſed deſtruens rationem communem faciendi differre, quia differre accidentaliter non eſt ſimpliciter differre, aut eſſe aliud, quia idem à ſe ipſo poteſt conſtitui accidentaliter differens per accidens ſuperadditum, & nunquam poteſt aliquid fieri aliud à ſe ipſo.

4 Inſtabis, ſicut eſt eſſentiale differentiæ propriiſſimæ facere differre eſſentialiter, ſic eſt eſſentiale differentiæ communi, aut propriæ facere differre accidentaliter: ergo omnes conueniunt in hoc quod eſt facere differre. Eodem modo poſſes arguere: ſicut eſt eſſentiale homini vero eſſe hominem, ſic eſt eſſentiale homini picto eſſe hominem pictum: ergo conueniunt vniuocè homo viuus, & homo pictus in ratione hominis. Reſpondeo ergo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia id, quod eſt eſſentiale differentiæ communi, & propriæ non eſt ſimpliciter facere differre, quia accidentaliter differre, vt ſæpe dixi, non eſt abſolutè, & ſimpliciter differre.

5 Aduertas tamen albedinem, quæ eſt differentia accidentalis reſpectu ſubiecti poſſe concipi vt conſtituens hoc concretum album formaliter vt album, & vt contentum ſub conceptu communi colorati, quod diuiditur in album, & nigrum tanquam in ſpecies oppoſitas, & tunc non ſe habere tanquam differentiam accidentalem, ſed vt eſſentialem eſſentialiter conſtituentem hoc concretum *album*, quod formaliter ſumptum ſpecie differt ab hoc concreto *nigrum* etiam formaliter ſumpto, vtrumque enim reſpicit coloratum tanquam genus, quod de illis tanquam de propriis ſpeciebus prædicatur his prædicationibus, *album eſt coloratum, nigrum eſt coloratum.*

PVNCTVM II.

De differentia propriiſſima in ordine ad genus quod contrahit, & ſpeciem quam conſtituit.

1 SVpponendum eſt ex Ariſtotele 10. Metaphyſic. cap. 5. & D. Th. 1. p. q. 9. art. 1. ad 3. ea dici differre, quæ in aliquo conueniunt. Vnde hoc eſt diſcrimen inter diuerſum, & differens, nam vnumquodque ens per ſe eſt diuerſum ab alio, ſiue cum illo in aliqua ratione conueniat, ſiue non conueniat: differens verò ſolum dicitur illud, quod in aliqua ratione conuenit cum illo, à quo differens eſt. Sic homo ab equo differre dicitur, quia cum illo conuenit in ratione animalis. Ex hoc conſtat differre vnum ab alio nihil aliud eſſe, quàm ab illo ſeparari, & diſtingui, vnde ratio illa, qua cognita ſeparantur, & diſtinguuntur differentia dicitur. Eſt ergo munus faciendi differre, ſeparare, & diuidere ea, quæ erant vnita, & coniuncta. Vnde actus differendi erit deſtructio vnionis, qua erant intentionaliter vnum ea, quæ plura intentionaliter fiunt. Ex his manifeſtè euincitur actum faciendi differre non exiſtere à parte rei independenter ab intellectu, & à forma intentionali diuidente ea, quæ in ratione ſuperiori erant vnum. Ratio eſt, quia vnitas vniuerſalis, ſeu generis eſt intentionalis, quæ non opponitur cum diuiſione reali (reale voco, quod intentionali opponitur) quia exiſtentibus obiectis quantumuis in ſe diuiſis poſſunt eſſe vnum, & non plura intentionaliter: ergo vnitas intentionalis diuiſioni reali non opponitur.

2 Ex his manifeſtè deducitur quid ſit genus contrahi ad ſpecies, ſeu in illas diuidi, quia cùm vnitas generis conſiſtat in cognitione confuſa omnium ſpecierum inſtar vnius obiecti, diuiſio conſiſtit in cognitione expreſſa, ſeu non confuſa eorúdem, qua vt plura & inter ſe diſtincta apprehendantur obiecta illa, quæ ex vi cognitionis confuſè erant vnita in ratione communi. Ratio eſt, quia diuiſio nihil aliud eſt quàm exiſtentia extremorum, & carentia vnionis, cùm verò extrema exiſtere intentionaliter ſit cognoſci, & eſſe vnita ſit cognoſci confuſè; ad hoc vt exiſtant debent cognoſci, & ad hoc vt non habeant vnitatem, quam tollit diuiſio, debent non cognoſci confuſè, vnde diuiſio neceſſariò dicet cognitionem non confuſam extremorum, quæ eſt cognitio diſtincta, ſeu ex vi cuius extrema diſtinctè cognoſcuntur.

His præiactis fundamentis facile erit diſſoluere quæſtionem inter nonnullos acriter exagitatam, An videlicet munus faciendi differre ſit reale, vel rationis; cui reſpondendum eſt eſſe reale prout opponitur ficto, ſeu chymærico, non reale prout opponitur intentionali, conſiſtit enim in actu intentionali, ſeu in cognitione, ex vi cuius apprehenduntur diſtinctè illa, quæ confusè inſtar vnius fuerant præconcepta. Quótve actus intercedant in contractione generis, & diuiſione eiuſdem, & conſtitutione ſpeciei, & quomodo ex genere, & differentia ſpecies conſtituatur, qui inter omnes actus, ex vi quorum hæc fiunt, inter ſe differant, iam explico. 3

Dico primò, differentiam conſtituere ſpeciem ſimul cum genere, ſeu differentiam conſtitui ex genere & differentia dicere triplicem cognitionem, duplicem præſuppoſitiuè, & aliam formaliter: hæ ſunt cognitio quædam, ex vi cuius cognoſcatur animal abſtractum ab homine, & præciſum ab animali, & vltima ex vi cuius cognoſcantur animal, & rationale confusè inſtar vnius obiecti indiuiſibilis, in hoc obiecto *homo* quod formaliter eſt ſpecies conſtituta ex genere & differentia iam præcognitis, ſicuti totum ex partibus, quæ ad ipſum ſupponuntur, & in quas poteſt reſolui. Speciem conſtitui importare duplicem actum, quorum vnus terminetur ad animal ſecundùm ſe, & alter ad rationale ſecundùm ſe ſic probo. Implicat dici totum cõſtitutum ex partibus abſque eo, quod partes præcedant illud vt conſtitutum: ergo implicat conſtitui ſpeciem abſque eo, quod præcedant partes vt inter ſe diſtinctæ: ſed hæ ſunt animal vt præciſum à rationali, & rationale vt præciſum ab animali: ergo debent hi conceptus præciſi præcedere conſtitutionem ſpeciei. Poſteriorem conceptum includi in ſpeciei conſtitutione faciliùs probatur: conſtitutio ſpeciei terminatur ad ſpeciem, quæ dicitur conſtituta: ſed ſpecies conſtituta dicit conceptum quendam obiectiuum, in quo natura generica, & differentialis appreheñduntur vt vnum abſque vlla ipſorum diſtinctione, vt patet in conceptu hominis, qui dicit animal, & rationale repræſentata in hoc conceptu indiuiſibili *homo* abſque vlla diſtinctione, neque præciſione inter animal, & rationale, ergo ſpeciem conſtitui dicit ipſam cognoſci confusè includentem abſque vlla diſtinctione naturam generis, & naturam differentiæ, per modum vnius obiecti etiam intentionaliter indiuiſi. 4

Ex hac concluſione infero extrinſecum eſſe huic conceptui *homo* eſſe conſtitutiuum ſpeciei ex genere, & differentia, ex eo enim quod illum præceſſerint duo conceptus diſtincti, vnus generis præciſi, & alter differentiæ præciſæ, dicitur conſtitutiuus ſpeciei, ſeu conſtituens ſpeciem, quam denominationem non haberet, ſi duo illi conceptus non præceſſiſſent, etiamſi intrinſecè eſſet idem. 5

Infero ſimiliter ſpeciem intrinſecè non eſſe formaliter compoſitam, ſed tantùm extrinſecè, ſeu virtualiter, quatenus extra conceptum ſpeciei ſe habent vt formalitates diſtinctæ, & vt genus, & differentia illa, quæ in ſpecie nullam compoſitionem habent, ſed inſtar vnius indiuiſibilis obiecti repræſentantur. Ratio eſt clara: compoſitio formalis dicit diſtinctionem formalem extremorum, ex quibus fit compoſitio: ſed ſpecies intrinſecè tantùm dicit ſimplicem conceptum hominis, quin in illa ſignificentur partes formaliter diſtinctæ: ergo in ſpecie nulla poteſt reperiri intrinſeca compoſitio. Dicitur autem extrinſecè, ſeu virtualiter compoſita, quia extra illam id, quod formaliter eſt ſimplex conceptus poteſt per intellectum in duos ſecari, & reſolui in duos formaliter diſtinctos, id enim quod formaliter dicit *homo* confusè, & identificatum, ſeu non diſtinctum intentionaliter, præceſſit diſtinctum, & diuiſum intentionaliter in conceptibus generis præciſi, & differentiæ præciſæ in quos poteſt iterum reſolui. 6

Dico ſecundò: Per eoſdem actus, per quos conſtituitur ſpecies ex genere, & differentia, per eoſdem contrahitur genus ad ſpeciem per differentiam. Ratio eſt, quia per actus, quibus ſpecies conſtituitur ex genere, & differentia, genus quod extra ſpeciem erat totum potentiale & vniuerſale reſpectu omnium ſpecierum, cõſtituitur intra hãc ſpeciem identificatum cum rationali, ex vi cuius non poteſt iam contractum ſe extendere ad equum, vel leonem: ergo conſtituitur contractũ, etiam diminuta, ſeu deſtructa 7

illius

Digitized by Google

illius vniuerſalitate, ex vi cuius indifferens erat ad omnes ſpecies, etiam ad vnam tantùm determinatum.

8 Dico tertiò: Neque genus formaliter vt genus in ipſa contractione contrahitur per differentiam, neque differentia formaliter vt differentia in eadem contractione contrahit genus. Vtriuſque partis concluſionis ratio eſt eadem: genus formaliter vt genus dicit conceptum animalis vt diſtinctum à rationali, & rationale formaliter vt differentia dicit conceptum rationalis vt diſtinctum ab animali. Sed in actuali contractione generis per differentiam rationale, & animal cognoſcuntur inſtar vnius ſimplicis obiecti abſque vlla diſtinctione formalitatum: ergo neque animal retinet in ipſa actuali contractione rationem generis, neque rationale rationem differentiæ: ergo neque genus vt genus intrinſecè contrahitur, neque differentia vt differentia intrinſecè contrahit. Dixi non contrahi intrinſecè genus, neque vt genus formaliter in ipſa contractione, quia genus extra contractionem formaliter vt genus extrinſecè contrahitur, cognitio enim ſpeciei, ſeu illius conſtitutio eſt contractio generis cogniti formaliter vt genus per aliam cognitionem, quæ ſupponitur ad vltimum conceptum, per quem vltimò dicitur ſpecies conſtituta. Eadem ratione differentia vt differentia extrinſecè contrahit genus, quia licèt in ipſa contractione non ſit formaliter vt differentia, ſed inuoluta in ſpecie cum genere, tamen ad hanc contractionem ſupponitur vt diſtincta à genere, & formaliter vt differentia potens genus contrahere in conceptu ſpeciei, in quo perdit rationem formalem differentiæ.

9 Dico quartò: Idem formaliter eſt genus contrahi per differentias oppoſitas, ac diuidi in ſpecies differentes, quia animal quod apprehendebatur per modum vnius diuiditur per diuerſas contractiones, veluti in partes diuerſas, videlicet in ſpecies, reſpectu quarum erat totum poteſtatiuum, Ex hoc inferes genus non diuidi quando contrahitur per vnam tantùm differentiam, quia diuiſio eſt partitio rei in partes diuerſas. Sed quando animal contrahitur tantùm per rationale ad vnam hominis ſpeciem, non partitur in partes diuerſas: ergo non diuiditur. Probo minorem. Quando genus, v. g. animal contrahitur tantùm per vnam hominis differentiam *rationale* ad hanc ſpeciem *homo* ſpecies iſta non habet aliam compartem, in quam ſimul, & in illam poſſit dici genus diuiſum tanquam totum in partes: ergo non dantur extrema diſtincta, quæ ſint membra diuidentia, quæ dicit eſſentialiter diuiſio. Dicit ergo diuiſio generis ſaltem duplicem illius contractionem in ſpecies oppoſitas, & quando per vnam tantùm contrahitur, non datur diuiſio, ſed tantùm cognoſcitur pars quædam generis per expreſſiorem conceptum nulla aliûs compartis mentione facta.

10 Dico quinto: In compoſitione metaphyſica ſpeciei, genus & differentia extrinſecè tantùm, & non intrinſecè reperiuntur. Ratio præſto adeſt: compoſitum eatenus requirit partes, quatenus eſt compoſitum: ſed ſpecies cùm ſecundùm ſe, & intrinſecè tantùm ſit ſimplex conceptus, videlicet *homo* intrinſecè non eſt compoſita: ergo intrinſecè non includit partes. Dicitur autem ſpecies extrinſecè compoſita, & extrinſecè habere partes, quia etſi formaliter in ſe ſit indiuiſibilis, & per modum vnius ſimpliciſſimi obiecti repræſentetur, continet tamen in illo ſimplici conceptu, ea, quæ aliàs fuerant diuiſa, ac proinde tantùm eſt compoſitum quaſi negatiuè, quia licet habeat in ſe conceptus, qui antea fuerant diuiſi, & ob hanc rationem illius partes dicantur, iam conceptus illi nullam diuiſionem, neque diſtinctionem retinent in ipſa ſpecie incluſi, ſed in vnam ſimpliciſſimam entitatem intrinſecè omnis compoſitionis expertem conſpirarunt.

11 Vltimò aduerto diuiſionem animalis in animal rationale, & animal irrationale, in qua quodlibet membrum diuidens dicit duplicem conceptum, vnum naturæ genericæ, alterum differentialis non eſſe diuiſionem generis in ſpecies, ſed ſubiecti in accidentia. Do rationem; ſpecies vt ſæpe dixi non dicit duplicem conceptum, ſed vnum ſimplicem, in quo adunantur conceptus generis, & differentiæ: ergo hoc complexum *animal rationale* non eſt ſpecies: ergo quando diuiditur animal in animal rationale, & animal irrationale, non diuiditur in ſpecies. Dicitur diuidi tanquam ſubiectum in accidentia, quia reſpectu generis ſecundùm ſe ſumpti, videlicet animalis differentiæ accidentaliter ſe habent, animal enim ſecundùm ſe indifferens vt coniungatur cum rationali, vel cum hinnibili accidentaliter coniungitur cum rationali, quod adæquatè eſt extra illius conceptum metaphyſicè loquendo. Dicentur ergo ſolummodò diuiſiones generis in ſpecies illæ, quibus animal ſecatur in hominem, & brutum, elementum in ignem, terram, aquam, & aërem, & aliæ huiuſmodi. Doctrinam hanc ex Porphyrio tradit Fonſeca quem retuli in ſummul. Controu. 2. Punct. 2. n. 5.

Obiicies: rationale eſt accidens reſpectu animalis: ergo hoc complexum *animal rationale* eſt concretum accidentale: ergo non poteſt eſſe hominis definitio. Prior conſequentia fixa eſt, poſteriorem probo. Homo eſt compoſitum ſubſtantiale: ergo non poteſt conuerti cum concreto accidentali: ergo non poteſt eſſe illius definitum, quia definitio, & definitum debent conuerti. Concedo priorem conſequentiam, & nego poſteriorem, ad illiúſque confirmationem dico rectè poſſe conuerti compoſitum ſubſtantiale cum concreto accidentali metaphyſico, cuius vtraque pars ſit eſſentialis compoſito, & illa quæ per modum formæ ſignificatur, conſideretur inſtar accidentis reſpectu aliûs compartis, cui ſuperuenit. 12

CONTRA PRIMAM CONCLVSIONEM

Obiicit quidam negare intrinſecam compoſitionem in ſpecie eſſe contra communem apprehenſionem ſapientium. Reſpondeo primum ſapientem, qui contra concluſionem, quam tradidi aliquid dixerit, eſſe hunc, qui me impugnare intendit. Deinde ſapientes omnes diſtinguere conceptum hunc *homo* ab hoc conceptu *animal rationale*, ex eo, quod prior ſit ſimplex, & poſterior compoſitus, ideò hic à conceptu vniuerſalis, & ſpeciei excluditur, & ille conceptus vniuerſalis, & ſpeciei conſtituitur, iuxta omnium ſententiá, qui vniuerſale vnum debere eſſe affirmant. 13

Obiicit idem ſecundùm communiorem Theologorum, & D. Thomæ ſententiam Deum non eſſe ſpeciem. Reſpondeo; id verum eſſe, ſed non ad rem: Deum enim non eſſe ſpeciem eſt quia hunc conceptum *Deus* non poſſumus diuidere in hunc Deum, & illum Deum, ſeu in plures Deos, ſicuti hunc conceptum *homo* poſſumus diuidere in hunc hominem, & illum hominem, ſeu in plures homines numero differentes.

Rurſus arguit; eandem compoſitionem extrinſecam, quam nos cum ſpecie conſtituimus reperiri in ſupremo genere, & differentia infima. Reſpondeo: hoc eſſe omnino falſum, imprimis enim hic conceptus *ens*, quem aliqui affirmant eſſe ſupremum genus vniuocè conueniens ſubſtantiæ, & accidenti, non poteſt duplici alio conceptu ſignificari. Deinde in opinione negante hunc conceptum *ens* eſſe genericum, & aſſerenti hunc conceptum *ſubſtantia* eſſe ſuppremum genus, conceptus iſte non poteſt diuidi in duos alios adæquatè diſtinctos, quia in conceptu differentiæ includitur conceptus entis propter tranſcendentiam, quod aliter euenit in hoc conceptu homo, qui partiri poteſt in hos duos *Animal*, *Rationale* inter ſe adæquatè diſtinctos abſque mutua, ſeu non mutua incluſione vnius in alio. Idem patet in conceptu vltimæ differentiæ ſingularis v.g. Petreitas, qui non poteſt in duplicem alium, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè partiri, & in vltima, ſeu infima differentia vniuerſalis, v.g. *rationale*, quæ non poteſt ſubdiuidi in duplicem alium conceptum vniuerſalem. 14

Vltimò arguit: conceptus generis, & differentiæ non eſſe fictos pro libito, ſed in ſpecie adunatos reperiri. Id ego affirmo, conceptus hos in ſpecie adunatos reperiri, in ſpecie repræſentatos per modum vnius ſimplicis entitatis abſque vlla compoſitione intrinſeca; conceptus enim animalis, & conceptus rationalis reales ſunt, & omne quod includit vtrumque, reperitur in hoc conceptu *homo*, quia tamen repræſentatur animal, & rationale in hoc conceptu *homo* per modum vnius ſimplicis entitatis nulla apprehenſa diſtinctione inter rationale, & animal, in illo non reperitur intrinſeca compoſitio, quæ ſtare non poſſet bene partibus inter ſe diſtinctis realiter, ſi compoſitio realis ſit futura, & intentionaliter, vel per rationem, ſi de compoſitione intentionali, ſeu per rationem agatur. 15

Procedit eodem prorſus modo hæc doctrina ſiue præciſio tantùm formalis, ſiue obiectiua tantùm inter gradus vniuerſales admittatur, vnde abs re omnino hic Author quæſtionem hanc mouetur ad probandum dari præciſiones obiectiuas, de quo iterum cum eo confero. 16

PVNCTVM

Digitized by Google

PVNCTVM III.

Nonnulla expediuntur de differentia.

1 INquires primò: An differentiæ ſuſcipiant magis, & minùs? Reſpondeo differentiam propriiſſimam conſtitutiuam ſpeciei non ſuſcipere magis, & minùs, quia eſſentiale conſtitutiuum cuiuſuis rei in indiuiſibili conſiſtit. Differentiam communem ſuſcipere magis, & minù certum eſt: lignum enim, & quoduis aliud ſubiectum fit magis, minùſve calidum. Accidens quod eſt differentia propria, aliquando ſuſcipere magis, & minùs patet in calore, & frigiditate, quæ paſſiones ſunt elementorum; ſemper tamen eſſentia, cuius accidens eſt differentia propria, petit tantam determinatam intenſionem, ita vt ſi vltra illam aliquid qualitatis ſubiecto contingat, exceſſus ille non ſit ſubiecti paſſio neque propria differentia. Ob hanc rationem poſſet aliquo modo dici propriam paſſionem formaliter ſumptam in indiuiſibili conſiſtere, & formaliter vt talem non ſuſcipere magis, nec minùs.

2 Inquires ſecundò: An genus ſumatur à materia, & differentia à forma? Reſpondeo genus, & differentiam ſumi à tota rei entitate; dicitur autem genus ſumi à materia, & differentia à forma, quia genus aſſimilatur materiæ propter indifferentiam, quam habet ad plures differentias, ſicuti materia ad plures formas. Similiter differentia aſſimilatur formæ, quia ſicut hæc materiam determinat, & actuat, ſic illa determinat genus, quod contrahit.

3 Inquires tertiò: An differentiæ infimæ, & ſubalternæ ſint eiuſdem rationis? Reſpondeo affirmatiuè, quia eodem modo contrahunt genus ſibi ſuperius, & conſtituunt ſpeciem infimam, & ſpeciem, quæ genus eſt ſubalternum.

4 Inquires quartò: An poſſit eſſe differentia infima conſtans duabus inadæquatis inter ſe diſtinctis, quod eſt idem ac inquirere, an eadem ſpecies poſſit conſtitui ſub duplici genere infimo, quorum vnum alteri non ſubordinetur? Reſpondeo in primis certum eſſe, hoc in omnibus ſpeciebus neceſſarium non eſſe, quia homo ſolùm eſt ſub genere infimo animalis, in aliquibus tamen hoc contingere, ſicuti in actu, quo quis ieiunat ex motiuo obedientiæ, & ex motiuo temperantiæ, qui actus eſt ſub ratione communi obedientiæ, & temperantiæ, qui inter ſe non ſubordinantur. Eadem ratione contingit in voluntate, quæ appetitiua, & ſpiritualis eſt, & continetur ſub rationibus communibus ſpiritualis, & appetitiui inter ſe non ſubordinatis, ratio enim appetitiui communis eſt appetitiui materiali, & ſpirituali, & ratio ſpiritualis communis eſt appetitiuo, & non appetitiuo.

5 Nota ex duobus generibus inadæquatis non ſubordinatis confluentibus in eandem entitatem; quodlibet poſſe conſiderari per modum differentiæ aliud efficiens. Sic ex duobus generibus ſuprà aſſignatis ratio ſpiritualis poteſt contrahi per ſpirituale appetitiuum in voluntate; & per ſpirituale non appetitiuum in intellectu; & ratio appetitiui per appetitum ſpirituale in voluntate, & per appetitionem materiale in brutorum appetitu.

6 Obiicies contra concluſionem ſuprà traditam Philoſophum dicentem ea, quæ ſunt ſub diuerſis generibus eſſe ſpecie diuerſa. Reſpondeo Philoſophum intelligendum eſſe de generibus adæquatis, non de inadæquatis, item de generibus inter ſe oppoſitis, ſicuti corporeum, & incorporeum, non de generibus quæ inter ſe neque oppoſitionem, neque ſubordinationem habent.

7 Inquires quintò: An differentia ſit perfectior genere? Reſpondeo ſecundùm modum prædicandi perfectius eſſe genus differentia, quia genus prædicatur *in quid* per modum per ſe ſtantis, & differentia *in quale quid* per modum alteri adiacentis. Secundùm autem modum eſſendi ſentio differentiam perfectiorem eſſe genere, quia differentia ſe habet vt forma, & genus vt materia, forma verò materiam perfectione excellit. Hanc rationem impugnat Arriaga diſp. 7. ſect. 1. ſubſect. 4. quia ſi eſſe per modum formæ eſt perfectius, prædicari per modum formæ eſt prædicari per modum perfectioris: ergo eſt perfectior modus prædicandi. Non valet conſequentia, quia terminus *perfectius* in præmiſſis attingit entitatem, quæ prædicatur, & in conſequenti modum prædicandi, & aliud eſt prædicari differentiam vt entitatem perfectiſſimam, aliud prædicari perfectiſſimo modo, quæ realiter ſeparantur, poteſt enim entitas vt ſummè perfecta imperfecto modo prædicari.

8 Aliam rationem ſubiicit Arriaga propter quam differentia ſit perfectior genere, videlicet quia magis diſtat ab ente; ea verò quæ magis accedunt ſingularibus, & diſtant à ratione vniuerſaliſſima perfectiora ſunt. Sed ſi Arriagam roges, cur minùs vniuerſalia perfectiora ſint vniuerſalioribus, nullam aliam poterit reddere, niſi quia ſuperiores conceptus inferioribus contrahuntur, & hi ſe habent inſtar formarum reſpectu illorum.

9 Inquires ſextò: Qualis ſit diuiſio facta à Porphyrio in differentiam diuiſiuam generis, & contractiuam ſpeciei? Reſpondeo eſſe diuiſionem potentiæ in diuerſos actus, ſiue in eundem diuerſo modo explicatum.

10 Inquires ſeptimò: Qualis ſit diuiſio differentiæ facta à Porphyrio in differentiam ſeparabilem, & inſeparabilem? Reſpondeo, ſecundùm munus faciendi differre accidens, in eſſe differentiæ eſſe ſeparabilem vt accidens commune, vel inſeparabilem vt differentiam propriam, ac proinde hoc modo intellecta diuiſio erit ſubiecti in accidentia. Si autem per differentiam inſeparabilem, intelligatur inſeparabilitas per modum eſſētiæ, quæ conuenit tantùm differentiæ propriiſſimæ, diuiſio erit analogi in analogata, iuxta dicta Punct. 2. Vltimò ſi hæc diuiſio tradatur de differentia vt prædicabili quomodocumque explicetur erit generis in ſpecies, quia differentia communis, propria, & propriiſſima vniuocè conueniunt in ratione prædicabilis. Solet hîc diſputari an differentia inferior formaliter ſuperiorem includat? de quo in Metaph. Controu. 1. §. 4.

PVNCTVM IV.

De differentia formaliter vt prædicabili.

1 DIfferentia propriiſſima tertium prædicabile conſtituit diſtinctum à genere, & ſpecie, vt conſtat ex his quæ de his prædicabilibus tradidi. Definiuit Porphyrius differentiam, *quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid*, quam definitionem communiter recentiores impugnant; quia non conuenit differentiæ infimæ, quæ tantùm prædicatur de pluribus differentibus numero. Neque ſufficiens eſt explicatio, quam de illa nonnulli Antiqui tradidêre de non repugnantia, qui aſſerebant rectè definiri differentiam per non repugnantiam ad prædicandum de pluribus differentibus ſpecie, quia differentiæ vt ſic abſtractæ non repugnant de pluribus ſpecie differentibus prædicari. Quæ explicatio nullo modo placet, quia non bene definitur ſpecies per id, quod generi præciſo non repugnat, alias poſſet definiri homo per animal hinnibile, quia generi ſecundùm ſe videlicet animali hinnibile non repugnat, & ſicut homini ratione differentiæ repugnat eſſe hinnibile; ſic differentiæ infimæ ratione differentiæ, qua infima conſtituitur, repugnat prædicari de pluribus ſpecie differentibus.

2 Expungenda eſt ergo à definitione particula illa *differentibus numero*, & definiendum *quod prædicatur de pluribus in quale quid*, per quam definitionem differt hoc prædicabile à duobus prioribus, quæ nullo modo prædicantur *in quale*, ſed *in quid* purè; & à poſterioribus, quia *in quale* purè, & nullo modo *in quid* prædicantur. Alio modo clarius differentiam definies, *quod prædicatur de pluribus per modum partis formalis eſſentialis*, quæ definitio conuenientiam exprimit differentiæ cum reliquis prædicabilibus, in hoc quod eſt prædicari de pluribus, & diſconuenientiam cum duobus prioribus in hoc, quod eſt prædicari per modum partis formalis, & cū poſterioribus in eo, quod prædicetur non ſolùm vt pars formalis, quod illis eſt commune, ſed vt pars eſſentialis quod neutri illorum cōuenit.

3 De definitio huius definitionis nihil ſpeciale occurrit dicēdum præter ea, quę de genere diximus, videlicet eſſe naturam denominatam ſecunda intentione, ſeu concretū reſultans ex natura & ſecunda intētione. Vide dicta de Genere, vbi explicui quid ſit prædicari *in quid*, & *in quale*.

4 Inquiri ſolet, in ordine ad quid differentia cōſtituatur vniuerſalis: de quo breuiter dicendum eſt non poſſe conſtitui vniuerſalem in ordine ad ſpeciē infimam, aut ſubalternam quam cōſtituit, quia reſpectu huius æqualis eſt, & ad conuertentiam dicitur, ſēſibile enim conuertitur cum animali, quod conſtituit, & rationale cum homine. Certius eſt non poſſe vniuerſalem cōſtitui reſpectu generum,

quæ

Digitized by Google

puæ contrahit, quia omne genus latiùs patet quacumque differentia, per quem contrahitur, cùm ſit contrahibilis per plures differẽtias inter ſe oppoſitas. Conſtituitur ergo differentia vniuerſalis reſpectu inferiorum ſpeciei ſubalternæ, ſeu infimæ, quam conſtituit, v. g. ſenſibile reſpectu hominis, & equi, & reliquarum ſpecierum, ſeu reliquorum inferiorum animalis quod cõſtituit, & rationale reſpectu Petri & Ioannis, reliquorũmque inferiorum ſpeciei hominis, quam rationale conſtituit tanquam pars formalis.

PVNCTVM V.

De differentia propria, ſeu de proprio primo intentionaliter ſumpto.

1 QVatuor proprij acceptiones aſſignauit Porphyrius cap. de proprio. Prima eſt quod conuenit ſoli, non tamen omni, neque ſemper, vt eſſe muſicum, quod conuenit tantùm homini, non verò ſemper, neque aliquando omnibus indiuiduis. Secunda eſt, quod conuenit omni non tamen ſoli, vt eſſe bipedem. Tertia, quæ conuenit omni & ſoli, non tamen ſemper, ſicut caneſcere, quod conuenit omni homini, & illi ſoli, non tamen ſemper, Quarta, quod conuenit omni, ſoli & ſemper, ſicut eſſe riſibile reſpectu hominis. In his acceptionibus quartam Porphyrius omnibus profert, explicabo breuiter iuxta quam proprium quartum prædicabile conſtituatur.

2 Proprium cuiuſuis rei idem eſt ac paſſio illius quapropter communiter definitur *id quod eſt extra eſſentiam, neceſſariò tamen illam comitatur*: per quam definitionem proprium differt à tribus prioribus prædicabilibus, quæ eſſentialia ſunt, & à quintò, quod eſſentiam non neceſſariò comitatur. Proprium eſt duplex quoddam phyſicum, aliud metaphyſicum: Phyſicum eſt illud, quod realiter ab eſſentia diſtinguitur ſicuti potentia intellectiua in opinione, quæ paſſiones ab anima diſtinguit: proprium Metaphyſicum dicitur, quod phyſicè cum eſſentia identificatur, & per intellectum extra illam concipitur. Ex his proprium phyſicum phyſicè & realiter eſt extra eſſentiam; proptium verò metaphyſicum tantùm per intellectum extra eſſentiam concipitur.

3 Sentio Proprium quarto modo ſumptum tantùm quartum prædicabile conſtituere, quia illud prouenit ab eſſentia, quidquid enim ab hac dimanat omni indiuiduo conuenit, cùm eſſentia indiuiduorum in omnibus eadem ſit, & per ſe loquendo ſemper conuenit, quia eſſentia ſemper eſt eadem, earundem radix paſſionum. Addo conuenire ſoli, quia id, quod conuenit rebus ſpecie differentibus, non alicui earum in particulari tribuimus, quia adæquatum fundamentum, quod dicimus riſibile dimanare ab eſſentia hominis eſt, quia videmus ſemper cum illa coniungi, & in nullo ſeparari.

4 Aduerte tamen Proprium ſecundo modo ſumptum, quod conuenit omni non tamen ſoli, pertinere ad hoc prædicabile non quatenus conuenit illi ſpeciei, cui non ſoli dicitur conuenire, ſed quatenus comitatur aliquod prædicatum eſſentiale commune omnibus ſpeciebus, quibus conuenit, reſpectu cuius prædicati proprium erit, & propria paſſio, ſicuti potentia videnti, quæ conuenit homini, & aliis ab homine, non dicitur propria paſſio hominis, ſed animalis, quia conuenit omni animali (hoc ſuppono vt rem explicem, quidquid ſit de talpa, & aliis animalibus) & iu nullo non animali reperitur.

5 Proprium primo, & tertio modo ſumptum nullo modo pertinet ad hoc prædicabile, quia omnino contingenter conuenit ſubiecto, Petrum enim eſſe Muſicum æquè illi contingens eſt, ac eſſe album, quod autem eſſe album poſſit conuenire aliis ſpeciebus, & non eſſe Muſicum, impertinens eſt in ordine ad Petrum, quia album poſſe aliis ſpeciebus conuenire non eſt relatio albedinis ad Petrum, ſed ad alias ſpecies, & eadem ratione non poſſe conuenire eſſe muſicum ſpeciebus aliis, non eſt relatio muſicæ ad Petrum ſed defectus relationis in muſica ad alias ſpecies. Idem dicito de canitie, quæ cum non ſemper hominem reſpiciat, contingenter ſe habet reſpectu illius, neque ex prædicatis eſſentialibus oritur, ſed ſpectat ad alias extrinſecas circunſtantias.

PVNCTVM VI.

De Proprio ſecundò intentionaliter ſumpto?

PRoprium ſecundò intentionaliter ſumptum *eſt vnum aptum prædicari de multis in quale neceſſariò.* Conuenit cum omnibus prædicabilibus in hoc quod eſt prædicari de multis; differt à genere, & ſpecie: quia hæc prædicantur in *quid* purè; à differentia quia prædicatur in *quale quid,* ab accidente, quia licet prædicetur in *quale* non prædicatur neceſſariò, ſed contingenter. Poſſet non ineptè proprium deffiniri, *quod prædicatur de pluribus tanquam pars formalis orta ab eſſentia.* Quæ definitio proprium diſtinguit à genere, & ſpecie, quia hæc non prædicantut vt partes formales, & à differentia, & accidenti, quia non ſunt partes formales ortæ ab eſſentia: differentia enim eſt conſtitutiuum ipſius eſſentiæ, & accidens cum illa connexionem non habet. 1

De termino in ordine ad quem proprium prædicabile conſtituitur philoſophandum eſt ſicuti de differentia, & dicendum non conſtitui vniuerſale in ordine ad ſpeciem, cuius eſt propria paſſio, quæ cum illa dicitur ad conuertentiam, ſed reſpectu inferiorum talis ſpeciei, riſibile v.g. reſpectu inferiorum quæ ſub ſpecie hominis, cuius proprium eſt, continetur. 2

PVNCTVM VII.

De differentia communi, ſeu de accidenti quinto prædicabili primò intentionaliter ſumpto.

ACcidens quintum prædicabile definitum fuit à Porphyrio *quoad poteſt adeſſe, & abeſſe abſque ſubiecti corruptione.* Alio modo *quod eidem ineſſe, & non eſſe poteſt.* Illud *adeſſe, & abeſſe* intelligendum eſt eo modo quo fuerit accidens, ſi enim accidens fuerit phyſicum, phyſicè poterit adeſſe, & abeſſe; ſi verò metaphyſicum, metaphyſicè tantùm, & per intellectum poterit abeſſe à ſubiecto, cum quo realiter eſt identificatum. 1

Vulgaris obiectio eſt calorem vt octo aquam deſtruere, & mortem deſtruere hominem, etiamſi calor reſpectu aquæ, & mors reſpectu hominis ſint accidentia. Reſpondeo ſubiectum caloris ſicuti aliorum accidentium eſſe materiam primam, quæ non corrumpitur receptione caloris: quod ſi cum Thomiſtis velis defendere accidentia ſubiectari in toto compoſito, rectè reſpondebis calorem vt octo nunquam ſubiectari in aqua, quæ ex vi illius corrumpitur, ſed in igne ſeu quocumque alio toto ad quod vltimò diſponit, accidentia enim quæ remanent toto corrupto, non in hoc toto corrupto, ſed in genito ſubiectantur. Ad aliam obiectionem, Reſpondeo mortem non reſpicere hominem tanquam ſubiectum, cui adueniat tanquam forma, ſed tanquam habitum, quo priuat, eſt enim mors non eſſe hominis, quod non illud tanquam ſubiectum ſupponit, ſed deſtruit ſicuti priuatio proprium habitum. 2

Difficiliùs obiicitur, definitionẽ hâc Proprio, ſeu quarto prædicabili conuenire, quia frigiditas, vt octo, quæ eſt paſſio aquæ poteſt illi adeſſe, & abeſſe abſque ſui corruptione, & omne proprium metaphyſicum poteſt metaphyſicè abeſſe abſque ſubiecti corruptione; poteſt enim eſſentia ſine paſſionibus menti obiici, neque alia ratione poſſunt plura accidentia à ſubiectis abeſſe, hæc enim prædicatio *Petrus eſt exiſtens*, pertinet ad quintum prædicabile, & exiſtentia tantùm per intellectum poteſt à Petro ſeparari. Reſpondent nonnulli de ratione accidentis eſſe, ita poſſe abeſſe vt ſubiectum cum accidenti contrario poſſit intelligi. Non aſſentio, quia actus ridendi eſt accidens hominis, & non ita poteſt abeſſe vt intelligatur homo cum oppoſito actu hinniendi, aut ridendi. Deinde frigiditas vt octo eſt paſſio aquæ, & hæc poteſt intelligi cum valore vt vnum, qui contrariè opponitur cum frigiditate vt octo. 3

Reſpondent alij ex eo diſtingui proprium, & accidens, quod accidens poteſt non ſolùm præciſiuè, ſed etiam negatiuè ſeparari à ſubiecto, poſſumus enim quodcumque accidens de ſubiecto poſitiuè negare, & accidere, lignum non eſt calidum, non verò propriam paſſionem, quia licet ab hac poſſit eſſentia præſcindi, hoc eſt, cognoſci eſſentia 4

paſſione

Digitized by Google

paſſione non cognitâ, non tamen poteſt de ſubiecto negari, non enim poteſt dici, homo non eſt riſibilis. Contra hanc ſolutionem argumentum deſumitur ex frigiditate vt octo, quæ eſt paſſio aquæ & poſitiuè de illa poteſt negari, verè enim dicimus; cùm aqua ab extrinſeco gradum aliquem caloris recipit, aqua non eſt calida vt octo. Reſpondet Eminentiſſimus, & admodum Venerandus Cardin. Bellarm. tom.3. de amiſſione gratiæ, cap.3. obiect. 6.q.1.art.1. propriam paſſionem non poſſe ſeparati poſitiuè à ſubiecto, neque de illo verè negari abſque aliqua ſubiecti violentia, cùm enim verè enunciamus, aqua non eſt frigida vt octo, violentiam patitur aqua in negatione octaui gradus frigiditatis, in quo differt paſſio ab accidente, quia hoc abſque vlla violentia poteſt à ſubiecto ſeparari, vel potuit illi non contingere.

5 Non impugno ſolutionem à tanto viro traditam, quæ præ omnibus rem dirimit, qua defendenda eſt definitio tradita à Porphyrio ſi aliquo modo ſuſtinenda eſt. Verum tamen non inuenio in prædicta definitione particulam aliquam, quâ illius doctrina explicetur, neque multùm referet dicere cum Hurtado diſp. *6.* ſect. *6* ineptam definitionem traditam fuiſſe à Porphyrio; vel cum Arriaga diſp. 8. ſect.3. prædicta definitione quartum, & quintum prædicabile comprehendi.

6 Definietur clariùs quintum prædicabile vt diſtinctum à proprio *quod conuenit ſubiecto tanquam forma accidentalis omnino contingenter.* Differt à proprio per illam particulam, *omnino contingenter*, & reliquæ eodem modo explicantur, ac in definitione proprij.

PUNCTUM VIII.

De accidente ſecundò intentionaliter ſumpto, ſeu de quinto prædicabili.

1 EXplicatis iam naturis reliquorum prædicabilium facilè hoc quintum definietur: duplicem definitionem breuiter accipe. Accidens prædicabile eſt *quod prædicatur de pluribus in quale omnino contingenter.* Alio modo: *quod prædicatur de pluribus vt forma accidentalis omnino contingens ſubiecto.* Per illas particulas *omnino contingenter, & omnino contingens ſubiecto* differt hoc prædicabile à quinto, reliquæ partes definitionis eodem modo explicantur, ac in proprij definitione.

2 De termino in ordine ad quem accidens conſtituitur prædicabile dicendum eſt eſſe ſubiecta, quibus conuenit accidens non formaliter ſumpta vt informata tali accidenti, ſed materialiter, & ſecundùm ſe ſumpta, quatenus ſupponuntur ad tale accidens tanquam ſubſtitutum concreti reſultantis ex ſubiecto, & accidenti. Rem explicet exemplum: abſtrahitur ab hoc & illo albo ratio albi vniuerſaliter ſumpti, conceptus ille, ſeu illud concretum album abſtractè ſumptum non conſtituit quintum prædicabile reſpectu huius albi, & illius albi formaliter ſumpti, quia hæc prædicatio *hoc album eſt album*, non pertinet ad quintum prædicabile, ſed ad ſecundum ſpeciei, quia prædicatum dicit quidquid includit ſubiectum demptâ differentiâ indiuiduali, quod eſt dicere totam eſſentiam prædicabilem per quod conſtituitur ſpecies formaliter. Conſtituitur ergo conceptus ille *album* ſic abſtractum quintum prædicabile reſpectu ſubiectorum, quæ includunt tanquam ſubſtituta concreta ſingularia, à quibus abſtrahitur, v.g. reſpectu ligni, parietis, &c. quibus cum albedine conſtituitur hoc album, & illud album.

3 Quæſtio eſt, an hoc prædicatum album requirat plura ſubiecta actu exiſtentia vt conſtituatur vniuerſale, Patres Conimbricenſes affirmatiuam partem tuentur, quia hoc prædicatum *album* tantùm poteſt enunciari de ſubiecto exiſtente, ac proinde pluribus ſubiectis non exiſtentibus de pluribus prædicari nequit, neque eſſe vniuerſale cuius eſſentia eſt *poſſe prædicari de pluribus.* Alij diſtinguunt inter accidentia, quæ requirunt exiſtentiam ſubiecti, ſicut albedo, quæ de ſubiecto non exiſtente in concreto dici nequit, & accidentia intentionalia, quæ hanc exiſtẽtiam non expoſcunt, poteſt enim dici cognitus Petrus etiam non exiſtens. Idem iudicium ferunt de accidenti ſubiecti deſtructiuo, de Petro enim non exiſtente dicimus, *Petrus eſt mortuus.*

4 Cenſeo in primis hanc diſtinctionem ad rem non eſſe, quia ſicuti non poſſumus dicere *Petrus eſt albus*, niſi de facto ſit albedo afficiens ſubiectum, ita non poſſumus dicere eſt cognitus, niſi de facto exiſtat cognitio reſpiciens obiectum, quod denominat cognitum, neque Petrus eſt mortuus niſi de facto ſit mors, ſeu non eſſe hominis, qui antea fuerat, & ſicuti inquiritur an exiſtente vno tantùm ſubiecto albo hic conceptus albus ſit vniuerſalis, ſic inquiri debet an vno tantùm ſubiecto dato, cum denominatione cogniti, ſeu an data tantùm vna cognitione vnicum reſpiciens ſubiectum, conceptus iſte cognitus abſtractè ſumptus ſit vniuerſalis, & an quando vnus tantum homo fuit emortuus, conceptus iſte mortuum abſtractè ſumptum vniueſalis ſit. Cenſeo inſuper non exiſtentibus pluribus ſubiectis actu albis hoc prædicatum *album* abſtractè ſumptum eſſe vniuerſale, quia quatenus eſt ex ſe, aptum eſt prædicari de pluribus, & ſi de facto non poſſit immediatè de illis prædicari, hæc impotentia non oritur ex aliquo, quod in prædicato ſic abſtracto ad prædicabilitatem deſideretur, ſed ex defectu ſubiecti, quod non minuit potentiam prædicandi tenentem ſe ex parte prædicati, ſicuti non minuit meam potentiam viſiuam defectum obiectorum, & de facto dicor habere potentiam ad videndum duos Soles licet de facto non poſſim illos videre, quia vnus ſolus exiſtit.

Rogari ſolet an quintum prædicabile requirat plures 5
albedines in pluribus ſubiectis, vel an contentum eſſet vnica albedine in pluribus ſubiectis exiſtente. Cui quæſtioni reſpondeo ſufficere eandem albedinem in pluribus ſubiectis, quia concreta accidentalia multiplicantur per ſubiecta, & ita eſſent plura alba, etiamſi vna tantum albedo exiſteret in pluribus ſubiectis. Neque ex hoc ſequitur dari vniuerſale à parte rei, quia licet albedo eſſet vna, alba tamen non haberent vnitatem niſi per intellectum.

Hîc diſputant nonnulli an quartum, & quintum præ- 6
dicabile eſſentialiter differant, vel tantùm accidentaliter, de quo Controu.7.Punct.1.

CONTROVERSIA VII.

De his quæ communia ſunt omnibus prædicabilibus.

PUNCTUM PRIMUM.

De numero prædicabilium.

PRædicabilia quinarium numerum attin- 1
gere, illùmque non excedere fert communis ſententia, à qua propter leuia fundamenta recedendum non eſt. Prædicabilia non poſſe excedere quinarium ſic probo: Modus prædicandi vel eſt in *quid* purè, vel in *quale*, vel in *quale quid*. Si eſt in *quid*, vel eſt tanquam pars, vel tanquam totum: ſi tanquam pars erit tanquam pars materialis, quia pars formalis non prædicatur in *quid* purè, & ita modus iſte prædicandi conſtituit genus, quod eſt primum prædicabile: ſi tanquam totum coſtituet ſecundum prædicabile, quod eſt ſpecies, neque præter hos duos modos alius ſupereſt prædicandi in *quid* purè. Prædicandi in *quale quid* vnus tantùm reperitur modus prædicandi per modum partis formalis eſſentialis, quia pars materialis & totum prædicantur in *quid* purè, & pars accidentalis in *quale* purè, hic ergo modus prædicandi in *quale quid* conſtituit tertium prædicabile, quod eſt differentia. Modus prædicandi in *quale* purè, neceſſariò eſt per modum partis formalis accidentalis, quæ ſi neceſſariò comitetur eſſentiam conſtituet proprium quartum prædicabile; ſi contingenter, accidens quintum prædicabile conficiet. En quinque modos prædicandi, quibus quinque prædicabilia conſtituuntur, vltra quos nullum alium meditaberis. Alio modo eandem concluſionem breuiter oſtendo. Modus prædicandi vel eſt eſſentialis, vel accidentalis. Si eſſentialis vel per modum partis materialis, qui modus proprius eſt generis, vel per modū partis formalis, qui pertinet ad differentiā, vel per modum totius, quo ſpecies conſtituitur, neque alius modus prædicandi eſſentialiter valet excogitari. Si modus prædicandi accidentalis ſit, aut prædicatū accidentale neceſſariò comitatur eſſentiam, aut illi contingenter aduenit: ſi illam neceſſariò comitatur, erit proprium quartùm prædicabile, ſi contingenter

Digitized by Google

conſtituet accidens quintum prædicabile, neque vltra hos modos prædicandi alius excogitari poteſt.

2 Contra hanc concluſionem nonnulli obiiciunt: genus ſubalternum prædicatur de pluribus genere differentibus genus infimum prædicatur tantùm de pluribus ſpecie differentibus: ergo genus ſubalternum, & genus infimum ſpecie differunt. Probatur conſequentia: genus & ſpecies in hac ratione prædicabilium differunt ſpecie, quia genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & ſpecies de pluribus differentibus numero. Sed magis inter ſe differunt prædicari de pluribus differentibus genere, & pluribus differentibus ſpecie, quàm prædicari de pluribus differentibus ſpecie,& pluribus differentibus numero: ergo magis differunt in modo prædicandi genus ſubalternum,& infimum, quàm genus, & ſpecies. Sed genus & ſpecies conſtituunt duo prædicabilia eſſentialiter diſtincta: ergo duo alia conſtituent genus ſubalternum,& infimum. Idem argumentum fit de ſpecie ſubalterna, & infima.

3 Reſpondeo concedendo primum antecedens, & negando conſequentiam. Ad confirmationem dico genus & ſpeciem non diſtingui ſpecie præciſè ex eo, quod genus prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, & ſpecies de pluribus differentibus numero,ſed ex eo, quod genus prædicetur per modum partis materialis, & ſpecies per modum totius eſſentiæ,quæ differentiæ explicantur in genere & in ſpecie per hoc quod eſt prædicari genus in *quid* de pluribus ſpecie differentibus,& ſpeciem de pluribus differentibus numero. Genus autem ſubalternum, & infimum vtrumque prædicantur per modum partis materialis, & ita non inuenitur in illis differentia,quæ reperitur inter genus & ſpeciem, vt duo prædicabilia conſtituant. Idem dicito de differentia ſubalterna,& infima, vtraque enim prædicatur tanquam pars formalis eſſentialis, abſque eo, quod reſultet modus aliquis diſtinctus prædicandi in ſubalterna,& infima, etiamſi hæc tantùm prædicetur de pluribus numero differentibus, & illa de pluribus differentibus ſpecie.

4 Probauimus prædicabilia non excedere quinarium numerum,videndum modò eſt an illum attingant. Tria priora prædicabilia inter ſe,& à quarto,& quinto ſpecie differre certũ eſt apud omnes: de quarto & quinto prædicabili maior eſt difficultas. Arriaga diſp.9.ſect.2.n.11. aſſerit hæc duo prædicabilia inter ſe non differre eſſentialiter, & ita vnum tantùm conſtituere, quia vtrumque,prædicatur in *quale* purè, & vtrumque per modum partis formalis accidentalis quod autem vnum prædicetur neceſſariò, & aliud contingenter, putat eſſe materialem differentiam ad Logicum non ſpectantem. Idem docet Hurtadus diſp.7. ſect.2. licèt ſe non reclamaturum promittat, contra illos,qui hæc duo prædicabilia ſpecie diſtinguant.

5 Nulla efficaci ratione in ſententiam aliquam efficaciter trahor, quapropter ſto pro communi ſententia, & affirmo hæc duo prædicabilia inter ſe eſſentialiter differre ex modo prædicandi, quibus completur quinarius prædicabilium numerus ab omnibus receptus. Sit ratio:modus prædicandi neceſſariò, & modus prædicandi contingenter ſunt modi prædicandi eſſentialiter diſtincti, contingens enim, & neceſſarium eſſentialiter opponuntur, & vterque modus prædicandi pertinet ad ſpeciem prædicabilis conſtituendi, ſicuti modus concludendi ex principiis neceſſariis, aut contingentibus pertinet ad ſpeciem ſyllogiſmi conſtituendi, & quando concluditur ex principiis omnino neceſſariis conſtituitur demonſtratio ſpecie diſtincta à ſyllogiſmo probabili, qui conſtituitur quando concluditur ex principiis non neceſſariis, & ſicuti ex diuerſitate materiæ neceſſariæ, aut contingentis reſultat differentia eſſentialis in ſyllogiſmo, qui ex hac, vel ex illa conſtituitur, ſic ex diuerſitate eiuſdem materiæ reſultabit differentia eſſentialis in prædicabili, quod conſtituitur ex prædicato, quod neceſſariò, aut contingenter conuenit ſubiecto.

6 Ex hac doctrina facilè reſpondebis argumento, quod pro oppoſita ſententia fieri ſolet. Quartum, & quintum tantùm differunt ratione materiæ contingentis, aut neceſſariæ.Sed Logicus non agit de materia prædicabilium: ergo differentia illa non pertinet ad Logicum: ergo hæc prædicabilia Logicè non differunt. Diſtinguendum eſt primum antecedens:quartum,& quintum prædicabile tantùm differunt ratione materiæ: radicaliter, concedo formaliter nego, hoc eſt, tota differentia horum prædicabilium initium ſumit ex diuerſitate materiæ, non tamen formaliter in hac conſiſtit, ſed in differentia in modo prædicandi contingenter aut neceſſariò, quæ ex materiæ diuerſitate reſultat.

PVNCTVM II.

An vniuerſale ſit genus ad quinque prædicabilia?

NOn procedit quæſtio de vniuerſali materialiter ſumpto,ſeu de naturis,quæ denominãtur vniuerſales ſeu conſtituunt genera, aut ſpecies,harum enim quædam ſunt accidentia,alia ſubſtantiæ, quædam entia poſitiua,alia negatiua, quædam realia, rationis alia, quibus omnibus non dari conceptum communem vniuocum certum eſt. Procedit difficultas an genus, & ſpecies & reliqua prædicabilia formaliter ſumpta, quatenus ſunt concreta ſecundæ intentionis vniuocè conueniant in conceptu vniuerſalis omnibus communi. 1

In ſenſu quæſtionis explicato mihi certum eſt omnia prædicabilia vniuocè conuenire in conceptu vniuerſalis omnibus communi,& eſſentiali. Ratio ſit:omnia prædicabilia habent eſſentialiter hoc quod eſt poſſe prædicari de pluribus,& differunt ex eo quod vnum prædicetur vt tota eſſentia, aliud vt pars materialis, aliud vt pars eſſentialis, &c. ergo poſſunt omnia cognoſci cognitione quadam confuſà, ex vi cuius apprehendantur, quatenus poſſunt de multis prædicari, quin diſcernatur ſpecialis cuiuſcumque modus prædicandi per modum, vel per modum partis, &c. ergo poſſunt cognoſci conceptu quodam vniuoco ſecundùm rationem, in qua omnes conueniunt, quæ ex vi talis cognitionis genus denominabitur. Confirmatur: hominem, & equum, & alias huiuſmodi ſpecies vniuocè conuenire in ratione animalis nihil aliud eſt quàm cognoſci cognitione quadam confuſá, ex vi cuius non diſcernantur differentiæ, & omnia attingantur ſecundùm connotata ſimilia, per quam cognitionem animal, quod intrinſecè tantùm eſt viuens ſenſibile extrinſecè denominatur genus. Sed omnia prædicabilia poſſunt cognoſci ſimili cognitione,ex vi cuius non diſcernantur differentiæ, ſed tantum attingatur ratio vniuerſalis: ergo ex vi huius cognitionis vniuerſale quod tantum intrinſecè habet eſſe vnum in multis genus denominabitur reſpectu omnium prædicabilium, ſeu omnium ſpecierum, quæ in illa cognitione confunduntur. 2

Obiicies: Tria priora prædicabilia prædicantur eſſentialiter, duo poſteriora accidentaliter: ergo non conueniunt vniuocè in ratione prædicabilium. Reſpondeo tria priora prædicabilia eſſe eſſentialia ſuis inferioribus,& poſteriora accidentalia, omnibus tamen eſſe eſſentiale poſſe prædicari de multis, potentia enim,ſeu aptitudo vt prædicentur de multis, omnibus eſt æquè eſſentialis, licet tria priora habeant aptitudinem vt prædicentur tanquam ſubiecti eſſentia, & duo poſteriora habeant aptitudinem ipſis prædicabilibus eſſentialem, in qua cum aliis conueniunt, vt prædicentur tanquam accidentia reſpectu ſubiecti. Aliud enim eſt prædicatum non eſſe eſſentiale reſpectu ſubiecti, quod conuenit duobus poſterioribus prædicabilibus, aliud in ſe non habere aptitudinem eſſentialem, vt prædicetur, quod de nullo prædicabili dici poteſt, omnia enim habent aptitudinem ipſis eſſentialem vt prædicentur, in qua vniuocè conueniunt. 3

Obiicies ſecundò: Differentia eſſentialis, & differentia accidentalis non conueniunt vniuocè, quatenus faciunt differre: ergo neque quatenus ſunt prædicabiles. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia differentia accidentalis propriè non facit differre, vt dicebam Controu.6. Punct. 1. differentia verò accidentalis propriiſſimè prædicatur prædicatione, quæ ſtrictè & rigoroſè habet totam prædicationis eſſentiam, & ita habet ſtrictam, & propriam potentiam ſecundùm omnia prædicata potentiæ, vt de inferioribus prædicetur. 4

Obiicies tertiò: Duo prædicabilia poſteriora dependent è duobus prioribus: ergo non poſſunt vniuocè conuenire. Defendo in Metaphyſic. Controuerſia 1. Punct. 6. dependentiam non tollere vniuocationem, ac proinde omiſſo antecedenti poſſem conſequentiam negare, independenter tamen ab hac quæſtione argumentum diſſoluo diſtinguẽdo antecedens.Poſteriora prædicabilia dependent à 5

prioribus

Digitized by Google

prioribus ſecundùm entitates materiales, concedo : ſecundùm prædicabilitatem , quæ eſt forma vniuerſalis , nego. Inſtabis : modus prædicandi ſequitur modum eſſendi, quia quales ſunt res, tales debent enunciari. Sed modus eſſendi poſteriorum prædicabilium eſt dependenter à prioribus: ergo & modus prædicandi. Reſpondeo modum prædicandi ſequi modum eſſendi intentionalem, & non realem. Ad confirmationem dico res debere prædicari ex parte obiecti in ordine ad affirmationem,& negationem eo modo, quo fiunt non verò ſecundùm modum prædicandi , modus enim quo res exiſtit,debet explicari per prædicationé,non tamen debet ipſi prædicationi conuenire , quia modus eſſendi cuiuſlibet rei, eſt determinatus, & ſingularis,& modus prædicandi ſæpe eſt vniuerſalis , vagus & confuſus.

6 Obiicies quartò : Conceptus vniuerſalis tranſcendit vltimas differentias prædicabilium : ergo non poteſt illis eſſe vniuocus. Eodem modo , quo de dependentia , ſentio de tranſcendentia vniuocationem non impedire , ſed quidquid de h oc ſit negandum eſt , quia differentiæ prædicabilium,quæ explicantur per *quid*, aut per *quale* , aut per modum partis materialis,vel formalis, ſeu per modum totius ſecundùm ſe vniuerſalitatem non includunt.

7 Obiicies quintò : Si vniuerſale eſt genus ad quinque prædicabilia , vniuerſale eſſe vnum ex prædicabilibus , & ſpecies ſui ipſius, & inferius, atque ſuperius ſe ipſo ; inferius quia eſt genus, quod vniuerſali ſubiicitur; ſuperius quia eſt vniuerſale , ratio abſtracta ab omnibus prædicabilibus. Sed hæ non poſſunt componi : ergo vniuerſale non eſt genus ad quinque prædicabilia. Reſpondeo vniuerſale ſecundùm conceptum illi intrinſecum , & eſſentialem , qui tantùm dicit eſſe vnum in multis eſſe quid generè ſuperius ab illo abſtractum , & commune omnibus prædicabilibus , in quibus reperitur,ſicuti reperitur ratio animalis ſecundùm conceptum eſſentialem viuentis ſenſibilis in quacumque ſpecie ſub illo contenta ; huic verò conceptui , vniuerſale, accidentaliter , & extrinſecè aduenire denominationem generis per cognitionem reflexam , qua omnia vniuerſalia intrinſecè iam conſtituta confusè cognoſcuntur , ex vi cuius cognitionis vniuerſale quatenus per illam accidentaliter denominationem genus conſtituitur , ſecundùm hanc denominationem accidentalem inferius ſe ipſo ſecundùm rationem eſſentialem , quod inconueniens non eſt , cùm non ſit idem vniuerſale inferius, & ſuperiùs ſecundùm eandem rationem , ſed ſuperiùs & multis commune ſecundùm conceptum eſſentialem , videlicet quatenus eſt vnum in multis ſecundùm quem conceptum reperitur in omnibus ſpeciebus , ſicuti animal reperitur in ſuis inferioribus ſecundùm conceptum viuentis ſenſibilis, & inferius ſuo conceptu eſſentiali ſecundùm denominationem accidentalem generis , ſecundùm quam non debet reperiri in ſuis inferioribus , ſicuti animal non reperitur in homine, & equo ſecundùm conceptum extrinſecum , & accidentalem generis , ſed præcisè quatenus eſt viuens ſenſibile. Eandem doctrinam latè tradidi Controuerſ. 3. Punct. 1. vbi explicui quomodo genus poſſit definiri , & dari genus generis. Hic intempeſtiuè nonnulli agunt de prædicamentis , de quibus in Metaphyſicis diſputo.

CONTROVERSIA VIII.

De ſigno.

IN duobus libris de interpretatione agit Ariſtoteles de propoſitione , & conſequenter de oratione , quia propoſitio eſt oratio enunciatiua , & de partibus propoſitionis, videlicet de nomine & verbo,& quia hæc rerum ſunt ſigna de ſigno ibidem diſputationem inſtituit. De oratione , propoſitione , nomine , & verbo egi Controuerſ. 3. Summularum,reſtat modò agere de ſigno, cuius naturam præſens Controuerſia diſcutiet.

Pvnctvm Primvm.

Quid ſit ſignum?

SIgnum definiuit D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 1. & lib. de principiis Dialecticæ cap. 5: *Signum eſt , quod præter ſpeciem ſui quam ingerit ſenſibus , aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Ad hanc definitionem explicandam notandum eſt,duplex eſſe ſignum quoddam formale , inſtrumentale aliud. Signum formale dici ſolet illud, quod per ſe formaliter ſuum obiectum potentiæ ſignificat, ſeu id quod formaliter conſtituit potentiam cognoſcentem obiectum illud , cuius dicitur ſignum. Huiuſmodi eſt cognitio, ſeu ſpecies impreſſa reſpectu ſui obiecti. Signum inſtrumentale dicitur , quod eſt inſtrumentum medio quo deuenimus in cognitionem, ſeu in formale ſignum obiecti , hac ratione deſeruit ſuſpirium ad cognoſcendam triſtitiam , quam ſignificat , & hæc vox *homo*, ad cognoſcendum animal rationale , cuius eſt ſignum. Ex his ſignis definitio hæc tantùm conuenit ſigno inſtrumentali , & non formali , quia ſignum formale nullam ſui ſpeciem ingerit , neque prænoſci neceſſe eſt , vt ſuum obiectum ſignificet. Addit nonnullus adhuc prædictam definitionem non competere omnibus ſignis inſtrumentalibus , quia non conuenit ſpeciei impreſſæ , quæ eſt ſignum inſtrumentale , & media ſpecie expreſsâ facit nos venire, in cognitionem ſui obiecti. Verumtamen dici poteſt ſpeciem impreſſam ſignum inſtrumentale non eſſe , quia non facit nos deuenire in cognitionem obiecti, mediâ ſui cognitione,imò neque ſignum eſſe , quia de ratione huius eſt facere deuenire in cognitionem obiecti vel formaliter per ſe ipſum , vel mediâ ſui cognitione. Poteſt etiam ad ſignum formale aliquo modo reduci , quia licet per ſe non conſtituat formaliter cognoſcentem potentiam in ordine ad quam ſignum dicitur , illam tamen informat , & per modum formæ ſe habet reſpectu illius. Doctrina hæc facilius poterit defendi , ſi dicatur ſignum formale eſſe illud , quod informat potentiam in ordine ad quam ſignum dicitur , & ſignum inſtrumentale appellari illud , quod eſt extra potentiam. In his enim , quæ tantùm loquendi modum important facilè quiſque poterit rem componere , & ea ratione componenda eſt , qua tanti Doctoris definitio conſtans ſit illæſáque defendatur. Demum dici poterit D. Auguſtinum tantum definiſſe ſigna externa , quæ frequentiùs apud omnes ſigna dicuntur. 1

Signum in vniuerſum definiunt nonnulli *id quod facit nos deuenire in cognitionem alicuius rei.* Verumtamen hæc definitio exacta non eſt, quia conuenit cauſis reſpectu ſuorum effectuum , ex cauſarum enim cognitione in cognitionem ſuorum effectuum deuenimus, & tamen cauſæ iuxta communem loquendi modum non dicuntur effectuum ſigna. Reſpondebis de ratione ſigni eſſe facere deuenire in cognitionem rei,quam ſignificat à poſteriori,& non à priori; cauſam autem facere deuenire in cognitionem effectus à priori, & non à poſteriori , & ideò ſuum effectum non ſignificare , neque illius eſſe ſignum. Doctrinam ex tuo cerebro fingis ad præſentem difficultatem effugiendam. Sed eſto vera eſſet ; quanam definitionis particula ſignificatur cognitionem ex ſigno non à priori, ſed à poſteriori deducendam eſſe ? Demum cognitio vini venalis ex ramo pendenti, qui in omnium opinione ſignum dicitur, à poſteriori non eſt , cum ramus non ſit effectus vini , ni velis omnem cognitionem , quæ non eſt à priori , & per cauſam , dici à poſteriori. 2

Rectè notarunt P. Toletus lib. 1. Periherm. cap. 1. q. 1. & P. Rub. ibid. quæſt. vnica, n. 5. Signum aliud eſſe proprium, aliud improprium. Signum propriũ duas habet conditiones. Prima eſt , vt faciat nos deuenire in cognitionem rei, quam ſignificare dicitur. Hac ſignum improprium contentum eſt. Secunda , vt à natura ipſa, vel ab hominum impoſitione inſtitutum ſit ad talem rem ſignificandam. Ex defectu huius conditionis aſſerit P. Rubius riſum non eſſe ſignum irrationalitatis, quia riſus inſtitutus non eſt , vt nos faciat deuenire in cognitionem principij ratiocinandi , licet de facto ad illud cognoſcendum nos deducat. Ex defectu eiuſdem conditionis noſter Toletus excludit à propria ratione ſigni fumum reſpectu ignis , effectus reſpectu cauſarum,& cauſas reſpectu affectuum , quia neque 3

 fumus

Digitized by Google

fumus ad ignem, neque cauſa ad effectum ſignificandum, neque effectus vt nos faciat deuenire in cauſæ cognitionem inſtituta ſunt. Exciperem ego effectus in quibus principia intendunt ſpeciem conſeruare, quales ſunt omnes vniuoci, quia horum productio inſtituitur à natura vt principium creatum ex ſe defectibile in effectu perſeueret, & cauſa, quæ non poteſt ſe ipſam conſeruare, in effectu eiuſdem naturæ, vel quem eiuſdem naturæ intendebat producere, intendit ſuam durationem protendere. Ob hanc rationem Filij Patrum imagines appellantur, & in ſimilitudinem naturæ produci dicuntur, & quaſi Patrum loco à natura conſtituuntur, vt horum memoria in illis tanquam in ſigno, & imagine perſeueret. Ex his proprietatibus rectè ſignum in vniuerſum definietur, *Quod inſtitutum eſt, vt nos faciat deuenire in cognitionem alicuius.* Hac definitione comprehunduntur voces ſignificatiuæ, quæ ex hominum conſenſu inſtitutæ ſunt ad obiecta ſignificanda, comprehenduntur etiam alia ſigna artificialia, ſicuti Cæſaris pictura, quæ ab artifice effecta eſt, vt nos faciat in cognitionem Cæſaris deuenire, & tubæ ſeu campanæ ſonitus qui ex hominum conſenſu, verbis aut conſuetudine inſinuato deſeruit, vt nos faciat deuenire in cognitionem ineundi prælij, vel lectionis legendæ. Comprehenduntur etiam ſigna naturalia, veluti ſunt cognitiones reſpectu ſuorum obiectorum, ad quæ repræſentanda inſtituuntur, & filij reſpectu Parentum, & effectus reſpectu cauſarum vniuocarum. In his comprehendi vult P. Rubius ſupra gemitus, & ſuſpiria, quia inſtituta ſunt à natura, vt triſtitiam animalis ſignificent; ego verò potiùs dicerem inſtituta eſſe in naturæ leuamen, quod mediis illis intenditur, & ea à propria ſigni ratione excluderem.

4 Diſputant nonnulli an de ratione ſigni ſit vt obiectum quod ſignificet ab ipſo realiter ſit diſtinctum. Cenſeo de ratione ſigni non eſſe diſtinctionem à re ſignificata, quia poteſt dari cognitio reflectens ſupra ſe ipſam, quæ ſe ipſam repræſentet, & conſequenter ſit ſignum ſui ipſius. Similiter in ſignis externis, & inſtrumentalibus hæ dictiones *vox* & *nomen*, ſe ipſas ſignificant, quia prima ſignificat omnem vocem, & conſequenter ſe ipſa cum ſit vox, ſecunda quia ſignificat omne nomen, & cum ipſa nomen ſit, ſit ſe ipſam ſignificare. Neque inconueniens eſt idem ex cognitione ſui ducere in aliam cognitionem ſui ipſius, quod ſufficit ad rationem ſigni, quia non eſt de ratione huius ducere in cognitionem primam rei ſignificatæ, ſed ſufficere ducere in aliquam rei cognitionem, etiamſi res ſupponatur iam cognita.

De ſignorum diuiſione dixi Controu. 1. Summul. Punct. 2. num. 5. ſolúmque addendum occurrit ibi dictis cognitionem, quæ eſt ſignum, formale ſui obiecti poſſe etiam dici ſignum inſtrumentale, & non ſolùm per ſe ipſam formaliter obiectum repræſentare, ſed media ſui cognitione ducere in cognitionem ſui obiecti, eo enim ipſo quod quis reflexè cognitionem agnoſcat in ipſa tanquam in obiecto prius cognito cognoſcit illius obiectum.

PVNCTVM II.

In quo conſiſtat formalis ratio ſigni?

1 IN ſignorum naturalium ratione formali aſſignanda nulla eſt difficultas, certum enim eſt hæc per ſe ipſa repræſentare ſuum obiectum, vel ducere in cognitionem illius, ſic cognitio nullo ſuperaddito formaliter ſignificat ſuum obiectum, & ſuſpirium, gemitus, & fumus per ſe ipſa ducunt in cognitionem ſuorum obiectorum, quorum ſunt ſigna ſaltem impropria, aut propria, vt non pauci volunt. Ita difficultas eſt de ſignis, quæ non naturaliter per ſe ipſa, ſed ex libera hominum impoſitione ſignificant.

2 Audiendi non ſunt qui aſſerunt ſigna ad placitum conſtitui per relationem quandam prædicamentalem, quæ reſultat in vocibus, ex hominum conuentione, qua ſtatuerunt voces hanc vel illam ſignificationem habuiſſe, quia vt probabo Coutrou 5. Metaphyſic. Punct. 2. nulla relatio prædicamentalis fundamento & termino ſuperaddita admittenda eſt, & etiamſi admitteretur, alienum eſt ob omni ratione aſſerere ex voluntate hominum, quæ iam per annorum multa millia millium præteriit, nunc reſultare in voce, quam profero accidens quoddam reale intrinſecum.

3 Fert communis ſententia rationem formalem ſigni in vocibus, & aliis ſignis ad placitum eſſe extrinſecam denominationem procedentem à voluntate illorum, quibus datum fuit nominibus aut rebus ſignificationem imponere, ita tenent omnes Doctores, præter paucos, qui aſſerebant rationem formalem ſigni conſiſtere in relatione prædicamentali fundamento intrinſeca, illique ſuperaddita. Veruntamen, quia nonnulli aſſerunt extrinſecas denominationes importare ens rationis, ideo aſſerunt rationem ſigni dicere formaliter ens rationis. Alij verò qui tenent extrinſecas denominationes dicere quoddam ens morale in hoc ente morali rationem ſigni conſtituunt. Illi verò qui defendunt extrinſecas denominationes nihil addere ſupra fundamenta, à quibus dicuntur trahere originem, & ab his nullo modo diſtingui, conſequenter defendunt ſignum nihil aliud dicere, quàm vocem aut rem tanquam materiam, & liberam voluntatem qua homines ſtatuêre per talem vocem aut rem in cognitionem deueniri talis obiecti, non retractatam, neque per non vſum, aut per vſum oppoſitum reiectam. Extrinſecas denominationes non eſſe entia rationis, neque à fundamentis diſtingui probabo Controu. 12. Metaphyſic. Punct. 5. iuxta quam ſententiam conſtituens rationem ſigni in extrinſeca denominatione teneor aſſerere ſignum pro materiali dicere vocem aut rem, quæ extrinſecè in ratione ſigni conſtituitur, & pro formali voluntatem hominum, ex vi cuius ſtatuêre per hanc vocem ſeu rem deueniri in cognitionem talis obiecti habitualiter perſeuerantem, ex eo quod non ſit retractata, aut per non vſum, ſeu per contrarium vſum abolita.

4 Ratio eſt facilis, ex eo enim præciſè, quod Adamus voluerit hac voce *homo* deueniri in cognitionem animalis rationalis conſtituta fuit in actu primo illud ſignificans, & facta eſt nomen eius, iuxta illud Geneſis 1. *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis ipſum eſt nomen eius.* Neque quidquam aliud præceſſit, aut eſt in rerum natura, ex vi cuius hæc vox homo conſtituta fuerit ſignificatiua noſtræ ſpeciei præter Adami voluntatem. Sic in aliis vocibus, quæ inſtitutæ ſunt in quacumque lingua ad hoc vel illud obiectum ſignificandum nihil aliud poteſt excogitari, ex vi cuius ſignificationem habere dicantur, præter communem hominum conſenſum, aut voluntatem illius, qui idiomatis ad quod vox illa pertinet author fuit. Neque ex alio capite ſono campanæ audito intelligimus tempus eſſe lectionem adeundi, niſi quia hominem voluntate ſancitum, vt quotieſcumque hæc campana pulſetur tempus eſſe adeundi lectionem intelligatur. Sic ſæpe conuenire ſolemus, vt quotieſcumque rem aliquam videndam obiiciamus in cognitionem huius euentus, illiúſve voluntatis, quam exprimere volumus deueniendum eſſe. Pleraque inſtituimus ſigna, quibus verborum loco vtimur, noſtróſque pandimus affectus, ex eo præciſè quod liberè ſtatuerimus hanc vel illam rem hoc ſigno dato intelligendam eſſe.

5 Obiicies: voluntas illa, quam aſſignauimus, habet pro obiecto rationem ſigni: ergo non eſt ratio formalis ſigni, cum hæc ſe teneat ex parte obiecti, ad quod terminatur voluntatis actus, qui non fertur in ſeipſum. Reſpondeo voluntatem illam non habere pro obiecto virtutem ſignificandi, per quam formaliter ſignum conſtituitur, ſed ſignificationem actualem, quæ eſt actus illius potentiæ, quam formaliter conſtituit voluntatis actus. Itaque talis actus per ſe ipſum in genere cauſæ formalis conſtituit ſignum in ratione ſigni, hoc eſt, potens ſignificare, & reſpicit tanquam obiectum ſignificationem actualem realiter diſtinctam à ratione ſigni, ſicuti præceptum ſuperioris reſpicit tanquam obiectum rem præceptam, cuius obligationem inducit, & per ſe ipſum formaliter inducit obligationem, & eſt ratio formalis obligandi, ex vi cuius ſubditus manet obligatus ad exequendum obiectum talis actus. Idem contingit in inſtitutione monetæ, voluntas enim Principis, ex vi cuius moneta inſtruitur, reſpicit tanquam obiectum homines tanti habere metallum hoc ſic elaboratum, hiſque ſignis excuſum, & formaliter conſtituit tale metallum cum valore, ratione cuius tanti habeatur, formalis autem monetæ ratio non conſiſtit in hac æſtimatione actuali, quæ eſt obiectum actus, ex vi cuius moneta inſtituitur, ſed in illo valore, qui eſt ratio formalis monetæ, & formaliter conſiſtit in actu Principis ad hanc æſtimationem actualem terminato.

6 Obiicies ſecundò: Ratio formalis ſigni conſiſtit in actu

voluntatis,

voluntatis ex vi cuius vox, aut res in ratione ſigni inſtituitur: ergo qui cognoſcit ſignum debet cognoſcere talem actum, quia nequit cognoſci ſignum, quin cognoſcatur ratio formalis, ex vi cuius conſtituitur, ſicuti nequit videri album, quin videatur albebo, per quam formaliter ſubiectum conſtituitur album. Sed ſic eſt quod plures cognoſcunt rem hanc, & illam vocem eſſe ſigna, quin cognoſcant aliquem voluntatis actum, ex vi cuius talia ſigna fuerint conſtituta: ergo ratio formalis ſigni non conſiſtit in actu voluntatis. Rectè monet Hurtadus diſput. 8. ſect. 3. §. 19. difficultatem hanc communem eſſe in omnium ſententia, ſiue enim dicatur rationem ſigni conſiſtere in ente rationis, aut in relatione reali, aut moralitate aliqua, cognoſcimus hanc vocẽ homo ſignum eſſe animalis rationalis, abſque eo quod apprehẽdamus ens rationis, realem relationem, aut aliquam moralitatem. Quod ſi dicas aliquid horum, in quo conſtituas rationem ſigni ſemper apprehendi, cum ſignum apprehenditur, eadem ratione dicam ego apprehendi ſemper actum voluntatis, ex vi cuius ſignum eſt inſtitutum, experiẽtia enim æquè vtrique refragatur, aut ſuffragatur. Hoc præmiſſo reſpondet Hurtadus album non poſſe videri ſine albedine, quia hæc eſt tota videndi ratio, quâ ſeclusâ ſubiectum materiale videri nequit, poſſe tamen cognoſci per intellectum album materiale, quin cognoſcatur albebo. Eadémque ratione poſſe cognoſci ſignum materiale, hoc eſt materia, cui contingit ratio formalis ſigni quin hæc cognoſcatur, & ex cognitione ſigni materialis duci in cognitionem rei ſignificatæ non cognito actu voluntatis, ex vi cuius formale ſignũ conſtituitur. Non placet ſolutio, licèt enim verum ſit poſſe cognoſci ſignum materiale, hoc eſt materia ſigni ſecundum ſe, non cognita ratione formali ſigni. hæc materia ſigni, ſeu hoc materiale ſignum ſecundum ſe ſumptum non ducit in cognitionem rei ſignificatæ, ex eo enim quod quis percipiat hanc vocem homo, quæ eſt ſigni materia non deueniet in cognitionem animalis rationalis, ſi non cognoſcat talem vocem conſtitutam eſſe ad ſignificandum animal rationale, quod eſt cognoſcere eſſe ſignum formale, & hoc ipſum cognoſcere.

7 Reſpondet Arriaga diſput. 13. ſect. 2. num. 25. cum primò addiſcitur lingua ſemper cognoſci voluntatem, ſi non primi inuentoris, ſaltem eorum qui tunc loquuntur, & ideo ſemper interrogatur: *Quid vis dicere per hoc? Quid Latini, aut Græci per hoc verbum intelligunt?* ſemel autem comparato illo verbo cum re ſignificata, poteſt deinceps excitare eas ſpecies, ſeu ſignificare in actu ſecundo, etiam ſi non exiſteret ſpecies de voluntate legiſlatoris, vel aliorum, quod, inquit, in excitatione ſpecierum paſſim experimur, & in diſcurſu patet: acquirimus enim concluſionem dependenter à præmiſſis, poſtea tamen manet in nobis ſpecies de ipſa concluſione, etiamſi non recordemur præmiſſarum. Dedi eadem ferè Arriagæ verba, quia mihi difficilem ſenſum reddunt, noluique aliis difficiliorem reddere. Exemplum adductum ſuadet cognitam rem ex ſigno poſſe ſui ſpeciem relinquere, ex vi cuius iterum cognoſcatur ſigno non cognito, quod ego non inficior, veruntamen eandem rem poſſe iterum cognoſci immediatè formaliter ratione ſigni, quo in actu ſecundo ſignificatur ſigno non cognito, omnino alienum eſt à veritate, quia ſignum iſtud ducit in cognitionem rei ſignificatæ media ſui cognitione: ergo etiamſi cùm primùm linguam didicerim cognouerim rationem formalem ſigni, & ex vi huius rem ſignificatam, ſi iterum eandem rem ſim cogniturus non præcisè ex ſpeciebus, quas ipſa prius cognita reliquit, ſed ex ſigno, quo illam prius cognoueram, iterum debeo ſignum cognoſcere, & conſequenter rationem formalem illius. Secundò omnino falſum eſt pueros cum primùm linguam addiſcunt cognoſcere voluntatis actum, per quem voces conſtituuntur formaliter ſigna, non enim puer dum primo percipit voces linguæ, quam addiſcit, perfectius cognoſcit illarum ſignificationem, quam iam linguæ peritus, ſed poſtea dum linguam dedicit ſæpe non cognoſcit actũ voluntatis, quo voces coſtituuntur ſignificatiuæ: ergo neque illum cognouerunt, dum prima linguæ elementa addiſcebant. Deinde ſi pueri omnes, dum primo linguam didicerunt, actum voluntatis, ex vi cuius impoſita fuit ſignificatio voci, cognouerunt, quomodo iam grandiores effecti ferè omnes obliti ſunt talem actum? vix enim vnum reperiemus Scholaſticis litteris non inſtructum, qui huiuſmodi voluntatis actum agnoſcat.

Cæterum neceſſum non eſt cognoſcere actum voluntatis in quo conſiſtit ratio formalis ſigni, niſi valde confusè, ita vt nullam illius rationem poſſit reddere intellectus, 8
mille exempla ſuadent, cognoſcit enim quiſque ruſticus ſe eſſe dominum bouis, aut aſini, quem emit, & penitus ignorat, in quo conſiſtat formalis ratio dominij, neque vnquam cogitauit de actu, quo venditor efficaciter voluit emptorem vti re venditâ citra omnium iniuriam, in quo conſiſtit formalis ratio dominij. Cognouit etiam ignarus quiſque ſe matrimonium contraxiſſe cum propria vxore, & nihil cogitat de mutuo conſenſu, in quo ſita eſt formalis matrimonij ratio. Inſuper ſcit quis hoc animal eſſe hominem, hoc leonem, illud equum, & leporem aliud, nunquamque in mentem venit ratio formalis conſtitutiua harum ſpecierum, de qua interrogatus nullam poterit rationem reddere. Reſpondeo ergo ad cognoſcendam rem aliquam non quidditatiuè, & diſtinctè ea ratione, qua cognoſcitur conceptus definitionis, ſed confusè & indiſtinctè eo modo, quo res cognoſcitur conceptu definiti, neceſſum non eſſe cognoſcere rationem formalem conſtitutiuam vt diſtinctam ab aliis rebus, ſed cognitione quadam, ex vi cuius intellectus illam adhuc non percipiat vt diſtinctam ab aliis rebus ea ratione, qua cognoſcitur principium rugiendi per conceptum reſpondentem huic voci *leo*, & cognoſcitur mutuus coniugum conſenſus per conceptum reſpondentem huic voci *matrimonium*, qua etiam ratione cognoſcitur actus, ex vi cuius vox conſtituitur ſignificatiua, cùm concipimus vocem illam habere rationem ſigni, etiamſi intellectus non valeat diſcernere inter actum conſtitutiuum ſigni, & conſtitutiua aliarum rerum, neque de illo diſtinctè cogitare.

Ratio imaginis ſeu ſigni in pictura conſiſtit in ſimilitudine, quam habet cum prototypo ſecundum externam figuram, & in eo quod depicta ſit ex intentione repræſentandi tale obiectum, ſeu iam depicta inſcriptione aliqua, 9
ſeu alio externo ſigno ordinata ſit a Domino. & repræſentet obiectum aliquod cum quo ſimilitudinem habet. Sic ſæpè ſolemus picturis, quæ primo effectæ fuerunt ad hoc obiectum repræſentandum vti ad alia obiecta valde diſtincta referenda, & modò ſancti Iacobi titulo picturam inſcribere, quæ antea profani militis titulo erat inſcripta. Ob hanc ordinationem extrinſecam pictura dicitur Cæſaris imago, & Cæſar non dicitur imago picturæ, quia etſi ſimilitudo eadem ſit reſpectu vtriuſque, pictura ordinata eſt vt Cæſarem referat, Cæſar vero non inſtitutus eſt, neque effectus vt inferat picturam.

Pvnctvm III.

De vocum ſignificatione.

Voces naturaliter ſignificare, ſeu ſigna naturalia eſſe obiectorum ſensère Socrates, & Cratylus teſte Pla- 1
tone in Cratylo. Conſensère Pythagoræi ex Reuxippo lib. 1. de prædicamentis, & Heraclitus vt refert Ammonius: Hanc naturalem ſignificationem tribuebam vocum proprietatibus; litteræ enim quædam ſunt vehementiores ſpiritus, quædam leniores, quâ proprietate aliiſque ſimilibus poſſunt naturas rerum indicare.

Ariſtoteles 1. *Periherm.* cap. 1. & 2. negat voces naturaliter ſignificare, aitque tantùm ex libera hominum impo- 2
ſitione ſignificationem habere, vnde nomen, & verbum definit *vox ſignificatiua ad placitum*. Ex antiquis ſic huic ſententiæ ſubſcripſit Diodorus Philoſophus vt ex Ammonio refert P. Smiglerius diſputat. 12. quæſtion. 2. vt ſuis ſeruis coniunctionum nomina imponeret, vt vnum vocaret *quoniam*, alium *ergo*, aliúmque *ſicut*, vt ſuam exerceret libertatem in ſignificatione nominum imponenda. Ratio adducta ab Ariſtotele hæc eſt, quæ ſunt à natura ſunt communia apud omnes, vt patet in conceptibus, qui cùm naturaliter res ſignificent, iidem ſunt apud omnes, atqui voces non ſunt eædem apud omnes, ſed diuerſæ pro diuerſitate nationum, & idiomatum. Neque ſolùm diuerſæ voces eidem rei iuxta diuerſa idiomata reſpondẽt, ſed etiam eadem vox apud diuerſos diuerſa ſignificat, hæc enim vox *lego* apud Hiſpanos nomẽ eſt ſignificans hominem laicum, & apud Latinos eſt verbũ ſignificans actionem, qua intellectus præmiſsâ oculorũ viſione percipit ea

quæ ſcripta ſunt. Neque poſſunt reperiri voces naturaliter ſignificantes res. Dupliciter enim poteſt intelligi vocem naturaliter ſignificationem habere, vel propter ſimilitudinem vniuocam in re, quæ poteſt eſſe inter ſonum, & ſonum, & de facto eſt in ſono huius vocis *tinnitus* cum campanæ ſonitu, & huius vocis *Taratantara* cum ſonitu tubæ, vel non ob ſimilitudinem, ſed ob proprietates vocum in aſperitate & lenitate conſiſtentes. Quæſtio non procedit de primo ſignificandi modo, neque per illum conſtituitur ratio ſigni, ex vi enim prædictæ ſimilitudinis inter ſonum vocis & ſonum tubæ ſeu campanæ, non eſt maior ratio propterquam hic ſonus illo ſignificetur, aut ille ſignum ſit huius, cum neuter ſit à natura inuentus vt alium referat. Difficultas eſt de ſecundo modo ſignificandi, qui in vocibus reperiri nequit, quia proprietates illæ paucæ ſunt, & non habent tantam proportionem ad res, vt has poſſint explicare, & in cognotionem earum ducere, Quod ex eo patet, quod nullus huc vſque voces inuenit, quibus nulla conuentione facta circa ipſarum ſignificationem poſſit loqui & ſuos exprimere conceptus. Neque voces ab Adamo poſitæ huiuſmodi fuêre, vt naturas ſignificarent, extant enim modo voces ab Adamo rebus impoſitæ, & nullus ex illis naturas rerum quas ſignificant, percalluit, niſi priùs ſancta inſtruatur lingua. Quod ſi Adamus, aliúſve laudetur, ex eo quod aptum nomen alicui rei impoſuerit, non ideo laudatur, quia aptam ſignificationem voci impoſuit, ſed quia poſtquàm vox iam ſuam ſignificationem habebat, ſimul cum voce rem ſignificatam tali ſubiecto accommodauit, exempli gratiâ, impoſita fuit ſignificatio huic voci *ſimplex*, quæ potuit imponi huic voci *ferax*, & poſtea vox ſimplex cum ſuo ſignificato propriiſſimè columbæ accommodatur, quia res ſignificata naturaliter conuenit columbæ.

3 Vox ſignificatiua triplicem dicit reſpectum ad proferentem, qui illam ſubſtituit loco conceptus repræſentantis obiectum, ad quod ſignificandum vox eſt impoſita, quia illam profert ex intentione ſignificandi, ſeu dandi ſignum, ex vi cuius audiens percipiat rem ſignificatam. Dicit inſuper reſpectum ad audientem ex ſe capacem concipiendi rem ſignificandam, ex vi ſigni. Tandem dicit reſpectum ad rem, quam ſignificat. Ex defectu prioris reſpectus ſignum non eſt vox ex ſe impoſita ad ſignificandum à pſittaco prolata, quia non ſubſtituitur à proferente loco conceptus terminati ad obiectum, ad quod ſignificandum vox illa impoſita eſt, neque ex intentione manifeſtandi tale obiectum, ſeu dandi ſignum, ex vi cuius percipiatur. Similiter cùm quis ſecum verba facit apud flumen, ſeu apud hominem, quem ſcit linguæ ſuæ eſſe ignarum, loqui non dicitur, quia non poteſt talia verba proferre ex intentione manifeſtandi obiecta, ad quæ ſignificanda fuit impoſita, cùm ſciat flumen, & hominem linguæ ignarum non poſſe per illa ſigna res ſignificatas percipere, Dixi, cùm verba facit apud hominem, quem ſcit linguæ eſſe ignarum, quia ſi exiſtimaret hominem illum linguæ eſſe peritum, benè poſſet verba proferre ex intentione ſignificandi, ſeu dandi ſigna ad percipienda illorum obiecta, quod autem homo ille linguæ ſit ignarus, & non poſſit talia ſigna percipere, non obeſt quo minus talis verborum prolatio, dicatur vera loquutio, quia homo ex ſe capax eſt habendi notitiam requiſitam ad illa ſigna percipienda, & illa carere eſt valdè per accidens ad loquutionem, aliàs cum quis alloquitur hominem Latinæ linguæ conſcium, qui vnum vel alterum vocabulum ignorat, non diceretur loqui vocem illam, cuius ſignificationem audiens ignorat.

4 Adde non improbabiliter dici poſſe hominem coram arbore loquentem, quem exiſtimat per ſummum errorem capacem eſſe percipiendi ſignificationem verborum, quæ profert eo animo, vt ab arbore percipiantur, arborem propriè alloqui, quia loquutio externa tantum dicit prolationem externam verborum, quæ impoſita ſunt ad ſignificandum ex intentione vt ab audiente percipiantur ſecundum propria ſignificata. Tantùm enim in audiente requiritur capacitas percipiendi, vt proferens verba poſſit ſine errore illum alloqui, quia non poteſt dari loquutio niſi ad ſubiectum, quod iudicatur capax percipiendi verba, cui hæc in loquutione debent proferri ex efficaci intentione, vt percipiantur, quæ intentio eſſe non poteſt ſi cognoſcatur ſubiectum coram quo verba proferuntur, incapax eſſe illa intelligendi, aut hic & nunc illa non poſſe intelligere quia ignorat ſignificationem vocibus impoſitam.

Ex hac doctrina conſtat ſignificationem vocis in actu primo deſumendam eſſe ex conceptu imponentis voci ſignificationem, ad cuius placitum ſignificant, quia ex illo habent totam virtutem ſignificandi, & non poteſt quis imponere vocem ad ſignificandum id, quod ipſe non percipit, neque alio modo ab illo, quo eandem rem percipit. Significatio in actu ſecundo taxatur ſecundum conceptum proferentis loco cuius vox ſubſtituitur, & tantum dicitur vox ſignificare hic & nunc, quod proferens concipit ex vi conceptus, loco cuius vocem ſubſtituit, quod tantùm intendit ſignificare per vocem, & eo tantùm modo, quo ab ipſo percipitur. Ita tenet Caiet. 1. part quæſt. 13. art. 10. & P. Vaſq. 1. part. diſp. 17 cap. 4. & diſp. 57. cap. 1. & 3. & apud hunc Capr. Altiſiod. Bonuent. Marſil. & Richardus. 5

Quod ſi aliquando audiens vocem perfectius rem concipiat quàm proferens, & imponens ſignificationem voci, ſicuti Angelus clarè, & diſtinctè Deum concipit, audita hac voce Deus, quem proferens obſcurè, & confusè tantùm agnouit; perfectio illa intellectionis in audiente non procedit ex ſigno, quod dedit proferens, ſed ex notitia quam iam habebat rei ſignificatæ, & ita verbum prolatū non dicitur ſignificare obiectum in eo caſu, ea perfectione qua percipitur ab audiente, cum perfectio illa non procedat ex verbo, tanquam ex ſigno. Concedimus ergo percipiens hanc vocem *Deus* poſſe perfectiùs illâ audita cognoſcere Deum, quàm ille qui verbum profert, & qui verbo ſignificationem impoſuit, negamus tamen tunc verbum *Deus* perfectius ſignificare ſuum obiectum, quàm illud concipit proferens, quia exceſſus ille perfectionis in audiente non ex prolato proceſſit, quod ſi alia notitia eiuſdem obiecti non præceſſiſſet, illam nullatenus poſſet inducere. Scotus, Ocham, Gabriel qui docent in 1. diſt. 22. poſſe vocem imponi ad perfectius rem ſignificandam, quàm ab imponente percipiatur, explicandi ſunt, iuxta illud quod modò conceſſimus, videlicet audita voce poſſe audientem perfectiùs rem concipere, quam proferens modo ſupra explicato. Neque alius poteſt eſſe modus defendendi hanc ſententiam, alioqui ſequeretur, poſſe aliquem perfectius loqui de rebus, quàm eas intelligeret, quia verba ab ipſo prolata perfectiùs rem ſignificaret, quàm ipſe conciperet. Neque Deus diceretur ineffabilis, quod abſurdiſſimum eſt, quia poſſum ego proferre hoc nomen Deus, quo audito à Beato, Beatus Deum cognoſcit ſicuti eſt. 6

Vltimò de vocibus inquiritur an ſignificent res vel conceptus; quæ difficultas ex doctrina tradita facilè ſoluitur. 7 Id enim ſignificant voces, quod proferens intendit audienti notum fieri, & ad quod exprimendum deſignatæ ſunt à linguæ authore, qui vocibus ſignificationem eſt impertitus. Sed author linguæ Latinæ, & proferens has voces, *Homo eſt animal*, non intendunt exprimere neque notum fieri conceptum repræſentantem hominem eſſe animal, ſed obiectum huius conceptus, videlicet in re hominem eſſe principium ſentiendi: ergo hoc eſt quod voces primariò ſignificant, & non conceptum repræſentantem hoc obiectum. Confirmatur: voces ſubſtituuntur loco conceptuum, vt id præſtent audienti, quod proferenti præſtant ipſi conceptus. Sed conceptus immediatè ſignificant obiecta: ergo & voces eadem obiecta immediatè ſignificant Aduertas voces has conceptus, & cognitio ſignificare immediatè conceptus formales, quia ad illos ſignificandos ſunt impoſitæ.

Ex his reſpondetur facilè argumentis oppoſitæ ſententiæ. 8 Primò obiici ſolet: voces inuentæ ſunt ad noſtros conceptus manifeſtandos: ergo voces immediatè ſignificant conceptus. Reſpondeo has tantùm voces, *conceptus cognitio*, & aliæ quæ habent eandem ſignificationem inuentas eſſe ad manifeſtandos noſtros conceptus, reliquas verò inuentas eſſe ad ſignificandas res conceptas. Voces enim inuentæ ſunt vt ſubſtituantur loco conceptuum, & vt exprimant obiecta per conceptus repræſentata. Inſtabis audita hac voce *homo*, deuenio in cognitionem conceptus ſaltem apprehenſiui, quem habet proferens de re ſignificata: ergo vox hæc ſignificat conceptum proferentis. Reſpondeo audita voce homo, immediatè me deuenire in cognitionem rei ſignificatæ, & quia ſcio prolationem vocis ſupponere in proferente conceptum rei, quam vox ſignificat mediatè ferri in cognitionem conceptus. Si enim non cognoſcerem rem per vocem ſignificatam non ex voce conceptum reſpondentem rei ſignificatæ perciperem. Quod docuit P. Smiglet. diſp. 12. quæſt. 1.

vbi

Digitized by Google

vbi aſſerit voces immediatè ſignificare res, & mediatè rerum conceptus. Poſſet etiam admiſſo antecedenti, conſequentia negari, quia ad hoc vt vox aliqua ſignificet aliquod obiectum, & ſit ſignum proprium illius, non ſufficit ipſam ducere in cognitionem talis obiecti, ſed neceſſum eſt ordinatam fuiſſe ab illo, qui voci ſignificationem impoſuit ad tale obiectum manifeſtandum, cum autem hæc vox homo non fuerit ordinata ab Authore linguæ Latinæ vt duceret in cognitionem conceptus hominis, ſed in cognitionem ipſis hominis, hinc fit tantum ſignificare hominem, etſi æquè duceret in cognitionem hominis, & in cognitionem conceptus hominis.

9 Obiicies ſecundò: Voces non ſignificant, niſi mediis conceptibus: ergo immediatè ſignificant conceptus. Antecedens probatur: ſi non præceſſiſſent conceptus prolationem vocum, voces nihil ſignificarent, quia non poſſent proferri ex intentione manifeſtandi id, quod conceptum non erat: ergo ſignificant mediis conceptibus. Reſpondeo voces ſignificare mediis conceptibus, à quibus virtutem ſignificandi deſumant tanquam à principiis, non verò mediis conceptibus ſignificatis vt obiectis, ſupponitur enim exiſtentia conceptus vt vox rem ſignificet, non tamen ſupponitur conceptus ſignificatus, vt vox ſignificet rem. In hunc ſenſum interpretor P. Rubium aſſerentem lib. 1. de interpret. quæſt. vnica, voces ſignificare conceptus vt *quo*, & res vt *quod*.

10 Obiicies: voces ſubſtituuntur loco conceptuum: ergo primariò ſignificant conceptus. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, imò ex eo quod voces ſubſtituuntur loco conceptuum, infero id præſtare voces exterius, quod interius conceptus: & ſicuti conceptus internè res immediatè exprimunt, ſic voces externè eaſdem immediatè ſignificant.

11 Obiicies quartò: ſi voces non ſignificarent conceptus, nullum daretur mendacium, hoc enim conſiſtit in eo quod voces ſignificent conceptus diſtinctos, ab his per quos intellectus fert iudicium de re ſignificata. Reſpondeo negando ſequelam, & rationem adductã, in illius confirmationem. Mendacium enim conſiſtit in eo, quod proferantur voces impoſitæ ad ſignificandum rem alio modo ſe habentem, quàm ab intellectu iudicatur: ſeu in eo, quod proferantur voces, quæ ſubſtituta non ſint iudicij, quod habet intellectus, ſed aliùs quod non habet.

12 De ſcriptura eodem modo ac de vocibus ferendum eſt iudicium, ſignificant enim immediatè res ipſas, & non voces, quando enim epiſtolam amico ſcribo, non intendo illum certiorem facere de vocibus, loco quarum ſcripturam ſubſtituo, ſed de rebus, vocibus, & ſcriptura ſignificatis. Confirmatur: ſicuti voces ſubſtituuntur loco conceptuum, ita ſcriptura ſubſtituitur loco vocum: ergo ſicuti voces non ſignificant immediatè conceptus, ſed res, ita ſcriptura non immediatè res, ſed voces ſignificabit.

13 Obiicies ex Arriaga diſp. 13. ſect. 2. etiamſi quis perfectè ſciat legere linguam Græcam, vel Hebræam optiméque cognoſcat illarum characteres, res non cognoſcet, ſi vocum ſignificationem non cognoſcat: ergo ſcriptura ſeu characteres non immediatè res, ſed voces ſignificant. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, ratio enim propter quam ignorans vocum ſignificationem, & characteribus res non cognoſcit, non eſt, quia characteres immediatè ſignificent voces, ſed quia eo ipſo quod ignoret ſignificationem vocum, ignorat ſignificationem characterum, quia his non alio modo impoſita ſignificatio quam dicendo hi characteres hoc ordine ſcripti HOMO idem ſignificent quod ſignificat hæc vox *homo*, ac proinde ſi neſcimus quid vox ſignificet, neſcire poſſumus, quid characteribus veniat ſignificandum.

14 Obiicies ſecundò. Si reſpublica diceret, hæc vox *homo* ſignificet lapidem: & non animal rationale, nulla variatione facta in ſcriptura variaretur ſignificatio mediata ſcripturæ, & non immediata, quia ſemper ſignificaret eandem vocem, & eodem modo ſcriberetur: ergo ſcriptura non ſignificat immediatè rem, ſed vocem. Reſpondeo in prædicto caſu variandam eſſe ſignificationem immediatam ſcripturæ, quæ ſemper eſt circa rem, & nunquam circa vocem, quia ſtatutum eſt vt hi characteres *HOMO*; idem immediatè ſignificent, quod immediatè ſignificat hæc vox homo, ac proinde ex eo præciſè quod variaretur ſignificatio vocis variaretur ſignificatio ſcripturæ circa idem obiectum. Ex hoc inferes ſignificationem ſcripturæ circa rem ſupponere ſignificationem vocum, non verò voces ipſas vt prius ſignificatas, ſicuti de vocum ſignificatione circa res diximus ſupponere conceptus ſignificantes eaſdem res, non verò conceptus ipſos vt prius ſignificatos.

CONTROVERSIA IX.

De natura ſyllogiſmi ſeu diſcurſus.

DE natura diſcurſus ſeu ſyllogiſmi egit Ariſtoteles lib. de priori reſolutione, ideo præſentem Controuerſiam hîc inſtituo, licèt illius materiam propriùs ad Animaſticum, quàm ad Logicum pertinere non inficias ibo. Quæ pertinent ad ſtructuram & diſpoſitionem terminorum quibus ſyllogiſmus, ſeu diſcurſus efficitur, explicaui Controu. 4. Summularum, nunc verò exactiùs illius eſſentiam, aliáſque proprietates examinabo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit diſcurſus?

1 DISCVRSVS dicitur ſumpta metaphora ab animalis motu, quod cùm ex vno loco alium petit dicitur diſcurrere per illa loca, quæ excurrit. Sic intellectus mentaliter progreditur ab vno obiecto, cui per hanc cognitionem adhærebat, ſicut animal loco per præſentiam, ad ad illud obiectum, cui incipit adhærere per aliam cognitionem, ſicut animal incipit præſentari alij loco per præſentiam aliam. Secundum hanc metaphoram diſcurſus ab Scoto definitur apud Conimbricenſes in prior. cap. 1. quæſt. 2. art. 1. *Progreſſio intellectus ab vno obiecto in aliud.* Conimbricenſes verò diſcurſum definiunt, *Progreſſio intellectus ab vna cognitione in aliam.* Amplector definitionem Conimbricenſium, quæ propriiſſimè conuenit formali diſcurſui, definitio enim Scoti conuenit etiam diſcurſui virtuali, ex vi cuius intellectus progreditur ab vno obiecto in aliud vt num. 2. explicabo. Dices, ſi vna & alia cognitio idem referant obiectum, intellectus potius ſiſtere, quàm currere dicetur: ergo diſcurſus, ex vi cuius intellectus currere dicitur ex vno in aliud, non eſt progreſſio intellectus ab vna cognitione in aliam. Ipſamet obiectio propriis viſceribus ſolutionem ſui ipſius includit, ſi enim quando vna & alia cognitio idemmet obiectum repræſentant, intellectus ſiſtit, & non currit, tunc non dicetur progredi, neque illa cognitionum ſucceſſio poterit progreſſio dici: ergo progreſſionis nomen dicit tales cognitiones debere repræſentare diſtincta obiecta, vel idem vt diſtinctum à ſe ipſo ex diuerſo modo repræſentandi. Adde nunquam intellectum ex vna cognitione deuenire in cognitionem aliam circa idem obiectum eodem modo repræſentatum, quia nulla cognitio inclinat, neque determinat intellectum ad aliam eiuſdem omnino rationis, quia cognitio non alio modo ad aliam determinat, quàm repræſentando obiectum connexum cum alio in re vel in modo repræſentandi, quod ea ratione, qua diſtinguitur ab obiecto primæ cognitionis ex vi cuius per ſecundam cognoſcitur.

2 Diſcurſus vulgò diuidi ſolet in formalem, & obiectiuum, qui appellatur virtualis diſcurſus. Diſcurſus formalis eſt ille, quem modò definiuimus, qui includit multiplicem cognitionem, ex vi quarum dicitur intellectus in vnam & aliam diſcurrere. Diſcurſus obiectiuus ſeu virtualis dicitur, cum intellectus ex vno obiecto in aliud per vnicam tantùm progreditur cognitionem, quod fit quoties intellectus cognoſcit vnum in alio, veluti cum cognoſcit obiectum in cognitione, principium productiuum in productione, & alia huiuſmodi. Addunt nonnulli diſcurſum obiectiuum, ſeu virtualem debere eſſe progreſſionem ex vno obiecto in aliud, aliunde non cognitum, vt

Digitized by Google

hac ratione defendant reſpectu cognitionis diuinæ non dari diſcurſum obiectiuum, ſeu virtualem, etiamſi Deus vnum obiectum in alio cognoſcat, quia Deus omnia obiecta in ſe ipſis cognoſcit, ac proinde quando progreditur per eandem ſimpliciſſimam cognitionem ex vno obiecto in aliud, non progreditur in aliud ſibi incognitum, ſed aliundè perfectiſſimè cognitum. Rem declarant exemplo animalis, quod non dicetur currere, cum in eodem loco conſtituitur per duplicem vbicationem, ſic neque intellectus dicetur diſcurrere, quando per aliquam cognitionem attingit obiectum, quod per aliam attactum ſupponitur. Porrò exemplum adductum oppoſitum mihi loquendi modum ſuadet (de hoc tantum in hac re poteſt eſſe diſſidium) quia ſi equus modò eſſet Matriti, & Toleti, & relicta præſentia, quam Matriti habebat, verſus Toletum ſucceſſiuè produceret præſentias per totum medium, & tandem Toleti aliam acquireret diſtinctam ab illa, quam prius habuerat, etſi in eodem ſpatio indiuiſibiliter ſumpto, profectò nullus negaret hunc equum peregiſſe eundem curſum, qui diceretur peractus, etiamſi tunc primo Toleti præſens fieret, præcipuè cùm eademmet eſſet actio, idem terminus *à quo*, & terminus *ad quem* in vtroque caſu. Quod autem dicatur dari diſcurſum obiectiuum, ſeu virtualem reſpectu diuinæ cognitionis parum refert, cùm hoc non obſit ſummæ ſimplicitati cognitionis diuinæ, & tantùm ſit quæſtio de modo loquendi, omnes enim fatemur Deum cognoſcere in eodem obiecto obiectum, quod cognoſcit in alio, nunquàmque ex vno obiecto in aliud incognitum deuenire, cùm omnia in ſe ipſis illi ſint notiſſima, quod tantùm de re eſt. An verò reſpectu cognitionis in alio obiecti aliunde cogniti dicendum ſit dari obiectiuum diſcurſum, necne, quæſtio eſt de modo loquendi.

3 Diximus diſcurſum eſſe progreſſionem ex vna cognitione in aliam, ex quo oritur dubitandi ratio, an progreſſio poſſit eſſe à ſimplici enunciatione, vel an debeat eſſe à duplici in aliam, ita vt diſcurſum neceſſariò triplicem claudat enunciationem. Reſpondeo diſcurſus ſemper conſtare tribus propoſitionibus formaliter, vel virtualiter diſtinctis. Virtualiter diſtingui dicentur propoſitiones, quando ſimplex qualitas propoſitionis totum id enunciat, quod duabus aliis diſtinctis enunciaretur, veluti cum totum hoc obiectum, *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo* per ſimplicem qualitatem, ſeu cognitionem repræſentatur. Ratio propter quam tres propoſitiones ſaltem virtualiter diſtinctæ requirantur, eſt quia in præmiſſis medium debet coniungi cum duplici extremitate, & de vtraque enunciari, quod dicit obiectum ex ſe aptum terminare duplicem diſtinctam enunciationem, ad quod ſi ſimplex terminetur enunciatio, virtualiter duplex erit, quia terminatur ad obiectum aptum terminare duplicem enunciationem: ergo in præmiſſis ſaltem debet dari virtualiter duplex propoſito, vel vna, quæ duplici æquiualeat, inſuper debet dari alia enunciatio, quæ ex præmiſſis inferatur, & ab illis formaliter ſit diſtincta: ergo diſcurſus inuoluit in præmiſſis duplicem propoſitionem diſtinctam formaliter, vel virtualiter, & tertiam aliam, quæ ex præmiſſis infertur. Non requiri ex parte præmiſſarum duplicem enunciationem formaliter diſtinctam, ſed ſufficere diſtinctionem virtualem facilè ſuadetur. Quia in præmiſſis tantùm requiritur, vt medium coniungatur cum vtraque extremitate, ſed poteſt per ſimplicem enunciationem medium cum vtraque coniungi, nulla enim repugnantia eſt in eo, quod ſimplex iudicium attingat totum hoc obiectum: *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo*: ergo poteſt reperiri ex parte præmiſſarum vna tantùm formalis enunciatio, quæ ſit virtualiter duplex, quæ cum alia enunciatione ex ipſa illata diſcurſum conficiet inuoluentem duplicem tantum propoſitionem formaliter diſtinctam, quarum vna virtualiter eſt duplex.

4 Obiicies: poteſt ex duabus extremitatibus vna tantùm coniungi in præmiſſis cum medio, & altera in propoſitione illata: ergo neque adhuc virtualiter requiritur duplex propoſitio ex parte præmiſſarum, ſed vna formaliter, quæ neque virtualiter ſit duplex, erit ſufficiens. Antecedens probatur in hoc diſcurſu: *Omnis homo eſt animal: ergo Petrus homo eſt animal.* Reſpondeo: quod etiamſi admitteretur totum quod intendit argumentum, adhuc non inferretur ſyllogiſmum non habere triplicem enunciationem virtualem, quia tunc propoſitio illata virtualiter eſſet duplex, hæc enim propoſitio: *ergo Petrus homo eſt animal*, virtualiter eſſet duplex, in has enim reſoluitur, Petrus eſt homo, & Petrus eſt animal. Secundò reſpondeo hanc propoſitionem: *ergo Petrus homo eſt animal*, non poſſe inferri ex illa tantùm *omnis homo eſt animal*, quia illatio ſupponit coniunctionem extremitatum cum medio, quam non ſupponeret propoſitio illa, cùm in ſe formaliter includeret coniunctionem vnius extremitatis. Ex quo etiam probatur non poſſe totam illam enunciationem inferri ex priori, quia illa enunciatio: *ergo Petrus homo eſt animal rationale*, includit coniunctionem vnius extremitatis cum medio, hæc autem non infertur ex coniunctione alterius, ſed vtraque coniunctio inter ſe comitanter ſe habent, & per modum vnius principij antecedentis reſpectu enunciationis illatæ, ſeu inferendæ.

5 Omnes prædictæ enunciationes diſcurſui ſunt eſſentiales, quamcumque enim illarum deficiente, nequit ſubſiſtere, poteſt tamen dici formaliter conſiſtere in enunciatione illata, quia hæc ex ſua natura ſupponit præmiſſas, ſine quibus nequit exiſtere, & vltimo complet naturam diſcurſus. Quod autem nonnulli docent, videlicet ſyllogiſmum dicere tantùm in recto concluſionem, & in obliquo præmiſſas, ad quæſtionem tantùm de nomine ſpectat, nihil enim in re ponitur, aut infertur, ſiue in recto, ſiue in obliquo, quo præmiſſæ ſyllogiſmum componere dicantur.

6 Obiiciunt nonnulli ex Ariſtotele dicente per diſcurſum generari ſcientiam, & opinionem. Scientia, & opinio generantur per diſcurſum: ergo ſupponunt diſcurſum. Sed ſcientia, & opinio ſunt concluſiones illatæ: ergo hæ ſupponunt diſcurſum: ergo non pertinent ad conſtitutionem diſcurſus: ergo tota ratio diſcurſus ſita eſt in præmiſſis, quæ ad concluſionem ſupponuntur. Reſpondent nonnulli per diſcurſum generari ſcientiam, & opinionem habitualem, ad quas non ſolum præmiſſæ, ſed etiam concluſiones ſupponuntur. Alij affirmant per diſcurſum generari ſcientiam, & opinionem, quia per alteram partem diſcurſus, videlicet per cognitionem præmiſſarum, acquiritur altera videlicet cognitio concluſionis, quæ propriè ſcientia ſeu opinio dicitur. Vterque dicendi modus ſatis probabilis eſt, parùmque refert hunc, vel alterum amplecti.

7 Diſcurſus eſt duplex, quidam à priori ſeu propter quid. Alius à poſteriori, ſeu *quia*. Diſcurſus à priori ſeu *propter quid* dicitur, cùm ex cognitione cauſæ ad effectus cognitionem gradum facit intellectus. Diſcurſus à poſteriori, ſeu *quia*, appellatur cum ex cognitione effectus ad cauſæ cognitionem intellectus regreditur. Huic ſolet adiungi diſcurſus alius, in quo neque ex cognitione cauſæ effectus cognitionem inferimus, neque ex cognitione effectus cauſæ cognitionem deducimus, ſed ex aliis rebus connexis cum illo, quod infertur, velut cùm ex vnione inferimus extrema vnita, ex relatione relationis terminum, & ſic in aliis. Diſcurſus iſte ex adiunctis, ſeu diſcurſus per medium extrinſecum ſolet appellari. Itaque diſcurſus poteſt diuidi in diſcurſum à priori, ſeu *propter quid*, & diſcurſum à poſteriori, ſeu *quia*, & diſcurſum ex adiunctis, ſeu per medium extrinſecum. Poteſt etiam adæquatè diuidi in duo priora membra, ſi diſcurſum à poſteriori, ſeu *quia* appellemus diſcurſum omnem, ex vi cuius effectus per cauſam non oſtenditur.

8 Volunt nonnulli diſtinctionem reperiri inter diſcurſum, & ſyllogiſmum, ego tamen illam nunquam callui, ſicut enim ſyllogiſmus dicit præmiſſas, in quibus duæ extremitates coniunguntur cum medio, & ex ipſis infertur cognitio, qua eædem extremitates inter ſe coniunguntur, ſic diſcurſus formaliſſimè eaſdem præmiſſas, eandemque concluſionem illatam importat. Rationes diſparitatis, quæ vulgò aſſignari ſolent nullius ſunt momenti.

9 Prima eſt, ſyllogiſmum reperiri in vocibus, in quibus diſcurſus non inuenitur. Hæc diſparitatis ratio reiicitur, quia formalis ſyllogiſmus tantùm reperitur in conceptibus, voces enim tantùm ſunt conceptuum ſigna, quod autem vulgo non dicantur diſcurſus vocalis, ſicuti dicuntur vocalis ſyllogiſmus voces reſpondentes conceptibus, in quibus formalis ſyllogiſmus, & diſcurſus à ſyllogiſmo formali nulla ratione eſt diſtinctus, ideo eſt, quia nomen diſcurſus expreſſius ſignificat actum internum intellectus formaliter vt internum, & ita non propriè transferri poteſt ad voces reſpondentes actui interno principaliter ſignifica

Digitized by Google

ſignificato. Secunda differentia ſolet aſſignari ex eo, quod ſyllogiſmus ſemper dicit duas præmiſſas, & diſcurſus vnica tantùm ſæpe contentus eſt. Cæterùm ſi ſermo ſit de ſyllogiſmo, & diſcurſu formalibus, quos non diſtingui defendo, ſicuti ſyllogiſmus neceſſariò dicit duplicem præmiſſam, ſaltem virtualiter diſtinctam, ſic diſcurſus eandem diſtinctionem virtualem præmiſſarum neceſſariò expoſcit & ſicuti diſcurſus non requirit duplicem præmiſſam formaliter diſtinctam, ſic ſyllogiſmus internus ſimplici formali præmiſſa, dum hæc virtualiter ſit duplex, contentus eſt. Quod ſi ſyllogiſmus vocalis duplicem præmiſſam formaliter diſtinctam expoſcat, hoc ad rem non attinet, non enim comparandus eſt vocalis ſyllogiſmus cum diſcurſu mentali, hos enim inter ſe diſtingui certum eſt, ſicuti diſtinguuntur ſyllogiſmus mentalis, & vocalis. Ratio vero propter quam ſyllogiſmus vocalis duplicem præmiſſam formaliter diſtinctā expoſcat, eſt quia non inuenitur enunciatio vocalis, quæ æquiualeat duabus, quas ſyllogiſmus expoſcit, non enim datur propoſitio vocalis quæ his duabus æquiualeat, *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo*, quod ſi detur, poterit etiam ſyllogiſmus vocalis conſtare præmiſſa formaliter ſimplici, quæ virtualiter duplex ſit, ex qua tantùm inferatur concluſio.

10 Tertium diſcrimen peti ſolet ex eo quod ſyllogiſmus poteſt conſtare ex præmiſſis euidenter falſis, ſeu cognitis vt falſis, non verò diſcurſus. Cæterùm ſi de ſyllogiſmo tali ſermo fiat, nullo modo poteſt præmiſſis cognitis vt falſis conſtare, nunquam enim intellectus cognoſcens has propoſitiones eſſe falſas, *Omnis equus eſt rationalis, Omne hinnibile eſt equus*, mouebitur ad inferendum: *ergo omne hinnibile eſt rationale*, ſine qua illatione ſyllogiſmus internus non ſubſiſtit, ſicuti neque diſcurſus. Syllogiſmus vocalis poterit conſtare propoſitionibus cognitis vt falſis, quia voces poſſunt eſſe eædem, ſiue illorum obiecta hac vel illa ratione cognoſcantur, conceptus verò longè ſunt diuerſi, quando obiecta diuerſa ratione, hoc eſt, vera aut falſa cognoſcuntur. Quartum diſcrimen ſolet adduci, quod ſyllogiſmus includit præmiſſas & concluſionem in recto, diſcurſus verò tantùm includit in recto concluſionem, & præmiſſas in obliquo. Diſcrimen iſtud non alia ratione impugnandum eſt, niſi quia omni ratione eſt deſtitutum. Concludo ergo ſyllogiſmum mentalem & diſcurſum in nihilo differre, ſed tantùm differentiam in his vocibus *ſyllogiſmus, & diſcurſus* reperiri petitam ex eo, quod vox ſyllogiſmus ſignificet ſyllogiſmum internum indiſtinctum à diſcurſu, & ſimul ſe extendat ad ſignificandas voces reſpondentes ſyllogiſmo interno, quæ ſyllogiſmus vocalis dici ſolent, vox verò diſcurſus tantùm ſignificat diſcurſum indiſtinctum à ſyllogiſmo interno, & non ſe extendit ad ſignificandas voces reſpondentes diſcurſui, quia hæ non dicuntur diſcurſus externus, ſicuti dicuntur ſyllogiſmus externus voces reſpondentes formali ſyllogiſmo.

PVNCTVM II.

An requiratur ad aſſenſum concluſionis præcedens cognitio de bonitate illationis?

1 DVplex eſt illatio, formalis & obiectiua. Illatio formalis eſt aſſenſus concluſionis ex præmiſſis deductus. Illatio obiectiua dici ſolet connexio obiecti præmiſſarum cum obiecto concluſionis. Non procedit difficultas de illatione formali, certum enim ad aſſenſum concluſionis non prærequiri cognitionem reflexam præmiſſarum formalium, neque ipſius concluſionis formalis ac proinde nec connexionis inter hos aſſenſus, non enim poteſt dari cognitio cognitionis inter aſſenſus, quæ non ſit cognitio aſſenſuum, qui ſunt extrema huius connexionis, eo enim ipſo quod cognoſcantur obiecta præmiſſarum, & concluſionis datur diſcurſus abſque vlla cognitione reflexa. Procedit ergo difficultas de illatione obiectiua, hoc eſt de connexione inter obiecta præmiſſarum, & concluſionis.

2 Cæterùm obiectiua connexio nihil aliud eſt, quam identitas obiecti præmiſſarum, cum obiecto concluſionis, non enim obiectum præmiſſarum cauſa eſt obiecti concluſionis, ſicuti præmiſſæ formales ſunt cauſæ concluſionis formalis, ſed cum illo identificatur, & in hoc ſenſu dicimus habere connexionem, ſicuti dicimus connecti rationale cum animali. Quod ſi nimis ſcrupuloſis nolueris identitatem connexionem appellare, tecum non contendam, ſed à te peram an debeat præcognoſci ad aſſenſum concluſionis identitas obiecti ipſius concluſionis cum obiecto præmiſſarum, cuius ſolutionem expoſcit difficultas, quam modò exagitamus?

His poſitis adhuc amplius debet explicari ſtatus difficultatis, poteſt enim dubitari an hæc identitas præcognoſcenda ſit per actum iudicatiuum, vel ſufficiat per ſimplicem 3
apprehenſionem cognoſci? Rurſus ſi dicatur prærequiri ſimplicem apprehenſionem huius identitatis, ſeu connexionis obiecti præmiſſarum cum obiecto concluſionis, adhuc reſtat ſciendum, an hæc ſimplex apprehenſio ex eo tãtùm requiratur, quia iudicium in quo formalis concluſio ſita eſt hanc identitatem ſeu connexionem attingat tanquam proprium obiectum, & omne obiectum iudicij debeat priùs ſimplici adprehenſione pertingi, vel ſpeciali titulo diſcurſus, hæc præuotio apprehenſiua requiratur, vt poſſit inferri concluſio. Dicere, an apprehenſio illationis debeat præcedere concluſionem, quia concluſio eſt formale iudicium de illatione, & apprehenſio debet iudicium præcedere, duo inuoluit. Primum concluſionem eſſe iudicium de illatione, quod hic examinare debemus: Secundũ, debere ſupponi ſimplicem apprehenſionem ad omne iudicium, quod hic definiendum non eſt, ſed cùm agetur de natura apprehenſionis, & iudicij, quod præſtabo Contr.5. de anima Punct. 2. Hæc ita placuit prænotare ad intelligentiam quæſtionis, quia apud nonnullos eam valdè confuſam lego, quia de his diſtinguendis non cogitarunt.

Affirmo cum Hurtado diſp.7. de anima ſect.5. & Arriaga 4
diſp. 13. Logicæ ſect. 3. ad aſſenſum concluſionis nullum aliud iudicium præcedere præter aſſenſum præmiſſarum. Probanda eſt concluſio ex eo quod non apparet neceſſitas aſſignandi aliud iudicium concluſionem præcedens neque fundamentum eſt, quo moueamur ad conſtituendum tale iudicium. Secundò quia per ſe notum eſt eſſe eadem inter ſe, quæ ſunt eadem vni tertio: ergo eo ipſo quod intellectus videat hæc extrema eſſe eadem vni tertio erit determinatus ad iudicandum eſſe eadem inter ſe. Sed præciſè ratione præmiſſarum noſcit extremitates identificari vni tertio: ergo eſt determinatus ad iudicandum identificari inter ſe. Probat hæc ratio non ſolum non requiri aliud iudiciũ ante concluſionem ſed etiam ex natura diſcurſus non requiri aliquam apprehenſionem præcedentem iudicium cõcluſionis. Dixi non prærequiri apprehenſionem ex natura diſcurſus ad eſſenſum concluſionis, vt abſtraherem ab opinione, quæ aſſerit ad omne iudicium neceſſariò ſupponi apprehenſionem de obiecto iudicato, quæ ſi vera ſit concluſio ſupponet ex prædicato communi iudicij apprehenſionem de obiecto, in quod fertur, quod iam explico.

Duplex eſt opinio circa obiectum concluſionis, quædã 5
affirmat concluſionem non attingere obiectum præmiſſarum, ſed tantùm proprium obiectum, alia aſſerit concluſionem indiuiſibiliter attingere obiectum illatum, & obiectum præmiſſarum tanquam obiectum formale *quo*. In ſententia quæ aſſerit concluſionem non ferri in obiectum formale præmiſſarum, concluſio non attingit identitatem obiecti præmiſſarum cum obiecto concluſionis, quæ eſt obiectiua illatio. Ratio eſt facilis: non poteſt attingi identitas extremorum, quin attingantur extrema, in quibus verſatur identitas: ergo ſi per concluſionem non attingitur alterum extremum videlicet obiectum præmiſſarum, non poterit attingi identitas talis obiecti cum obiecto concluſionis formalis. Ex his infertur ex nullo capite ſecundum hanc ſententiam prærequiri apprehenſionem de illatione obiectiua, ſeu de identitate obiecti præmiſſarum cum obiecto concluſionis ad aſſenſum concluſionis. Non ex natura ſpeciali diſcurſus vt dicebam num.4. non ex eo quod apprehenſio ſemper præcedat iudicium, quia etiamſi hoc verum eſſet, iudicium concluſionis non reſpicit tanquam obiectum talem identitatem, vt modò ex principiis huius ſententiæ euici.

Iam in ſententia affirmante aſſenſum concluſionis attingere 6
per ſe ipſum obiectum præmiſſarum adhuc affirmo concluſionem non attingere enunciatiuè illationem obiectiuam, ſeu identitatem obiecti concluſionis cum obiecto præmiſſarum, ita vt ex vi illius dicat intellectus, hoc eſt idem cum illo, ſeu hoc infertur ex illo. Hæc concluſio eſt contra Arriagam ſupra n. 18. illam tamen tradidit

N.Smiglo

Digitized by Google

N. Smiglecius diſp. 13. quæſt. 2. Probatur facilè: iudicium quo intellectus dicit, *hoc infertur ex illo*, eſt iudicium de illatione tanquam de obiecto: ergo non eſt formalis illatio de qua fertur iudicium, aliud enim eſt inferre vnum ex alio, aliud iudicare vnum ex alio inferri, hoc enim ſine diſcurſu poteſt fieri, poſſum enim actu fidei humanæ, vel diuinæ credere hoc obiectũ ex illo inferri; illud verò eſſẽtialiter dicit actum diſcurrendi. Similiter aliud eſt dicere, illud eſt idem cum iſto, quam ex vi illius iſtud iudicare, exempli gratia aliud eſt ex vi harum præmiſſarum, *Omnis homo eſt rationalis, Omne riſibile eſt homo*, aſſentiri obiecto huius propoſitionis: *ergo omne riſibile eſt rationale*, quod neceſſariò fit per diſcurſũ, aliud verò dicere obiectũ harũ præmiſſarum, *Omnis homo eſt rationalis: Omne riſibile eſt homo* eſt idem cum obiecto huius concluſionis: *ergo omne riſibile eſt rationale*, quod ſine diſcurſu per iudicium fidei humanæ, vel diuinæ, diuina vel humana reuelatione intercedente poterit affirmari. Confirmatur: ſecundùm hanc ſententiam tantùm requiritur ad diſcurſum, quod aſſenſus concluſionis attingat obiectum præmiſſarum tanquam rationem formalem aſſentiendi obiecto illato. Sed hoc poteſt fieri, quin intellectus enunciatiuè dicat obiectum præmiſſarum eſt idem cum obiecto concluſionis, ſeu obiectum concluſionis inferretur ex obiecto præmiſſarum: ergo concluſio non imbibit in ſe formaliter, neque aliquo modo prærequirit iudicium enuncians illationem, ſeu identitatem obiecti præmiſſarum cum obiecto concluſionis. Ex his inferes adhuc in hac ſententia non prærequiri ad aſſenſum concluſionis apprehenſionem de illatione obiectiua, cùm in illam formaliter, & enunciatiuè non feratur concluſionis aſſenſus.

7 Dixi aſſenſum concluſionis non ferri enunciatiuè in illationem, ſeu identitatem obiecti præmiſſarum cum obiecto concluſionis, quia vt benè P. Smiglecius ſupra & Hurtadus §.47.& Arriag.num.15. intellectus per aſſenſum concluſionis in actu exercito noſcit illationem obiecti concluſionis ex obiecto præmiſſarum, & identitatem vtriuſque, quia concluſioni aſſentitur propter præmiſſas, & de obiecto concluſionis iudicat, ex præmiſſarum iudicio, quod eſt ſe gerere cum obiecto concluſionis tanquam cum aliquo identificato cum obiecto præmiſſarum, in quo intellectus nullam cognoſcit diſtinctionem, & ita quaſi virtualiter affirmans, ſeu ſupponens eſſe idem infert in concluſione identificari inter ſe extremitates, quas vidit in præmiſſis identificatas vni tertio.

8 Obiicies primò: Aſſenſus concluſionis fertur in ſuum obiectum propter obiectum præmiſſarum: ergo neceſſaria eſt ſaltem apprehenſiua cognitio de connexione obiecti præmiſſarum, cum obiecto concluſionis. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia illius tantùm prærequiritur cognitio ad aſſenſum concluſionis, quod eſt motiuum formale huius, ſeu propter quod aſſentitur obiecto concluſionis, cum verò tantum propter obiectum præmiſſarum aſſentiatur concluſioni tantùm prærequiritur cognitio de obiecto præmiſſarum, quam habemus in ipſis præmiſſis formalibus. Inſtabis non ſolùm aſſentior concluſioni propter obiectum præmiſſarum, ſed propter identitatem obiecti præmiſſarum cum concluſionis obiecto, & propter illationem huius ex illo; ergo non ſolùm prærequiritur cognitio obiecti præmiſſarũ, ſed identatis obiecti præmiſſarum cũ obiecto concluſionis, & illationis huius ex illo. Reſpondeo intellectũ tantùm ferri in obiectum concluſionis, ſeu extremitatum inter ſe, propter identitatẽ earundem cum medio, & ideo huius tantùm idẽtitatis cognitionem prærequiri tãquam obiectum formale motiuum, ex quo infertur formalis concluſio, ex vi cuius intellectus enunciat identitatẽ extremitatum inter ſe, & in actu exercito infert obiectũ concluſionis ex obiecto præmiſſarum, & virtualiter affirmat eſſe idem, vt dicebam n. 7.

9 Obiicies ſecundò: Cognitis eiſdem præmiſſis vnus aſſentitur concluſioni, & alter non aſſentitur ergo ex eo eſt quod vnus cognoſcit illationem, & alter illam non cognoſcit. Peto à te cur cognitis eiſdem præmiſſis vnus cognoſcat illationem illarum cum concluſione, & alter illam non cognoſcat? Dices quia vnus perfectius altero præmiſſas agnoſcit. Ex hoc ergo capite affirmo ego procedere cognitis eiſdem præmiſſis hunc concluſionem inferre, & non alterum, ſecluſa in vtroque illationis cognitione.

10 Obiicies tertiò: voci *ergo* reſpondet in intellectu aliqua cognitio, non cognitio repræſentans conſequens illatum ſecundùm ſe, quia hoc per reliquas voces ſignificatur: ergo cognitio repræſentans illationem. Reſpondeo vocem *ergo* non ſignificare aliquid ſe tenens ex parte obiecti diſtinctum a conſequenti, ſed denotare hoc vtcumque cognoſci; ſed cognoſci ex vi præmiſſarum, itaque hæc complexa *homo eſt rationalis*, & *Ergo homo eſt rationalis*, ex eo differunt, quod primum ponitur loco cognitionis, vtcumque repræſentantis ſuum obiectum, & ſecundum ponitur loco cognitionis illud repræſentantis, ſeu attingentis ex vi præmiſſarum.

11 Obiicies quartò Ariſtotelem dicentem *ſcientiam eſſe cognitionem rei per cauſam, & quod illius ſit cauſa, & quod aliter ſe habere non poſſit*: ergo Ariſtoteles præter cognitionem præmiſſarum requirit ad aſſenſum concluſionis præcognoſci, quod præmiſſæ ſint cauſa illatiua concluſionis, quod ſignificat per illa verba, & *quod illius ſit cauſa*. Reſpondeo cum Hurtado ſupra §.4. non ſignificare cognitionem illationis, ſed ſolum euidentiam cognitionis ſcientificæ deductæ ex cognitione euidenti cauſæ.

PVNCTVM III.

An aſſenſus concluſionis neceſſariò tangat obiectum præmiſſarum?

1 Quæſtio hæc valdè coincidit cum alia, quam exagito Controu. 11. de anima Punct. 2. an videlicet electio intrinſecè per ſe ipſam tangat motiuum intentionis ſeu bonitatem finis. Licet enim nonnulla poſſet eſſe diſparitas, ratione cuius poſſet defendi electionem non attingere bonitatem finis, etiamſi concluſio debeat attingere obiectum præmiſſarum, quæ peti poſſet ex libertate voluntatis, & neceſſitate intellectus, vel è contra poſſet defendi electionem neceſſariò debere attingere bonitatem finis; quia medium vt tale non habet ſufficientem bonitatem ad terminandum electionis actum, & concluſionis aſſenſum non debere ferri in obiectum præmiſſarum, quia obiectum concluſionis ex ſe ſufficientem veritatem habet ad terminandum concluſionis actum, nihilominus præcipua ratio, qua probatur aſſenſum concluſionis debere attingere obiectum præmiſſarum, quam expendam, communis eſt vtrique quæſtioni, eâdem enim probatur electionis actum debere attingere intentionis obiectum, aliáque quàm plura argumenta eodem modo in vtraque quæſtione procedunt, eiſdémque principiis vtraque eſt definienda. Breuiter quæſtionem hanc hîc definiam, & latiùs alteram de electione reſpectu intentionis tractabo loco citato, cùm iam altiora principia tradiderim ad quæſtiones percipiendas, ideo ſi pleniorem huius materiæ notitiam deſideres, adito locum citatum vbi principia, quibus vtraque quæſtio, & aliæ ſimiles ſunt exagitandæ latiùs expendo.

2 Duplici modo poteſt attingi obiectum præmiſſarum aſſenſu concluſionis. Primò tantùm vt *quo* ſeu tanquam puram rationem aſſentiendi, quin ex vi illius actus ipſi obiecto formali aſſentiatur. Secundò poteſt attingi non ſolùm vt *quo*, ſed etiam vt *quod*, ita vt non ſolùm ſit ratio aſſentiendi, verùm etiam de illo feratur aſſenſus, & aliquid enuncietur ex vi talis actus. Modum attingendi vt *quod*, vocarunt S.Th.1.2.quæſt.8.art.3.in corp. & quæſt.12. art.4.Capreol.in 1. diſt.1.quæſt. 1. *attingi abſolutè & ſecundùm ſe*. Ochamus & Gabriel. quæſt.8. Prologi, P. Fonſeca 6.Metaph.c.1.art.7.diſp.1.conc.2. & 3. attingi vt obiectum mouens. Communis tamen loquendi modus hos diuerſos modos attingendi idem obiectum explicat per hoc, quod eſt attingi vt *quod*, & vt *quo*: ſic loquuntur Conimbr. lib. 1. Poſt.c.1.quæſt.2.art.5. Difficultas, quam hic exagitant Doctores, eſt, An aſſenſus concluſionis reſpiciat obiectum præmiſſarum vt obiectum *quo*, ſeu vt rationem formalem aſſentiendi, quod ſufficiet vt præmiſſarum obiectum ſpeciẽ tribuat aſſenſui concluſionis, & vt concluſio dicatur à præmiſſis dependens, & ab aliis differat per aliquid intrinſecum. An verò eo ipſo quod præmiſſarum obiectum, & quodcumque aliud reſpectu aliorum actuum intellectus, & voluntatis attingatur vt *quo* debeat attingi vt *quod*, ad præſentem quæſtionem non ſpectat, & non facilè poterit definiri. Dicam quid ſentiam Controuerſ. 10. de anima Punct. 2. ad finem, & in præſenti cum omnibus Philoſophis tantùm diſputabo, an aſſenſus concluſionis attingat

præmiſſa

Digitized by Google

præmiſſarum obiectum vt obiectum *quo* formale, ſpecificatiuum.

3 Aſſenſum concluſionis non attingere obiectum præmiſſarum docuerunt apud P. Rubium infrà dandum moderni quidam, quos moderniores alij modò ſequuntur, qui pro ſe referunt N. Molinam, & PP. Conimbr. decipiuntur tamen, quia hi Doctores tantùm negant aſſenſum concluſionis ferri in obiectum præmiſſarum vt in obiectum *quod*, & affirmant illud attingere vt obiectum *quo*, vt legenti fiet manifeſtum. Noui alij affirmant aſſenſum concluſionis poſſe attingere intrinſecè per ſe ipſum obiectum præmiſſarum vt obiectum *quo*, & non poſſe illud nomen intrinſecè attingere, ſed tantùm extrinſecè.

4 Communis, & ferè omnium Doctorum ſententia affirmat aſſenſum concluſionis attingere obiectum præmiſſarum intrinſecè, per ſe ipſum. Ita S. Thom. Capreol. Conim. & P. Fonſeca n. 2. citati, P. Salas 1. 2. quæſt. 8. & 4. diſp. ſect. 6. P. Rub. lib. 1. Poſterior. quæſt. 6. n. 54. P. Arriag. diſp. 15. ſect. 5. & alij antiqui apud Patrem Rubium, quibus omnibus libens aſſentior.

5 Sit prima concluſionis ratio. Præmiſſæ ſunt cauſæ concluſionis formalis, & natura priores concluſione: ergo antequàm intellectus eliciat concluſionem ſupponuntur præmiſſæ, & ex vi illarum applicatum obiectum præmiſſarum, quod negari nequit. Deinde obiectum præmiſſarum eſt motiuum ſufficiens, vt ex vi illius intellectus eliciat concluſionem: ergo intellectus cum potentia ſit neceſſaria ex illo motiuo concluſionem eliciet, non enim poteſt cohiberi propoſito ſufficienti motiuo ad aſſenſum, ne in illud feratur, ſicuti propoſita albedine non poteſt potentia viſiua non elicere viſionis actum. Dices propoſitis præmiſſis probabilibus, & non euidentibus poſſe voluntatem imperare intellectui, ne ex vi illarum eliciat aſſenſum concluſionis, quia præmiſſæ tantùm probabiles non determinant neceſſariò intellectum ad aſſentiendum concluſioni. Habemus ſecundùm hunc reſpondendi modum in ſyllogiſmo euidenti aſſenſum concluſionis neceſſariò referri in obiectum præmiſſarum, iam idem contingere in ſyllogiſmo probabili ſic oſtendo. Non minùs euidenter ſequitur ex præmiſſis probabilibus probabilis concluſio, quam ex præmiſſis euidentibus concluſio euidens: ergo ſicuti præmiſſæ euidentes cogunt intellectum ad aſſenſum euidentem concluſionis, ſic præmiſſæ probabiles cogunt intellectum independenter ab omni imperio voluntatis ad aſſenſum probabilem concluſionis. Antecedens eſt certum, quia illatio ſequitur ratione formæ, & diſpoſitionis terminorum, forma autem terminorúmque diſpoſitio eadem omnino eſt in ſyllogiſmo probabili, & euidenti, quapropter ſemel præſtito aſſenſu præmiſſis probabilibus æquè determinatus manet intellectus ad aſſenſum probabilem concluſionis, ac eſt determinatus ad aſſenſum euidentem concluſionis poſtquam præmiſſis euidentibus aſſenſus eſt. Ea enim tantùm eſt differentia in diſcurſu probabili, & in euidenti, quod præmiſſæ probabiles diſcurſus probabilis non cogunt intellectum independenter à voluntate ad illarum aſſenſum, ac proinde poteſt voluntas intellectui imperare, ne illis præſtet aſſenſum, quo non præſtito ad aſſenſum concluſionis non perueniet; præmiſſæ verò euidentes independenter ab imperio voluntatis intellectum ad ipſarum determinant aſſenſum, & ita ſi ſemel proponantur, intellectus non poterit illis non aſſentiri. Inſuper differunt ex eo quod concluſio deducta ex præmiſſis probabilibus probabilis eſt, & illa quæ infertur ex euidentibus eſt euidens. Conueniunt autem in hoc quod ſemel præſtito aſſenſu præmiſſarum probabilium, aut euidentium libero, vel neceſſario intellectum eſſe determinatum independenter ab imperio voluntatis ad aſſentiendum concluſioni probabili vel euidenti iuxta principiorum naturam.

6 Alij reſpondent poſſe intellectum diſtrahi ad alia obiecta, & ex defectu attentionis non elicere concluſionem propter motiuum propoſitum præmiſſarum, ſed propter veritatem, quam in ſe habet concluſio capacem terminandi per ſe ipſam aſſenſum concluſionis. Admittit hic dicendi modus per ſe loquendo aſſenſum concluſionis attingere præmiſſarum obiectum, & non niſi per accidens ex animi diſtractione oppoſitum cótingere. Videamus an res ita ſe habere poſſit. Poſſe ex diſtractione animi propoſitis præmiſſis non elici concluſionis aſſenſum experientia compertum eſt, tantùm eſt difficultas an poſſit elici, & non ex motiuo per præmiſſas propoſitas, hoc eſt, an ex ſuppoſitione, quod eliciatur, debeat ferri in præmiſſarum obiectum. Conſequens inferendum poſſe ſecundùm ſe independenter ab obiecto præmiſſarum virtutem habere terminandi aſſenſum non ego negabo, ſæpe enim inferimus illa, quæ ſine illatione in ſe ipſis poſſemus cognoſcere. Difficultas eſt an intellectus poſſit ſimul diſtrahi, ita vt ratione diſtractionis non eliciat aſſenſum concluſionis ex motiuo, quod præmiſſæ proponunt, & habere ſufficientem attentionem ad eliciendum concluſionis aſſenſum propter veritatem quam in ſe includit conſequens: Sed demus de facto ita contingere, tunc dicam aſſenſum illum conſequentis non eſſe concluſionem, neque produci dependenter à præmiſſis, neque has aliquo modo in illum influere, quia præmiſſæ tantum influunt in concluſionem proponendo motiuum, in quod tanquam in formale obiectum feratur concluſio, quod probabit ratio quam pro hac concluſione iam expendo.

Secunda concluſionis ratio eſto: Aliqua debet aſſignari ratio, propter quam ex tribus aſſenſibus, qui in diſcurſu reperiuntur, duo habeant rationem præmiſſarum, & alius rationem concluſionis. Sed non poteſt eſſe alia, niſi quia aſſenſus concluſionis fertur in obiectum præmiſſarum, tanquam in formale motiuum, & aſſenſus præmiſſarum nullo modo attingit concluſionis obiectum: ergo aſſenſus cõcluſionis fertur in obiectum præmiſſarum. Minorem probo: vnius aſſenſus non dependet ab alio in genere cauſæ efficientis, vt fert communis ſententia, quia nullus actus vitalis intentionalis phyſicè in alium influit, ſed tantùm directiuè, ſicuti concurrit actus Logicæ ad ſciendi inſtrumenta conficienda, vt dixi Controu. 2. Punct. 6. cognitio ad volitionem, vt dicam Controu. 8. de Anima Punct. 2. & intentio ad electionem quando realiter ab illa diſtinguitur, vt tradam Controu. 11. de Anima Punct. 6. ergo non poteſt ex alio capite à præmiſſis dependere concluſio, niſi quia hæc fertur in illatum obiectum tanquam in formale motiuum. 7

8 Dices aſſenſum præmiſſarum eſſe illuminationem ad aſſenſum concluſionis, & concluſionis aſſenſu intellectum non illuminari ad aſſentiendum præmiſſis. Sed inquiro, cur aſſenſus ille, quem tu concluſionis vocas non ſit illuminatio ad alterum illorum, quos tu præmiſſas appellas. Si dicas quia obiectum concluſionis pendet ab obiecto præmiſſarum, & præmiſſarum obiectum non dependet à concluſionis obiecto: Exempli gratia, cum ego dico, ſol eſt: ergo dies eſt, iudicium de exiſtentia ſolis eſt illuminatio ad iudicium de exiſtentia diei, quia exiſtentia diei dependet ab exiſtentia ſolis, & iudicium de exiſtentia diei non eſt illuminatio ad iudicium de exiſtentia ſolis, quia hęc exiſtentia ab illa non depēdet.

9 Contra hoc eſt, quia quando ego arguo à poſteriori *Dies eſt: ergo eſt ſol*, iudicium de exiſtentia diei ſe habet per modum præmiſſæ & illuminantis, & iudicium de exiſtentia ſolis per modum concluſionis, & illuminati, ſeu obiecti ad quod intellectus illuminatur: ergo illuminatio non conſiſtit in dependentia obiectorum inter ſe, quia hæc ſunt indifferentia vt inter ſe habeant munus illuminati, aut illuminantis. Denique in omnibus relatiuis æquè arguitur ex hoc extremo ad illud, & ex illo ad iſtud: v. g. æquè concluſionem infero ſi dicam, *eſt Pater: ergo eſt Filius; eſt Filius, ergo eſt Pater.* Rurſus in ſyllogiſmo expoſitorio, æquè poteſt inferri obiectum concluſionis ex obiecto præmiſſarum, ac obiectum præmiſſarum ex obiecto concluſionis, poſſum enim arguere: *Petrus eſt primogenitus Ioannis: hic homo eſt Petrus: ergo hic homo eſt primogenitus Ioannis*, eodemque modo poſſem inferre *Petrus eſt primogenitus Ioannis: hic homo eſt Petrus: ergo hic homo eſt primogenitus Ioannis.*

10 Reſpondent alij recentiores ex aſſenſibus qui mutuò ſe poſſunt inferre illum dici concluſionem, & actu illatum qui deficiente alio deficeret, & illum ſe tenere ex parte præmiſſarũ, & eſſe illuminationẽ ad alterum, qui non deficeret altero deficiente. Hunc influendi modum aſſignat P. Ripalda in actu imperante reſpectu imperati, quem ego refero, & per otium refello, efficaciſſimè ni fallor, Contr. 8. de anima Punct. 4. §. 4. & 5. vide ſi placet quæ contra influxum in obiecto conditionato conſtitutum, vel per obiectum conditionatum explicatum loco citato latè expendo, quæ omnia in hac materia eodem prorſus modo procedunt.

Digitized by Google

dunt. Mitto alias rationes, quibus hæc concluſio ſolet probari, quia hæc, quam modò expendi, omnium eſt efficaciſſima, & rem totam euincere mihi perſuadeo.

11 Obiicies primò. Obiectum concluſionis habet ex ſe independenter ab obiecto præmiſſarum ſufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus: ergo neceſſarium non eſt, quod obiectum præmiſſarum attingatur per aſſenſum concluſionis. Reſpondeo obiectum concluſionis habere ex ſe ſufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus purè iudicatiuum, ſicuti eſt actus quilibet præmiſſarum, non verò ad terminandum actum diſcurſiuum, ſeu concluſionis, qui in re ſit concluſio, & à præmiſſis dependeat. Adde quod etiamſi virtutem haberet ex ſe ad terminandum talem actum, eo ipſo quod præmiſſarum obiectum eſſet applicatum non illum terminaret ſine præmiſſarum obiecto, quod etiam virtutem haberet ad terminandnm actum concluſionis tanquam formale motiuum, quia quando iunguntur duæ cauſæ neceſſariæ, quarum quælibet ex ſe poteſt effectum producere, effectus non ab altera tantùm, ſed ab vtraque indiuiſibiliter procedit attemperato vtriuſque cauſæ concurſu.

12 Obiicies ſecundò. In concluſione non repetuntur præmiſſæ: ergo actus concluſionis non terminatur ad illas. Antecedens probatur ex eo, quod ſi præmiſſæ repeterentur, cùm dicimus *Omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal*, totum hoc obiectum importaret concluſio *Petrus eſt animal*, ex eo quod omnis homo eſt animal, & Petrus eſt homo. Reſpondeo in opinione illorum, qui aſſerunt non inferri neceſſariò ex vi actus attingi vt *quod* obiectum, quod attingitur vt *quo*, etiamſi per alium actum vt *quod* debeat attingi, poſſe concedi primum antecedens, & negari conſequentiam, quia ad hoc vt præmiſſæ repeterentur in concluſione deberent attingi vt *quod*, ſicuti in præmiſſis attinguntur, cùm verò tantùm attingantur, vt *quo*, repeti dici non poterunt. In ſententia, quæ aſſerit obiectum præmiſſarum debere attingi vt *quod* aſſenſu concluſionis, eo præcisè, quod attingatur vt *quo*, inconueniens non erit aſſerere præmiſſas repeti in concluſione, & hanc includere totum illud obiectum, quod intendit obiectio. Quod ſi vocalis concluſio illud non exprimat, ideo eſt, quia particula *ergo* ſubſtituitur loco illius, quod non exprimitur.

13 Inſtabis: ſi obiectum præmiſſarum reperitur in concluſione, & ex vi huius interiùs nunciatur totum id, quod præmiſſæ repræſentant, rectè poterit ſtare concluſio ſine præmiſſis, & hæ ſuperfluè ponentur iterum in concluſione repetendæ. Reſpondeo præmiſſas prærequiri vt applicent obiectum formale motiuum ad aſſentiendum obiecto concluſionis, cui ex illo motiuo non poſſet intellectus aſſentiri, ſi motiuum non præceſſiſſet applicatum. Replicabis: intellectus aſſentitur præmiſſarum obiecto, & elicit formales præmiſſas abſque eo quod per alias obiectum formale motiuum ſupponatur applicatum: ergo ſimiliter poterit aſſentiri obiecto concluſionis propter obiectum illud ad quod terminantur præmiſſæ, abſque eo quod ex vi harum ſupponatur applicatum tale obiectum. Confirmatur: electio poteſt fieri in medium propter finem ex vi actus, quo ametur medium, & primò ametur finis, abſque eo quod ſupponatur amatus per intentionem ab electione diſtinctam, vt probabo Controu. 10. de anima Punct. 3. ergo concluſio poterit ferri in ſuum obiectum, & in aliud obiectum formale motiuum, quod dicitur præmiſſarum obiectum, abſque eo quod hoc antecedenter ſupponatur applicatum per præmiſſas, & abſque eo quod aliqua præmiſſa præceſſerit. Reſpondeo intellectum poſſe aſſentiri obiecto præmiſſarum propter ipſum abſque alio præexiſtente iudicio, ex vi cuius applicetur tale motiuum, non verò poſſe aſſentire obiecto concluſionis propter præmiſſarum obiectum abſque eo, quod præceſſerint præmiſſæ ex vi quarum applicetur tale obiectum, quia facilius eſt aſſentire præmiſſarum propter ſe ipſum, quàm aſſentire obiecto concluſionis propter præmiſſarum obiectum, & ita facilior actus non ſupponit applicationem obiecti motiui factam per iudicium, quam ſupponit actus alius difficilior. Ad confirmationem reſpondeo electionem identificatam cum intentione, ex vi cuius medium, & finis primo efficaciter amantur, ſupponere iudicium, ex vi cuius applicatur vtrumque obiectum, cognitionem verò ex vi cuius attingeretur obiectum concluſionis propter obiectum præmiſſarum, abſque eo quod hæ præceſſerint, non poſſe in illo caſu ſupponere ſuum obiectum formale motiuum applicatum per iudicium, ſicuti illud ſupponit electio identificata cum intentione. Ob quam rationem diſparitatis poteſt dari electionis actus, ex vi cuius primò ametur finis, & non poteſt dari actus concluſionis ex vi cuius ptimo aſſentiatur præmiſſarum obiecto.

Obiicies tertiò: Si concluſio attingeret obiectum præmiſſarum, non poſſet ex falſo ſequi verum, quod eſt falſum, eſt enim dogma Summuliſticum, ex vero ſemper ſequi verum, & ex falſo aliquando ſequi verum, aliquando falſum. 14 Antecedens probatur: quotieſcumque præmiſſæ falſæ ſint, illarumque obiectum non exiſtat aſſenſus concluſionis attingens præmiſſarum obiectum attinget obiectum non exiſtens: ergo erit falſus: ergo nunquam ex falſis præmiſſis ſequitur verus concluſionis aſſenſus. Concedit Arriaga hanc vltimam conſequentiam, & aſſerit dogma illud Summuliſticum intelligendum eſſe tantum de concluſione vocali, per quam non attingitur præmiſſarum obiectum. Non omnino acquieſco, quia concluſio vocalis ſubſtituitur loco mentalis, ſeu intentionalis, & reſpondet conceptui interno, in quo formalis concluſio conſiſtit tanquam illius vicaria: ergo reſpicit idem obiectum: ergo ſi concluſio mentalis falſa eſt, falſa erit vocalis concluſio. Reſpondeo poſſe dici ex falſo verum inferri, quia id, quod infertur per legitimam conſequentiam à parte rei exiſtit ſicuti infertur, licèt enim quando præmiſſæ falſæ ſunt, ſit falſus concluſionis aſſenſus, non ideo falſus redditur, quia non exiſtit obiectum in quod infertur, hoc enim ex ſe non falſificaret concluſionem: ſi hæc non falſa redderetur ratione obiecti præmiſſarum. Adde iuxta illos, qui aſſerunt aſſenſum concluſionis attingere obiectum præmiſſarum vt obiectum tantum formale *quo*, & non vt obiectum *quod*, aſſenſum concluſionis ex præmiſſis falſis deductum abſolutè eſſe verum, quia veritas tantùm deſumitur ex conformatione actus cum obiecto *quod* & non cum obiecto *quo*.

Obiicies quartò: aſſenſus concluſionis attingit obiectum præmiſſarum: ergo ſpecies quam relinquit hic actus 15 eſt ſui ipſius vt attingentis obiecta præmiſſarum: ergo quotieſcumque recordor actus diſcurſus, recordor illius vt attingentis obiecta præmiſſarum: ergo recordor etiam præmiſſarum, quod experientia monſtrat eſſe falſum, quia comparata notitia alicuius obiecti per diſcurſum pendentem à præmiſſis, ſæpe recordor illius nulla præmiſſarum mentione facta. Huic argumento tenemur omnes reſpondere, quia actus, quo ego amo medium propter finem: v. g. actus, quo volo deambulationem propter ſanitatem, attingit, vel ſaltem poteſt attingere deambulationem, & ſanitatem, & actus quo ego volo dare eleemoſynam propter Deum, attingit ipſum Deum, & tamen ſæpe recordor me voluiſſe deambulare, & me voluiſſe dare eleemoſynam, quin recorder voluiſſe deambulare propter ſanitatem, & voluiſſe dare eleemoſynam propter Deum, & vniuerſaliter ſæpe recordor me voluiſſe hoc vel illud facere, & non recordor motiuorum, propter quæ talia volui facere, etſi actus, quorum recordor per ſe ipſos motiua reſpexerint: ergo eodem modo poſſum recordari aſſenſus, quin recorder obiecti præmiſſarum quod fuit intrinſecum formale motiuum talis actus. Ad argumentum reſpondeo negando conſequentiam, quia non ſemper ſpecies propriæ repræſentant expreſsè omnem rationem intrinſecam ſui obiecti, ſed aliquando valdè confusè propter earum imperfectionem, vel nimiam remiſſionem, vel prauam ſubiecti diſpoſitionem, ſicuti ſpecies coloris à longè viſi ſæpè non repræſentant expreſsè rationem indiuidualem neque ſpecificam, cum ex vi talis viſionis non poſſit intellectus diſcernere an viſus color ſit viriditas vel rubedo. Hæc confuſio, ſeu indiſtinctio obiectorum per præciſionem ex parte actus debet intelligi, non per obiectiuam præciſionem, quam adhuc in abſtractiua intellectione non admitto.

PVNCTVM

Digitized by Google

PVNCTVM IV.

An aſſenſus præmiſſarum neceſſitet ad aſſenſum concluſionis?

1 DVplex neceſſitas ; quædam quoad ſignificationem, alia quoad exercitium. Neceſſitas quoad ſpecificationem illa eſt, ex vi cuius principium eo ipſo quod operetur, hanc ſpeciem actus debet operari, & nullo modo poteſt oppoſitum efficere, licet hîc & nunc ex vi huius neceſſitatis poſſit neutram producere, omnémque actionem cohibere. Neceſſitas quoad exercitium illa eſt, ex vi cuius principium hic & nunc prædeterminatum eſt ad effectum producendum.

2 Poſito præmiſſarum aſſenſu intellectum eſſe determinatum circa concluſionis obiectum quoad ſpeciem, hoc eſt, non poſſe ab illo diſſentire, ſed eo ipſo, quod in illud tendat, debere per aſſenſum ferri in illud docet communis Doctorum ſententia cum S.Thoma in 1.diſt. 25. q.1. art. 2. Ratio facilis eſt : Intellectus non poteſt diſſentire obiecto, quod euidenter proponitur vt verum : ſed per præmiſſas obiectum concluſionis proponitur euidenter vt verum: ergo non poteſt illi diſſentire. Maior euidens eſt, aliàs poſſem ego iudicare me modò non ſcribere, & non exiſtere lucem, quam oculis cerno, & alia huiuſmodi. Minorem probo: per præmiſſas proponuntur extremitates concluſionis vnitæ vni tertio: ergo per illas proponitur euidens connexio extremitatum inter ſe, eſt enim euidens eſſe inter ſe connexa, ſeu identificata illa, quæ ſunt vni tertio identificata: ergo proponitur talis identitas vt euidenter vera, ergo non poteſt ab illa diſſentire intellectus: ergo tali propoſitione facta per præmiſſas intellectus manet determinatus quoad ſpecificationem. Deinde in præmiſſis includitur obiectum concluſionis, etſi formaliter non ſit expreſſum: ergo qui aduertit conceſſiſſe præmiſſas non poterit à concluſionis obiecto diſſentire.

3 Affirmo inſuper per ſe loquendo intellectum ex vi præmiſſarum non ſolum prędeterminatum eſſe quoad ſpeciem, ſed etiam quoad exercitium, ita vt hîc & nunc teneatur aſſenſum concluſionis elicere eo ipſo, quod præmiſſarum admiſit aſſenſum. Ita D. Thomas ſuprà, Caietanus, Scotus, Durand. & P. Fonſeca apud Conimbricenſes qui eandem ſententiam defendunt lib. Prior. reſolut. cap. 1. q. 4. art. 4. Hurtad. diſp. 7. de Anima ſect. 4. Arriaga diſput. 15. Logicæ ſect. 6. Sit ratio: intellectus eſt potentia neceſſaria, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum non poteſt non operari. Sed eo ipſo quod detur præmiſſarum aſſenſus, intellectus habet omnia principia requiſita ad eliciendum concluſionis aſſenſum, cùm ex vi præmiſſarum proponatur ſufficiens motiuum ad eliciendum hunc aſſenſum: ergo intellectus illum neceſſariò elicit, ſi per accidens non impediatur. Dices vnum ex requiſitis ad operandum eſſe voluntatis imperium, ſine quo intellectus non eſt ſimpliciter, abſolutè, & adæquatè potens elicere aſſenſum concluſionis. Sed contrà, quia ad aſſenſum euidentem, ſeu obiecti vt veri euidenter propoſiti imperium hoc neceſſarium non eſt, euidentia enim obiecti rapit intellectum ad præbendum aſſenſum independenter ab omni imperio voluntatis. Neque ad aſſenſum probabilem concluſionis, ſeu deductum ex præmiſſis probabilibus requiritur hoc voluntatis imperium, quia æquè euidenter infertur aſſenſus probabilis ex præmiſſis probabilibus, ac euidens ex euidentibus, & ſemel ſuppoſitâ identitate extremitatum vni tertio per aſſenſum probabilem, euidens eſt eâdem probabilitate verum eſſe extremitates inter ſe identificari. Quapropter imperium voluntatis deſeruire poteſt, vt obiecto probabili præmiſſarum aſſenſus præbeatur, hoc tamen ſemel præſtito neceſſarium non eſt, vt eliciatur concluſionis aſſenſus, quia ex ſuppoſitione quod identificentur extremitates vni tertio, euidens eſt inter ſe identificari, cum autem per præmiſſas probabiles ſupponatur vt verum præmiſſas identificari vni tertio, euidenter ſequitur identificari inter ſe. Dices obiectum concluſionis euidenter inferri, ſeu illationem eſſe euidentem, obiectum, tamen illarum euidens non eſſe, quia hoc non poteſt habere euidentiam, quæ in præmiſſis non eſt, & ita non poſſe intellectum rapere, vt illi aſſenſum præbeant. Fateor obiectum euidenter illatum in ſyllogiſmo probabili euidens non eſſe, & ita aſſero obiectum per ſe ipſum non poſſe cogere intellectum ad aſſenſum circa illud eliciendum, ſed ratione præmiſſarum ex quibus euidenter infertur, & ratione connexionis quæ apparet inter obiectum concluſionis, & præmiſſarum, idem enim quod obiectum in ſe euidens per ſe ipſum præſtaret, præſtat obiectum probabile euidenter connexum cum obiecto præmiſſarum probabilium, ratione harum, cùm hæ ſupponuntur, hoc eſt, cùm intellectus aſſenſum præbuit præmiſſarum obiecto.

Dixi intellectum per ſe loquendo eſſe prædeterminatum ad aſſenſum concluſionis, quia per accidens poteſt aliquando emiſſo præmiſſarum aſſenſu concluſioni non aſſentiri, ſi nimis intentus ſit aliis obiectis, quibus detrahatur ab obiecto concluſionis, & remoueatur ab aſſenſu circa illud eliciendo. Item ſi ex alio capite non attendat ad connexionem, quam habet vtraque extremitas cum eodem medio, ſed quaſi diſparatè eliciat has propoſitiones *Omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo*: non conſiderata identitate ſubiecti maioris cum prædicato minoris, neque inſpectâ prædicatione duarum extremitatum de eodem medio, ſeu vno tertio, in quod vtraque confluit per identitatem. Ratio huius exceptionis deſumitur ex fundamento concluſionis, quia vnum ex requiſitis ad aſſenſum concluſionis eſt intellectum non eſſe impeditum nimiâ aliorum obiectorum attentione, & inſpectam habuiſſe identitatem extremitatum cum medio: ergo dum intellectus hanc identitatem non inſpicit, illáve diſtractione aliorum obiectorum attentio impeditur, non habet omnia requiſita ad aſſenſum concluſionis eliciendum, illúmque non eliciet. 4

Dices intellectum ſaltem requirere ad eliciendum aſſenſum concluſionis, affectu voluntatis non prohiberi productionem talis aſſenſus, ac proinde poſſe voluntatem per actum, quo prohibeat elicientiam talis aſſenſus intellectum coërcere ne illam exerceat, licet intellectus non indigeat poſitiuo imperio voluntatis ad talem aſſenſum præſtandum. Eundem dicendi modum expendam & reiiciam Controu. 10. Phyſic. Punct. 1. num. 7. vbi impugnabo nonnullos aſſerentes poſſe aliquem effectum exiſtere dependenter à voluntate diuina, etiamſi phyſicè non produceretur à Deo, ex eo præcisè quod indigeret diuina permiſſione ad exiſtendum, ita vt ex eo quod Deus diceret, nolo hunc effectum exiſtere, deficeret talis effectus, etiamſi poſitiuè à Deo non dependeret. In præſenti autem ſufficiat dicere ſine fundamento fingi neceſſitatem non prohibitionis voluntatis, ad hoc vt intellectus efficiat actus, quos ſine poſitiuo voluntatis imperio poteſt efficere, ſi enim volitio neceſſaria non eſt ad aſſenſum eliciendum, nolitio obeſſe non poteſt, quia tantùm poſſet impedire elicientiam aſſenſus, quatenus remoueret volitionem requiſitam ad aſſenſum, eliciendum. 5

Obiicit Rubius lib. 1. de Prior. reſol. quæſt. 8. vt probet intellectum non determinari quoad exercitium ad aſſenſum concluſionis per aſſenſum præmiſſarum. Intellectus obedit imperio voluntatis: ergo voluntas poterit illum cohibere, etiam ſuppoſito præmiſſarum aſſenſu ne concluſioni aſſentiatur. Reſpondeo intellectum obedire voluntati in his actibus, quorum obiecta non apparent euidenter vera, obiectum autem concluſionis ex ſuppoſitione præmiſſarum repræſentatur euidenter verum, & euidenter connexum cum obiecto præmiſſarum, quod per formales præmiſſas verum eſſe ſupponitur. 6

Obiicit ſecundò: Habitus non dantur ad actus, qui non ſubduntur imperio voluntatis: ergo ſi aſſenſus concluſionis non ſubderetur imperio voluntatis, non daretur habitus ad illum eliciendum: ergo non daretur habitus diſtinctus à principiorum habitu. Reſpondeo iuxta veriorem ſententiam, quam probabo Controu. 13. de anima Punct. 2. nullum dari habitum ad actus intellectus diſtinctum ab ſpeciebus, quæ etiam actibus neceſſariis poſſunt deſeruire. Quod ſi volueris neque ſpecies impreſſas concurrere ad concluſionis aſſenſum, abſque vlla formidine conſequentiam concede, nihil enim abſurdi in conſequenti reperies. 7

Obiicit tertiò: Nullum eſt bonum creatum, à quo neceſſitetur voluntas: ergo neque verum à quo neceſſitetur intellectus. Concedo antecedens, nego conſequentiam, & diſparitatem reddo. Voluntas eſt potentia libera, & ita poteſt ſuum affectum cohibere circa obiectum ad quod conſequēdum habet omnia requiſita: intellectus autem eſt potentia 8

Digitized by Google

potentia neceſſaria, & ita ſi ſemel inſtruatur omnibus præ-requiſitis ad operandum non poteſt non operari. Secundò voluntas ex ſuppoſitione intentionis neceſſitatur ad electionem medij creati: ergo pari ratione intellectus præmiſſarum poteſt neceſſitari ad aſſenſum concluſionis. En ratio paritatis à voluntate deſumpta reſpectu intellectus noſtram concluſionem non ſolùm non impugnat, verùm etiam propugnat. Tertiò quia illud, quod apparet euidenter verum, vel in ſe, vel ex ſuppoſitione præmiſſarum, non poteſt ex harum ſuppoſitione ſub vlla ratione falſum apparere, & ita intellectus non poteſt non elicere aſſenſum circa illud, bonum autem creatum ſemper adınixtam habet aliquam rationem mali quæ poſſit intellectum retrahere ab illius amore. Demum cum iuxta communem ſententiam vna veritas non ſit maior aliâ, quodcumque obiectum verum, etiam creatum intra lineam creati eſt ſummum verum, hoc eſt non poteſt eſſe aliud obiectum creatum verius illo, nullum autem bonum creatum, adhuc intra lineam creati eſt ſummum bonum, quia quocumque bono creato aſſignato poteſt aliud bonum creatum aſſignari quod ſit magis bonum.

9 Obiiciunt alij recentes: Suppoſitis præmiſſis voluntas poteſt imperare concluſionem directam, aut indirectam: ergo concluſio non elicitur independenter ab imperio voluntatis. Antecedens probant ex eo quod his poſitis præmiſſis, *Omnis homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, poteſt quis pro ſua voluntate directè concludere: *ergo Petrus eſt animal*: vel indirectè: *ergo aliquod animal eſt Petrus*, quod experientia compertum eſſe affirmant. Cæterùm experientia ſuadet liberum eſſe concluſionem vocalem directam vel indirectam proferre, hanc autem libertatem in actu interno, ſeu in concluſione mentali nemo expertus eſt: Imò ſi hoc volueris experiri vtramque concluſionem directam, & indirectam neceſſariò elicies. Reſpondeo ergo cum Hurtado ſupra §. 38. vtramque concluſionem eliciendam eſſe ab intellectu, ſi ad vtramque attendat, & intellectus virtutem habeat vtramque ſimul eliciendi, qua non carere mihi perſuadeo. Quod ſi vtraque ſimul obiiceretur, & non poſſet ſimul ab intellectu elici, tunc daretur optio voluntati, vt quam maluerit, eliceret. Vt plurimum autem concluſio directa elicietur, quia hæc clariùs apparet intellectui, faciliúſque agnoſcitur.

PVNCTVM V.

Quo modo tempore, & naturâ præmiſſæ concluſionem præcedant?

1 Circa coëxiſtentiam aſſenſuum præmiſſarum, & concluſionis ſuborta fuit apud aliquos dubitandi ratio ex D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 3. vbi ait, ideo Deum non diſcurrere, quia non cognoſcit vnum poſt aliud: ergo ad diſcurſum requiritur cognitionum ſucceſſio: ergo coexiſtere nequeant cognitio præmiſſarum & concluſionis. Reſpondeo Angelicum Doctorem tantùm docuiſſe potentiam diſcurſiuam poſſe habere actuum ſucceſſionem, ex quo principio negat Deo potentiam diſcurrendi, non verò ex eo quod ad diſcurſum requiratur actuum ſucceſſio. Deinde etiam ſi in diſcurſu expoſceret D. Thomas actualem ſucceſſionem actuū, hæc conſtituenda eſſet in eo, quod priùs tempore eliceretur aſſenſus præmiſſarum, quàm concluſionis aſſenſus, etiamſi dum hic eliciebatur alter perſeueraret, & vterque coëxiſteret dum erat concluſionis aſſenſus. Adducitur etiam D. Thomas quæſt. 58. art. 2. & quæſt. 85. art. 4. vbi aſſerit non poſſe ſimul cognoſci, quæ per plures ſpecies repræſentantur: Sed obiectum præmiſſarum, & concluſionis cognoſcuntur per plures ſpecies: ergo non poſſunt ſimul cognoſci. Reſpondet Caietanus quæſt. 85. nomine plurium ſpecierum intelligendas eſſe ſpecies non ſubordinatas, ſpecies autem præmiſſarum, & concluſiones ſubordinari, & ita coexiſtere poſſe aſſenſum præmiſſarum, & concluſiones. Meliùs intelligo interpretari D. Thomam ſi dicatur ipſum negare cognoſci eàdem cognitione, quæ per plures ſpecies cognoſcuntur, difficile enim in alium ſenſum poterit illius doctrinâ defendi, experientiâ enim notum eſt, ſimul cognoſci plura, in quibus nulla ſpecierum ſubordinatio reperitur. Adducitur etiam Philoſophus 2. Topic. cap. 3. vbi ait: *Contingit autem ſcire plura, cogitare verò vnum*: ergo ex mente Ariſtotelis non poteſt dari ſimul in intellectu duplex actualis cognitio. Reſpondeo Ariſtotelem tantùm prædictis verbis ſignificare plura poſſe habitualiter ſciri, quàm actualiter cognoſci, non verò docuiſſe non poſſe ſimul cognoſci plura. Item ergo aſſenſum præmiſſarum & concluſionem poſſe coexiſtere, de quo nulla poteſt eſſe controuerſia. Neque negari poteſt alterā præmiſſam poſſe præcedere concluſionem, quia cùm vna non inferat aliam, & per ſe ſola non ſufficiat concluſionem inducere, poterit abſque alia præmiſſa, & abſque vtraque ſubſiſtere. Vtramque præmiſſam non poſſe per ſe loquendo concluſionem præcedere, mihi perſuadeo, quia vtraque præmiſſa determinat intellectum ad aſſenſum concluſionis, vt probaui Punct. præcedenti: ergo illum determinabit in primo inſtanti, in quo ſimul vtraque exiſtat. Si enim in primo inſtanti non determinaret intellectum, neque illum determinaret in ſequentibus, cùm in omnibus eadem ſit ratio. Poterit autem ex accidenti v. g. ex diſtractione animi vtraque præmiſſa eſſe in aliqua menſura temporis, in qua non ſit concluſio, quæ ablato diſtractionis impedimento incipiet tempore poſterior præmiſſis.

Difficilius eſt, an concluſionis aſſenſus poterit exiſtere ſine præmiſſarum aſſenſu, vel quia elicitur poſtquam iam præmiſſæ tranſiêre, vel quia elicitur præmiſſis exiſtentibus, & poſtea deficientibus conſeruatur. Secundùm ſententiam, quam ſum amplexus aſſerentem aſſenſum concluſionis ferri in obiectum præmiſſarum priùs propoſitum per formales præmiſſas, non poteſt aſſenſus concluſionis produci, neque conſeruari præmiſſis non exiſtentibus, quia ſupponit obiectum formale applicatum per præmiſſas, qua applicatione deficiente deficiet concluſionis actus, ſicuti deficit actus voluntatis cognitione non exiſtente. Cenſeo tamen ſupernaturaliter poſſe produci, & conſeruari concluſionis aſſenſum ſine præmiſſis. Moueor quia ſecundùm hanc ſententiam aſſenſus concluſionis tantùm dependet à præmiſſis formalibus tanquam à conditione applicante motiuum, ſeu formale obiectum, ea ratione, qua dependet volitio à cognitione. Sed hoc conditionis genus poteſt ſuppleri à Deo, & poteſt ſupernaturaliter dari volitio ſine cognitione: ergo poteſt dari ſupernaturaliter aſſenſus præmiſſarum ſine concluſionis aſſenſu. Tota difficultas huius rei in minori conſiſtit, quam probabo Controu. 7. de anima, Punct. 3. 2

In ſententia quæ aſſerit aſſenſum concluſionis non attingere præmiſſarum obiectum, neque efficienter à præmiſſis formalibus pendere facilè defenditur poſſe aſſenſum concluſionis primò produci ſine præmiſſis, & cum his productum ſine eiſdem poſtea conſeruari, quia intellectus, qui elicit hunc aſſenſum propter veritatem formalem, quam in ſe habet conſequens determinatur præmiſſarum aſſenſu, poterit ſine hac determinatione illum elicere, & conſeruare; ſicuti voluntas, quæ elicit actum imperatum propter motiuum intrinſecum proprium talis actus determinata actu imperante, poterit eundem elicere abſque imperio, & iam hunc elicitum poſtea ſine illo imperio conſeruare. Neque neceſſe eſt loco præmiſſarum influentium in concluſionem aliam ſubſtitui cauſam, ſi ipſæ deficiant, quia cùm cauſa phyſicè non influit, neque per ſe ad effectum requiritur, neceſſum non eſt ipſa deficiente aliam ſubſtitui, vt conſeruetur effectus, qui ab illa dependebat, vt videre eſt in actu imperato reſpectu imperantis. 3

Nota tamen tunc ſolùm aſſenſum conſequentis dici concluſionem formalem, & illius obiectum conſequens dici, quando actu dependet à præmiſſis, quia ſecundùm hanc ſententiam extrinſecum eſt aſſenſui eſſe concluſionem, ſicuti illi extrinſecum eſt ab his præmiſſis dependere, & ita aſſenſus iſte, *Petrus eſt animal*, concluſio dicetur quando ab his præmiſſis procedat, *Omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo.* Idem verò ſi ab his non dependeat ſicuti de facto poteſt non dependere, non dicetur concluſio, quia concluſio formaliter in ratione talis conſtituitur per hanc dependentiam extrinſecam actui, qui denominatur concluſio. Ex hoc inferes concluſionem formaliter vt concluſionem adhuc in hac ſententia non poſſe exiſtere ſine præmiſſis, licèt ſine ipſis poſſit exiſtere actus, qui accidentaliter, & extrinſecè concluſio denominatur. 4

In

Digitized by Google

5 In ſententia quæ aſſerit præmiſſas efficienter influere in concluſionem: concluſio non poterit ſine illis ſubſiſtere, quia aſſenſus concluſionis inuoluit actionem, ex vi cuius producitur, quæ per ſe ipſam eſt connexa eſſentialiter cum principio, à quo procedit, & adhuc ſupernaturaliter non poteſt ab illo ſeparari.

6 Præmiſſas non concurrere effectiuè ad aſſenſum concluſionis, ſed tantùm directiuè dixi Punct. 3. n. 6. vbi tetigi huius concluſionis fundamenta, quæ aliis locis ibi citatis latiùs expendo. Quomodo autem præmiſſæ aſſenſum concluſionis dirigant explicui eodem Punct. 3. vbi dixi præmiſſas influere in concluſionem proponendo formale obiectum propter quod intellectus conſequenti aſſentitur, & elicit concluſionis aſſenſum.

7 Contra prædictam concluſionem obiiciunt nonnulli, vt probent præmiſſas efficienter in concluſionem influere. Id præſtant præmiſſæ reſpectu concluſionis, quod ſpecies impreſſæ reſpectu præmiſſarum. Sed ſpecies impreſſæ concurrunt effectiuè: ergo præmiſſæ eodem modo concurrunt. Confirmatur: ſi præmiſſæ non præcederent concluſionem neceſſarius eſſet ſpecierum influxus ad illam eliciendam; ergo præmiſſæ ſupplent defectum ſpecierum. Sed ſpecies concurrerent actiuè: ergo præmiſſæ debent actiuè concurrere. Ob hanc rationem aſſerunt nonnulli aſſenſum concluſionis non ſolùm dependere à præmiſſis, ſed etiam à ſpeciebus impreſſis actiuè concurrentibus, quia intellectus indiget alio comprincipio actiuo ad ſuos actus producẽdos, & cùm præmiſſæ tales non ſint etiam illis poſitis ſpecies impreſſæ neceſſariæ ſunt. Reſpondent alij intellectum duo habere genera actuum, vnum eorum ad quos expoſcit principium actiuum, quia ex ſe non habet ſufficientem virtutem ad illos producendos, & huiuſmodi eſſe præmiſſarum aſſenſum ad quem ſpecies effectiuè concurrunt, aliud eorum ad quos tantùm indiget alia cognitione applicante motiuum formale ipſorum, ad quos producendos virtutem habet adæquatam, & huiuſmodi eſſe concluſionis actum, quem ſine comprincipio actiuo adæquatè poteſt intellectus producere. Hac ratione præmiſſæ non ſubrogantur loco principij actiui diſtincti ab intellectu, quod neceſſarium non eſt ad concluſionem producendam, ſed in alio genere concurrunt ad concluſionem producendam, quæ non indiget principio ab intellectu diſtincto, ſed tantùm conditione applicante motiuum formale, ex vi cuius intellectus dicitur illuminatus ad concluſionem eliciendam. Nec refert concluſionem nobiliorem eſſe præmiſſis, quia non præciſè ex eo quod effectus perfectior ſit plura principia actiua requirit, ſed ex modo quo producitur, volitio enim perfectior eſt ſpecie impreſſa producta à phantaſmate in intellectu, quã communis ſententia admittit, & volitio ſupponit tantùm animam vt principium actiuum, & ſpecies impreſſa animam & phantaſma. Addo in multorum ſententia iudicium non dependere actiuè à ſpeciebus impreſſis, ſed tantùm ab apprehenſione tanquam à conditione, ex vi cuius obiectum proponitur, ſed apprehenſionem tantùm à ſpeciebus impreſſis produci. Ex quo duo inferes primum præmiſſas formales, quæ ſunt actus iudicij non dependere efficienter ab ſpeciebus impreſſis. Secundum, apprehenſiones, quæ ſunt actus imperfectiores iudicij dependere ab anima, à qua in genere efficientis adæquatè iudicia dependent, & inſuper dependere ab ſpeciebus impreſſis, à quibus iudicia non dependent, quia eliciuntur non præuia applicatione motiui, ſicut eliciuntur iudicia, quorum obiectum per ſimplices apprehenſiones intellectui applicantur prius natura, quam eliciantur iudicia. Concludo quamcumque ex ſupradictis ſolutionibus probabiliter defendi poſſe.

Pvnctvm VI.

De præcognitis ante totum ſyllogiſmum, & in ipſo progreſſu ſyllogiſmi ante concluſionem.

1 Difficultatem hanc multi ſpecialiter in demonſtratione diſputant, neſcio qua ratione cum communis ſit in ſyllogiſmo probabili & demonſtratiuo. Omnis demonſtratio tribus terminis conſtat, ſubiecto de quo demonſtratur, prædicato, quo demonſtratur, & medio, per quod fit demonſtratio. Ex his terminis inter ſe connexis principia reſultant, ex quibus infertur concluſio. Circa quamlibet rem duo poſſunt cognoſci, nomen, & res. Deinde cognitio rei duplex eſſe poteſt. Vna quod eſſe rei, qua cognoſcitur hanc exiſtere, vel eſſe poſſibilem, & cognitio rei quoad *quid eſt*, quà ſaltem confuſè cognoſcitur quidditas rei in ordine ad aliquas proprietates, vel connotata extrinſeca. His poſitis:

Dico primò: Ad inferendum per diſcurſum aliquid de re, non ſufficit cognitio nominis alicuius, aut omnium terminorum, quia ſi ego ignorem quid nomen ſignificet, nihil potero prædicare de illius ſignificato, de quo agitur, quia nomina, cuius ſignificationem ignoro perinde ſe habent reſpectu mei in ordine ad rem ſignificatam, ac ſe habent nomina aliarum rerum, & voces ſignificationes expertus. Dixi ad demonſtrandum aliquid de re, quia ſi demonſtratio ſit tantùm de voce, vel de nomine, qua ego intendam demonſtrare vocem hanc *homo* eſſe aerem dearticulatum, vel eſſe nomen, quod per caſus inflectitur diſtinctum à verbo. certum eſt neceſſariam non eſſe cognitionem rei ſignificatæ, quia tunc in illa demonſtratione nomen ipſum eſt verbum. 2

Dico ſecundò: per ſe loquendo cognitio nominis non requiritur ad inferendum aliquid de ſubſtantia rei, quia Angelus immediatè poteſt tendere circa res ipſas ſine aliquo nomine. Et homo metaphyſicè loquendo poſſet iudicium ferre de rebus ipſis, quas cognoſcit in ſe ipſis ſeu independenter ab ipſarum nomine, & ex iudicio huiuſmodi aliud etiam rei, nomine non interueniente: illatiuum inducere, in quo nulla apparet repugnantia. 3

Dico tertiò: Ad illationem humanam moraliter neceſſaria eſt cognitio nominis, & rarò aut nunquam vincetur difficultas, quæ eſt in ſyllogiſmo faciendo nullo rerum nomine interueniente. quam metaphyſicè fieri poſſe ſuprà dixi. Ratio deſumitur ex communi modo concipiendi res, quas ſemper concipimus per nomina impoſita, vel per aliquod ſignum, quòd nos conſtituimus ad illas ſignificandas in ordine ad nos, quia intellectus noſter ob ſuam imbecillitatem ſine his adminiculis vix poteſt intellectionem aliquam elicere, maximè ſuppoſita iam nominis impoſitione, ex cuius præexiſtente notitia naturaliter fertur in nomen concepta re, ad quam ſignificandam impoſitum eſſe prænouit. Quiſque enim apud ſe experietur nunquam concipere hominis ſubſtantiam ſine hac voce *homo*, neque rem lapidis ſine hac voce *lapis*. 4

Dico quartò: Requiritur cognitio quoad *quid* rei ante ingreſſum ſyllogiſmi. Ratio eſt, quia implicat me elicere hunc aſſenſum, *homo eſt animal*, quin aliquo modo prænouerim, quid ſit homo, & quid ſit animal, quia iudicium de identitate duorum extremorum fundatur in cognitione de vtriuſque cognitione, conuenientia enim vnius extremi cum alio ſupponit quidditatem vtriuſque in qua fundatur: ergo non poſſum ego cognoſcere conuenientiam, quin prius ſaltem confuſè præcognouerim quidditatem extremorum inter quæ conuenientia verſatur. 5

Dico quintò: Non ſemper prærequiritur cognitio extremitatum, quoad exiſtentiam, aut poſſibilitatem illarum. Ratio eſt, quia aliquando ſyllogiſmus abſtrahit ab exiſtentia, & poſſibilitate ſubiecti, vt in hac demonſtratione, *Omnis homo eſt animal: Omne rationale eſt homo: ergo omne rationale eſt animal*: in qua tantùm agitur de connexione prædicatorum inter ſe, hæc enim propoſitio, *Omnis homo eſt animal*, etiamſi homo repugnaret, vera eſſet, ſicuti vera eſt hæc propoſitio, *Omnis hircocervus dicit formaliter eſſentiam Hirci, & cerui*. Secundò, cùm demonſtramus rem eſſe poſſibilem, illiúſque poſſibilitatem in concluſione inferimus, non requiritur ante ipſam concluſionem iudicium de poſſibilitate rei, hoc enim intendimus acquirere vi præmiſſarum, & de facto acquirimus in concluſione. Idem dico de demonſtratione, qua rei exiſtentia euincitur. 6

Dico ſextò: Quando inquiritur de ſubiecto ſeu de illo intenditur oſtendi aliquod accidens, præcognoſci debet ſubiecti exiſtentia, quia accidens ſupponit ſubiectum, & qui inquirit an Petrus ſit albus ſupponit eſſe Petrum in rerum natura, cui poſſit albedo contingere. Hoc intellige de accidenti quinto prædicabili, & de paſſione, quando inquiritur an actu ſubiectum afficiant. Non verò abſolutè cùm paſſio inquiritur de ſubiecto, quia tunc conuenientia de qua diſputatur non ſupponit ſubiecti exiſtentiam, tantum enim inquiritur an eſſentia ex ſe connexionem habeat cum accidenti; quod verificari poteſt eſſentia non 7

non exiſtente, nullo enim homine exiſtente verum eſt dicere, *Homo eſt admiratiuus*, & nullo igne producto verum eſt dicere *ignis eſt calidus vt octo*, quia ex vi harum propoſitionum tantùm affirmamus ſubiecta talis eſſe naturæ, vt ex ſe petant habere talia accidentia, eo ipſo quod exiſtant.

8 Dico ſeptimò: Ad aſſenſum concluſionis tantùm prærequiritur præmiſſarum aſſenſus. Hanc concluſionem probaui Controu. 9. Punct. 2. propugnaui per præmiſſas formales proponi intellectui ſufficiens obiectum formale motiuum ad aſſentiendum concluſioni, quo propoſito rapitur ad hunc aſſenſum præſtandum, & ex profeſſo impugnaui aſſerentes prærequiri cognitionem illationis, ex vi cuius infertur concluſio ex præmiſſis. Neque ad concluſionem requiritur cognitio principij vniuerſalis, quæ ſunt eadem vni tertio & cætera, ſed ſufficit in hac demonſtrationis materia in actu exercito cognoſci, eo modo quo dixi Controu. 9. Punct. 2. cognoſci identitatem obiecti concluſionis cum obiecto præmiſſarum.

CONTROVERSIA X.

De demonſtratione.

AGIT Ariſtoteles libris de Poſter. reſolution. de demonſtratione, cuius naturam hæc Controuerſia ſuſcipit explicandam. Præmoneo autem in hac quàm plures inuolui quæſtiones de nomine, poſtquàm enim certum eſt ſyllogiſmum certum eſſe & euidentem, & poſtquam concluſionis, & præmiſſarum natura clarè comperta eſt, & nihil circa hanc, neque circa illius proprietates dubitatur, quæſtio vertitur an talis ſyllogiſmus dicendus ſit demonſtratio néne. Cuius dubitandi, & decidendi ratio non ex alio capite deſumitur, niſi ex eo quod Ariſtoteles ſyllogiſmum, in quo expreſſis certis, & euidentibus deducitur concluſio voluit his vel illis conditionibus affici vt demonſtratio diceretur. Exempla non pauca occurrent in huius Controuerſiæ progreſſu.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit demonſtratio.

1 DVas definitiones demonſtrationis tradidit Philoſophus lib. 1. Poſt. cap. 2. Altera eſt quod ſit ſyllogiſmus faciens ſcire: altera eſt quod ſit ſyllogiſmus ex veris, primis, immediatis, & notioribus, & prioribus, cauſiſque cõcluſionis. Circa primam definitionem dubitari ſolet, quomodo intelligenda ſit particula illa *faciens ſcire*: poteſt enim intelligi efficienter quia producit habitum ſcientificum, vel formaliter, quia concluſio demonſtrationis formaliter eſt ſcientia, & intellectum formaliter ſcientem conſtituit. Poteſt etiam intelligi particula illa *faciens ſcire*, de præmiſſis, quia faciunt concluſionem, cuius ſunt cauſa, ſaltem directiua. Si attenderemus præciſè ad verba definitionis facile eſſet quemlibet ex his modis defendere; verumtamen tantùm ſecundus eſt ad Ariſt. mentem, quam ipſe explicuit ibidem his verbis, *ſcientialem ſyllogiſmum dico, ſecundum quem, eo quod ipſum habemus ſcimus.* Quibus verbis clarè oſtendit ſcientiam eſſe effectum formalem demonſtrationis. Propriiſſimè etiam in hunc ſenſum verba definitionis explicantur. Neque hæc definitio poteſt alij ſciendi inſtrumento conuenire, quia etiamſi cognitio per definitionem Angelum faciat ſcire, ſyllogiſmus non eſt, per quem Philoſophus demonſtrationem definiuit. De proprietatibus, quas ſecunda definitio in demonſtratione expoſcit poſtea dicemus.

2 Definitio demonſtrationis frequenter in ſcholis adducta hæc eſt: *Syllogiſmus conſtans præmiſſis certis, & euidentibus.* Definitio hæc nulli ſyllogiſmo non demonſtratiuo poteſt conuenire. probabilis enim conſtat vtraque, vel ſaltem altera præmiſſa probabili, falſigraphus verò neque conſtat præmiſſis euidentibus, neque propriè eſt ſyllogiſmus, cum concluſio ex præmiſſis legitimè non inferatur, ob defectum aliquem in præmiſſis repertum. Quid ſit certitudo, accuratè tractabo Controu. 6. de Anima, Punct. 7. vbi de veritate propoſitionis, cuius natura præcognoſcenda eſt, vt poſſit certitudinis natura cognoſci. De natura euidentiæ dicam Punct. 2. Ideo ſyllogiſmus Theologicus cuius concluſio innititur præmiſſis de fide demonſtratiuus non eſt, vt cum communi ſententia docet P. Vaſq. Reclamant nonnulli Thomiſtæ aſſerentes, ſyllogiſmum Theologicum eſſe demonſtratiuum, quia ad demonſtrationem non requiritur euidentia, ſed tantum certitudo præmiſſarum in concluſionem deriuata. En iam incidimus in quæſtionem purè de nomine. Certum eſt ſyllogiſmum legitimum in quo conſequens deducitur vi illationis ex principiis fide cognitis certiſſimum eſſe nulloque modo falſitatem poſſe concluſioni accidere. Certum eſt etiam concluſionem huius ſyllogiſmi non eſſe euidentem, quia licet illatio euidens ſit, conſequens ex vi huius non poteſt habere euidentiam, quam non habent præmiſſæ, quæ cum ſint obſcuræ obſcuram generant concluſionem. Inſuper eſt certum ſyllogiſmum, in quo concluſio deducitur ex præmiſſis certis, & euidentibus naturæ lumine cognitis, vndique eſſe certum & euidentem. Hac de re, in quibus vtriuſque ſyllogiſmi differentia apertè noſcitur. An verò vterque ſyllogiſmus ſit dicendus demonſtratiuus, vel tantum ille, in quo præmiſſæ non tantùm ſunt certæ, ſed etiam euidentes, quæſtio eſt de nomine, in quo ſto communi ſententiæ, quæ cum Ariſtotele tantùm vocat demonſtrationem ſyllogiſmum certum, & euidentem.

Diuidi ſolet demonſtratio, in demonſtrationem *propter quid*, & demonſtrationem *quia. Propter quid* dicitur illa, in 3
qua effectus demonſtratur per cauſam. Demonſtratio *quia* appellatur illa, in qua cauſa deducitur ex effectu. Ob id demonſtratio *propter quid* à priori, hoc eſt ab illo, quod eſt prius, & demonſtratio *quia* à poſteriori, hoc eſt ab illo, quod eſt poſterius dici ſolent. Contra hanc diuiſionem plures ſolent obiici demonſtrationes, in quibus concluſio neque ex cauſa, neque ex effectu deducitur. Huiuſmodi ſunt demonſtrationes, in quibus inferimus prædicatum animalis ex prædicato hominis, & prædicatum hominis ex animali rationali, & duo eſſe æqualia inter ſe, quia ſunt æqualia vni tertio. Plures reducunt harum demonſtrationum media ad cauſas, vel effectus, aſſeruntque animal rationale eſſe quaſi cauſam formalem hominis, & hominem eſſe quaſi effectum animalis, quia valet conſequentia, *eſt homo: ergo eſt animal*, & non tenet, *eſt animal: ergo eſt homo.* Alij defendunt dari aliam demonſtrationem mediam inter demonſtrationem *propter quid*, & *quia*. Alij aſſerunt demonſtrationem *propter quid* eſſe illam, quæ traditur per cauſas, & demonſtrationem *quia* dici quamcumque, quam per cauſas non traditur, ſiue tradatur per effectus, ſiue per aliud medium cum extremitatibus connexum. Quidquid dixeris facilè defendes, eſt enim res parui momenti, quam tetigi Controu. 1. n. 7. pergo ad alia. 4

Vtraque demonſtratio diuidi ſolet in perfectam & perfectiſſimam. Perfectiſſima dici ſolet illa, in qua demonſtratur effectus ex cauſa immediata, vel cauſa ex effectu immediato, veluti cùm ex rationali admiratiuum infertur, vel rationale ex admiratiuo, nihil enim mediat inter rationale, & admiratiuum. Demonſtratio perfecta appellatur, in qua demonſtratur effectus ex cauſa mediata, veluti riſibile ex rationali, vel cauſa ex mediato effectu veluti rationale ex riſibili, mediat enim admiratiuum inter vtrumque extremum. Frequentius tamen tantùm perfectiſſima demonſtratio dicitur illa, ex vi cuius prima paſſio per eſſentiam de ſubiecto adæquato demonſtratur. 5

Dubitari ſolet, an demonſtratio per cauſam inadæquatam ſit vera demonſtratio, an verò requiratur demonſtrationem fieri per cauſam adæquatam. Reſpondeo ſufficere ad veram demonſtrationem dari per cauſam inadæquatam, quando cum effectu connexionem habet. Quia ex cauſa inadæquata cum effectu connexa poteſt certò, & euidenter inferri effectus: ergo poteſt demonſtrari. Quod ſi oppoſitum videatur docuiſſe Ariſtoteles, intelligendus eſt de cauſa inadæquata non connexa cum effectu. 6

Dicendum eſt contra Sotum demonſtrationem *propter quid*, & *quia* eſſe ſpecie diſtinctas, quia medium eſt diuerſum, & ratio formalis aſſentiendi concluſioni ſpecie diſtincta.

Obiicies

Digitized by Google

7 Obiicies: Ex eiſdem propoſitionibus poteſt fieri vtraque demonſtratio: ergo non differunt ſpecie. Reſpondeo iuxta meam ſententiam, quæ concluſionem conſtituit per aliquid intrinſecum aſſenſui, qui dicitur concluſio falſum eſſe antecedens, quia aſſenſus præmiſſæ non deductus ex præmiſſis implicat ex illis deduci, cùm per ſe ipſum habeat hoc, quod eſt deduci, & non deduci en aliis. Et ob eandem rationem aſſenſus concluſionis deductus ex præmiſſis implicat ex eiſdem non deduci. In ſententia, quæ aſſerit rationem concluſionis & præmiſſæ extrinſecam eſſe propoſitioni, dicendum eſt poſſe eaſdem numero propoſitiones in vtraque demonſtratione, & has ſecundùm ſe non diſtingui: diſtingui tamen formaliter in ratione præmiſſarum, & concluſionis, quia concluſio vt concluſio in omnium ſententia dicit dependentiam à præmiſſis, & præmiſſæ vt præmiſſæ dicunt formaliter influxum actiuum, aut directiuum in concluſionem dependentem ab illis.

PUNCTUM II.

Quid ſit euidentia in actu intellectus?

1 Diximus aſſenſum concluſionis in demonſtratione procedere ex præmiſſis certis & euidentibus. Oportet modò ſcire, quid ſit certitudo, & euidentia. Certitudinis natura difficilè explicari poterit antequam definiatur in quo conſiſtat formalis ratio veritatis propoſitionis, ideo illius naturam explicandam remitto Controu. 6. de anima Punct. 7. vbi fusè de hac re agam. Sufficiat modò dicere certitudinem ſupra veritatem addere neceſſitatem antecedentis ipſius veritatis: ad euidentiæ naturam exponendam pergo.

2 Euidentiam non eſſe formaliter idem cum certitudine conſtat ex ſeparatione harum proprietatum, quæ in fidei actibus reperitur, actus enim fidei eſt ſummè certus, & tamen non eſt euidens ſed obſcurus. Euidentia definiri ſolet *determinatio ad aſſentiendum.* Quæ definitio explicatione indiget, quia non poteſt intelligi de determinatione in actu ſecundo, omnis enim aſſenſus eſt determinatio in actu ſecundo ad aſſentiendum. Debet ergo intelligi de determinatione in actu primo, & de hac nonnullæ ſuperſunt difficultates, quia hæc determinatio conſiſtit in principiis productiuis actus, quæ ab actu diſtinguuntur, euidentia autem ab actu non diſtinguitur. Inſuper ſi Deus prædeterminaret ad actum fidei, actus eſſet obſcurus, & non euidens: ergo euidentia non conſiſtit in quacumque prædeterminatione. Rurſus concluſio ſyllogiſmi probabilis procedit ex principiis determinantibus intellectum ad illius aſſenſum, ſuppoſito enim aſſenſu præmiſſarum etiam probabilium non poteſt intellectus concluſioni non aſſentiri: ergo non quæcumque prædeterminatio principij inducit euidentiam actus.

3 Euidentia, eſt quaſi videntia, ſeu viſio obiecti, quæ dicit expreſſionem quamdam & repræſentationem talis obiecti, ex vi cuius intellectus ita fertur in illud, vt expellat totam formidinem, nullámque relinquat occaſionem dubitandi. Ita P. Hurt. tom. 1. de fide diſp. 15. ſect. 1. Expreſſio iſta, ſeu hic repræſentandi modus ab actu non diſtinguitur, quia modus repræſentandi non eſt quid ſuperadditum ipſi repræſentationi, actus enim qui eſt repræſentatio per ſe ipſum habet hoc vel illo modo obiectum repræſentare. Ex hoc infertur euidentiam intrinſecam eſſe actui. Quia tamen hæc euidentia oritur ex principiis determinantibus intellectum ad talem aſſenſum, quæ nunquam illum indifferentem relinquunt ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum, ideo ſolet euidentia quæ formaliter conſiſtit in reſpectu ad talia principia: per illa definiri, tanquam per aliquid extrinſecum, quod licet non nimis propriè, nonnulli euidentiam in actu primo appellant. Dicerentur proprius talia principia actus primus euidentiæ, ſeu actus primus ad euidentiam, quæ veluti expreſſio obiecti ſemper ſonat actum ſecundum.

4 Ex hoc inferes concluſionem probabilem non habere euidentiam ex principio prædeterminante ad illam, quia præmiſſæ probabiles non prædeterminant intellectum ad aſſentiendum, ita vt omnem formidinem expellant, ſicut enim intellectus poteſt habere formidinem circa probabiles præmiſſas, ita circa concluſionem, quæ ab illis dependet. Actus fidei euidens non eſt, quia dependet à principiis intellectum non prædeterminantibus, indiget enim pio voluntatis affectu ſaltem determinante intellectum ad aſſentiendum reuelationi. Quod ſi Deus ad actum fidei intellectum prædeterminaret, neque ideo eſſet actus fidei euidens, quia determinaret ad actum, qui haberet eundem modum tendendi in obiectum, ac haberent alij actus, qui non procederent à principiis prædeterminantibus intellectum. Vnde ex modo tendendi talis actus non ſupponeret principium prædeterminans, ſed ex aliqua ratione, quæ in obiectũ vt cognitum non refunderetur. Prædeterminatio ergo, quæ inducit actum euidentem in intellectu, eſt illa ex vi cuius ita obiectum proponitur intellectui, vt non poſſit cum principiis obiectum proponentibus, non aſſentiri obiecto nullo loco formidini relicto. Erit autem formidini locus, quoties hæc poſſit dari circa principia obiectum proponentibus. Erit ergo actus euidens ille, qui dicit ordinem ad principia ſupra dicta, & euidentia conſiſtet in reſpectu ad huiuſmodi principia.

5 Ex hoc inferes expreſſionem non conſiſtere in claritate actus, ex vi cuius penetrantur omnes formalitates obiecti cum ordine ad connotata propria vniuſcuiuſque, qualis eſt expreſſio, quæ eſt in definitionis conceptu. Sed in expreſſione ex vi cuius ita obiectum intellectui proponitur, ac ſi illud præ oculis haberet, quæ expreſſio opponitur formidini, & omni rationi dubitandi, omnique indifferentiæ ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum circa tale obiectum.

6 Euidentia eſt triplex, Moralis, Phyſica, & Metaphyſica. Euidentia moralis eſt illa, quæ licet phyſicè poſſit admittere formidinem oppoſiti, prudenter tamen hæc haberi non poteſt, quia non ſine temeritate oppoſitum iudicaretur: Exempli gratia, affirmant iuramento ſex octóve viri prudentes, religioſi, & probatæ virtutis vidiſſe aliquam rem, illam faciunt moraliter euidentem, quia ſine temeritate iudicari non poteſt illos homines ad peierandum conueniſſe. Euidentia phyſica eſt illa, ex vi cuius ita obiectum proponitur, vt naturaliter non poſſit non ita ſe habere, licet ſupernaturaliter alio modo contingere non repugnet. Huiuſmodi eſt actus, quo ego iudico ſubſtantiam exiſtere, quia video accidentia, quæ ſine ſubiecto naturaliter nequeunt conſeruari, licet ſupernaturaliter abſque illo exiſtere valeant. Euidentia Metaphyſica eſt illa, in qua obiectum ita concludit, vt de potentia Dei abſoluta non poſſit aliter ſe habere, ac per cognitionem repræſentantur. Huiuſmodi euidentiam habent hæc principia: *Totum eſt maius ſua parte. Quodlibet eſt vel non eſt*, & omnes illationes, quæ ex his principiis ſumuntur, ſicuti *Omne totum eſt maius ſua parte. Homo eſt totum reſpectu capitis: ergo homo eſt maius capite.*

7 Euidentia metaphyſica eſt omnium maxima, quia abſolutè nunquam poteſt illi falſum ſubeſſe. Euidentia moralis eſt omnium minima, quia ſine miraculo obiectum moraliter euidens, poteſt eſſe falſum, aliquando enim deprehendimus falſum eſſe id, de quo nullus poſſet prudenter dubitare. Euidentia phyſica eſt media inter vtramque, quia non poteſt illi falſitas naturaliter ſubeſſe; ſupernaturaliter verò illi accidere non repugnat. Quia ſecluſa fide homini principiis naturalibus tantùm innitenti æquè euidens eſt eſſe ſubſtantiam panis ſub illius accidentibus ante conſecrationem, & poſt conſecrationem, nihilominus tale iudicium euidens verum erat ante conſecrationem, & poſt conſecrationem eſt falſum. Eſt etiam euidentia phyſica media inter euidentem, & moralem, quia minorem relinquit occaſionem dubitandi, quàm moralis, quiſque enim non rarò expertus eſt falſitatem deprehendi in his quæ naturaliter erant euidentia, & rarò aut nunquam id agnouerit in his, quæ phyſicè ſunt euidentia, cùm miracula non niſi rarò contingant. Relinquit etiam euidentia phyſica maiorem occaſionem dubitandi, quàm metaphyſica, quia hæc nullam admittit, cum de potentia Dei abſoluta obiectum aliter contingere non poſſit; illa verò nonnullam poteſt admittere, licèt enim non prudenter, ſaltem phyſicè poteſt Philoſophus viſa albedine dicere, forſan Deus hanc albedinem conſeruat ſine ſubiecto, ſicuti conſeruat accidentia Euchariſtica.

8 Obiicies ſequi ex dictis actum fidei eſſe euidentem, quia nullam relinquit occaſionem dubitandi. Reſpondeo negãdo ſequelam, quia licèt nullus poſſit prudẽter dubitare de obiecto reuelato, nec ſine graui peccato, & fidei iniuria; phyſicè locum relinquit dubitationi; poteſt enim quis

per ſummam imprudentiam, & impudentiam dubitare de obiecto reuelato, & de reuelatione ſufficienter propoſita, imò relicto actu fidei in hæreſim prolabi, nullus autem poteſt diſſentire ab hoc obiecto, *quodlibet eſt vel non eſt*, neque oppoſitum iudicare.

9 Inſtabis ſequi ex hac ſolutione euidentiam phyſicam non eſſe euidentiam, quia poteſt quis viſa parietis albedine, licet imprudenter, & ſine fundamento iudicare Deum conſeruare albedinem abſque ſubiecto. Reſpondeo difficile eſſe ſine fundamento ab intellectu iudicari Deum feciſſe tale miraculum. Demus tamen id iudicaſſe, nihilominus talis euidentia eſſet ſimpliciter euidentia naturalis, quia ſiſtendo intra naturæ terminos nullus poteſt iudicare albedinem exiſtere ſine ſubiecto, quod ſi iudicet id miraculosè contingere, iam non ſe continet intra naturæ terminos, ſed confugit ad miracula, quæ non niſi ſupernaturaliter contingunt. Eodem modo euidentia moralis dicitur euidentia in genere moris, quia intra illud genus, & iuxta prudentiæ regulas de obiecto moraliter euidenti dubitari non poteſt.

10 Affirmant aliqui euidentiam, qua credimus Romam eſſe non ſolùm eſſe moralem, ſed phyſicam, quia certiùs, clariúſque eſt dari Romam, quam ignem eſſe calefactiuum, & quia implicat tot homines diuerſarum nationum, religionum, ac morum conſpiraſſe ad confingendum dari Romam. Cenſeo tamen hanc euidentiam moralem eſſe, & non phyſicam, quia ſtrictè loquendo nihil accidiſſet contra phyſicam rerum naturam, ſi omnia teſtimonia creata, quæ mihi perſuadent Romam exiſtere, falſa eſſent, quia ſicuti non eſt contra naturam rerum hunc hominē mētiri, ita neque eſt cōtra eandem naturam omnes homines mētiri. Exiſtimo tamen hanc euidentiam in ſuo genere adeò magnam eſſe, vt licet ex genere ſuo ſit minus efficax quam phyſica, fortius conuincat intellectum, quàm plures euidentiæ phyſicæ & facilius quiſque ſibi perſuaſurum Deum miraculum aliquod feciſſe, quàm falſa eſſe tot argumenta, & teſtimonia creata, quæ Romam exiſtere perſuadent.

11 Ex his conſtat euidentiam intrinſecam eſſe actui, quomodo verò à veritate diſtinguatur definiendum eſt ex diſtinctione veritatis ab actibus, cum quibus euidentia identificatur, de qua diſtinctione, ſeu indiſtinctione diſputabo Controu. 6. de anima.

PVNCTVM III.

An certitudo, & euidentia præmiſſarum ſit maior vel minor certitudine & euidentia concluſionis?

1 Tria reperiuntur in concluſionis præmiſſis, veritas, certitudo, & euidentia. Veritatem non poſſe ſuſcipere magis nec minùs probabo Controu. 6. de Anima Punct. 3. Certitudo autem cùm conſiſtat in neceſſitate veritatis, vt conſtabit ex dicendis eadem Controu. de Anima Punct. 7. & cùm vna veritas ſit magis neceſſaria quàm alia, certum eſt poſſe dari vnam propoſitionem certiorem alia. Neque negabit aliquis poſſe eſſe euidentiorem alia, quia euidentia eſt expreſſio, quæ poteſt eſſe maior, vel minor ex diuerſo modo, quo actus tendunt in obiecta. Conſtabit hoc ex dictis Contr. 10. Punct. 2. vbi de euidentia diſputationem inſtituam.

2 Exceſſus cuiuſuis qualitatis poteſt eſſe in maiori perfectione entitatiua, vel in maiori intenſione, quæ vocatur perfectio gradualis, & conſiſtit in additione gradus ad gradum, quæ eſt quaſi perfectio quantitatis. Exempli gratia, calor vt vnum perfectior eſt ſecundùm ſubſtantiam ſeu eſſentiam frigiditate vt octo; frigiditas verò vt octo ſecundùm perfectionem gradualem, & intenſiuam perfectione exuperat calorem vt vnum. Cùm verò cognitio certa ſecundùm omnes ſuos gradus habeat certitudinem; & euidens ſecundùm eoſdem euidentiam habeat, poteſt exceſſus in euidentia, & certitudine inter præmiſſas & concluſionem ſecundùm intentionem, ſeu perfectionem gradualem, & ſecundùm perfectionem entitatiuam, & eſſentialem comparari. Nos in præſenti non agimus de exceſſu ſecundū perfectionem gradualem, ſed de exceſſu ſecundùm entitatem, ſeu perfectionem quidditatiuam, & eſſentialem.

3 Dico primò. Poteſt altera præmiſſa eſſe certa, & euidens, & concluſio nullam habere certitudinem, aut euidentiam. Probo facilè: poteſt vna concluſio eſſe certa, & euidens, & concluſio tantùm probabilis, ſi altera præmiſſa tantùm ſit probabilis: ergo poteſt vna præmiſſa habere certitudinem, & euidentiam, qua careat concluſio. Conſequentia eſt legitima. Antecedens probo: Concluſio non tantùm infertur ex altera præmiſſa, ſed ex vtraque: ergo ſi vtraque præmiſſa non ſit certa, & euidens, concluſio non poterit habere certitudinem, & euidentiam. Confirmatur: non poteſt inferri certò, & euidenter extremitates concluſionis identificari inter ſe, niſi certò, & euidenter cognoſcamus eaſdem extremitates identificari vni tertio, tota enim certitudo & euidentia identitatis harum extremitatum inter ſe ſumitur ex certitudine, & euidentia identitatis vtriuſque extremitatis vni tertio: Sed quando vna præmiſſa non eſt certa, & euidens, non eſt certum & euidens vtramque præmiſſam identificari vni tertio: ergo non eſt certum & euidens identificari inter ſe. Explicatur eadem ratio. Concluſio eſſentialiter dependet ab vtraque præmiſſa, ita vt qualibet illarum deficiente etiamſi altera perſeueret, conſequens legitimè non inferatur, neque dari poſſit vera concluſio: ergo habet totam defectibilitatem, quæ reperitur in quacumque ex præmiſſis: ergo non poteſt habere certitudinem defectibilitati oppoſitam, quam non habet altera præmiſſa, neque poteſt habere euidentiam, quæ in altera præmiſſa deſideratur. Antecedens omnes admittunt. Prior conſequutio probatur. Entitas eſſentialiter dependens à duabus extremis, eo ipſo quod deficiat alterum, debet deficere: ergo eo ipſo quod ſit contingens defectus alicuius extremi, ſeu principij contingens eſt defectus entitatis, quæ eſſentialiter ſupponit tale principium, implicat enim deficiente aliquo principio, ſeu extremo non deficere totum illud, quod cum tali principio eſſentialiter eſt connexum, ſicuti implicat deficiente principio effectiuo actionem non deficere: ergo dificiente certitudine in principio, non poteſt hæc dari in illo, quod cùm tali principio connexum eſt: ergo deficiente certitudine in altera præmiſſa, implicat certitudinem in concluſione reperiri. Idem dico de euidentia, ideo enim mihi euidens eſt ex vi aſſenſus concluſionis extremitates identificari vni tertio, quia mihi euidens per actus præmiſſarum, non ſolum alteram extremitatem, ſed vtramque identificari cum vno tertio: ergo ſi euidens mihi non eſt vtramque extremitatem identificari cum vno tertio, non poteſt mihi euidens eſſe identificari inter ſe: ergo ſi vtraque præmiſſa mihi non eſt euidens, concluſio non poterit eſſe euidens, quia ex vi vnius tantùm præmiſſæ euidentis, tantum mihi eſt euidens vnam præmiſſam identificari cum medio, quod ſufficiens non eſt ad concluſionis euidentiam, imò neque ad ipſam concluſionem inferendam.

Ob eandem rationem in demonſtratione, quæ conſtat 4
ex duabus præmiſſis non æquè certis, & euidentibus concluſio non poteſt certitudine, aut euidentia ſuperare minus certam, & euidentem. Quia certitudo, & euidentia concluſionis pendet à certitudine, & euidentia vtriuſque præmiſſæ indiuiſibiliter ſumptæ, vnde non poteſt habere certitudinem, & euidentiam, quam non habet vtraque indiuiſibiliter ſumpta. Sed vtraque indiuiſibiliter ſumpta non poteſt habere certitudinem, & euidentiam, qua caret illarum altera, quia vtraque præmiſſa ſumpta per modum vnius eſſentialiter dependet à quacumque illarum, ſicuti totum eſſentialiter dependet à partibus, quibus eſſentialiter componitur: ergo concluſio non poteſt habere certitudinem aut euidentiam, qua careat altera præmiſſa: ergo neutram poteſt certitudine, aut euidentia ſuperare. A priori eadem concluſio probatur: Obiectum concluſionis identificatur cum obiecto vtriuſque præmiſſæ, quia identificatur cum extremitate vtriuſque: ergo identificatur cum obiecto præmiſſæ minùs certæ: ergo obiectum concluſionis non poteſt eſſe magis neceſſarium quam obiectum præmiſſæ minus certæ: ergo neque concluſio magis certa, quia certitudo concluſionis ſumitur ex neceſſitate quam inducit obiectum præmiſſarum in concluſionis obiectum.

Obiicies: Obiectum concluſionis etiam identificatur 5
cum obiecto magis certæ: ergo obiectum concluſionis habet eandem neceſſitatem, ac habet obiectum præmiſſæ magis certæ. Reſpondeo negando conſequentiam, quia concluſio identificatur inadæquatè cum obiecto præmiſſæ magis certæ. Certitudo autem concluſionis non ſumitur ex identificatione inadæquata, ſed ex adæquata: Secus incertitudo

Digitized by Google

incertitudo quæ ex identificatione inadæquata ſumi poteſt, quia ex eo quod homo identificetur inadequatè cum materia, licet arguere; Incertum eſt eſſe materiam: ergo incertum eſt eſſe hominem. Non tamen licet inferre, certum eſt eſſe materiam: ergo certum eſt eſſe hominem. Quia vt certum ſit eſſe hominem neceſſum eſt certum eſſe dari omnia, cum quibus identificatur homo, videlicet materiam formam & vnionem.

6 Cæterùm notari oportet in ſyllogiſmo, cuius maior propoſitio vniuerſalis eſt certa, & euidens, etiamſi minor tantùm ſit probabilis, refundi ex certitudine & euidentia maioris quandam certitudinem, & euidentiam in concluſionem non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Quia maior certa & euidens applicata per minorem, eo modo quo applicatur communicat concluſioni ſuam certitudinem, & euidentiam. Quæ euidentia & certitudo non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione minoris. Exemplum accipe in hoc ſyllogiſmo: Omnis homo eſt rationalis: Omne indiuiduum quod eſt in foro eſt homo, ergo omne indiuiduum quod eſt in foro eſt rationale. Maior certa, & euidens præſtat concluſioni certam eſſe, & euidentem ex ſuppoſitione minoris. Ex ſuppoſitione enim quod omne indiuiduum quod ſit in foro ſit homo, euidens eſt eſſe rationale, vt in præſenti ſyllogiſmo deducitur, admiſsâ enim minori nequit conſequentia negari. Certitudinem autem, & euidentiam abſolutam non habet ſupradicta concluſio, quia quando minor certò, & euidenter non applicat maiorem, concluſio non euadit abſoluiè certa, ſed ex ſuppoſitione: Neque hæc certitudo ex ſuppoſitione reperitur quando maior vniuerſalis certa non eſt, vt patet in hoc ſyllogiſmo: Omnis mater diligit filium ſuum: hæc mulier eſt mater: ergo hæc mulier diligit filium ſuum. Cuius concluſio adhuc ex ſuppoſitione minoris certa non eſt.

7 Ex hoc inferes quomodo actus fidei innitens reuelationi diuinæ ſit omnino certus, etiamſi applicatio reuelationis diuinæ fiat per actum fidei humanæ tantùm moraliter certum, quia hic actus applicat motiuum ex ſe certum quod ex ſuppoſitione, quod vera ſit applicatio, & ipſum exiſtat non poteſt non terminare actum omnino certum. Ex quo habemus actum fidei ſaltem habere certitudinem ex ſuppoſitione quod motiui applicatio vera ſit, & reuelatio exiſtat. Inſuper habet per ſe ipſum ſupponere veritatem applicationis, & reuelationis exiſtentiam, quia actus fidei diuinæ ferri non poteſt in reuelationem falsò applicatam ſeu in reuelationem non exiſtentem: ergo habet certitudinem abſolutam, quidquid enim eſt certum ſub conditione, quam eſſentialiter per ſe ipſum ſupponit, abſolutè eſt certum, certitudo enim conditionata, ſicut & veritas conditionata purificata conditione tranſit in abſolutam.

8 Quod ſi diceres, actum fidei diuinæ non ſupponere veritatē propoſitionis circa reuelationem, neque huius exiſtētiam. ſed poſſe ferri in reuelationem falsò exiſtimatā & non exiſtentem: Inde inferrem ego actum fidei nō eſſe intrinſecè certum, neque verum, quia tota illius veritas & certitudo innitur reuelationi diuinæ exiſtenti, ſeu teſtimonio diuino, quod ſi Deus non præſtitiſſet, nulla certa veritas actui fidei ineſſet. Quomodo autem actus fidei ex ſe habeat ſupponere applicationem reuelationis. hoc eſt, exiſtentiam reuelationis, & cur non poſſit ferri in reuelationem falsò exiſtimatam, explicatu facile non eſt, de quo agam Contr.6.de Anima Punct.1.§.4.

9 Certitudo hæc abſoluta quam in actibus fidei explicabimus non poteſt reperiri in ſyllogiſmo, cuius maior vniuerſalis certa applicatur per minorem incertam, quia ex vi maioris concluſio tantùm euadit certa ex ſuppoſitione minoris, & concluſio ex ſe non habet ſupponere veritatem minoris, ſeu exiſtentiam illius obiecti, quia etiamſi intellectus per errorem falsò aſſentiatur minori, eliciet aſſenſum concluſionis. Ex quo fit neceſſitatem concluſionis manere purè conditionatam, & ex ſuppoſitione, quod applicatio minoris vera ſit, quod concluſionis aſſenſus per ſe non ſupponit, ſicuti actus fidei per ſe ſupponit veritatem applicationis circa reuelationem, & huius veram, & non fictam exiſtentiam.

10 Doctrinam hanc quam de actu fidei adhibuimus tradit N. Tannerus 1. part. diſp.1.quæſt.3.dub.2. à num.5.q.4. dub.4.à numero etiam 5. Docet enim aſſenſum concluſionis Theologicæ non reſpicere tanquam rationem formalem aſſentiendi principia, ſeu media, ex quibus conſequens per diſcurſum poteſt inferri, ſed obiectum reuelatum vt reuelatum iuxta quam doctrinam aſſerit dub. 2. citato num.6. præmiſſam euidentem, ſi quæ foret in diſcurſu Theologico non eſſe rationem formalem aſſentiendi, ſed applicationem alterius præmiſſæ reuelatæ, quæ tantùm eſt obiectum formale aſſenſus Theologici. Exemplum accipe in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo deſcendens ex Adamo contraxit peccatum originale. Omne rationale eſt homo deſcendens ex Adamo: ergo omne rationale contraxit peccatum originale.* In hoc diſcurſu Theologico tota formalis ratio aſſentiendi iuxta Tanneri ſententiam eſt maior propoſitio, in qua continetur concluſio, & ſicuti reuelatum eſt obiectum maioris, ita obiectum concluſionis in illo contentum. Hanc autem reuelationem vniuerſalem in maiori contentam applicat minor propoſitio ad obiectum concluſionis, & ita procedit concluſio à maiori tanquam ab obiecto formali, & à minori tanquam ab obiecto applicante. Ex hoc infert concluſionem Theologicam procedentem ex vna præmiſſa de fide tanquam ex formali obiecto, ex eo altera certa naturali, ſeu morali certitudine, ſperari præmiſſam naturalem, quam non reſpicit tanquam formale obiectum, ſed tanquam conditionem applicantem obiectum formale, in qua tantùm deſideratur moralis certitudo, vt concluſionis aſſenſus innitens tanquam formali obiecto tantùm præmiſſæ de fide certitudine fidei certus euadat, ſicuti vt actus fidei euadat certus omni certitudine, ita vt ſecundum hanc exuperet quemlibet naturalem aſſenſum de re etiam per ſe notâ, tantum requiritur in actu, ex vi cuius reuelatio applicatur moralis certitudo.

Hæc eſt doctrina N. Tanneri fideliter relata, qui nunquam docuit intellectum ſemper tam certò aſſentiri concluſioni, quàm aſſentitur certiſſimæ præmiſſæ, vt refert nonnullus, qui non benè Tanneri ſententiam exponit, quam vt à ſe expoſitam benè poſtea impugnat, ſed abs re cum longè abſit Tannerus à ſententia, quam ex illo refert. tàtum enim id docuit in ſyllogiſmo Theologiæ ſupernaturalis, in quo tota aſſentiendi ratio eſt vna præmiſſa de fide, & altera præmiſſa naturalis tantùm conditio applicans obiectum ad concluſionem de fide ſupernaturalem. An verò in concluſione Theologica res ita ſe habeat, hic definiendum non eſt, ſed vbi agatur de obiecto formali Theologiæ. Vnum nobis tenendum eſt, quod in præſenti defendimus, & Tannerus non negat, concluſionem innitentem duplici præmiſſæ tanquam formali obiecto adæquato non poſſe ſuperare certitudine præmiſſam minus certam, quam reſpicit vt obiectum formale inadæquatum. 11

Dico ſecundò: Concluſio eſt æquè certa euidens ac eſt vtraque præmiſſa. Ratio eſt facilis: obiectum concluſionis identificatur cum obiecto vtriuſque præmiſſæ: ergo æque neceſſarium eſt obiectum concluſionis, ac eſt obiectum vtriuſque præmiſſæ, & æquè certa propoſitio quę verſatur circa obiectum concluſionis, ac vtraque tendens in obiectum præmiſſarum. Dices poſſum certò ſcire hoc indiuiduum eſſe leonem, non certò ſcire eſſe rugibile, quia incertus ſum an omnis leo ſit rugibilis: ergo de eodem obiecto poſſum habere certitudinem, ex vi huius actus, & incertitudinem ex vi illius: ergo malè inferimus concluſionem eſſe æquè certam cum præmiſſis, quia reſpiciunt idem obiectum. Reſpondeo circa idem obiectum poſſe dari certitudinem per hunc actum, & incertitudinem ſubiectiuam per alium, quia ex vi diuerſorum actuum poſſunt repræſentari vt diuerſa, non poſſe tamen dari certitudinem, & incertitudinem obiectiuam, non enim poteſt eſſe magis neceſſaria hæc veritas, homo eſt animal, ac iſta homo eſt viuens ſenſibile. Concluſio autem procedit de certitudine obiectiua. Addo neque hanc poſſe eſſe maiorem in concluſione, quàm in vtraque præmiſſa, quia quando obiectum non ſolùm eſt idem, ſed cognoſcitur vt idem per diuerſos actus, vterque eandem certitudinem ſubiectiuam habet, ſi enim ſcio hominem, & animal rationale eſſe idem, non poſſum non æquè formaliter adhærere his propoſitionibus *Petrus eſt homo*, & *Petrus eſt animal rationale*: Sed per actum concluſionis cognoſcitur illius obiectum vt idem cum obiecto præmiſſarum: ergo intellectus æquè formaliter vtrique adhæret. 12

Probat etiam ratio modo immediatè adducta æqualem 13

Digitized by Google

euidentiam habere intellectum de obiecto concluſionis, ex vi concluſionis formalis, ac de obiecto præmiſſarum, ex vi præmiſſarum formalium, quia eo ipſo quod intellectus agnoſcat duo obiecta non diſtingui inter ſe, æquè determinatus eſt ad aſſentiendum huic, & illi. Confirmatur: per ſe notum eſſe certò, & euidenter eſſe eadem inter ſe, quæ ſunt eadem vni tertio: ergo æquè euidens eſt intellectui, hæc extrema eſſe eadem inter ſe, ac eſt eſſe eadem vni tertio: ergo ex eo quod per præmiſſas agnoſcat certò, & euidenter extrema eſſe eadem vni tertio, cognoſcit certò & euidenter eſſe eadem inter ſe. Rurſus eo ipſo quod quis aſſentiatur præmiſſis, debet aſſentiri concluſioni; ergo eadem determinatione, quâ aſſentitur præmiſſis eſt determinatus ad aſſentiendum obiecto concluſionis, vel ſaltem ad non diſſentiendum ab illo, ergo eandem euidentiam habent præmiſſarum aſſenſus & aſſenſus concluſionis, euidentia enim naſcitur ex determinatione principiorum per modum actus primi ad aſſenſum præſtandum.

14 Obiicies: præmiſſæ ſunt proximiores lumini rationis naturalis, quam concluſio: ergo ſunt clariores: ergo euidentiores nobis. Confirmatur: quidquid cognoſcitur in alio minus clarè cognoſcitur, quam id quod in ſe cognoſcitur: Sed obiectum concluſionis cognoſcitur in obiecto præmiſſarum, & obiectum præmiſſarum in ſe ipſo: ergo clariùs cognoſcitur obiectum præmiſſarum per formales præmiſſas, quam obiectum concluſionis per concluſionem formalem: ergo præmiſſæ ſunt clariores concluſione: ergo euidentiores: ergo non poteſt habere concluſio æqualem euidentiam cum vtraque præmiſſa. Reſpondeo quod etiamſi admittatur præmiſſas eſſe clariores concluſione, hoc eſt, repræſentare ſuum obiectum cum maiori partium diſtinctione, & formalitatum explicatione, ex hoc tamen non inferri præmiſſas eſſe euidentiores, uia euidentia non conſiſtit in hac expreſſione ſeu diſtinctione partium, poteſt enim dari duplex concluſio, vna, in qua inferatur ex principiis certis & euidentibus hominem eſſe anmal, quæ concluſio erit euidens; & alia, in qua inferatur ex principiis tantùm probabilibus animal rationale eſſe principium ſentiendi, quæ tantùm erit probabilis, & nihilominus hæc probabilis clarius & expreſſiùs ſuum repræſentat obiectum, quàm illa euidens, quod enim in concluſione euidenti repræſẽtatur per hunc conceptum *homo* repræſentatur in probabili per hunc conceptum *animal rationale*, & quod repræſentatur in concluſione euidenti per hunc conceptum *animal* repræſentatur in probabili per hunc conceptum *viuens ſenſibile*.

15 Obiicies ſecundò: Concluſio cognoſcitur propter præmiſſas: ergo clariùs, & euidentiùs cognoſcuntur præmiſſæ, quam concluſio, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad axioma adductum reſpondeo intelligendum eſſe de cauſa finali reſpectu mediorum, quia non habent tantam amabilitatem, quantam habent media, non verò abſolutè de omnibus rebus. Quia Deus amat hominem iuſtum propter gratiam ſanctificantem, non tamen magis amat gratiam, quàm hominem. Similiter credimus myſteria reuelata propter reuelationem, non tamen magis credimus reuelationem, quàm myſteria ipſa. Deinde Petrus eſt exiſtens propter cauſam quæ eum produxit, non tamen cauſa eſt magis exiſtens, quàm effectus.

16 Inquires an ſi præmiſſæ ſint æquè certæ inter ſe, concluſio poſſit eſſe æquè certa cum altera illarum. Pro negatiua parte ſic arguit Arriaga. Per aſſenſum concluſionis attingitur obiectum concluſionis & præmiſſarum: Sed certior eſt ſemper intellectus de vna præmiſſa, quàm de vtraque ſimul & de concluſione: ergo concluſio non poteſt eſſe æquè certa cum altera præmiſſa. Minorem probat Arriaga: firmiùs quis adhæret ſimplici obiecto, quàm duplici, firmiùs enim quis credit Petrum currere, quàm currere Petrum & Ioannem, quia ad falſitatem huius ſecundi, ſufficit Petrum non currere, & adhuc eo currente Ioannem non currere: ad falſitatem verò primi requiritur Petrum non currere. Vnde prima veritas habet minorem fallibilitatem, quàm ſecunda, quæ habet eandem cum prima, & aliam nouam. Reſpondeo in duabus propoſitionibus quæ ex ſe ſunt incertæ & fallibiles maiorem fallibilitatem reperiri, quam in vna propter rationem factam, non verò in duabus propoſitionibus, quarum quælibet ex ſe eſt certa, & infallibilis, quia cùm illarum quælibet ſeorſim ſumpta nullam habeat incertitudinem, neque vtraque ſimul illam habebit, nihil enim eſt in vtraque propoſitione, quod non reperiatur in illarum altera. Vnde reſpectu harum propoſitionum negandum eſt ſuppoſitum, ſi dicatur vtraque propoſitio ſimul ſumpta habet fallibilitatem quam habet vna, & aliam nouam, quæ ratione alterius illi conuenit. Ratio eſt quia certitudo ſumitur ex neceſſitate veritatis propoſitionis, quando autem duplex veritas eſt neceſſaria abſolutè, & ſimpliciter, nihil habet contingentiæ, & quando neceſſitas eſt æqualis, non eſt minor neceſſitas veritatis vtriuſque propoſitionis, quàm alterius, imò extenſiuè maior, non enim minus neceſſarium eſt hominem eſſe rationalem, & equum eſſe hinnibilem, quàm hominem eſſe rationalem, quia contradictorium vtriuſque obiecti, & alterius ſeorſim ſumpti ſunt omnino repugnantia, ita vt illorum impoſſibilitas non ſuſcipiat magis nec minus. Illud quod dicitur intellectum faciliùs adhærere vni obiecto, quàm vni & alteri, ad rem non attinet, quia certitudo non conſiſtit in hac intellectus adhæſione. Neque vniuerſaliter verum eſt, quia nulla ratione potero ego dimoueri ab his aſſenſibus, *Quodlibet eſt vel non eſt. Omne totum eſt maius ſua parte*, vnde non faciliùs ab altero quàm ab vtroque dimouear, cùm à neutro poſſim dimoueri. Ex quo infertur æquiformiter vtrique, & alteri illorum adhærere.

Pvnctvm IV.

An demonſtratio conſtet principiis per ſe & propriis?

PRædicationes quædam dicuntur per ſe, aliæ per accidens, oportet autem ſcire, quid ſit prædicari per ſe vel quotuplex ſit modus prædicandi per ſe vtilis ad demonſtrationem conſtruendam. 1

Philoſophus quàtuor deſignauit modos prædicandi per ſe. Primus, prædicandi quidditatiuè & eſſentialiter, veluti, *Petrus eſt homo*, *Petrus eſt rationalis*, in quibus prædicationibus prædicatum eſt de ratione quidditatiua ſubiecti. Hic modus neceſſarius eſt ad perfectiſſimam demonſtrationem, quia cùm ex vi huius demonſtretur prima paſſio per eſſentiam, neceſſum eſt eſſentiam, prædicari de ſubiecto, de quo per eſſentiam paſſio demonſtratur. Ad hunc modum reduci ſolent omnes prædicationes de extremis realiter identificatis, veluti, *rationale eſt animal*.

Secundus modus eſt per ſe inhærendi ad quem pertinet prædicatio propriæ paſſionis de ſubiecto, v. g. riſibile de homine in hac prædicatione *homo eſt riſibilis*. Ab hoc modo excluduntur omnes prædicationes accidentium communium, veluti *homo eſt albus*. Hic modus aptus eſt ad perfectiſſimam demonſtrationem in qua demonſtratur paſſio per eſſentiam, quia talis demonſtratio debet habere vnam præmiſſam in qua paſſio demonſtranda de ſubiecto prædicetur de medio. Poſſunt etiam reliquæ paſſiones per illum demonſtrari, vt cum riſibile demonſtratur per admiratiuum. Eſt etiam aptus ad demonſtrationem à poſteriori, in qua eſſentia per paſſionem demonſtratur. 2

Tertius modus per ſe conuenit ſubſtantiis, quæ per ſe exiſtunt ſine ſubiectis, aliquandoque conuenit etiam accidentibus vt contingit in Euchariſticis, quæ ſine ſubiecto conſeruantur. Latuit tamen Philoſophum hic modus per ſe in accidentibus. Dicuntur etiam accidentia in abſtracto per ſe ſignificari, vt albedo & quantitas. Hic modus aptus eſt ad demõſtrationem à priori, in qua ſæpe per ſubſtantiam illius paſſiones demonſtramus. Deſeruire etiam poteſt ad demonſtrationem à poſteriori, in qua demonſtramus ſubſtantiam increatam ex creata.

Quartus modus eſt per ſe cauſandi, in quo effectus ponitur cum cauſa veluti, *ædificator ædificat*, *riſibile ridet*. Hic modus differt à ſecundo, quia ſecundus reſpicit ſemper effectum intrinſecum, hic autem aliquando effectum intrinſecum, aliquando extrinſecum, habet, vt patet in duobus exemplis adductis. Deinde ſecundus modus ſemper reſpicit effectum ex ſe permanentem cauſæ coæuum, ſecundus verò reſpicit actum quendam citò tranſeuntem. Hic modus eſt aptus ad demonſtrationem à poſteriori valet enim, *ridet: ergo poteſt ridere*. Eſt etiam aptus ad demonſtrationem à priori cauſis omnino neceſſariis exiſtentibus cum omnibus requiſitis ad operandum. Hæc eſt enim legitima conſequentia: *Ignis eſt cũ omnibus requiſitis ad calefaciendum:* 3

Digitized by Google

calefaciendum: ergo calefacit. Non verò tenet in cauſis liberis, quia voluntas cum omnibus prærequiſitis ad amandum poteſt non amare.

6 Vltimò circa hos modos per ſe, dicendum eſt non omnem demonſtrationem conſtare principiis per ſe, vt patet in hac demonſtratione. *Omne progreſſiuum eſt viuens: omnis homo eſt progreſſiuus: ergo omnis homo eſt viuens.* In qua minor non prædicatur per ſe de ſubiecto, quia progreſſiuum non eſt propria paſſio hominis, ſed animalis. Dicendum eſt etiam demonſtrationem perfectiſſimam conſtare principiis per ſe primo, & ſecundo modo, quia vno principio prædicatur paſſio de ſubiecto, quæ illi conuenit per ſe ſecundo modo, & in altero eſſentia, quæ primo modo per ſe conuenit, vt patet in hac demonſtratione: *Omne animal rationale eſt admiratiuum: Omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt admiratiuus.*

7 Circa aliud quod inquiritur, an videlicet demonſtratio debeat conſtare propriis principiis. Reſpondeo *proprium* poſſe ſumi vt oppoſitum alieno, & oppoſitum communi. In priori ſenſu Patriam propriam vocamus; & ita in poſteriori dicimus proprium eſſe pallium. Hoc poſito dicendum eſt non omnem demonſtrationem conſtare principiis propriis, quatenus proprium communi opponitur. Quia ſunt plura principia communia, quæ omnibus demonſtrationibus deſeruiunt, ex quibus inferuntur concluſiones ſpecialis ſcientiæ. Deinde addo non omnem demonſtrationem conſtare principiis propriis prout propriū alieno opponitur, aliquando enim concluſio huius peculiaris ſcientiæ infertur ex principiis aliûs ſpecialis ſcientiæ, vt videre eſt in hac demonſtratione. *Definitio & definitum conuertuntur. Homo & animal rationale ſunt definitio, & definitum: ergo homo & animal rationale conuertuntur.* hoc eſt, ſunt idem. In qua demonſtratione concluſio pertinet ad Philoſophum, & prima præmiſſa ad Dialecticum. Verum eſt hæc principia aliquo modo poſſe dici non aliena, quia ſunt propria ſcientiæ ſubalternantis, quæ cognationem habet cum ſubalternata, propter quam poſſunt dici principia propria huius, quæ illius ſunt propria.

8 Vltimò dicendum eſt demonſtrationem perfectiſſimam in qua prima paſſio demonſtratur per eſſentiam, conſtare principiis propriis prout proprium communi opponitur, & alieno. Quia ad eandem ſcientiam ad quam pertinet cognoſcere paſſionem ſubiecti, pertinet cognoſcere prædicata eſſentialia illius: Sed in demonſtratione perfectiſſima principia conſtant prædicatis eſſentialibus ſubiecti, & paſſione, quæ de eodem ſubiecto in concluſione prædicatur: ergo concluſio & principia pertinent ad eadem ſcientiam.

PVNCTVM V.

Quæ ſint propoſitiones per ſe notæ, & an demonſtratio ex illis neceſſariò conſtet?

1 PRopoſitio per ſe nota dicitur illa, quæ caret medio, quo probetur, hoc eſt cuius obiectum non per aliud, ſed per ſe ipſum intellectus præbet aſſenſum, vt doctè P. Vaſq. 1. part. quæſt. 2. art. 2.

2 Propoſitio dupliciter poteſt cognoſci per aliud vel à priori, vel à poſteriori, & ita dupliciter poteſt eſſe per ſe nota à priori, cùm nulla ſuperſit cauſa per quam demonſtretur. Sic rerum eſſentiæ ſunt à priori per ſe notæ. A poſteriori, cùm non poteſt per alium effectum demonſtrari. Sic vltima paſſio per ſe nota à poſteriori appellatur

3 Propoſitio per ſe nota tam à priori, quàm à poſteriori poteſt diuidi in per ſe notam quoad nos, non verò quoad ſe; & in per ſe notam quoad ſe, & quoad nos. propoſitio per ſe nota quoad nos, & non quoad ſe, dicetur illa, cuius obiectum in re habet aliquam cauſam, ex qua poſſit inferri, nos verò illam ignoramus, ac proinde non poſſumus obiectum illud ex principio nobis ignoto deducere. Huiuſmodi forſan eſt hæc propoſitio, *equus eſt hinnibilis.* quæ quoad nos eſt per ſe nota à priori, quia id quod prius in equo concipimus eſt hinnibilitas, & forſan latet nos aliquod prædicatum, ex quo oriatur ratio hinniendi, ſicuti in homine riſibilitas ex rationalitate naſcitur. Propoſitio per ſe nota quoad ſe, & quoad nos eſt illa, cuius obiectum non cognoſcitur à nobis per aliud medium, neque in re aliquid ſupponit per quod poſſit cognoſci. Huiuſmodi eſt hæc propoſitio, *Quodlibet eſt vel non eſt.* Addit Arriaga aliam eſſe propoſitionem per ſe notam quoad ſe, non verò quoad nos, illam videlicet, quæ non habet medium in ſe, quo prædicatum connectatur cum ſubiecto, vt exiſtentia Dei cum ipſo Deo, quæ à parte rei ſine vllo medio connectuntur, nos tamen non cognoſcimus illam niſi mediante creaturarum cognitione. Non acquieſco, quia ſi prædicatum non habet medium per quod cognoſcatur, non poſſumus nos illud confingere. Neque exemplum eſt ad rem, quia exiſtentia Dei quoad ſe, & quoad nos eſt per ſe nota à priori, & ita non poſſumus illam à priori demonſtrare. A poſteriori verò neque quoad ſe, neque quoad nos eſt per ſe nota, quia realiter habet effectus, ex quibus nos à poſteriori exiſtentiam diuinam demonſtramus.

Alij abſolutè hanc diuiſionē impugnant, quia cognoſci 4
eſt quoad nos, & ita propoſitio, quę quoad nos eſt per ſe nota, abſolutè & ſimpliciter dicitur per ſe nota, etiāſi habeat cauſam occultam, quia donec talis cauſa nobis innoteſcat per illam cognoſcibilis non eſt. Hæc quæſtio tota eſt de modo loquendi, ideo in ea non immoror neque hunc, neque illum improbo.

Propoſitio per ſe nota alia eſt euidens, probabilis alia; 5
quia ſicuti ſyllogiſmus euidens reducitur ad principia per ſe euidentia, ita ſyllogiſmus probabilis, reducitur ad principia per ſe probabilia, hoc eſt, quibus per ſe ipſa probabiliter aſſentimus. Sic hæc propoſitio probabilis *Omnis mater diligit filium ſuum,* reducitur ad hoc principium probabile, *Omnis homo amat quod ſibi aliquo modo eſt proprium,* quod non amplius à priori poterit oſtendi.

Ex propoſitionibus per ſe notis, quædam dicuntur digni- 6
tates, aliæ non dignitates. *Dignitates* dicuntur principia per ſe nota, euidentia, & generaliſſima, quæ pluribus facultatibus deſeruiunt, veluti *Quodlibet eſt vel non eſt: quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Principia non dignitates ſunt, quæ carent conditionibus ſupra dictis.

Explicatis iam propoſitionibus per ſe notis aſſero de- 7
monſtrationem perfectiſſimam, in qua prima paſſio de eſſentia demonſtratur conſtare præmiſſis per ſe notis à priori, non verò à poſteriori, quia eſſentia non poteſt à priori demonſtrari de ſubiecto poteſt tamen à poſteriori. Reliquæ demonſtrationes non debent conſtare principiis per ſe notis, cum enim demonſtratur ſecunda paſſio per primam, principia non ſunt per ſe nota, cum prima poſſit à priori probari per eſſentiam, & à poſteriori per ſecundam paſſionem. Poteſt autem dici omnis ſyllogiſmus ſiue probabilis, ſiue euidens conſtare principiis per ſe notis, quia vltimò in talia principia reſoluendus eſt, ſi negentur principia non per ſe nota, quibus immediatè innititur concluſio.

PVNCTVM VI.

An omnes demonſtrationes debeant eſſe vniuerſales, neceſſariæ, conſtantes prædicato de omni ſecundùm quod ipſum?

NOn omnem demonſtrationem debere eſſe vniuerſa- 1
lem, probo ex ſyllogiſmo expoſitorio, qui verè demonſtratiuus eſt, & non conſtat propoſitionibus vniuerſalibus. Deinde hic ſyllogiſmus: *Omne quod currit mouetur. Petrus currit: ergo Petrus mouetur,* demonſtratiuus eſt, ſi minor euidenter cognoſcatur, quomodo poteſt ſenſuum euidentiâ cognoſci, & tamen conſtat propoſitionibus vniuerſalibus. Deinde à poſteriori cauſam per effectum ſingularem demonſtramus.

Dicendum tamen eſt demonſtrationem perfectiſſimam, 2
in qua paſſio naturæ multiplicabilis demonſtratur per eſſentiam debere conſtare præmiſſis vniuerſalibus, Ratio eſt, quia demonſtratio perfectiſſima eſt, in qua demonſtratur prima paſſio de ſubiecto adæquato. Sed paſſio naturæ multiplicabilis habet pro ſubiecto naturam vniuerſalem: ergo de illa debet demonſtrari: ergo debet demonſtrari de ſubiecto vniuerſali: ergo concluſio vniuerſalis eſſe debet: ergo & præmiſſæ, quia concluſio vniuerſalis, non niſi ex vtraque præmiſſa vniuerſali deducitur.

Dixi perfectiſſimam demonſtrationem, in qua demon- 3
ſtratur paſſio naturæ multiplicabilis, quia ſi paſſio ſeu attributum, quod demonſtratur ſit naturæ immultiplicabilis

v.g.

Digitized by Google

v.g. Dei, ſeu Angeli, in opinione, quæ aſſerit omnia indiuidua naturæ Angelicæ neceſſariò ſpecie diſtingui, tunc demonſtratio perfectiſſima non debet conſtare præmiſſis vniuerſalibus, quia paſſio reſpicit ſubiectum ſingulare, de quo demonſtratur, ac proinde concluſio, in qua paſſio de proprio ſubiecto prædicatur, ſubiectum ſingulare habet, idémque reperitur in minori, quia in ſyllogiſmo legitimo & directo idem eſt ſubiectum Minoris & concluſionis.

Aſſero inſuper non omnes demonſtrationes debere conſtare præmiſſis neceſſariis, incorruptibilibus, & æternæ veritatis. Quia veritas contingens poteſt euidenter cognoſci & ex illa inferri neceſſarium conſequens, quod neceſſariò ſit coniunctum cum exiſtentia antecedentis. Exemplum accipe in hac demonſtratione, *Omne quod currit mouetur. Petrus currit : ergo Petrus mouetur*, Minor contingens eſt, & potuit non eſſe illius obiectum, nihilominus ex ſuppoſitione, quod ſit eſſentialiter coniungitur cum conſequenti, ac proinde ſi euidenter cognoſcatur, prædictus ſyllogiſmus erit demonſtratiuus, quia diſpoſitio terminorum perfectam ſyllogiſmi figuram conficit, & vtraque præmiſſa euidens eſt. Confirmatur ex communi Theologorum ſententia, quæ aſſerit exiſtentiam Dei demonſtrari ex creaturarum exiſtentia, etiamſi creaturarum exiſtentia antecedenter potuerit non eſſe.

Demonſtratio perfectiſſima à priori conſtat præmiſſis neceſſariis & æternæ veritatis, quia prima paſſio, & eſſentia ita neceſſariò prædicantur, vt de potentia Dei abſoluta prædicatio non poſſit non eſſe vera.

Obiicies, Deus poteſt auferre potentiam admiratiuam ab homine: ergo poteſt hæc propoſitio *Homo eſt admiratiuus* eſſe falſa. Reſpondeo Deum poſſe tollere paſſionem formalem ab homine, ſi hæc ab eſſentia diſtinguatur, nihilominus adhuc ablatâ hac potentiâ, propoſitio iſta *Homo eſt admiratiuus* vera erit, illius enim ſenſus eſt: Homo ex ſe petit potentiam admiratiuam, quam non poteſt naturaliter non habere, ad quod per accidens eſt, quod potentia ſuperaddita de facto ab aliquo ſubiecto ſupernaturaliter fuerit ablata.

Principia ſecundùm quod ipſum, dicuntur illa, quorum prædicatum conuenit ſubiecto ſecundùm quod tale eſt & cum illo conuertitur, ſicuti riſibile conuenit homini, quia eſt homo, & rationale, quia eſt conſtitutiuum illius, & vtrumque cum homine conuertitur. Principia non ſecundùm quod ipſum, ſunt illa, quorum prædicatum non conuenit ſubiecto, ſecundùm quod tale eſt, veluti cùm dicimus, *homo eſt quantus*. Sentio non omnem demonſtrationem conſtare principiis ſecundùm quod ipſum, quia hæc eſt vera demonſtratio: *Omne ſenſitiuum eſt viuens: Omnis homo eſt ſenſitiuus: ergo omnis homo eſt viuens*, & nihilominus minor propoſitio non eſt principium ſecundùm quod ipſum, quia ſenſitiuum non conuenit homini, quatenus eſt, talis ſpecies, ſeu quatenus formaliter conſtituitur homo ſed quatenus eſt animal.

Demonſtrationem perfectiſſimam conſtare principiis ſecundùm quod ipſum facilè probatur Quia cùm in hac demonſtratione oſtendatur paſſio per eſſentiam, vna ex præmiſſis habet pro prædicato eſſentialia prædicata ſubiecti, & altera paſſionē ipſam, quæ demonſtratur, vt videre eſt in hac demõſtratione, *Omne animal rationale eſt admiratiuum. Omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt admiratiuus.* Principium autem in quo prædicatum eſt differentia ſpeciei conſtitutiua, aut paſſio, quæ ex differentia dimanat, principium ſecundùm quod ipſum debet appellari.

CONTRO

Digitized by Google

CONTROVERSIÆ PHYSICÆ:

Auctore R. P. FRANCISCO DE OVIEDO, è Societate IESV.

PROOEMIVM.

DE vtilitate, dignitate, nomine, & diuiſione Philoſophiæ conſulendi ſunt Conimbricenſes PP. qui rem hanc eruditione ſibi ſolitâ mirè dilucidant: ego enim, quæ ad quæſtionum difficultatem, non quæ ad loculentæ, infructiferæ tamen eruditionis amœnitatem tantùm ſpectant, mihi pertractanda ſuſcepi. Adi Logicam ſect. 1. vbi multa ex iis, quæ hîc deſiderari poſſunt fuſiùs explicata reperies.

Obiectum adæquatum Philoſophiæ ſpecialiter ſumptæ, de qua nos diſputationem inſtituimus multis nominibus ſignificare conuenit. Alij enim illud appellant *ens mobile*: alij *corpus mobile*, ſeu *naturale*: alij *ens naturale*. Dixi multis nominibus, obiectum Philoſophiæ ſignificari, quia omnes definitiones illius tantùm loquendi modo differunt. Placet præ omnibus, quam tradit P. Puente Hurtado in procœmio Phyſicæ ex noſtro Molina in Phyſicis manuſcriptis, videlicet: *Corpus ſubſtantiale completum cum ſuis proprietatibus, paſſionis, cauſis, & actionibus*. Nihil enim poteſt contra illam alicuius momenti adduci: reliquæ verò nonnullas patiuntur difficultates: Angeli enim poſſunt dici entia mobilia, & illorum diſputatio ad Philoſophum non ſpectat, niſi quatenus ſunt principia, à quibus entia corporea ſæpè mouentur. Materia prima deinde eſt ens mobile; non tamen obiectum adæquatum Philoſophiæ, Obiectum attributionis eſt *corpus ſubſtantiale completum*: obiecta verò attributi ſunt *paſſiones, proprietates, cauſæ, cauſalitates, atque paſſiones illius*: de his enim ratione corporis agit Philoſophia: de corpore verò ratione ſui.

Philoſophia, de qua nos diſputamus, diuiditur in octo libros Phyſicorum, in quibus agitur de his quæ pertinent ad cognitionem corporis ſubſtantialis, & illius accidentium: libri verò de generatione, & corruptione, de generatione animalium, de anima, de cœlo, & mundo, de plantis, de mineralibus, aliíque ab Ariſtotele editi peculiares materias ſibi vendicant. Philoſophiam, illiúſque partem libris Phyſicorum contentam eſſe Scientiam, nullus eſt qui neget: paſſim enim multa demonſtrantur in ea: Exiſtentia materiæ & formæ, cõpoſitio totius ex vtrâque, huius paſſiones, & accidentia; multa probabiliter tantùm ediſſerit, non ideo tamen abſolutè Scientia dicenda non eſt, cùm plerique illius actus ſcientifici ſint. Vnitatem Philoſophiæ, quâ dicitur vna Scientia à reliquis diſtincta, non eſſe phyſicam, ſed moralem quãdam ordinis vnionem infertur ex dictis in Logica Controuerſ. 1. P. 3. & latiùs conſtabit ex dicendis in libris de Anima, Controuerſ. 14. Punct. 2. Huius concluſionis ratio eſt, quia Philoſophia habet plures actus valdè diuerſos, quorum

Digitized by Google

habituum diſtinctionem ſiue ab ſpeciebus diſtinguantur, ſiue non, probat eorum crebra,& manifeſta ſeparatio.

Hanc eſſe Scientiam ſpeculatiuam communis tenet ſententia, neque inficiari poteſt pleraſque illius conclusiones tales eſſe:quid enim ad praxim conducet cognitio materiæ primæ,emanationis potentiarum ab illa,quídve infiniti,continuique prolixa diſputatio? Nihilominus cenſeo aliquas illius concluſiones rationem practicam imbibere:docet enim Philoſophia requiri applicationem inter agens,& paſſum,vt hoc effectum patiatur, & illud eundem producat, quæ cognitio plurimum conducere poteſt ad actiua paſſiuis applicanda: ſic alias concluſiones reperies,de motu locali, v. g. quomodo fiat motus rectus,quomodo attrahatur vnum corpus ab alio ad replendum vacuum, aliáſque quàm plurimas.

CONTROVERSIA PRIMA.

De principiis entis naturalis in communi.

IN hac Controuerſia de principiis entis naturalis in communi agam, acturus in ſuccedentibus de quolibet principio in particulari.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit principium rei naturalis?

1 PLVRES ſunt acceptiones principiorum, quas percurrunt Theologi,atque Philoſophi,& tradunt Damaſce.in lib.aduerſùs Manichæos, Ariſt. lib.5.de generat. animalium,c.27.l.Poët.c.6.l.5. Methap. c.1. text.1. & lib.1. Phyſic.c.5.text.2.

Principium propriè ſumptum in ſua latitudine latiùs patet quàm cauſa,quia ad rationem principij tantùm requiritur vt ſit id, ex quo tanquam ex primo res eſt, fit aut cognoſcitur iuxta definitionem principij traditam ab Ariſtotele lib.5.Metaph.cap.2. cauſa verò dicit influxum defectibilem,vt probabo Controu.7.Punct.1.Vnde Pater æternus eſt principium Filij, qui ex illo per æternam generationem procedit, non cauſa. Neque obſtat Græcos Patres veluti Chryſoſt.& Theodor.in Commentariis Epiſtolæ ad Hebræos, & Damaſcen. lib. 1. fidei Orthodoxæ cap.11. & in lib. aduerſùs Manich. & D. Athan. in actis Nicenæ Synodi, Patrem cauſam Filij appellaſſe, quia apud Græcos correlatiuum cauſæ non eſt effectus, ſed procedens, vt doctè notant Conimbr. lib. 1. Phyſic. cap.5. q. 1. quapropter cum verbis dicunt, Patrem eſſe cauſam Filij,in re tantùm ſignificant Flium à Patre procedere. Vtuntur etiam hoc nomine cauſæ in diuinis nonnulli ex Patribus Latinis; Ita D. Auguſt. 7. de Trinitate cap.1. & lib.83. quæſt.16. aſſerit Deum ſuæ ſapientiæ cauſam eſſe,& D.Hieronym.ad c.3.Epiſtolæ ad Epheſ. dicit Patrem ſui originem eſſe,ſuæque cauſam ſubſtantiæ. Quæ verba in ſenſu negatiuo explicanda ſunt; quia tantùm Doctores ſancti intendunt ſignificare Deum nullam habere cauſam ſuæ ſapientiæ aut eſſentiæ, ſed eſſe à ſe. Secundùm acceptionem principij per definitionem importatam,effectus poſſet principium cauſæ dici, quia hæc ex illo cognoſcitur, veruntamen abſurdum per ſe apparet effectum principium dici cauſæ,illo naturâ prioris,in quod ne incidamus,à nobis explicandus eſt Ariſtoteles de cognitione à priori, per quam effectus ex cauſa, & non cauſa ex effectu cognoſcitur.

2 Secundò ſumi ſolet principium pro primo alicuius rei in aliquo ordine, id eſt pro origine, & prima radice alicuius rei. Sic Tullius definit principium 1. Tuſcul. *Principij nulla eſt origo,nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autẽ ex nullo naſci poteſt.* Et Ariſt.5. de Generat. animalium c.7. *De ratione principij eſt, vt ipſum cauſa ſit multorum,ſed ipſius, nulla ſit ſuperior cauſa.* Secundùm hanc acceptionem communis omnium Parens Adamus dicitur principium omnium hominum, illiúſque peccatum peccatorum principium omnium; non tamen meus parens dicitur principium mei in hac acceptione, quia abſolutè nõ eſt primum principium cum ab alio homine procedat. Neque obſtat Adamum etiam ab alio principio ſcilicet à Deo procedere, quia non ideo procedit ab alio principio eiuſdem ordinis cum illo,ſcilicet ab alio homine,à quo originem trahat per ſementiuam propagationem. Secundùm hanc acceptionem principium, & cauſa ſe habent, tanquam excedens, & exceſſum, quia meus parens eſt cauſa mei, & non eſt principium.Pater æternus eſt principium Filij, non tamen cauſa. De Filio dicit Hurtad.non dici principium Spiritus ſancti, ſecundùm hanc acceptionem eo quod Filius à Patre procedat. Aliter ego ſentio, quia licet Filius procedat à Patre, procedit ab illo tanquam à principio generante,& non tanquam à principio ſpirante,ac proinde in ordine ſpiratiuì principij ſimul cum Patre ſunt primum principium ſpiratiuum Spiritus ſancti.

3 Tertiò principium aliquando ſumitur pro initio ſeu inceptione rei. Hoc initium aliquando ſumitur in ordine ad tempus,quo ſenſu dicere ſolemus nunc incipit lectio, aut concio:aliquando in ordine ad locum, & poſitionem, quo ſenſu primum hominem vocamus, qui primo loco ſedet, & punctum terminatiuum lineæ primum illius punctum dicimus, ac lineæ principium. Hæc principij acceptio in diuinis locum non obtinet, omnia enim intrinſeca Dei ſunt ab æterno, & immenſa nullo temporis, aut loci ſpatio definira.His præmiſſis.

4 Ariſtoteles c.5.tex.42. definit principia entis naturalis *quæ neque ex ſe,neque ex aliis ſed omnia fiunt ex ipſis*,quæ definitio ita eſt intelligenda, vt vnum principium non fiat ex alio genere, quo eſt principium v. g. vt materia non fiat ex forma tanquam ex cauſa materiali, neque forma ex materia tanquam ex cauſa formali,quo genere dicitur principium; inſuper quod non fiant ex aliis, videlicet, quod materia non fiat ex alia materia, nec forma ex alia forma, ſed omnia fiant ex ipſis, videlicet omnia compoſita conſtent ex principiis,quod intellige iuxta diſtributionem accommodam, videlicet tota collectio compoſitorum ex tota collectione principiorum,& hoc numero compoſitum ex his principiis numero, verbi gratia hic equus, ex hac materia, & ex hac forma, non verò ex quolibet principio poteſt fieri quodlibet compoſitum, quia ex forma equi non poteſt fieri neque componi homo.

5 Ex hac explicatione definitionis facilè ſoluuntur omnia,quæ contra illam adduci ſolent. Obiicies primò formam fieri ex materia,quod iam ſolui. Obiicies ſecundo, materiam fieri ex partibus integralibus,quod eodem modo ſoluitur, quia materia eſt principium tanquam pars eſſentialis, non verò tanquam pars integralis, & licèt fiat ex partibus integralibus, non tamen fit ex aliis eo genere

Digitized by Google

genere quo eſt principium, videlicet ex aliis partibus eſſentialibus, quæ ad illam ſupponantur tanquam materia illius. Si verò inſtes materiam, & formam fieri ex partibus eſſentialibus videlicet ex genere, & differentia, quæ ſunt partes eſſentiales. Reſpondeo fieri ex partibus eſſentialibus metaphyſicis, ipſas verò eſſe partes eſſentiales phyſicas, & principia phyſica compoſiti, ac proinde non fiunt ex aliis eo genere quo ſunt principia.

7 Circa prædictam definitionem, eſt difficultas, an comprehendat principia tantùm intrinſeca, vel etiam extrinſeca? Hurtad. ſect. 2. docet comprehendere principia intrinſeca, & extrinſeca Conimb. 1. Phyſic. c. 5. q. 1. cum multis aliis docent ſub hac definitione tantùm comprehendi principia intrinſeca videlicet materiam, formam, & priuationem: his aſſentior, quia Ariſtoteles de principiis extrinſecis agit 2. Phyſic. non verò in hoc libro, in quo tantùm de materia, forma, & priuatione diſputat. Deinde quia propriè res non dicitur fieri ex cauſa efficienti, neque ex finali, ſed ab efficienti, & propter finem.

8 Obiicit Hurtad. aliquas loquutiones Scripturæ, in quibus particula *ex* denotat efficientiam: *Qui ex Deo eſt verba Dei audit*, Ioann. cap. 8. num. 46. & num. 44. *vos ex patre Diabolo eſtis*. Reſpondeo in primis non ſemper voces ſumi in ſtricta ſignificatione in Scriptura, imò neque in probatiſſimis cuiuſuis linguæ Auctoribus, illiuſque Principibus: verbum enim *vel* ſtrictè loquendo diſiunctionem ſignificat, ita vt in rigoroſa ſignificatione non verificetur, ſi vtrumque membrum quod diſiungit exiſtat: nihilominus non ita ſtrictè ſumitur, paſſim enim illo vtimur, etiamſi poſſit vtraque pars quam diſiungit eſſe vera, & in Scriptura dicitur, *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo ibi ſum in medio eorum*, non autem intelligimus Deum non eſſe, vbi duo, & tres ſint congregati. Ratio huius, quia cum verba poſſint habere ſignificationem accommodatam modo loquendi, licet non magis propriam, non tenemur vti illis iuxta ſignificationem propriiſſimam, ſed licet vti eis iuxta aliam minus propriam, quando ratione materiæ non poteſt eſſe ambiguitas, ſicut in præſenti; non enim poteſt intelligi homines eſſe ex Deo, neque ex Diabolo tanquam ex materia.

9 Addo particulam *ex* in prædictis propoſitionibus non ſolùm denotare efficientiam, quia tam homines boni, quam mali fuerunt effecti à Deo, ſed denotare quamdam communicationem eiuſdem naturæ. Petrus enim dicitur ex parentibus, quia per communicationem eiuſdem ſanguinis ab illis trahit originem, quia cùm filius ſit aliquid patris, & veluti pars quædam deciſa ab illo, dicitur ab illo dimanaſſe, ſicut amnis à fonte: quia verò homines producti fuerunt à ſuis parentibus per naturalem ſeminationem, & communicationem ſanguinis, ideo dicuntur ex illis originem trahere: Iuſti verò dicuntur ex Deo, quia illam communicationem naturæ quam habent à patribus naturalibus per communicationem ſanguinis, habent à Deo altiori quodam modo per gratiam habitualem, quæ eſt participatio quædam diuinæ eſſentiæ, per quam filij conſtituuntur, non naturales, quia non habent eamdem naturam cum Deo, ſed adoptiui, quia communicatio naturæ eſt per participationem, & per affectum, & non per identitatem. Ex his cùm dicitur: *qui ex Deo eſt verba Dei audit*, debet intelligi non qui productus eſt à Deo, ſed qui eſt filius Dei prædeſtinatus ad filiationem adoptiuam: cùm verò dicitur, *vos ex Diabolo eſtis*, illud *ex* ſumitur magis impropriè, ſolùm enim ſignificat habere opera adeò ſimilia operibus diaboli, vt videantur eandem naturam cum illo habere. Fundamentum autem loquutionis per particulam *ex* eſſe prædictum, & non tantùm denotari cauſalitatem extrinſecam. Probo: quia nunquam talis loquendi modus reperitur in cauſa finali, neque efficienti, quæ ſunt principia extrinſeca: non enim dicimus, medicina eſt ex ſalute, licèt dicamus medicinam eſſe propter ſalutem. Si verò obiicias dici vnum ignem eſſe ex alio, in quo non reperitur hæc communicatio naturæ. Reſpondeo hunc modum loquendi impropriiſſimum eſſe, & tantùm tranſlatum ex viuentibus ad non viuentia, in quibus rarò inuenitur, & ſemper impropriè. Conuenit ergo hæc definitio materiæ, formæ, & priuationi, quæ ſunt principia intrinſeca, non tamen omnibus vniuocè, quia non enti, & enti non poteſt dari ratio vniuoca, ſed tantùm materiæ, & formæ propriè, priuationi verò impropriè, quia ex priuatione, quæ eſt non ens non poteſt aliquid propriè fieri.

10 Vltimò aduerto, cùm dicimus hanc definitionem conuenire principiis intrinſecis tantùm, non eſſe intelligenda principia intrinſecè componentia, quia forma eſt principium generationis vt dicam poſtea, & non componit intrinſecè generationem, debent dici principia intrinſeca quæ intrinſecè componunt id cuius ſunt principia vel illa quibus intrinſecè afficitur illud cuius ſunt principia.

PVNCTVM III.

Quot ſint principia entis corporei?

1 ARiſtoteles tria principia aſſignauit entis naturalis, ſeu corporei, materiam videlicet, formam, & priuationem. Compoſitum autem intelligitur in fieri, & in facto eſſe: per compoſitum autem *in fieri* intelligitur compoſitum in primo inſtanti, quo fit, neque per compoſitum in facto eſſe idem compoſitum in ſecundo inſtanti in quo iam factum eſt, vt poſſet imperitus aliquis iuxta ſonum vocum intelligere, quia compoſitum non minùs perfectè eſt factum in primo inſtanti ſuæ durationis, quàm in ſecundo, eſt enim idem omnino ſubſtantialiter inuariatum in primo, & ſecundo inſtanti, & ſicut primo inſtanti terminat actionem productiuam, in ſecundo terminat actionem conſeruatiuam; conſeruatio verò, & productio per ſe non diſtinguuntur, niſi quando variantur agentia, ſi enim idem agens conſeruet, & producat, actio eſt eadem numero, & tantùm differunt conſeruatio, & productio per denominationem extrinſecam primi inſtantis durationis, & inſtantium ſubſequentium; compoſitum verò *in facto eſſe* dicitur ipſa entitas compoſiti ſubſtantialis, & compoſitum *in fieri* actio productiua illius compoſiti, ſeu illius generatio. His poſitis.

2 Dico primò, compoſitum in facto eſſe tantùm includere duo principia materiam videlicet, & formam, quia tantùm fit ex ipſis, & non ex priuatione, quod probo: ſi eſſet ab æterno materia vnita formæ verè eſſet compoſitum, & non præceſſiſſet priuatio. Deinde quia compoſitum eſt deſtructiuum formaliter priuationis: ergo priuatio non eſt principium illius: Probo conſequentiam, quia nulla entitas poteſt principium ſui non eſſe, ſicut enim omnis entitas creata eſt ab alio, ita non eſſe illius eſt ab eodem, quia ſicut conſtituitur exiſtens per actionem dependentem ab alio, ita conſtituitur non exiſtens per negationem actionis dependentis ab alio.

3 Dices hanc rationem probare nihil poſſe eſſe principium ſui non eſſe in genere cauſæ efficientis. Reſpondeo abſolutè probare in omni genere, quia ratio, quæ probat nihil eſſe principium ſui eſſe in vllo genere, probat eadem proportione non poſſe in eodem eſſe principium ſui non eſſe, quia ratio principij non eſſe eſt negatio rationis principij ſui eſſe in eodem genere, priuatio verò, & actus ſemper ſunt ab eodem in omni genere. Obiicies modum vnionis eſſe de ratione cõpoſiti, ſicut materia prima & forma: ergo ſimiliter erit principium entis naturalis. Reſpondeo modum vnionis eſſe principium *vt quo*, quod quatenus ſe tenet ex parte formæ, quæ eſt principium *vt quod* cum illa conſtituit principium quoddam adæquatum completum, & quatenus ſe tenet ex parte materiæ eſt etiam principium vt *quo*, & cum illa tanquam principio vt *quod*, conſtituit principium aliud adæquatum. Ratio eſt, quia modus vnionis non componit, ſed eſt ratio componendi, neque eſt cauſa intrinſeca compoſiti, ſed cauſalitas illius, & ſicut ex principio effectiuo, & cauſalitate non conſtituuntur duo principia, ita neque ex forma, & ratione informandi debent conſtitui duo principia.

4 Obiic. ſubſiſtentiam eſſe de ratione intrinſeca ſuppoſiti: ergo eſt principiũ illius. Reſpondet Hurtad. ſuprà ſubſiſtentiam pertinere ad compoſitionem metaphyſicam, ſed me omnino latet cur compoſitio ex natura, & ſubſiſtentia, quæ ex rebus phyſicis fit ad compoſitionem metaphyſicam ſpectet. Reſpondeo hic agi de principiis compoſiti naturalis, ſeu naturæ non tamen de principiis ſuppoſiti, quod Ariſtoteles non cognouit. Imò addo ſubſiſtentiam materiæ cum ipſa conſtituere vnum principium, & ſubſiſtẽtiam formæ cum forma conſtituere aliud, quia totum ſubſiſtens conſtat ex materia ſubſiſtente tanquam ex vno principio, & ex forma ſubſiſtente tanquam ex alio.

5 Dico ſecundò, Generationem eſſentialiter tantùm conſtare duobus principiis, videlicet ſubiecto, ſeu materia, & forma, ſeu termino, quod ſic probo: Priuatio tantùm eſt principium mutationis ad quam tantùm formaliter pertinet, ſed generatio, non eſt mutatio: ergo ad generationem vt generationem priuatio non ſpectat. Maiorem admittunt omnes: minorem probabo Controuerſ. 2. de Generat. Punct. 1. conſequentia eſt legitimè deducta.

6 Obiic. ad probandum generationem habere alia principia præter materiam, & formam, quia generatio eſt actio: ergo dependet ab efficiente: ergo habet principium efficiens. Reſpondeo negari non poſſe efficiens eſſe principium generationis, eſt tamen principium extrinſecum, de quo non eſt ſermo, ſed tantùm de principiis intrinſecis materiâ, & formâ, quarum illa dicitur principium intrinſecum non quia componat generationem, ſed quia illam intrinſecè in ſe recipit, forma verò dicitur principium intrinſecum, quia ita terminat actionem vt ex vi talis terminationis habeat eſſe: agens verò intrinſecè eodem modo ſe habeat ſiue agat, ſiue non, quia quatenus agens ſolùm dicit exire actionem ab ipſo, non autem aliquid in ſe recipere neque ſuam entitatem recipere eſſe.

7 Obiic. ad probandum priuationem eſſe principium generationis, quia licèt non præcedat priùs tempore priuatio formam, præcedit priùs natura, quia producitur à materia, quæ ſupponitur ſine forma priùs natura: ergo ſupponitur cum priuatione formæ. Confirmatur: non ſupponitur priùs natura cum forma: ergo ſupponitur cum priuatione formæ. Probatur Conſequentia, quia forma & priuatio formæ opponuntur contradictoriè, inter oppoſitionem verò contradictoriam non datur medium. Reſpondeo priuationem formæ non eſſe priùs natura, forma neque generatione illius, quia illud eſt priùs natura tantùm quod eſt ratio cauſandi, cùm verò priuatio formæ non ſit ratio cauſandi non poteſt eſſe priùs naturâ: deinde non poteſt eſſe in inſtanti naturæ in materia, quod non eſt in inſtanti temporis, quia implicat, quod cauſet quod non eſt in aliquo inſtanti temporis, ac proinde cùm priuatio formæ non ſit in inſtanti temporis in materia, cùm materia & forma in eodem inſtanti producuntur, implicat eſſe in inſtanti naturæ. Ad argumentum in forma reſpondeo materiam præſupponi ſine forma, non verò cum priuatione formæ, ſed abſtrahendo ab exiſtentia formæ, & priuatione illius. Ad confirmationem dico, quod licèt inter formam, & priuationem formæ non detur medium, datur tamen inter formam priorem natura & priuationem cum eadem prioritate, quia non infertur: forma non eſt prior natura ergo priuatio eſt prior natura.

8 Dico tertiò, generationem in ratione mutationis conſtare tribus principiis, priuatione, materia, & termino à *quo*. Probo: mutatio vt mutatio dicit quod ſubiectum aliter ſe habeat ac antea ſe habebat, ac proinde dicit ſubiectum commune: dicit modum, quo nunc ſe habet per receptionem formæ, ac proinde dicit formam tanquam terminum ad quem talis modi, & dicit modum, quo antea ſe habebat aliter, id eſt ſine forma, quæ eſt priuatio eiuſdem, & terminus à *quo* mutationis.

9 Nota tamen quod diuerſo modo hæc principia concurrunt ad mutationem: materia enim concurrit tanquam ſubiectum eam intrinſecè recipiens adæquatè ab illa diſtinctum; forma verò tanquam terminus, ad quem eſſentialiter dicit ordinem mutatio, qui ex vi talis mutationis habet eſſe diſtinctum formaliter à mutatione, quia mutatio non eſt eſſentialiter, neque inadæquate forma adueniens, ſed receptio illius recta, vt docent Conimbr. lib. 3. Phyſic. quæſt. 1. art. 1. materia enim dicitur mutata per receptionem illius, quod antea non habebat, ac proinde formaliter dicit receptionem, & dicit non habuiſſe antea talem receptionem, quod eſt priuatio formæ in ſubiecto ſeu receptionis, quæ priuatio formaliter conſtituit ſubiectum mutatum, & eſt principium intrinſecum mutationis ad inſtar materiæ compoſiti, quia actio per ſe non formaliter conſtituit ſubiectum mutatum, ſi antea non præceſſit priuatio, ac proinde hæc priuatio eſt ratio formalis inadæquata mutationis.

10 Ex hoc infero: idquod vulgo dicitur priuationem formæ eſſe principium generationis intelligendum eſſe de priuatione non formæ ſecundum ſe, ſed formæ vt inhærentis & receptæ in ſubiecto, hoc eſt priuatio eiuſdem receptionis. Quod probo: ſi forma præceſſiſſet exiſtens independenter à ſubiecto producta, & conſeruata per actionem creatiuã, & denuò inhæreret ſubiecto, ſubiectum diceretur mutatum: ergo mutatio non dicit formaliter priuationem formæ, ſed priuationem formæ vt inhærentis, ſeu inhæſionis. Conſtat mutationem formaliter, & intrinſecè includere actionem productiuam formæ, quæ eſt receptio illius in hoc inſtanti, & priuationem eiuſdem in inſtanti præcedenti, quæ priuatio inhæſionis in inſtanti præcedenti, & inhæſio in hoc inſtanti eſſentialiter conſtituunt ſubiectum, quod afficiunt mutatum.

11 Infero ſecundò materiam propriè non mutari per animam rationalem tanquam per terminum, quia per illam non recipit aliquid quod antea non recipiebat, quia anima rationalis non recipitur in materia; dicitur autem mutata per receptionem modi vnionis, qui per receptionem ſeu paſſionem inhæret materiæ, & impropriè, & extrinſecè per animam rationalem, quatenus eſt terminus vnionis ad illam, quæ mutatio impropria inuenitur in omnibus compoſitis diſtincta à propria mutatione, quia propria mutatio conſiſtit formaliter in receptione formæ, impropria verò, quæ datur reſpectu animæ rationalis, & eſt communis omnibus formis, conſiſtit in vnione: dicitur autem impropria, quia cùm terminus in ratione termini ſit extrinſecus alteri termino, non poteſt vnum per aliud mutari propriè, ſicut propriè non mutatur pars integralis per vnionem ad alteram. Quod verò in vnione partium eſſentialium vna ſubiectetur in altera non eſt per vnionem, ſed per receptionem. Vnde ſi modus vnionis inter materiam, & formam hominis crearetur, quod de potentia Dei abſoluta poſſe fieri diximus, non minùs maneret immutata materia prima per vnionem ad formam hominis, quàm forma hominis per eandem vnionem ad materiam, quia neutra eſſet ſubiectum alterius, neque vnionis, ac proinde manerēt mutatæ extrinſecè, & impropriè, ſicut vna pars integralis quantitatis per vnionem ad aliam compartem integralem.

12 Obiic. eodem modo poſſe dici terminum à quo mutationis receptionem formæ præexiſtentis, ac dicitur priuatio ſubſequentis, quia ſicut materia tranſit à priuatione huius receptionis ad hanc receptionem, ſimiliter tranſit ab hac receptione ad aliam. Reſpondeo mutationem tantùm dicere, quod ſubiectum aliter ſe habeat nunc ac antea, ad hoc verò non requiri, quod tranſeat à receptione præcedentis formæ ad receptionem ſubſequentis, ſed tantùm quod tranſeat ad receptionem à priuatione illius. Verum tamen eſt in ratione tranſitus vnius receptionis ad aliam ſeu conuerſionis vnius compoſiti in aliud, qui tranſitus motus propriè dictus vocari ſolet, includi inhæſionem præcedentem tanquam terminum à *quo*, & ſubſequentem tanquam terminum ad quem, & ex vtraque conſtitui hunc tranſitum, conuerſionem, ſeu motum propriè dictum: vtere nomine, quod placuerit.

13 Obiic. Priuatio inhæſionis in inſtanti præcedenti & inhæſio in hoc inſtanti non poſſunt tribuere ſuum effectum formalem nec reddere ſubiectum mutatum, non in inſtanti antecedenti, quia tunc tantum eſt priuatio, quæ eſt forma inadæquata, nec in hoc inſtanti, quia in hoc tantùm eſt inhæſio quæ eſt etiam forma inadæquata, & deficit priuatio, quæ eſt alia compars: ergo in nullo tempore ſubiectum eſt mutatum.

14 Communis ſolet eſſe reſponſio connotatorum in his, & ſimilibus argumentis videlicet inhæſionem exiſtentem in hoc inſtanti cum connotatione ad priuationem præcedentem dici mutationem, inhæſio autem, & connotatio ſunt in hoc inſtanti, ac proinde in hoc inſtanti dicitur mutatum ſubiectum. Sed non acquieſco, non enim percipio quid ſit illa connotatio, quia non identificatur cum hac inhæſione, quia hæc inhæſio poteſt eſſe, & de facto erit in inſtanti ſequenti, in quo ſubiectum non mutabitur: ergo includit aliquid ab illa diſtinctum, ſi hoc ſit priuatio præcedens habet eandem vim argumentum; ſi aliquid diſtinctum, videamus quid ſit, non formalitas rationis, quia realiter ſubiectum eſt mutatum: quæ ergo formalitas poterit eſſe diſtincta ab inhæſione exiſtenti in hoc inſtanti, & negatione eiuſdem exiſtenti in inſtanti præcedenti? Si fingatur reſultare aliam tertiam, entitatem eodem modo arguo: vel reſultat ex priuatione præexiſtente, vel ex inhæſione ſubſequenti; non ex aliqua earum tantùm, quia vtraque requiritur vt ſi mutatio: ergo reſultat ex vtraque: Inquiro ergo, in quo inſtanti reſultet? ſi enim

Digitized by Google

enim reſultat in inſtanti, in quo eſt priuatio,reſultat quando non eſt inhæſio, quæ eſt fundamentum illius: ſi reſultat quando eſt inhæſio,reſultat quando non eſt priuatio: ergo ſicut tenentur concedere id, quod non exiſtit eſſe fundamentum talis tertiæ entitatis dum non exiſtit, etiam poterunt dicere denominare ſubiectum, præcipuè cùm tertia illa entitas non appareat quid ſit, neque ad quod prædicamentum reducatur.

15 Reſpondeo mutationem eſſe formam quandam non phyſicè vnam, ſed moraliter, & denominationem mutati eſſe moralem, & non phyſicam, ac proinde non requirit formam phyſicè exiſtentem in inſtanti, in quo denominat, ſed ſufficit, ſi partim exiſtat, partim extiterit, ſicut denominatio præteriti ſumitur à forma, quæ non eſt,ſed fuit; & denominatio futuri à forma, quæ non eſt, ſed erit;& ego dicor prior Antichriſto per meam exiſtentiam durantem nunc, & per exiſtentiam Antichriſti poſtea duraturam, quæ modò nihil eſt; & poſterior Adamo per meam exiſtentiam durantem nunc, & exiſtentiam Adami,cuius duratio iam præteriit,& modò nihil eſt.

16 Obiic. nos dixiſſe priuationem non poſſe eſſe principium totius, quia opponitur priuatio cum toto contradictoriè ratione habitus, quem totum includit, cui priuatio mutuò opponitur tanquam eſſe, & non eſſe. Sed ſimiliter priuatio inhæſionis & inhæſio, quæ eſt idem ac generatio realiter opponuntur contradictoriè: ergo priuatio inhæſionis nullo modo poteſt eſſe principium generationis.

17 Reſpondeo in primis priuationem, & habitum non opponi contradictoriè, ſi ad diuerſa tempora referantur, ſicut referuntur in mutatione, in toto autem deberent ad idem tempus referri, quia totum ſubſtantiale eſt quoddam ens phyſicum permanens, quod eſt totum ſimul, & non poteſt eſſe partim in hoc inſtanti, partim in ſequenti,ſed in omni inſtanti quo durat eſt ſecundùm ſe totum, aliàs nunquam eſſet totum, quia cùm habeat vnionem phyſicam partium, & hæc non poſſit eſſe in inſtanti, in quo non eſt vtraque pars,implicat illud eſſe totum ſine coexiſtentia omnium partium.Mutatio verò eſt totum quoddam morale, cuius partes non habent vnionem phyſicam, ſed moralem, quæ conſiſtit in immediata ſucceſſione, ac proinde poteſt eſſe, quin partes illius ſint ſimul,quia mutatio eſt ad inſtar ſucceſſionum in ratione eſſendi, licet in ratione denominandi denominet ſubiectum mutatum, ſicut ſpatium horæ labitur ſucceſſiuè: in inſtanti vero dicitur horam completam fuiſſe elapſam, & ante terminatiuum illius non dicitur horam fuiſſe elapſam.

28 Addo me non aſſerere priuationem inhæſionis eſſe principium generationis, ſed alterius entitatis, mutationis videlicet, quæ componitur ex generatione tanquam parte, & priuatione præexiſtenti eiuſdem tanquam alterâ comparte; in toto autem hoc non poteſt excogitari, quia ex entitate totius, & negatione præexiſtenti non componitur alia tertia entitas,neque inuentum eſt nomen ad ſignificandam illam ſucceſſionem negationis præcedentis, & totius ſubſequentis per modum vnius. Inquires quandiu duret mutatio? Reſpondeo tantùm durare in prima productione formæ quam includit, quia tunc tantùm dicitur ſubiectum ſe habere aliter ac antea ſe habebat; in ſecundo verò inſtanti, quo forma conſeruatur, ſubiectum eodem modo ſe habet cum illa, ac ſe habuit in inſtanti præcedentis, quo talis forma fuit producta,& illam recepit. Nihilominus ſubiectum dicitur mutatum non ſolùm in illo inſtanti; ſed in ſubſequentibus ſumpta denominatione à forma præcedenti, ſicut Petrus dicitur filius Ioannis non ſolùm in inſtanti, quo eum genuit,ſed poſtea per denominationem ſumptam a generatione præcedenti, & mulier dicitur nupta ex contractu matrimonij iam præterito. De mutatione ſubiecti per receptionem formæ accidentalis nihil peculiare occurrit dicendum, eodem enim modo philoſophandum eſt ac de mutatione per formam ſubſtantialem, & dicendum priuationem non eſſe principium totius accidentalis in facto eſſe, neque generationis accidentalis, vt generatio eſt, ſed tantùm illius quatenus eſt mutatio per priuationem ipſius, ex cuius conſortio reſultat mutatio tanquam ex duabus partibus.

19 De productione materiæ primæ & Angeli dicendum eſt eſſe illius principium terminatiuum intrinſecum modò explicatum ipſam materiam primam, & ipſum Angelum. An verò materia prima, & Angelus ſint principia illius in genere cauſæ materialis dicam Controu. 13. Phyſic. Punct. 3. vbi diſputabo an creatio habeat cauſam materialem. Priuatio principium non eſt creationis Angeli, aut materiæ primæ, neque ad illam aliquo modo conducit, neque tanquam componens mutationem, quia non eſt ſubiectum, quod mutetur, & ad productionem Angeli, ſeu materiæ primæ ſecundum ſe impertinenter ſe habet negatio præcedens, quia illæ productiones in communi ſententia potuêre eſſe ab æterno, deinde quia non apparet quo genere negatio præcedens poſſit pertinere ad productionem ſubſequentis, niſi tanquam terminus à quo, vbi autem non mutatio, non eſt terminus à quo.

CONTROVERSIA II.

De materia prima.

OMNIVM principiorum in particulari materia prima primum eſt, ideo ſibi præ aliis primum in noſtra diſputatione locum obtinet.

PVNCTVM PRIMVM.

Materiam primam dari ſtatuitur.

1 MVltiplicem reſpectum includit materia; ad formam, quæ ex illa educitur, & in illa recipitur, illique vnitur; ad totum, quod ex illa componitur; ad agens quod circa illam operatur. Iuxta hos reſpectus diuerſas induit denominationes, in quas diuidi ſolet, eſt enim apud antiquos celebris materiæ diuiſio in materiam *ex qua*, & *in qua*, & *circa quam*, quæ diuiſio partitio non eſt totius actualis, vel potentialis, in partes actu, vel potentia illud componentes, ſed eiuſdemmet indiuiſibilis entitatis in diuerſa munera, quibus fungitur. Materia *ex qua* in ordine ad totum dicitur, quod ex illa componitur, & cuius eſt pars materialis. Materia *in qua* per ordinem ad formam denominatur, quæ in illa recipitur, ſi materialis ſit non creata, & in qua plurimas exercet operationes. Materia *circa quam* dicit reſpectum ad agens, quod operatur circa illam. Ex his reſpectibus duo priores ad conceptum metaphyſicum ſpectant materiæ, quæ munus ſubiecti receptionis, & informationis exercet reſpectu formarum, & in ordine ad totum, quatenus eſt primum ſubiectum, quod compoſitiuum totius neceſſariò debet eſſe, & conſequenter receptiuum formæ, vel ſaltem illi vnibile, nequit enim ſine vnione ad formam totum componere; & multi aſſerunt de conceptu metaphyſico conſtitutiuo illius eſſe potentiam receptiuam ſaltem in ordine ad vnionem. Vltimus conceptus explicatus per materiam *circa quam*, quem habet in ordine ad agens, formaliter ad materiam non ſpectat, cuius adæquata ratio primi ſubiecti, tota eſt in ordine ad compoſitum & ad formam, ſine vllo ordine ad agens, quod actus non eſt potentiarum quas habet materia, vt formam recipiat, illamque ſibi vniat, & totum peragat compoſitum, quibus tota eſſentia materiæ primæ circumſcribitur.

2 Materia aliter in tranſeuntem, & permanentem diuidi ſolet, aliàs in materiam extrinſecam, & intrinſecam: Materia permanens, ſeu intrinſeca dicitur, quæ verè eſt materia ex qua totum componitur, quæ illi intrinſecè permanet. Materia extrinſeca, ſeu tranſiens eſt totum corruptum ad generationem aduenientis, lignum v.g. ex quo ſolemus dicere, fieri ignem, qui intrinſecè formam ligni non includit, imò illam excludit, & expellit à materia ligni; & ideo illi dicitur extrinſeca, quia ex tali forma, tanquam ex termino extrinſeco generationi ignis tranſit materia ligni, à forma ligni ad formam ignis. Hæc materia tranſiens, ſeu extrinſeca propriè materia non eſt, quia non totum componit, neque illius eſt ſubiectum, ſed potius forma in ſubiecto recepta, quæ ſimul cum materia totum corruptum componebat.

3 Alia eſt partitio materiæ in Phyſicam, & Metaphyſicam. Materia phyſica, eſt materia de qua agimus, quæ propriè materia dicitur, quia verè & realiter componit totum ſubſtantiale: Materia metaphyſica eſt, quæ metaphyſicè tantùm, & per rationem totum componit per modum

M 2 partis

Digitized by Google

partis materialis, ſcilicet genus, quod metaphyſicè tantùm materia dicitur

4 Inſtituitur præſens controuerſia de materia prima, quæ ſupra conceptus aſſignatos in ratione primæ dicit non dari aliam, in qua ipſa ſubiectetur, ideo compoſitum ſubſtantiale multi appellant materiam ſecundam; materiam, quia recipit accidentia, & per vnionem ad illa conſtituit aliud compoſitum accidentale, cuius materia dicitur: ſecundam, quia ſupponit aliam, ex qua totum componitur. Alij materiam ſecundam appellant ſubiectum diſpoſitum accidentibus ad formam ſubſtantialem recipiendam, non quia hæc in illa recipiatur, ſed quia illa præcedant huius receptionem. Receptio enim accidentium antecedit ordine naturæ quaſi ſubiectum ſternens ad receptionem formæ ſubſtantialis, ideo materia his accidentibus veſtita materia proxima dici ſolet. Ex his dimanauit materiæ definitio, quam poſtea expendam.

5 Dari materiam primam demonſtrant Philoſophi ex mutua corruptione, & generatione formarum, quæ aliquod commune ſubiectum euidenter demonſtrant, quod primum eſt, vel in aliud primum nos ducere neceſſum eſt, ſi enim primum non eſt ſubiectum, aliud habebit, quod primum erit: ſi alio careat, ſi tamen illud habeat, primum non erit, tamen ad aliquod ex illo perueniendum, quod ſubiectum aliud non ſupponat, ne in infinitum procedatur, quod fieri non poſſe de omnibus cauſis demonſtrat Ariſtoteles, vt ad primam perueniat, quod ſi in materiali cauſa liceret nobis in infinitum procedere, eadem licentia in efficienti liceret vti, quod communis hominum apprehenſio reprehendit.

6 Confirmatur & declaratur idem diſcurſus: euidens eſt produci aliquid, quando ſubiectum incipit ignefieri amiſſâ formâ ligni: ergo datur aliquod commune ſubiectum. Probo conſequentiam: ſi nullum daretur ſubiectum commune, totus ignis ſecundùm ſe totum inciperet eſſe, & totum lignum ſecundùm ſe totum defineret, & productio ignis eſſet creatio, & corruptio ligni annihilatio ignis, & agens naturale naturaliter crearet, & annihilaret. Deinde ſi nullum daretur commune ſubiectum, alteratio facta in ligno, vt illam forma ignis ſubſequatur, omnino eſſet impertinens, cùm productio caloris non fieret in ſubiecto, in quo producenda erat forma ignis. Secundò vel adueniente forma ignis, permanet in ſubiecto, quod ad illam erat diſpoſitum, vel non manet: ſi manet, ergo datur vnum commune ſubiectum calori, & formæ ignis, quæcumque ſit ignis forma, ſiue accidentalis, ſiue ſubſtantialis: ſi non manet, impertinens fuit calorem priùs produci, qui nunquam igni coexiſtit, & ita in illum influere non poteſt, nihil enim influit in aliud, quod ſimul cum illo non exiſtit. Si dicas calorem non exiſtentem præceſſiſſe conducere ad productionem ignis, quia ſubiectum diſpoſitum relinquit, quod Thomiſtæ vocant materiam ſigillatam permanere, ſanè ſubiectum aliquod fateris quod diſpoſitum permaneat, & ſit ſigillatum ad formam ignis, quod nos probare contendimus, admiſſo enim aliquo ſubiecto facilè conuincitur illud debere eſſe primum, vel aliud primum ſupponere, ne in infinitum proceſſus admittatur

7 Confirmat àliter eandem concluſionem eadem corruptio formarum facta ad introductionem alterius: quando producitur forma ignis non deſtruitur totum, quod eſſet in ligno; ergo datur aliquod commune ligno, & igni, in quo forma ignis recipiatur. Antecedens ſuprà probatum, alio modo probo, vt eiuſdem conſequentis nouam conſequentiam eliciam. Forma ignis deſtruere non poteſt ſubiectum in quo recipitur neceſſariò ſupponitur ad ſui productionem, & conſeruationem: ergo illud in quo recipitur forma ignis remanet: ſed illud erat in ligno corrupto: ergo aliquid, quod erat in ligno permanet in igne, quod eſt ſubiectum in quo ignis forma recipitur: Præceſſiſſe in ligno, illud in quo recipitur forma ignis, ſic probo: forma ignis produci nequit non præſuppoſito ligno: ergo illo indiget, vt in aliquo illius recipiatur, præcisè enim deſtructio ligni nihil poſſet conducere ad productionem ignis, nullam enim connexionem, neque dependentiam immediatam habere poteſt entitas poſitiua ignis à negatione ligni. Diſcurſum corroborat viuentis nutritio. Homo quando per corruptionem alimenti fit maior, vel ſibi vnit aliquid alimenti, quod ex illo non corrumpatur, vel totum quod erat in alimento deſtruit. Si primum dicas: ergo datur aliquod commune ſubiectum formæ alimenti corruptæ; & formæ hominis, quia per nutritionem ad illud extenditur. Secundum, ſcilicet, totum augmentum, & quidquid ſubſtantiæ erat in illo corrumpi, dici nequit, quia præcisè per corruptionem alimenti viuens non poteſt fieri maius, quia non eſſe alimenti, quod ponitur per illius corruptionem, formaliter non ſpectat ad conſtitutionem viuentis, neque per illud hoc poteſt accreſcere, aliàs accreſceret per negationem productionis alimenti, ex vi cuius eadem negatio ponitur, quæ per corruptionem poneretur; negatio enim productionis, & corruptio intrinſecè non diſtinguuntur.

Quidam neotericus Complutenſis affirmat: materiam primam nec de potentia Dei abſoluta poſſe eſſe ſine forma, me pro oppoſita ſententia refert, aſſeritque me defendere de facto aliquando exiſtere ſine forma ex defectu diſpoſitionum. Hic eſſe manifeſtam impoſturam me legenti dubium non erit, cùm expreſſe dixerim formam eſſe velle materiam primam ſemel informatam aliqua forma ſubſtantiali non poſſe naturaliter permanere abſque vlla forma. Videamus modò, quid contra ea, quæ aſſero, & contra id, quod falsò mihi imponit, ille inuenerit. 8 *Prado 1. part Contr. 2. Art. 5.*

Arguit primò: magis dependet materia à forma, quàm ab accidentibus, ſed non poteſt exiſtere ſine accidentibus: ergo nec ſine forma. Inſtaui hoc argumentum: Anima rationalis non poteſt exiſtere ſine præſentia, tamen poteſt exiſtere ſine materia: ergo non bene infertur ex eo, quòd materia non poſſit exiſtere, ſine accidentibus quod non poſſit ſine forma.

Rurſus reſpondi diſparem eſſe rationem, quia materia per ſimplicem emanationem producit ſuam præſentiam, & ita ſemper eſt in actu primo ad illam producendam, & in actum ſecundum erumpit, formam verò non recipit, niſi dependenter ab alijs principiis actiuis, quæ ſi abſint, vel ſi non influunt materia formam recipere non poterit. 9

Solutionem hanc intendit impugnare ex eo quòd materia prima non ſit principium actiuum præſentiæ alius vt accidentis, inſuper quia ſi eſſet principium actiuum accidentium eſſet principium actiuum ſaltem inadæquatum formæ ſubſtantialis. Materiam primam non eſſe productiuam ſuæ præſentiæ probare non potuit hic Author, & eſt valde commune in ſcholis, quamlibet entitatem productiuam eſſe ſuæ præſentiæ, dicere autem materiam primam eſſe principium actiuum, vel inadæquatum formæ ſubſtantialis paradoxum eſt inauditum inter Authores claſſicos: ſed finge eſſe principium inadæquatum formæ, dum abſint alia comprincipia actiua inadæquata perinde erit in ordine ad illam producendam, ac ſi nullam virtutem adæquatam haberet. Demum, etſi materia prima non ſit principium actiuum ſuæ præſentiæ, ſaltem illi debitæ independenter à quolibet alio, quod ſufficiet, vt naturaliter materia ſine præſentia non ſit, vt eam ſemper habeat ſaltem à Deo productam. Cur autem ſupernaturaliter ſine præſentia eſſe non poſſint, alij viderint, ego enim defendo poſſe ſupernaturaliter quamlibet entitatem omni vbicatione carere. Hoc autem aſſerere neceſſarium mihi non eſt, quia rationes, quæ pro inſeparabilitate cuiuſlibet entitatis ab aliqua præſentia adducuntur, nullo modo propugnant inſeparabilitatem materiæ à forma, ac proinde illis inſpectis facile ex eiſdem diſparitatis caput dignoſcetur. 10

Inſtat inſuper: materiam primam non poſſe eſſe naturaliter ſine primis qualitatibus, quæ non producuntur per ſimplicem emanationem: ſed dependenter ab alijs extrinſecis principiis. Reſpondeo caſu, quo materia produceretur ſine primis qualitatibus eam informantibus, aut modò ſupernaturaliter illis omnibus priuaretur, materialiter, ſine illis fore conſeruandam, ſemel tamen cum illis productam non poſſe naturaliter illis carere, quia non deperditur vna qualitas, niſi per aduentum alterius illam expellentis. Idem aſſero de formis ſubſtantialibus, etſi de illis non poſſit ita efficaciter probari, quia difficile impugnabitur, qui aſſeret formam ſubſtantialem corrumpi ex defectu diſpoſitionum abſque aduentu alterius. 11

Inſtat, omnis locus naturaliter eſt repletus corpore: ergo attento materiæ ordine omnis materia eſt informata aliqua forma. Concedo conſequens, quod mihi verum, quia tamen ex antecedenti non infertur, nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia in prima creatione mundi totum 12

totum ſpatium, quod eſt intra lunæ concauum tantùm fuit repletum corpore quantatiuo, cum verò quantitas, & materia prima non corrumpantur naturaliter ſemper remanent occupantia idem ſpatium. Quod ſi aliquando hoc corpus condenſetur tunc aliud rareſit, & ſic ſemper manet totum ſpatium occupatum. Deinde neceſſe eſt in rerum natura vacuum non dari, vt vnum corpus medio alio recipiat influxus corporum cœleſtium, quia non poſſet recipere corpus, quod vndique eſſe in vacuo, nec linea recta corpus illud, quæ ſupra ſe ſpatium vacuum haberet etiamſi per latera corporibus aliis cingeretur.

13 Producta tamen materia cum forma, quis defendere poterit poſſe hanc amittere ex defectu diſpoſitionum, abſque eo quod ab alia expellatur, & ita aliquantulum ſine forma permanere, donec ſufficientes diſpoſitiones ad eam recipiendam adueniant. Inſuper naturaliter, ſiue ſupernaturaliter materiam ſine forma eſſe, aut creari contigerit, ſeu contingat, concluſio eſt adhuc in eo caſu naturaliter eſſe conſeruandam. Reſpondet hic Author nunquam materiam ſpoliari quadam forma antequam habeat diſpoſitiones ſufficientes, hoc etſi verum iudico, deberet ille probare. Aſſerui inſuper faciliùs eſſe formam ſine diſpoſitionibus introduci, quàm omni forma carere. Totum hoc gratis dicitur, & contra rationem, quia certum eſt formam non, niſi ad exigentiam diſpoſitionum produci; materiam verò ſine forma non poſſe eſſe vt in quæſtionem vocetur, & nulla poteſt ratione efficaciter ſuaderi & caſu, quo accideret omni forma materiam ſpoliari naturaliter ſine illa conſeruandam eſſe, ſuadet ratio efficax deſumpta ex eo, quòd materia ſit entitas creata dependens vnicè à Deo tanquam à principio efficiendi, & à nullo alio in aliquo genere cauſæ.

14 Rationes quibus Recentior iſte intendit probare materiam nec de potentia Dei abſoluta poſſe exiſtere ſine forma leuis momenti ſunt. Prima eſt, quia materia eſt pura potentia, & nullum habet actum, niſi ratione formæ. Secunda, quia non indeterminata ſpecie, niſi per formam, & nihil poteſt exiſtere, niſi in ſpecie determinata. Tertia eſt, quia materia dependet à forma in genere cauſæ formalis. Ad primam dixi materiam eſſe puram potentiam phyſicam, & habere per ſe ipſam ſuum entitatiuum actum, & exiſtentiam ſecum identificatam, dato tamen quòd non haberet exiſtentiam identificatam, de facto exiſteret per exiſtentiam formæ forma ablata poſſet materiæ dari exiſtentia ſuperaddita diſtincta à forma. Ad ſecūdam dico materiam per ſe ipſam ſpecie diſtingui à forma, & ab alia quacumque entitate, & ita per ſe ipſam habere ſuam ſpeciem inadæquatam, ſeu inadæquatæ entitatis. Vltima ratio continet doctrinam manifeſtè falſam: materia enim eſt ſimplex entitas, & non compoſita ex materia, & forma, & ita non poteſt ab hac dependere in genere cauſæ formalis, hæc enim dependentia eſt propria totius conſtituti per formam.

15 Obiicit ſibi hic Author materiam, & formam produci per diuerſas actiones, ex quo duo inferentur, vnum eſt quamlibet ex vi actionis terminatæ ad ipſam habere ſuam exiſtentiam, ad quam terminatur quælibet actio productiua. Alterum eſt vnam actionem poſſe ſeparari ab alia. Vt huic rationi reſpondeat multa inuoluit implicationibus ſcatentia, dicit materiam, & formam non fieri, ſed totum compoſitum, & ita materiam non creari, ſed concreari, quia non accipit eſſe, ſed ſubeſſe, & ita fieri actione, quâ fit totum, vnde materia non habet eſſe creatum, neque eductum, ſed communicatum per formam, & ſicut non eſt producta, ſed comproducta, ita non eſt exiſtens, ſed coexiſtens. Quanta ſpongia ad hæc exhaurienda hic opus eſt. Si materia, & forma non fiunt, ſed totum compoſitum, eandem dependentiam habebunt materia, & forma, & totum compoſitum; dependentia enim eſt actio: ergo ſi indiuiſibiliter terminant eandem actionem, eandem dependentiam habent: ergo non magis creatur, aut educitur materia quam forma & totum, nec forma, quàm totum, & materia, nec totum, quàm vtraque. Confirmo & explico hanc rationem. Actio, qua producitur totum, vel eſt creatio, vel eductio. Si eſt creatio: ergo materia, forma, & totum, quæ per illammet indiuiſibilem actionem producuntur, creantur. Si eſt eductio: ergo materia, forma & totum educuntur, id enim creatur, quod per creationem producitur, & educitur quod producitur per eductionem.

Dices eandemmet actionem eſſe actionem reſpectu formæ, & creationem reſpectu materiæ. Reſpondeo: implicare eandemmet actionem eſſe creationem reſpectu vnius termini, & eductionem reſpectu alterius, nam eo ipſo, quod ſit eductio reſpectu vnius termini, debet ipſa dependere à ſubiecto, eo ipſo, quòd ipſa dependeat à ſubiecto, ab eodem dependet, quod ex vi illius productum eſt; eatenus enim terminus dependet à ſubiecto, quatenus illius terminus à ſubiecto dependet, aut non dependet, quidquid autem à ſubiecto dependet in genere cauſæ materialis eductum eſt. 16

Inſuper quando per generationem, corrupta forma præexiſtenti, noua alia producitur ab agente naturali, vel hoc agens ſimul conſeruat materiam, & producit formam; vel ſolùm formam producit. Si primum dicatur infertur materiam conſeruari per creationem ab agente naturali, quod implicat. Si ſecundum: ergo iam actio, & forma producuntur per actiones inter ſe adæquatè diſtinctas. Reſpondent Carmelitani Diſcalceat. in Phyſica: materiam petere fieri eadem actione, qua fit, & conſeruatur totum; per accidens tamen poſſe fieri actione peculiari. Contra: ergo iam per accidens habebit ſpecialem exiſtentiam ex vi ſpecialis actionis, qua producitur diſtinctum ab exiſtentia formæ: ergo non eſt illi eſſentiale exiſtere per exiſtentiam formæ. 17

Secundò reſpondet Arauxo lib. 8. Metaph. quæſt. 1. art. 2. in fine, & art. 3. ad 3. num. 10. & 11: & exiſtentiam non eſſe rationem formalem terminandi actionem, ſicuti non eſt ratio formalis conſtituendi rem, ſed tantum conditio. Ita poſſe dari creationem à Deo procedentem, ex vi cuius materia producatur, licèt ex vi illius non habeat exiſtentiam, ſed vi alius actionis, quæ debeat creationem comitari terminatæ ad formam, & ad illius exiſtentiam, ex vi cuius per eandem exiſtentiam materia, & forma conſtituuntur exiſtentes. Doctrinam huius ſolutionis exiſtimo legitimè inferri ex eo, quòd exiſtentia ſit quid ſuperadditum eſſentiæ, aut rei exiſtenti, veruntamen conſequentis falſitas antecedentis falſitatem oſtendit, non enim concipi poteſt, quid præſtet actio creatiua materiæ ad quam terminatur, ſi illi formaliter exiſtentiam non tribuit, nec quid ſit materiam produci, ſi non eſt identicè, & formaliſſimè dari illi exiſtentiam, per productionem enim res producta extra cauſas ponitur, & extrahitur ab ſtatu poſſibilitatis, quod eſt formaliſſimè eſſe exiſtentem. 18

Audiui neſcio quos Thomiſtas aſſerentes per hanc creationem conſtitui terminum in ſtatu quodam reali ad exiſtentiam. Viam ad exiſtentiam libenter vocabo actionem productiuam, veruntamen ex parte termini medium quemdam ſtatum inter poſſibilitatem, & exiſtentiam apprehendi, nec per fictionem ſine repugnantia intellectus non capiet. Inſuper commune eſt inter Thomiſtas productionem cuiuſuis rei ad illius exiſtentiam terminari, in qua placuit Deo, Recentiorem, cum quo ago nobiſcum ſentire. 19

Facilior videtur Recentiori ſolutio alia, quam adducit Ioannes à ſancto Thoma, in Phyſica quæſt. 4. art. 2. videlicet materiam conſeruari eadem actione, qua ipſa, & totum corruptum productum fuit, actio tamen illa conſeruatiua materiæ ceſſauit, quoad aliquem effectum ſui videlicet, quoad conſeruationem formæ productæ, & perſeuerauit quoad conſeruationem materiæ; ſicuti ſi Deus eadem actione conſeruaret Angelum, & eius ſubſiſtentiam, & poſtea natura angelica vniretur perſonæ diuinæ perſeueraret illi actio exercens munus conſeruationis reſpectu naturæ angelicæ, & non reſpectu ſubſiſtentiæ. 20

Doctrina hæc leui opera impugnatur, actio enim quæ ſemel eſt productio, & conſeruatio alicuius termini, non poteſt eadem perſeuerans non eſſe conſeruatio eiuſdem, neque non exercere munus conſeruationis reſpectu eiuſdem, nam cum talis ſit, & tale munus exerceat per ſe ipſum implicat phyſicè eandem perſeuerare, idemque munus non exercere. Exemplum doctrinam non ſuadet, implicat enim propter rationem traditam; ſi enim Angelus & illius ſubſiſtentia per eandem actionem à Deo conſeruaretur, & ſubſiſtentia creata Angeli deperderetur ratione hypoſtaticæ vnionis, aut ex quouis alio capite deficeret antiqua actio, & inciperet noua alia terminata ad naturam angelicam tantùm, vel ad naturam, & nouam vnionem ad Verbum. 21

22 Deinde, & ſi hoc totum admitteretur, quod Philoſophia non permiſit, adhuc argumentum integrum permanebit, quia actio actúſque, quæ tantùm exercerent munus conſeruationis reſpectu materiæ, & noua actio, quæ ad formam denuò genitã terminatur diſtinctæ eſſent, & diſtinctos terminos haberent: ergo actio antiqua terminatur ad exiſtentiam materiæ, & alia noua ad exiſtentiam formæ: ergo materia habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ, quod eſt contra Thomiſtas, & contra hunc, quem impugno eſt, vt ipſe fatetur, dum Carmelitanos impugnat. Admiſsâ iam, hac duplici actione, non poteſt reddi ratio cur hæc iam ſuo termino non poſſit ab illa, & ab illius termino ſeparari, niſi manifeſte petatur principium, dicendo materiam primam non poſſe ſeparari à forma.

23 Redit Recentior iſte ad doctrinam, quam apud Carmelitanos impugnauerat de conſortio duarum actionum inſeparabilium, qua ipſo teſte principium patitur, & non occurritur argumento, quo probetur materiam primam habere exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ.

24 Aſſerit inſuper Deum eadem voluntate, qua decernit eſſe materiam decernere, quòd ſit aſſociata formâ, quod ita vult eſſe, vt primum ſine ſecundo Deus diſcernere non poſſit. Dixi ego poſſe Deum liberè habere hoc decretum non conſeruandi materiam ſine forma, & me reprehendit hic Author, quia ad ea, quæ ſunt cognoſcenda in terra ad cœleſtia recurro, contra illud Sapientiæ 9. *Si ea, quæ in proſpectu noſtro ſunt inuenimus cum labore, quæ in cœlis ſunt, quis inueſtigabit?* Aſſeritque ea, quæ Phyſicè, aut Metaphyſicè tractantur non dependere ex aliquo decreto libero Dei, neque in omnibus recurrendum eſſe ad aſylum ſcientiæ conditionatorum.

25 Quorſum hæc ſcientiæ conditionatorum mentio? ſed quæ animum pungunt non facilè à memoria decidunt. Affectus impugnandi alienam ſententiam in propriæ impugnationem erumpit. Ad cœleſtia, & diuina recurrere admittendo, poſſe aliquando contingere decretum, quod aliter ipſe eſſe non poſſe affirmat defectuoſum eſſe dicit. Decreto iſto libero, quod poſſibile admitto nullo modo indigeo ad meam ſententiam explicandam, & defendendam ſine illo decreto, quod iſte Author de facto eſſe dicit, illius opinio ſubſiſtere non poſſet, attendat ille & iudicent alij, quis magis intra Philoſophiæ terminos ſe contineat, & quis magis ad cœleſtia recurrat vt terrena explicet.

26 Rurſus ex corruptione vnius formæ ad introductionem alterius, expulſionem ab aliquo communi ſubiecto efficaciter infero. Si non daretur aliquod commune ſubiectum formæ ligni, & formæ ignis, ad productionem huius, non illa corrumperetur; Sed corrumpitur: ergo datur ſubiectum aliquod vtrique commune. Maiorem probo: cætera patent. Forma ligni non opponitur cum forma ignis exiſtentis in rerum natura, aliàs per productionem formæ ignis corrumperentur omnes formæ ligni, cùm omnibus enim eandem oppoſitionem habet quælibet ignis forma: ergo ex eo quod producatur forma ignis non corrumpetur forma ligni, ſi aliquod ſubiectum commune vtraque forma non reſpiciat in ordine ad quod ſit vtriuſque oppoſitio, & repugnantia. Reſpondet Antonius Gomeſius in ſua Antoniana Marg. corrumpi vnam formam, vt alteri locum præſtet, quia aduenit nouum corpus, & ſpatium eſt idem, ac antea, & cùm corpus adueniens penetrari non poſſit, cum aliis præexiſtentibus, neceſſum eſt corrumpi corpus illud ſpatium occupans, quod modo occupat corpus denuo productum. Contra; Si formæ tantùm repugnarent in ordine ad locum, forma producta tantùm intenderet remouere à loco præexiſtentem; quam per accidens corrumperet, quia non illi ſpatium ſupereſſet, quod occuparet, ſine quo ſubſiſtere non poterat: ergo ſicuti corpus cùm per impulſum eiicitur à loco, quem occupat, imprimit impulſum corpori immediato, vt illi locum præſtet ſimiliter quando forma cadaueris adueniret, forma equi, quæ à loco pellitur, intenderet occupare ſpatium corporis immediati, & hoc aliud immediatum ſpatium, & ſic omnia corpora inter ſe ceſſabunt, vt quodlibet ſuum locum retineat, debiliúſque vincetur, cuius locum occupabit corpus immediatum, & ſic omnia recedent, vt nouum corpus locum habeat, incorruptúmque permanebit corpus quod occupabat ſpatium acquiſitum à corpore adueniente, acquireret enim ſpatium aliud, quod ratione corporis debilioris expulſi ſupereſt.

27 Vltimò concluſionem hanc ſuadet vſus Eccleſiæ, quæ reliquias Sanctorum veneratur, quia ſub illarum materia fuerunt beatorum animæ: aliàs ſi nihil ſanctorum in illis permaneret nullâ ratione eſſent veneratione dignæ, quod hæreticum eſt, & contra rationis lumen; quod barbaras adhuc rationes edocuit magno honore afficere corpora ſuorum virorum illuſtrium. Promiſcuè probaui ex productione formarum accidentalium & ſubſtantialium dari aliquod primum ſubiectum, quodque ex alteratione accidentali, & productione formæ ſubſtantialis deducitur, vtraque enim æquè conuincit dari aliquod ſubiectum, quo dato, infertur illud ſubiectum, vel aliud, quod ad ipſum ſupponatur eſſe primum. Rurſus hoc primum ſubiectum eſſe ſubſtantiam facilè oſtenditur. Primum ſubiectum non ſupponit aliud, neque alicui innititur, neque ordinatur ad aliud quòd præſupponatur ad ipſum: ergo non eſt accidens, quod eſſentialiter ſupponit ſubſtantiam, ad quam ordinetur: ergo eſt ſubſtantia. Ex quo euidenter infero dari primum ſubiectum ſubſtantiale formarum ſiue accidentalium, ſiue ſubſtantialium. Infertur etiam ex præiactis, hoc ſubiectum, tale eſſe reſpectu formæ ligni, & formæ ignis, & omnium formarum, quæ mutua corruptione, & productione impugnantur. An verò hoc ſubiectum in ſe contineat formas ſubſtantiales, definiri certò nequit, quouſque probemus formas conſtituentes compoſita, quæ mutua corruptione, & productione agi videmus, ſubſtantiales eſſe, quod ſi ſimul ſtatuatur extra controuerſiam erit, hoc primum ſubiectum habitudinem dicere ad formas, non ſolùm accidentales, ſed etiam ſubſtantiales, quas in ſe contineat; id præſtabo Controuerſia 3.

Ex ratione primi ſubiecti materiæ incorruptibilitas 28
nobis innoteſcit, quia nulla poteſt dari cauſa creata exigens corruptionem illius, cùm enim ſubiectum non habeat, non poteſt eſſe incompoſſibile cum alia entitate in ordine ad ſubiectum, neque aliam incompoſſibilitatem habere: Quia omnis incompoſſibilitas in ordine ad ſubiectum deſumitur, quod autem cum nulla entitate incompoſſibilitatem habet, cum omnibus eſt compoſſibile, & à nulla poteſt corrumpi, quia nulla entitas poteſt corrumpi ab illa cum qua eſt compoſſibilis. Neque dici poteſt materiam primam corruptibilem eſſe, quia abſque vllo contrario deficit, ex eo quod non petat perpetuò durare, ſed per certum tempus, quo tranſacto, illius eſt adimpleta exigentia, & ex defectu exigentiæ ad vlteriorem durationem deficit, quia hoc deſinendi genus tantùm accidentibus valde imperfectis tribuitur, & adhuc in his dari non certum eſt apud omnes.

Infertur etiam materiam primam eſſe ſimplicem enti- 29
tatem, hoc eſt, non compoſitam ex ſubiecto, & formâ, quia cùm ipſa primum ſit ſubiectum non debet formaliter conſtitui per formam, quæ ſubiectum ſupponit, quod ſi entitas, quæ formam ligni recipit, eſſet compoſita ex duabus partibus eſſentialibus, quarum vna ſupponeretur ad aliam, non ſecundùm ſe totam, materia prima diceretur, ſed ſecundùm illam partem, quæ ad alteram ſupponeretur, quæ eſſet primum ſubiectum. Lege Soar. diſp. 13. Metaphyſicæ ſect. 3. & me vide Controuerſia 3. Puncto 1. vbi probabo formam cuiuſcumque compoſiti ſimplicem eſſe ſupponentem ſimplex ſubiectum.

Probauimus iam dari materiam primam; illius defini- 30
tio petenda eſt ex Ariſt. 1. Phyſ. c. 9. vbi illam his tradidit verbis: Materia prima, *eſt primum cuiuſque ſubiectum, è quo quidpiam eo fit pacto, vt non per accidens inſit.* Subiectum ſe habet loco generis: particula *primum* materiam diſcriminat à compoſito, quod ſubiectum dicitur aliquorum accidentium, & à forma, quæ plura recipit, non tamen vt primum ſubiectum, quia materiam reſpicit vt ſubiectum ſaltem informationis: per reliquum definitionis, differt materia ab Angelo, qui eſt primum ſubiectum ſuarum paſſionum, ex quo fiunt: compoſitum autem, quod reſultat, eſt ſecundùm accidens, hoc eſt, accidentale, quia Angelus ſupponitur iam ſubſtantia conſtituta, ante aduentum talis accidentis. Ex quo inferes non plenè demonſtrari exiſtentiam materiæ primæ etiamſi probauerimus eſſe primum ſubiectum, quouſque probemus tale eſſe reſpectu formarum ſubſtantialium, quod euincam Controuerſ. 3. Punct. 1.

Circa hanc definitionem explicandum eſt, quomodo 31
materia ſubiectum formæ dicatur; quam cauſalitatem exerceat circa materiam; quomodo forma ſimul cum materia componat totum, eo pacto, vt non dicatur per accidens ineſſe, & totum accidentale conſtituere, aliáque huiuſmodi,

Digitized by Google

huiuſmodi, quæ hanc Controuerſ. & immediatè venturam adimplebunt.

PVNCTVM II.

An materia prima recipiat formas mediâ potentiâ ſuperadditâ?

1 ALiud eſt materiam eſſe ſubiectum informationis, aliud receptionis, hoc eſt, aliud eſt materiam recipere formam media paſſione tanquam cauſam materialem illius, aliud ſibi formam vnire, materia prima ad vtrumque actum potentiam habet, tum vt formam ſuſtentet, tum vt illam ſibi vniat. De vtraque inquirimus: An diſtinguatur à materia, vel cum illa habeat identitatem. Neque dubium eſt de his potentiis reſpectu formarum accidentalium, non enim dubium eſſe poteſt, materiam primam aliquam formam accidentalem recipere, ſibique immediatè vnire, quia ſi quamlibet formam media alia reciperet in infinitum procedi neceſſum eſſet, ne ad aliquam perueniremus, quæ immediatè materiam attingeret. Certum eſt etiam materiam recipere formas aliquas accidentales mediis aliis ſuperadditis. Si dicamus primas qualitates media quantitate recipere ſibique vniri, trahitur tota diſputatio ad formas ſubſtantiales, de quibus inquirimus an immediatè recipiantur in materia, & illi vniantur; an verò media aliqua potentia ſuperaddita ſubſtantiali, vel accidentali. Neque per ly *mediatè, & immediatè* cauſalitatem, aut negationem illius intelligimus, ſuperſunt enim quæſtiones aliæ ad examinandum; an forma & materia vniantur interiecta vnione diſtincta: Et an forma media receptione ſuperaddita recipiatur. Procedit tantùm quæſtio de potentia media inter materiam, & formam, quæ immediatè attingat cauſalitates, mediis quibus forma vnitur & recipitur.

2 PRIMA CONCLVSIO. Repugnat potentia ſubſtantialis materiam afficiens. Ex hoc infero formam non poſſe recipi in materia neque illi vniri media potentia ſuperaddita ſubſtantiali. Illatio eſt per ſe nota, antecedens ſeu concluſionem propoſitam probo. Omnis potentia ſuperaddita eſſentialiter ſupponit ſubiectum, qui ſuperadditur tanquam radicem illius & propter illud intenditur à natura: ergo non eſt ſubſtantia, ſed accidens: patet conſequentia ex principiis, quæ trado in Metaph. Controuerſ. 6. Punct. 1. vbi probo, conceptum quidditatiuum accidentis eſſe intendi propter aliud, quod ſupponatur ad illud, & conceptum quidditatiuum ſubſtantiæ eſſe non intendi propter aliud, quod ſupponitur ad ipſam, ſed propter ſe, & proter illud; quod intrinſecè conſtituit, quod ſaltem inadæquatè eſt idem cùm ipſa. Ex quo principio integrum, & legitimum diſcurſum conficio: omne illud, quod eſt propter aliud à ſe diſtinctum, quod ad ipſum præſupponatur, eſſentialiter eſt accidens. Omnis potentia ſuperaddita ſubiecto eſt propter ſubiectum diſtinctum ab illa, quod ad ipſam præſupponitur: ergo omnis potentia ſuperaddita ſubiecto eſſentialiter eſt accidens. Maiorem ſtatuam loco citato. Minorem probo. Potentia ſuperaddita ſubiecto datur ſubiecto, vt media illa exerceat actus potentiæ, quos immediatè exercere non poteſt, ergo eſt propter ſubiectum, vt illud potens conſtituat; ergo eſt propter aliquid, quod ſupponatur ad ipſam, quia omne ſubiectum eſſentialiter præſupponitur ad illud, quod illi ſuperadditur.

3 SECVNDA CONCLVSIO. Implicat materiam ſibi vnire formam media potentia accidentali; Probo: omne totum compoſitum immediatè reſultat ex extremis, quæ immediatè, attinguntur per vnionem: ergo ſi forma ſubſtantialis immediatè vniretur potentiæ accidentali, totum, quod conſtitueret forma, immediatè reſultaret ex forma, & ex potentia accidentali: ergo totum illud eſſentialiter includeret tanquam inadæquatum, & materiale ad ſui conſtitutionem potentiam illam accidentalem: ergo totum non eſſet ſubſtantiale, ſed accidentale: probo hanc vltimam conſequentiam: totum ſubſtantiale nihil includit tanquam conſtitutiuum ſui, quod ſubſtantia non ſit, ſed totum illud includeret potentiam illam, quæ non eſſet ſubſtantia, ſed accidens: ergo non eſſet totum ſubſtantiale. Dices, illud totum compoſitum non eſſe conſtituendum per formam, & potentiam, cui immediatè vnitur, ſed per formam, & ſubiectum, quod eſſet radix talis potentiæ. Solutionem impugnat primum antecedens, ex quo totus diſcurſus dimanauit, quod iterum repeto, & probo. Omne totum compoſitum immediatè reſultat ex extremis, quæ immediatè attinguntur per vnionem. En propoſitionem poſitam in capite diſcurſus, tuæ ſolutioni directè oppoſitam. Vide claram illius probationem. Omne totum immediatè reſultat ex partibus, quibus immediatè componitur: omne totum componitur immediatè tanquam ex partibus extremis, quæ immediatè attinguntur per vnionem: ergo omne totum immediatè reſultat ex extremis, quæ immediatè attinguntur per vnionem. Minorem probo. Cætera patent. Vnio eſſentialis compoſiti eſſentialiter reſpicit partes vniendas, tanquam extrema illius: ergo illa quæ reſpicit vnio tanquam extrema illius ſunt partes totius: ergo ex illis tanquam ex partibus totum componitur.

4 TERTIA CONCLVSIO. Formæ ſubſtantiales, quæ de facto ſunt, non recipiuntur in materia media aliqua potentia ſuperaddita: quod ſic probo. Materia prima ex ſe potens eſt recipere formas ſubſtantiales, nulla interiecta potentia: ergo illas recipit abſque potentia aliqua ſuperaddita. Antecedens probo. Materia eſt potens recipere immediatè formas accidentales; ergo ſubſtantiales: Probo conſequentiam: materia primariò ordinatur ad recipiendas formas ſubſtantiales, & ſecundariò ad accidentales: ergo immediatiorem, vel ſaltem æquè immediatum influxum debemus illi concedere reſpectu formarum ſubſtantialium, præcipuè cùm nulla probabilis ratio oppoſitum ſuadeat. Confirmatur: Potentia illa accidentalis ſuperaddita, quæ daretur, potens eſſet, vt ex illa educerentur immediatè ſubſtantiales formæ: ergo potiori ratione potentiam hanc habebit materia prima, quæ eſt ſubſtantia, maior enim apparet proportio inter ſubiectum eductionis ſubſtantiale, & formam ſubſtantialem educendam, quàm inter ſubiectum accidentale, & ſubſtantialem formam. Denique ex eo ſolùm releganda eſſet talis potentia actu exiſtens, quod neceſſaria non eſt, neque fundamentum aliquod reperitur, quod probabiliter illius exiſtentiam inducat.

5 QVARTO CONCLVSIO. Repugnat formam ſubſtantialem educi ex materia media potentia accidentali. Hanc concluſionem exiſtimo non ita efficaciter poſſe probari, ſicut præcedentem, quia ſi quis diceret poſſe dari formam, quæ immediatè vniretur tantùm materiæ ſubſtantiali, cum qua compoſitum ſubſtantiale conſtitueret, & quæ educeretur ex materia media potentia accidentali, tanquã ex ſubiecto proximo adæquato eductionis, vel tanquam ex ſubiecto inadæquato, quia educeretur immediatè ex ipſa materia, & ex potentia ſuperaddita; exiſtimo difficilè argumento efficaci conuincendum eſſe, quia forma non ex eo, quod educatur ex potentia accidentali, cum illa compoſitum conſtituit, ſi illi non vniatur; & facilè poſſet defendi, formam educi ex potentia accidentali, adæquatè, vel inadæquatè, & vniri tantùm materiæ primæ. Nihilominus in hanc concluſionem trahor, quia eſt valde conſona toti Philoſophiæ, abſque fundamento enim tribuetur accidentibus adhuc innata virtus, vt ex illis poſſit educi ſubſtantialis forma, & proportio fingetur inter accidens, & ſubſtantiam, vt hæc ab illo tanquam à cauſa materiali dependeat. Vrgeo: finis intrinſecus cauſæ materialis eſt, formam ex illa eductam ſibi venire vt conſtituat compoſitum; ſed potentia accidentalis non poteſt ſibi vnire formam ſubſtantialem, neque cum illa compoſitum conſtituere, vt nuper probaui: ergo non poſſet eſſe cauſa materialis illius, quia deficiente fine intrinſeco eductionis, & cauſæ materialis reſpectu alicuius entitatis implicat eductio orta ex illa, & virtus cauſæ materialis in tali entitate reperta. Finem eductionis eſſe vnionem formæ ad ſubiectum, ex quo educitur, probatur tum ex natura cauſæ materialis, quæ eſſentialiter ordinatur ad componendum compoſitum media vnione, tum ex inductione omnium cauſarum materialium quas nouimus, quæ ſibi vniunt formas ex illis eductas: & licet videamus formas vniri ſubiecto, ex quo non educuntur, ſicuti rationalem animum, nunquam tamen vidimus formam educi ex ſubiecto, cui non vniatur.

6 Obiicies primò: Subſtantia producit in genere cauſæ efficientis aliam ſubſtantiam mediis accidentibus, vel ſaltem illam producere poteſt: ergo poterit in genere

Digitized by Google

cauſæ materialis ſubſtantiale ſubiectum media potentia accidentali ſubſtantialem formam recipere. Antecedens probabile eſt valde inter Doctores, ac proinde adhuc qui illud negant, non verè dependenter ab illius falſitate concluſionem hanc defendent, quæ firmiores radices apud omnes habere debet, quàm veritas, vel falſitas antecedentis, quatum vtraque eſt valde probabilis, & plures patronos habet in ſcholis. Reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: diſparitatem non vulgarem ex præmiſſa doctrina facilè oſtendo. Forma ſubſtantialis educta debet conſtituere vnum compoſitum ſubſtantiale,& eſſentiale cum ſubiecto, ex quo educitur; & cum forma ſubſtantialis non poſſit conſtituere vnum compoſitum ſubſtantiale, & eſſentiale cum potentia accidentali, fit non poſſe educi ex illa; effectus verò efficienter productus non debet conſtituere vnum ſubſtantiale, & eſſentiale cum principio effectiuo, à quo producitur, ac proinde, ex hoc capite non repugnat produci ab aliquo accidenti, ſicut repugnat educi.

7 Obiicies ſecundò: Materia prima recipit diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem media quantitate: ergo media eadem debet recipere formam ſubſtantialem. Probo conſequentiam: diſpoſitiones & forma, ad quam diſpoſitiones ordinantur, debent recipi in eodem ſubiecto: ſed diſpoſitiones ad formam recipiuntur in quantitate: ergo & ipſa forma. Reſpondeo, dato primo antecedenti negando conſequentiam, & illius confirmationem, ſufficit enim formam proximè recipi immediatè in ſubiecto, in quo diſpoſitiones media quantitate recipiuntur. Reſpondeo ſecundò, aliter diſtinguendo primum antecedens:diſpoſitiones adæquatæ recipiuntur in materia media quantitate,nego: diſpoſitiones inadæquatæ, hoc eſt, illarum aliquæ, & non omnes recipiuntur in materia media quantitate,concedo. Quia vna ex diſpoſitionibus eſt quantitas, quæ in materia immediatè recipitur, & non media quantitate. Deinde nego conſequentiam. Ad confirmationem Reſpondeo,formam debere recipi in ſubiecto in quo diſpoſitiones omnes recipiuntur, quod tantùm eſt materia prima, quæ ex diſpoſitionibus quantitatem immediatè recipit, & reliquas media quantitate. Quantitas verò, etſi omnes diſpoſitiones à ſe diſtinctas immediatè recipiat,non tamen recipit ſe ipſam, ac proinde neque mediatè, neque immediatè recipit omnes diſpoſitiones.

8 Obiicies tertiò:Diſpoſitiones introductæ in quantitate Euchariſtica ad formam ignis, exigunt formam ignis, ideo enim Deus corruptis accidentibus panis, & productis his diſpoſitionibus efficit formam ignis, quia diſpoſitiones illam exigebant: ſed non exigebant formam, in materia recipiendam,quia non erat:ergo exigebant formam recipiendam in quantitate. Reſpondeo, diſpoſitiones ignis introductas in quantitate exigere formam ignis in materia, quã ex ſe naturaliter exiſtentem ſupponunt, etſi per accidens non exiſtat, defectus enim materiæ per accidens eſt in ordine ad diſpoſitiones, cùm ipſæ ex natura ſua materiam ſupponant, ac proinde ex natura ſua petunt produci formam in materia,quam ex ſe ſupponunt, & petunt ratione quantitatis illam exigentis non à priori, ſed à poſteriori tanquam effectus,quia illa petit dependere.

9 Hæc reſolutio impugnationem habet, quæ ſi efficax eſt, viam aliam oſtendit, vt prædicto argumento ſatisfaciamus. Diſpoſitiones adæquatæ ad formam ſunt accidentia in quantitate recepta,& ipſa quantitas.Rurſus hæ diſpoſitiones ſubiectum debent afficere, vt illud diſponant, & exigant productionem formæ: ergo donec quantitas afficiat materiam, non illam diſponit, neque exigit formam produci in illa: ergo etiamſi quatenus eſt ex ſe quantitas materiam ſupponat, hoc eſt, illam exigat, dum tamen in actu ſecundo materiam non afficit, non materiam diſponit, neque exigit productionem formæ. Propter hanc rationem aliter res componi poteſt hac ratione. Chriſtus ex ſua voluntate inſtituit, vt tantùm duraret miraculum Euchariſticum, quandiu accidentia panis permanerent incorrupta. Ex quo fit his deficientibus deficere corpus Chriſti, non formaliter ex aduentu alius ſubſtantiæ, ſed ex defectu accidentium, quibus annexa erat Euchariſtica Chriſti præſentia. In hoc priori naturæ in quo deficit corpus Chriſti, adhuc accidentia, quibus corrupta fuerunt accidentia panis,non immediatè exigunt productionem formæ ignis, quia nondum habent ſubiectum, quod diſponant,& cui exigant formam producendam, ſed tantùm exigunt ratione quantitatis productionem materiæ, quam Deus in alio naturæ ſigno, & in eodem temporis inſtanti, in quo defecit corpus Chriſti producit per creationem, quã productã, ſuccedit aliud ſignum, quo quantitas materiæ primæ iam productæ à Deo vnitur, & in illa recipitur, in quo ſigno ſunt diſpoſitiones formæ ignis in ſubiecto, illúdque diſponunt, & exigunt productionem formæ ignis, quam Deus in alio ſigno naturæ, in eodem inſtanti temporis producit ad exigentiam diſpoſitionum, quæ iam priùs natura, quàm forma ignis producatur,ſubiectum afficiunt.

Obiicies quartò: Non repugnat accidens recipere formam ſubſtantialem, ex eo quod ſit imperfectius ſubſtantia quia materia prima ſubſtantialis eſt etiam imperfectior forma ſubſtantiali, quam recipit: ergo ex nullo capite repugnat. Reſpondeo repugnantiam ad recipiendam formam ſubſtantialem non oriri præcisè ex eo, quod accidens ſit imperfectius ſubſtantia, ſicuti in Angelo, ex quo repugnat educi formam ſubſtantialem, non propter minorem perfectionem Angeli, qui longè perfectior eſt forma ſubſtantiali; ſed tota repugnantia tam in Angelo, quàm in accidenti, oritur ex improportione, quam habent, vt ex illis forma ſubſtantialis educatur. Si roges, ex quo capite nobis hæc improportio innoteſcat, te mittam iterum lecturum omnia, quæ in probationem huius concluſionis, in hoc Puncto ſcripta relinquo. 10

PVNCTVM III.

De eſſentia metaphyſica materiæ primæ.

QVæſtio hæc inter Recentiores noſtræ Societatis nata eſt, & adulta, vix enim illam attigère antiqui Doctores, & nullus ſub his expreſſis terminis,quibus modò agitatur; quod ſi plura apud illos de eſſentia materiæ inueniantur, omnia de eſſentia materiæ phyſicè ſumpta, hoc eſt, de prædicatis illis, quæ materiæ per ſuam entitatem conueniebant, & cum illa phyſicè erant identificata dicta ſunt. Modò inquiritur ex prædicatis, quæ materia prima habet per ſuammet entitatem, omni ſuperaddito ſecluſo, quæ metaphyſicè loquendo, primam eſſentiam materiæ conſtituant, ita vt præciſis reliquis, tota ratio materiæ perſeueret, ſicuti in homine permanentibus his prædicatis *animal rationale*, ſecluſis aliis cum illis identificatis, permaneret tota ratio hominis conſtitutiua, & aliquo illorum dempto, etſi reliqua permaneant, non poteſt homo formaliter mente concipi. Procedit quæſtio non ſolùm de materia prima, quæ de facto exiſtit, ſed de materia prima: vt ſic, hoc eſt, de conceptu communi omni materiæ primæ exiſtenti, & poſſibili. 1

Sententiam iſtam ſuo de more impugnare intendit Complutenſis quidam,& primùm me impetit authoritate venerabilis Thomæ de Kempis, ſed his, quæ ad rem non ſunt, reſpondendum non eſt; vult imprimis ſuppoſitum quæſtionis deſtruere, aſſeritque in rebus ſimplicibus eandem eſſe eſſentiàm phyſicam, ac Metaphyſicam. Non potuit non legiſſe Recentior iſte plures Theologos diſputantes de conceptu quidditatiuo conſtituente diuinam eſſentiam, quorum nonnulli dicunt eſſe ens à ſe, alij ſumme intellectiuum, alij in ipſa intellectione infinita Dei eſſentiam conſtituunt, alij prædicatum volitiui, alij etiam ipſam volitionem volunt intrare conſtitutiuum eſſentiæ omneſque fatentur, hac præciſione metaphyſica præciſa, omnia attributa Dei, & omnia prædicata Deo intrinſeca æqualiter illi conuenire, & phyſicè loquendo omnia ad realem eſſentiam Dei à parte rei conuenire, quia omnia ſunt inter ſe identificata, & vnum ſimpliciſſimum ens conſtituunt.Sed quid in hoc immoror, vt iſte me impugnet, id aſſerere, quod ab ipſo impugnandum eſt non recuſat. Eandem quæſtionem, quam ego hîc tracto de materia prima,diſputat ipſe lib.2.Logicæ quæſt. 14. de quantitate, vbi poſtquam plura prædicata in quantitate agnoſcit identificata, inquit, quod illorum ſit eſſentiæ quantitatis conſtitutiuum, à quo reliqua dimanare intelligentur, quantitas autem entitas ſimplex eſt, ſicuti materia prima. 2 *Prado 1. p. Contro. 2. art. 9.*

Deinde Recentior iſte quæſtionem impugnandam ſuſcepit, quam non attigit. Quæſtionem ego inſtituo de conſtitutiuo materiæ primæ abſtrahentis ab hac materia, quæ 3

de

Digitized by Google

de facto datur, & ab alia quarumcumque poſſibili ſpecie diſtincta qualē eſſe materiam primam cœlorum non pauci probabiliter ſentiunt, hic autem Author tantùm agit de materia, quæ de facto datur. Quod ſi ſentiret poſſibilem non eſſe materiam aliam ſpecie diſtinctam ab iſto, hoc debuiſſet probare, vel ſaltem aſſerere. Deinde qua ratione probari poterit; poſſibilem non eſſe materiam aliam paucïorum formarum receptiuam, aliámve, ex qua non poſſent formæ deduci, ſed reſpectu omnium, quibus poſſet informari, & eodem modo ſe haberet, quo de facto ſe habet materia prima, quæ de facto datur, à qua materias illas ſpecie diſtinguendas eſſe dubitare non licet.

4 Deinde, vt diſputationem perturbet hic Author negat diſtinctionem inter informationem, & receptionem, & materiam primam vult eſſe potentiam paſſiuam reſpectu animæ rationalis, quæ manifeſtè ſunt falſa, nam receptio eſt paſſio identificata cum eductione, quam non exercet materia reſpectu animæ rationalis, quæ informatur. Deinde potentia paſſiua dicitur reſpectu paſſionis identificatæ cum generatione, ſeu eductione, quæ in materia prima reſpectu rationalis animæ agnoſci non poteſt, niſi illam creari denegetur, quod nefas eſſet. Vult etiam materiam primam priorem eſſe forma prioritate naturæ in genere ſubiecti, qua illam materializat. Huc vſque cauſalitatem in genere ſubiecti diſtinctam à cauſalitate in genere cauſæ materialis cum paſſione identificata Philoſophi non cognouerunt, & cum nec prioritas alia naturæ admittenda eſt, hæc autem materiæ primæ reſpectu rationalis animæ, ſalua illius creatione, conuenire non poteſt. Dicere autem materiam materializare formam ſunt verba ad rem non pertinentia, quia tantùm important materiam cum anima rationali componere quoddam totum materiale, & vnionem animæ ad materiam in cauſa eſſe, vt anima non, niſi dependenter à materia dum eſt vnita valeat operari. Recurrit tandem iſte ad prioritatem temporis, quam habet materia reſpectu formæ, hæc tamen prioritas eſt omnino accidentalis, & extrinſeca reſpectu materiæ, etſi enim materia priùs tempore fuerit producta, nihil prohibebit vtramque in eodem inſtanti temporis creari, ſicut materia, & forma cœlorum in eodem temporis inſtanti fuerunt productæ.

§. I.

An potentia receptiua formarum, & vnionum media paſſione ſit de eſſentia metaphyſica materiæ primæ?

5 PRæ oculis ſemper habenda eſt diſtinctio, quam ſemel, & iterum explicaui, ſubiecti inhæſionis, & informationis. Subiectum inhæſionis eſt quod recipit formam, & illam patitur, & formaliter paſſiuum dicitur. Subiectum informationis eſt, quod informatur forma, media vnione, quæ informatio dicitur, ſiue forma recipiatur in ſubiecto media inhæſione, ſiue creetur, hoc enim eſt per accidens & informationis ſubiectum.

6 P. Soar. 1. Metaph. diſp. 13. ſect. 8. paſſim docere videtur materiam primam reſpicere formas, vt educibiles ab illa. Sed an de eſſentia phyſica, Metaphyſica loquatur, incertum eſt. Clariùs Hurtad. diſp. 2. ſect. 2. §. 19. de eſſentia metaphyſica diſputans, potentiam hanc formarum receptiuam ad eſſentiam materiæ pertinere affirmat. Plerique recentiores tenent eſſentiam materiæ non dicere potentiam receptiuam reſpectu formarum, ſecus reſpectu vnionum, quas eſſentialiter reſpicit, vt ab illa educibiles.

7 PRIMA CONCLVSIO: Eſſentia materiæ primæ abſtrahens à materia, quæ de facto datur, & à reliquis poſſibilibus, non dicit potentiam receptiuam formarum, neque vnionem, media paſſione: ita ſapientiſſimi recentiores, quibus authoritatis multum defero. Probo hanc concluſionem. Primò, de potentia receptiua reſpectu formarum; poteſt dari materia, quæ non ſit receptiua formarum, cum quibus poteſt diuerſa tota componere: ergo potentia receptiua reſpectu formarum non eſt de eſſentia materiæ primæ. Antecedens probo: materia prima, quæ de facto datur, non eſt receptiua animæ rationalis, & verè habet rationem partis materialis, & materiæ primæ reſpectu hominis, quem ſimul cum anima rationali componit: ergo ſi daretur pars quædam eſſentialis (non dico quamdam materiam, ne videar ſupponere exiſtentiam ſubiecti, quod aduerſarij repugnare defendunt) quæ ita ſe haberet reſpectu omnium compoſitionum, ſicuti materia prima ſe habet reſpectu hominis, verè eſſet pars materialis illorum & propriiſſimè materia prima diceretur, non enim magis requiritur, vt pars eſſentialis conſtituatur materia prima reſpectu cuiuſcumque alius compoſiti, quàm reſpectu hominis.

Eamdem concluſionem tam reſpectu formarum, quàm vnionum ſic probo. Tam formæ, quàm vniones ſaltem de potentia abſoluta poſſunt creari, & in materia media paſſione non recipi; de formis id nullus negat, de vnionibus negandum non eſſe probabo in Metaphyſicis, quod Hurtad. fatetur. Creata forma, & vnione cuiuſcumque compoſiti, eſſentialiter, non ſolùm metaphyſicè, ſed etiam phyſicè, idem omnino permaneret, quia compoſitum tantùm dicit materiam, formam, & vnionem, & hoc numero compoſitum, hanc numero materiam, hanc formam, & hanc vnionem: ergo producta eadem forma, & eadem vnione reſpiciente eandem materiam, permaneret idem numero compoſitum, & eandem numero compoſitionem haberet, quod negabit nullus. Ex hoc principio, ſic infero: materia vnita formæ creatæ per vnionem creatam, abſque vlla receptione actuali, æquè componit compoſitum, ac ſi talem receptionem haberet; ergo receptio actualis non pertinet ad compoſitionem actualem; ergo hoc, quod eſt actu materiam per modum partis materialis componere totum, non dicit receptionem aliquam formæ, aut vnionis: eſt per ſe nota illatio: ergo poſſe componere per modum partis materialis non dicit potentiam ad receptionem: Probo conſequentiam: poſſe componere per modum partis materialis tantùm dicit id, quod ſupponitur per modum actus primi formaliter ad compoſitionem actualem per modum partis materialis: ſed compoſitio actualis per modum partis materialis, non ſupponit potentiam recipiendi: ergo neque poſſe componere per modum partis materialis. Compoſitionem actualem per modum partis materialis non ſupponere potentiam ſic probo. Compoſitio actualis conſiſtit tantùm, vt iam probaui, in terminatione actuali vnionis: ergo tantùm ſupponit ex parte principij potentiam terminandi, & non potentiam recipiendi. Probo conſequentiam; terminatio actualis vnionis, & receptio eiuſdem ſeu formæ ſunt actus eſſentialiter diſtincti, & diuerſo modo reſpicientes principia: ergo terminatio actualis vnionis, quæ eſt formaliter compoſitio per modum partis materialis, non ſupponit potentiam eductiuam: ergo poſſe componere per modum partis materialis formaliter non dicit poſſe recipere: ergo conceptus materiæ primæ non dicit potentiam receptiuam. Probo conſequentiam. Totus conceptus materiæ primæ metaphyſicè ſumptæ conſiſtit in hoc quod eſt poſſe componere per modum partis materialis. Sed poſſe componere per modum partis materialis, non dicit poſſe recipere formam neque vnionem: ergo totus conceptus materiæ primæ ſumptæ metaphyſicè non dicit poſſe formam neque vnionem recipere. Maiorem nullus poteſt negare, quia in hoc quod eſt poſſe componere per modum partis materialis includitur ratio partis eſſentialis communis cum forma, & differentialis per quam differt à forma, quæ componit per modum partis formalis. Minorem, cui totus hic diſcurſus innititur latè ſuprà probaui: conſequentia eſt legitima. 8

Rationem totam multis iam explicatam, paucis cinctam accipe. Conceptus adæquatus materiæ primæ eſt poſſe componere per modum partis materialis: ſed poſſe componere per modum partis materialis non dicit potentiam receptiuam: ergo conceptus materiæ primæ non dicit potentiam receptiuam. Minorem probo: componere actu per modum partis materialis, non dicit recipere materiam neque formam: ergo poſſe componere non dicit poſſe recipere materiam neque formam. Probatur conſequentia: actus ſecundus tantùm ſupponit ſuam potentiam formalem, & non potentiam alius actus: ergo componere, ſeu terminare vnionem per modum partis materialis, tantùm ſupponit poſſe componere, & non poſſe recipere, quod eſt potentia ſeu actus primus receptionis diſtinctæ realiter ab actu terminandi per modum partis materialis, & ad aliam potentiam pertinentis. 9

SECVNDA CONCLVSIO. Materia prima, quæ de facto datur non dicit ex conceptu formali talis materiæ in hac ſpecie atoma conſtituta virtutem receptiuam formæ neque vnionis. Concluſio ex rationibus pro præcedenti adductis facilè probatur. Hæc materia quæ de facto datur 10
eandem

Digitized by Google

eandem rationem habet materiæ reſpectu equi cuius formam recipit,& hominis cuius formam non recipit;& eandem haberet, etiamſi non reciperet modum vnionis, eodē enim modo componunt per modum partis materialis vnione creata ac componit modò, vnione educta, & eandem compoſitionem haberet totum: ergo ad hanc ſpeciem atomani compoſitionis non pertinet eductio formæ, neque modi vnionis: ergo ad hanc potentiam componendi ſpeciem infimam à reliquis diſtinctam non pertinet potentia receptiua formæ, neque modi vnionis. Repete diſcurſum pro prima concluſione confectum.

13 Tertia conclvsio. Ad conceptum metaphyſicum materiæ primæ vt ſic, neque huius materiæ, quæ de facto datur, non pertinet potentia recipiendi formas accidentales, neque illas ſibi vniendi. Probo: materia prima tam potentia vnitiua quam receptiua primariò refertur ad formas ſubſtantiales, & ad tota ſubſtantialia per illas conſtituta, & ſecundariò ad formas accidentales: ſed in illo primario conceptu elucet tota ratio adæquata conſtitutiua materiæ, per quam differt à forma, quia omni ſecluſo accidenti, materia diuerſo modo conſtituit totum ſubſtantiale, quàm forma: ergo reſpectus ille poſterior ad formas accidentales non pertinet ad conceptum metaphyſicum materiæ primæ vt ſic, neque materiæ, quæ de facto datur, neque alicuius poſſibilis, quia quæcumque illa ſit, debet primariò reſpectum dicere ad aliquam formam ſubſtātialem,& aliquod totum per illam conſtituendum, in quo reſpectu tota ratio metaphyſica talis materiæ conſtituetur.

14 Probaui potentiam receptiuam formarum, neque vnionum non eſſe de eſſentia materiæ, ſupereſt tamen grauis explicanda difficultas: quomodo materia à forma differat, & per quæ prædicata formaliter conſtituatur in ratione materiæ, quia conceptus terminandi vnionem communis eſt materiæ, & formæ, & ita videtur non poſſe materiam per illum conſtitui: quod aliorum præmiſſis, & impugnatis ſententiis §.2. circa materiæ eſſentiam, §.3. explicabo.

§. II.

Aliorum ſententiæ circa eſſentiam materiæ.

15 SEntiunt multi materiam metaphyſicè conſtitui, & diſtingui à forma per virtutem receptiuam formarum, vel modi vnionis, quos ſatis impugnatos habeo § præcedenti, vbi probaui virtutem receptiuam formarum, aut vnionum non eſſe de eſſentia materiæ metaphyſicè loquendo. Addo quod etiamſi ad illam pertineret virtus receptiua modi vnionis non poſſet eſſe vltima differentia conſtitutiua materiæ, quia poteſt materiæ, & formæ conuenire, multi enim ſatis probabiliter docent modum vnionis recipi in forma, & poſſe dari compoſitum, cuius forma modum vnionis recipiat, certum mihi eſt.

16 Reſpondet Hurtadus diſp. 2. ſect. 2. materiam talem conſtitui, & dici ſubiectum, quia forma illi communicat ſuum effectum formalem, & denominationem dat, ſicut Sapientia conſtituit intellectum ſapientem, & albedo parietem album. Non acquieſco; neque aliquid video, quod rem explicet. Hurtadum impugno. Sicut forma communicat ſuum effectum formalem materiæ, & dicitur informata; ſic materia poteſt dici communicare effectum materialem formæ, & materiatam dici. Ergo non eſt maior communicatio effectuum materiæ ad formam, quàm formæ ad materiam: ergo ex hoc capite hæ entitates inter ſe non differunt. Dices, communicationem eſſe mutuam, diuerſæ tamen rationis, quia forma communicat materiæ eſſe informatam, quem effectum non communicat formæ materia, eſto materiatam illam conſtituat. Contrà: formam communicare materiæ effectum formalem, & illam conſtituere informatam ſupponit iam formam conſtitutā in eſſe formæ & ideo materia hunc effectum non communicat, quia non eſt forma: ergo antequam hunc effectum formalem communicet forma, concipitur iam quaſi illum in ſe habens, & forma conſtituta: per quid ergo forma talis conſtituitur, potenſque effectum formalem communicare.

17 Vrgeo, ex duobus extremis, quorum vnum voces materiam, alterum formam, vtrumque eodem modo terminat vnionem, vtrumque eſt compoſitum eſſentiale, quare ergo hoc, quod formam vocas, effectum formalem communicat alteri, & non alterum huic? quid eſt ſpeciale in his extremis, propter quod vnum effectum formalem communicet alteri, quem alterum illi non communicat? Creſcit difficultas iuxta doctrinam Hurtadi, quem impugno. Aſſerit poſſe dici albedinem parietatam per vnionem ad parietem, ſicuti paries dicitur dealbatus per vnionem ad albedinem: Quare ergo parietem eſſe dealbatum, erit formalis effectus, & albedinem eſſe parietatam effectus formalis non erit. Neque quod addidit Hurtadus de denominatione quidquam lucis habet, quia denominatio ſupponit fundamentum, de quo ego inquiro, quid ſit? prius enim eſt albedinem eſſe formam, quam ſubiectum denominare, ideo enim albedo denominat ſubiectum, quia eſt forma, & ideo ſubiectum non denominat albedinem, quia eſt purum ſubiectum, & non forma. Addo in ſententia Hurtadi, æquè poſſe formam denominari per ſubiectum, quàm ſubiectum per formam, quia vt ex illo referebam, ſicut dicitur paries albus per vnionem ad albedinem, potuit albedo parietata per vnionem ad parietem appellari.

18 Arriaga diſp. 2. ſect. 3. ſubſ. 2. dicit rem eſſe difficiliorem quam aliqui excogitarunt & vix ipſum videre, quid reſpōdere poſſit. Deinde aſſerit, quod quando duo ita inter ſe vniuntur, vt vnum ſe habeat quaſi antecedenter, & præuiſè ad aliud, aliud verò illi ſuperueniat; illud, quod antecedit dicitur recipere; illud verò quod ſuperuenit, recipi, & complere dicitur, ſicut fundamenta, à quibus domus incipit, ædificio ſubiacent. Addit hinc facilè explicari, quomodo materia prima ſit ſubiectum omnium formarum, & non è contrà, quia præſupponitur ipſa materia prius natura ad omnes formas, etiam ad rationalem, non verò è contrà. Propriis verbis Arriagæ ſententiam retuli, propriis iam refello.

19 Tota difficultas huius quæſtionis orta eſt propter animam rationalem, quæ à materia prima non dependet tanquam à ſubiecto inhæſionis; ſi enim dependeret, ſicuti dependet forma equi, non diſtingueremus ſubiectum inhæſionis à ſubiecto informationis. Inquiro ergo quare materia hominis ſe habeat antecedenter, & præuideatur ad animam rationalem, & quare rationalis animus materiæ ſuperuenire dicatur? ſicut enim materia eſt independens à materia, cùm ergo inter ſe ad inuicem non dependeant, neque vnum ſupponatur ad aliud, quo fundamento dicit Arriaga materiam præſupponi ad animam rationalem? Deinde illud, quod addit materiam ſcilicet præſupponi prioritate naturæ ad rationalem animum, falſiſſimum eſt, quia prioritas naturæ eſt prioritas cauſalitatis, & dependentiæ; ſed anima rationalis non dependet à materia: ergo materia non eſt prior natura anima rationali. Prædicatum maioris continet definitionem ſubiecti; conſequentia eſt legitima: minor certiſſima, quia anima rationalis creatur, & non dependet à priori ab aliqua cauſa creata, neque à poſteriori, cùm in ſtatu ſeparationis naturaliter conſeruatur ſine materia. Imò ob hanc rationem forma deberet dici ſubiectum, quia licèt non dependeat à priori à materia, in multorum tamen ſententia dependet à poſteriori, quia poteſt naturaliter ſine aliqua forma conſeruari; ac proinde materia dependet ab anima rationali, ſaltem ſub diſtinctione, ſicut ab aliis, quia ſine aliqua illarum naturaliter conſeruari non poteſt.

20 Reſpondent alij apud Arriagam ſuprà ſubſect. 2. n. 20. materiam primam dici ſubiectum formarum ſubſtantialiū, quia per formam determinatur ad componendum potiùs hominem, quàm leonem, & ad oprationes hominis, vel equi ad quas materia ex ſe eſt indifferens, & ex ſe quaſi informis; forma verò non determinatur per materiam. Ratio eſt, quia forma naturalis per ſuam entitatem eſt determinata ad conſtituendum indiuiduum ſpeciei hominis, & non poteſt per materiam determinari ad conſtituendum equum; ſicuti materia poteſt determinari per formam, vt hominem, ſeu equum conſtituat, quod eſt eſſe ſubiectum informationis.

21 Hanc opinionem rectè impugnat Arriaga, quia ex eo quod poſſit eſſe materia determinata ad hanc ſpecie formam, ſicuti multi de materia cœleſti ſatis probabiliter cenſent: ergo ratio materiæ non conſiſtit in hac indifferentia ad plura compoſita conſtituenda. Dices hanc numero materiam talem non eſſe, ac proinde poſſe ex indifferentia, quam habet, diſtingui à formis. Contrà: ego inquiro conceptum materiæ abſtrahentem ab hac materia, & ab omni alia poſſibili: ergo per hanc indifferentiam conuenientem materiæ: quæ de facto datur, non poteſt quæſtioni fieri

ſatis

ſatis. Si dicas non poſſe dari de potentia Dei abſoluta materiam non indifferentem ad formas diuerſas producendas, id ſanè ſine fundamento contra communem ſententiam negabis.

22 Secundò eandem ſententiam aliter impugno. Poteſt Deus creare formam ſubſtantialem indifferentem, vt vniatur materiis ſpecie diſtinctis, & conſequenter conſtituat compoſita ſpecie diſtincta, ſicuti de facto gratia habitualis, quæ eſt forma accidentalis indifferens eſt ad conſtituenda compoſita accidentalia ſpecie diſtincta, quia indifferens eſt, vt vniatur animæ rationali, & Angelo, & eſt compoſitum ſpecie diſtinctum; quod reſultat ex anima rationali,& gratia, ab illo, quod reſultat ex Angelo, eademque gratia, compoſita enim ex diuerſitate eſſentiali, cuiuſcumque partis eſſentialis, ſicuti eſt ſubiectum, diuerſam ſortiuntur eſſentiam: ergo ratio conſtitutiua materiæ non conſiſtit in hac differentia, quæ etiam formæ conuenire poteſt.

23 Dices, gratiam habitualem ſemper conſtituere gratum ſubiectum ſiue Angelum, ſiue rationalem animum, ac proinde per ſe eſſe determinatam ad eundem effectum formalem ſubiecto præſtandum. Contrà: diuerſum gratum conſtituitur ex gratia habituali, & anima rationali, ac ex eadem gratia & Michaele: ergo diuerſum effectum formalem tribuit forma ſecundùm ſubiectorum diuerſitatem. Antecedens probo: gratum eſſentialiter dicit duo, ſubiectum, & formam, vtrumque eſſentiale concreto, cuius eſſentia ab vtriuſque eſſentia,& vnione non diſtinguitur: ergo quodcumque illorum ſit ſpecie diſtinctum, compoſitum illam diuerſitatem in ſe habebit, quia habet omnia prædicata, quæ in illius partibus tam materiali, quam formali includuntur: ergo ex diuerſitate ſubiecti, quod gratum denominatur, rectè infertur diuerſitas huius concreti, ſeu compoſiti grati: ergo diuerſitas effectus formalis prouenientis à forma, qui nihil aliud eſt, quam totum compoſitum per illam conſtitutum.

24 Sapientiſſimi Magiſtri è noſtris docuere, non eſſe de eſſentia materiæ primæ virtutem receptiuam formarum, neque terminatiuam vnionis, ad illam, ſed tantùm conſtitui per principium paſſiuum operatiuum compoſiti, & formam per principium actiuum earumdem. Diſplicet hæc ſententia in primis, quia negat potentiam quam habet materia, vt formæ vniatur, eſſe de illius eſſentia, quod falſum eſſe facilè probo. Materia prima vt materia prima formaliter ſumpta eſt pars materialis compoſiti: ſed pars, vt pars eſſentialiter dicit ordinem ad totum componendum, & ad illius compoſitionem, ſeu vnionem terminandam altera comparte: ergo materia prima, vt materia prima eſſentialiter dicit reſpectum ad vnionem, virtutémque terminatiuam illius. Dicunt virtutem hanc communem eſſe materiæ & formæ. Sed quid inde? animal commune eſt homini,& equo: ergo non eſt eſſentiale equo: malè inferes. Secundò aſſignabo terminabilitatem vnionis propriam materiæ, quæ formæ non ſit communis.

25 Diſplicet etiam conſtitutiuum materiæ aſſignatum, quod ſic impugno: Anima rationis eſt principium paſſiuum intellectionum,& volitionum: ergo non eſt proprium materiæ eſſe principium paſſiuum operationum. Reſpondent intellectiones, & volitiones non eſſe operationes compoſiti, ſed animæ, ac proinde etiamſi illarum non ſit principium paſſiuum materia prima, dici poteſt principium paſſiuum operationum compoſiti. Contra: Animus rationalis, vt rationalis eſt, materiæ vnitur, vt oſtendam Controuerſia prima de anima, & dum illi eſt vnitus exercet operationes intelligendi, & amandi dependenter à materia; ergo ſunt operationes totius compoſiti, ſiquidem proueniunt ab anima vt vnit[illegible] . & vt conſtituente compoſitum,& depende[illegible] exercentur. Vrgeo: potentia intellectiua, qu[illegible] independens ſit à materia, & propria ſit animæ, dicitur potentia totius compoſiti; ergo potiori ratione illius operationes dicuntur operationes compoſiti. Probo antecedens: eſſentia hominis eſt eſſe animal rationale: ergo rationale, quod formaliter dicit potentiam ratiocinandi, eſt principium hominis. Quid enim propriùs hominis, quàm illius eſſentia? ergo potentia intellectiua eſt propria hominis: ergo illius actus, qui maiorem dependentiam habent à materia. Neque refert rationale quod eſt eſſentia hominis dicere potentiam formalem, aut radicalem ratiocinandi: ſi enim potentia radicalis ratiocinandi, quæ eſt ipſa anima, propria hominis dicitur potiori iure potentia formalis, quæ ſi à radicali diſtinguitur, eſt animæ ſuperaddita, hominis potentia dici poterit. Mitto in opinione huius Magiſtri, quam ego defendo, non dari potentiam radicalem, ſed animam eſſe potentiam formalem ſuarum operationum, nulla alia potentia ſuperaddita. Rationem à priori doctrinæ quam tradidi ſubiicio. Totum nihil aliud eſt quàm vtraque pars cum vnione, ac proinde nihil habet, quod non habeat ratione partium, cum quibus identificatur, & propter hanc identitatem, ſi anima poteſt intelligere, iure optimo dicitur hominem poſſe intelligere, ſi anima de facto intelligit, eadem ratione dicitur hominem intelligere, quia intelligit id, quod eſt identificatum cum homine.

Eſto tamen, dicantur operationes compoſiti, reliquæ ſenſationes materiales, & non operationes pertinentes potentiam, quæ in ſtatu ſeparationis poteſt operari: ex quo capite probatur ſenſationes brutorum recipi in materia,& non in forma, nullum efficax apud huius ſententiæ patronos lego, & oppoſitam defendam Controuerſ. 3. de Anima Punct. 1. vbi dicam ſenſationes materiales in compoſitis quorum forma eſt materialis, hanc tanquam ſubiectum inhæſionis reſpicere.

26 Recentiores alij ingenio acuti docuere, materiam primā dici ſubiectum, quia eſt radix impenetrationis,& quia forma illi vnitur tanquam impenetrationis radici illam materializanti, formam verò non eſſe radicem impenetrationis, ſed illam habere à materia. Multa occurrunt contrà hunc dicendi modum. Primò, gratis dictum eſt materiam primam, & non formam radicem eſſe impenetrationis, quia impenetratio, ſeu quantitas ſequitur prædicatum corporei, ita vt ſi daretur corpus ſimplex, quod non haberet materiam, neque formam, illud eſſet impenetrabile.

27 Secundò, in multorum opinione, quantitas oritur à toto compoſito,& in illo accipitur, & etiamſi in materia recipiatur, adhuc ſub lite manet, an producatur à materia, vel à forma. Demum etiamſi in materia recipiatur,& producatur ab illa, forma ita exigit quantitatem, vt ad illius exigentiam, ſi forma virtutem actiuam non haberet, Deus produceret quantitatem, quia forma corporea exigit tanquam diſpoſitionem quantitatem, & quia anima eſt actus corporis phyſici, & organici, & deorganizationem exigit, quæ eſſentialiter includit quantitatem. Vltimò probabo Controuerſ. 5. non repugnare compoſitum eſſentiale conſtans materia, & forma ſpirituali, quod neque ratione materiæ, neque ratione formæ eſſet impenetrabile.

§. III.

Propria ſententia.

28 REiectis aliorum ſententiis, alius ſupereſt nobis dicendi modus. Aſſero materiam formaliter dicere partem eſſentialem compoſiti perfectibilem per aliam compartem media vnione, formamque ex conceptu quidditatiuo habere eſſe partem eſſentialem compoſiti, vel naturæ perficientem aliam compartem media vnione. En conceptum materiæ, & formæ ſubſtantialis, explico per ordinem ad compoſitum, ad quod vtraque primariò,& per ſe ordinatur, & per virtutem terminatiuam vnionis diuerſam formaliter in materia, & in forma, quia virtus terminatiua vnionis in materia reſpicit vnionem tanquam extremum perfectibile,& de facto perficitur per formam media terminatione actuali; ſeu media vnione. Virtus autem terminatiua vnionis in forma reſpicit vnionem tanquam extremum perfectiuum,& de facto perfecturum materiam media terminatione actuali, ſeu media vnione ipſius formæ ad materiam. Hucvſque tota antiquitas meam ſententiam nobilitat. Eſt enim vna antiquorum vox, materiam eſſe quid perfectibile per formam, & in hunc ſenſum materiam quid informe appellabant, ita omnes Philoſophi tam Peripatetici, quàm Platonici. Peripateticorum Dux Ariſtoteles id tradit 1. Phyſic. cap. 1. text. 69. vbi materiam primam quidpiam informe appellat 1. de Generat. cap. 2. text. 17. vbi ſtatuit materiæ primæ eſſentiam in potentia ſitam eſſe. Idem teſtatur Plato in Timæo, vbi materiam primam gremium ſiue conceptaculum omnis ſpeciei, & qualitatis expers appellat. Longum eſſet referre alios plurimos ex antiquis apud quos idem loquendi modus ſemper inualuit, & inter Thomiſtas nihil frequentius, quàm

materiæ

materiæ potentialitas, & perfectibilitas actuanda, & perficienda per formam. Voces apud multos inuenimus, quibus materiæ eſſentia ſignificetur, quid tamen rei ſub illis contineatur, profectò explicatu facile non eſt: id ego explicare conabor.

29 In primis ſuppono materiam intrinſecè, hoc eſt, ſecundùm ſuam entitatem, & ſecundùm ſua prædicata eſſentialia non perfici per formam: neque formam per materiam, quia quælibet habet ſuam entitatem diſtinctam ab alia cum omni perfectione pertinente ad ſui conſtitutionem. Suppono ſecundò formam non ordinari primariò ex ſe ad dandam materiæ perfectionem, vt ipſa materia perfecta ſit, & propter ipſam materiam, aliàs forma ſubſtantialis non eſſet ſubſtantia, ſed accidens, quidquid enim eſt propter aliud, quod ad illud ſupponitur rationem habet conſtitutiuam accidentis, repugnantem cum conſtitutiuo ſubſtantiæ, quod eſt eſſe per ſe, hoc eſt, intentum eſſe propter ſe, & non propter aliud, quod ad ipſum opponatur. Tertiò ſuppono materiam & formam ordinari per ſe ad compoſitum quod nemo negabit, neque probatione indiget. Quartò ſuppono ex paſſionibus, & proprietatibus quaſdam conuenire compoſito ratione formæ, aliàs ratione materiæ, ratione formæ dicitur homo rationalis, & ratione materiæ dicitur corporeus. Vltimò ſuppono omnes proprietates, quæ tribuuntur toti compoſito, & illud denominant aliquo modo tribui cuicumque parti incluſæ in illo, licèt immediatè ratione ſui non conueniat, quod ſic probo. Cùm dicimus *homo eſt rationalis* potentia ratiocinandi de aliquo inadæquatè diſtincto ab anima prædicatur, diuerſæ enim ſunt prædicationes iſtæ *anima*, ſeu *forma hominis eſt rationalis, & homo eſt rationalis*, aliquid enim additur ex parte ſubiecti cùm dicimus *homo eſt rationalis*, quod non eſt in hac prædicatione *anima eſt rationalis*, id verò quod additur eſt materia: ergo potentia ratiocinandi, quæ tantùm conuenit homini ratione formæ, aliquo modo prædicatur de materia. Idem dico in hac prædicatione, in qua dicitur homo eſt compoſitum materiale, in quo materialitas, prædicatur de toto compoſito, & conſequenter de omnibus partibus, quas includit, quæ ab illo non diſtinguuntur, & tantùm ratione materiæ & non ratione animæ, quæ immaterialis eſt materialitas homini conuenit. Hæc omnia exiſtimo certiſſima apud omnes eſſe debere.

30 Ex his infero, inter extrema, quorum neutrum ordinatur ad perfectionem intrinſecam alterius, qualia ſunt materia, & forma, illud extremum, quod ratione alterius à ſe diſtincti habet nobiliora prædicata, & perfectiores proprietates quaſi paſſiuè communicat, dici perfectibile ab altero, & per hanc rationem conſtitui in ratione materiæ. Illud verò, quod ratione ſui habet in compoſito nobiliora prædicata, & ea quaſi actiuè communicat alteri extremo, dicitur illud perficere, & per hanc rationem conſtituitur in ratione formæ, quæ eſt perfectio, & pulchritudo compoſiti, & conſequenter alius compartis, de quo modo ſuprà explicato aliqua ratione dicitur quidquid de toto compoſito prædicatur. Cùm verò omnia compoſita ſubſtantialia vix prædicatum aliquod habeant ratione ſubiecti communis, quod non participent ratione alius compartis, ratione cuius plura participat prædicata, quæ ratione ſubiecti communis non haberent, fit quod ſubiectum commune dicatur perfici ratione prædicatorum, quæ in toto participat ab altera comparte, ratione cuius participationis conſtituitur ſubiectum informationis, & per aliam compartem informatum, & compars alia cuius ſunt propria prædicata, plura & nobiliora, quæ in ſubiecto reperiuntur, illius forma, ſpecies, pulchritudo, & perfectio, qua totum, & alia compars in toto perficitur iure dicitur.

31 Rem declarabit exemplum: homo dicitur præſens, durans, exiſtens, relatus: hæc omnia prædicata æquè propria ſunt materiæ, & formæ, ſicut enim formæ proprior præſentia correſpondet, ſic materiæ & ſic de omnibus de duratione, &c. dicitur potens videre, potens audire, intelligere, amare, ſe progreſſiuè mouere: Hæc omnia prædicata habet totum ratione formæ, quæ eſt principium illorum, illaque toti communicat in toto alteri comparti modo ſuprà explicato. Dicitur materiale compoſitum, quod prædicatum habet homo ratione materiæ, quæ materialis eſt. Dicitur quantus per quantitatem ſuperadditam, quæ forſan æquè conuenit homini ratione materiæ, & ratione formæ, propter rationes, quas n. 22. expendebam: Propter hanc rationem rationalis anima forma dicitur, & ſubiectum commune materia appellatur. Idem ſentio in quocumque alio compoſito poſſibili, etiamſi illius partes determinatæ ſint ad mutuam vnionem, ita vt neutra poſſit alteri ſpecie diſtinctæ vniri, ſicuti de materia, & forma cœli plures ſentiunt in quibus compoſitis extremum illud forma dicetur, quod nobiliora, pluraque prædicata toti communicat, & alterum quod pauciora, & ignobiliora, materia dicitur. In compoſitis accidentalibus aliter perfectio accidentalis formæ explicanda eſt, quod controuerſia proximè ventura præſtabo.

Totam hanc doctrinam confirmo ratione à priori deſumpta ex natura partium eſſentialium compoſiti, quarum 32 totum ſuum eſſe eſt ad totum componendum, quod præſtant per communicationem propriæ entitatis, quam quaſi toti tradunt per vnionem per quam fiunt entitates totius: ergo materia, quæ per omnia prædicata intrinſeca, quæ in ſe habet, terminat vnionem ad formam, ſe totam, & omnia prædicata illius toti exhibet; formáque per mutuam terminationem vnionis, totam ſuam entitatem toti committit, in quo vtraque pars mutuò prædicata alterius participat, & per illa perficitur: ergo illa quæ abſolutè plura, & nobiliora prædicata ab alia paſſiuè communicat abſolutè per illam vnionem, tanquam per cauſalitatem & per aliam compartem tanquam per formam perfecta euadet; alteráque, quæ quaſi actiuè eadem prædicata communicauit ſuæ comparti in toto, perfectio totius, & ſuæ compartis dicetur ratione cuius ſpecies, pulchritudo, formaque compoſiti, & alterius compartis dicenda eſt.

Obiicies: ſequi ex dictis quod ſi forma ſubſtantialis v.g. 33 equi vniretur alteri extremo, nobiliori cum quo totum eſſentiale conſtitueret, quod illud nobiliora prædicata toti adduceret, ex quo infertur rationem partis formalis in forma equi intrinſecam non eſſe. Reſpondeo conditionalem eſſe veram, Sequelam verò falſam, quia implicat purificatio conditionis, forma enim equi tantùm poteſt eſſentialiter vniri materiæ quæ de facto datur, & ſi alicui eiuſdem ſpeciei vniri poſſet, non ita ab hac differret, vt perfectionem equinæ formæ excederet. Sed demus poſſibilem eſſe vnionem eſſentialem formæ equi ad aliud extremum perfectius forma equina, tunc compoſitum illud eſſet ſpecie diſtinctum ab equo, qui modò eſt, cuius pars materialis eſſet extremum illud, quod modò eſt forma equi, quia reſpectu illius compartis perfectioris perfectibile eſſet. Neque ex hoc infertur rationem formæ extrinſecam eſſe, quia in illo caſu hæc forma, quæ modò eſt forma equi, intrinſecè haberet rationem formæ in ordine ad hoc compoſitum, ſcilicet equum, & intrinſecè haberet rationem materiæ in ordine ad aliud, quod reſultaret ex ipſa entitate, quæ modò eſt forma equi, & ex alia comparte eſſentiali, quæ plura, & nobiliora prædicata, ſecum afferret. Dubitabis, quid fieret ſi vnirentur duo extrema æque perfecta, quorum vtrumque per ſe ſumptum, tot, & æquè perfecta prædicata toti communicaret? Quod ſoluam Controu. 5. Punct. 4.

PVNCTVM IV.

De Appetitu materiæ ad formas ſubſtantiales.

IN re purè metaphorica, quæ non naturæ regulis, ſed tantùm laxa quadam ſimilitudine præſcribi poteſt, facile 1 cuique eſt iuxta proprium arbitrium rem componere, ideò difficilius aliquid dicere, quod omnibus arrideat. Præmittam nonnulla de appetitu, & deueniam poſtea ad ſpecialem materiæ appetitum.

§. I.

Nonnulla de appetitu præmittuntur.

APpetitus, omni metaphora ſecluſa, eſt actus volitiuæ 2 potentiæ, quo fertur, & propendet in bonum ſibi media cognitione propoſitum: vnde appetitus tantùm in viuentibus ſenſitiuis inuenitur, materialis in purè ſenſitiuis: ſpiritualis in rationalibus: materialis, & ſpiritualis in homine, qui eſt viuens ſenſitiuum rationale. Ex his viuentibus per tranſlationem actu appetitus de potentiis naturalibus dictus

Digitized by Google

dictus eſt, ſicut enim viuens fertur in obiectum per actum ſuperadditum, & elicitum (ratione cuius appetitus dicitur elicitus) ſic inanimatæ potentiæ feruntur in obiecta ſibi conuenientia per propriam, & innatam propenſionem, quâ ratione appetitus innatus dicitur: ſic terra deorſum, & ignis ſurſum fertur. Appetitus hic non diſtinguitur ab ipſa potentia, quæ per ſe ipſam eſt propenſa & inclinata ad actū, ita PP. Conimbr. 1. phyſic. c. 9. quæſt. 5. & communiter Doctores, qui de hac re diſputant. Ratio eſt, quia appetitus conſiſtit in propoſitione, pondere ad obiectum appetitum, ſed potentia ad aliquem effectum habet ſecum identificatam propenſionem, & pondus ad obiectum: ergo habet identificatum non ſolùm principium appetitum; ſed etiam ipſum actum appetendi.

3 Dupliciter poteſt conſiderari potentia in ordine ad ſuos effectus: primò ſecundùm ſuam entitatem, & virtutem præciſam à reliquis circunſtantiis, quæ requiruntur ad effectum producendum: ſecundò iam in actu primo conſtituta ad effectum producendum per conſortium circunſtantiarum, & comprincipiorum, quæ ad effectum requiruntur. Hoc ſecundo modo conſtituta eſt proximè potens ad ſuos effectus producendos, primo modo tantùm eſt potens remotè, quia entitas ſecundùm ſe ſine aliis circunſtantiis requiſitis, nihil abſolute producere poteſt, v. g. ignis ſine applicatione ad paſſum non poteſt calorem producere. Ex hoc inferunt docti recentiores virtutes appetitiuas tantùm appetere effectum, quando in actu primo ſunt proximè potentes illum efficere, non verò quando ſunt ſine aliis circunſtantiis ſine quibus non valent in effectum prorumpere, quia appetere eſt exigere, nulla autem entitas habet exigentiam ad aliquem effectum in illo ſtatu, in quo non poteſt illum exhibere in aliquo genere cauſæ. Ex quo inferunt materiam nudam omni diſpoſitione, nullam appetere formam, quia nullam poteſt recipere, & diſpoſitionibus ad formam hominis informatam, non appetere formam equi, quia illam non poteſt recipere dum diſpoſitionibus ad formam hominis occupatur.

4 Inficias ire non potero diuerſam exigentiam dari ad effectum, quando iam cauſa ita eſt in actu primo conſtituta ad illum, & quando tantùm ſupponitur ſecundùm ſuam entitatem, ratione cuius dicam lib. 2. Controu. 6. Punct. 3. tantùm dari violentiam contra virtutem in actu primo conſtitutam, non verò contra entitatem cauſæ exiſtentem. ſine aliquo ex prærequiſitis ad operandum: non tamen ideo dicendum exiſtimo, virtutem productiuam effectus appetitum ad illum non habere, quouſque ſit in actu primo ad illum, ſufficit enim ad appetitum metaphoricum conſtituendum cauſam ſecundùm ſuam entitatem reſpicientem effectum contentum in ſua virtute, quem produceret ſi haberet omnia requiſita ad illum, quia ex ſua natura & quatenus eſt ex ſe, eſt determinata ad tales effectus producendos, quia illis indiget ad ſui perfectionem, quos ſi non producit, ideo eſt, quia illi deficiunt reliqua ad talem effectum prærequiſita. Probo hanc concluſionem omnium ferè Philoſophorum plauſu, qui vno ore affirmant, materiam appetitum habere ad omnes formas, quibus caret, in quibus non pauci corruptas etiam includunt. Ideo antiqui materiam primam adulteram vocabant, quia dum ſuo gremio formam hanc fouet, aliam appetit, & conſequenter deſtructionem huius machinatur. Ratione eandem concluſionem probo. Appetitus materiæ (& ſic omnium cauſarum) innatus, & intrinſecus dicitur: ergo conſiſtit in entitate intrinſeca cauſæ: ergo ab illo ſeparari nequit: ergo non dicit virtutem cum omnibus in actu primo conſtitutis; aliàs appetitus formaliter conſiſteret in entitate intrinſeca cauſæ, & in aliis quæ illam circunſtant, & ita ſaltem inadæquatè ab ipſa cauſa diſtingueretur.

5 Confirmo eandem concluſionem; exigentia, quæ eſt reſpectu formæ producendæ, quando eſt materia prima cum omnibus ſuis diſpoſitionibus, formaliter conſiſtit ſaltem inadæquatè in ipſis diſpoſitionibus, quæ formaliter exigunt productionem formæ: ergo ſi actus appetitus conſiſtit in hac exigentia: Actus appetitus non eſt adæquatè innatus, & intrinſecus materiæ primæ; ſed præcipuè conſiſtit in ipſis diſpoſitionibus, quæ exigunt formæ productionem. Vrgeo argumento deſumpto ad hominem contra ipſos recentiores. Appetitus vt ipſi tradunt ex P. Vaſq. 1. 2. diſp. 22. cap. 2. num. 8. & 9. & Arrubale 1. p. diſp. 2. c. 2. conſiſtit in relatione tranſcendentali potentiæ ad effectum: ſed relatio tranſcendentalis conſiſtit in entitate cauſæ ſecundùm ſe ſumpta: ergo appetitus conſiſtit in entitate cauſæ ſecundùm ſe ſumpta, ſecluſis aliis, quæ pertinent ad conſtitutionem adæquatam actus primi.

Cæterùm cùm exigentia ad effectum ſit appetitus ad illum, & neceſſum ſit aliquam exigentiam admitti in actu primo adæquato, quæ non ſit in entitate intrinſeca cauſæ ſecundùm ſe præciſe ſumpta non poteſt non admitti aliquis appetitus ad effectum innatus actui primo adæquato, qui non conueniat entitati cauſæ præciſè ſumptæ. Ob id ego duplicem appetitum diſtinguerem; alium efficacem conſiſtentem in actu primo adæquato reſpectu effectus; qui neceſſariò infertur ex illo (loquor de appetitu actus primi virtutis non liberæ, ſed neceſſariò operantis; alium appetitum efficacem vocarem, qui conſiſtit in entitate intrinſeca cauſæ ſecundùm ſe ſumptæ: hunc efficacem appello, quia abſque vlla violentia propria, & ſtricta poteſt non coniungi cùm re appetita: & illum efficacem, quia non niſi per impedimentum violentiam inferens poteſt non coniungi cum obiecto appetito. Diſtinguuntur hi appetitus tanquam includens, & incluſum, appetitus enim efficax qui conſiſtit in actu primo adæquato ad effectum, includit efficacem, quem conſtituit in virtute intrinſecâ cauſæ ex qua, & ex aliis comprincipiis, & circunſtantiis actus primus adæquatus componitur. Eſt inſuper alia differentia in his appetitibus inſpicienda. Appetitus efficax eſt practicus, ex vi cuius exercetur effectus, qui virtutem productiuam determinat vt talem edat effectum, appetitus verò inefficax practicus non eſt, quia ex vi illius neque cauſa determinatur, neque determinari poteſt ad effectum producendum. Sicut enim in actibus appetitus eliciti; illum actum practicum vocamus, qui virtutem executricem determinat ad operationem imperatam, v. g. deambulationem extremam, & illum ſpeculatiuum dicimus, qui nihil influit in effectum, ſicuti deſiderium, quod ego habeo pluuiæ venturæ, ſic in appetitu rebus innato philoſophandum. 6

Venio iam ad explicanda obiecta vtriuſque appetitus. 7
Appetitus inefficax vnus ſe tenet ex parte principij productiui qui reſpicit effectus omnes, quos in ſe cōtinet, quos ſimul appetit ſimultate ſe tenente ex parte potentiæ, producendos tamen non omnes ſimul ſed illos qui ſecundùm virtutē cauſæ ſimul poſſunt ab illa pendere, neque reliquos ſucceſſiuè abſolutè producere appetit, ſed tantùm caſu quo ceſſet à productione, & conſeruatione horum, ſicuti de materia prima reſpectu formarum dicam poſtea, dicitur tamen omnes appetere, quia ex omnibus appetit producere hos, vel illos, plures, vel pauciores ſecundùm maiorem vel minorem virtutem quam habet cauſa ad plures vel pauciores effectus ſimul producendos. Exempli gratia, poteſt hæc cauſa producere ſucceſſiuè finitos, aut infinitos effectus, & ſimul tantùm quatuor, cauſa illa ſimul appetit producere omnes ſimultate ſe tenente ex parte appetitus, & tantùm quatuor ſimul ſimultate ſe tenente ex parte obiecti, & reliquos tantùm caſu quo ceſſet à productione & conſeruatione horum, quibus eſt ſatiatus appetitus cauſæ, qui exercet totum id, quod poteſt, Ratio eſt facilis: cauſa appetit producere effectus, quos poteſt: poteſt omnes producere: ergo appetit omnium productionem: potentia ad omnes eſt ſimul: ergo appetitus ad omnes ex parte actus erit ſimul: tantùm poteſt quatuor ſimul producere, ſimultate ſe tenente ex parte effectuum, & reliquos caſu, quo ceſſet à conſeruatione horum: ergo id ſolum appetit.

Appetitus ſe tenens ex parte materiæ eſt duplex in ordi- 8
ne ad duplicem terminum diſtinctum, vnus ad formas recipiendas in genere cauſæ materialis, quæ importat in materia virtutem receptiuam illarum. Alter eſt ad formas ſibi vniendas, qui ex parte materiæ dicit virtutem terminatiuam vnionis, & virtutem cauſandi intrinſecè totum eo modo, quo pars componens cauſa intrinſeca dicitur. Hunc appetitum ad totum potius quam ad formam dicerem, quia reſpicit totum tanquam effectum, & vnionem tanquam cauſalitatem, non formæ, ſed totius. Hic appetitus ſiue ad formas ſiue ad tota dicatur, reſpicit omnes formas, ſiue omnia tota, quæ poteſt materia ſibi vnire & cōponere, quia materia ex ſe potens eſt omnes formas ſibi vnire, & omnia tota componere, qui appetitus ex parte potentiæ eſt ad omnia extrema, non vt omnia acquirat, ſed vt ex omnibus aliquod illorum obtineat, & ita dicitur ad ſingula ſub conditione, ſiue ad omnia diſiunctiuè modo

explicando, Neque materia prima appetit duas formas ſubſtantiales ſibi ſimul vnire, & duo tota ſubſtantialia componere, quia etiamſi præciſè ex parte materiæ nulla ſit repugnantia, vt dicam Cont.8. punct.2. repugnat tamen naturaliter ratione incompoſſibilitatis formarum, & diſpoſitionum.

9 Appetitus efficax ſeu actus primus iterum duplex eſt, vnus ſe tenens ex parte principij, alter ex parte materiæ. De vtriuſque terminis ſic rem digero: Appetitus ſeu actus primus efficax ſemper reſpicit ſpeciem determinatam termini, de quo nullus dubitat, reſpicit etiam terminum indiuiduum, iuxta opinionem, quæ effectuum indiuiduationem circunſtantiis temporis, loci, talis agentis, & paſſi attribuit, quia ſecundùm hanc ſententiam virtus actiua conſtitutiua in actu primo, in hoc tempore, & loco, cum approximatione ad hoc agens tantùm eſt potens producere effectum illum, quem illæ circunſtantiæ determinant, & tantùm eſt ad illum in actu primo, & illum ſolum, & non alium intendere poteſt.

10 In opinione, quæ determinationem indiuiduorum cauſæ primæ concedit, cenſent graues Magiſtri; cauſam eſſe in actu primo ad omnia indiuidua illius ſpeciei, ſub diſiunctione producenda, ſcilicet æquè petere productionem omnium hanc, vel illam exercendam. Alia mihi mens eſt adhuc in hac ſententia, exiſtimo enim cauſam tantùm eſſe in actu primo proximo ad illud indiuiduum, quod producit, & non ad aliud eiuſdem ſpeciei, & ita tantùm appetere efficaciter illud indiuiduum, quod producit, & aliud ſub diſtinctione. Duo principia ad hanc concluſionem ſtatuendam, mihi ſumam, vtrumque proprio loco probandum; Primum, virtutem actiuam creatam non eſſe in actu primo, quouſque Deus applicet ſuam omnipotentiam ad concurrendam cum illa, quod probabo 2. Phyſ. Cont.10. Punct.1. Secundum: Deum determinare effectuum indiuiduationem applicando ſuam omnipotentiam ad hunc effectum producendum, & non aliũ, quod probabo Cont.10. Punct. 2. Ex quibus principiis ſic arguo: Principium effectiuum tantùm eſt in actu primo ad illum effectum producendum, ad quem habet omnipotentiam applicatam: ſed quando Deus determinat indiuiduationem effectus tantùm applicat ſuam omnipotentiam ad illum effectum, & non ad aliũ eiuſdem ſpeciei, quod recentiores cum quibus agimus defendunt aſſerentes per applicationem omnipotentiæ ad hoc indiuiduum producendum, & non ad aliud determinari à Deo illius indiuiduam entitatem: ergo quando Deus determinat hoc numero indiuiduum producendum virtus creata tantùm eſt in actu primo ad illud: ergo non habet appetitum efficacem ad aliud.

11 De actu primo paſſiuo tenente ſe ex parte materiæ aliter ſentio. Affirmo materiam primam diſpoſitam ad recipiendam & vniendam aliquam formam efficaciter appetere formas omnes illius ſpeciei. Ratio eſt, quia diſpoſitiones ex ſe non exigunt hanc numero formam, potiùs quàm illam, neque ex parte paſſi requiritur ſpecialis aliqua applicatio omnipotentiæ, per quam paſſum in actu primo conſtituatur, quia omnipotentia tantùm actiuè, & non paſſiuè concurrit: ergo tantùm requiritur ad conſtituendum actum primum actiuum, non verò paſſiuum aut determinatiuum vnionis ad formam: ergo ratione omnipotentiæ actus primus paſſiuus non determinatur ad aliquam formam indiuidualem, ſed alias ex ſe ad omnes ſubdiſiunctiones, quia materia diſpoſita quatenus eſt ex ſe non potiùs petit hanc formam, quàm illam: ergo abſolutè talis appetitus tenens ſe ex parte actus primi paſſiui, ſeu terminatiui vnionis ad formas, eſt ad omnes, vnam, vel alteram ſub diſiunctione vniendam.

12 Dices actum primum paſſiuum determinari ratione actus primi actiui; quia id exigit materia proximè, & efficaciter, quod agens poteſt producere: Sed agens tantùm poteſt producere formam indiuiduam ad quam eſt in actu primo: ergo materia tantùm exigit illam formam indiuiduam. Reſpondeo materiam primam diſpoſitam ad formã ignis independenter ab applicatione cuiuſuis agentis naturalis conſtituti in actu primo ad recipiendam formam ignis, illámque efficaciter exigere, ſiue ab agenti naturali, ſiue à Deo producendam, quia quotieſcumque materia eſt vltimò diſpoſita ad formam, illam efficaciter exigit, & obtinet, etiamſi nullum ſit agens naturale quod illam poſſit producere, vt patet in productione formarum viuentium, quæ ad exigentiam materiæ diſpoſitæ à Deo producuntur: ex quo fit materiam diſpoſitam ad formam, non magis exigere formam productam ab agente naturali, etiamſi hoc ſit applicatum, quàm à Deo, cui incumbit mediatè, vel immediatè formam producere in materia diſpoſita, & ita materia diſpoſita ad formam ignis, etiamſi habeat ignem applicatum, non determinatè exigit recipere formam illam indiuiduam, quam poteſt ignis producere, ſed illam vel aliam ex innumeris eiuſdem ſpeciei, quas producere poteſt, quas omnes ſub diſiunctione appetit, quod ſi ſemper recipiat illam, quam agens naturale poteſt producere, hoc non oritur ex indigentia materiæ præciſè, ſed quia materiæ exigentia illa forma eſt contenta, & agens naturale applicatum illam producere exigit. Ad argumentum in forma reſpondeo; Id exigit materia quod agens poteſt producere, diſtinguo maiorem; id ſolum quod agens naturale poteſt producere, nego maiorem: quod poteſt producere agens naturale, vel Deus ad exigentiam materiæ diſpoſitæ, concedo maiorem: ſed agens tantùm poteſt producere formam indiuiduam: diſtinguo eodem modo: agens naturale & Deus à quibus æquè materia exigit formam, nego: agens naturale tantùm, tranſeat: deinde nego conſequentiam.

Poſtquàm hæc ſcripſeram, totam doctrinam traditam inueni apud Noſt. Albert. t.2. diſp.3. de Prædic. ſubſt. q.2. n. 26. Vbi duplicem aſſignat appetitum innatum, vnum qui eſt per indifferentiam, quo dicitur materiam primam appetere omnes formas, qui à materia nullo modo diſtinguitur, & contra quem non datur violentia. Alium appetitum appellat per qualitatem ſuperadditam ad talem, vel talem formam, ſicuti materia affecta ſiccitate, & caliditate vt octo, dicitur inclinari ad formam ignis. En duplicem appetitum quem ego aſſignaui. Appetitus per indifferentiam, quem habet materia ad omnes formas, & ab illa non diſtinguitur, eſt appetitus, quem ego inefficacem appellaui. Appetitus per qualitatem ſuperadditam eſt appetitus quem dixi efficacem eſſe & addere ſupra materiam primam diſpoſitiones ad formam appetitam. 13

§. II.

De differentia inter appetitum deſiderij & complacentiæ.

IN appetitu elicito duplex diſtinguitur actus; vnus deſiderij & alius complacentiæ. Vulgò dicitur appetitus deſiderij qui fertur in obiectum abſens; & complacentiæ, qui tendit in obiectum præſens. Rem hanc ſapientiſſimi recẽtiores illuſtrant, aſſerũntque appetitum deſiderij non ſupponere obiectum non exiſtens in illo inſtanti temporis, ſed poſſe voluntatem ferri in obiectum actu exiſtens appetitu deſiderij, cùm enim quis actionem aliquam externam liberè exercet, actio illa in illo inſtanti, in quo liberè exercetur, oritur ex intentione efficaci illam exercendi, quæ intentio in ſe imbibitam habet rationem deſiderij, ac proinde oritur ex deſiderio illi coexiſtenti: ergo deſiderium, & res deſiderata, ſicut intentio, & res intenta coëxiſtere poſſunt: ergo deſiderium poteſt eſſe de obiecto actu exiſtenti: ergo non rectè explicatur ratio deſiderij per abſentiam obiecti. Deſiderium affirmant hi recentiores eſſe actum, qui fertur in rem abſtrahentem, id eſt, non provt exercitam, vel factam, ſed tantùm in illam provt repræſentatur ſecundùm ſe conueniens. Complacentiam dicunt reſpicere iam factam, vel poſſeſſam. Affirmant inſuper ad deſiderium requiri cognitionem repræſentantem rem, vt factibilem, & mouentem ad effectionem rei. Ex quo inferunt deſiderium, cùm non ſupponat rem iam factam, eſſe principium morale illius effectionis; Complacentia autem cùm ſupponat rem extra cauſas nullo modo poteſt eſſe principium illius. 14

Ex hoc inferunt cauſas nunquam habere appetitum complacentiæ, ſed tantùm deſiderij reſpectu effectuum, nam ſi cauſa haberet appetitum complacentiæ, maximè reſpectu effectus, quem iam producit, ſed reſpectu illius, quem producit, non eſt appetitus complacentiæ, quia ille appetitus tendit in productionem illius, quam non ſupponit, ſed reſpicit vt effectum, quia cauſa nunquam efficit id, quod ſupponit, neque intendit producere, quod iam eſt productum; complacentia autem eſſentialiter ſupponit obiectum vt productum, & vt poſſeſſum. Circa effectum vt productum in inſtanti temporis præcedenti nihil efficit, neque appetit cauſa: ergo circa illum vt productum tempore præcedenti cauſa nequit habere appetitum complacentiæ, circa illum vt futurum nullus id aſſeruit; ergo cauſa nequit 15

Digitized by Google

nequit habere appetitum complacentiæ circa effectum neque vt præſens, neque præteritum, neque futurum.

16 Non poſſum non mirum horum recentiorum ingenium commendare, in re enim quam omnes maiorum veſtigiis inhærentes prætermiſêre, nouam lucem nobis dedêre; nihilominus (illorum pace dixerim) clariorem credo deſiderari: dabo forſan, quâ difficultas penitus ab omnibus inſpiciatur. In memoriam reuoco diſtinctionem appetitus in practicum & ſpeculatiuum. Practicus appetitus dicitur reſpectu illius obiecti, cuius exequutio dependet ab appetentis actu, ſpeculatiuus reſpectu obiecti, ad cuius executionem impertinens eſt appetentis actus. Certum eſt potentiam appetitiuam ſæpè deſiderare illa, quorum executio omnino eſt independens ab actibus illius, cuius deſiderij obiectum recentiores non explicant, quia hic actus deſiderij non regitur cognitione mouente ad opus, & effectionem, vt ipſi abſolute de omni deſiderio pronunciant. Neque circa hæc obiecta, cuius executio à voluntate non dependet deſiderium dari poteſt in inſtanti in quo exiſtunt, ineptè enim quis diceretur deſiderare pluuiam exiſtentem in illo inſtanti, in quo iam exiſtit, niſi illud deſiderium, ex ignorantia, & errore produceret; idem dico de omnibus aliis obiectis iam productis, & poſſeſſis independenter à deſiderio, circa quæ nemo dicitur deſiderium concipere. Circa illa obiecta cuius exequutio dependet ex meo deſiderio rectè datur deſiderium in illo inſtanti, in quo exiſtunt, vt ipſa exiſtant, quia deſiderio ſecluſo non eſſent ex vi huius cauſalitatis.

17 Ex quo infero rectè explicaſſe recentiores obiectum deſiderij practici, & complacentiæ reſpectu eiuſdem obiecti, deſiderium autem & complacentiam reſpectu actus ſpeculatiui, hoc eſt tendentis circa obiectum, quod independenter ab actu appetentis exercetur, explicari non poſſe, niſi per ordinem ad obiectum abſens, & præſens, ſeu vt abſens, vel præſens cognitum, obiectum enim quod non cognoſcitur vt abſens, non poteſt deſiderari, actu deſiderij ſpeculatiui, neque circa illud poteſt dari actus complacentiæ, niſi formaliter apprehendatur, vt præſens abſolutè. vel conditionatè. Infero ſecundò deſiderium ſpeculatiuum, quod in cauſis dari explicui §. præcedenti ſemper debere eſſe de obiecto abſenti, & appetitum circa idem obiectum iam præſens, & poſſeſſum eſſe complacentiæ, nō enim ex alio capite poteſt diſtingui appetitus complacentiæ, & deſiderij circa obiectum, cuius exequutio non dependet à deſiderio, niſi ex præſentia, vel abſentia obiecti circa quod verſatur vterque actus. De appetitu efficaci qui conſiſtit in actu primo adæquato aſſentior ſapientiſſimis recentioribus aſſerentibus ſemper eſſe appetitum deſiderij, & nunquam complacentiæ, quia ſemper fertur in obiectum, vt faciendum ex vi illius, quod eſt proprium deſiderij & nunquam fertur in illud vt iam factum, quod neceſſarium eſt ad conſtituendum actum complacentiæ.

§. III.

Appetitus materiæ exponuntur.

18 NOn aliis principiis, præter iam tradita, indiget, huius rei adæquata ſolutio, ſed tantùm aliquibus concluſionibus illatis ſpecialiter de appetitu materiæ, ex his, quæ de appetitu omnium cauſarum ſuprà expoſui.

Prima conclvsio: Materia prima nuda omni forma habet appetitum ad omnes ſibi vniendas, ſeu ad omnia tota componenda, ſub diſiunctione, ad hoc vel illud totum ex omnibus, quæ poteſt componere. Probatur hæc concluſio ex natura eiuſdem materiæ, quæ eſt pars incompleta ex ſe ordinata ad totum componendum, non potius ad hoc, quàm ad illud, ex quo infertur appetere totum componere, & propendere in illius compoſitionem, ſicuti omne ens propendet in acquiſitionem illius ad quod ex natura ſua ordinatur, & cùm non magis ordinetur ad componendum hoc totum, quàm illud, non magis appetit hoc, quàm illud componere, ſed æquè omnia ſub diſiunctione, ſcilicet, hoc vel illud ex omnibus. Neque hunc appetitum ſubterfugiunt formæ corruptæ, quia materia prima ex ſe æquè potens eſt ad formas corruptas, & ad alias & æquè contenta eſſet, ſi illarum aliquam per reproductionem reciperet, ac ſi nouam aliam acquireret.

Obicit Arriag. Materia non poteſt habere appetitum ad impoſſibile: ſed impoſſibile eſt materiam recipere formam iam corruptam: ergo non poteſt habere appetitum ad illam. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, materia non poteſt habere appetitum ad quod ex ſe eſt impoſſibile, tranſeat: ad id, quod hic, & nunc eſt impoſſibile per accidens, nego. Et minorem eodem modo diſtinguo: impoſſibile eſt materiam recipere formam corruptam, ex ſuppoſitione quod præceſſerit corruptio formæ, quæ per accidens euenit, concedô; per ſe impoſſibile eſt recipere illam formam, cui accidentaliter corruptio contingit, nego: deinde nego conſequentiam.

Secvnda conclvsio: Materia habet appetitum ad formas recipiendas ſub diſiunctione explicatâ concluſione præcedenti, inſuper ſub diſiunctione rationalis animæ ſibi vniendæ, hoc eſt, habet appetitum ad recipiendam aliquam formam caſu, quo rationalis anima non illi vniatur, quia appetitus rectè cum præcedente explicabitur, ſi dicamus materiam primam appetere vnionem ad animam rationalem, vel vnionem, & receptionem alicuius formæ, ex reliquis, quæ ex illa poſſunt educi. Ratio eſt clara. Materia appetit vnionem formæ materialis, non abſolutè, ſed ſi illi vnienda non eſt forma rationalis: ergo eodem modo appetit receptionem materialis formæ. Probo conſequentiam: eo ipſo quod materia appetat vnionem formæ, appetit id, quod neceſſarium eſt ad vnionem, pro illo euentu, in quo vnionem appetit: Sed eductio formæ materialis eſt neceſſaria ad vnionem eiuſdem: ergo illam appetit materia pro eodem euentu, pro quo appetit vnionem ad eandem formam: Sed tantùm appetit vnionem ad formam materialem ſub diſiunctione rationalis, quod eſt idem ac appetere formam materialem, ſi illi non vniatur rationalis; ergo tantùm appetit cum eadem diſiunctione formam materialem recipiendam, ex eo quod illam ſibi vniendam appetat: ſed non eſt alia ratio, propter quam materia appetat eductionem niſi propter vnionem, quia materia primariò & per ſe ordinatur ad totum componendum, in quo ordine conſiſtit ratio eſſentialis illius conſtitutiua, & ſecundariò ad formam recipiendam. Ideo enim materia recipit formam, vt illam ſibi vniat, non tamen illam ſibi vnit, vt eam recipiat. Sicut enim conceptus primarius materiæ eſt virtus terminatiua vnionis per modum extremi perfectibilis, & ſecundarius virtus receptiua formarum media vnione, ſic primarius appetitus eſt ad formas vniendas, & ſecundarius ad recipiendas ex vniendis illas, quæ ex ipſa poſſunt educi. 19

Tertia conclvsio. Materia prima non appetit omnes formas ſibi vniendas, vel recipiendas ſucceſſiuè. Hæc concluſio eſt contra communem ſententiam, quam veriſſimam eſſe, facilè probo. Materia prima dum habet formam ſubſtantialem ſibi vnitam, cum omnibus requiſitis ad vnionem, habet ſatiatum appetitum, etiamſi perpetuò duret ſub eadem forma: ergo non appetit omnes formas ſucceſſiuè recipiendas, quia ſi hoc appeteret, non eſſet materia contenta exiſtens ſemper cum vnione ad eandem formam, ſed peteret relicta vnione ad hanc formam, quam habet ad aliam tranſire, vt conſequeretur id, quod appetit, videlicet formas omnes ſucceſſiuè pertranſire. Neque ex eo quod materia appetat omnes ſub diſiunctione, hoc eſt, hanc, vel illam ex omnibus infertur appetere omnes ſucceſſiuè, aliud enim eſt materiam primam ſemper habere aliquam formam, aliud habere omnes ſucceſſiuè: primum appetit materia, non ſecundum. 20

Qvarta conclvsio. Materia prima, dum habet formam aliquam, illam appetit appetitu ex ſe inefficaci adæquatè identificato cum ſua entitate, quem nu. 6. explicui, actu complacentiæ, & non deſiderij. Probatur hæc concluſio ex dictis n. 16. & 17. vbi probaui actus deſiderij, & complacentiæ in appetitu inefficaci diſtingui eſſentialiter ex præſentia, & abſentia obiecti, & non poſſe actum deſiderij ferri in obiectum præſens. Secundò, cum iſti affectus ſint non propriè, ſed per metaphoram, & tranſlationem dicti, debent componi ad ſimilitudinem, & æmulationem propriorum actuum: ergo ſicuti potentia volitiua, quæ hos actus propriè exercet, quieſcere, & complacere dicitur per actum elicitum in bono iam poſſeſſo, ſic dicendum eſt de appetitu innato eandem quietem, & complacentiam inuenire in bono iam acquiſito. 21

Obicies contra hanc concluſionem; Materia prima per eundem actum appetit formam ſiue præſentem, ſiue abſentem: Sed abſentem appetit actu deſiderij: ergo eodem actu fertur in præſentem. Maiorem probo: actus appetitus non diſtinguitur ab ipſa materia: ſed materia eſt eadem: ergo actus appetitus eſt idem. Minorem admittunt omnes; 22

conſequentia eſt legitima. Reſpondeo in actu appetitus deſiderij,& complacentiæ duo reperiri, rationem appetitus, & rationem talis appetitus, quæ duo in appetitu elicito, qui verè eſt actus potentiæ appetentis non diſtinguuntur,quia ratio communis, & vniuerſalis à minus vniuerſali, generica videlicet ab ſpecifica, in nullo ente phyſico diſtinguuntur. In actu verò appetitus innati, quem per metaphoram fingimus, etſi cum fundamento in re, diſtinguimus rationem talis appetitus, ratio appetitus non diſtinguitur ab ipſa materia,ratio verò per quam hic appetitus conſtituitur in ratione talis, videlicet deſiderij vel complacentiæ ex præſentia, vel abſentia obiecti diſtincta ab ipſa materia, & ita materia ſemper appetit per eundem actum,quatenus actus habet rationem communem appetitus, non verò quatenus habet rationem talis appetitus, deſiderij videlicet vel complacentiæ.

25 Qvinta conclvsio: In inſtanti in quo materia ſupponitur cùm appetitu complacentiæ ad aliquam formam, nihil appetit appetitu deſiderij pro illo inſtanti: Probo. Si aliquid appeteret maximè formam aliam ſubſtantialem caſu, quo hæc deficeret, ſed implicat ex ſuppoſitione appetitus complacentiæ, qui inuoluit ipſam exiſtentiam formæ, formam deficere: ergo implicat purificatio conditionis, ſub qua alia forma eſſet appetenda: ergo implicat illam appeti ſub conditione, cuius purificationis negatio ſupponitur. Neque refert in appetitu elicito ſemel dari actus inefficaces complacentiæ vel deſiderij de obiectis ſub conditione repugnantibus, quia cum potentia appetitiua indifferentiam habeat ex diuerſarum cognitionum aduentu, poteſt hos diuerſos actus exercere: in appetitu autem innato nullum eſt fundamentum ad hos actus fingendos, neque in illo debemus dare appetitum, qui non feratur in conſequutionem vnici finis,ad quem entitas ex natura ſua ordinatur, appetitus verò elicitus varios ſibi fines ex potentia cognoſcente propoſitos intuetur.

26 Dices materiam primam, poſſe in eodem inſtanti,in quo habet formam antecedenter ad exiſtentiam illius, illam vel aliam appetere appetitu deſiderij. Reſpondeo id fieri non poſſe, quia appetitus deſiderij & complacentiæ, vt dicebam modò, conſtituitur per abſentiam, & præſentiam obiecti, vnde in ſigno in quo præſcinditur à præſentia,vel abſentia obiecti,tantùm poteſt intelligi appetitus præcisè, non ratio deſiderij vel complacentiæ, in ſigno autem alio non poteſt intelligi poſitiuè abſentia obiecti pro illo inſtanti, quia id, quod non eſt in inſtanti temporis, non poteſt intelligi in aliquo ſigno pro illo inſtanti.

27 Sexta conclvsio. Materia prima in inſtanti in quo habet formam, appetit pro inſtantibus ſequentibus retinere quam habet, vel aliam acquirere. Quia eo ipſo quod appetat perpetuò habere formam,neceſſario appetit retinere quam habet, vel aliam acquirere. Hunc appetitum eſſe deſiderij ex abſentia obiecti efficaciter probatur.

28 Septima conclvsio. Materia iam in actu primo conſtituta cum omnibus prærequiſitis ad formam appetit appetitu deſiderij & non complacentiæ formam illam, ſeu illas formas ad quas eſt in actu primo: Concluſionem hanc rectè probant recentiores intendentes probare materiam primam nullam formam appetere appetitu complacentiæ: illorum rationem dedi n.14. & 15. vbi dixi rectè procedere de appetitu efficaci conſtituto in actu primo adæquato ad omnem effectum, vbi ſimiliter probaui materiam primam habentem diſpoſitiones formæ ignis, eſſe in actu primo ad omnes, & æquè omnes deſiderare hanc vel illam ſub disiunctione obtinendam.

29 Octava conclvsio. Materia prima ſecundariò habet appetitum ad formas accidentales, quibus indiget ad ſui conſeruationem, & ad componendum totum,quia eo ipſo quod appetat ſuam conſeruationem, & compoſitionem totius, appetit ſecundariò totum id, quod neceſſarium eſt, vt conſeruetur, & vt totum componat. Reliquas formas accidentales, quæ neceſſariæ non ſunt ad conſeruationem materiæ, neque totius, exiſtimo materiam non appetere, ſed tantum habere non repugnantiam ad illas, ita æquè bene ſe habet cum illis: ſic ſe habet aer reſpectu lucis, ſpecierum impreſſarum, quas mittunt obiecta alia ſimilium qualitatum.

Pvnctvm V.

An materia exiſtat per exiſtentiam formæ?

Adeo tenuis,& macra eſt natura materiæ primæ, vt illius exiſtentia Thomiſtas omnes ſubterfugerit, quorum omnium vna vox eſt materiam exiſtere per exiſtentiam formæ. Ita Caiet. Sonc. Ferr. Iauellus apud Suarez diſp.13.Met.ſect.3.n.6.Sot.lib.1.Phyſic. q.6. dubio 2.quibus accedũt Durand.in 2.diſt.12.q.2. Vall.Cont.7. ad Tyrones. 1

Oppoſitam ſententiam ſcilicet materiam primam exiſtere per propriam ipſius exiſtentiam defendunt innumeri Doctores:Scotus in 1.diſt.12.q.2.ibid.Gabr.Greg.cum reliquis Nominalibus,ex noſtris Pater Vaſq.1.p.t.1.diſp.54.n. 9.Suar.ſupra,num.8.Tolet.1.lib.phyſ.quæſt. 13. Pereira lib. 5.c.13.lib 1.Met.c.7.q.3.ſect.8.Rub.lib.1.phyſ.tract.1.quæſt. 2.Hurt.diſp.8.Arriag.diſp.2.ſect.5. quibus libentiſſimè ſubſcribo. Potiſſimum fundamentum huius ſententiæ ſumendum eſt ex identitate inter eſſentiam, & exiſtentiam, qua poſita, recta fit argumentatio. Eſſentia materiæ primæ diſtinguitur ab eſſentia formæ: ergo exiſtentia materiæ ab exiſtentia formæ. Exiſtentiam non diſtingui ab eſſentia, probabo in Metaph.Controuerſ.2.Punct.3. & ex ibi dicendis huic quæſtioni ſatisfiet, & efficaciter Thomiſtarum opinio impugnata manebit. Cæterùm noſtri Doctores in litterarum palæſtra ſemper animo erecti non contenti intra propria caſtra contrarios debellare inimicos, ſua repetentes, adhuc intra illa inſequuntur, admiſſaque diſtinctione inter eſſentiam, & exiſtentiam cum ipſis Thomiſtis pugnam ineunt pro exiſtentia propria materiæ defendenda. Diſputandum eſt ergo, an caſu quo materiæ exiſtentia ab eſſentia diſtingueretur, concedenda eſſet materiæ primæ propria exiſtentia diſtincta ab exiſtentia formæ. Procedere poteſt hæc diſputatio ad homines contra Thomiſtas iuxta illorum principia,& abſolutè nullo alio admiſſo. principio præter illa,quæ ex ipſis rerum naturis inferuntur, vel ex ipſa terminorum apprehenſione citra controuerſiam apparent,& vt vtroque modo procedat diſputatio, nonnulla præmittam. 2

Præmitto id,quod in omnibus diſputationibus, quæ ex ſuppoſitione procedunt omnibus ſemper præ oculis eſſe vellem, ſcilicet eo ipſo quod demus exiſtentiam materiæ diſtingui ab eſſentia, neceſſariò debemus ſupponere omne id, quod per locum intrinſecum infertur ex hac diſtinctione, & quod illi neceſſariò coniunctum eſt, aliàs quæſtio locum habere non poterit; quia cùm ex vna parte concedamus materiam primam diſtingui ab eſſentia, ſi ex alia negemus id quod per locum intrinſecum coniunctum eſt cum hac diſtinctione, procedet quæſtio ex principiis contrariè, & contradictoriè oppoſitis: exempli gratia: ſupponamus rationale poſſe ſeparari ab animali, debemus dare, rationale non eſſe idem cum animali,quia ſi data illa ſeparatione,velimus retinere identitatem inter animal, & rationale, rectè poterit inferri: ergo illa, quæ ſunt idem, ſeparari poſſunt: quod eſt abſurdum conſequens, & legitima conſequentia, & conſequenti admiſſo, facilè poterit illius contradictorium probari, & ita facilè trahetur diſputatio ad duplex contradictorium,& neutrum ex ſuppoſitione,quia loquimur caſu, quo ſupponamus tantùm rationale poſſe ſeparari ab animali, quin ſupponatur diſtinctio horum extremorum, neque poſſe ſeparari idem à ſe ipſo,neque aliud principium neceſſariò cum hac ſeparatione connexum. Concedendum ergo eſt, vt diſputatio locum inueniat, ſi ſemel admittitur rationale poſſe ſeparari ab animali, rationale non identificari cum animali, vel poſſe idem à ſe ipſo ſeparari. Ex quo nihil poterit inferri quod obſit reſpondenti, quia licet aliàs probetur contradictorium illius, quod ſupponitur non oberit arguenti, qui rectè poteſt duplex contradictorium admittere, vnum verum ex natura rei,alterum ex ſuppoſitione ſumptum, quod ipſe nouit falſum eſſe, illud tamen diſputationis gratia admiſit; ſed damnandus eſt arguens, qui impugnat id, quod ipſi gratis diſputationis cauſa conceſſum eſt. Hæc doctrina optimè obſeruanda eſt in pluribus diſputationibus, quæ ex ſuppoſitione procedunt, in quibus oppoſita videntur inferri, ad quas anguſtias non traheretur diſputatio ſi debito modo procederet. 3

Ex hoc infero data diſtinctione inter eſſentiam, & exiſten- 4

Digitized by Google

exiſtentiam, dandum eſſe exiſtentiam ſaltem eſſe modum afficientem eſſentiam, tanquam ſubiectum ad exiſtentiam ſuppoſitum. Deinde debet admitti poſſe produci per diuerſas actiones, etiamſi non repugnaret produci per eandem, ſicuti de forma, & modo vnionis philoſophamur, quia reliquæ entitates, quæ dantur in rerum natura diſtinctæ poſſunt diuerſas actiones produci. Rationes à priori eſt; vbi eſt diuerſitas terminorum poteſt eſſe actionum diuerſitas: ſed data eſſentia diſtincta ab exiſtentia, datur diuerſitas terminorum: ergo poteſt dari actionum diuerſitas. Dices percipi non poſſe ad quid terminetur actio, quæ non terminatur ad exiſtentiam. Reſpondeo verum hoc eſſe nulla facta ſuppoſitione, quia percipi non poteſt, quid ſit eſſentia, vt diſtincta realiter ab exiſtentia: qui tamen ſupponit eſſentiam eſſe aliquid diſtinctum ab exiſtentia ſupponit aliquid ſibi perceptibile de cuius conceptu non ſit exiſtentia, quod eſſentiam vocat, ad illud ergo terminabitur actio, quæ ad exiſtentiam non terminatur. Neque obiicere poterit hoc nihil eſſe, quia iam ſupponis eſſe aliquid reale, quod ab exiſtentia diſtinguatur, & hoc idem, quod tu reale ſupponis, aſſignatur tanquam terminus actionis non terminatæ ad exiſtentiam.

5 Noto inſuper ex duplici ſuppoſitione poſſe procedere quæſtionem; aut enim ſupponi poteſt omnibus entitatibus exiſtentiam ſuperadditam ineſſe, aut formam ratione ſuæ perfectionis exiſtentiam habere ſecum identificatam; materiam verò ratione ſuæ imperfectionis, & potentialitatis (vt cum Thomiſtis loquar) indigere exiſtentia ſuperaddita, qua hypotheſi facta, inquiri poteſt an poſſit exiſtere per exiſtentiam formæ, ſeu per ipſam formam. Quid ſentiam iuxta omnium principia, & iuxta quamcumque hypotheſim breuiter aperiam.

6 Hurtadus ſuprà num. 64. affirmat multas, grauéſque rationes ſupereſſe pro defendenda exiſtentia propria materiæ, præter omnium præcipuam deſumptam ex identitate inter eſſentiam & exiſtentiam. Arguit primò: eadem actione indiuiſibili, qua producitur eſſentia, debet produci exiſtentia: ſed eſſentia materiæ, & eſſentia formæ producuntur per diuerſas actiones: ergo exiſtentia materiæ, & exiſtentia formæ producuntur per diuerſas actiones: ergo ſunt diuerſæ, idem enim, etſi poſſit per plures actiones produci, non poteſt per eandem actionem produci, & non produci, per actionem autem qua producitur materiæ eſſentia, non producitur forma; ergo neque exiſtentia formæ, quæ producitur per actionem, qua producitur eſſentia eiuſdem formæ: ergo neque per actionem, qua producitur exiſtentia materiæ, quæ eſt eadem cum actione, qua producitur eſſentia eiuſdem materiæ. Illationes ex prima factæ ſunt euidentes; prima ex præmiſſis legitimè deducta. Ex præmiſſis maiorem admittunt Thomiſtæ aſſerentes productionem terminari formaliter ad exiſtentiam & nullam dari actionem terminatam præcisè ad eſſentiam & non ad exiſtentiam. Minor facillimè probatur, quia productio formæ materialis eſt eductio, productio materiæ eſt creatio; ſed non poteſt eadem actio indiuiſibilis eſſe eductio & creatio: ergo non poteſt eadem actio eſſe productio materiæ, & formæ. Dicet nonnullus eam actionem poſſe eſſe creationem, & eductionem, reſpecta diuerſorum terminorum. Contrà: Eatenus terminus creatur quatenus illius actio phyſicè non dependet à ſubiecto per ſuammet phyſicam entitatem, & eatenus educitur quatenus illius actio per ſe ipſam phyſicè non dependet à ſubiecto: ſed nō poteſt eadem actio phyſicè dependere, & non dependere à ſubiecto: ergo non poteſt eſſe creatio & eductio. Addidi terminum *phyſicè*, ne diſtinguas in actione reſpectus formaliter diuerſos, quæ diſtinctio non poteſt cadere ſupra illum, quia qui dicit, actio phyſicè non dependet, dicit ſecundùm nullum dependere reſpectum, & qui dicit actionem phyſicè dependere, dicit dependere ſecundùm ſuam entitatem realem, & abſtrahit à quocumque rationis reſpectu.

7 Rurſus non poſſe educi formam ex materia, per eandem actionem, qua producitur materia, ſiue materia creetur, ſiue educatur, ſic probo. Actio eductiua formæ ex materia ſupponit materiam iam productam tanquam cauſam materialem illius: ſed productio materiæ non poteſt ſupponere materiam tanquam cauſam materialem: ergo non poteſt eſſe eductio formæ ex materia. Hoc argumentum exiſtimo efficax eſſe ad hominem factum contra Thomiſtas concedentes omnem actionem terminari ad rei exiſtentiam. Ego tamen independenter à Thomiſtarum doctrina illius vim declinare conabor.

Nego maiorem primi ſyllogiſmi, ſcilicet eſſentiam, & exiſtentiam neceſſariò produci per eandem actionem, ſuppoſita diſtinctione inter vtramque. Illam probat Hurtad. ex D. Thoma quæſt. 1. de potentia art. 2. vbi ait: *Omnis actio actiuæ potentiæ terminatur ad eſſe*, & Angelicum Doctorem agere de exiſtentia, aſſerit Hurtadus oculis cerni. Porrò, qui aperuerit oculos ad videndam exiſtentiam ab eſſentia diſtinctam, illos claudet ad videndum Angelicum Doctorem agere de exiſtentia, & dicet, illud eſſe ad quod dicit Angelicus Doctor terminari actionem ſignificare eſſentiam, vel exiſtentiam, quia tam eſſentia quàm exiſtentia, quas diſtingui ſupponimus poſſunt terminare actiones. Secundò reſpondeo S. Thomam aſſerere omnem actionem terminari ad exiſtentiam, quia ſentit eſſentiam non diſtingui ab exiſtentia, & loquitur abſolutè, & non ex ſuppoſitione, quod diſtinguantur eſſentia, & exiſtentia, qua facta, poteſt admitti diſtinctio actionum, quam negat D. Thomas, quia non admittit diſtinctionem terminorum, quam nos diſputationis cauſa ſtatuimus. Refert etiam Hurtad. Ioannem Theologum celeberrimum in Concil. Florent. dixiſſe, *fieri non poſſe vt vna res ab alia ſit, niſi ab alia recipiat eſſe*, quod vicit Græcos dubitantes de proceſſione Spiritus ſancti: Eaſdem ſolutiones quas teſtimonio D. Thomæ dedi, Ioannis Theologi teſtimonio adhibe, & dicito per illud *eſſe* intelligere eſſentiam, & non exiſtentiam, vel ipſum loqui in vera ſententia non diſtinguente exiſtentiam ab eſſentia, non verò in illa quam modò ſupponimus. 8

Arguit Hurtadus pro eadem maiori probanda. Si actio aliqua terminatur ad eſſentiam, & non ad exiſtentiam, quid præſtat talis actio? certè nihil aliud, quàm eam producere, & facere exiſtentem. Reſpondeo ex dictis ſuprà difficilè aſſignari quid præſtet illa actio, quia difficilè concipitur eſſentia ab exiſtentia diſtincta, ex ſuppoſitione tamen facta, dicendum eſt actionem terminatam ad exiſtentiam præſtare illud eſſe actuale, quod habet eſſentia diſtinctum ab exiſtentia. 9

Inſtat Hurtadus: Eſſentia per actionem terminatam ad illam eſt intrinſecè mutata de non ente ſimpliciter ad ens ſimpliciter: ergo ipſa præciſa à quouis alio habet intrinſecam exiſtentiam. Hæc ratio probat, eſſentiam non diſtingui ab exiſtentia, & deſtruit ſuppoſitum quæſtionis, quapropter ab illa abſtinuiſſe debebat Hurtadus, memor paulò antea dixiſſe graues ſuppetere rationes ad hanc quæſtionem probandam præter omnium præcipuam, qua probatur eſſentiam ab exiſtentia non diſtingui. 10

Secundum argumentum ita conficit Hurtadus: Eſſentia materiæ primæ eſt cauſa materialis formæ: ergo ſupponitur exiſtens ad formam: ergo non poteſt exiſtere exiſtentia formæ. Ad hoc argumentum ſoluendum non recurro ad mutuam cauſarum prioritatem; ad quam ſi confugerem, hæc difficultas cum multis aliis eſſet communis. Aliter reſpondeo eſſentiam materiæ ſupponi ad formam tanquam cauſam materialem illius, præſcindendo in illo priori, in quo ſupponitur ab exiſtentia, eo modo quo ſupponeretur ad propriam exiſtentiam, ſi illam haberet diſtinctam à forma, eadémque ratione, qua ſupponitur materia ad ſuam præſentiam præſcindendo pro illo priori in quo ſupponitur à præſentia. Materiam poſſe ſupponi ad formam modo dicto rectè intelligetur, ſi ponatur exiſtere per ipſam formam habentem exiſtentiam ſecum identificatam, quia non debet ſupponi exiſtens ad illud per quod formaliter exiſtens conſtituitur. Idem poteſt dici, etiamſi dicatur formam habere exiſtentiam ſuperadditam, quia exiſtentia formæ ſuum effectum communicat materiæ media forma, ac proinde per formam, vt exiſtentem conſtituitur materia exiſtens, & ita non debet ſupponi exiſtens ad ipſam formam, vt exiſtens, hoc eſt, ad formam, quæ ſecum affert exiſtentiam, qua materia conſtituetur exiſtens, ex eo præcisè quod formam in ſe habeat, ſicuti dicitur de eadem materia reſpectu præſentiæ iuxta opinionem aſſerentem materiam præſentari per præſentiam quantitatis. 11

Inſurgit Hurt. Eſſentia non poteſt eſſe cauſa exiſtentiæ, quia eſſet cauſa ſui ipſius. Itē quia ſicut eſſentia creatur, *vt quod*, exiſtentia creatur, *vt quo*, quia ratio formalis propter quam terminus generatur, vel creatur eſt illius exiſtentia. Hæc omnia nullà vim habent ex ſuppoſitione iam 12

Digitized by Google

facta,quia ſi damus eſſentiam diſtingui ab exiſtentia,eſſentia, quæ ſit cauſa ſuæ exiſtentiæ, erit cauſa alicuius à ſe diſtincti. Et non licebit inferre eſſe cauſam ſui ipſius. Eodem modo negandum eſt ex creatione eſſentiæ inferri creationem exiſtentiæ, quia poteſt dari actio creatiua terminata ad eſſentiam, diſtincta ab actione eductiua terminata ad exiſtentiam. Loquor ex ſuppoſitione iam facta, cuius ſubiectum implicare cenſeo. Nego ſimiliter exiſtentiam eſſe totam rationem termini creationis, quia hanc poteſt terminare eſſentia ab exiſtentia diſtincta, quam formaliter vt diſtinctam ab exiſtentia fatentur multi habere eſſe actuale, vt videre licet apud Alberinum ſuprà relatum. Alia congerit, ſeu eadem repetit Hurtadus,videlicet ſequi materiam primam produci, & conſeruari ab agente naturali. Deinde materiam primam fieri per creationem, & ita non poſſe pendere à forma,inſuper materiā primam creari. Ex quibus infertur illius exiſtentiam non poſſe dependere à cauſa materiali. Hæc omnia ex dictis in hypotheſi facta facilem ſolutionem habent.Reſpondeo iuxta ſuppoſita principia exiſtentiam materiæ primæ produci, & conſeruari ab agente naturali, & exiſtentiam hanc educi,& eſſentiam creari, exiſtentiam dependere ab ipſa forma, vel eſſe ipſam formam, & eſſentiam tantùm dependere à forma poſteriori, quia ſine illa exiſtere non poteſt, & non ab hac determinata, ſed ab hac vel illa, quia ſicut eſſe ſine hac forma determinata, modò aliam habeat, ita poteſt eſſe ſine hac exiſtentia identificata cùm forma, modò alia illi adueniat cum alia forma identificata.

12 Arriaga ſect. 5. citata, reiectis aliquibus rationibus ex his,quas adduximus probat materiam primam habere exiſtentiam propriam adhuc ex ſuppoſitione,quod diſtinguatur exiſtentia ab eſſentia, quia conformius eſt naturis rerum, vt materia habeat propriam exiſtentiam, quàm vt exiſtat formæ exiſtentia: friget hæc ratio, & negata hac maiori conformitate,gelaſcit, vtráque procedere non valet. Secundò ait ridiculum eſſe toties materiam mutare exiſtentiam, quoties nouas formas acquirit. Reſpondebunt aduerſarij non eſſe ridiculum. Tertiò, arguit ſequi ex oppoſita ſententia materiam primam non produci ab agentibus naturalibus; quam rationem inefficacem eſſe ipſe vidit, tantúmque ad hominem contra Thomiſtas, ex his, quæ ipſi docent eam adducit. Non diſputo, An Thomiſtæ rectè reſpondeant, quid reſpondendum ſit, non ſemel explicui. Quartò, arguit ſequi materiam dependere à priori, à forma,& formam à materia. Iam ſuprà negaui primam partem conſequentis, modò reſpectu illius ſequelam nego. Quintò argumentatur. Materia prima producit ſuas paſſiones ad quas debet ſupponi exiſtens: ergo debet habere exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ. Multi antecedens negabunt præcipuè ex Thomiſtis dicentes materiam primam non producere ſuas paſſiones.Inſto tamen: materia prima etiamſi non ſit principium effectiuum paſſionum, eſt tamen principium paſſiuum, & cauſa materialis illarum: ergo debet ſupponi exiſtens, vt illas recipiat vt principium paſſiuum. Reſponderet aliquis materiam primam priùs natura conſtitui exiſtentem per exiſtentiam formæ, & poſteaquàm iam eſt per formam exiſtens conſtituta, ſuas paſſiones recipere,vel producere.Contra:materia prima ſupponitur informata diſpoſitionibus prius natura, quàm recipiat formam: ergo ſupponitur exiſtens priùs natura, quam habeat formam. Probo conſequentiam: in illo priori in quo ſupponitur materia prima cum ſuis diſpoſitionibus, debet ſupponi exiſtens: ſed priùs natura, quàm ſit forma ſupponitur cum ſuis diſpoſitionibus: ergo priùs natura quàm adueniat forma ſupponitur exiſtens. Hoc argumentum exiſtimo difficilius eſſe omnibus adductis, verumtamen non deerunt Thomiſtis mille latibula, vt illud effugiant: in primis protegi poſſunt mutua prioritatum cauſalitate in diuerſo genere: multi enim affirmant diſpoſitiones recipi in toto, & conſequenter ſupponere totum, & materiam informatam ſubſtantiali forma. Secundò reſpondere poſſunt in illo priori in quo materia prima ſupponatur vt cauſa materialis, vel vt principium effectiuum ſuarum paſſionum, ſeu diſpoſitionum totius,non debere ſupponi exiſtentem formaliter, ſed ſufficere in alio ſigno poſteriori naturæ habere exiſtentiam in eodem inſtanti temporis, quia ſi ſemel ſupponatur exiſtentia diſtincta ab eſſentia, exiſtentia non eſt ratio formalis cauſandi, ſed tantùm conditio,quam poſſumus dicere non requiri formaliter ex parte actus primi,ſed tantùm vt conditionem comitantem, ſicuti de approximatione philoſophatur Arriagā, qui dicit non ſe tenere ex parte actus primi in igne ad producendum calorem in ligno, ſed tantùm concomitanter requiri. Neque dubitabunt Thomiſtæ id aſſerere de exiſtentia, qui defendunt cauſam poſſe phyſicè operari in inſtanti, in quo non exiſtit, dum immediatè antè præceſſerit.Hæc ſunt argumenta,quæ apud Authores inuenio pro hac materia, quæ omnia ſatis probabiliter in hypotheſi facta ſolui poterunt, quapropter ſemper ego propriam materiæ primæ exiſtentiam ex identitate inter eſſentiam,& exiſtentiam propugnabo. Quid tamen veriſimilius eſſe cenſeam prædicta ſuppoſitione admiſſa breuiter dicam.

Si ſupponatur materiam primam propter ſuam potentialitatem exiſtentiam non habere ſecum identificatam, & 13
illam emendicare à forma, quæ per ſe ipſam exiſtit nullo modo ſuperaddito, exiſtentia propria materiæ primæ diſtincta à forma tantùm propugnari poterit hoc vltimo argumento,impugnando illius ſolutiones, videlicet, mutuam prioritatem cauſarum adhuc in diuerſo genere cauſæ, quam reiiciam lib. 2. Controuerſ. 7. & probando exiſtentiam requiſitam in cauſa ad effectum in aliquo genere cauſæ producendum requiri ex parte actus primi, quod difficillimè probari poteſt.

Si ſupponatur omnibus entitatibus exiſtentias ſuperadditas ineſſe, affinis erit quæſtio cum illa, quæ agitur 4. 14
Phyſicorum, an videlicet omnibus entitatibus diſtinctis diſtincta præſentia correſpondeat. Non dubito in hac hypotheſi poſſe materiam, & formam de potentia Dei abſoluta exiſtere per eundem modum exiſtendi eſſentialiter reſpicientem vtrumque extremum, ita vt deficiente materia, vel forma deficeret totus ille modus, qui etſi communis ſit vtrique, proprius cuiuſlibet dici poſſit, quia æquè dependeret à materia, & forma & eandem connexionem cum illarum qualibet haberet. Sentio inſuper deficiente forma poſſe materiam nulli formæ vnitam proprium habere modum exiſtendi,ſicut in opinione, quæ aſſerit formam materiæ vnitam eſſe præſentem per præſentiam materiæ vel quantitatis, dicimus formam materiæ non vnitam propriam habere præſentiam.

Quid contingeret naturaliter, quando materia & forma 15
eſſent vnitæ, certè mihi difficile eſt definire. Probabo loco ſuprà citato ſingulis entitatibus diſtinctis, diſtinctas præſentias reſpondere, Idem à paritate de præſentiis inferri poteſt. Sed argumentum à paritate parum roboris habet, præcipuè cùm rationes, quæ præſentias diſtinctas probant in rebus vnitis, non ſuadeant immediatè diſtinctas exiſtentias & ita ex diſparitate rationis,quæ probat in illa materia, & non in iſta, diſparitas concluſionis deſumi poterit. Affirmo rationes quibus probant Thomiſtæ materiam primam exiſtentiam propriam non habere,nihil probare,etiamſi admittatur ineſſe rebus omnibus exiſtentiam diſtinctam à præſentia. Inſuper cenſeo hac hypotheſi data non poſſe efficaciter probari materiam non exiſtere exiſtentia formæ. Quid verò tunc contingeret ex his, quæ modò ſunt, difficile coniiciendum exiſtimo, nihilque efficaciter probari poſſe; neque efficaciter conuictum iri exiſtimo: qui aſſereret prædicta hypotheſi non ſolùm materiam primam propriam exiſtentiam habituram, ſed etiam formas materiales exiſtere per exiſtentiam materiæ & carere propria exiſtentia dum ſunt vnitæ materiæ,quam haberent ſi de potentia Dei abſoluta exiſterent ſeparatæ à ſubiecto ſicuti de præſentiis in eiſdem formis multi philoſophantur.

Obiicies D. Thomam 1. parte, q. 7. art. 2. ad primum, 16
vbi hæc habet: *Materia prima non exiſtit in rerum natura per ſe ipſam cùm non ſit ens actu, ſed potentia tantùm, vnde magis eſt aliquod concretum quàm creatum.* Et quæſt. 4. de potentia: *Quidquid in rerum natura inuenitur, actu exiſtit, quod quidem non habet materia, niſi per formam, quæ eſt actus eius, vnde non habet ſine forma in rerum natura inueniri.* Reſpondet Rub. ſuprà num. 22. in materia reperiri duplicem exiſtentiam; quandam incompletam, indifferentem, vt per aliam ſimiliter incompletam determinetur ad hanc vel illam ſpeciem exiſtentiæ completæ componendam; aliam iam determinatam, quam materia componit,& eſt propria totius. Primam habet materia per ſuam entitatem, de qua non loquitur D. Thomas, ſed de exiſtentia completa, & determinata, quæ materiæ conuenit ratione formæ. Aliter teſtimonium deſumptum ex q. 4.

de

Digitized by Google

de potentia, explicari poteſt in hunc ſenſum: *Quidquid eſt in rerum natura actu exiſtit*, in hac vniuerſali comprehendit Angelicus Doctor exiſtentiam materiæ, quam ſuprà in illa vniuerſali comprehenderat, non eſſe in rerum natura, niſi in ordine ad formam, ſeu vt forma actuaretur in ordine ad compoſitum, quibus verbis ſignificat ordinem, quem habet materia ad formam tanquam ad aliquid, ad quod ordinatur, non tanquam ad conſtitutum ſuæ exiſtentiæ. Quod probat verbis immediatè ſubiectis: *Vnde non habet in rerum natura inueniri ſine forma*, quaſi diceret, quia materia ordinatur ad formam, vt cum illa totum componat, nunquam eſt in rerum natura niſi vnita formæ. Prioris teſtimonij verba faciliùs explicantur, cùm enim dicit Doctor Angelicus materiam non eſſe ens actu, ſed potentia, non loquitur de actu potentiæ logicæ, ſeu obiectiuæ, cuius potentiæ eſt actus exiſtentia, ſed de actu potentiæ paſſiuæ, ſeu informabilis, quam rationem actus non habet potentia, quia nullum actum informantem, neque in ſubiecto receptum includit ſecundùm ſuam entitatem.

17 Obiicies ſecundò: Ex duobus entibus actu exiſtentibus non poteſt tertium ens per ſe reſultare. Reſpondeo ex duobus entibus actu exiſtentibus completis non poſſe fieri vnum tertium ens per ſe, bene tamen ex duobus incõpletis.

18 Obiicies tertiò: Materia prima nullam habet operationem: ergo neque exiſtentiam. Probant conſequentiam, ex eo quod exiſtere ſit propter operari. Si aliquid probaret argumentum non ſolùm conuinceret materiam primam non habere exiſtentiam propriam, ſed neque alienam, quia non minùs debet eſſe propter aliquid exiſtere per exiſtentiam alienam, quàm per propriam: ergo ſi ex eo quod materia prima nullam habeat operationem, non habet propter quod exiſtat exiſtentia propria, neque habebit propter quod exiſtat exiſtentia aliena. Miſſum facio antecedens, & nego conſequentiam. Ad confirmationem dico, eſſe principij actiui eſſe propter operari, eſſe autem paſſiui, propter pati, & materiam primam eſſe principium paſſionum propter quas, & propter totum componendum non eſſet illius exiſtentia otioſa in rerum natura, etiamſi non eſſet principium operationis.

19 Obiicies quintò: Exiſtentia formæ ſe communicat immediatè materiæ: ergo conſtituit materiam exiſtentem: ergo materia non indiget alia exiſtentia. Retorqueo, argumento in alia materia: ſpiritualitas animæ rationalis indiſtincta ab ipſa anima ſe communicat immediatè materiæ, cui immediatè vnitur: ergo illã conſtituit ſpiritualem. Secundò materialitas formæ ligni identificata cum ipſa immediatè ſe communicat materiæ: ergo materiam conſtituet materialem: ergo non indiget materialitate ſecum identificata: ergo materia non eſt materialis per ſe ipſam. Reſpondeo effectum formalem exiſtendi non poſſe conuenire rei per aliquid ſuperadditum, quia exiſtentia debet identificari cum re exiſtenti, vt probabo in Metaphyſic. Vnde etiamſi materia vniatur formæ exiſtenti, non poteſt per illam exiſtens conſtitui, quia per aliquid ſuperadditum nihil poteſt habere aliquid ſecum identificatum. Procedere poſſet obiectio, facta hypotheſi exiſtentiæ realis diſtinctæ ab eſſentia; qua facta; Reſpondeo exiſtentiam ſuperadditam formæ non communicari materiæ immediatè tanquam modum illius, ſed tantùm media forma, & tanquam modum formæ, & rem reſpectu materiæ, ſine qua ſubſiſtere valet, qui communicandi modus ſufficiens non eſt, vt materia conſtituatur exiſtens per exiſtentiam formæ, quia exiſtentia ſuperaddita tantum conſtituit exiſtens ſubiectum, quod immediatè afficit tanquam modus illius. Sicuti præſentia tantùm conſtituit præſens ſubiectum, cui immediatè, & per ſe tanquam modus illius immediatè eſt affixa.

20 Ex his explicatu facile eſt illud axioma quo vulgò dicitur, materiam eſſe puram potentiam, & nihil actus includere. Quod doctè explicat Suarez ſuprà n. 8. Actus dicitur dupliciter: vnus reſpectu potentiæ phyſicæ, ſic actio dicitur actus principij actiui, quod phyſicè ad illam ſupponitur; paſſio, principij paſſiui, quod phyſicè præſupponitur ad paſſionem tanquam verum, & phyſicum principium illius. Vnio phyſica dicitur actus virtutis terminatiuæ vnionis, quæ eſt realis & phyſica prærequiſita ad vnionem, & in actu ſecundo conſtituitur formaliter vniens per vnionem. Alius actus dicitur reſpectu potentiæ, quam logicam, metaphyſicam, & obiectiuam vocamus, quæ non eſt vera potentia, quæ ad actum ſupponatur, neque ſit illius principium actiuum, paſſiuum, aut terminatiuum, ſed merè non repugnantia, quam habet omne id, quod exiſtere poteſt, & ex exiſtentia Logicè infertur, arguimus enim; entitas exiſtit: ergo poteſt exiſtere; quæ potentia non eſt in ordine ad aliud, ſed in ordine ad eandem entitatem, illiúſque exiſtentiam, non diſtinctam ab eſſentia. Hæc potentia Logica dicitur, quia ex illa Logicè, & illatiuè infertur actus, non phyſicè: Obiectiua dicitur, quia eſt obiectum principij effectiui potens ab illo produci ex defectu cuius obiectiuæ potentiæ chymæra non poteſt produci à Deo: vocatur Metaphyſica, quia ſi aliquo modo præſcindenda eſt ab obiecto, debet eſſe metaphyſicè eo modo quo præſcinduntur gradus identificati realiter non phyſicè.

Materia prima dici nequit pura potentia reſpectu potentiæ logicæ, quia iam habet actum huius potentiæ, videlicet exiſtentiam propriam, vt probatum eſt. Dici debet pura potentia paſſiua, quia eſt primum ſubiectum, & primum, quod poteſt pati, & prima cauſa materialis, quæ nullam aliam ſupponit, neque in ſe formaliter paſſionem aliquam identificatam includit. Dicenda eſt ſimiliter propter eandem rationem pura potentia terminatiua vnionis per modum ſubiecti informationis, quia eſt primum ſubiectum potens informari, nullum aliud ſupponens, quod ipſa informet, vel poſſit informare, & nullam virtutem informatiuam reſpiciens cuius ipſa ſit actus; neque informationem aliquam intrinſecè identificatam habens. Pura actiua potentia dici non poterit, etiamſi actiuè quantitatem, & alias paſſiones producat, quia ita eſt illarum principium actiuum, vt in eodem genere principium aliud ſupponat, & aliam actiuam potentiam, cuius ipſa ſit effectus, & actus. 21

Pvnctvm VI.

An materia poſſit eſſe ſupernaturaliter ſine forma?

Redeo ad luctam cum Thomiſtis mihi iam facilem, qui propriam materiæ exiſtentiam recenti prælio propugnaui. Defendunt materiam primam non poſſe de potentia Dei abſoluta eſſe ſine forma, horum longam ſeriem inuenies apud Conimbr. & Rub. poſtea citandos. Potiſſimum illorum fundamentum eſt materiam non poſſe exiſtere ſine exiſtentia, ac proinde neque ſine forma per cuius exiſtentiam ipſa exiſtit. Tueor oppoſitam ſententiam cum P. Suarez diſput. 15. Metaphyſic. ſect. 9. n. 3. Conimbr. lib. 1. Phyſic. cap. 9. q. 6. art. 3. Rub. tit. 2. de materia quæſt. 5. Hurt. diſp. 5. ſect. 9. Arriag. diſp. 2. ſect. 6. & aliis quàmplurimis ex antiquis quos referunt Suarez, Conimb. & Rub. 1

Ratio ſententiæ, quam defendendam propoſui, deſumenda eſt ex natura materiæ primæ, quæ eſt entitas creata, in nullo modo dependens ab exiſtentia formæ dependentia à priori, qua dependet effectus à cauſa, quod ſic probo. Materia non dependet à forma in genere cauſæ efficientis, quia materia producitur per creationem, & nullum agens naturale principium eſſe poteſt effectus creati: non dependet in genere cauſæ materialis, neque formalis, quia materia cùm ſit primum ſubiectum, nullam formam intrinſecè includens, neque materiam habet, neque formam: ergo non poteſt dependere à forma, tanquam à parte intrinſecè componente eo modo, quo totum dependet à ſuis partibus, neque materia poteſt dependere à forma tanquam à ſubiecto eductionis, quia creatur, & ex nullo educitur, eſt enim vt dictum eſt primum ſubiectum: reſtat dependentia in genere cauſæ finalis, quæ non importat exiſtentiam cauſæ, ac proinde etiamſi admittamus materiam reſpicere formam tanquam finem, non ideo infertur, exiſtere non poſſe formâ non exiſtente, ſæpe enim non exiſtente fine, exiſtunt illa, quæ in finem ordinantur. Rurſus nequit excogitari alia dependentia, neque connexio aliqua inter materiam, & formam cum aliquo fundamento probabili, propter quam materia, diuina intercedente potentia, exiſtere non poſſit ſine forma: gratis ergo negabitur, id poſſe contingere de potentia Dei abſoluta: ergo denegandum non eſt. Firmiùs eandem concluſionem probabo Puncto ſeq. vbi probabo materiæ primæ adhuc naturaliter non repugnare exiſtere ſine forma. 2

Ne nouam ineam luctam, quin nouam aliquam victoriam ex aduerſariis reportandam teneam, affirmo fore vt materia prima poſſet de potentia Dei abſoluta exiſtere ſine 3

forma, etiamſi de facto modò exiſteret per exiſtentiā formæ. Rationem inſinuaui ſæpè, præcipuè Puncto præcedenti. Materia prima ſi exiſteret per exiſtentiā formæ, exiſteret per exiſtentiā ſuperadditam, & ſucceſſiuè per diuerſas exiſtentias, quas ſecum afferunt formæ diuerſæ: ergo deficientibus omnibus formis, & deficientibus formarū exiſtentiis, poſſet Deus materiæ aliquā tribuere exiſtentiam diſtinctam ab illis, quas formæ ſecum afferunt materiæ, per quam poſſet exiſtere deficiētibus exiſtentiis, quas illi poſſent formæ vnitæ tribuere. Confirmo eandē doctrinam. Tenet cōmunis ſententia omnia accidentia materialia eſſe præſentia, per præſentiam quantitatis, & nihilominus adhuc in hac ſententia dicimus accidentia poſſe ſeparari à quantitate, & eſſe præſentia per modum alium, quem Deus illis diſtribueret diſtinctum à præſentia, quam haberent à quantitate, & de facto multi cenſent ita contingere in accidentibus, Euchariſticis, exiſtimantes eſſe in ſpatio per præſentiam materiæ primæ, quia ab hac quantitatem non diſtinguunt, vel quia illi ſpecialiter, & non quantitati præſentiam circumſcriptiuam tribuunt pro omnibus entitatibus, quæ ſunt in compoſito, dum illi ſunt vnitæ, & nouū præſentiæ modum recipere illarum proprium, cùm abſque ſubiecto conſtituuntur in Euchariſtia: ergo eodem modo poterit contingere in exiſtentia materiæ, ſi ſemel admittatur ab ipſa diſtingui, etiamſi dicamus de facto exiſtere per exiſtentiam formæ. Ex his infractum manet primum telum, quod in nos iaciunt Thomiſtæ, videamus an alia robuſtiora habeant.

4 Obiicit D. Thomas: Omne eſſe accidentale includit formam accidentalem: ergo omne eſſe ſubſtantiale includit formam ſubſtantialem: ergo implicat eſſe aliquod ſubſtantiale ſine forma ſubſtantiali. Retorqueo argumentum in Thomiſtas: omnis eſſentia accidentalis dicit formam accidentalem: ergo omnis eſſentia ſubſtantialis includit formam ſubſtantialem, ſed eſſentia materiæ primæ, eſſentia Angeli, & eſſentia Dei ſunt eſſentiæ ſubſtantiarum: ergo ſunt eſſentiæ formarum ſubſtantialium; ergo materia prima, Angelus, & Deus ſunt veræ formæ. Videant quid reſpondeant Thomiſtæ, ſi tenendus eſt arguendi modus, quo nos impetunt. Ego illum non admitto, & facilè reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Cerne diſparitatem: omne accidens eſſentialiter ordinatur ad ſubiectum reſpectu cuius eſt forma, & ita hæc eſt legitima conſequentia: eſt accidens; ergo eſt forma. Subſtantia verò non eſſentialiter ordinatur ad ſubiectum cuius neceſſariò ſit forma, & hæc eſt inepta conſequentia: eſt ſubſtantia: ergo eſt forma ſubſtantialis, quia inter ſubſtantias ſunt aliquæ, quæ ordinantur ad ſubiectum, cuius ſunt formæ, & aliæ plurimæ, quæ nullum ſubiectum reſpiciunt, neque rationem habent formæ, ſicuti Deus, Angelus, corpus ſimplex ſi datur & materia prima.

5 Obiicies ſecundò: Implicat aliquid eſſe in rerum natura, quin ſit ſub determinata ſpecie: ſed ſi materia exiſteret ſine forma, non exiſteret ſub determinata ſpecie: ergo implicat ita exiſtere. Minorem probat. Materia conſtituitur ſub hac determinata ſpecie per formam, & ex ſe eſt indifferens, vt contrahatur ad hanc vel illam ſpeciem: ergo ſi eſſet ſine forma, eſſet cum hac indifferentia, & non conſtituta ſub determinata ſpecie. Concedo maiorem, nego minorem, & diſtinguo illius confirmationem. Materia eſt indifferens ex ſe vt conſtituatur ſub hac, vel illa ſpecie materiæ, & partis materialis, & determinatur per formam, ad determinatam ſpeciem materiæ, nego: eſt indifferens ad componendum hoc vel illud totum, & per formam determinatur, vt componat hoc totum, potiùs quàm illud, vt conſtituat hanc ſpeciem adæquatam totius, concedo. Deinde nego conſequentiam, quia non repugnat eſſe in rerum natura entitatem aliquam ſub determinata ſpecie entis incompleti, & indifferentem ad componendum hoc, vel illud totum, quod cum alia comparte valet componere.

6 Obiicies tertiò: non poteſt eſſe natura hominis non contracta ad aliquod indiuiduum: ergo neque materia prima non contracta ad aliquam formam. Probatur antecedens: difficilius eſt exiſtere puram potentiam ſine actu quàm vnum actum ſine alio: ergo difficilius eſt exiſtere materiam primam, quæ eſt pura potentia ſine actu, quàm ratio hominis, quæ eſt actu ſine differentia indiuiduali, quæ eſt alius actus. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad confirmationem dico nihil poſſe eſſe difficilius, quàm exiſtere vnum actum ſine alio ſecum identificato, idem enim eſſe ſine ipſo eſt implicatio, qua nulla maior. Itaque nego antecedens, & diſtinguo illud, quod ſubſumitur in conſequenti; videlicet, materiam primam eſſe puram potentiam logicam & obiectiuam, nego; paſſiuam concedo, & nego conſequentiam.

Inquires an caſu, quo materia prima conſeruaretur ſine 7
forma, conſeruanda eſſet eodem influxu, quo nunc conſeruatur, vel alio, quo ſuppleretur defectus formæ. Influxum futurum eſſe diuerſum tenere videntur Conimbr. art. 3. citato, eundem permanſurum defendit Suarez ſuprà num. 7. In hanc ſententiā feror, quæ iuxta dicenda Puncto ſequenti, vbi probabo materiam primam ex ſe naturaliter poſſe exiſtere ſine forma, neceſſariò tenenda eſt. Do tamen materiam non poſſe naturaliter exiſtere ſine forma, neque ſeparatam à forma ſuam exigere conſeruationem, & Suarium ſequor. Ratio concluſionis hæc eſt: Actio creatiua terminata ad materiam, idem principium habet, idem ſubiectum (ſi actio creatiua ſubiectum habet) & nullam aliam circumſtantiam per ſe diſtinctam reſpicit, quando materia habet formam, & quando illa caret: ergo nullum eſt caput, ex quo aſſignetur diſtinctio inter actionem terminatam ad materiam carentem forma, vel illam habentem: reſpicere in vtroque caſu eaſdem circunſtantias à quibus per ſe dependet, probatur, quia actio creatiua materiæ per ſe non dependet à materia, neque à negatione materiæ, à quibus ex vi actionis independens conſtituitur: ergo nihil eſt ſpeciale in vno caſu, quod non ſit in alio, à quo actio creatiua per ſe phyſicè dependeat.

Dices, creationem eſſe debitam, quando terminatur ad 8
materiam informatam, & indebitam quando reſpicit materiam exiſtentem ſine forma. Contrà: eſſe debitam aliquam entitatem cum his circunſtantiis & indebitam ſine illis, non dicet diuerſitatem entitatis, quæ debita, vel indebita dicitur, vel circunſtantiarum, ex quibus reſultat, vel non reſultat debitum, eundem enim influxum, quem Deus modò exhibet ad exigentiam cauſæ naturalis, & debitus dicitur, poteſt præſtare nulla cauſa exigente talem influxum, & indebitus dicetur, ſicuti eandem pecuniarum externam largitionem, quam modò exhibeo ex iuſtitia, poſſem ex liberalitate exhibere, ſi mihi nulla eſſet iuſtitiæ obligatio. Doctores nonnulli, qui aſſerunt actiones externas ſpecificationem diuerſam deſumere ex diuerſis motiuis actuum, à quibus imperantur, conſequenter dicere poſſunt per diuerſam actionem conſeruari materiam primam cum forma, & ſine illa, iuxta communem ſententiam aſſerentem materiam primam exiſtentem ſine forma non exigere propriam conſeruationem, quam exigit quando eſt cum forma, quia quando Deus materiam conſeruat ſine forma caret motiuo, quod habebat ad illam conſeruandam cum forma, quod erat exigentia, quam propriæ conſeruationis habebat materia.

PVNCTVM VII.

An materia dependeat à poſteriori, à forma; & an poſſit naturaliter exiſtere ſine illa.

QVæ ſub præfixo titulo continentur productiorem 1
chartam expoſcunt, quàm apud Authores communiter ſortiuntur, ideo longiùs aliis rem tractabo.

§. I.

Scopus difficultatis præfigitur.

MAteriam primam non poſſe naturaliter exiſtere ſine 2
forma ſupponunt, & non diſputant, plerique Doctores. Ita ſentiunt præter alios plurimos Suarez, Conimb. Rub. & Hurtadus, qui perſpicuum eſſe affirmant, omnes locis citatis, Puncto præcedenti. Qui hanc ſectantur ſententiam dependentiam quamdam à forma materiæ tribuunt, ratione cuius naturaliter eſſe non poſſit ſine forma. Doctiſſimis recentioribus hæc dependentia à poſteriori difficilis viſa eſt, exiſtimant enim terminis ipſis *dependentia, & à poſteriori*, quod ſonat ab effectu, implicationem inuolui, quia nihil à ſuo effectu dependere poteſt. Arriaga ſuprà aſſerit ſe fundamentum talis dependentiæ non inuenire, nihilominus illam defendit, aſſeritque nos poſſe probabiliter eam tueri fretos communi authoritate.

Dependen

Digitized by Google

2 Dependentia à priori omnibus eſt ſatis nota, quæ eſt ab aliquo ſe tenente ex parte cauſæ, & actus primi ad effectum. Dependentiam à poſteriori appellant communiter doctores connexionem, quam habet cauſa cum effectu, vel quæuis entitas cum illa, quam non ſupponit ex parte actus primi, & ſine qua eſſe non poteſt. Ita Suarez diſp. 15. Metaph. ſect. 8. n. 16. & tom. 1. in 3. partem diſp. 8. ſect. 1. Fonſec. 5. Metaphyſ. c. 2. q. 3. ſect. 1. Dependentiam hanc non à cauſa acuti recentiores partiuntur, in dependentiam à poſteriori, & in dependentiam ab aliquo comitante. Dependentia à poſteriori eſt connexio, quam habet cauſa cum effectu, ſine quo ſubſiſtere nequit. Dependentia à comitanti eſt, quam habet entitas cum alia, quæ rationem non habet cauſæ, neque effectus reſpectu illius, & ſine qua ſubſiſtere non poteſt, talis eſt dependentia vnionis ab extremis, quæ annectit, quæ omnium ſtrictiſſima eſt. Dari dependentiam non à priori, hoc eſt non à cauſa, ſiue illa à comitante, ſiue à poſteriori appellanda ſit, nulli dubium eſſe poteſt, vnio enim dependet ab extremis, quæ illius non ſunt cauſæ, & quilibet modus per creationem productus, v.g. præſentia, quam dicam poſſe creari eſſentialiter connectitur cum ſubiecto, quod præſens conſtituit, ſine quo naturaliter eſſe non poteſt. De dependentia cauſæ ab effectu, quam recentiores prædicti etiam communi ſententiâ dependentiam à poſteriori vocant non leuem mihi rationem indidit dubitandi doctiſſimus Magiſter, quam poſtea aperiam.

3 Præmoneo non omnem cauſam habere connexionem neceſſariam cum omni effectu, quem naturaliter producit, ita vt ſi effectus impediatur naturaliter illa ſubſiſtere non poſſit. Patet in igne producente neceſſariò calorem, in materia applicata, qua productione impedita naturaliter ſubſiſtit, nullus enim dixit ignem non comburentem Babylonicos pueros ſupernaturaliter fuiſſe conſeruatum ex defectu productionis, quam intendebat. Secundò agens naturale, cuius actio ab alio naturali agente impeditur, naturaliter conſeruatur, vt patet in agente frigido, quod propter reſiſtentiam contrarij non agit in paſſum: ergo etiamſi illius concurſus ſupernaturaliter à Deo impediretur, eodem modo exigeret ſui conſeruationem, quia in vtroque caſu idem illi impeditur influxus, & cum maiori violentia quando impeditur ab agenti naturali, vt probabo 2. Phyſic. Controuerſ. 6. Neque hæc connexio datur neceſſariò in cauſis reſpectu ſimplicium emanationum, quia aqua per ſimplicem emanationem frigiditatem vt octo producit, ſine qua abſque miraculo frequenter conſeruatur.

4 In materia de qua procedit noſtra diſputatio poteſt hæc dependentia à poſteriori eſſe immediatè ab ipſa forma, vel tantùm à diſpoſitionibus immediatè, & mediatè à forma. Quomodocumque illa ſit eandem difficultatem habet, quia vtraque eſt ab aliquo poſteriori natura, cùm quo dependentiam annectere haud facile eſt. Illico expendam, quod contra hanc dependentiam acutè excogitarunt recentes.

5 Adhuc reiecta dependentia à poſteriori materiæ à forma ſentiunt multi, ſuppoſita iam materia producta in primo inſtanti ſuæ creationis cum forma, non poſſe ſine illa naturaliter exiſtere, quia non poteſt expelli forma, quam ſemel acquiſiuit materia, alia forma non introducta, neque illius diſpoſitiones ad aliam formam, quæ illam ſecum neceſſariò trahunt poſtquam de dependentia dixerim, diſcutiam.

§. II.

Dependentia à poſteriori cauſæ ab effectu diſcutitur.

6 Omnis cauſa eſt prior natura effectu: ergo antequam ſit effectus ſupponitur entitas cauſæ: ergo ſupponitur quidquid neceſſarium eſt, vt exiſtat: ergo quocumque alio exiſtente, vel non exiſtente erit cauſa: ergo cauſa non dependere poteſt ab exiſtentia effectus, ergo deficiente effectu ſubſiſtet cauſa. Dices ſupponi quidquid neceſſarium eſt ex parte actus primi ad effectum, non verò quidquid eſt neceſſarium illo poſterius, & ita non quocumque alio deficiente erit cauſa, requiruntur non ſolùm illa, quæ cauſam antecedunt, ſed quæ ſunt illa poſteriora, à quibus et ſi non à priori, à poſteriori dependet. Contrà: implicat id, quod eſt poſterius aliquo requiri ad illud quod ipſum præcedit, quod ſic probo: illud, quod eſt poſterius nullum influxum phyſicum, neque moralem poteſt præſtare in illud quod eſt prius, quia illud ſupponit iam exiſtens cum omni dependentia phyſica à ſuis cauſis & cauſas determinatas in actu ſecundo ad productionem: ergo neque poteſt phyſicè influere, neque moraliter determinando cauſas, vt influant; ergo nullo modo: ergo cauſa non indiget effectu, vt exiſtat, etiamſi neceſſariò ſit cum illo connexa, quia ab ipſo neceſſariò dimanat, quod non eſt ab illo dependentiam habere, ſed effectum neceſſariò dependere à cauſa, à qua neceſſariò dimanat. Ob quod entitas cauſæ ex vi ſuæ productionis poterit abſque effectu conſiſtere, ſi Deus illum impediat, vbi negatio effectus miraculoſa erit, & non cauſæ conſeruatio, ſicuti in igne Babylonico contigit. Ad rem multum pulchra verba, quæ ex D. Th. in 4. diſtinct. 44. q. 1. art. 1. ſatis opportunè referuntur: *Illud, quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia poſt corruptionem, quia remoto poſteriori remanet adhuc prius.* Quibus verbis docet Angelicus Doctor corrupta forma, ſeu deſtructo compoſito remanere illud, quod erat ante formam & compoſitum, ſcilicet materiam; rationem, quam ſupra expendebam, reddit Angelicus Doctor, *quia remoto poſteriori*, hoc eſt effectus, *remanet adhuc prius*, hoc eſt cauſa, quæ antequam effectus eſſet, exiſtens ſupponebatur, & ſupponebatur illius principium determinatum ad illius productionem, & conſeruationem, nunquam enim ex præuiſione effectus poteſt Deus, aut aliud principium determinari ad producendam cauſam, quia antequam videatur effectus, cauſam præuideri productam neceſſe eſt.

7 Nullus qui ingenuè rationem hanc meditetur, non illam magni momenti ad hanc dependentiam à poſteriori expugnandam eſſe agnoſcet. Nihilominus in gratiam communis ſententiæ explicabo quomodo hæc dependentia à poſteriori defendi poſſit, ita vt hæc illatio à poſteriori vim habeat: non exiſtit effectus: ergo cauſa non naturaliter conſeruatur, vel producitur in illo inſtanti temporis, in quo eſt effectus negatio. Poſſet quis excogitare entitatem aliquam, quæ poſtquam ſit producta non petat conſeruari niſi caſu, quo Deus ſit determinatus priuſquam illam conſeruet ad concurrendum cum illa ad effectum producendum, & ſimiliter ſi naturaliter producenda ſit, exigat vt antequam Deus illam producat, ſupponatur determinatus ad concurrendum cùm illa ad effectum, qui neceſſariò oritur ex illa cauſa producendum, in quo caſu productio & conſeruatio cauſæ ſupponit determinationem Dei ad concurrendum cùm illa, non abſolutam, quia antequam Deus determinatus ſit ad producendam cauſam, non poteſt eſſe determinatus ad concurrendum cum illa, quia concurſus cum aliqua cauſa ſupponit exiſtentiam cauſæ, ſed conditionatam, ſi produxero, vel conſeruauero concurram cum illa, quo decreto præmiſſo non poteſt cauſa adhuc de potentia Dei abſoluta, non connecti cum effectu, à quo ſi dependeat abſoluta productio cauſæ, dependebit ab aliquo, quod ſimul cum exiſtentia cauſæ, neceſſariò connexum eſt cum effectu, & conſequenter dependebit immediatè ab effectu, non à priori, ſed tanquam ab aliquo ita connexo conſequenter; & tanquam cum effectu, cum illo, quod productio cauſæ ſupponit tanquam quid antecedens, ita vt de potentia Dei abſoluta illo poſito, non poſſit non eſſe, & ita erit legitima conſequentia: non eſt effectus: ergo cauſa non fuit producta, præſuppoſito, decreto conditionato concurrendi cum illa, caſu, quo Deus illam produceret: ergo non fuit producta naturaliter, quia entitas huius cauſæ exigit produci hoc decreto præmiſſo, ita vt ſi aliter producatur, illius productio ſit contra, vel præter id, quod exigit entitas ex ſua natura.

8 Alio modo poſſet dici dari cauſam non natura ſua exigentem hoc decretum tanquam quid præmiſſum ad ſui productionem vel conſeruationem, ſed ſcientiam conditionatam, quâ Deus agnoſcat, hanc cauſam habituram effectum, ſi Deus illam producat, ita vt voluntatis actus, quo Deus cauſam producit iuxta id, quod ex natura ſua exigit neceſſariò ſupponat talem ſcientiam, qua deficiente ſubſiſtere non poſſet, ſed ſi Deus cauſam produceret independenter à præuiſione effectus futuri ſub conditione, vel quam vidit talem effectum non habituram, ſi Deus cauſam producat, talis productio non eſſet naturalis, neque conformis exigentiæ effectus producti, cuius abſoluta exiſtentia ſupponit effectum ſub conditione futurum, tanquam obiectum ſcientiæ requiſitæ ad actum voluntatis, ex vi cuius Deus iuxta ipſius naturam cauſam eſt producturus,

Digitized by Google

cturus in quo caſu hæc eſt legitima conſequentia, non eſt effectus; ergo cauſa non fuit producta præuiſo effectu futuro ſub conditione exiſtentiæ ipſius cauſæ: ergo non fuit producta iuxta ſuam exigentiam, quia ipſa exigebat produci, præuiſo effectu ſub conditione ſuæ exiſtentiæ. Similiter erit recta illatio: cauſa fuit producta naturaliter: ergo fuit producta præuiſo effectu futuro ſub conditione exiſtentiæ cauſæ: ergo implicat exiſtere cauſam ſine effectu, quia purificata conditione implicat non abſolutè exiſtere effectum, quem Deus præuiderat ſub illa conditione futurum. Quo caſu productio abſoluta cauſæ dependebit à ſcientia terminata ad effectum futurum ſub conditione ſuæ exiſtentiæ & ab ipſo effectu ſub illa conditione tanquam ab obiecto talis ſcientiæ, in qua dependentia nulla eſt implicatio, quia rectè poteſt effectus conditionatus ſupponi non phyſicè, ſed obiectiuè tantùm ad ipſum ſub conditione futurum, quod contingit in prudenti cordati hominis determinatione, in qua ex eo quod præuidit effectum fururum eſſe, ſi talem cauſam applicaret, cauſam applicat, ex qua dependet abſoluta futuritio effectus, quæ ſub conditione præceſſit præuiſam applicationem cauſæ à qua dependet.

9 Rurſus alio modo poterit eſſe cauſa, quæ petat produci per actum, quo Deus decernat illius exiſtentiam, & ſimul per eundem actum exiſtentiam omnium, quæ requiruntur ad effectum, ita vt per eundem actum dicat Deus: volo producere cauſam, & volo illi præſtare omnia, quæ requiruntur, tum ex parte mei, tum ex parte cuiuſcumque comprincipij, ſeu circunſtantiæ ad effectum producendum. Non repugnare aliquam virtutem exigere produci ex vi actus prædicti probo: Poteſt Deus per eundem actum decernere obiecta inter ſe diuerſa, etiamſi vnum ſupponatur ad aliud: ergo poteſt per eundem actum voluntatis ferri in productionem cauſæ, & in exiſtentiam omnium, quæ ſimul cum illa prærequiruntur ad effectum, quorum aliqua, etſi poſteriora ſint ipſa cauſa, quia poſſunt eſſe illius paſſiones, & ſaltem decretum Dei concurrendi cum illa, quod prærequiritur ad effectum, ſupponit exiſtentiam cauſæ, & eſt poſterius illa, quod reflexè reſpiceret actus, quo Deus decerneret cauſam & omnia, quibus ipſa indigebat ad producendum effectum: poſſunt tamen decerni à Deo cum ordine prioris & poſterioris tenente ſe ex parte obiecti, licet ex parte actus, ſimul, hoc eſt, per eundem actum producantur; non enim repugnat per eundem actum decerni hoc, vt prius, & illud, vt poſterius, ita vt obiecta inter ſe habeant ordinem prioris, & poſterioris, & non actus. Sicuti contingit in electione identificata cùm intentione: ergo poteſt dari cauſa quæ exigat produci ex vi talis actus, in quo nulla erit repugnantia; tunc ſic: cauſa iſta ſi naturaliter erat producenda, & iuxta ſuam exigentiam eſſet producenda per actum, ex vi cuius exiſterent omnia requiſita ex parte cauſæ ſecundæ, & cauſæ primæ ad effectum producendum: ergo haberet connexionem cum reliquis prærequiſitis ad ſuam operationem tanquam cum his, quæ neceſſariò exiſtebant, ex vi eiuſdem actus, quo ipſa naturaliter producebatur, quæ connexio eſſet cum extremis comitantibus, non antecedentibus, quia non eſſent priùs cauſa, ſed ſimul ex vi eiuſdem actus: ergo haberet connexionem mediatam cum ipſo effectu; quidquid enim eſt connexum cum aliquo, ex quo neceſſariò oritur effectus, neceſſariò cum ipſo effectu connexionem habet. In hoc caſu eſſet legitima illatio: non eſt effectus, ergo cauſa non fuit decreta cum omnibus prærequiſitis ex parte actus primi adæquati ad operandum: ergo non fuit producta iuxta illius exigentiam, ex vi cuius debebat decerni ſimul cum omnibus prærequiſitis ex parte actus primi adæquati ad operandum: ergo non fuit producta naturaliter. Similiter rectè fieret argumentatio: cauſa fuit decreta naturaliter, & iuxta ſuam exigentiam: ergo cum omnibus prærequiſitis ex parte actus primi adæquati ad effectum: ergo ita neceſſariò eſt effectus, vt hac productione ſuppoſita ex vi huius decreti illum non poſſit impedire Deus, quia poſtquam Deus cauſam primam conſtituit in actu primo adæquato, & ſuam omnipotentiam applicauit ad concurrendum cum cauſa ad effectum, implicat non velle cum illa concurrere, quia implicat non exiſtere decretum concurrendi ex ſuppoſitione, quod iam exiſtit, vel ex ſuppoſitione, quod exiſtat aliud reflexum, quo Deus tale decretum habere decernat. In hoc caſu cauſa vt naturaliter producta neceſſariam connexionem haberet tanquam cum aliquo comitante cum illa, ex quo effectus oriretur tanquam ex cauſa, & ita connexio reſpectu extremi immediati eſſet connexio cum aliquo comitante, & reſpectu extremi mediati cum aliquo poſteriori, quod adhuc de potentia Dei abſoluta, ex vi illius prioris non poſſet non eſſe.

10 Alia poſſet excogitari cauſa, quæ peteret produci ſi naturaliter eſſet producenda ex vi actus, qui indiuiſibiliter reſpiceret exiſtentiam cauſæ, & effectus dependentis ab illa, ita vt ex parte actus non prius Deus decerneret cauſam, quàm effectum, etiamſi decerneret cauſam priorem, & effectum poſteriorē, quia vt ſuprà dicebam, poteſt Deus per eundem indiuiſibilem actum ſine ordine prioris, & poſterioris ex parte decreti decernere obiecta, quorum vnum ſit prius, & aliud poſterius, & decernere prioritatem ipſorum, & dependentiam vnius ab alio: ergo poteſt eſſe cauſa, quæ ita petat produci: ergo poteſt dari cauſa, quæ non poſſit exiſtere ſine effectu adhuc de potentia Dei abſoluta; ſi ſemel ſupponatur producta iuxta illius exigentiam, ergo dependebit à poſteriori ab effectu, & hæc erit legitima illatio, non eſt effectus: ergo cauſa non eſt naturaliter producta, & ſimiliter iſta, cauſa eſt naturaliter producta: ergo adhuc diuina intercedente potentia, ſuppoſita illius naturali productione, non poteſt non eſſe effectus: Vtramque illationem à priori; & à poſteriori expendo. Non eſt effectus exiſtente cauſâ: ergo cauſa non fuit decreta per actum, quo ſimul ex parte actus decerneretur effectus: ergo non fuit producta iuxta illius exigentiam, ex vi cuius ſimul cum effectu decernenda erat: ergo non fuit producta naturaliter. Hæc illatio eſt legitima à poſteriori ſuppoſita exigentia cauſæ: illam à priori conficio, idemque euinco: cauſa fuit decreta naturaliter: ergo iuxta exigentiam ſuæ naturæ: ergo ſimul cum effectu ſimultaneè ſe tenente ex parte decreti, ergo implicat non eſſe effectum, cuius exiſtentia ſimul cum exiſtentia decreta fuit.

11 Ex hoc inferes hanc non eſſe rectam illationem, cauſa eſt prior effectu: ergo eſt prius decretum, quo decernitur cauſa, decreto, quo decernitur effectus, quia poſſunt decerni ex vi eiuſdem decreti. Ex hoc principio rectè infringitur hæc illatio, quam contra dependentiam à poſteriori recentiores expendebant, effectus eſt poſterior cauſa ergo illo deficiente cauſa ſubſiſtet, quia etiamſi effectus ſit poſterior cauſa, actus tamen per quem decernitur effectus, & actus per quem decernitur cauſa, eſt idem, & ita deficiente decreto effectus, deficit actus voluntatis Dei ex vi cuius exiſtit cauſa. Hæc connexio inter effectum, & cauſam eſt in decreto, à quo effectus & cauſa dependent à priori, & ita connexio cauſæ immediatè eſt cum decreto quod ſupponit tanquam principium illius, & mediatè cum effectu, qui oritur ſimul cum illa ab eodem decreto, tanquam à principio communi effectus, & cauſæ, & ita connexio iſta inter effectum, & cauſam poterit dici connexio extremorum, quæ comitanter procedunt reſpectu decreti Dei, etiamſi inter ſe, ſe habeant vt prius, & poſterius.

12 Hæc meditatus ſum vt aliquo modo ſubſiſtere poſſet hæc dependentia à poſteriori, quę ſine examine plus æquo apud Doctores inualuit.

§. III.

Totius difficultatis reſolutio.

13 Sentio materiam primam nullam habere ex natura ſua connexionem à poſteriori cum forma, neque diſpoſitionibus, ſed naturaliter conſeruandam eſſe, & iuxta ipſius exigentiam, etiamſi careret omni forma ſubſtantiali, & diſpoſitionibus requiſitis ad omnem formam, hoc eſt, ad acquirendam hanc vel illam ex omnibus poſſibilibus. Ita Gabriel, & Marſ. apud Soar. diſp. 15. Metaphyſ. ſect. 8. n. 6. vbi illam tueri affirmat, Patres, qui cenſent in prima mundi conditione materiam ſine forma fuiſſe creatam, quos adduxi Puncto præcedenti, illamque tuentur plures acuti recentiores. Probo: In primis, quia nullum eſt fundamentum, quod ſuadeat aliquam ex cauſis, quæ exiſtit modò, habere aliquam exigentiam, ex his, quarum poſſibilitatem explicui à n. 7. ratione cuius exiſtere non poſſit naturaliter non exiſtente effectu, imò conſtat illam non habere virtutes actiuas: ergo non ponenda eſt talis exigentia

Digitized by Google

exigentia in materia prima, cum nulla ſit ſpecialis ratio ad illam conſtituendam in materia reſpectu formæ, potius quàm in aliis cauſis reſpectu ſuorum effectuum. Confirmatur: ſi aliqua cauſa à poſteriori dependet ab aliquo effectu, illum poteſt per ſimplicem emanationem producere, ſic vulgo dici ſolet, eſſentiam dependere à poſteriori à ſuis paſſionibus: ſed materia prima non poteſt producere formam ſubſtantialem neque diſpoſitiones per ſimplicem emanationem: ergo non dependet à poſteriori à forma, neque à diſpoſitionibus. Maiorem probo inductione reliquarum cauſarum; anima etiamſi à poſteriori dependeat à productione ſuarum paſſionum, non dependet à productione ſuorum actuum: ignis ſi à poſteriori dependet à productione caloris, quem in ſe producit, non dependet à productione caloris exercenda in ſubiecto extraneo, non alia ratione, niſi quia anima producit ſuas paſſiones per ſimplicem emanationem, actus verò non ita, & ignis producit ſimiliter in ſe ipſo per ſimplicem emanationem calorem, in ſubiecto autem extraneo non per ſimplicem emanationem, ſed dependenter à ſubiecto extraneo, & ab applicatione ad illud, quæ valde contingenter ſubiecto, accidunt. Ratio à priori hæc eſt: omne ens virtutem habet ad producendum independenter ab alio comprincipio creato id, à quo dependet à poſteriori, & illud ſine quo naturaliter conſeruari nequit: ergo omne ens poteſt per ſimplicem emanationem producere id, quo indiget à poſteriori ad ſui conſeruationem, ſi re vera aliquo indiget. Antecedens probo. Si aliquod ens à poſteriori exigeret tanquam ſui effectum, illud, cuius non eſt principium adæquatum, exigeret aliud comprincipium ad talem effectum producendum: ſed non poteſt tale comprincipium exigere, nihil enim exigit ad ſui conuerſationem id, quod non eſt illius cauſa neque effectus, neque terminus aut ſubiectum, cuius ſit modus, relatio, aut actus: ergo non poteſt exigere effectum, quem non poteſt independenter à quocumque alio producere. Maior eſt certa, quidquid enim connexum eſt cum aliquo, medio illo, connexionem habet cum eo, quod requiritur ad illius exiſtentiam; minor ex ipſis terminis apparet, quorſum enim diceretur materiam primam exigere cauſas productiuas primarum qualitatum à quibus in conſeruari dependeat, ex eo quod dependeat à primis qualitatibus, quæ exiſtere non poſſunt abſque aliqua cauſa, à qua producantur? Ex quo fundamento dici poterit, materiam primam exigere virtutem productiuam formarum ſubſtantialium, à qua in conſeruari à poſterioti dependeat, quia dependet in conſeruari ab ipſis formis.

Confirmo eandem concluſionem à paritate animæ rationalis: rationalis anima eſſentialiter eſt forma, & ex natura ſua ordinatur ad componendum compoſitum, vt definitum eſt, & oſtendam Controuerſ. 1. de anima Punct. 3. & nihilominus naturaliter conſeruatur ſine materia: ergo ſi materia prima ſemel ſine forma produceretur, aut priuaretur forma, quam habet, etiamſi talis priuatio, quoad modum eſſet ſupernaturalis, conſeruatio materiæ eſſet naturalis, & iuxta exigentiam materiæ. Confirmatur: non minùs ordinatur forma ad componendum totum cum materia, quàm materia ad componendum totum cum forma: ergo non minùs ordinatur forma ad materiam, quàm materia ad formam, cùm vtraque ordinetur ad alteram ratione compoſiti, ad quod primariò, & per ſe ordinantur: ergo ſicuti forma abſque materia naturaliter durat, ita materia ſine forma. Vtraque enim eſt mutuò relata, vtraque incompleta, vtraque creata. Reſpondent nonnulli animam poſſe operari non vnitam materiæ, materiam verò non poſſe operari non vnitam alicui formæ. Contrà: Materia nuda omni forma ſubſtantiali poteſt ſuam præſentiam producere, & quantitatem ſi illius eſt productiua, & alias paſſiones, ſi quas proprias habet, reliquas verò quas non exercet extra totum ex ſe neque in toto producere poſſet, ſaltem vt principium adæquatum, neque illas producit adhuc vt principium inadæquatum, quia materia prima etiam formæ vnita, principium actiuum non eſt adhuc inadæquatum paſſionum propriarum totius, neque vitalium actuum vt probabo, Controuerſ. 3. de anima: ergo ex eo quod eſſet ſine forma non eſſet impotens producere aliquid, quod poſſet vnita formæ producere, quod animæ contingere certum eſt, quia anima virtutem habet actiuam ad producendas ſenſationes, quas producere nequit abſque materia, ſine qua ſubſiſtere poteſt: ergo etiam materia non exerceret omnes actiones non vnita formæ, quas exhiberet illi vnita, quod reſpectu paſſionum illi contingit, quia plura pateretur in toto, quod extra illud non patitur, poſſet non vnita formæ naturaliter conſeruari. Vltimò ſuadet, materiam primam non dependere in conſeruari à ſuo effectu, ſingularis exigentia requiſita in entitate reſpectu ſuæ productionis, & conſeruationis, vt à poſteriori dependeat in conſeruari à ſuo effectu, quam explicui §. præcedenti, cuius exiſtentiæ nec minimum veſtigium in natura reperies, & abſque leui coniectura talem dari dicetur, cum adhuc illius poſſibilitas non facilè poſſit explicari.

15 Obiicies: Materia prima non poteſt eſſe ſine quantitate, & ſine præſentia: ergo neque ſine forma ſubſtantiali: idem argumentum fieri poteſt de animo rationali: animus rationalis non poteſt eſſe ſine præſentia; ergo neque ſine materia: Dicam propriis locis negato concurſu cuicumque entitati ad producendam præſentiam, & quamlibet paſſionem, adhuc illius conſeruationem fore naturalem, etiamſi talis negatio ſit quoad modum ſupernaturalis, ſed omiſſo antecedenti, negari poteſt conſequentia, quia materia prima producit præſentiam, & quantitatem per ſimplicē emanationem, & formam ſubſtantialem recepit non per ſimplicem emanationem, ſed dependenter ab aliis principiis quod ſufficiens eſſet, vt non dependeret à poſteriori à forma, etiamſi dependeret ab aliis effectibus, quos per ſimplicem emanationem producit.

16 Obiic. 2. Forma materialis non poteſt conſeruari per eductionem dependenter à ſubiecto, quin illi ſit vnita, ergo forma indiget informatione, vt poſſit exiſtere: ergo materia ſimiliter indiget vnione ad formam ad ſui naturalem conſeruationem, quia non minus ordinatur materia ad vnionem cum forma, quam forma ad vnionem cum materia. Antecedens probatur: ſi forma educta non indigeret vnione, vt conſeruaretur, quando per informationem formæ ignis, expellitur informatio formæ ligni, permaneret forma ligni educta, & non informans; Sed non permanet ſine vnione: ergo neque materia ex vi creationis ſine eadem vnione. Si dicas eductionem formæ ligni, deſtrui per eductionem formæ ignis, quæ ſupponitur ad vnionem, quia non minus opponuntur eductiones, quàm vniones formarum incompoſſibilium in ordine ad idem ſubiectum, inſto: Creetur forma ignis, & vniatur materiæ ligni, tunc non permanebit forma ligni: adhuc educta ex ſubiecto: ergo ex eo quod non permanere poſſit ex vi eductionis abſque vnione. Antecedens nullâ ſuppoſitione factâ patet in forma embryonis, cuius eductio deſinit eſſe ex eo quod anima rationalis informet materiam, ex qua educebatur: ſed informatio animæ tantum opponitur cum informatione formæ embryonis, & cum ipſa forma, vt informante: ergo ex eo præciſè deſinit eſſe, vt educta, quia non poteſt eſſe ex vi eductionis ſine vnione ad ſubiectum.

17 Reſpondeo formam præciſè vt informantem per ſe & immediatè opponi cùm alia forma, vt informante idem ſubiectum, & vt educta ex illo, licet primariò, & principaliter cum ipſa, vt informante, & ſecundariò cum ipſa, vt educta, quia eo ipſo quod opponitur informatio huius formæ cum informatione alterius, opponitur cum eductione reſpectu eiuſdem ſubiecti, ex qua neceſſariò per ſe loquendo infertur informatio, cum qua primariò eſt oppoſitio.

18 Ex his infero materiam naturaliter eſſe conſeruandam ſi ſemel naturaliter, vel ſupernaturaliter poneretur abſque vlla forma, & illius creationem non fore ſupernaturalem, etiamſi crearetur abſque vlla forma, licet iuxta illius naturam, poſtquam creata eſt, petat in eodem inſtanti temporis informari aliqua forma ſubſtantiali, ad quam ordinatur, non tamen ex hoc capite eſſet ſupernaturalis illius creatio, ſi illam non conſequeretur informatio alicuius formæ, ſed ad plurimum ſupernaturalitas poſſet quoad modum exiſtere in negatione formæ, quæ ſemel iam productâ materiâ produci debebat.

19 Reſtat modò breuiter definiendum an ſemel materia producta cum forma ſubſtantiali, poſſit naturaliter permanere abſque omni forma. Negant plurimi, quia exiſtimant non poſſe deperdi diſpoſitiones ad hanc formam niſi introductis diſpoſitionibus formæ contrariæ. Ex quo infertur non poſſe materiam carere hac forma in inſtanti, in illam, non poteſt illa priuari, quando caret illis, habet

diſpoſitiones

Digitized by Google

quæ non poſſit vniri alicui, ex his quæ de facto exiſtunt, & quæ vnicæ tantùm formæ poſſit vniri, quia non eſt de ratione materiæ indifferentia ad plures formas, vt probaui Punct. 3. quæ omnes materiæ ſpecie differrent propter diuerſos actus, quos reſpiciunt, & propter prædicatum, per quod vna ab alia notabiliter differret, quod poſſet eſſe multis commune.

4 Similiter affirmo poſſe dari duplicem materiam reſpicientem eaſdem numero formas, quarum vna illas reſpiceret tantùm potentia terminatiua vnionis, tanquam extrema, quibus poſſet vniri ad tota componenda, alia verò tanquam extrema quibus poſſet vniri, & quæ poſſent ex illa educi, quia vt dicam lib. 3. Controuerſ. 13. Punct. 3. non repugnat forma indifferens ex natura ſua, vt creetur, vel educatur: ergo non repugnat forma, quæ poſſit per creationem producta vniri huic materiæ, vel educta ex altera vniri: ergo non repugnat dari duplicem materiam reſpicientem eaſdem formas, vnam media vnione, & receptione, alteram tantùm media vnione Affirmo inſuper has materias inter ſe ſpecie diſtinguendas per diuerſos actus immediatos, ſcilicet per diuerſas vniones ſpecie diſtinctas, quibus eaſdem formas reſpiceret, ſicuti diſtinguuntur ſpecie in communi ſententia viſiones hominis, & equi, circa eundem colorem per diuerſa ſpecie principia, ſic ſimiliter viſiones illæ diſtinguerentur per diuerſas ſpecie materias, à quibus ſpecificationem diuerſam haberent, quia vnio ſpecificatur non ſolùm à forma, ſed etiam á materia Sed in materiis, quarum vna poteſt recipere, & vnire ſibi formas, hæc notabiliter differt ab alia, quæ tantùm poteſt eaſdem formas ſibi vnire, & per prædicatum, quod poteſt eſſe commune multis materiis: ergo ſpecie differt ab illa, & diuerſos actus hoc eſt, diuerſas vniones, valet quaſi à priori ſpecificare. Dixi ſæpè ſpecificationem vnionis à materia tanquam ab extremo, eſſe quaſi à priori; quia non eſt à vera cauſa, quæ tantùm ſpecificationem à priori dat.

5 Obiic. nos committere vitioſum circulum, quia ſumimus ſpecificationem diuerſam materiæ ex diuerſis actibus, ſpecificationem diuerſam actuum ex diuerſa materia, vnde idem per idem explicamus. Reſpondeo nos probare ſpecificationem diuerſam actuum ex diuerſitate materiæ, quaſi à priori, & dicere materiam à poſteriori ſpecificari ex diuerſis actibus, quod non probamus ex eo quod actus ſint diuerſi, ſed ex alio capite, ſcilicet ex eo quod materia habeat virtutem recipiendi formam, quam non habet alia, ex quo abſolutè inferimus diuerſitatem materierum inter ſe, & ſpecificam diſtinctionem ſpecierum, ex quo poſtea quaſi à priori ſpecificationem diuerſam actuum reſpicimus, & dicimus materiam à poſteriori ſpecificari, ab his actibus, quos à priori probauimus diſtinctionem ſpecificam ex materiis habituros. Ob hanc rationem dixi n. 2. vniones diſtinguendas eſſe per ordinem ad formas, in ordine ad cognoſcendam diſtinctionem ſpecificam materiæ; quando verò iam ex alio capite nobis innoteſcit diſtinctio ſpecifica materiæ, poſſumus per ordinem ad materiam ſpecie diſtinctam vnionem diſtinguere, & aſſerere ab his vnionibus ſpecie diſtinctis quaſi à priori ex diuerſitate materiæ aliunde nota à poſteriori materiam diuerſam ſpecificari, quod in noſtro caſu contingit.

6 Omnem materiam primam ſublunarem, quæ de facto datur eſſe eiuſdem ſpeciei probabiliter affirmo cum communi ſententia, quia quæcumque materia æquè poteſt ſibi vnire, & recipere omnes formas, quas poteſt alia: ergo nullum eſt caput, ex quo poſſit coniici prædicatum aliquod ſpecificum non omnibus commune in materiis, quæ de facto exiſtunt, cùm omnes ſimiles appareant in virtute vnitiua, & receptiua formarum tam ſubſtantialium quàm accidentalium. Antecedens ſatis probabiliter ſuadet experientia, qua videmus eandem materiam modo ſub hac forma modò ſub illa eſſe, & nunquam videmus materiam aliquam, quæ formam aliam in particulari recuſet, neque quæ renuat admittere diſpoſitiones ad illam, quas non reciperet ſi illius receptiua non eſſet, quia diſpoſitionum receptio ad formam ſubſtantialem ordinatur. Quod ſi in materia ſemel informata auri vel adamantis, aliarúmve rerum formis, quas incorruptibiles vulgo dicimus, difficilè, eſto nunquam, formam aliam recipiat, eadem materia anteaquam eſſet cum tali forma, plures alias admiſit, ex quo infertur, non ex defectu capacitatis illas modò reſpicere. Si inſtes forſan eſſe aliquam materiam, quam nos non experti ſimus, incapacem recipiendi formas, quas recipit alia materia illico exiſtens. Dicam me non poſſe oppoſitum demonſtrare, ſed ſatis probabiliter ſuaderi, talem materiam non exiſtere, ex eo quod nullum illius veſtigium inueniamus, neque ratio aliqua, aut coniectura nobis ſuppetat ad aſſerendum talem materiam exiſtere, & experientia oppoſitum monſtret in omnibus materiis, quas huc vſque vidimus.

7 Obiic. Materia prima eſt imperfectiſſimum ex ſuo conceptu: ergo non poteſt dari alia materia ſpecie diſtincta ab hac, quia ſi eſſet perfectior iſtà, non eſſet imperfectiſſimum ens, & ita non eſſet materia: ſi eſſet imperfectior, hæc materia, quæ modò eſt, non eſſet imperfectiſſimum ens, & conſequenter non haberet rationem materiæ, quam ſimul haberet, quia iam ſupponimus eſſe materiam; æquè imperfecta cùm iſta eſſe non poteſt, quia repugnant duæ ſpecies perfectione, aut imperfectione æquales. Reſpondeo quidquid ſit de æqualitate poſſibili inter duo ſpecie diſtincta, materiam primam non eſſe imperfectiſſimum omnium entium, quia accidentia ſunt illa imperfectiora. Eſt tamen imperfectiſſimum ens ſubſtantiale ſaltem non modale præcisè ex conceptu materiæ, quia materia eſſentialiter eſt imperfectior forma, iuxta dicta de illius eſſentia, & imperfectior toto, quod ſupra illam includit formam. Ex hoc tamen non inferri, dari non poſſe materiam imperfectiorem alia, dum omnium perfectiſſima non attingat perfectionem imperfectioris formæ quam poteſt recipere. Non enim eſt de ratione huius materiæ primæ eſſe ita imperfectam, vt non poſſit alia materia imperfectior dari, ſed tantùm eſt de ratione totius materiæ eſſe ens imperfectiſſimum comparatum cum formis, quibus poteſt vniri, & cum totis, quæ poteſt componere.

8 Dubitabis an materia prima ſit receptiua aliquarum formarum præter eas, quas de facto Deus huc vſque produxit, & aliquando producet immediatè, vel mediis aliis cauſis ſecundis, vel poſſit recipere exiſtentes, vel exituras, & nullam aliam ſpecie diſtinctam, ex his, quas Deus potuit creare, & nunquam ſunt creandæ. Ad hanc quæſtionem rectè reſpondet Arriaga diſp. 2. ſect. 9. ſubſ. 2. Deum potuiſſe creare materiam, quæ eſſet receptiua harum, quæ de facto dantur, & ſimul aliarum purè poſſibilium, & quæ tantùm harum eſſet receptiua, & nos non poſſe certò ſcire, quam illarum creauerit; probabilius tamen poſſe dici tantùm creaſſe materiam receptiuam formarum aliquando exiſtentium & non purè poſſibilium. Quia cùm Deus ſciret, quas formas erat producturus, magis congruum videtur illis tantùm materiam creaſſe, & non aliis nunquam futuris, eſſet enim abſque vlla neceſſitate in rerum natura virtus receptiua ſpeciei formæ, cuius nulla indiuidua forma eſſet extitura. Non ago de diſtinctione vel vnitate ſpecifica inter materiam primam, & ſublunarem de qua Controuerſ. de Cœlo.

CONTROVERSIA III.

De forma ſubſtantiali.

CONTROVERSIA ſecundâ nonnulla de forma prælibaui, reliqua in præſenti peragam.

PVNCTVM PRIMVM.

Exiſtentia formæ ſubſtantialis ſtatuitur.

1 Natura formæ ſubſtantialis pleroſque ex Antiquioribus latuit Philoſophos, alij ex poſterioribus illas in elementis non agnoſcebant, omnes denique toti erant in natura materiæ explicanda, & naturam formæ quam vix expiſcabantur, tanquam quid ignotum omittebant; quos ſæpe reprehendit Ariſt. toto lib. 1. phyſicorum, & lib. 2. cap. 1. vbi formam perfectiorem naturam dicit eſſe quàm materiam. Idem tenet lib. 1. de parte animal. 1. cap. & lib. 7. Metaph. c. 4. & lib. 12. cap. 2. vbi vocat formam *hoc aliquid*, & lib. 7. *quod quia eſt rei*, hoc eſt, quod tribuit vltimam quidditatem, vltimum conſtitutiuum, vltimumque prædicatum eſſentiale

eſſentiale compoſito; aliiſque innumeris in locis dari formam ſubſtantialem in omni compoſito docet tanquam verum, & tanquam quid certum ſtatuit.

2 Prima ratio huius Concluſionis petenda eſt ex noſtro rationali animo, quem eſſe formam informantem, & exiſtentem eſt fide ſanctum, vt oſtendam Controuerſ. 1. de anima Punct. 3. & ratio ipſa non conuincit à poſteriori deſumpta ex illius immobilitate, ex merito & demerito voluntatis, ex libertate illius, ex actibus intellectus & voluntatis, reliquarumque potentiarum, quæ omnia accidenti competere repugnant, vt ipſo naturæ lumine notum eſt: ex noſtro animo rationali gradum facimus ad reliqua viuentia præcipuè ſenſitiua, in quibus plures operationes inuenimus ſimiles aliquibus, quas exercent ratione animæ, illas videlicet, quæ correſpondent gradui viuentis, in quo conueniunt, ſenſationes videlicet in viuentibus ſenſitiuis, & modus ſe nutriendi in vegetatiuis: ergo datur aliquod principium radicale ex quo oriantur hæ oppoſitiones ſimiles rationali ſecundùm illam rationem, in qua conuenit cum illo: ergo ſicut in homine principium ſentiendi eſt ſubſtantia, ita in equo erit ſimiliter ſubſtantia.

3 Vniuerſalius ex eadem operationum ſimilitudine, probo dari principium aliquod radicale, quod ſit ſubſtantia: In omnibus compoſitis eiuſdem ſpeciei, ſiue viuentibus, ſiue non viuentibus dantùr accidentia ſimilia, in quorum productionem, & conſeruationem propendet compoſitum: Sed hæc propenſio non eſt propria materiæ, quæ ex ſe eſt indifferens, vt habeat hæc vel illa accidentia: ergo oritur ex alio principio conſtitutiuo compoſiti, cuius propria ſunt hæc accidentia; hoc non eſſe accidens, ſed ſubſtantiam, ſic probo. Quando aqua amittit frigiditatem, & quodlibet aliud compoſitum quamcumque ex primis qualitatibus illi innatam eo ipſo quod abſit contrarium, ſtatim ſe reſtituit in priſtinam qualitatem: ergo hæc qualitas oritur ab alio principio diſtincto à qualitatibus, quæ non poſſunt ſe inuicem producere; frigiditas enim amiſſa non poteſt ab alia qualitate ſpecie diſtincta produci, neque poteſt intenſio frigiditatis amiſſæ produci ab aliis gradibus frigiditatis in eodem ſubiecto permanentibus, quia ſi lignum vel aliud compoſitum amittat gradum aliquem frigiditatis non debitum: etiamſi alij plurimi permaneant in eodem ligno, non recuperat gradum frigiditatis amiſſæ: ergo hæc reſtauratio non fit à frigiditate ſuperſtite, ſed à forma alia ſubſtantiali; quia ſi fieret à frigiditate, in illo compoſito citius fieret, in quo maior frigiditas formalis permaneret, quod non ita fieri oculis cernitur.

4 Rurſus hæc accidentia, quæ ſemper comitantur compoſitum huius ſpeciei vel ſunt connexa ipſa inter ſe ſine aliquo ordine prioris, & poſterioris, vel in aliqua prima radice: non ipſa inter ſe, quia in equo datur viſio ſimilis viſioni hominis; & in homine connectitur cum actibus & potentiis, cùm quibus in equo non connectitur, deinde quia hæc connexio vt probatum eſt exemplo aquæ reſtituentis ſe in priſtinam frigiditatem; eſt ratione alicuius principij actiui in pluribus accidentibus, quæ ſibi non poſſunt eſſe inuicem cauſæ: ergo eſt in aliqua radice ex qua oriatur: ergo illa erit primus actus materiæ, & quæ primò & per ſe ordinantur ad conſtituendum compoſitum, quod ad illam non ſupponitur, & reliqua eorum in ordine ad illam, quam ex natura ſua tanquam ipſorum radicem ſupponunt. Probo conſequentiam, ex conſtitutiuo ſubſtantiæ quod non eſt ordinari ad aliud, quod ſupponatur ad ipſum & eſſe id, ad quod reliqua ordinantur, quod dicimus eſſe ens per ſe, hoc eſt propter ſe intentum à natura: ſed illa radix communis accidentium, quæ ſemper comitatur hoc ſpecie compoſitum, eſt per ſe modò explicato: ergo eſt ſubſtantia.

5 Vltimò oſtendo compoſitum per generationem formam ſubſtantialem acquirere ex diuerſitate mutationum, quas experimur eandem materiam ſubire. Ferrum candens etſi intenſiſſimum calorem in ſe concipiat, vt primum ſeparatur agens, à quo calor ille fuit productus, paulatim intenſionem caloris amittit, & breuiter temperamento debito ſe reſtituit. Ignis quando in cineres redigitur nunquam poteſt temperamentum amiſſum, iterum acquirere, neque ad antiquas qualitates redire: ergo diuerſam ſubit mutationem materia ignis, & materia ferri, quando videmus ignem candentem, & ignem in cineres redactum; quæ diuerſitas ea eſt, vt materia ignis candentis ſolùm in accidentibus alterationem paſſa eſt, & permanens cum eadem forma ſubſtantiali, quamtumuis accidentia perdantur, principium retinet, quod ſimilia accidentia in illa producet, abſcedente contrario, à quo fuerunt corrupta; materia verò ignis redacti in cineres formam ſubſtantialem amiſit, & nullum in illa remanet principium, ex quo ſimilia accidentia antiquis deperditis rurſus oriantur. Hæc & alia plurima latè, & doctè ſolidè expendit Noſter Soar. diſp. 15. ſect. 1. Hæc ſufficiant pro re iam iuxta omnes Doctores extra omne dubium ſtabilitâ.

PVNCTVM II.

Quotuplex ſit forma in vnoquoque compoſito?

§. I.

Status quæſtionis & Doctorum placita.

NOn diſquiro modò an eadem materia plures ſubſtantiales formas poſſit recipere ſupernaturaliter? de quo dicam Controuerſ. 8. Puncto 2. ſed an materia habeat duas formas inter ſe connexas, & ſubordinatas in ordine ad naturalem conſtitutionem vnius compoſiti, ita vt alterâ dempta, etiamſi alia ſuperſit in materia compoſitum ſimpliciter & adæquatè non ſit conſtitutum. 1

P. Soar. 1. Metaph. diſp. 15. ſect. 10. plures de hac re opiniones refert. Senſêre Paulus Venetus, & Henric. de Gandauo citati apud Suarez num. 4. tot dari formas realiter diſtinctas in quocumque compoſito, quot dantur gradus metaphyſici, & prædicata eſſentialia formaliter diſtincta in quocumque compoſito. Scotus, & Henriquez apud eundem Soar. num. 8. formam quandam corporeitatis in viuentibus conſtituunt. Scotus illam in omni viuenti agnouit, Henricus, tantùm in homine hanc corporeitatis formam inuenit. Alij apud eundem Soar. num. 17. diſtinguunt formas ſecundùm diuerſos ſubſtantiæ gradus. Sunt autem quatuor gradus ſubſtantiarum materialiũ, alia eſt ſubſtantia inanimata, alia vegetabilis, alia ſenſitiua, alia rationalis. Subſtantia inanimata ſecundùm hanc ſententiam vnica tantùm gaudet forma: Vegetabilis duabus potitur: Senſitiua tres continet formas; & Rationalis quatuor includit. Multi ex antiquis Philoſophis pro diuerſis partibus heterogeneis viuentibus partiales formas diſtinctas conſtituebant ſuperadditas; alij formas per totum corpus diſperſas. Ex Medicis tenent nonnulli cum Galeno, & Auicenna, in quolibet mixto formas elementorum formaliter manare. Communis Theologorum & Philoſophorum ſententia vnicam tantùm formam in vnoquoque compoſito ſiue inanimato, ſiue animato conſtituit. Ita D. Th. 1. p. q. 76. art. 4. & alij plurimi apud Suar. n. 62. quam idem Suar. latè propugnat ibid. & diſp. 13. ſect. 3. & lib. 1. de anima cap. 6. 2

De Medicorum ſententia aſſerentium, formas elementorum manere formaliter in mixto, iudicium fero Contr. 7. de generatione, Punct. 4. vbi ſpecialiter illam exagitabo. De ſententia conſtituente diuerſas formas partiales ſuperadditas pro partibus heterogeneis dicam Contr. 1. de anima, Punct. 7. Nunc de aliis ſententiis iudicium fero. 3

§. II.

Duplex reiicitur ſententia.

PRimo loco reiicienda eſt ſententia, quæ formas multiplicat pro multitudine prædicatorum eſſentialium ex his quæ diximus in Logica, vbi probaui prædicata eſſentialia non diſtingui diſtinctione reali, ſed tantùm per rationem, ex quo infertur rationes formales prædicatorum non diſtingui per formas realiter diſtinctas, aliàs realiter, & non ſolùm formaliter diſtinguerentur. Secundò, ſi formæ multiplicandæ eſſent ſecundùm diuerſa prædicata formaliter diſtincta, neceſſum eſſet non ſolùm in compoſitis, ſed etiam in formis accidentalibus in Angelo, & in materia prima formalitates realiter diſtinctas conſtituere, quia in his entitatibus reperiuntur prædicata eſſentialia formaliter diſtincta, generica, ſpecifica & indiuidualia, quibus formalitates, ſeu entitates realiter diſtinctæ correſponderent ſicuti in toto compoſito ſecundùm hanc ſententiam correſpondent. Vltimò eadémet entitas indiuiſibilis ſecundùm diuerſas cõuenientias, & ſecundùm diuerſos 4

effectus

effectus, quos poteſt producere, diuerſas per intellectum formalitates ſortitur: ergo non multiplicantur realiter formæ ſecundùm diuerſas formalitates, quas intellectus diſtinguit.

5 Fundamentum huius ſententiæ deſumptum erat ex Ariſtotele 7. Metaphyſ. cap. 10. aſſerente partibus definitionis correſpondere partes rei. Hoc nullius eſt momenti, intelligendus eſt enim Ariſtoteles de partibus, non phyſicè, ſed metaphyſicè ab ipſo intellectu definiente diſtinctis. Alio modo poteſt explicari teſtimonium Ariſtotelis de definitione data per partes phyſicas compoſiti. Aliud teſtimonium adducitur pro eadem ſententia ex eodem Philoſopho dicente 2. Metaphyſ. cap. 2. in formis ſubſtantialibus non dari proceſſum in infinitum, quia non datur in conceptibus quidditatiuis. Non maioris eſt negotij hoc teſtimonium diſſoluere, quàm primum; recta enim eſt illatio Ariſtotelis: conceptus quidditatiui non ſunt infiniti; ergo neque formæ, quia his multiplicatis non poſſunt illi non multiplicari, non tamen ideo tenet oppoſita conſequentia; formæ non multiplicantur: ergo neque conceptus, & ideò non rectè arguitur, neque à priori, neque à poſteriori conceptus quidditatiui multiplicantur; ergo multiplicantur formæ.

6 Accedo ad formam corporeitatis quam multis reiicit Suarez locis citatis, ſed ex nullo capite efficacius reiicitur, quàm ex ſolutione, & impugnatione illorum, quæ ad illam conſtituendam adducunt Scotus, & Henric. illis enim deſtructis non eſſe admittendam talem formam clarè conſtabit, non enim licet abſque probabili ratione liberè formas abſque vllo fundamento comminiſci. Scoti & Henrici fundamenta expendo.

7 Exiſtimat Scotus formam hanc neceſſariam eſſe in viuentibus, quia anima eſt actus corporis phyſici & organici: ergo anima, quæ eſt forma viuentis ſupponit iam corpus organicum: ergo ſupponit materiam primam cum forma corporeitatis, quia materia prima nudè ſumpta organica non eſt. Oſtendam Controu. 1. de anima, Punct. 1. ly *corporis* in definitione poſitum poſſe ſignificare totum compoſitum conſtitutum per ipſam animam, cuius anima dicitur actus conſtitutiuus, iuxta quam expoſitionem anima dici poteſt actus corporis deorganizati per ipſam animam illud conſtituentem viuens, & organicum, ſi verò ly *corporis* non totum compoſitum, ſed materiam primam ſignificet, dicendum eſt, hanc ſupponi organicam ad formam per deorganizationem accidentalem, quæ conſiſtit in quantitate cum hoc temperamento qualitatum diuerſo pro diuerſis partibus viuentibus ſiue intrinſecè, ſiue tantùm extrinſecè heterogeneis pro diuerſis partibus viuentis per ipſam animam conſtituendi.

8 Secundò, & præcipuè motus eſt Scotus argumento à poſteriori ſic confecto. Quando in morte animalis recedit anima, non ſtatim introducitur alia forma: ergo neceſſum eſt materiam primam retinere reſiduam aliam formam, ne maneat abſque omni forma: recedente anima non introduci aliam formam, ſic probat. Si introduceretur alia forma eſſet diuerſa ſecundùm diuerſas diſpoſitiones, quæ ſuccedunt diſpoſitionibus viuentis; ſed videmus non ita contingere, ſed ſemper idem cadauer cum eiſdem accidentibus permanere: ergo non introducitur alia forma ſtatim vt decedit anima. Argumentum ad hominem in Scotum retorqueo. Scotus ipſe fatetur, materiam manere cum forma corporeitatis adhuc incompletam, quia forma corporeitatis non dat materiæ eſſe completum, aliàs anima illi ſuperaddita non potuiſſet conſtituere vnum per ſe, ſed vnum per accidens, quia quidquid enti completo ſupperadditur, vnum per ſe conſtituere nequit, quia per accidens illi ineſt, & ita vnum per accidens conſtituere neceſſum eſt: ergo poterit dici manere adhuc abſque illa forma corporeitatis abſque vllo, vel ſaltem abſque nouo inconuenienti. Probo conſequentiam. Non minùs ordinatur in tua ſententia ad conſtituendum compoſitum cum anima ſuperuentura materia cum corporeitatis forma, quam in mea ſententia materia ſine aliqua ſubſtantiali forma: ſed in tua ſententia inconueniens non eſt materiam cùm forma corporeitatis incompletam permanere ſine alia forma, ad quam eſſentialiter ordinatur: ergo neque in mea ſententia erit abſurdum materiam nudam omni forma ſubſtantiali incompletam permanere ſine forma ad quam ordinatur. Ad argumentum Scoti reſpondendum eſt nunquam recedere animam ſine noua forma cadaueris adueniente. An verò forma cadaueris ſit ſpecialis forma, quæ ſemper formis viuentibus ſuccedat, vel eadem ſemper in ſpecie pro cadaueribus ſuccedentibus viuentibus eiuſdem ſpeciei, vel an quæcumque forma, quæ viuenti ſuccedit cadauer appelletur dum illius materia remanet cum illa figura externa, quam habebat viuens, parum ad præſentem quæſtionem attinet, & vtrumque probabiliter dici poteſt. Affirmat Suarez num. 16. Ego probabilius cenſeo, formam cadaueris non eſſe ſpecialem aliquam formam, ſed omnem formam immediatè ſuccedentem viuenti dici cadauericam, dum illius figuram externam materia retinet, quam habebat in viuenti. Quod ſi ſemper eadem appareat, ideo eſt, quia quod præcipuè ſenſibus ſentimus in cadauere, ſunt accidentia, quæ remanent ex præcedenti forma, quæ neque ab illa in conſeruari dependebant, neque cum cadauerica opponuntur, & ita remanent in compoſito quouſque ab aliquo extrinſeco agente corrumpantur. Si quis defendere velit dari ſpecialem formam cadaueris eiuſdem rationis in omnibus compoſitis, quæ ſuccedunt viuentibus eiuſdem ſpeciei, dicere tenetur in his omnibus occurrere ſemper aliqua accidentia, tum ex his, quæ remanent ex forma viuentis, tum ex aliis aduenientibus, eadem ſemper in omni corruptione viuentium eiuſdem ſpeciei, quæ ad ſpecialem formam cadauericam diſponunt, licet alia ſimul his adiungantur, quæ neceſſaria non ſunt ad illam ſpecialem formam introducendam, conducunt tamen ad expulſionem diſpoſitionum formæ viuentis, & conſequenter ad huius corruptionem, ſi corruptio viuentis ex defectu diſpoſitionum præcisè contingat, licet ego aliter ſentiam. Neque refert diſpoſitiones ſemper intendere diſponere ad aliam formam & non præcisè hanc corrumpere, quia bene poſſunt illa accidentia intendere introductionem formæ, quam non conſequuntur, quia deſunt alia, & deeſt temperamentum adæquatum formæ ad quam ordinantur, & illa ſufficiunt ad expellendas diſpoſitiones requiſitas ad conſeruandam formam viuentis. Iterum aſſero me loqui in opinione, quæ aſſerit formam in conſeruari, dependere à diſpoſitionibus, quod ego non ſentio, & ita iuxta mea principia dicam, illa accidentia, quæ non conducunt ad introductionem nouæ formæ, quantumuis expellant diſpoſitiones antiquæ non conducere ad illius corruptionem.

Tertiò arguit Scotus: Dici nequit corpus hominis mortui eſſe ſpecie diuerſum à corpore eiuſdem hominis viuentis: ſed neceſſariò dicendum eſt idem, non ſolùm in ſpecie, ſed etiam numero: ergo habet eandem omnino formam. Non animam: ergo formam corporeitatis. Antecedens probat Scotus: ſi non eſſet idem corpus in homine emortuo, & viuo, non iacuiſſet in ſepulchro idem corpus Chriſti, quod fuit in Chriſto viuente, quod dici nefas eſt. Reſpondeo in homine viuente & mortuo eſſe eandem materiam cum eadem deorganizatione figuræ externæ, quam materiam ſic organicam corpus appellamus, & ratione illius dicimus eſſe idem corpus in mortuo, & viuente. Si verò ſermo ſit de corpore completo conſtituto ex materia, & forma, verum non eſt dicere eſſe idem corpus in cadauere, & in viuente, neque in hoc ſenſu dicitur permanere in ſacroſancto Chriſti cadauere idem corpus, quod antè præceſſit, & modò eſt in Chriſto viuente. 9

Quartò argumentatur: Homo eſt corporeus non ratione animæ rationalis, quæ eſt ſpiritualis: ergo ratione alius formæ corporeitatis: vulgaris ſolutio eſt, hominem eſſe corporeum ratione animæ rationalis, quia etiamſi ſit ſpiritualis *vt quod*, eſt corporea, *vt quo*. Non teneo: Animam eſſe corpoream, *vt quo*, nihil aliud eſſe poteſt, quàm conſtituere totum corporeum; in ſe enim nihil habet corporeitatis formaliter, & cùm diſtinguas formaliter *vt quo*, nihil aliud dicis, quàm animam ſpiritualem eſſe id, quo conſtituitur corpus, quod aduerſarij ſic impugnant: Nihil ſpirituale poteſt eſſe conſtitutium corporei: ſed anima rationalis eſt ſpiritualis, *vt quod*, quod eſt eſſe ſimpliciter ſecundùm ſuam entitatem & rationem intrinſecam ſpiritualem: ergo non poteſt eſſe corporea *vt quo*. Vrgeo, eſſe corpoream *vt quo*, & eſſe id, quo conſtituitur corpus, & eſſe conſtitutiuam corporis, formaliter non diſtinguuntur: ergo concluſionem ipſam reddis pro ratione, cùm dicis animam ſpiritualem *vt quod* eſſe conſtitutiuam hominis corporei, quia eſt corporea, *vt quo*. Recurrunt alij ad informationem, & aſſerunt animam rationalem conſtituere formaliter corpus, quia etiamſi ſit forma 10

ſpiritualis, informat mediã informatione corporeã, & ita informat modo corporeo, & corpus conſtituit. Non placet ſolutio, quia multi cenſent modum vnionis ſubiectari in anima, & eſſe ſpiritualem, vel dari duplicem modum quendam ex parte materiæ, & alterum ex parte animæ, & hunc eſſe ſpiritualem, & informationem animæ: quod ſi verum non ſit, ſaltem non repugnat compoſitum ex materia & anima rationali vnitum mediã vnione ſpirituali, quod non ſpirituale, ſed corporeum diceretur, etiamſi informatio formæ ſpiritualis eſſet ſpiritualis.

11 Facilius reſpondeo, non omnia prædicata, quæ ſunt in toto, formaliter participare ratione vtriuſque partis, ſed plurima ratione alterius tantùm, etiamſi de toto prædicentur: patet in prædicato intellectiui; dicimus enim, homo eſt intellectiuus, & potentia intelligendi tantùm illi formaliter competit ratione animæ, licet totum denominet compoſitum: Eadem ratione prædicatum corporei de toto homine dicitur, & totus homo dicetur corporeus, etiamſi ratione vnius tantùm partis corporeitatis rationem participet, & non ratione alterius. Inſtant aduerſarij. Homo eſt adæquatè corporeus: ergo corporeitate adæquata; ſed materia prima eſt entitas inadæquata habens corporeitatem inadæquatam identificatam ſecum: ergo homo habet diſtinctam corporeitatem à corporeitate materiæ. Retorqueo argumentum: quæcumque ſit illa forma, quam aduerſarij inueniunt, vt compoſitum corporeum conſtituat, eſt entitas inadæquata: ergo illius corporeitas eſt inadæquata: ergo non poteſt conſtituere compoſitum adæquatè corporeum. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: homo eſt adæquatè corporeus, quoad denominationem, id eſt, totus homo adæquatè ſumptus, denominatur corporeus, concedo antecedens: eſt adæquatè corporeus ſecundùm totam entitatem adæquatam, qua ſecundùm omne illud, quod formaliter dicit, ſit corporeus, nego antecedens; quia homo formaliter dicit animam, quæ corporea non eſt: deinde nego conſequentiam, quia corporeitate inadæquata totum adæquatè dicitur corporeum, vel diſtinguo maioris claritatis gratia. Homo eſt corporeus corporeitate adæquata, hoc eſt, tota corporeitate, quam poteſt includere, concedo: Corporeitate, quæ in ſe ſit entitas adæquata nego: Eodem enim modo, quo dicitur rationalis rationalitate animæ, quæ eſt entitas inadæquata, & eſt tota rationalitas, qua denominatur totus homo adæquatè rationalis, eſt corporeus corporeitate materiæ, quæ eſt entitas inadæquata, & totum hominem denominat corporeum etiamſi ex duabus partibus eſſentialibus; quas includit vna tantùm ſit corporea, & ſpiritualis alia.

12 Dices, homo includit eſſentialiter materiam, & formam; hæc, quæ præcipua pars illius eſt, formaliter eſt ſpiritualis; illa, quæ eſt pars minùs præcipua, materialis: informatio in probabili ſententia ſpiritualis eſt, ac per nos non eſt alia ratio propter quam homo corporeus dici debeat: ergo potiori ratione totus homo debet denominari ſpiritualis ratione partis formalis principalioris, quàm corporeus, ratione partis materialis minùs principalis: cur enim materialis per totum poterit denominare corporeum, quia ipſa eſt corporea, & pars formalis non poterit idem totum ſpirituale denominare, cùm ipſa ſpiritualis ſit, & quæ præcipuè illud conſtituit? Reſpondeo materiam vnitam animæ ſpirituali communicare animæ ſaltem extrinſecè rationem corporis, quam in ſe habet, animam verò non communicare materiæ adhuc extrinſecè rationem ſpiritualis, & ita poteſt denominari corporea anima in toto, cùm dicimus homo eſt corporeus, etiamſi ipſa anima ſpiritualis ſit, & materia non poteſt adhuc in toto ſpiritualis denominari, nec homo abſolutè ſpiritualis dici poteſt. Materiam communicare extrinſecè animæ rationem corporeitatis media vnione, probo, & explico. Ratio corporis dicit impenetrabilitatem cum alio corpore à ſe diſtincto, & ratio ſpiritus dicit penetrabilitatem cum alio quocumque corpore, & entitate einſdem rationis cum ipſa, vt probabo latè Controuerſ. 1. de anima, Puncto 5. ſed materia eo ipſo, quod vniatur animæ media vnione, illam conſtituit extrinſecè impenetrabilem cum alio corpore diſtincto ab illo, cui vnitur, quia anima Petri dum eſt vnita illius materiæ non poteſt penetrari cum ligno: ergo materia aliquo modo communicat rationem corporis, quam habet, animæ, quam impenetrabilem conſtituit cum alio corpore, & cum alia anima vnita alij materiæ. Anima verò etiamſi materiæ vniatur, non illam conſtituit penetrabilem cum aliqua entitate, cum qua antea non poſſet penetrari, & ita neque extrinſecè illam penetrabilem conſtituit, neque illi rationem ſpiritualitatis communicat.

Vltimò arguit Henr. Animata dicuntur conſtare corpore, & anima, inanimata non dicuntur conſtare corpore, & forma: ergo in animatis datur aliqua forma corporeitatis afficiens materiam ab anima diſtincta, quæ non datur in inanimatis, quæ non dicuntur conſtare corpore non includente animam. Reſpondeo animata dici conſtare corpore, & anima, quia conſtant materia organica per temperamentum heterogeneum qualitatum, quæ materia, ita diſpoſita dicitur corpus, ad diſtinctionem materiæ non organicæ: inanimata non dicuntur conſtare corpore & forma, idem enim ſonat in viuentibus, conſtare corpore, & anima, ac conſtare materia organica & forma. 13

§. III.

Reijcitur multiplicitas formarum in viuentibus, & vera ſtatuitur ſententia.

LEui opera potuimus deſtruere fundamenta omnia, quibus forma corporeitatis à ſuis patronis propugnabatur, ſed neque hac indigebimus, vt nos expediamus à ſententia, quæ ſecundùm gradus diuerſos viuentis diſtinctas formas conſtituebat; nullum eſt enim neque leue argumentum, præter illud quod adducit Ocham quodlibeto 2. quæſt. 10. petitum ex diuerſitate, & oppoſitione operationum quod nullius eſſe momenti clarè conſtabit. Accedunt rationes aliæ, quæ difficiliorem reddunt hanc formarum multiplicitatem in animatis, quæ iam expendo. 14

In equo forma vegetatiua, non eſt realiter ratio aliqua communis, ſed contracta ad certam & determinatam ſpeciem; ergo contrahitur per differentiam ſpecificam ſecum identificatam. Antecedens neque illatio aliqua indigent confirmatione; procedit argumentum. Ratio ſpecifica contrahens animam vegetatiuam equi, vel dicit rationem animæ ſenſitiuæ, vel clauditur intra rationem vegetatiuæ, ſicuti ratio animæ vegetatiuæ, quæ eſt in arbore, ſi contrahitur per rationem animæ ſenſitiuæ, eadem forma vegetatiua realiter erit ſenſitiua, quia ratio, quæ contrahitur, & ratio contrahens realiter ſunt idem. Si contrahitur intra rationem animæ vegetatiuæ: ergo ſicuti materia arboris eſt ſufficienter informata forma arboris, quæ tantùm eſt vegetatiua, & cum illa conſtituit totum compoſitum adæquatum, ita materia, quæ eſt ſub forma equi, erit ſufficienter informata per animam vegetatiuam, ſeu per formam, quæ eſt principium vegetandi, & cum illa totum adæquatum conſtituet; ergo non poterit poſtea informari forma ſenſitiua, vel ſi illa informetur, hæc ſupponet iam totum vegetatiuum ſimile arbori iam adæquatè conſtitutum, & ita non poterit vnum per ſe conſtituere, quia forma quæ ſuperuenit toti adæquato non poteſt cum illo vnum per ſe, ſed vnum per accidens conſtituere. Idem dico de forma rationali ſuperuenienti compoſito ſenſitiuo. Rurſus à poſteriori probatur in homine idem principium indiuiſible concurrere ad operationes vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi, & conſequenter per eandem formam conſtitui vegetatiuum, ſenſitiuum, & rationalem. Ex nimia attentione intellectiuæ animæ impeditur operatio ſenſitiuæ, & nutritiuæ: ergo hæ operationes proueniunt ab eodem principio, ergo ab eadem anima: patet conſequentia. Ex eo quod hoc principium intentum ſit in ſua operatione exercenda, nullum habet impedimentum ad operandum principium aliud ab hoc diſtinctum: ergo quando virtus operatiua huius actionis impeditur alia actione, ambæ ab eadem virtute indiuiſibili proueniunt. 15

Vltimò in homine non dari animam ſenſitiuam à rationali diſtinctam, ab inconuenienti Theologico probatur; quia, ſi in Chriſto fuit duplex anima ſenſitiua, & rationalis, dum rationalis amiſit vnionem cum corpore in triduo mortis, ſenſitiua vel permanſit vnita materiæ, vel fuit corrupta, vel ſimul fuit ſeparata cùm rationali: dicere permanſiſſe vnitam materiæ, hæreticum eſt, quia ſequeretur Chriſtum non fuiſſe mortuum, ſiquidem illius corpus permanſiſſet cum anima ſenſitiua: dicere fuiſſe corruptam, 16

tutum

Digitized by Google

tutum non eſt, quia ſequeretur in morte Chriſti Verbum reliquiſſe aliquam partem eſſentialem Chriſti, cui principaliter primò & per ſe fuerat vnitum. Si dicatur permanſiſſe ſeparatam miraculum inauditum fingitur, ſcilicet materialem formam abſque ſubiecto fuiſſe conſeruatam, & in re grauiſſima abſque fundamento contra ſenteotiam Patrum, dicitur duas Chriſti animas in triduo eſſe ſeparatas. Hanc multiplicitatem animarum in Chriſto eſſe contra Patrum ſententiam, & ſenſum Eccleſiæ conſtabit ex teſtimoniis quæ iam ſubiicio. S. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, infert contra Apollinarem ipſum aſſerentem Verbum aſſumpſiſſe animam ſenſitiuam ſine naturali dixiſſe re ipſa, Verbum aſſumpſiſſe quandam belluam: ergo ſentit animam ſenſitiuam diſtinctam à rationali ſimul cum materia belluam conſtituere: ergo ex mente Auguſtini non poteſt anima rationalis cum alia ſenſitiua diſtincta belluam conſtituente, hominem conſtituere, quia ex bellua, & rationali anima non poteſt conſtitui totum ſimpliciter & per ſe: quod eſt homo. Vltimò conſtat hæc veritas ex Synodo Conſtantinopolitana IV. can. 11. vbi ſic ſcribitur: *Apparet quoſdam in tantum impietatis veniſſe, vt homines duas animas habere dogmatizent: talis igitur impietatis inuentores, & ſimilia ſapientes, cùm vetus, & nouum Teſtamentum, omnéſque Patres vnam animam rationalem hominem habere aſſeuerent, Sancta & vniuerſalis Synodus anathematizat.* Et in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, eadem veritas iam vt dogma Catholicum traditur, verbis adeò expreſſis, vt nullam poſſint pati interpretationem de duabus animis rationalibus; ſic habentur cap. 5. *Neque duas animas eſſe dicimus in vno homine ſicut Iacobus & alij Sanctorum ſcribunt; vnam animalem, quo animetur corpus, & immixta ſit ſanguini, & alteram ſpiritualem, quæ rationem miniſtret; ſed dicimus vnam eſſe, eámque animam in homine, quæ & corpus ſua ſocietate viuificet, & ſemetipſam ſua ratione diſponat.* Non aliis clarioribus verbis poterat ſingularitas animæ in homine exprimi.

17 Obiicit Ocham: Caro concupiſcit aduerſum ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: ergo eſt diuerſa anima, quæ elicit operationes carnis ab illa, quæ elicit operationes ſpiritus. Si hæc diuerſitas operationum diuerſa argueret principia, ſufficeret diuerſas potentias conſtituere radicatas in eadem anima, ſine animarum multiplicitate. Nego has operationes diuerſas arguere diuerſa principia vitalia, & affirmo has diuerſas concupiſcentias oriri ab eadem anima. Concupiſcentia carnis ſeu actus appetitus ſenſitiui, qui feruntur in obiecta delectabilia, quæ vt plurimum ſunt contra rectam rationem, naſcuntur ab anima inclinata ad illum per ſenſationem externam, quæ percipit obiectum delectabile, quod primò tetigit ſenſus externus, quo allicitur appetitus, & illi blanditur ſenſus internus, vt in illud obiectum feratur. Eadémque anima præuenta cognitione ſpirituali, & auxiliis diuinæ gratiæ fertur appetitu rationali, in obiecta rationi conformia, quæ vt plurimùm ſunt oppoſita illis, in quæ ferebatur ſenſitiuus appetius ex vi ſenſationum, quæ delectabilitatem obiecti proponebant. Inſuper hos motus appetitus ſenſitiui, & rationalis prouenire ab eodem principio probatur, quia ſi in obiecta diuerſa ferantur, alter ab altero retardatur, ſi verò in obiecto conſentiant, vterque fit faciliùs & promptiùs. Concludo ex his in compoſitis, quæ de facto dantur, dari vnicam formam ſimplicem cum qua ſimul cum materia adæquatè totum conſtituitur, & nullo probabili fundamento poſſe multiplicitatem formarum ſubſtantialium inadæquatarum in eodem aſſignari compoſito.

§. IV.

An poſſit dari compoſitum cui naturaliter duplex forma contingat?

18 HÆreo ſemper in his quæſtionibus, quæ de poſſibili, & de potentia Dei abſoluta procedunt, in quibus vt plurimùm vix apparet principium aliquod ex quo poſſimus certam concluſionem deducere. Non diſputo an poſſit materia duplicem recipere formam quamlibet ex ſe adæquatam ad ſuum totum componendum, cum quibus duo tota adæquata conſtituat, diſtincta: tamen inadæquatè tantum, quia vna eſt vtrique communis materia, ſed an idem totum poſſit conſtare duplici forma inadæquata, quarum quælibet ſeorſim ſumpta non poſſit totum adæquatum conſtituere, vtraque tamen illud conſtituat per vnionem ad eandem indiuiſibilem materiam.

Poſſunt hæ formæ ordinatæ ad conſtituendum idem compoſitum cum eadem materia conſtitui inuicem inter ſe connexæ, ita vt vna non poſſit ſaltem naturaliter ſeparari ab alia, ita tamen, vt neutra ſupponat alteram priùs informantem materiam, neque ab illa oriatur, ſed vtraque ſimul materiam reſpiciant, abſque vllo prioritatis ordine inter vtriuſque informationem. Hæc mutua formarum connexio poteſt oriri ex eo, quod vtraque indiuiſibiliter ſit principium earundem operationum, ita vt neutra aliquid producat in compoſito ſine alterius conſortio, neque detur aliqua operatio, ſeu aliqua paſſio, quæ indiuiſibiliter non procedat ab vtraque. Si hac ratione duplex hæc inadæquata forma conſtituatur, exiſtimo abſque vlla difficultate poſſe defendi, non enim repugnat dari duo principia inadæquata earundem paſſionum, & operationum; neque poteſt excogitari ratio propter quam hæc duo principia non poſſint eſſe partes formales compoſiti, quarum neutra poſſit dici forma adæquata, quia nullam paſſionem adæquatè producit, neque eſt principium adæquatum alicuius operationis exercitæ in compoſito. 19

Alio modo poterunt excogitari hæ formæ inter ſe connexæ, & neutra ſupponens alteram priorem natura, quælibet tamen habens principium diſtinctarum operationum, quarum operationes productæ ab vtraque forma dicentur operationes adæquatæ compoſiti conſtituti per vtramque formam, & operationes cuiuſcumque formæ ſeorſim ſumptæ inadæquatæ dicentur reſpectu compoſiti. In his formis inadæquatis ſic conſtitutis primum mihi difficile eſt, ex quo capite poſſent inter ſe illam connexionem habere, ſiquidè illarum quælibet poſſet eſſe principium ſuarum operationum abſque vllo alteriùs concurſu, & neutra ſupponeret informationem alterius, neque altera indigeret ad aliquam operationem. Dices, formas has mutuò eſſe ſibi conditiones comitantes ad exiſtendum. Contrà: hæ formæ non ſunt extrema relatiua prædicamentalia, quorum vnum non poteſt eſſe ſine alio, neque ſunt ſibi inuicem modi? ergo nullum eſt caput, ex quo talem mutuam dependentiam in ſe habeant. Secundò mihi difficile eſt his admiſſis formis, cur illarum quælibet non poſſit dici forma adæquata conſtituens compoſitum adæquatum, inſeparabile ab alio adæquato compoſito, quod cum eadem materia alia forma conſtitueret, cum enim quælibet forma ſit principium operationum diſtinctarum, operationes illæ dici poſſent adæquatæ compoſiti conſtituti per illam formam, & aliæ operationes ortæ ab alia forma eſſent ſimiliter operationes adæquatæ aliûs compoſiti conſtituti per aliam formam. Neque ex eo quod eandem materiam reſpiciant inadæquatæ dici debent, quia adæquatio formarum non ex materia, ſed ex ipſis formis deſumenda eſt, neque repugnant duæ formæ adæquatè reſpicientes eandem numero materiam, neque duo tota inadæquatè diſtincta, quorum materia eadem eſſe debet propter connexionem formarum. Quod ſi dicas duo inter ſe non poſſe connecti, neque eandem exigere materiam, mihi facilè perſuadeo, quia difficilè excogitatur talis connexio inter duas formas, quarum quælibet eſt adæquatum principium diuerſarum operationum; vt ſuprà expendebam, hac tamen admiſſa formarum connexione, facilè connexio totorum percipitur, quæ tantùm datur ratione formarum, neque aliquid aliud importat totorum connexio præter connexionem formarum in ordine ad eandem materiam. 20

Denique quis poterat has formas meditari cum ſubordinatione vnius ad aliam, ita vt vnius informatio ſupponeret alterius informationem; Hac ratione non poteſt vtraque eſſe forma ſubſtantialis. Ratio à priori eſt: forma ſubſtantialis debet eſſe actus primus ſubiecti, & id, à quo primo dimanant operationes: ergo forma illa, quæ ſupponit alium actum primum in ſubiecto non poteſt eſſe ſubſtantialis: ergo ſi forma illa, quæ ſupponitur ex parte ſubiecti prior alterâ ſit ſubſtantialis, poſterior adueniens non erit ſubſtantialis, neque primus actus, ſed ſecundus ac proinde accidentalis. Deinde forma ſubſtantialis, quæ prior ſupponitur ex parte ſubiecti connexionem habet cum poſteriori: ergo poſterior oritur à priori, quam ſupponit: ergo prior eſt radix poſterioris, & omnium operationũ, quæ ab vtraque oriũtur, & non poſterior, quæ tantùm ſe 21

habebit vt complementum prioris, & potentia illius, & non poterit eſſe prima radix omnium operationum, quæ ſunt in compoſito, cùm potiùs ipſa ſit radicata in alia forma. Non vltrà progredior, nullum enim principium ſolidum inuenio, in quo firmiter pedem figere poſſim.

PVNCTVM III.

Eſſentia formæ metaphyſicè ſumpta explicatur.

1 Difficultatem penè exhauſi Controuerſ. 2. Punct. 3. vbi conceptum quidditatiuũ materiæ vt diſtinctæ à forma explicui: & dum rationem aſſignaui propter quam materia à forma diſtinguitur, ſimul explicaui rationem ſpecialem formæ, propter quam differt à materia. Rationalis forma materiæ vnitur, & ex illa non educitur, neque dependet ſecundùm ſuam exiſtentiam, poſtquam ſemel eſt creata; reliquæ formæ materiales, vt tradam Puncto ſequenti, non tantùm materiæ vniuntur, ſed etiam educuntur ex illa; itaque ſunt vnibiles, & educibiles, & vtraque potentia per ſuammet entitatem illis conuenit, quia nulla forma terminat vnionem ad materiam, neque eductionem ex illa media alia entitate, ſed per ſe ipſam. Inquiro modò in quo conſiſtat conceptus quidditatiuus formæ ſubſtantialis prout abſtrahit ab hac, & illa forma in particulari, & conuenit omnibus formis ſubſtantialibus, etiam poſſibilibus.

2 Non eſſe de ratione formæ eſſe educibilẽ extra diſputationem eſto. Quia anima rationalis educibilis non eſt, & tamen habet propriam rationem formæ, vt definitum eſt in Concil. Vienneuſi ſub Clem. V. in Clement. vnica, §. *Porrò*, de ſumma Trinit. Formam ſubſtantialem actum potentiæ ſæpè appellat Philoſophus, & anima quatenus forma eſt per actum definit lib. 2. de Anima: *Anima eſt actus corporis*, &c. exiſtimant multi formam dici actum, quia per illam determinatur in differentia materiæ ad hoc, vel illud totùm componendum; ego verò differentiam hanc à conceptu quidditatiuo materiæ relegaui Controuerſ. 2. Punct. 3. ac proinde non poſſum determinationem hanc ex parte formæ inter illius quidditatiuos conceptus annumerare. Formam per proprios, & quidditatiuos conceptus ſic definio: *Subſtantia incompleta, quæ per modum perficientis componit totum.* Alio modo, *pars eſſentialis compoſiti, quæ terminat vnionem ad aliam compartem perfectibilem per modum perficientis.* Ratio partis eſſentialis, ſeu ſubſtantiæ incompletæ aptæ totum cõponere, cõmunis eſt materiæ, & formæ; differt forma à materia per rationẽ perficientis, ſeu perfectionis quã habet reſpectu materiæ. Definitionẽ hanc valde conſonam eſſe exiſtimo, his quæ Ariſtoteles de forma ſemper docuit, vbique enim illam actum appellat, & hanc rationem actus perfectionem vocat, ita expreſsè lib. 2. de anima cap. 1. text. 2. *eſt autem materia* (verba ſunt Philoſophi) *quædam potentia, forma verò actus, atque perfectio materiæ.* En conceptum quidditatiuũ formæ explicat Ariſtoteles per rationẽ actus, atque perfectionis, quam non diſtinguit, quia actus quatenus eſt potentiæ actus, illius eſt perfectio. Neque deſiderabis explicationem rationis perfectionis in qua conſtitui vltimam formæ differentiam, ſi attentè legeris Punctum tertium citatum, vbi abundè ſatis explicui, quomodo materia ſit perfectibilis per formam, & quomodo forma ſit perfectio materiæ: & iterum hæc formæ definitio, quæ cum præcedentibus coincidit, explicabit: *pars eſſentialis compoſito, quæ perfectiora prædicata alteri comparti in toto communicat, quàm ipſa ab illa in eodem toto percipiat.* Differunt formæ inter ſe per diuerſas actuationes, & diuerſa prædicata, quibus materiam perficiunt, quatenus hæc terminant vnionem ad materiam, media qua materiam perficiunt, & per diuerſum modum terminandi, quem habent ex parte ſui ſecundùm diuerſa prædicata terminatiua vnionis, & à poſteriori per diuerſas vniones, quas terminant. Neque ad conceptum quidditatiuum huius formæ in ſpecie pertinet ordo ad eductionem ex potentia materiæ, ſicuti neque ad conceptum quidditatiuum attinet potentia, quam habet materia, vt ex illa educantur formæ, ſed tantùm terminabilitatem vnionis, quæ dicit ex parte extremi omnia prædicata materiæ, quatenus poſſunt vnionem terminare connotando tantùm vnionem, non verò alias actiones, ſeu paſſiones, quas poſſint terminare.

3 Inquiri ſolet, an forma ſit tota quidditas compoſiti? Reſpondeo negatiuè, quia compoſitum præter formam includit materiam tanquam partem eſſentialem, ex qua componitur, qua deficiente, totum deficit. Occurrunt nonnulli: homo vi caloris amittit partes materiæ, quas modò habet, & acquirit alias: ergo poteſt contingere, vt poſt multos annos nihil remaneat materiæ in homine ex ea, quæ modò eſt: ergo ſi tota quidditas compoſiti non ſita eſt in forma, ſed etiam in materia non erit idem homo quadraginta annis elapſis, qui fuerat ante illos. Idem argumentum fieri poteſt in reliquis viuentibus præter hominem, etiam de formis ipſis, quarum diuerſæ partes acquiruntur, & deperduntur per diminutionem, & augmẽtationem viuentium. Reſpondeo hominem plures materiæ partes amittere, & plures acquirere, an verò poſſit perdere omnes, quas acquiſiuit in prima generatione incertum eſt, ſed quidquid ſit de hoc. Dico eſſe eundem hominem ſecundùm animam, & ſecundùm ſe totum dici eundem moraliter, etiamſi phyſicè indiuiſibiliter non ſit idem, ſicut dicitur idem fluuius hodie, ac heri, etiamſi omnes partes aquæ, quas heri habebat, iam amiſerit, & alias acquiſiuit.

4 Obiicies: Fidem docere reſurrecturum eſſe eundem hominem, & non eſſe eundem ſimpliciter, qui non eſt idem phyſicè, ſed tantùm moraliter. Reſpondeo reſurrecturum eundem hominem phyſicè ſecundùm formam, & ſecundùm plures materiæ partes, non verò reſurrecturum ſecundùm omnes partes materiæ, quas habuit, ſi enim omnes quas vi caloris naturalis amiſit, iterum reſumeret, ad inſtar monſtroſi gigantis quilibet reſurgeret. Reſurget ergo ſecundùm illas partes, quas habebat in inſtanti mortis, quod ſi oportuerit ſub pluribus reſurgere, illis adjungentur aliæ, ex his, quas vi caloris amiſerat; quod ſi contingat duplicem hominem ſub eadem parte materiæ animam agere, Deus eodem modo, vel ex alia materia in altero defectum illius partis ſupplebit.

5 Deſiderabis ſcire conceptum communem formæ ſubſtantialis, & accidentalis. Reſpondeo vtramque eſſe perfectionem ſubiecti, forma ſubſtantialis modo ſuprà explicato, accidentalis forma, quia ex ſua natura ordinatur ad perficiendum ſubiectum, quod afficit, & ex ſe ad ſubiectum perficiendum ordinatur, & eſt propter illud, quapropter illius perfectio iure dicitur, etiamſi ſecundùm ſuam entitatem accidentalis forma imperfectior ſit ſubſtantiali ſubiecto.

6 Oſtendi Controuerſia 2. Punct. 3. in fine quàm jeiunè Recentior Complutenſis intenderit impugnare conceptum quidditatiuum materiæ primæ à me deſignatum, hic etiam contra conceptum formæ à me præſcriptum nonnulla adducit, eò meliora, quò pauciora. Aſſerit me, ſuppreſſo nomine impugnare ſententiam S. Thomæ, dum rejicio ſententiam aſſerentem conceptum quidditatiuum formæ conſiſtere, in eo quod determinet eſſentiam materiæ. Sed probat ex eo quòd S. Thomas hæc habet 1. p. q. 44. art. 1. Sed conſiderandum, quòd materia per formam contrahitur ad determinatam ſpeciem, ſicuti ſubſtantia alicuius ſpeciei per accidens & adueniens contrahitur ad terminatum modum eſſendi, vt homo contrahitur per album. Hæc S. Thomas, quæ ego libentiſſimè admitto. Sed in his neque à longè inſinuat in hac ratione determinandi conſiſtere conceptum quidditatiuum formæ, neque id omni formæ poſſibili reſpectu omnium materiarum poſſibilium, ſed his ſpeciebus formarum exiſtentiam reſpectu huius materiæ.

7 Accuſat me Recentior iſte pro libito fingere definitionem. Obiectio iſta aditum præcludit omnibus quæſtionibus, in quibus agitur de eſſentiis, & quidditatibus, & conceptibus formalibus rerum; quis enim conceptum formalem eſſentiæ alicuius rei deſignat illam definit, non enim clarior explicatio alicuius dari poteſt, quàm expoſitio conceptus ſui formalis. Reſpondeo igitur me in hac quæſtione explicaſſe definitionem formæ à Philoſopho traditam clarioribus, & expreſſioribus conceptibus formalibus exprimentibus eundem conceptum obiectiuum.

8 Concedit hic Author formam dicere conceptum perficiendi materiam, dicit tamen hoc naſci ex eo quòd ſit actus dans ſpeciem. Si inter hoc, quod eſt perficere materiam, & dare ſpeciem formalis diſtinctio inuenienda eſſet, priùs deberet in forma agnoſci hoc quod eſt materiam perficere, quàm dare ſpeciem, quia forma non dat ſpeciem

Digitized by Google

ſpeciem materiæ, hoc enim eiuſdem ſpeciei eſt in quolibet compoſito, ſed totum, quod competit, ideò enim conſtituit hoc totum, quia materiam informat, & actuat, qua hoc totum conſtituit.

Pvnctvm IV.

Quomodo formæ præëxiſtant in potentia materiæ?

1 CErtum eſt rationalem animum non educi, ſed creari, & independenter à materia conſeruari: de reliquis formis materialibus procedit difficultas, quomodo educantur ex potentia materiæ, & quam dependentiam habeant ab illa.

2 Ex antiquis Philoſophis multi percipere non valebant, quomodo formæ poſſent præëxiſtere in potentia materiæ, & educi ex illa, ſi in eadem non præceſſiſſent, quia ex nihilo, nihil fit: ergo ſi nihil formæ præceſſit, fit ex nihilo, quod fieri nequit ab agenti naturali. Propter rationem aliqui quos videre potes apud Suarez in Metaphyſic. diſput. 15. ſect. 2. negarunt dari formas ſubſtantiales. Contra hos idem argumentum fit de formis accidentalibus, quod illi de ſubſtantialibus conficiebant. Ideò illos refert Suarez aſſerentes nullam dari mutationem in rebus ſubſtantialibus, ſed omnes formas eſſe ſub materia à creatione illius, & tunc exiſtere hominem, quando in materia apparet forma hominis, & tunc equum, quando in eadem materia apparet equi forma, & ſic de aliis. Non explicantur Authores huius delirij, quid ſit apparere modò in materia, in qua ſunt omnes formæ, formam hominis, & non apparere aliam formam, neque aliquis explicabit, quomodo incipiat apparere forma, quæ antea erat occulta: quis eam vocat, vt nunc appareat, vel quis formam equi excitat, vt reliquis dormientibus, ipſa vigilet, & equum conſtituat? Vltrà: eſſe equum nihil aliud eſt quàm eſſe materiam, formam, & vnionem equi, ſed totum hoc eſt ante apparentiam, quia per hanc nihil equi incipit eſſe, ſed tantùm apparere ſecundùm hos Philoſophos: ergo quacumque materia exiſtente, in qua ſunt omnes formæ, exiſtunt omnia compoſita, etiamſi non appareant, quia apparentia non eſt ratio formalis, neque pars eſſentialis compoſiti. Rurſus de eadem apparentia idem argumentum conficio, quod Philoſophi de formis. Apparentia, quæ incipit, quando incipit exiſtere compoſitum, cuius forma apparet, non præceſſerat ſaltem ſub illo modo: ergo incipit eſſe: ergo tunc primò producitur: ergo ex nihilo, quia nihil illius præceſſerat.

3 Alij ex eiſdem Philoſophis apud eundem Suarez ibidem aſſerebant formas præceſſiſſe in materia non ſecundùm ſe totas, ſed ſecundùm aliquid ſui, & hac ratione formas non fieri ex nihilo ſed ex parte ipſarum in materia præcedenti. Contra hos ſic fit argumentum. Pars illa formæ, quæ denuo fit diſtinguitur realiter ab illa, quæ in materia præexiſtebat; ergo fit ex nihilo, etiamſi pars alia præceſſerit. Alij apud eundem Suarez num. 9. minùs aberrarunt aſſerentes omnes formas materiales creari, contra quos agam, dum communem, verámque ſententiam ſtatuam.

4 Horum omnium Philoſophorum vnum eſt fundamentum, videlicet non poſſe generari formas, quæ in materia non præceſſerunt, quia ex nihilo nihil fit. Et ita omnibus eâdem ratione ſatisfacio. Creatio eſt productio rei ex nihilo, hoc eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto: non ex nihilo rei creatæ, quod latiùs explicabo Contr. 13. Punct. 1. ac proinde etiamſi formæ ſubſtantiales fiant ex nihilo ſui ſeu ex nihilo ſuarum entitatum præſuppoſito, non creantur ſi fiant ex præſuppoſito ſubiecto, ex cuius potentia educantur tanquam ex cauſa materiali, in qua non formaliter, ſed eminenter tanquam effectus in cauſa, & virtute continebantur.

5 Agendum eſt modò cum aliquibus recentioribus, qui rem ſatis probaſſe putant, dum euidenti demonſtratione non conuincuntur, quaſi difficile eſſet ingenioſo viro in re purè Philoſophica, in qua ſi neget principia ab omnibus Philoſophis admiſſa, non hæreſis argui poterit, quodcumque delirium ita defendere, vt nunquam ad anguſtias concluſionis demonſtratiuæ ex principiis conceſſis trahi poſſit. Horum aliqui cùm non auderent aſſerere formas materiales creari, defendunt nulla ratione oppoſitum poſſe probari.

6 Longè difficilius eſt opinatus Arriaga, qui docet formas materiales dependere à materia, & non creari, & licet hanc negatiuam partem non expreſsè tradat dum agit de dependentia formarum materialium à materia, eam apertè defendit, dum diſputat. 3. ſectione 4. poſtquam probauerat formas materiales dependere à materia, docet num. 33. formas cœlorum potuiſſe à Deo creari, verùm cùm illæ omnes dependentes ſint à materia fundamentum non eſſe, vt dicamus interceſſiſſe hoc miraculum in productione formæ cœleſtis. His admiſſis ab Arriaga cum communi ſententia, aliam quæſtionem mouet diſputat. 8. ſectione 1. num. 3. an videlicet cauſa materialis ſit vera cauſa, & exerceat aliquam cauſalitatem cum forma: cui quæſtioni affirmatiuè reſpondet, aſſerit tamen ita concludere propter communem ſententiam, licet videatur, abſque vllo fundamento nos finxiſſe hoc genus cauſæ materialis, quia ex eo quod forma dependeat à materia non infertur materiam eſſe cauſam illius, quia anima rationalis in primo inſtanti creationis dependet à materia, & tamen rationalis animæ materia cauſa non eſt. Clarius ſuam ſententiam explicat Arriaga ibidem dum pro illa refert Patrem Leſſium lib. 3. de ſummo bono, à num. 49. ſatis fusè quæſtionem hanc diſputantem, vbi in negantem partem inclinat, illámque defendit ratione ab Arriaga adducta: ſine hac dependentia, & vero influxu formarum à ſubiecto poteſt aſſignari diſtinctio inter generationem, & creationem, ex eo præcisè quod illa res creari dicatur, quæ neque vt à conditione, neque alio modo dependeat à ſubiecto, & illa generari dicatur, quæ à ſubiecto ſaltem vt à conditione, vel à poſteriori dependet, etiamſi ab eo non cauſetur: ergo nulla eſt neceſſitas confingendi veram cauſalitatem inter formam genitam, & ſubiectum. Eiſdem ferè verbis Leſſium refert Arriaga pro ſua ſententia quam poſtea infirmare intendit. Ex quo infertur Arriagam certò exiſtimaſſe formas materiales non creari, dubitare tamen an dependeant à ſubiecto per veram dependentiam, & cauſalitatem.

7 Contra ſententiam Leſſij & Arriagæ ſic argumentor: Vt res creetur ſecundùm hos Authores, neceſſum eſt, vt non dependeat in fieri, aut in conſeruari ab alia, etiam à poſteriori, & tanquam conditione: ſed anima rationalis, vt fatetur Arriaga, dependet in fieri à materia tanquam à conditione, ſine qua non produceretur: ergo generatur, & non creatur. Deinde ipſe Arriaga fatetur modum vnionis poſſe creari, & tamen non poteſt adhuc de potentia Dei abſoluta non dependere ab vtroque extremo: ergo ad creationem non requiritur omnimoda independentia ab alio, nec ſufficit quæcumque independentia, ſed requiritur independentia tanquam à ſubiecto, ſeu cauſa materiali. Aliud exemplum quod adducit Arriaga de actione creatiua dependenti à termino, à quo non cauſatur, probat poſſe eſſe dependentiam immediatam ſine cauſalitate interiectâ, quod libenter in actione concedo, non tamen probat hanc dependentiam ſufficere ad generationem, quia in ſententia aſſerente, Angelum non eſſe cauſam materialem actionis, per quam producitur, dicendum eſt ipſam actionem per ſe ipſam creari, & nullo modo generari. Rurſus communis ſententia docet materiam primam dependere à poſteriori à forma, & non poſſe eſſe naturaliter ſine illa, nihilominus materia prima in omnium ſententia creatur; ergo ad creationem nihil refert dependentia à poſteriori. Video hac ratione non vrgeri Arriagam, quia ipſe defendit dependentiam materiæ à forma propter communem ſententiam, & eodem modo aſſerit materiam eſſe veram cauſam, & requiri verum influxum cauſæ materialis ad generationem, licet ipſe propendeat in ſententiam negantem hunc influxum, ſicuti in ſententiam negantem dependentiam materiæ à forma. Cæterùm rationes ſuprà factas exiſtimo manifeſtè conuincere non ſufficere ad generationem quamcumque dependentiam, ſed requiri dependentiam per veram cauſalitatem materialis cauſæ, & non requiriri terminum creatum eſſe independentem ab omni alio, vt cum Leſſio docet Arriaga, quapropter ſi nulla eſſet ratio, quæ probaret materiam primam eſſe veram cauſam, nulla nobis ſuppeteret ad probandum formas materiales non creari, imò conſequentiam hanc legi-

Digitized by Google

timam eſſe cenſeo. Hæc entitas non dependet à cauſa materiali per verum influxum : ergo creatur.

8 Audiui recentiores qui Leſſij ſententiam defendebant, aſſerentes ad generationem non requiri verum influxum ſubiecti in terminum productum, neque veram, & propriam cauſalitatem,non tamen ſufficere quamcumque dependentiam, ſed dependentiam ab aliquo tanquam à ſubiecto, & cauſa materiali,licet impropriè cauſa, & hac ratione poſſe creari modum vnionis, quia licèt non poſſit non dependere à materia,quam vnit,poteſt non dependere ab illa tanquam à ſubiecto:eademque ratione creari animum rationalem,etſi in primo inſtanti creationis dependeat à materia, ſine qua non produceretur, quia non dependet ab illa tanquam à ſubiecto, & à cauſa materiali: Contrà : dependentia, quam tu aſſignas generationis modi vnionis tanquam à ſubiecto tantùm dicir,non poſſe eſſe illam actionem. quam tu vocas generationem ſine ſubiecto, ſed idem habebit quæcumque alia actio, quam creationem eiuſdem vnionis appelles : ergo creatio & generatio vnionis ex nullo capite poterunt differre, ſi enim dicas generationem modi vnionis dependere à materia tanquam à vera cauſa, & creationem modi vnionis tantùm dependere à materia,quatenus illius terminus eſt modus talis materiæ,Vrgeo:terminum genitum dependere ab hac entitate tanquam à ſubiecto, & cauſa materiali, in tua ſententia nullam dicit cauſalitarem inter ſubiectum, & terminum productum, ſed tantùm hunc non poſſe ſine illo, ſed hoc eſt commune omni dependentiæ : ergo non poteſt explicari ſecluſa vera dependentia, quid ſit dependere ab aliquo tanquam à ſubiecto,ſeu à cauſa materiali modo requiſito ad generationem, neque poteſt mente concipi quid ſit dependere ab aliquo tanquam à ſubiecto materiali,& quid dependere ab eadem entitate,non tanquam à cauſa materiali,ſi dependentiam effectus à cauſa materiali nõ cõſtituimus in vero influxu,& propriiſſima cauſalitate.

9 Venio ad ſententiam recentiorum aſſerentium probari non poſſe formas materiales educi ex materia,& non creari. Certum eſt apud omnes formas materiales dependere à materia, quod prædicti recentiores admittunt, & probo ex differentia inter animam rationalem, & reliquas formas viuentium, hæ enim ſunt corruptibiles, illa verò incorruptibilis,& æterna;ſi verò formæ materiales à materia non dependerent,etiamſi à ſubiecto expellerentur;permanerent ſeparatæ ſicut permanet rationalis anima, ſed eo ipſo quod expellantur corrumpuntur;ergo dependebant à ſubiecto.Minorem probo.Si formæ materiales abſque ſubiecto conſeruarentur,producerent ſuas paſſiones,& plures effectus, quos ſenſibus poſſemus percipere,videlicet calorem,& lucem : ſed hæc accidentia non producuntur niſi quando forma eſt in ſubiecto;ergo non conſeruantur extra illud.Neque poteſt dici formam ignis ſeparatam à ſubiecto non poſſe producere calorem,& lucem.quia ſi ſecundùm ſuum eſſe non dependeret à ſubiecto, neque ſecundùm ſuas operationes dependeret, ſicut anima rationalis, quæ intelligit, & diſcurit, & producit ſuas paſſiones, ſeu conſeruat ſuas paſſiones in ſtatu ſeparationis. Ex hac dependentia,quam habent formæ materiales à ſubiecto, infero ego eſſe dependentiam tanquam à vera cauſa materiali per veram generationem. Negant conſequentiam recentiores aſſerentes hanc dependentiam non eſſe tanquam à vera cauſa,ſed tanquam à conditione : Contra quos ſic inſurgo : Forma materialis dependet à materia non à poſteriori, non tanquam modus à re,non tanquam à conditione:ergo tanquam à vera cauſa : non dependere à poſteriori tanquam ab effectu patet, quia materia non eſt effectus formæ ; non dependere tanquam modum à re certum eſt, quia forma ſaltem de potentia Dei abſoluta poteſt ſeparari à materia:non dependere tanquam à conditione ſic probo. Materia prima non eſt conditio diſponens ad exiſtentiam formæ,vt patet;non eſt approximatio ſubiecti ad paſſum, quia approximatio eſt præſentia diſtincta à materia; deinde, quia in his, in quibus requiritur approximatio, aliunde ſupponitur dependentia, neque modus alicuius conditionis apparet. quem poſſit exhibere materia in productione formæ materialis ; ergo non dependet forma materialis à ſubiecto, tanquam à conditione : ergo non reſtat alia dependentia,quam habeat talis forma à ſubiecto, niſi dependentia effectus à cauſa per veram cauſalitatem.

10 Dices formas materiales dependere à materia eo modo quo de facto materia dependet in conſeruari à forma, ſine qua naturaliter exiſtere non poteſt. Præcluſi hoc effugium Controuerſ. 2. Punct. 7. vbi probaui materiam primam non dependere à forma adhuc à poſteriori. Reſpondeo tamen in gratiam communis ſententiæ materiam primam dependere à forma à poſteriori tanquam ab effectu, & tanquam potentia ab actu,& perfectibile, à perficienti, quam dependentiam non poteſt habere forma à materia, quia materia non eſt effectus formæ, neque eſt de ratione actus informantis dependere à potentia,neque huiuſmodi perfectionis dependere à perfectibili, vt patet in animo rationali,quia eſt actus materiæ,illiuſque perfectio, & tamen à materia non dependet.

Aſſero cum communi ſententia rectè concludi ex dependentia formarum materialium tanquam à materia dependere ab hac tanquam à cauſa materiali, quia non inuenitur aliud genus cauſæ, neque alius modus dependendi, quo poſſit dependere. Quod ſi cum Recentioribus putas poſſe inueniri aliam dependentiam à ſubiecto,non tanquam à vera cauſa, quam cenſet Arriaga ſufficere ad generationem,& hi recentiores non ſufficere, ſed rectè cum creatione componi, aſſigna,quæ ſit huius dependentiæ natura, atque conditio, quod ſi nullus talem hunc vſque modum agnouit,præter hos paucos, qui illum defendendum ſuſcepêre, neque libido illum defendendi, non ſolùm illius naturam nondum eſt aſſequuta, verùm etiam neque illi nomen inuenit, cur dicendum eſt formas materiales dependere à ſubiecto,& non aliquo modo ex his,quos huc vſque Philoſophia nouit, & recurrendum ad hunc modum incognitum,abſque vlla ratione,& fundamento?Addo hunc dicendi modum non adeò conſonum eſſe ad defendendam animi rationalis immortalitatem, quia ſi ſemel conceditur formas materiales creari, & eſſe corruptibilis, ſaltem deſtruimus fundamenrum deſumptum ex creatione animæ ad illius immortalitatem inferendam, & nonnulla aperitur via, vt quis ex immortalitate animæ rationalis intendat probare reliquas brutorum animas eſſe immortales, quia creantur ſicuti rationalis anima; vel vt ex natura corruptibili reliquarum formarum materialium non obſtante creatione ipſarum inferat aliquis, animam rationalem eſſe corruptibilem,quæ illationes etiamſi bonæ non ſint nonnullam habent ſpeciem, quapropter vt illas fugiamus conſultius nobis eſt aſſerere tanquam certum omnes formas materiales generari,& dependere à materia tanquam à vera cauſa, & vnam animam rationalem creari, & eſſe omnino independentem à ſubiecto quod informat. 11

Obiicies fieri non poſſe materiam primam adeò imperfectam in ſe eminenter continere, tanquam in vera cauſa formas omnes materiales, longè perfectiores illa:ergo non poſſunt ab illa tanquam à vera cauſa dependere : Antecedens probatur:principiũ effectiuum adæquatum debet eſſe ſaltem æquè perfectum cum effectu : ergo principium paſſiuum,ſi verè,& propriè principium eſſet, deberet eandem perfectionis proportionem ſeruare cum effectu. Hoc argumentum æquè fauet ſententiæ in quam propendet Arriaga & ſententiæ recentiorum, quam retuli, vtraque enim negat ſubiecto veram cauſalitatem reſpectu formarum, licèt ſententia, cui patrocinatur Arriaga aſſerat deficiente vera cauſalitate ex parte materiæ in formas,has verè generari ratione dependentiæ impropriæ, & recentiorum ſententia ſine propria dependentia generationem non agnoſcat,& conſequenter dicat,formas materiales dependentes à materia non per veram cauſalitatem propriæ cauſæ, non generari, ſed creari. Reſpondeo negando primum antecedens. Ad Confirmationem dico principium effectiuum debere habere æqualem perfectionem cum effectu, paſſiuum verò non debere hanc perfectionis æqualitatem retinere. Ratio diſparitatis inter vtrumque ſumenda eſt ex diuerſo modo, quem habent hæc principia influendi in effectus, actiuum enim longè excellentiori modo influit quàm paſſiuum hoc enim tantùm influit recipiendo effectum, ab illo autem totus exit effectus. 12

CONTROVERSIA IV.

De vnione inter materiam, & formam.

AD perfectam cognitionem extremorum cognitio vnionis inter ipſa media, quæ totum conficiunt, maximoperè ſpectat, quæ ſe tenet ex parte vtriuſque

Digitized by Google

vtriuſque principij materiæ videlicet, & formæ, & principium, *vt quo* dicitur reſpectu materiæ, quæ eſt principium *vt quod*, quatenus ſe tenet ex parte illius, & ſimiliter quatenus ſe tenet ex parte formæ dicitur principium *vt quo* conſtituens formam principium in actu ſecundo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit vnio compoſiti ſubſtantialis?

ETſi præcipuè de vnione compoſiti ſubſtantialis diſputatio inſtituatur, quia eadem eſt de aliis totis doctrina, de illorum vnionibus nonnihil dicam.

§. I.

Doctorum placita.

1 PRimam ſententiam defendunt Gregor. Arim. in 3. diſt. 28. quæſt. 2. ad 18. Maior ibid. diſt. 1. quæſt. art. 1. Caiet. 1. part. quæſt. 2. art... Medina ibid. Bacon. in 3. diſtinct. 1. q. 1. art. 1. & quæſt. 2. art. 2. aſſerentes vnionem non eſſe entitatem diſtinctam à materia, & forma, & tantùm dicere applicationem localem tanquam conditionem. Ab his differre videtur Gabr. (cuius eſto ſecunda ſententia) in 1. diſt. 30. quæſt. 4. concluſ. 5. qui aſſerit vnionem extremorum nihil aliud eſſe, quàm intimam extremorum præſentiam, & hanc præſentiam ait Gabr. eſſe ſimultatem in eodem loco ſiue diffinitiuè, ſiue circumſcriptiuè. Differt Gabr. à Gregorio, & aliis quia illi approximationem, tantùm requirebant vt conditionem, vt extrema per ſe ipſa formaliter vnirentur. Gabr. verò eandem approximationem rationem formalem vniendi eſſe contendit.

2 Tertia ſententia, quam tenet Aureolus apud Capr. in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. aſſerit vnionem inter extrema non eſſe aliquid poſitiuum, ſed negationem diuiſionis. Quarta ſententia vnionem conſtitnit in dependentia materiæ à forma, hanc defendunt Scot. in 3. quæſt. 1. Baſſol. ibid. Ocham in 3. diſt. 3. quæſt. 4. & in 3. quæſt. 1. ſupra hanc dependentiam, quæ eſt formalis ratio vniendi requirunt Doctores huius ſententiæ indiſtantiam extremorum vt conditionem vt vniantur. An verò hæc dependentia diſtinguenda ſit ab extremis, vel identitatem cum illis retineat ad præſentem quæſtionem non ſpectat, ſpecialem diſputationem alibi ſibi vendicat hæc difficultas, vnum tantùm ex his Doctoribus modò ſcire oportet, ipſos nempe vnionem extremorum conſtituere in dependentia formæ à materia cuiuſcumque naturæ ſit hæc dependentia quam examinabo lib. 3. Controuerſ. 12. Punct. 1.

3 Quinta ſententia tenet vnionem eſſe modum quendam ſubſtantialem modaliter diſtinctum à materia, & forma, realitérque diſtinctum ab approximatione extremorum & à dependentia formæ à materia. Ita P. Vaſquez t. 1. in 3. partem diſp. 18. cap. 3. & diſp. 19. num. 23. Pater Soar. diſp. 15. Metaph. ſect. 6. à num. 6. vſque ad 10. & tit. 1. in 3. p. diſp. 8. ſectione 3. concl. 3. Rub. tract. 4 de forma, quæſt. 6. num. 57. Hurt. diſp. 5. ſect. 1. num. 6. Arriag. diſput. 4. ſect. 1. & ferè omnes moderni pluteſque ex antiquis apud Soar. ſuprà. Hanc opinionem amplector quam nonnullis concluſionibus explicabo, & ſimul ſententias ſuprà relatas refellam. Alij dicendi modi, quos recentes excogitarunt ad negandum ſubſtantialem vnionem, ad has ſententias reduci poſſunt, quos inter illas explicandas & impugnandas explicabo, & impuguabo.

§. II.

Duplici concluſione propria ſententia duplicem ſententiam explodo.

4 PRIMA CONCLVSIO. Vnio inter materiam & formam diſtinguitur ab ipſa materia, & forma vt aliquid ſuperadditum non ſolùm tanquam conditio, ſed tanquam ratio formalis. Hæc concluſio directè impugnat primam ſententiam, quam ſic probo. Poſſunt exiſtere materia & forma abſque vnione: ergo vnio aliquid eſt diſtinctum à materia & forma: Antecedens patet in morte hominis, admittitúrque ab omnibus aduerſariis: conſequentia eſt legitima iuxta illud principium firmum in Philoſophia, *Illa quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur*: ergo ſeparatio vnionis à materia, & forma infert neceſſariò diſtinctionem. Dices materiam, & formam poſſe exiſtere abſque eo quod vniantur ex defectu conditionis, approximationis videlicet, qua poſita non poterunt non vniri. Contrà: do ad concluſionem, de quà modò ago, materiam, & formam, quò poſſunt exiſtere non vnitæ, vniri neceſſariò poſita approximatione, & ſic argumentor. Approximatio tunc non ſe haberet vt conditio, vt exiſteret vnio identificata cum materia & forma: ergo eſſet conditio vt exiſteret alia vnio diſtincta à materia, & forma vel ipſa eſſet formaliter vnio. Antecedens probo: vnio identificata cum materia, & forma nihil aliud eſt, quàm materia & forma: ſed approximatio non eſt conditio vt exiſtant materia, & forma: ergo non eſt conditio vt exiſtat vnio identificata cum materia & forma: Probo conſequentiam: quidquid eſt conditio ad hoc vt aliquid phyſicè exiſtat, eſt conditio ad hoc vt exiſtat illud, quod phyſicè indiuiſibiliter identificatur cum illo: ergo ſi approximatio eſſet conditio, vt exiſteret vnio identificata indiuiſibiliter cum materia, & forma, eſſet conditio, vt exiſteret materia & forma: ſed non eſt conditio vt exiſtat materia & forma; quia abſque approximatione poſſunt exiſtere: ergo non eſt conditio vt exiſtat vnio identificata cum materia, & forma.

Dices, approximationem eſſe conditionem vt materia, 5
& forma exiſtant vnitæ, etiamſi non ſit conditio neceſſaria, vt exiſtant materia, & forma, ſecundùm ſe. Contrà: materiam & formam vnitas exiſtere, vel dicit aliquid ſupra exiſtentiam vtriuſque entitatis, vel tantùm dicit vtramque exiſtentem: Si dicit aliquid diſtinctum: ergo vnio diſtinguitur à materia, & forma: ſi nihil diſtinctum dicit, materiam & formam exiſtere, eſt materiam & formam vnitas exiſtere; ergo quod eſt conditio vt materia & forma exiſtant, erit conditio, vt exiſtant vnitæ, & quod non eſt conditio, vt exiſtant, non erit conditio, vt exiſtant vnitæ. Dices materiam & formam vnitas dicere ſupra materiam, & formam approximationem tanquam conditionem. Contrà: conditio diſtinguitur realiter à ratione formali ad quam eſt conditio: ergo approximatio, ſi tantùm ſe habet vt conditio reſpectu vnionis, ratio formalis huius debet diſtingui ab approximatione. De illa ratione formali vt diſtincta ab approximatione, à qua tanquam à conditione ad ſui exiſtentiam diſtinguitur, inquiro an dicat aliquod præter materiam, & formam, vel non: ſi dicit aliquid: ergo vnio diſtinguitur à materia & forma: ſi tantùm dicit materiam, & formam, tota ratio formalis vnionis, vt diſtincta à conditione, quæ illius rationem formalem non ingreditur, ſita eſt in nudis entitatibus materiæ, & formæ: ergo exiſtente materia, & forma exiſtit ratio formalis vnionis, ſecluſo quocumque alio. Ex hoc duo infero: primum, approximationem non eſſe conditionem ad rationem formalem vnionis, ſiquidem non eſt conditio ad exiſtentias materiæ, & formæ ſecundùm ſe, in quibus tota ratio formalis vnionis, quæ ab approximatione diſtingui debet, in opinione, quæ approximationem conditionem ad vnionem appellat, neceſſariò eſt conſtituenda. Secundo infero poſita exiſtentia materiæ, & exiſtentia formæ non poſſe non eſſe vnitas, quia implicat exiſtere rationem formalem vnionis, & extrema non eſſe vnita; vnio enim eſſentialiter eſt nexus actualis, & exercitium vniendi duo extrema, quorum eſt vnio. Vtraque conſequentia eſt legitima: primum conſequens eſt contra primam ſententiam, cui dixi directè opponi meam concluſionem: ſecundum, contra omnium conſenſum, & veritatem Catholicam, qua credimus, mortuo homine animam non vnitam incorruptam permanere, & Chriſto mortuo illius materiam in ſepulchro iacuiſſe, animámque deſcendiſſe ad inferos, vnionémque inter vtramque partem periiſſe.

Dices approximationem non eſſe conditionem, vt exi- 6
ſtat ſecundùm entitatem vnio identificata cum materia, & forma, vt probat ratio à nobis facta, ſed vt exiſtat ſecundùm formalitatem, hoc eſt, vt actu exerceat officium vnionis, quia eadem vnio, quæ phyſicè exiſtit quando materia, & forma approximationem non habent, & non actu vnit, quia non exiſtit ſecundùm formalitatem vnionis ex defectu conditionis, incipit eſſe ſecundùm illam formalitatem vnionis poſità approximatione tanquam conditione,

cum

Digitized by Google

cúmque tunc incipiat exiſtere, non phyſicè, & ſecundùm entitatem, ſed ſecundùm formalitatem, tunc primò incipit exercere officium vnionis, & annectere actu, quod antea non præſtabat. Rem explicat exemplo cognitionis diuinæ, quá cognoſcit obiectum contingens; illa cognitio ſi obiectum deficeret tota exiſteret ſecundùm entitatem, quia eſt intrinſeca Deo, & nihil Dei intrinſecum phyſicè deficere potuit, ſi tamen obiectum quod antecedenter potuit non eſſe, non fuiſſet, cognitio illa non exiſteret ſecundùm formalitatem, neque Deum conſtitueret cognoſcentem, & iudicantem exiſtere tale obiectum, præciſè ex defectu obiecti, quod non pertinet ad rationem formalem conſtitutiuam cognitionis diuinæ, ſed tantùm ſe habet vt conditio reſpectu illius.

7 Hunc dicendi modum apprehendunt plures, qui *connotatores* vulgo dici ſolent, quia per hæc extrinſeca connotata rerum formalitates explicant, aſſerúntque hoc connotato poſito (idem connotatum ſonat atque conditio, etiamſi connotatum non ſolùm vices conditionis, ſed obiecti gerat aliquando) intrinſecè & formaliter habere aliquam formalitatem, quam ſine tali connotato tantùm habebat phyſicè, & materialiter. Hæc doctrina multùm curſum noſtrum retardaret, ſi quoties occurrerit, illam ex profeſſo impugnandam ſuſciperemus, eſt enim frequens apud plures in tota Philoſophia, quapropter ſemel illam radicitùs impugno in Metaph. Controuerſ. 9. Punct. 4. de relat. diſputans, vbi plura contra hunc dicendi modum inuenies: modò ſummis labris rationem quandam attingam, vt illam loco citato recognoſcas. Vnio ſecundùm ſuam phyſicam entitatem, & ſecundùm formalitatem ſeu actuale exercitium vniendi, à parte rei ſecluſa fictione intellectus non diſtinguitur à materia, & forma, ſed exiſtente materia, & forma ſecundùm ſententiam, quam impugno, & ſecluſo quocumque alio eſt vnio ſecundùm entitatem phyſicam: ergo eſt formaliter tota formalitas, quam ſine intellectus fictione habere poteſt, & eſt ſecundum actuale exercitium vniendi.

8 SECVNDA CONCLVSIO. Vnio non conſiſtit formaliter in approximatione ſeu intima præſentia inter materiam & formam. Hæc concluſio eſt contra ſententiam, quam defendit Gabriel; pro qua ſic argumentor. Approximatio localis nihil aliud eſt quàm præſentia vtriuſque extremi: ſed quotieſcumque mouetur homo corrumpuntur præſentiæ materiæ, & formæ, & aliæ acquirûtur: ergo quotieſcũq; mouetur homo corrumpitur vnio, quæ antea erat, & producitur alia vnio, & tot vniones producuntur, & corrumpuntur in motu locali, quot producuntur & corrumpuntur præſentiæ: ergo ex vi motus localis producitur vnio inter materiam & formam, & conſequenter producitur homo, & principium efficiens motus localis hominis verè eſt principium hominis, & verè hominem producit, ſicuti illum produxit principium generans, quod ex vi generationis non produxit materiam, neque formam, ſed tantùm vnionis modum, quo poſito reſultat homo ex materia, & forma: ergo principium mouens localiter hominem, quod ſimilem vnionem producit, ſi hæc in approximatione conſiſtit, dicetur principium producens hominem; & principium deſtruens approximationem, quam antea habebat, dicitur principium deſtruens hominem, quia nullo alio modo dicimus hominem corrumpi ab aliqua cauſa naturali, niſi quatenus hæc illius modum vnionis corrumpit. Ex quo inferetur principium mouens localiter hominem, eſſe principium deſtruens hominem, quatenus deſtruit modum vnionis, qui in approximatione deſtructa à motore conſtituitur, & alium hominem producens quatenus producit aliam vnionem, ſeu aliam approximationem inter eandem materiam & formam.

9 Secundò, ſi vnio in approximatione conſiſteret, ſequeretur formam vnam ſubſtantialem non expellere aliam, quod ſic probo. Formæ ſubſtantiales inter ſe poſſunt penetrari, & illarum penetratio cum alio tertio tantùm repugnat ratione quantitatis, ſed diuerſæ formæ in eadem materia non ſecum afferrent diuerſas quantitates: ergo non repugnat penetratio formarum inter ſe, & cum eadem materia neque ratione ipſarum formarum, neque ratione diuerſarum quantitatum, quas ſecum afferant: ergo ex nullo capite repugnat penetrare duplicem formam in eadem materia: ergo vna forma non expellit aliam à ſubiecto per informationem, neque eſt incompoſſibilis cum alia, ſi informatio conſiſtit tantùm in approximatione inter materiam, & formam. Conſequens admitti non poteſt: ergo antecedens non ſubſiſtit.

Tertiò anima Chriſti fuit penetrata cum materia Sanctiſſimæ genitricis, cum ex illa illæſo virginitatis clauſtro fuit natus, & tamen anima Chriſti non fuit vnita materiæ primæ Virginis: ergo vnio non conſiſtit in approximatione intima ſeu in penetratione inter materiam & formam. 10

Propter hæc argumenta nonnulli hanc approximationem aliter explicant dicentes, vnionem non conſiſtere in approximatione locali tantùm, ſed in approximatione ſecundùm virtutem, quæ poteſt deficere etiamſi ſint penetratæ localiter materia, & forma, & ita poſſunt habere hanc penetrationem localem ſine vnione. Contra hanc approximationem ſecundùm virtutem, argumentum ſæpè factum, adhuc integrum iterum repeto. Approximatio ſecundùm virtutem diſtincta à præſentia locali, vel dicit aliquid diſtinctum à materia, & forma, vel tantùm dicit entitatem vtriuſque, ſi dicit aliquid diſtinctum, iam conſtituitur vnio realiter diſtincta à materia, & forma, & intimâ præſentiâ locali; ſi nihil dicit diſtinctum à materia, & forma, & intima præſentia locali, implicat eſſe materiam & formam intimè præſentes, ſeu penetratas ſine hac approximatione ſecundùm virtutem: ergo non poteſt dari forma penetrata alicui materiæ, quæ non habeat hanc approximationem ſecundùm virtutem; & quæ non ſit vnita tali materiæ. Reſpondent approximationem ſecundùm virtutem non diſtingui à forma prout in materia, vel à forma quatenus in materia, licet diſtinguatur à forma ſecundùm ſe. Hos omnes dicendi modos euertet prædictum argumentum, redeat iterum. Forma vt in materia, vel dicit aliquid diſtinctum à materia, forma, & penetratione locali, vel non: Si dicit aliquid diſtinctum, dicet vnionem ſuperadditam, quam ego propugno; ſi nihil dicit diſtinctum, nihil dicis dum ad hos vanos dicendi modos confugis. 11

Vt aliquo modo declinarent vim argumenti ſuprà facti, dixêre recentiores, applicationem localem non eſſe approximationem ſecundùm virtutem, neque actu vniri extrema deficientibus diſpoſitionibus requiſitis ad formam; Solutio hæc poteſt diſpoſitiones exigere tanquam conditionem, vt materia & forma vniatur, vel vt aliquid ſaltem inadæquatè pertinens ad vnionem, quam poteſt conſtituere in approximatione locali, & in diſpoſitionibus in materia exiſtentibus. Si primum dicat, ſuſtinebit eandem impugnationem quam adhibui n. 4. & ſequenti contra primam ſententiam, quæ approximationem inter materiam & formam dicebat eſſe conditionem, & non rationem formalem, vt materia, & forma immediatè vnirentur. Quam iterum breuiter attingo. Si diſpoſitiones tantùm ſunt conditio: ergo adæquatè diſtinguũtur à ratione formali vnionis: ergo vnio, quæ requirit diſpoſitiones tanquam conditionem, cõſiſtit adæquatè in approximatione, vel in alio adæquatè diſtincto à diſpoſitionibus: ergo illo poſito etiamſi diſpoſitiones non exiſtant, erit ratio formalis vnionis, & extrema erunt formaliter vnita: ergo ſi ſemel materia, & forma ſint intimè præſentes etiamſi deficiant diſpoſitiones erunt vnitæ, quia ex defectu conditionis non poſſunt extrema non eſſe vnita, ſi permanet tota ratio formalis vnionis. Si dicas deficientibus diſpoſitionibus deficere rationem formalem vnionis, aſſigna rationem hanc, quæ deficit poſita penetratione inter materiam & formam, & entitatem ſuperadditam, quam quærimus, nobis oſtendes. 12

Alio modo dici poſſet diſpoſitiones ipſas pertinere ad rationem formalem vnionis; quod multis impugnatur: Poteſt forma eſſe vnita materiæ deficientibus diſpoſitionibus: ergo diſpoſitiones neque inadæquatè pertinent ad rationem formalem vnionis. Secundò, poſitis his diſpoſitionibus in materia ad formam hominis, materia eſt æquè diſpoſita ad hanc, vel illam formam, & Deus liberè hanc vel illam animam rationalem illi infundit ex pluribus, quas poteſt creare: ergo materia prima Virginis præciſè ex vi diſpoſitionum indifferens eſt, vt illi vniatur anima quæ de facto fuit vnita materiæ Chriſti: ergo quando penetrata fuit materia prima Beatiſſimæ Virginis cum anima ſanctiſſima Chriſti Domini habuit tunc rationem formalem vnionis cum ipſa, quia habuit diſpoſitiones ex ſe æquè reſpicientes propriam animam, & animam Chriſti, & æquè erat vtrique penetrata: ergo æquè erat vtrique vnita. 13

vnita. Idem dico de materia prima Chriſti reſpectu formæ Sanctiſſimæ Virginis audiui recentiorem reſpondentem, materiam primam Virginis tunc non vniri animæ Chriſti quia iam erat propriæ vnita. Contrà materiam primam Virginis eſſe vnitam propriæ animæ, & hanc animam eſſe propriam illius, nihil aliud eſt quàm materiam primam habere diſpoſitiones ad hanc animam, & eſſe illi intimè præſentem, ſed idem habet reſpectu animæ Chriſti: ergo eodem modo illi erit vnita tanquam propriæ animæ. Omitto contra hanc ſententiam conſtituere vnionem totius compoſiti ſubſtantialis in quodam aggregato accidentium, præſentia enim intima, ſeu penetratio inter materiam & formam, conſiſtit in duplici præſentia accidentali realiter diſtincta, & ſi his diſpoſitiones adiunguntur ad vnionem conſtituendam, dicet vnio quatuor primas qualitates, quantitatem, & alia accidentia.

§. III.

Duplicem aliam ſententiam refello duplici concluſione propria ſententia, illámque penitus expono.

14 TERTIA CONCLVSIO. vnio non poteſt conſiſtere in aliquo non poſitiuo, quod ſit negatio diuiſionis. Hæc concluſio contradicit opinioni Aureoli, quam retuli n. 2. & probatu faciliima eſt. Diuiſio eſt carentia vnionis poſitiuæ: ergo non diuiſio, ſeu negatio diuiſionis eſt ipſa vnio poſitiua, probo conſequentiam: diuiſio & vnio poſitiua mutuò opponuntur ſicut eſſe: ſed diuiſio eſt non eſſe vnionis poſitiuæ: ergo ipſa poſitiua vnio eſt non eſſe diuiſionis: ergo vnio, quæ conſiſtit in negatione diuiſionis debet in aliquo poſitiuo conſiſtere. Ex quo inferes rectè docuiſſe Aureolum vnionem conſiſtere in negatione diuiſionis, poſtea terminos implicaſſe, dum dixit negationem vnionis non eſſe aliquid poſitiuum. Addo non rectè explicari vnionem per negationem diuiſionis cùm per poſitiuos terminos poſſit clariùs explicari, per illam enim negationem, res potiùs confunditur, quàm explicatur.

15 QVARTA CONCLVSIO. Vnio diſtinguitur realiter ab eductione. Hæc concluſio impugnat opinionem Ochami relatam n. 2. illam multis propugnat Hurtad. loco cit. n. 3. videamus quanta vi. Arguit primò: Vnio animæ rationalis non identificatur cum aliqua actione: ergo neque vnio reliquorum compoſitorum. Non tenet illatio, quia animæ rationalis creatio eſſentialiter diſtinguitur ab eductione aliarum formarum, & per illam non inhæret forma materiæ, neque ex vi illius aliquam connexionem habet cum materia, ſed ſine illa poteſt naturaliter exiſtere; forma verò materialis ex vi eductionis materiæ inhæret, & ſine illa formaliter, vt educta adhuc de potentia Dei abſoluta exiſtere non poteſt, vnde longum eſt diſcrimen inter actionem creatiuam, & eductionem, ratione cuius ex diſtinctione creationis ab vnione non poteſt inferri diſtinctio inter eductionem, & vnionem. Arguit rurſus Hurtadus: Generatio terminatur ab vnionem, quia generatio aliquid producit *vt quo*, ratione cuius compoſitum producatur *vt quod*: ergo diſtinguitur ab ipſa vnione, ſicut actio à termino. Deinde vnio dependet à materia per generationem, quia generatio eſt paſſio, paſſio autem eſt cauſalitas materiæ, vnio verò non eſt cauſalitas, ſed ipſa cauſatur. Hoc probat Hurtadus, quia in homine nihil poteſt cauſari per vnionem, ſed ipſa cauſatur. Hæc omnia facilè ab Hurtado dicuntur, & faciliùs poſſunt reiici ab aduerſariis; qui enim aſſerunt actionem productiuam formæ eſſe vnionem, negant generationem compoſiti, cuius forma educitur, terminari ad vnionem, & dicunt tantùm terminari ad formã producendam, tanquam ad terminum conſtituentem *vt quod* compoſitum, & ipſam generationem ipſum *vt quo* conſtituere annectendo formam productam ex vi illius cum materia, quam ſupponit. Similiter negant vnionem pendere ab agente media generatione, aut paſſione, ſed immediatè per ſe ipſam, quæ eſt paſſio reſpectu formæ, non reſpectu vnionis ſecum identificatæ. Ad confirmationem reſpondeo in homine vnionem non eſſe cauſalitatem neque reſpectu formæ, neque reſpectu ſui ipſius, ſed terminum per cauſalitatem, ſcilicet per paſſionem productũ, in equo verò & in aliis compoſitis materialibus, vnionem eſſe cauſalitatem ſecundùm hanc ſententiam reſpectu formæ, quæ eſt terminus productus ab agente, receptus in ſubiecto, & materiæ vnitus indiuiſibiliter per eandem entitatem.

Arguit iterum, ſequi ex eo quod vnio identificetur cum generatione terminari ad ſe ipſam, cum verò præuidiſſet reſponderi poſſe, terminari ad formam, & non ad ſe ipſam, inſtat. Generatio non terminatur ad formam tantùm, ſed ad formam vt vnitam: ergo terminatur ad vnionem: ergo ſi non diſtinguitur ab vnione terminabitur ad ſe ipſam. Si negemus Hurtado generationem terminari ad formam, vt vnitam formaliter, & dicamus tantùm terminari ad formam, quæ ex vi illius vnitur, ſicuti non terminatur ad formam, vt genitam, ſed ad formam, quæ ex vi illius, generatur, difficilè poterit antecedens aſſumptum probare. Rationem, quam ipſe vocat à priori deſumptam ex diuerſis effectibus formalibus, & naturis vnionis, & productionis non maioris roboris eſt. Ait vnionem ex natura ſua eſſe vinculum duorum extremorum, & generationem eſſe viam ad terminum, & cauſalitatem illius, quam ab illo diſtingui certum eſt. Reſpondeo vnionem eſſe vinculum duorum extremorum, & productionem eſſe viam ad terminum, & hæc duo identificari in eductione formæ, & productionem diſtingui à termino ſcilicet à forma non ab vnione, ad quam non terminatur, quia eſt eademmet vnio, quæ non terminatur ad ſeipſam.

Poſſet probari diſtinctio inter vnionem, & eductionem, 16 quia ſi vnio, & eductio identificarentur, ſequeretur diuerſum eſſe totum in inſtanti generationis, in quo forma producitur à cauſa ſecunda, & in reliquo tempore, quo conſeruatur à cauſa prima, quia poſito diuerſo principio effectiuo actionem diuerſam eſſe neceſſe eſt: ergo erit diuerſa vnio formæ identificata cum actione, ex vi cuius producitur, quotieſcumque principium producens eſt diuerſum, quæ diuerſitas non ſolùm erit numerica, ſed ſpecifica, cùm principia conſeruans, & producens formam, ſpecie differant, & conſequenter actiones, quæ à principiis ſpeciem trahunt. Nec valet dicere totum eſſe idem, etſi vnio ſit diuerſa, quia retinet eaſdem partes eſſentiales: totum enim eſſentialiter includit vnionem tanquam quid pertinens ad illius eſſentiam, & vltimo illud conſtituens in ratione totius; ac proinde variata vnione variatur aliquid eſſentiale totius, & conſequenter totum, implicat enim aliquid permanere cuius non tota permanet eſſentia, quia omne ens includit omnia illi eſſentialia, ita vt quocumque deficiente abſolutè deficiat. Infertur ſimiliter in inſtanti, in quo Deus primò conſeruat formam productam à cauſa ſecunda in inſtanti, in quo primò totum genuit, non conſeruari totum, ſed primo produci; quia in illo inſtanti non eſt totum quod præceſſit ſed aliud incipit, vt probaui: ergo non conſeruatur tunc totum, ſed primo producitur. Hæc quemque veritatis amicum conuincet; ſi quis tamen abſurda hæc omnia deuoret, exiſtimo præter exclamationes, & admirationes (quæ ſemper ab ingenioſo, & viro docto abeſſe debent) nihil aliud ſuppetere, quo poſſit hæc ratio maiorem vim recipere, quapropter tranſeo ad aliam.

Actio qua de facto ſubſtantialis forma producitur, diſtinguitur ab ipſa forma producta, vt probabo Controu. 17 12. Punct. 1. ergo eſt accidens. Probo conſequentiam: Actio diſtincta à termino eſſentialiter eſt propter terminum, & ratione illius habet eſſe, & non intenditur à natura propter ſe, ſed propter terminum: Non vt ipſa ſit, ſed vt ſit terminus: id autem, quod non intenditur propter ſe, ſed propter aliud eſſentialiter eſt accidens, & non ſubſtantia: vt in Metaph. exponens conceptum accidentis probabo. Hoc poſito ſic arguo: Actio, & paſſio, ſeu inhærentia, dependentia, vel eductio, quæ realiter non diſtinguuntur ſunt accidens: ergo non poſſunt eſſe de eſſentia totius ſubſtantialis: Probo conſequentiam: Totum ſubſtantiale, ſecundùm totum id, quod dicit eſſentialiter, & ſecundùm rationem totius compleri primariò, & per ſe intenditur: ergo ſecundùm totum id, quod includit eſſentialiter, & ſecundùm rationem formalem totius eſt ſubſtantia; ergo ſecundùm vnionem, quam eſſentialiter includit, & quæ totum ſubſtantiale conſtituit in ratione totius eſt ſubſtantia: ergo vnio debet eſſe ſubſtantia, & non accidens: ergo diſtinguitur ab actione, qua producitur forma quæ non eſt ſubſtantia, ſed accidens. Dicunt nonnulli modum vnionis pertinere ad eſſentiam compoſiti non in recto, ſed in obliquo, & ita non eſt neceſſariò eſſe ſubſtantiam. Contrà: eſto, modum vnionis pertinere in obliquo pertineat, verè eſt id, per quod totum ſubſtantiale, ſiue conſtituatur in ratione totius ſubſtantialis per aliquod dictum in recto, vel connotatum in obliquo, debet conſtitui per aliquid ſubſtantiale,

ſtantiale,ſiue includat in recto illa, quæ ad ſuam eſſentiam conſtituendam ſpectant,ſiue in obliquo neceſſariò ſubſtantialia eſſe debent.

19 Qvinta conclvsio. Entitas ſubſtantialis diſtincta à materia,& forma in qua dixi vnionem conſiſtere non eſt res, ſed modus eſt dicere non poteſt adhuc potentia Dei abſoluta exiſtere ſine extremis, etiãſi extrema poſſent eſſe ſine illa. Probo: Si hæc entitas in qua vnionem conſtituimus poſſet eſſe ſine extremis vnitis eſſet indifferens, vt vniretur & non vniretur: ergo indigeret alio modo ſuperaddito, quo vniretur: ergo danda eſt aliqua vnio, quæ immediatè ſit per ſuammet entitatem fixa extremis: ergo danda eſt vnio, quæ de potentia Dei abſoluta non poſſit ab illis ſeparari; quia quod per ſuammet entitatem, alicui eſt affixum, non poteſt non illi eſſe affixum, ſi cum ſua entitate perſeueret.Probo primam conſequentiam: ideo damus vnionem ſuperadditam inter materiam, & formam, quia poſſunt exiſtere quin vniantur: ergo ſi daremus, vnionem interiectam poſſe exiſtere non vniendo, indigeret alio modo ſuperaddito vt vniret. Secunda conſecutio euidens eſt, quia ſi non daretur vnio immediatè per ſe extremis affixa, ſed alia indigens vnione,rurſus illa vnio alia indigeret, & ſic in infinitum vniones procederent.

§. IV.

Argumenta ſoluta.

20 ARgumenta, quæ contra noſtram ſententiam ex tanta opinionum diuerſitate adduci poſſunt, pauca ſunt, & quæ nihil ferè difficultatis continent.

Obiicies primò. Modus vnionis à nobis aſſignatus poteſt immediatè vniri materiæ, & formæ nullo alio modo interiecto:ergo materia,& forma poterunt ſimiliter immediatè vniri nullo interiecto modo. Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: Materia, & forma, quæ de facto exiſtunt indifferentes vt vniantur, & vt non vniantur ſaltem de potentia Dei abſoluta,nego conſequentiam:materia & forma, quæ poſſent exiſtere ex ſe determinatæ ad vnionem actualem, ita vt adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſent exiſtere quin actu vnirentur, concedo conſequentiam. Rationem exhibeo:totum fundamentnm, quod habemus ad ponendam vnionem ſupperadditam inter materiam & formam eſt, quia videmus poſſe exiſtere ſaltem diuina intercedente potentia, quin actu vniantur, ex quo inferimus non actu vniri per ſuaſmet entitates, quod ſi videremus materiam,& formam nunquam non vniri, & iudicaremus adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſe nõ actu vniri, nullum eſſet fundamentum ad vnionem ſuperadditnm admittendum inter talem materiam, & formam. Neque modò admittenda eſt inter materiam, & modum vnionis, quem aſſignamus pro materia, & forma, quæ de facto exiſtunt, quia talis vnionis modus indifferentiam non habet,vt vniatur, & non vniatur, ſed per ſuammet entitatem eſt affixus materiæ & formæ, ita vt neque de potentia Dei abſoluta, ex ſuppoſitione,quod exiſtat poſſit non vnire talia extrema, & illis non eſſe vnitum,eo modo,quo vnitur, non vt extemum, ſed vt nexus annectens extrema, quod non eſt propriè vniri,ſed eſſe rationem vniendi, neque vnionis modus dicitur vnitus, ſed vniens, quod ad quæſtionem non attinet:illo enim modo, quo vnitur propriè,vel impropriè, vt *quo*,vel *quod*:vt extremum,vel vt nexus,vnitur abſque vlla indifferentia,& ita per ſuam entitatem,& non per aliquid ſuperadditum. Adde neceſſum eſſe vnionem non vniri medio alio,ne in infinitum procedatur, quod non requiritur inter materiam & formam.

21 Obiicies ſecundò. Materia & forma ſunt partes immediatæ totius: ergo per ſe immediatè illud componunt, & non medio alio modo vnionis. Probo conſequentiam, de ratione partis eſt componere:ergo de ratione partis immediatè eſt componere. Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens:ergo materia & forma per ſe immediatè componunt totum, immediatione partium, & immediatione componentium, concedo conſequentiam: immediatione cauſalitatis, & compoſitionis, nego conſequentiam.Eſt dicere,componunt non media alia parte, & non medio alio componente, concedo: componunt non media compoſitione, nego. Ad probationem conſequentiæ reſpondeo, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: de ratione partis immediatæ eſt non componere media alia parte, ſeu medio alio componente,concedo:media cauſalitate, ſeu media compoſitione, nego.

Obiicies tertiò, Forma per inhæſionem ſeu dependentiam,quam habet à materia, eſt in materia, eſt inſeparabilis ab illa,inhæret illi,eſt connexa cũ illa:ergo non indiget alio modo vnionis. Reſpondeo formam per dependentiam eſſe in materia tanquam in ſubiecto inhæſionis, non verò tanquam in ſubiecto informationis,cum quo vnum conſtituat, & eſſe inſeparabilem localiter ab illa, illique inhærere modo explicato, & eſſe connexam cum illa tanquam cùm cauſa,à qua dependet ex vi dependentiæ,ſed inhæſionis, quibus omnibus poſitis adhuc forma non conſtituit vnum ſubſtantiale cum materia, neque illi eſt vnita, & illis permanentibus poteſt Deus vnionem impedire, ac proinde hæc eſt neceſſaria, vt ex vi illius forma ſit vnita materiæ,& totum ſit conſtitutum. 22

§. V.

De vnione aliorum totorum.

DE toto integrali ſeruata proportione idem iudicium ferendum eſt, ac de toto eſſentiali; ſicut enim partes eſſentiales indifferentes ſunt,vt vniantur, & non vniantur. ſic integrantes, quarum plurimis valdè contingenter accidit vnio, vt patet in vnione duarum partium aquæ, ex qua indifferentia conſtat non vniri per ſe ipſas, ſed per vnionem ſuperadditam. Hanc non eſſe dependentiam, quam habent partes à ſubiecto,certum eſt,quia duæ partes aquæ cum eadem dependentia ab eodem ſubiecto modò ſunt vnitæ,modò diuiſæ,quia quando diuiditur aqua, non corrumpitur vnio, quam partes formæ aquæ habebant cum ſubiecto: ergo non vniuntur integraliter per dependentiam à ſubiecto.Deinde partes materiæ primæ,quæ nullam habent dependentiam à ſubiecto,integraliter ſunt vnitæ,& partes quantitatis eandem integralem vnionem retinent extra ſubiectum conſtitutæ in myſterio Euchariſtiæ, quam habebant in ſubiecto:ergo vnio integralis non conſiſtit in partium à ſubiecto dependentia. Ponenda eſt talis vnio in modis ſuperadditis partibus vnitis pertinentibus ad eandem ſpeciem ad quam pertinent partes integraliter vnitæ, ſiue ſubſtantiales,ſiue accidentales. 23

Maior eſt difficultas de aliis concretis accidentalibus, an videlicet includat vnionem diſtinctam ab ipſa eductione formæ accidentalis; vel formæ accidentales, per quas conſtituuntur, vniantur ſubiectis præciſè per dependentiam, quam habent ab illis,ita vt inter albedinem, & ſubiectum, quod ex vi illius album conſtituitur, nulla intercedat vnio præter inhærentiam, ſeu dependentiam, quam habet albedo à ſubiecto. Ratio dubitandi rectè ſumitur ex his,quæ de toto ſubſtantiali diximus, in quo tantùm probauimus indigere vnione diſtincta ab inhærentia formæ, quia inhærentia eſt accidens, & non poteſt pertinere ad conſtitutionem totius ſubſtantialis, ſed hæc ratio non probat inhærentiam non poſſe conſtituere hoc totum accidentale, verbi gratia,album:ergo nulla poteſt adhiberi ad probandum in his concretis accidentalibus dari vnionem inter materiam & formam, diſtinctam à dependentia, quàm habet forma à materia, ſcilicet albedo à ligno albo. 24

Rationem ſuprà dictam non probare dandam eſſe hanc vnionem diſtinctam à dependentia formæ in concretis accidentalibus, apertè conuincitur; venio ad aliam, quà nonnulli probant dependentiam à ſubiecto non eſſe vnionem inter terminum dependentem, & ſubiectum, à quo dependet,quæ ſi alicuius eſt roboris æquè premit in compoſitis ſubſtantialibus, & accidentalibus. Vnio inter materiam,& formam hominis dependet à ſubiecto media inhæſione, & non illi vnitur per hanc inhæſionem, ſeu dependentiam: ergo dependentia ſeu inhæſio non eſt vnio inter extremum dependens, & ſubiectum, à quo dependet, neque illa conſtituit vnita. Primam partem antecedentis, ſcilicet vnionem hominis dependere media inhæſione à ſubiecto, fert communis ſententia.Secunda probatur: vnio eſſentialiter per ſe ipſam vnitur materiæ, & formæ, & eſt vniendi ratio, quæ non poteſt vniri medio alio:ergo vnio educta ex ſubiecto,quod vnit, nõ illi vnitur media inhærentia:ergo inhærentia non eſt vnio inter ſubiectum, & terminum inhærentem, ſeu dependentem. Hæc ratio æquè probat de omnibus inhærẽtiis,ſeu dependẽtiis 25

à

Digitized by Google

à cauſa materiali, cum ex vi omnium æquè terminus conſtituatur dependens à ſubiecto, illi inhærens, & inſeparabilis neque aliquid poteſt eum fundamento excogitari in alia inhærentia, propter quod rationem habeat vnionis, quâ careat inhærentia, mediâ qua vnio hominis dependet à ſubiecto. Poſſet quis reſpondere vnionem inter materiam, & formam per ſe ipſam eſſe vnitam extremis ſubſtantialiter, & ſimul eſſe vnitam alteri extremo verbi gratia, materiæ media vnione ſuperaddita accidentali, ſicuti integralis vnio per ſe ipſam eſt vnita extremis, & media vnione ſuperaddita ſubiecto. Hoc exemplum rem explicat, non probat; quia vnio integralis per ſe ipſam vnitam extremis non illis vnitur media vnione ſuperaddita, ſed alij ſubiecto à quo ſeparari poteſt: vnio verò eſſentialis inter materiam, & formam hominis, ſi materiæ vniatur media inhæſione, vnitur medio alio, & eidem extremo, cui vnitur immediatè, & per ſe, quod videtur repugnantiam inuoluere, ſicuti repugnat dicere actionem per ſe ipſam immediatè dependentem à principio effectiuo, ab eodem media alia actione dependere.

26 Fateor exemplum rem non probare, verumtamen illo ſecluſo, cur dici non poterit vnionem inter materiam & formam hominis, per ſe ipſam vniri ſubſtantialiter materiæ per modum nexus, ſeu, *vt quo*, & media inhærentia ſuperaddita vniri eidem materiæ accidentaliter, & per modum extremi, ſeu *vt quod?* Neque exemplum de actione adductum quidquam probat, actio enim per ſe dependens ab hoc principio, non ſolùm non poteſt dependere media alia actione ab hoc actiuo principio, verùm neque ab alio, quod ſi ab alio principio poteſt dependere media alia actione; & ſimul per ſe ipſam ab hoc, poterit bis ab eo dependere, per ſe ipſam, & media actione; vnionem verò per ſe ipſam his extremis certum eſt media vnione ſuperaddita poſſe alijs vniri, vt patet in vnione integrali reſpectu ſubiecti: ergo diuerſa eſt ratio de vnione per ſe ipſam immediatè extrema reſpiciente, & de actione reſpiciente principium. Ratio diuerſitatis pro actione, & pro alijs modis reſpectu vnionis poſſet ita aſſignari. Actioni per ſe ipſam immediatè dependenti ſemper eſſet ſuperflua ex natura rei alia actio, quia independenter ab illa ſupponebatur per ſe ipſam extra cauſas, vnio verò etiamſi per ſe ipſam ſit vnita indiget inhærentia ſuperaddita, vt exiſtat: ſi autem ipſa inhærentia in ſuis prædicatis intrinſecis habeat imbibitam rationem vnionis, vnio indigens inhærentia indigebit prædicatis intrinſecis illis, ac proinde indigebit vnione, ſi enim dependere à ſubiecto dicit eſſe illi vnitum, vnio, quæ petit à ſubiecto dependere media inhærentia, petit illi eſſe vnitam media inhærentia diuerſo modo, quo eſt vnita immediatè, & per ſe præciſè tanquam extremo, à quo per ſuam entitatem non dependet tanquam à cauſa materiali, ſed per aliam vnionem ſuperadditam accidentalem. Propter hos diuerſos modos vniendi poſſet dicere aliquis vnionem inter materiam, & formam hominis eſſe vnitam per ſe ipſam ſubſtantialiter, vt nexum extremo, à quo ex vi huius vnionis non dependet in genere cauſæ materialis, & media inhærentia per modum extremi dependentis ab alio in genere cauſæ materialis media hac vnione accidentali, ſeu media inhærentia. Conſequenter teneretur is dicere formas materiales ſubſtantiales eductas ex potentia materiæ, & illi vnitas media vnione ſubſtantiali, habere duplicem vnionem ad materiam quandam medio modo ſubſtantiali diſtincto ab eductione pertinente ad compoſitionem totius, media qua forma vnitur materiæ tanquam extremum alteri coextremo abſque vlla dependentia; alteram accidentalem non pertinentem ad conſtitutionem totius ſubſtantialis, media qua vniuntur materia, & forma non tantùm, vt purè extrema, ſed forma vt extremum dependens à materia, & materia vt extremum influens in formam media vnione accidentali, ſeu inhærentia. Neque inconueniens eſſet aſſerere eandem formam cùm eadem materia diuerſas inire compoſitiones medijs diuerſis modis; ſubſtantialem media vnione ſubſtantiali, & accidentalem media inhærentia, quæ eſt accidentalis vnio. Certum enim eſt adhuc in opinione, quæ dicit inhærentiam non eſſe vnionem ex forma ſubſtantiali materiæ inhærentem, ſecluſa vnione aliquo modo fieri quoddam concretum, etſi propriè non vnum, certè cum maiori connexione, quam habeant alia tota per accidens, in quibus non deeſt aliqua ordinatio, ſicut exercitus, & muſica; & ſimul fieri aliud concretum ſubſtantiale propriiſſimè vnum vnione ſubſtantiali, ex qua totum per ſe ſubſtantiale reſultat.

Alio modo poſſet reſponderi prædicto argumento, ſcilicet eductionem terminatam ad extremum per ſe vnitum 27 ſubiecto, non eſſe vnionem inter ſubiectum, & extremum eductum, ſecus eductionem termini non vniti per ſe ipſum ſubiecto, quia terminus per ſe ipſum vnitus ſubiecto, neque indiget alia vnione ad ſubiectum, neque illam poteſt terminare, ac proinde non vniri per eductionem formaliter vnionem, quia non poteſt vnionem terminare; terminus verò, qui per ſe ipſum non vnitur ſubiecto, indiget vnione vt illi vniatur, & illam poteſt terminare, ac proinde poteſt educi ex vi actionis, quæ formaliter ſit eductio vnitiua, ſeu vnio eductiua. Non caret ſpecie probabilitatis ſolutio, magis tamen priori adhæreo, quia ſi eductio ex communi prædicato eductionis, & dependentiæ termini à ſubiecto, non habet rationem vnionis, ſine fundamento dicitur illam habere ex aliqua peculiari ratione talis dependentiæ, ſeu eductionis.

Adhibui omnia fundamenta, quæ ad vnionem diſtinctam ab eductione formæ in concretis accidentalibus po- 28 nendam, & relegandam, ſum aſſecutus, ex quibus non difficile cuique erit, partem, quam maluerit, eligere, ego propter communem ſententiam propendeo in opinionem, quæ modum vnionis diſtinctum ab eductione conſtituit, licèt oppoſita mihi valde probabilis viſa ſit.

De compoſitis accidentalibus, quorum forma eſt mo- 29 dus ſubiecti dicendum eſt, formas ipſas immediatè, & per ſe ipſas eſſe illis vnitas, quia implicat ſeparari ab illis, & non tribuere ſuum effectum formalem ſubiecto, quod omni alio ſecluſo conſtituunt præſens, verbi gratia vel durans, ſi duratio modus eſt ſuperadditus. Producuntur hi modi ſæpe media actione ſuperaddita, qua à ſubiecto dependent, quapropter ſi quis defendat albedinem ſubiecto vniri media inhærentia, iuxta dicta de vnione, dicere tenebitur, præſentiam habere duplicem vnionem ad ſubiectum, alteram inſeparabilem per ſe ipſam, alteram ſeparabilem media paſſione; ni velit ſolutionem adductam num. 19. defendere, videlicet eductionem terminatam ad rem, quæ per ſe ipſam ſubiecto vnitur non eſſe vnionem, ſecus eductionem terminatam ad rem indigentem modo ſuperaddito, vt ſubiecto vniatur. Idem, quod dixi de compoſito accidentali, cuius forma eſt modus, intellige de compoſito ſubſtantiali habentem ſimilem formam modalem.

Ex ſuppoſitione quod vnio diſtinguatur ab eductione, 30 in compoſitis etiam accidentalibus poſſet dubitari, an poſſit dari compoſitum cuius formæ eductio non diſtinguatur ab vnione. De compoſitis accidentalibus affirmatiuè reſpondeo; vix enim inuenitur ratio efficax ad probandum de facto non identificari eductionem, & vnionem. De ſubſtantialibus ſi eductio diſtinguatur à forma ſubſtantiali, neceſſariò erit accidens propter rationem dictam n. 11. ac proinde neque de potentia Dei abſoluta poterit pertinere ad conſtitutionem eſſentialem compoſiti ſubſtantialis, neque eſſe illius vnionem, quæ eſt de eſſentia compoſiti; ſi forma ſubſtantialis per ſe ipſam educatur ex ſubiecto nullo ſuperaddito modo vnionis indigebit, vt illi vniatur iuxta dicta num. 21.

PVNCTVM II.

An modus vnionis ſit ſimplex entitas?

§. I.

Doctorum placita, & difficultatis ſtatus.

PAter Hurtadus diſput. 5. ſectione 7. ſubſectione 2. aſ- 1 ſerit in compoſito ſubſtantiali duplicem dari modum vnionis, quemdam tenentem ſe ex parte materiæ, quam reſpicit vt ſubiectum, & formam vt terminum; alterum ex parte formæ, quam vt ſubiectum vnit, & materiam vt terminum. Communis ferè omnium Doctorum ſententia, quam tenet Pater Suarez diſputat. 14. Metaphyſic. ſect. 9. num. 13. Pater Vaſquez tom. 1. in 3. part. diſputat. 9. num. 23. affirmat tantùm dari modum quemdam

Digitized by Google

vnionis, quo materia vnitur formæ, & forma materiæ per eandem indiuiſibilitatem.

2 Sententia aſſignans, duplicem vnionis modum variis modis explicare poteſt. Primò poteſt dici requiri duplicem vnionis modum, quorum vnus ſufficiens ſit, vt vniat materiam formæ, perfectè, & adæquatè, non item formam materiæ, qua de cauſa dandus eſt alius tenens ſe ex parte formæ, ſicut in opinione, quæ diſtinguit relationem à termino, & fundamento, relatio ſimilitudinis, quam fundat albedo *A* adæquatè eam ſimilem conſtituit albedini B, tamen vt albedo B ſit ſimilis albedini *A*, indiget alia ſimilitudine, quia non conſtituitur ſimilis per ſimilitudinem albedinis *A*, cuius eſt terminus, & non ſubiectum. Alio modo, qui forſan tantùm verbis differt à præcedenti, poteſt duplex vnionis modus expoſci, vnus ex parte materiæ, quæ eam vniat vt ſubiectum, & formam vt terminum; & alterum ex parte formæ, quæ hanc vt ſubiectum vniat, & materiam vt terminum. Hoc modo aſſerit Hurtadus requiri duplicem vnionem, quem dixi tantùm differre verbis à priori, quia illum eodem exemplo relationis explicat, & probat. Quod ſi exemplum ad rem eſt, ſicuti relatio albedinis *A*, quæ reſpicit vt terminum albedinem B, conſtituit relatam albedinem *A*, & non albedinem B, ita vnio materiæ, quæ reſpicit formam vt terminum, conſtituet vnitam materiam, & non formam. Nec dici poteſt exempli paritatem in hoc tenere, quia cùm exemplum ſit potiſſimum fundamentum, quo vtitur Hurtadus ad conſtituendam duplicem vnionem; vnam ex parte materiæ, & alteram ex parte formæ, quas vult multiplicari à paritate relationum, ſi paritas vim aliquam ſpecie tenus ſit habitura, neceſſum eſt dici vnionem materiæ non conſtituere formaliter vnitam formam, quia ſi dicatur oppoſitum, diſparitas redditur in ipſa concluſione inter vnionem, & relationem, quia relatio huius albedinis non conſtituit aliam relatam, & ideo alia albedo relatione alia indiget, qua formaliter relata conſtituatur. Si autem vnio extremum illud, quod vt terminum reſpicit, formaliter conſtituit vnitum, illud extremum alia vnione non indigebit, vt formaliter vnitum conſtituatur. Cùm dicitur vnionem huius extremi, materiam verbi gratia, vnire tanquam terminum, vel in re, nihil dicitur vel diſparitas relationis aſſignatur, quia formam eſſe vnitam tanquam terminum per vnionem inhærentem materiæ, vel importat formaliter eſſe vnitam, ita illud additum *tanquam terminum*, ſit ratio contrahens, & non diminuens, vel non ſimpliciter eſſe vnitam, quia illud *tanquam terminum*, non eſt additum purè contrahens, ſed diminuens. Si primum dicatur, clarè apparet diſparitas inter relationem, & vnionem, quia relatio huius extremi non conſtituit relatum terminum, quem reſpicit, & ita non ſufficit relatio ad illum terminata vt illum formaliter referat, & ideo addenda eſt illi alia relatio, ex vi cuius referatur, vnio verò conſtituit formaliter vnitum terminum, quem attingit, & ita non indiget alia vnione, vt formaliter conſtituatur terminus vnionis vnitus. Si ſecundum dicatur, eſt dicere vnionem materiæ ſimpliciter vnire materiam formæ, & non formam materiæ, & nihil differt modus, quo Hurtadus duplicem vnionem aſſignat, ab illo quem primo loco retuli, quod nunquam Hurtadus verbis fatetur, non enim audet dicere ex vi vnionis materiæ formam non eſſe vnitam, ſed tantùm dicit non eſſe vnitam, vt ſubiectum, ſed tantùm vt terminum. Alio modo poſſet excogitari duplex vnio, non quia neceſſum ſit vt vna ſe teneat ex parte materiæ, & alia ex parte formæ, ſed quia ſiue vtraque ſe teneat ex parte materiæ, ſiue vtraque ex parte formæ, ſiue vna ex parte materiæ, & altera ex parte formæ, quælibet ſemper eodem modo vnit materiam formæ, & formam materiæ inadæquatè, & ideo indiget conſortio alterius vnionis, vt annectat adæquatè materiam, & formam inter ſe.

§. II.

Vera ſententia.

3 SIt PRIMA CONCLVSIO. Non eſt excogitabilis vnio, ſiue in materia, ſiue in forma conſtituatur, quæ diuerſo modo vniat materiam formæ, & formam materiæ, ſed neceſſariò æquè ſtrictè, & propriè vnit materiam formæ, & formam materiæ, ita vt ſi in materia tantùm ſubiectetur, nihil materiæ accreſcat in ratione vnitæ, quod non eodem prorſus modo formæ conueniat, in qua talis vnio non ſubiectatur, nec poterit dici materia ſpecialiter vnita, vt ſubiectum, ſed tantùm eadem ratione, qua forma, quæ tantùm eſt vnionis terminus, ex vi illius vnita dicitur. Hæc concluſio eſt contra Hurtadum, & contra duos priores modos aſſignandi duplicem vnionis modum: pulchram illius rationem à priori deſumptam accipe. Effectus formalis vnionis eſt conſtituere illud, quod vnit componens vnum compoſitum cum alia comparte: ergo vnio, quam dicet ſe tenere ex parte materiæ conſtituit materiam componentem vnum cum forma: ergo eadem formaliter conſtituit formam componentem vnum totum cum materia. Probo conſequentiam: implicat adhuc mente ex parte obiecti præſcindi hos conceptus: materia componens vnum cum forma, & forma componens vnum cum materia: ergo implicat ex parte obiecti præſcindi effectum formalem quem præſtat materiæ vnio in ordine ad formam, ab effectu, quem præſtat formæ in ordine ad materiam. Conceptus præſcindi non poſſe ſic probo. Materia componens vnum cum forma ex parte obiecti nihil aliud eſt quàm vnum compoſitum ex materia, & forma: forma componens vnum cum materia ſimiliter ex parte obiecti formaliter importat compoſitum ex forma, & materia: ergo hi conceptus *materia componens vnum cum forma, & forma componens vnum cum materia*, formaliter identificantur cum hoc tertio *compoſitum ex materia & forma*; ergo identificantur inter ſe: ergo vnio quæ pertinet ad conſtitutiuum horum conceptuum adhuc formaliter non diſtinguitur. Neque potes dicere conceptus hos diſtingui, quia dicunt diuerſas entitates in recto, etiamſi dicant eaſdem, ſi computentur illæ, quas dicunt in recto, & in obliquo, non habita ratione diuerſi modi, quo hæ in recto, illæ in obliquo dicuntur, quia ego argumentor de conceptu obiectiuo quatenus diſtincto à formali, quo ſignificatur, in quo non eſt rectum, neque obliquum, quod tantùm extrinſecè conuenit obiecto ex diuerſo modo, quo ſignificatur, & intrinſecè, & in ſe ſemper eſt idem obiectum ſignificatum; ergo ſi conceptus iſti *materia componens vnum cum forma*, & *forma componens vnum cum materia*, & *compoſitum ex materia & forma* tantùm differunt ex eo, quod vnus ſignificat in recto, quod alius in obliquo, & conueniunt in omnibus obiectis ſignificatis præſcindendo à diuerſo modo obliqui & recti, quo ſignificantur, non diſtinguuntur ex parte obiecti, ſed tantùm ex parte cognitionis, qua diuerſo modo cognoſcuntur, quæ nullam diſtinctionem realem importat in obiectis cognitis.

Dices conceptum hunc, *materia componens vnum cum forma*, dicere vnionem ſubiectatam in materia, & conceptum iſtum, *forma componens vnum cum materia*, dicere vnionem ſubiectatam in forma, & alium conceptum, *vnum compoſitum ex materia & forma*, dicere duplicem vnionem vnam ſubiectatam in materia, & alteram in forma. 4

Sic dicendum exiſtimo in doctrina Hurtadi aſſerentis vnionem materiæ illam vnire tanquam ſubiectum, & formam vt terminum; ſed hanc ſolutionem, & Hurtadi doctrinam ſic euerto. Demus vnionem creari, quod fieri poſſe concedit Hurtadus diſputatione 12. ſect. 5. tunc illa vnio nullum haberet ſubiectum inhæſionis, quia non fieret per paſſionem, & conſtitueret idem compoſitum, verbi gratia, eundem hominem, quia actio, & paſſio non pertinent ad conſtitutionem hominis, neque alicuius ſubſtantialis compoſiti, quæ omnia concedit Hurtadus ſectione citata, & expreſsè affirmat §. 97. creata vnione extrema perficienda eſſe per eandem vnionem, quæ per ſe ipſam, & non per inhæſionem eſt illorum perfectio, & hominem compoſitum per vnionem creatam eſſentialiter fore eundem. Ex quo manifeſtè infero hominem compoſitum ex materia, & forma non dicere formaliter neque identicè vnionem receptam in materia, aut forma, ſed tantùm accidentaliter tanquam quid non pertinens ad illius conſtitutionem dicere vnionem receptam in illo extremo, in quo de facto recipitur, & eodem modo totum compoſitum idem omnino intrinſecè inuariatum permanſurum, ſi in altero, vel etiam in neutro reciperetur, ergo de ratione huius conceptus, *homo compoſitus ex materia & forma*, non eſt receptio vnionis in aliqua parte illius: ergo neque de ratione horum *materia componens vnum cum forma*, & *forma*

componens

Digitized by Google

componens vnum cum materia, quia nihil poſſunt hi conceptus includere, quod in illo priori non includatur.

5 Efficaciſſimè eundem dicendi modum iterum reiicio. Do vnionem ſubiectari in materia: materia quatenus vnita formæ non dicit illam receptionem vnionis: ergo materia quatenus vnita formæ non dicit vnionem recipi in ipſa materia. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probo: Materia quatenus vnita formæ dicit vnionem immediatè per ſe ipſam efficientem ipſam materiam, & tanquam modum inſeparabilem ab ipſa materia, ſed vnio non reſpicit immediatè materiam, neque tanquam modus illius, media inhæſione, ſed per ſe ipſam, ergo vnio vt modus eſt materiæ, non reſpicit illam tanquam ſubiectum inhæſionis, quia ab illa tanquam, à ſubiecto inhæſionis poteſt ſeparari; ergo non illam vnit quatenus eſt ſubiectum inhæſionis illius. Patet conſequentia, vnio vnit materiam quatenus eſt illius modus, & quatenus eſt inſeparabilis ab illa, & quatenus per ſe ipſam illam attingit, ſed non eſt modus materiæ vt ſubiecti inhæſionis, neque eſt inſeparabilis à illa tanquam à ſubiecto inhæſionis, quia poteſt creari vnio, & tunc ſeparabitur à materia tanquam à ſubiecto inhæſionis, neque per ſe ipſam vnio attingit materiam tanquam inhæſionis ſubiectum, quia inter vnionem, & materiam formaliter, vt ſubiectum mediat inhæſio diſtincta ab vnione, & materià: ergo vnio non vnit materiam quatenus eſt illius ſubiectum inhæſionis: ergo ex hoc capite non magis, neque diuerſo modo vnit materiam, quàm formam, quia inhæſio ſuperaddita vnioni omnino impertinens eſt, vt vniat, cùm vnio non per inhæſionem, ſed præciſè per ſuammet entitatem formaliter, & adæquatè vniat: ergo ex eo quod vnio inhæreat materiæ & non formæ non vnit diuerſo modo materiam, ac formam: ergo non eſt conſtituenda diuerſa vnio ex parte formæ, ex eo quod vnio ſe tenens ex parte materiæ inhæreat materiæ, & non formæ.

6 In confirmationem eiuſdem ſententiæ argumentum deſumitur ex vnione Verbi ad naturam humanam, quæ tantùm naturæ inhæret, & vnit formaliter vtrumque extremum, naturam videlicet & Verbum. Reſpondet Hurtad. ex vi huius vnionis vniri Verbum non tanquam ſubiectum, ſed tanquam terminum. Solutionem hanc abundè impugnaui n. 5. vbi probaui, vnionem non vnire extremum, cui inhæret, quatenus illius eſt ſubiectum, ſed tantùm immediatè quatenus eſt modus illius ſubiecti, & illud reſpicit vt extremum immediatè vniendum, quomodo illud reſpiciet, ſiue in illo ſubiectetur, ſiue non ſubiectetur, vnio enim vnit omne extremum quatenus extremum, & terminum illius, & nullum tanquam ſubiectum, licet vniat extremum illud, in quo ſubiectatur, quia non illud vnit quatenus in illo ſubiectatur mediâ paſſione, ſed quatenus illud immediatè per ſe reſpicit tanquam extremum & terminum vnionis. Ex quo inferes vnionem ſubiectatam in natura, æquè reſpicere Verbum & ipſam naturam tanquam terminos, licèt inſuper naturam tanquam ſubiectum reſpiciat, ex vi cuius illam non vnit. Reſpondet ſecundò naturam non eſſe perfectionem Verbi, ac proinde non requirere vnionem in Verbo, quia non vnitur illi tanquam extremo perfectibili, partes verò eſſentiales vnam eſſe perfectionem alterius, & hac ratione duplicem vnionem requirere. Præcludam hoc effugium num. 10. vbi explicabo quomodo partes eſſentiales ſe mutuò perficiant.

7 Alium dicendi modum videlicet requiri duplicem vnionem, ſiue vtraque ſit ex parte materiæ, ſiue ex parte formæ, vel vna ex parte materiæ, & altera ex parte formæ, quia vna ſufficiens non eſt, vt vniat adæquatè extrema, & ideo aliam eiuſdem rationis neceſſariam eſſe, vt vtraque ſimul conſtituant extrema vnita, quæ altera tantùm vnire non potuit. Nullus huc vſque ſomniauit hunc dicendi modum, ideo ſolum reiiciendum, quia nullo nititur fundamento, eâdem enim ratione poſſet quis dicere requiri duplicem potentiam viſiuam, vt animam conſtituat potentem videre, quia vna ſufficiens non eſt, vt adæquatè hunc præſtet effectum, & ſimiliter duplicem quantitatem: vt ſubiectum extendatur, quia ſimplex quantitas non eſt potens adæquatè ſubiectum extendere.

8 Ex his conſtat materializationem & informationem eandem eſſe ſimplicem entitatem indiuiſibilem, ſicut actio & paſſio, quia informatio nihil aliud eſt, quàm vnio formæ ad materiam, media quâ forma exercet munus partis formalis componentis, in ordine ad quam vnio, informatio dicitur, materializatio verò eſt vnio materiæ ad formam media qua, materia exercet munus partis materialis actu componentis compoſitum, in ordine ad quam materializatio dicitur eadem vnio, quæ in ordine ad formam informatio denominatur.

§. III.

Satisfit Hurtado.

ARgumentatur Hurtadus ad probandum dandam eſſe 9 duplicem vnionem. Modus vnionis debet recipi in materia, & in forma: ſed idem modus vnionis non poteſt recipi in materia, & in forma: ergo duplex eſt aſſignandus. Maiorem probat: forma, vt vnita, eſt perfectio materiæ: ergo vt vnita debet recipi in materia: ergo modus vnionis debet recipi in materia. Vrget Hurtadus in forma hominis, quæ ſecundùm ſe non poteſt recipi in materia: ergo debet recipi vt vnita: ergo debet recipi illius vnio in materia. Similiter materia vt vnita eſt perfectio formæ: ergo forma debet recipere materiam vt vnitam: ergo debet recipere illius vnionem, non enim alio modo materiam, vt vnitam forma poteſt recipere niſi recipiendo vnionem: formam eſſe perfectionem materiæ: & materiam eſſe perfectionem formæ probat Hurtadus ex eo, quod vtraque ſit entitas incompleta complenda, & perficienda per aliam. Minorem probat, quia idem modus vnionis non poteſt ſubiectari in materia, & in forma hominis, quia ſi materialis ſit, non poterit ſubiectari in forma ſpirituali, & ſi ſpiritualis, in materia corporea recipi.

Fatetur Hurtadus num. 130. hoc argumentum efficax 10 non eſſe ad probandum duplicem vnionis modum in aliis compoſitis præter hominem, videamus an fateri debeat adhuc in homine eſſe prorſus inefficax. In primis neſcio quomodo hæc componat Hurt. cum doctrina, quam tradit diſp. 12. ſect. 5. citata, vbi docet vnionem poſſe creari, & inquirit an extrema eo caſu perficerentur per vnionem creatam: Huic difficultati reſpondet §. 97. citato. Reſpondeo ea perfectum iri vnione, quia hæc per ſe ipſam eſt vtriuſque partis perfectio, &c. ergo ad hoc vt materia perficiatur per formam media vnione neceſſum non eſt ex mente ipſius Hurtadi vnionem in ipſa recipi, quandoquidem per vnionem creatam perficeretur, quia vnio per ſe ipſam eſt perfectio vtriuſque partis. Venio ad alia. Sunt multi, qui affirmant accidentia materialia ſubiectari in toto compoſito, etiam in homine, & vnionem materialem in eodem poſſe recipi in toto compoſito, & inadæquatè in anima, de quo Puncto ſequenti, in quorum ſententia neganda eſt minor prioris ſyllogiſmi ab Hurtado confecti, de qua erit tota argumenti contentio. Quia tamen incerta res eſt, an eadem entitas poſſit ſubiectari in ſubiecto materiali, & ſpirituali, de qua modò cum Hurtado contendere nolo, alio modo radicitus argumento neruos præcido. Nego maiorem, videlicet vnionem recipiendam eſſe in materia, & forma. Ad confirmationem reſpondeo materiam perfici per formam, & formam per materiam, non ſecundùm ſuas entitates intrinſecas, ſed in ordine ad totum, in quo vtraque perficitur, non in ſe ipſis, quia in ſe ſemper remanent entitates inadæquatæ, ſed in toto & ita neceſſum non eſt, vt ſe inuicem perficiant, vt mutuò ſe recipiant, ſed vt vniantur, & communicent in eodem toto, in quo abſque vlla receptione mutuò perficientur iuxta dicta Cont. 2. Punct. 3. §. 3.

Argumentatur ſecundò Hurt. Si relatio ſimilitudinis 11 diſtingueretur à fundamento, & termino, relatio fundamento inhærens, non ſufficeret, vt terminum conſtitueret ſimilem: ſed neceſſaria eſſet alia relatio, ex parte termini: ergo data vnione ſuperaddita inter materiam & formam, duplex danda eſt, quædam ex parte materiæ, & altera ex parte formæ. Parco arguendi modo; poſſem enim dicere ex vi huius ſuppoſitionis intrinſecè per modum quendam ſuperfluum, quia eo ipſo quod ponatur fundamentum, & terminus per ſuas entitates formaliter relatas conſtituuntur, ac proinde ſi ſupponitur modus alius in aliquo extremo, ſupponitur entitas quædam ſuperflua in rerum natura, quæ pari iure, vel potius non impari iniuria debet poni in vno extremo, ac in alio, cùm neutrum, neque determinatè, neque indeterminatè illum exigat, neque aliquod illorum melius ius habeat, vt talem modum

tanquam ſibi neceſſarium expoſcat, neque tanquam ſibi ſuperfluum reſpuat. Neque volo ex Arriagæ doctrina reſpondere modum vnionis poſſe eundem in materia, & forma ſubiectari, relationem verò non poſſe vtrumque extremum per modum vnius ſubiecti indiuiſibilis reſpicere, & ita neceſſariam eſſe duplicem relationem, vt in vtroque extremo relato ſubiectetur relatio, non tamen neceſſariam eſſe duplicem vnionem, vt vtrumque extremum vniendum ſit ſubiectum vnionis; quia in vtroque tanquam in ſubiecto adæquato, & illorum quocumque tanquam in ſubiecto inadæqnato poteſt eadem indiuiſibilis vnio ſubiectari. Quod ſi ſolutionem hanc velis impugnare ex doctrina eiuſdem Hurtadi aſſerentis non poſſe eundem modum vnionis ſubiectari in materia, & in forma, memineris quæſo ipſum Hurtadum dixiſſe §. 130. ex hoc capite tantùm in homine poſſe duplicem vnionis modum propugnari.

12 Alias rationes adducit Hurtado ad probandum dandam eſſe duplicem relationem in duplici extremo, quibus ipſe ſibi reſpondiſſe poterat: aſſerit §.143. relationem in cauſa & in effectu eſſe diuerſæ rationis, vt patet in paternitate, & in filiatione, ac proinde non poſſe per eandem relationem referri Patrem ad Filium, & Filium ad Patrem. Admitto hanc doctrinam & ex illa Hurtadi reſpondeo, relationes multiplicandas eſſe in cauſa, & effectu propter hanc rationem, quæ non inuenitur in extremis vt vnitis, in quibus vnio eiuſdem rationis eſſe poteſt, ac proinde neceſſum non eſt excogitare diuerſas vniones, vt diuerſo modo referentur cauſa & effectus. Si dicas in extremis relatis relatione ſimilitudinis hanc non inueniri rationem, dicam in his relationes multiplicandas eſſe, quia extrema ſimilia ſæpe ſunt loco diſſita, & eadem relatio non poteſt conſtitui in duplici loco, neque extremum diſtans conſtituere relatum. Inſtat Hurtadus eſſe aliqua extrema relata, quæ non poſſunt loco diſtare, quod probat ex potentia vitali, & illius actibus in quibus eſt mutua relatio, & ſeparari non poſſunt. De relationibus cauſæ ad effectum, & effectus ad cauſam, quæ in potentia & actibus reperiuntur, rationem aliam nuper dederam, ex ipſo Hurtado deſumptam. Verumtamen quia in opinione, quæ relationes has admittat, hæc eadem extrema relatione diuerſitatis referuntur, affirmo poſſe extrema relata relatione eiuſdem rationis. quæ dici ſolet relatio æquiparantiæ, referri vna eademque relatione. Contra hunc dicendi modum nimis ardens inſurgit Hurtadus; aſſerit duplicem relationem abſque fundamento non eſſe denegandam ex eo ſolùm, quod nulla ratio vigeat ad has relationes multiplicandas, & ab omnium ſenſu non eſſe puerilem in modum diſcedendum, ſed cum fundamento adeò præſente, vt omnes opprimat. Rogo Hurtadum, quo fundamento relationes omnes ſuperadditas neget contra omnes Doctores, qui illas defendunt? Hoc certè omnium præcipuum eſt, abſque his relationibus ſuperadditis præcisè ex eo quod ſupponantur fundamentum, & terminus, vtrumque intelligitur relatum: ergo otioſè ponitur illa relatio: ergo ponenda non eſt. Sic arguit Hurtadus diſput. 15. Metaphyſic. ſect. 2. §. 14. & 15. Sicque argumentantur doctiſſimi viri, quo fundamento doctè & maturè ſatis diſcedunt ab Authoribus, qui relationes ſuperadditas admittunt: ergo qui eadem forma arguendi ſeruatà duplicem relationem in his extremis, quæ ſeparari nequeunt, negarent, ſic arguentes: poſita ſimplici relatione vtrumque extremum intelligitur relàtum: ergo ſuperfluit ſecunda relatio: ergo ponenda non eſt; non diſcederent puerilem in modum, ab his qui duplicem relationem concedunt, ſed eadem ratione, qua ipſe Hurtadus ab eiſdem Doctoribus magis diſcedit, dum eodem fundamento, quo illi multiplicitatem relationum ſimplici quadam relatione admiſſa negant, omnem relationem ſuperadditam euelli.

13 Rationem aliam diſparitatis inuenio apud eundem Hurtadum, vt illius hypothetico argumento ſatisfaciam: Ait Hurtad. §.143. ad cauſam referri effectum eſſe omnino independens à relatione cauſæ ad effectum, quia creatura refertur ad Creaturam, & Creator non refertur ad creaturam. Ex qua doctrina reſpondeo ex conceptu vnius extremi relationis non eſſe alterum extremum eſſe relatum, quia poſſunt ſeparari, & ideo non ſufficit relatio, qua conſtituitur hoc extremum relatum, vt illud formaliter referatur: de conceptu verò vnius extremi vniti eſt alterum extremũ eſſe vnitum, & de potentia Dei abſoluta non poteſt materia eſſe vnita formæ, quin forma ſit vnita materiæ, neque ex parte obiecti præſcindi poſſunt hi conceptus: *materia eſt vnita formæ, & forma eſt vnita materiæ.* Hac de cauſa multiplicanda non eſt vnio in extremis vnitis, cùm illud vnitum maneat ex vi formæ, qua hoc illi vnitur, ſecus in relationibus quorum vnum extremum relatum non eſt ex eo quod aliud ad illud referatur. Dices, neque mente præſcindi poſſe albedinem *A* eſſe ſimilem albedini *B*, & albedinem *B* eſſe ſimilem albedini *A*, neque Petrum eſſe eundem relatione identitatis cum Ioanne, & Ioannem habere eandem identitatem relatiuam cum Petro. Neque Antonium eſſe diuerſum ab equo Bucephalo, & equum Bucephalum eſſe diuerſum ab Antonio: ergo eadem eſt ratio de relatione & vnione. Hæc obiectio impugnat multiplicitatem relationum, non ſimplicitatem vnionis; ſi enim præſcindi nequeunt hi conceptus, Antonius eſt diuerſus à Bucephalo; & Bucephalus eſt diuerſus ab Antonio, ſequitur per eandem relationem conſtitui vtrumque diuerſum. Conſequentiam non negant Patroni harum relationum, ſed conſequens, & antecedens neque in illorum opinione poteſt admitti, cùm ipſi aſſerant hominem diuerſum eſſe à Deo relatione diuerſitatis, & Deũ ſimilem relationem non habere, & aſſerant Antonium eſſe diuerſum à Bucephalo per relationem quandam ex vi cuius formaliter Bucephalus non eſt diuerſus ab Antonio, ſed alia indiget relatione, vt diuerſus conſtituatur. Quæ omnia ego falſa eſſe iudico, & ideo affirmo has omnes relationes ſuperadditas eſſe auferendas, & vtrumque extremum per eandem relationem referri ab vtroque ſimul ſumpto realiter, & formaliter ex parte obiecti indiſtinctam. Neque à me petendum eſt vt argumenta ſoluam, quibus vtor ad has relationes ſuperadditas expungendas, ſed ſi ex ſuppoſitione opinionis, quæ relationes ſuperadditas admitit, fiat argumentum ad vnionum multiplicitatem probandã, inconcuſſa eſſe debent omnia principia per locum intrinſecum connexa cum concluſione has relationes ſuperadditas ſtatuente, illiſque ſuppoſitis argumentum procedere, & ideo ſupponendum eſt conceptum diuerſum dicere albedinem *A* eſſe ſimilem albedini *B*, & albedinem *B* ſimilem eſſe albedini *A*, & ſic de aliis relatiuis.

14 Vltimò reſpondeo relationem non referre terminum purè terminum ad ſuum ſubiectum, quia reſpicit terminum tanquam quid extrinſecum; vnionem verò terminum vnire, qua illum tanquam intrinſecum terminum attingit.

§. IV.

Incidens difficultas explicatur de natura intrinſeci.

15 Ex ſolutione ſuprà data alia quæſtio ſuboritur quid ſit intrinſecum reſpectu alterius, quare vnio vtrique termino intrinſeca ſit dicenda, & relatio tantùm fundamento intrinſeca dicatur, & termino extrinſeca? quare actio extrinſeca ſit agenti & intrinſeca termino? Hurtad. ſuprà diſput. 5. citata §. 45. terminum intrinſecum definit: *Terminus intrinſecus eſt ille ad quem aliqua res refertur, quæ illi non eſt extrinſeca, & quæ ab illo non dependet in genere cauſæ materialis, neque aliunde extrinſecè.* Hanc definitionem rectè impugnat Arriaga diſput. 4. ſect... ſubſect. 3. quia licèt aliqua rectè per negationem definiantur, res poſitiua nunquam definienda eſt per negationem ſuæ negationis; extrinſecum autem eſt negatio intrinſeci: ergo dicere non extrinſecum, eſt idem ac dicere intrinſecum, magis obſcurè & inuolutè, ſicut ſi quis definiret lucidum, quod eſt non tenebroſum. Deinde etiamſi extrinſecum non diceret formaliter negationem intrinſeci, certè æquè ignotum eſt quid ſit extrinſecum, & quid intrinſecum, ac proinde definitio non eſt bona, ſiquidem definitum per æquè ignotum, & non per aliquid notius illo explicat. Arriaga ſuprà num. 11. terminum intrinſecum definit: *Terminus intrinſecus eſt, qui vnitur, & nõ intrinſecè cum alio neque in genere cauſæ materialis, aut formalis.* Explicat Arriaga in quo Hurtadum reprehenderat, idem enim eſt terminum intrinſecum definire per *non intrinſecè*, & per *non extrinſecum*, æquè enim eſt vterque terminus ignotus, & eandem formalitatem, licèt diuerſo modo ſignificatam, importat. Deinde terminus actionis, quem dicit Arriaga intrinſecum eſſe non vnitur actioni, ſed tantùm actio connexionem habet cum illo, ſine quo eſſe nequit, & huic ſimilem connexionem habet cum principio effectiuo, cui eadem actio extrinſeca dicitur.

Eaſdem

Digitized by Google

Eaſdem patitur impugnationes alia definitio, quam refert Hurtad. §. 86. ſcilicet, *Terminus intrinſecus eſt qui cum re quam terminat init compoſitionem intrinſecam.* Hæc definitio clariùs aliis definitum in definitione adhibuit.

16 Alij dicunt terminum intrinſecum eſſe illum, *qui eſt intimè præſens viæ, ſeu reſpectu cuius eſt terminus.* Poſſet impugnari hæc definitio, quia Deus eſt neceſſariò intimè præſens actioni creatæ, quæ illi eſt extrinſeca. Reſpondeo Deum eſſe intimè præſentem actioni, non præcisè, quia ab illo oritur actio, ex hoc enim capite ſufficeret illi eſſe immediatum, ſed quia immenſus eſt, & intimè præſens actioni ab illo immediatè ortæ, ſicut omni termino ab ipſo producto, & ſicut eſſet præſens cuilibet entitati exiſtenti in rerum natura, etiamſi per impoſſibile fingeretur ab illo independens. Secundò obijcitur contra hanc definitionem: relatio diuerſitatis, quam dicit vnio ad materiam, quam reſpicit vt terminum extrinſecum, in opinione, quæ has relationes agnoſcit, & neceſſariò eſt intimè præſens materiæ. Reſpondeo materiam non petere eſſe intimè præſentem relationi diuerſitatis quam habet vnio ad illam vt terminet hanc relationem, neque relationem immediatè petere materiam approximatam, vt in illam tendat, ſed tantùm relationem exigere intimam præſentiam cum vnione: in qua ſubiectatur, & quia vnio petit eſſe intimè præſentem materiæ, tunc eſt, quod relatio non immediatè neque ratione ſui, ſed mediatè, & ratione ſubiecti petat intimam præſentiam cum termino, tendentia autem intrinſeca non mediatè tantùm, & ratione alius, ſed immediatè, & & ratione ſui exigit intimam præſentiam cum termino. Fortiùs exiſtimo hanc opinionem impugnari ex vnione integrali, quæ intrinſeca eſt vtrique termino, cui non eſt intimè præſens, in communi enim ſententia indiuiſibile vnitiuum duarum partium quantitatis alteri tantùm eſt intimè præſens, & in mea ſententia quam explico Controuerſ. 17. neutri eſt intimè præſens, & tamen vtrique intrinſecum eſt.

17 Illa ergo inter ſe mutuò intrinſeca vocarem, *quæ pertinent ad conſtitutionem vnius per ſe*, vnum per ſe voco, quod diſtinguitur à toto morali, ſeu ab aggregato, quod nulla vnione phyſica nectitur, quod totum ſe extendit ad totum integrale, & eſſentiale, ad totum ſubſtantiale & accidentale. Secundùm hanc definitionem vnio inter materiam & formam accidentalem, & ſubſtantialem, & inter quaſcumque partes integrantes per ſe ipſam intrinſeca eſt extremis, quia per ſe ipſam pertinet ſimul cum illis ad conſtitutionem vnius per ſe. Materia, & forma, accidentia phyſica, & ſubiectum illorum, partes integrantes inter ſe mutuò ſunt ſibi intrinſeca, quando actu ſunt vnita per vnionem ſuperadditam, ratione cuius, pertinent ad conſtitutioné vnius per ſe, nó per ſuas entitates, quia ſecluſa vnione materia eſt valde extrinſeca formæ, & forma materiæ, & pars integralis alteri comparti, ſicuti modò anima ſeparata extrinſeca eſt cuicũque materiæ, & ſubſtantia aquæ alteri aquæ, cui poteſt integraliter vniri. Secundùm hanc definitionem relatio prædicamentalis intrinſeca eſt ſubiecto cui vnitur, & cùm quo conſtituit vnum per ſe accidentale, non termino, cùm quo nullum totum per ſe conſtituit. Similiter actio extrinſeca eſt agenti, & paſſio intrinſeca ſubiecto, & principio operanti immanenter quatenus ſubiecto illius, cum quo conſtituit vnum per ſe accidentale, quod non conſtituit cum principio tranſeunter operante. Vnum in hac definitione difficile eſt, videlicet ſecundùm illam terminum productum non dicendum eſſe intrinſecum actioni ex vi cuius producitur, quia nullum totum per ſe cum illa conſtituit, neque aliquam cum eo vnit compoſitionem. Arriaga ſuprà dicit ex actione, & termino producto fieri vnum, ſed ego non calleo hanc vnionem inter actionem & terminum, neque rationem aliquam inuenio, propter quam actio cum termino, & non cum principio vnionem habeat, quia ad vtroque diſtinguitur, in neutro recipitur tanquam in ſubiecto, à termino tantùm à poſteriori, & à principio à priori dependet: ergo non eſt maior ratio cur dicatur actio vnita termino, potiùs quàm principio: fateor rationem exigere intimam præſentiam cum termino, & non cum principio, ſed ex hoc capite intrinſeca tantùm localiter dici poterit, non enim ex illo ratio intrinſeci aut extrinſeci deſumenda eſt, vt probaui n. 16.

16 Cæterùm ſicuti nullam rationem inuenio, propter quam dicenda ſit actio conſtituens vnum cum termino, ita nullam agnoſco, propter quam dici debeat illi intrinſeca, & ideò æquè extrinſecam dicendam eſſe cenſeo termino, & principio, ab vtroque enim æquè diſtinguitur, & neutri horum vnitur: quod ſi vulgo actio intrinſeca termino dicatur, ideo eſt, quia ſi aliquod ſubiectum habet, idem eſt vtrique commune, & quia intimè penetrantur, ex quo aliqua ratio intrinſeci impropriè, & tantùm in ordine ad totum non verò propriè, & ſtrictè deſumi poteſt. Ex alio capite fundamentum aliquod deſumitur; vt vulgo actio intrinſeca termino dicatur, & non principio effectiuo, quia principium effectiuum non indiget ad ſuam exiſtentiam actione, quæ ab illo fluit, terminus verò ſubſiſtere nequit ſine aliqua actione, quam terminat, ſed hoc propriè non eſt actionem eſſe intrinſecam termino, ſed terminum intrinſecè, & per ſuam entitatem actione indigere. Neque ex eo quod dicamus actionem non eſſe intrinſecam termino contra communem Doctorum ſententiam ſentimus; qui actionem termino intrinſecam appellant, quia Doctores de hac re non ex profeſſo diſputarunt, neque diſtinxerunt inter illa, quæ propriè, & impropriè aliis intrinſeca dicebantur, & ideò in re parui momenti vulgo indulſère, qui actionem abſolutè termino intrinſecam vocauit. Si autem velis defendere actionem intrinſecam dicendam eſſe termino, rationem intrinſecè ſic defini: Intrinſecum alicui eſt illud, *per quod formaliter conſtituitur productum, vel cum quo componit vnum per ſe.* Si enim ſemel ſtatuamus entitates definitione amplectendas, poſtea non difficile erit illis opportunam definitionem accommodari; hanc actioni competere reſpectu termini certum eſt, quia ex vi actionis terminus formaliter productus conſtituitur, conuenit etiam aliis entitatibus, quas intrinſecas dicimus, vt explicatum eſt num. 16. Neque vitio dandum eſt huic definitioni per disiunctionem tradi, ratione cuius non vna pro omnibus definitis, ſed duplex redderetur definitio accommodè inter illa diſtribuenda, hoc enim tantùm eſt reprehendendum, cùm omnia definita poſſunt per eundem conceptum explicari, ſunt tamen plura, quorum quidditas non poteſt per ſimplicem exprimi conceptum, quæ etſi non ita bene ac ſi per ſimplicem conceptum definirentur, aptè tamen, dum ille nobis non ſuppetit, per duplicem conceptum deſcribuntur.

PVNCTVM III.

In quo extremo ſubiectetur vnio.

Dixi vnionem per ſe, & immediatè vtrumque extremorum connectere independenter ab inhæſione, & æquè vnire illud, quod tantùm immediatè per ſe ipſam vt terminum, reſpicit, ac alterum, quod non tantùm reſpicit, per ſe ipſam vt terminum, ſed etiam media inhæſione vt ſubiectum. Inquiro modò quod ſubiectum afficiat media inhæſione vnio per ſe ipſam annectens materiam & formam. P. Vaſquez tom. 1. in 3. partem diſput. 19. num. 23. aſſerit vnionem ſubiectari in forma, idem docere videtur P. Soar. de vnione compoſiti materialis diſput. 13. ſect. 9. num. 13. vbi docet vnionem inter materiam & formam potiùs ſe tenere ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, & materiam quoad ſuam entitatem tantùm mutari ratione priuationis formæ, vel ratione formæ denuo aduenientis, non ratione modi vnionis. De vnione tamen inter materiam & formam hominis intercedente expreſsè docet diſp. 15. ſect. 3. in fine n. 9. educi non ſolùm ex materia, aut ex forma ſolùm, ſed ſimul ex materia, & forma tanquam ex ſubiecto adæquato, & ex illa cum qualibet ſeorſim ſumpta, tanquam ex ſubiecto inadæquato. Item docet Arriaga diſp. 4. ſect. 4. ſubſect. 4. de omni vnione eſſentiali cuiuſcumque compoſiti ſubſtantialis. Hurtadus qui tenet dari duplicem vnionem ſubſtantialem in compoſito docet diſput. 5. ſect. 5. vnam vnionem ſubiectari adæquatè in materia, & alteram in forma. P. Rub. lib. 1 Phyſicorum lib. 4. n. 65. Albertinus tom. 2. Cord. de prædic. ſubſt. q. 5. docent modum vnionis in omnibus compoſitis eſſentialibus ſubiectari adæquatè in materia.

Nihil ſolidum in hac difficultate inuenio quod in aliquam partem animum affigat, vnus inter omnes dicendi modos diſplicet illorum, qui aſſerunt vnionem materialem ſubiectari in materia, & forma, quia nulla eſt ratio, quæ prohibeat illam in materia adæquatè recipi, neq; quæ cogat eundem, neque inadæquatè in forma conſtituere, & ideo

Digitized by Google

ideo abſque neceſſitate, & ſine fundamento dicitur rem materialem poſſe educi è ſubiecto ſpirituali adhuc inadæquato, quod impugnabo, dum de ſubiecto ſenſationum materialium hominis diſputabo Cont.3.de anima Punct.1. §.1. Quod ſi diceremus modum vnionis ſpiritualem eſſe, in eandem, imò in maiorem difficultatem incideremus, dum ex ſubiecto materiali modum ſpiritualem concederemus eductum.

3 Præmitto quod ſatis fuſè explicui Puncto præcedenti, modum vnionis non neceſſariò ſubiectari in extremo, quod vnit, quia etiamſi crearetur abſque vllo ſubiecto, vtrumque vniret, quod immediatè, & per ſe præſtat. Ex hoc infero, non eſſe neceſſariò in materia, & in forma cōſtituendum, ſed ſufficienter conſtitui in harum altera. Ex hoc probabiliter coniector recipi in materia, & non in forma, hoc enim quod eſt recipere, propriùs eſt materiæ, quæ eſt primum ſubiectum, cuius munus eſt recipere & materialiter cauſare, quàm formæ. Secundò: vnio producitur ab agente naturali, à quo producitur forma materialis, quæ non creatur: ergo ex eodem ſubiecto educit agens formam, & vnionem: ſed forma materialis educitur ex potentia materiæ: ergo & vnio. Tertiò omnes diſpoſitiones, quæ diſponunt ad formam diſponunt ad vnionem: ergo ſicut forma & vnio habent commune ſubiectum diſpoſitionum, ita habebunt commune proprium ſubiectum. Quartò: communis Philoſophorum ſententia tenet generationem ſubiectari in materia prima: ſed generatio terminatur ad vnionem, vt probabo proprio loco; ergo vnio ſubiectatur in materia prima. Probo conſequentiam: Actio & terminus actionis ſubiectantur in eodem ſubiecto: ſed actio generatiua ſubiectatur in materia: ergo vnio, quæ eſt illius terminus. Video hæc fundamenta rem non demonſtrare, ſed videbis, quàm inefficacius ratione aliorum Doctorum oppoſitas ſuadeant ſententias.

4 Obiicit Vaſquez ſuprà: Forma eſt indifferens, vt ſit per ſe ſeparata à materia, vel in materia, ſi illam informet: ergo indiget aliquo in illa recepto ad hoc, vt conſtituatur in materia, & illis vnita: Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens; indiget alio modo recepto in ipſa forma, nego conſequentiam: terminato ad formam, concedo conſequentiam. Rem explico: forma materialis duplicem indifferentiam habet reſpectu ſubiecti, quamdam vt ex illo educatur, vel vt exiſtat independens ab illo tanquam à cauſa materiali, hæc indifferentia tollitur per creationem qua forma conſtituitur independens à materia, vel per eductionem, qua conſtituatur dependens à materia, & illi inhærens, ſeu in illa recepta. Creatio & eductio formæ ad formam terminantur, eductio reſpicit materiam tanquam principium paſſiuum, in quo per ſe ipſam recipitur. Creatio nullum principium paſſiuum habet, neque in aliquo recipitur. En hæc indifferentia formæ determinatur ſecundùm vtrumque extremum, quin aliquem modum in ſe recipiat. Aliam indifferentiam habet forma materialis communem etiam animæ rationali, vt vniatur, vel non vniatur ſubiecto. Hæc determinatur per negationem vnionis terminatæ ad illam, vel per vnionis terminatam ad ipſam, & in materia receptam. Sicuti affirmat Vaſquez indifferentiam materiæ, vt vniatur, vel non vniatur formæ determinari per negationem vnionis, vel per vnionem non receptam in materia: ſed tantùm in forma.

5 Obiicit Soar. Tota agentis vis eò tendit, vt educat formam ex materia: ergo conſequenter vt ponat vnionem in forma. Conſequentiam nego.

6 Obiicit Hurtado ſuprà § 68. ad cōceptum rei perficientis, quæ ſuum effectum formalem ſubiecto communicat, requiritur, vt ille effectus formalis ſit communicabilis per motum, aut generationem receptam in ipſo ſubiecto: ergo vt vnio tribuat ſuum effectum formalem formæ, & materiæ debet recipi in vtraque per motum, & generationem. Antecedens probat: Verbum eſt vnitum humanitati, & non perficitur per illam: ergo ad hoc, vt vnum extremum perficiatur non ſufficit terminare vnionem inter vtrumque, ſed requiritur virtus receptiua extremi, vt vniti per proprium motum, ex defectu cuius Verbum non perficitur per naturam humanam, & natura humana, quæ illius vnionem recipit per illud perficitur. Reſpondeo negando antecedens quia vt Puncto præcedenti ex ipſo Hurtado dicebam, vnio per ſe ipſam, perficit materiam, & formam. Ad confirmationem reſpondeo, non ideo Verbum non perfici per naturam, & naturam perfici per Verbum, quia vnio Verbi recipitur in natura, & non in Verbo, quia ſi vnio hypoſtatica crearetur, & etiamſi natura rationalis daretur incapax recipiendi in genere cauſæ materialis hypoſtaticam vnionem, quæ de facto illam terminaret, & per vnionem hypoſtaticam Verbo vniretur, per illud perficeretur, quod negare non audebit Hurtadus: ergo perfici, vel non perfici per vnionem non ex eo eſt quod vnio recipiatur vel non recipiatur in materia. Dico Verbum non perfici per vnionem ad naturam: quia in ſe eſt infinitum, & hæc vnio, aut natura vnita non eſt complementum Verbi neque aliquo modo illa indigebat Verbum, neque ad illam ordinabatur, neque talis vnio, aut terminus illius Verbum eleuat ad aliquam operationem, aut euoluit ad aliquem ſtatum altioris ordinis, quem Verbum ex ſe non pertingeret, quæ propria ſunt perfectionis, & formæ perficientis ſubiectum. Natura verò per hanc vnionem mille modis perficitur, in primis enim illa indiget natura vt ſubſiſtentia Verbi ſuppleat defectum propriæ; deinde effertur ad infinitam ſanctitatem, & inſtituitur ſancta eadem ſanctitate, qua Deus ſanctus eſt, & conſtituitur pertinens ad hoc ſuppoſitum Chriſtus filius Dei naturalis. Denique innumeris modis expendunt Scriptura, & Patres quomodo Verbum exinanitum ſit per hanc vnionem hypoſtaticam ad naturam humanam, & naturam humanam per eandem perfecerit, & ad faſtigium ſupremi honoris euexerit. Quæ ergo perfectio accreſcet ex vnione ad naturam humanam diuino Verbo, ex quo omnis perfectio, & in quo omnium perfectionum ſcaturigo? aut quæ accreſceret illi, ſi vnionem naturæ reciperet, cuius receptio non ſolùm Verbo perfectionem non pareret, verùm etiam imperfectionem creaturæ, & carentiam infinitæ perfectionis, qua gaudet, argueret? Quæ perfectio ex hac vnione non naturæ ſuperinnatauit? quæ media illa latices fontalis originis omnium perfectionum exhaurit.

Obiicit Arriaga: Cùm ſunt duo ignes applicati ad producendum calorem, vtrique debet applicari calor productus tanquam effectus: Sed materia, & forma ſunt applicatæ ad recipiendam vnionem: ergo vtrique illius receptio applicanda. Reſpondeo applicationem ad recipiendum, vel agendum ſupponere virtutem extremi applicati ad actionem, vel receptionem, ad quam applicatur, & ex hoc capite formam non eſſe applicatam ad recipiendam vnionem, quia non habet virtutem receptiuam reſpectu illius. Vnionem in compoſitis cuius forma eſt materialis, materialem eſſe, nullus ambigit. Item in homine eiuſdem eſſe conditionis conſtat ex materia, in qua recipi probauimus, ex ſubiecto enim materiali modum ſpiritualem educi melior Philoſophia non admittit. De vnionis diuiſibilitate dicam Contr.1.de anima Punct.6. 7

CONTROVERSIA V.

De toto ſubſtantiali.

EGi de omnibus principiis, ex quibus totum conficitur, accedo modò ad totum, quod ex illis coaleſcit.

Pvnctvm Primvm.

An totum diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis.

Sive totum præter materiam, & formam, & vnionem, modum alium includat, ſiue non, de quo Puncto immediatè venturo, eandem ſemper deciſionem habet, eodémque modo tractanda eſt præfixa difficultas. Inquirit an totum diſtinguatur ab omnibus partibus, & modis, quos includit ſimul ſumptis, ſiue includat tantùm materiam, & formam, & vnionem, ſiue ſupra materiam, formam, & vnionem, modum alium includat. In opinione enim quam veram eſſe probo, nullum modum diſtinctum ab vnione ſupra materiam, & formam conſtituente, inquiritur an totum diſtinguatur realiter à materia, forma, & vnione, & in oppoſita ſententia modum illum addente, quæritur, an totum diſtinguatur à materia, forma 1

Digitized by Google

forma & vnione, & illo modo ſimul ſumptis. Procedit quæſtio iuxta terminos verioris ſententiæ negantis modum illum, ne multitudine terminorum minùs expeditè tractetur.

2 Scotus, Caietanus, & alij, quos, longum eſſet recenſere, & citatos inuenies apud Soar. in Metaph. diſp. 26. ſect. 3. n. 2. in quod etiam noſtri Conimbr. inclinant, docent totum realiter diſtingui à materia, & forma, & vnione ſimul ſumptis. Oppoſita ſententia eſt communis omnium ferè Doctorum huius temporis, cui plures ex Antiquis patrocinantur apud Conimbr. 1. Phyſic. cap. 2. q. 1. & apud Soar. n. 6. qui præter alios refert Angelicum Doctorem, illiúſque expreſſa teſtimonia pro hac ſententia: eandem amplectitur idem P. Soar. ibid. Rub. 1. Phyſic. tract. 39. q. 1. P. Hurt. diſp. 6. ſect. 1. P. Arriag. diſp. 5. ſect. 1. quibus libens ſubſcribo.

3 Dico totum non diſtingui à materia, forma, & vnione ſimul ſumptis omnibus in recto. Probo clarè, communi ratione, neque ideo contemnenda. Totum vel includit aliquid præter materiam, & formam, & vnionem, vel non includit: ſi non includit: ergo non habet rationem cuius ab illis diſtinguatur. Si includit: Rurſus inquiro, an diſtinguatur à materia, forma, & vnione, & incluſo illo, quod tu addis, ac proinde ſi in infinitum non abis, cogeris concedere totum non diſtingui ab illis, quæ includit ſimul ſumptis, quæcumque illa ſint. Confirmo & declaro eandem rationem. Totum vel diſtinguitur adæquatè, vel inadæquatè à ſuis partibus, & vnione ſimul ſumptis; non adæquatè, aliàs non erunt partes illius, pars enim neceſſariò identificatur inadæquatè cum toto, & totum eandem identificationem inadæquatam retinet cum parte, quæ incompoſſibilis eſt cum diſtinctione adæquata, implicat enim totum inadæquatè identificari cum aliquo extremo, & adæquatè ab illo diſtingui: non inadæquatè, quod ſic probo: In omni diſtinctione inadæquata debet eſſe aliquid in termino diſtincto, per quod diſtinguatur: ſed nihil eſt in toto, per quod diſtinguatur inadæquatè: ergo. Maior eſt per ſe nota, Minorem probo: In toto tantùm eſt materia, forma, & vnio: ſed per materiam, per formam, aut vnionem, non poteſt diſtingui à materia, forma, & vnione: ergo nihil habet per quod diſtinguatur inadæquatè: ergo neque adæquatè, neque inadæquatè diſtinguitur: ergo nullo modo.

4 Reſpondent recentiores diſtingui non per aliquod in illo incluſum, ſed per ſe ipſum reſultans tanquam quid includens partes, & vnionem. Contra hanc ſolutionem idem redit argumentum. Totum per ſe ipſum non poteſt diſtingui adæquatè, vt probaui: non diſtingui adæquatè, quia nihil ſui eſt, per quod diſtinguatur, quidquid enim totius aut in toto aſſignetur, aut erit materia, aut forma aut vnio. Perſiſtes dicendo totum non per aliquid illius, ſed per ſe ipſum diſtingui à materia, forma, & vnione ſimul ſumptis. Contrà: vel diſtinguitur per ſe ipſum, vel per aliquid, quod non ſit tota ſua entitas; vel diſtinguitur per totam ſuam entitatem, non per aliquid, quod non ſit tota ſua entitas, quia nihil poteſt eſſe in toto, ſeu pertinens ad totum, quod non ſit tota ſua entitas, niſi materia, vel forma, vel vnio. Non per totam ſuam entitatem, quod ſic probo: Si totum diſtingueretur per totam ſuam entitatem à materia, forma, & vnione ſimul ſumptis, implicaret, non diſtingui adæquatè, quia diſtingui vnum ab alio adæquatè nihil aliud eſt, quàm diſtingui per totam ſuam entitatem, quod ſic probo. Diſtinctio, & identificatio ſecundùm eandem entitatem indiuiſibilem non ſuſcipit magis, & minùs; illud enim quod formaliter & per ſe ipſum eſt identificatum, vel diſtinctum ab alio ſecundùm illam rationem formaliter diſtinctam, vel identificatam, non poteſt eſſe magis diſtinctum vel identificatum, vt per ſe notum eſt, quis enim poteſt concipere maiorem identitatem inter me, & me ipſum, quàm illam quam habeo de facto, neque maiorem diſtinctionem inter me & Petrum, in quibus nihil eſt commune, ſed diſtinctio ſecundùm omnia, quæ pertinent ad conſtitutionem vniuſcuiuſque: ergo diſtinctio, vel identitas maior, adæquata, vel inadæquata ex eo ſumitur, quod ſit ſecundùm totam entitatem, vel ſecundùm aliquid illius, & illa erit ſumma, & adæquata diſtinctio, quæ eſt ſecundùm totam entitatem rei, & illa tantùm poterit dici inadæquata diſtinctio, quæ non eſt ſecundùm totam entitatem, ſed ſecundùm aliquid illius: ergo implicat totum diſtingui ſecundùm totam ſuam entitatem à materia, forma & vnione ſimul ſumptis, & diſtingui tantùm inadæquatè, ſed neceſſariò adæquatè diſtinguendum eſſet, ſi ſecundùm totam ſuam entitatem diſtingueretur.

Confirmo eandem concluſionem. Ex quo præciſè, quod ſit materia, forma, & vnio ſecluſa qualibet alia entitate, eſt totum: ergo totum non dicit aliam tertiam entitatem. Probo antecedens: poſita materia, forma, & vnione, implicat materiam, & formam, non eſſe vnitas, quia his poſitis ſunt extrema vnibilia, & eſt tota ratio formalis adæquata vniendi, quæ conſiſtit formaliter in vnione: ergo poſita materia, & forma, & vnione, quolibet alio ſecluſo, ſunt partes componentes, quia partem totum componere nihil aliud eſt, quàm ſe vnire: ergo eſt totum compoſitum; implicant enim partes eſſe componentes, & non eſſe compoſitum, ſecluſo etiam omni alio ab ipſis, & actuali compoſitione diſtincto. 5

Dixi ſemper totum non diſtingui à materia, formâ, & vnione ſimul ſumptis, non verò ſicuti vulgo dici ſolet à partibus ſimul ſumptis, & vnitis, quia, vt acutè notarunt ſapientiſſimi recentiores, partes ſimul ſumptæ, & vnitæ non dicunt vnionem in recto, ſed in obliquo, ſicuti lignum album dicit albedinem, & ita non identificantur, neque inadæquatè cum vnione, cum qua identificatur totum; ex quo infertur partes ſimul ſumptas, & vnitas diſtingui inadæquatè à toto: illatio eſt per ſe nota, aſſumptum probo: Hæc eſt vera propoſitio: partes ſunt vnitæ: ergo ſubiectum dicit totum, quod dicit prædicatum in recto: ſed ſubiectum non dicit vnionem: ergo hoc concretum *partes vnitæ* non dicit in recto vnionem: ergo tantùm dicit partes, materiam, & formam: ſed materia & forma non poſſunt dici totum, neque poſſumus dicere materiam & formam identificari cum toto: ergo non poſſumus dicere partes vnitas identificari cum toto. Probo conſequentiam: quidquid prædicatur identicè de aliquo concreto, debet identificari cum illo, quod concretum dicit in recto, & non ſufficit identificari cum illo quod dicit in obliquo: ſed totum non identificatur adæquatè cum illo, quod hoc concretum *partes vnitæ* dicit in recto, quia tantùm dicit partes & non vnionem: ergo totum non poteſt prædicari de hoc concreto tanquam quid identificatum adæquatè cum illo. Maior inter omnes Summuliſtas eſt certa, & patet in his prædicationibus, album eſt albedo, & lignum eſt album, & album eſt lignum, quarum prior eſt falſa, quia prædicatum non identificatur cum ſubiecto ſecundùm id, quod dicit in recto, etiamſi verificetur cum illo ſecundùm illud, quod dicit in obliquo, & duæ poſteriores ſunt veræ, quia etiamſi ſubiectum, & prædicatum non identificentur ſecundum ſignificata in obliquo, identificantur ſecundùm ſignificata in recto, ex quorum identitate deſumitur veritas propoſitionum. Vrgeo: Omnes concedunt concretum hoc *materia vnita formæ* diſtingui à compoſito, quia non dicit in recto quidquid pertinet ad compoſitum, etiamſi computatis omnibus, quæ dicit in recto, & in obliquo, dicat quidquid pertinet ad compoſitum: ergo hoc concretum *partes vnitæ* diſtinguetur à compoſito, quia non dicit in rècto quidquid pertinet ad illud, videlicet vnionem, etiamſi illam connotet in obliquo. Ex hoc ſimiliter inferes concretum vnitum, quod totum dicitur, non eſſe concretum adiectiuum, quod vnionem in obliquo ſignificet, aliàs diſtingueretur à toto. Neque totum poteſt includere vnionem in obliquo per modum habentis, ſicuti lignum, quia toti non ſuperuenit vnio, ſed illud conſtituit, & ita vnitum adiectiuè ſignificat extremum, quod alteri vnitur; & vnitum ſubſtantiuè, totum, quod reſultat formaliter ex vtroque extremo, & ex vnione. Hæc omnia ad purum loquendi modum ſpectant, de quibus ſatis. 6

Obiicitur primò Ariſtoteles 1. Metaph. cap. 14. text. 19. aſſerens bis tria non eſſe ſex; illius ſunt verba: *Subſtantia enim cuiuſcumque eſt ipſum ſemel; veluti ipſorum ſex, non quæ bis, aut ter eſt, ſed ſemel, ſex enim ſemel ſex ſunt.* Reſpondet Hurtadus Ariſtotelem dicere bis tria non eſſe ſex, ſicuti materia, & forma ſine vnione non ſunt totum. Hurtadum impugnant recentiores, ex eo quod ſenarius numerus vnionem non includat, ſed immeritò; licèt enim numerus nullam vnitatem phyſicam habeat formaliter tamen eo modo, quo eſt vnus, vnitatem dicit; & ſicuti vnus dicitur ab intellectu numerante, ita ab illo vnitatem extrinſecam habet, quæ non conſiſtit tantùm in vnitate mediatarum, ſed in alia, qua intellectus cognoſcit vnitatem 7

 totius,

Digitized by Google

totius, ſæpe enim puer duplicem quinarium numerum recenſet, & non valet denarium conficere, in quo caſu ſunt bis quinque, ſeu eſt bis quinarius numerus, & non eſt denarius formaliter, ſed tantùm materialiter, quia non eſt numerus formaliter, quovſque vnitates formaliter mente annumerentur.

8 . Obiicies ſecundò alia eiuſdem Ariſtotelis teſtimonia ex lib. 2. Metaph. cap. 17. text. vltimo, vbi ait Syllabam *ba* non eſſe B & A, nec carnem eſſe ignem, & terram. & ex lib. 8. text. 15. *Omnium namque* (verba ſunt Philoſophi) *quæcumque plures partes habent, & non eſt totum, quaſi coaceruatis, ſed ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes.* Reſp. hæc teſtimonia probare totum præter partes includere vnionem, neque quidquam aliud inſinuare.

9 Obiicies tertiò: multa conueniunt toti, quæ non conueniunt materiæ, formæ, & vnioni ſimul ſumptis: ergo ab illis diſtinguitur. Probo antecedens: Totum eſt integrum, totum gignituf, & corrumpitur, Totum eſt vnum. Sed hæc non conueniunt materiæ, formæ, & vnioni: ergo. Reſp, hæc omnia eodem modo conuenire materiæ, formæ, & vnioni ſimul ſumptis, ac conueniunt toti, quia partes & vnio ſunt vnum integrum adæquatum, & quælibet in ſe dicit vnitatem inadæquatam; ſic totum eſt vnum integrum conſtans pluribus vnitatibus inadæquatis duabus tanquam extremis vnitis, alterâ tanquam vnione: & ſicut totum gignitur, & corrumpitur, quia gignitur vnio, quæ vltimò complet hominem, & eadem corrumpitur ſine qua nequit ſubſiſtere: ſic materia, forma, & vnio quatenus ſimul ſumptæ gignuntur, & corrumpũtur ratione eiuſdem vnionis, licèt partes ſecundùm ſe neque gignantur, neque corrumpantur, & ſicut totum compoſitum habet vnam vnitatem totalem, & plures partiales, ſic materia, forma & vnio habent plures vnitates partiales, propriam quælibet, & omnes ſimul totalem, ex partialibus confectam.

10 Obiicies quartò. Partes & vnio cauſant totum: ergo diſtinguuntur ab illo: Diſtinguo antecedens: partes, & vnio cauſant totum collectiuè ſumptæ, nego; diſtributiuè, tranſeat. Dico tranſeat, quia vnio non cauſat, ſed eſt cauſalitas.

11 Obiicies quintò. Totum habet cauſam totalem intrinſecam: ſed hæc non poteſt eſſe niſi materia, forma & vnio ſimul ſumptæ: ergo ſic ſumptæ ſunt cauſa adæquata totius: ergo diſtinguuntur ab illo. Reſpondeo negando antecedens, quia dicunt ſibi repugnantiam cauſa intrinſeca, & cauſa totalis. Rationem audi: cauſa intrinſeca cauſat componendo, & conceptus cauſæ intrinſecæ eſt conceptus partis potentis componere, & cauſalitas per quam dicitur actu cauſans, eſt compoſitio, ita vt formaliter idem ſit actu intrinſecè componere, & actu intrinſecè cauſare, idem formaliſſimè ſit cauſa intrinſecè actu cauſans, & actu componens: ſed implicat aliquam entitatem adæquatè componere totum, vt per ſe notum eſt, quia conceptus componentis eſt conceptus partis eſſentialiter connotantis alteram compartem, cum qua ſimul ponatur: ergo implicat aliquam entitatem intrinſecè cauſare totum. Inſtabis totum eſt intrinſecè adæquatè cauſatum: ergo habet cauſam intrinſecam adæquatam. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia totum intrinſecè adæquatè cauſatum non dicit cauſam intrinſecam adæquatam, ſed plures inadæquatas. Sicuti compoſitum non dicit vnum adæquatum componens, ſed plura componentia inadæquata.

12 Vrgebis iterum: ex pluribus cauſis partialibus fit vna totalis: ſed dantur plures cauſæ partiales intrinſecæ: ergo ex illis fiet vna totalis. Reſpondeo antecedens eſſe verum de pluribus partialibus cauſis extrinſecis, non de intrinſecis. Diſparitatem do: Cauſæ extrinſecæ cauſant effectum ab illis adæquatè diſtinctum, & ita poſſunt coniungi, vt influant in effectum, cui dant aliud eſſe ab illo, quod habent cauſæ influentes. Intrinſecæ cauſæ tantùm cauſant per exhibitionem ſuarum entitatum, quas formaliter in ſe ipſis effectui communicant per coniunctionem vniuſcuiuſque cum altera media vnione, ex his autem communicationibus partialibus non poteſt fieri vna totalis, quia non eſt aliud tertium, cui talis communicatio fiat, neque eſt extremum aliquod in effectu, cui partes ſimul ſumptæ, & vnitæ ſe communicent, ac proinde non eſt effectus in ordine ad quem poſſint intelligi componentes vnam cauſam intrinſecam adæquatam, omnes cauſæ intrinſecæ inadæquatæ. Perſiſtes adhuc: cauſæ intrinſecæ partiales vniuntur in ratione cauſarum: ergo ex illis fit vna totalis: Diſtinguo antecedens: vniuntur in ratione cauſarum, vt efficiant vnam cauſam totalem nego: vniuntur vt quælibet ſimul cum alia per vnionem tanquam per cauſalitatem cauſæ inadæquatæ, quod in actu ſecundo ſine vnione non præſtaret, conſtituant vnum effectum, hoc eſt, totum, concedo Sicuti partes in ratione partium vniuntur, non vt faciant vnam partem totalem, implicat enim conceptui partis ratio totalis, ſed vt faciant totum, quod relatiuè opponitur parti, & quod eſſentialiter à parte diſtinguitur tanquam includens ab incluſo. Eadem ratione cauſæ intrinſecæ vniuntur non vt componant vnam cauſam intrinſecam totalem, quia conceptus totalitatis repugnat conceptui cauſæ intrinſecæ, quæ formaliter dicit conceptum partis, ſed vt efficiant vnum effectum, ſcilicet compoſitum relatiuè oppoſitum conceptui cauſæ intrinſecæ, & eſſentialiter diſtinctum ab eadem cauſa intrinſeca tanquam includens ab incluſo. Hæc optimè explicant conceptum cauſæ intrinſecæ, ſi verò propter puſillorum ſcandalum nolis negare dari cauſam intrinſecam adæquatam reſpectu compoſiti, dicito dari duplicem cauſam intrinſecam adæquatam, materialem vnam aliam formalem quamlibet in diuerſo genere, ex quibus non poteſt fieri vna totalis, quia pertinent ad diuerſum genus, ſed hæc reſponſio fuga erit, prima verò ad rem opportuna ſolutio.

Obiicies. Hi conceptus, *materia vnita formæ : forma vnita* 13
materiæ : materia, forma, & vnio, non diſtinguuntur ex parte obiecti, vt probauimus Controuerſ. præcedenti, Puncto 3. ergo quidquid prædicatur de vno poteſt prædicari de alio: ſed de hoc conceptu, materia vnita formæ, prædicatur eſſe cauſam totius: ergo de illo conceptu *materia, forma, & vnio* poterit fieri eadem prædicatio. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia per diuerſum modum ſignificandi ſine diſtinctione ex parte obiecti fit diuerſum ſignificatum in recto, & poſito diuerſo ſignificato in recto eſt diuerſa verificatio prædicati, quæ ſumenda eſt ex identitate cum illo, quod ex parte ſubiecti ſe tenet in recto, & non cum illo quod eſt in obliquo, vt dicebam modò num. 6. Exempla plura paſſim ſuppetunt: Pallium Petri, & pallium, & Petrus, ex parte obiecti non diſtinguuntur, & hæc prædicatio eſt vera, *Pallium Petri diſtinguitur adæquatè à Petro.* Et hæc falſa, *Pallium & Petrus diſtinguuntur adæquatè à Petro.* Similiter ex parte obiecti non diſtinguuntur hæc complexa; *Albedo recepta quantitate, & quantitas recipiens albedinem.* Et hæc vera propoſitio, *quantitas recipiens albedinem ex ſe eſt impenetrabilis.* Et hæc falſa, *albedo recipiens quantitatem ex ſe eſt impenetrabilis.*

Hæc de toto ſubſtantiali eſſentiali, quæ in omni toto 14
etiam accidentali, & integrali proportio ſeruata obſerua, nullum enim diſtinguitur ab illis ſimul ſumptis, quibus conſtat; totum integrale non diſtinguitur à partibus integrantibus, & illorum nexu; concretum accidentale ſicut album, ſi vnionem dicit diſtinctam inter ſubiectum & albedinem ab eductione diſtinctam, non diſtinguitur à ſubiecto, albedine, & tali vnione; ſi vnionem non importat diſtinctam ab eductione, ſubiectum, albedo, & eductio erunt adæquatè totum. Compoſita quorum forma ſiue ſubſtantialis ſiue accidentalis, modalis eſt, per ſe ipſam ſubiecto vnita nulla intercedente vnione inter ſubiectum, & formam, ſicuti in his concretis, præſens, & ſubſiſtens, iuxta communem ſententiam, quæ ſubſiſtentiam & præſentiam, modum eſſe defendit, non diſtinguuntur à ſubiecto & forma ſimul ſumptis.

PVNCTVM II.

An totum ſubſtantiale includat aliquid præter materiam formam, & vnionem?

QVæſtionem hanc vnus his temporibus in ſcholas P. 1
Gabriel Vazquez inuexit, qui tom. 1. in 3. parte diſputat. 19. numer. 26. in compoſito ſubſtantiali modum quendam ſubſtantialem conſtituit deriuatum à forma diſtinctum ab ipſa, & ab vnionis modo, vt apertè declarat num. 29. §. *contrà vero*, vbi arguit ab inconuenienti contra Philoſophos qui tantùm admittebant in compoſito ſubſtantiali materiam, formam, & modum vnionis. Communis ſententia, quam amplector, negat dari in compoſito talem

Digitized by Google

talem modum, cuius præcipuum fundamentum eſt, illam ſuperfluè poni, quod nobis notum fiet, ſi expendamus rationes quibus Vazquez, & cum illo docti recentiores illum propugnat; ſingula referam, expendam, & ſoluam.

2 Arguit 1. Vazquez num. 28. Diuerſo modo conſtituitur compoſitum ſubſtantiale, & accidentale, quia in compoſito accidentali ſubiectum tantùm eſt vehiculum accidentium, in compoſito verò ſubſtantiali viuenti, materia non tantùm eſt vehiculum formæ, ſed principium operationis vitalis, & viuificatur: ita vt deinde nouum eſſe habeat, quod ſit viuere, nam teſte Ariſtot. 2. de anima c. 4. text. 27. *Viuere viuentibus eſt eſſe.* Materiam in viuentibus eſſe principium operationum vitalium, quæ propriæ non ſunt animæ, ſicut intelligere, & velle, ſed compoſiti probat Vazquez ex Ariſtotele 1. de anima cap. 4. textu 64. *Dicere autem animam iraſci vel timere, ſimile eſt ac ſi quiſpiam dicere animam texere, vel ædificare, nam melius eſt fortaſſe dicere, non animam ſed hominem animæ miſereri, vel diſcere.* Multa in hac ratione inuenio difficillima: facilè ab omnibus me expediam. Inprimis difficile eſt Ariſt. hoc text. citato docuiſſe has operationes, de quibus loquitur procedere efficienter a materia, & ipſum loqui de operationibus corporeis, & non ſpiritualibus, vt vult Vaſquez; cum Ariſtoteles loquatur de actu miſerendi, & diſcendi, qui ſunt actus voluntatis, & intellectus. Dicerem ego Ariſtotelem hic docuiſſe omnes operationes, quas exercet animus in ſtatu vnionis tribui compoſito, quod dicitur iraſci, timere, miſereri, & diſcere, etiamſi actiones ſpirituales ſaltem ab anima tantùm efficienter producantur, quia tamen non producuntur de facto independenter à materia, & quia totus homo dicitur videre & intelligere; ita toti tribuuntur rationes, etiamſi plures illarum, & forſan omnes tantùm ratione animæ exerceat. Hæc omitto, de quibus Controuerſ. 3. Punct. 1. de anima latè dicam. Do materiam primam principium eſſe actionum vitalium. Venio ad illud nouum eſſe quod habet materia, quo iam viuere dicitur, quod certè non penitus percipio. Modus ille adæquatè diſtinguitur à materia prima, & materia, quæ modò eſt ſub forma viuentis cum illo modo, & quæ antea fuerat, deſtructo viuenti poſtea erit ſine illo: ergo modus ille non dat nouum eſſe materiæ neque materia poſtquam illud habet nouum aliquod eſſe recipit quod ſit proprium eſſe illius per quod formaliter exiſtat. Rurſus ſi modus ille tribuit nouum eſſe materiæ ſiue diſtinctum, ſiue indiſtinctum ab ipſa materia, cur non poterit eadem forma nouum illud eſſe tribuere modo illo non intercedente? Dices modum illum eſſe deriuatum a forma, & ita ab ipſa diſtingui. Contrà: modus ille deriuatus à forma immediatè ſine alia deriuatione ſe inſerit materiæ, & illi tribuit nouum eſſe; ergo ipſa forma poterit abſque vlla deriuatione ſe inſinuare in materiæ præcordia, & illi dare illud eſſe nouum. Omitto alia contra hoc nouum eſſe materiæ quod mihi ſemper nouiſſimum erit.

3 Reſpondeo totum ſubſtantiale, & concretum accidentale ex eo diſtingui, quod concretum accidentale conſtituatur per formam, & informationem accidentalem, & ſæpe ex parte ſubiecti ſupponit totum ſubſtantiale adæquatè conſtitutum, & forma accidentalis huius concreti conſtitutiua primò, & per ſe intenditur propter ſubiectum à quo diſtinguitur. Totum verò ſubſtantiale conſtituitur per formam, & informationem ſubſtantialem, & illius forma non intenditur à natura propter ſubiectum ab illa diſtinctum, ſed propter compoſitum, quod conſtituit, & nunquam ſupponit ſubiectum ſubſtantialiter completum, ſed ſemper incompletum, cum quo totum completum componit. Ad illud quod additur de operationibus, concedo ſubiectum aliquando totum concurrere ad operationes formæ accidentalis, quatenus illam ſuſtentat, quæ æquè bene fierent dum forma accidentalis exiſteret, etiamſi ſubiecto careret. Et concedo ſimiliter operationes plures viuentis exercendas non eſſe à forma exiſtenti ſine materia, quia de facto dependenter ab illa exercentur, & admitto ad præſentem quæſtionem materiam ad illas effectiuè immediatè concurrere, ex hoc tamen non infertur, materiam recipere nouum eſſe, neque per ſe ipſam eſſe viuentem, ſed tantùm ſimul cum anima effectiuè concurrere ad operationem vitalem, ſicuti concurrunt ſpecies impreſſæ, & alia comprincipia.

4 Arguit ſecundò P. Vazquez: Anima rationalis tribuit materiæ non ſolùm eſſe hominis, ſed eſſe animalis, viuentis, & corporis, & omnem rationem genericam, quæ eſt ſub prædicamento Subſtantiæ: ergo debet tribuere modum alium diſtinctum à ſe ipſa, quia cùm ſit ſpiritualis non poteſt tribuere materiæ rationem corporis, quam non habet, neque homo dici poteſt corpus ratione vnius partis, videlicet materiæ, aliàs non minùs diceretur homo ſpiritualis, quam corporeus, neque vniuocè diceretur corporeus homo cum equo, cum equus ſecundùm ſe totum eſſet corporeus, & homo tantùm ſecundùm materiam: ergo neceſſum eſt animam materiæ communicare alium effectum formalem diſtinctum à ſe ipſa, ratione cuius habeat eſſe corporis, & eſſe animalis, &c. ita P. Vazquez num. 31. explicui Controuerſ. 3. Puncto 2. num. 11. quomodo homo præciſè ratione materiæ quolibet alio ſecluſo, corporeus dici debeat, etiamſi rationem ſpiritualem dicat tanquam præcipuum conſtitutiuum, ideo hanc obiectionis partem non tracto. Omitto ſimiliter reliqua prædicata poſſe immediatè ab ipſa anima materiæ communicari, quod iam tetigi. Venio ad explicandum hunc effectum formalem, quem forma materiæ tribuit iuxta Vazquez Philoſophiam, ratione cuius materiæ tribuere dicitur rationem animalis, & rationem viuentis. Animalis ratio quam forma tribuit materiæ, vel eſt totum compoſitum, vel aliquid in illo incluſum: ſi totum compoſitum falſum eſt formam materiæ talem rationem tribuere: ſi eſt aliquid inadæquatè pertinens ad compoſitum, quod tribuit rationalis anima ab ipſa diſtinctum: ergo in homine eſt ratio animalis, quam tribuit anima, diſtincta ab ipſa anima: ergo dicemus hominem conſtare ratione animalis, & anima ab hac ratione diſtinctâ: ergo anima formaliter non eſt conſtitutiua rationis animalis. Secundò materia, etiam quando eſt animâ informata, tantùm habet eſſe partem componentem animalis, & hominis, qui conſtat ex materia, & forma: ergo materia non habet à forma eſſe animal, ſed tantùm ratione vnionis habet eſſe partem actu componentem animal, quod per ſe habebat tantùm in potentia: ergo dicendum non eſt animam tribuere materiæ eſſe animalis, nec eſſe hominis, ſed tantùm formam cum materia conſtituere animal, & hominem mediâ vnione: ergo forma tantùm ſe ipſam communicat materiæ, & effectus formalis eſt totum, in quo ipſa forma, & materia continentur, quod totum effectus formalis dicitur, quia vltimò per formam completur, quod impedirì nequit poſita forma cum vnione ad materiam, cùm totum vt dictum eſt Puncto præcedenti, nihil aliud ſit, quam materia, forma, & vnio inter vtramque.

5 Arguit P. Vazquez num. 32. Homo viuit vita corruptibili: anima rationalis eſt incorruptibilis; ergo præciſè per animam rationalem non poteſt viuere vita corruptibili: ergo dandus eſt modus aliquis ratione cuius homo viuat vita corruptibili. Si ad modum vnionis recurramus, occurrunt Recentiores: corrumpi animam rationalem, ſed in diuerſo ſtatu conſtitui: ergo ex eo quod modus vnionis corrumpatur non corrumpitur vita hominis identificata cum animo rationali: ergo vt corruptibilis ſit vita hominis, dandus eſt alius viuificationis modus, ratione cuius homo viuificetur, qui corruptibilis ſit. Contra rationem hanc ſic inſurgo: modus ille vnionis vel eſt vita formaliter per ſe ipſum, vel viuificatur ab anima: ſi eſt vita formaliter per ſe ipſum habebit rationem formæ ſubſtantialis vitalis, & formaliter erit anima, & conſtituens viuens quatenus ab animo rationali diſtinguitur, & ita in homine erit duplex anima rationalis, & illa, quam hæc inuenit opinio. Dices modum hunc non eſſe animam, quia deriuatur ab anima rationali. Sed quid inde? etiamſi ab anima rationali deriuetur ab illa diſtinguitur, & formaliter per ſe ipſum, quatenus ab anima rationali diſtinguitur eſt vita, ergo formaliter eſt anima, omnis enim actus materiæ, qui formaliter eſt ſubſtantia, & per ſe ipſum vita in actu primo eſſentialiter eſt anima. Si dicas modum illum viuificari per animam rationalem, modus ille viuet vita identificata cum anima rationali: ergo homo, qui viuit vita, quam formaliter dicit talis modus, viuet vita identificata cum anima rationali: ergo hoc modo poſito remanet integra difficultas, quam argumentum proponit. Secundò modus ille, vel eſt vita adæquata hominis, vel inadæquata: ſi adæquata ergo anima rationalis non eſt vita hominis: ſi inadæquata: ergo non eſt principium operationum

Digitized by Google

tionum vitalium. Vtràque conſequentia certiſſima eſt, prima per ſe nota, ſecunda procedit à negatione definiti ad negationem definitionis: vita enim in actu primo, iuxta communem ſententiam, eſt principium immanens operationum vitalium: ergo ſi anima non eſt vita hominis, non erit principium immanens operationum vitalium. Si modus ille eſt vita inadæquata: ergo homo viuit modo illo, & anima rationali: ergo ſicut viuere dicitur vita corruptibili ratione illius modi corruptilis, ita dicetur viuere vita corruptibili ratione animæ rationalis: ergo ſi ex eo quòd homo viuat per animam rationalem dicetur viuere vita incorruptibili; abſolutè modo illo admiſſo poterit dici vitam ſaltem inadæquatam hominis eſſe incorruptibilem, & ita non corrumpi vitam hominis ſecundùm ſe totam.

6 Reſpondeo corruptâ vnione corrumpi totum hominem, non quia corrumpantur ſingulæ partes illius, ſed quia corrumpitur aliquid, ſine quo, reliquis etiam partibus permanentibus totum nequit exiſtere, corrupto homine, corrumpitur neceſſariò viuens quod eſt ipſe homo, & hac ratione dicitur homo viuens corruptibile, non quia vita formalis, ſeu id, quo homo viuebat corrumpatur, ſed quia deſinit eſſe illa vita in ordine ad viuens conſtituendum, etiamſi in ſe permaneat.

7 Ex his infero ſuperfluè, & abſque efficaci fundamento hunc modum in compoſito conſtitui: ex quo capite tantùm efficaciſſimè reiicitur, eodem enim iure quo modus iſte ponitur, poſſent alij plures, præcipuè alius communicatus formæ à materia, qui correſponderet ex parte formæ, huic, quem in materia ponit Vaſquez deriuatum à forma, cùm enim vtrumque extremum mutuò vniatur, & mutuò ſuum eſſe vnum alteri media vnione in toto communicet, ita deberet mutuò diuerſos modos ſibi inuicem communicare. Deinde ratio, quæ hunc modum propugnat in homine petita ab ſpiritualitate animæ, quæ non poteſt materiæ tribuere rationem corporis, etiamſi efficax eſſet, tantùm probaret modum hunc dandum eſſe in compoſito materiali conſtante forma ſpirituali. Rationes aliæ, quæ ſumuntur ex vitalitate, & ex ratione animalis, quam forma debet materiæ tribuere, etiamſi modum iſtum in viuentibus extorquerent, in reliquis compoſitis ſubſtantialibus non viuentibus, in quibus forma non communicat materiæ rationes has nihil præſtarent, quapropter admiſſo illo modo in viuentibus negandus eſſet in reliquis compoſitis, in quibus ſuperfluus eſſet, ſiquidem non deſeruiret ad communicanda illa prædicata, propter quorum communicationem inuentus eſt. Scio dixiſſe Vaſquez n.28. licere in non animantibus inſtar animantium philoſophari, ſed certè id non aſſequor.

PVNCTVM III.

An poſſit dari compoſitum conſtans materiâ & formâ ſpirituali?

1 Negatiuam partem defendit Hurtadus diſp.2. de anima, ſect.2. quam docuerat Pater Suarez diſput. 13. Metaphyſic. ſect.14. num. 14. vbi docet expreſsè non inueniſſe concluſionem, quam docet apud Authores. Affirmatiuam ſententiam tenent ſapientiſſimi recentiores, quos ſequutus eſt Arriaga diſp. 1. de anima, ſect. 5. vbi refert pro hac ſententia Aureol. Alenſem, & aliquos quos citat P. Suarez num. 5. ſed horum Doctorum authoritas hac in re nobis tuta non eſt, quia illorum fundamentum valde alienum eſt à noſtra, & communi ſententia; aſſerebant enim prædicti Doctores nullam ſubſtantiam adhuc ſpiritualem poſſe inueniri, quæ his partibus non componeretur.

Oſtendam Controu. 1. de anima, Punct.5. non eſſe de conceptu rei ſpiritualis non conſtare partibus, ex quo principio ibi ſtatuendo facilè meam concluſionem depromo. Non eſt contra conceptũ rei ſpiritualis cõpoſitio partium integralium, neque eſſentialium: ergo compoſitio ex ſubiecto & forma ſpirituali poteſt cadere in compoſitum ſpirituale. Probo conſequentiam: Si ex aliquo capite talis compoſitio repugnaret, tantùm eſſet ex prædicato ſpiritualis, ex hoc non repugnat: ergo ex nullo. Accedant huic rationi ſolutiones argumentorum, quæ contra hanc ſubſtantiam fiunt, ex quibus conſtabit nullam reperiri repugnantiam in tali ſubſtantia, ex quo affirmatiua pars in his quæſtionibus inferenda eſt.

3 Obiicies ex Suario: Omnis forma ſpiritualis poteſt operari independenter à ſubiecto: ergo nulla illo indiget: ergo nulla poteſt illud habere. Si aliquid probaret hæc obiectio ſuaderet formam ſpiritualem non indigere adhuc materiali ſubiecto, neque cum illo poſſe totum componere, quod eſt contra conſtitutionem hominis ex materia & forma ſpirituali. Reſpondeo non omnem formam ſpiritualem poſſe ſuas omnes operationes exercere independenter à ſubiecto ſpirituali: ſicut enim materiales formæ, etiamſi crearentur non poſſent exercere omnes ſuas operationes ſine ſubiecto materiali, quo etiam creatæ indigerent ad aliquas exercendas, ſic forma ſpiritualis indigere poteſt ſubiecto ſpirituali ad alias operationes materiales obeundas. Quod ſi vnam, vel alteram operationem poſſet talis forma ſine ſubiecto exercere, quia anima rationalis plures obit operationes, etiam ſeparata à materia, non tamen ideò illam abhorret, ſed illa indiget ad aliarum exercitium. Si roges quomodo indigeret talis forma ſubiecto ſpirituali. Reſpondeo, poſſe illo indigere tanquam comprincipio actiuo, quia non eſt contra rationem ſubiecti eſſe principium actiuum operationum compoſiti, multi enim ſentiunt materiam ſimul cùm forma actiuè concurrere ad ſenſationes. Poſſet etiam illo ſubiecto indigere vt eſſet paſſiuum principium operationum, quas formas, etſi materialis non poſſet recipere, non enim bene valet: forma eſt ſpiritualis: ergo poteſt recipere omnes operationes materiales: eſt enim ſententia trita ſatis inter Philoſophos ſenſationes materiales bruti non recipi in forma, ſed in materia, & conſequenter non poſſe recipi, quia ſi poſſent recipi de facto reciperentur, quia non recipiuntur liberè, ſed neceſſario in ſubiecto, in quo poſſunt recipi. Poſſet etiam indigere ſubiecto, non vt operationes ſed vt ſpecies ad illas requiſitas reciperet.

4 Obiic. ſecundò: Tale compoſitum fore corruptibile. Nec conſequentia tenet, nec conſequens terret. Conſequentia non tenet, quia cœli in communi ſententia compoſiti ſunt ex materia & forma, & tamen ſunt incorruptibiles. Conſequens non terret, quia inconueniens non eſt aſſerere poſſe dari compoſitum ſpirituale ſecundùm materiam & formam, & corruptibile in ratione compoſiti, ad quod tantùm requiritur vnionem fore corruptibilem, neque erit contra rationem vnionis ſpiritualis poſſe corrumpi, multi enim aſſerunt vnionem corruptibilem hominis ſpiritualem exiſtere.

5 Obiicies tertiò: Spirituale eſt magis perfectum quàm materiale: ergo habet minorem compoſitionem: ergo eſt magis ſimplex; ergo non habet compoſitionem ex materia & forma. Reſpondeo negando vltimam conſequentiam admiſſis omnibus præmiſſis. Quia maior ſimplicitas in ſubſtantia ſpirituali poteſt conſiſtere in aliquibus ſpeciebus in carentia compoſitionis eſſentialis, quam intendit obiectio, in aliis tantùm in minori compoſitione accidentali, quia id, quod præſtat ſubſtantia corporea per plura accidentia, per vnum tantùm exhibet ſpiritualis ſubſtantia intelligendo per ſpecies vniuerſaliores, & per cognitiones, quæ plura obiecta ſimul amplectuntur. Poteſt item hæc maior ſimplicitas conſiſtere in carentia compoſitionis integralis.

6 Obiicies quartò: Si ſubſtantia ſpiritualis compoſita ex materia, & forma poſſibilis eſt: non eſt fundamentum ad aſſerendum Angelos, qui de facto dantur non habere talem compoſitionem. Reſpondeo in primis eſſe fundamentum negatiuum, quia nulla eſt, vel leuis coniectura, ex qua poſſimus deducere Angelos, qui de facto dantur, habere talem compoſitionem, & ad negandam compoſitionem, & multiplicationem entitatum, fundamentum negatiuum ſufficiens eſt. Reperitur etiam ratio poſitiua à poſteriori ex perfectiſſimis operationibus, miraque illorum virtute, quæ perfectiſſimam arguit ſubſtantiam, illorúmque ſimplicitatem ſuadet, cùm ſubſtantia eò ſit perfectior, quò ſimplicior. Accedit Patrum atque Doctorum communis conſenſus, quo ſubſtãtiæ Angelicæ abſque compoſitione ex materia, & forma recenſentur. Hæc omnia rem moraliter omnino certam reddunt, neque vllum locum in intellectu prudenti formidini relinquunt.

7 Inquirere poſſes, an ſicut datur compoſitum conſtans forma ſpirituali, & ſubiecto materiali, poſſit dari aliud conſtans ſubiecto ſpirituali, & forma materiali. Pauca mihi

certa

Digitized by Google

certa ſunt, cùm de poſſibilibus diſputo. Negatiuè reſpondeo, & ſimul rationem, & diſparitatem reddo: forma ſpiritualis poteſt habere virtutem actiuam ad efficiendas operationes, v.g. ſenſationes materiales, quæ exerceri non poſſunt ſine ſubiecto materiali, in quo recipiantur, tum operationes, tum ſpecies materiales & alia principia, ſeu organa requiſita ad tales operationes exercendas; forma verò materialis non poteſt efficere ſpirituales operationes, ac proinde non poteſt indigere ſubiecto ſpirituali, vt in illo recipiantur ſpirituales operationes, quas efficere nequit, neque materiales, quæ in ſubiecto ſpirituali recipi non poſſunt. Neque materialis forma dependere poteſt à ſubiecto ſpirituali in genere cauſæ materialis, ac proinde nullum apparet caput, ex quo poſſit forma ſpiritualis ſubiecto materiali indigere.

PVNCTVM IV.

An poſſit dari compoſitum conſtans duplici parte eſſentiali, quarum neutra ſit materia, neque forma?

1 COmpoſitionem eſſentialem, quam huc vſque notauimus in materiam, & formam reſoluimus, ex quibus conſurgit; cùm autem ſolerter indagatem conceptum metaphyſicum materiæ, & formæ hæc quæſtio in mentem incidit, an videlicet dari poſſit compoſitum eſſentialiter includens duas partes, ita vt qualibet deficiente deficiat illius compoſitionis eſſentia, ſicuti deficiente materia, vel forma, etiamſi altera earum partium ſubſiſtat, deficit totum ex vtraque conſtitutum. In hac quæſtione deſiderari non debent Authores pro affirmatiua, aut pro negatiua ſententia, neminem enim hucuſque vidi difficultatem hanc definientem.

2 Negatiua pars ſuaderi poteſt authoritate totius Scholæ, quæ tantùm cognouit compoſitionem eſſentialem ex materia, & forma, recedere autem à ſententia omnium Doctorum, ſine fundamento valde vrgenti, nefas eſt. Hæc ratio parum premit, quia Authores hucvſque tantùm egère de compoſitione eſſentiali, quæ de facto datur, non de illa, quæ de potentia Dei abſoluta dari poteſt, ſeu de compoſitione omni, quæ lato poſſibilitatis campo depaſcitur: ac proinde licet nullus quem hucvſque viderim hanc compoſitionem admiſerit, nullus quem ſciam illam negauit. Ex hoc infero nullam Doctorum authoritatem huic compoſitioni ſuffragari, aut refragari, & ita rationis tantùm trutina appendenda eſt.

3 Vnum in hac compoſitione difficile eſſe poteſt: periri formalitates his partibus accommodatas, quas conſtitutiuum materiæ, aut formæ adhuc phyſicè non tranſcendat. Ex hoc capite ita poteſt fieri argumentatio: eo ipſo quod habeant conceptum quidditatiuum partum eſſentialium, habent rationem formalem conſtitutiuam materiæ, aut formæ: ergo implicant partes eſſentiales compoſiti, quæ rationem materiæ, & formæ non induant. Probatio antecedentis ita tentanda eſt: Secluſo conceptu conſtitutiuo materiæ, & conſtitutiuo formæ nullus remanet per quem entitas poſſit formaliter conſtitui in ratione partis eſſentialis: ergo talis conſtituenda eſt per conceptum quidditatiuum materiæ, aut formæ; ergo implicat dari partem eſſentialem, quæ alterum horum conceptuum intrinſecè non imbibat.

4 Ex ſolutione huius rationis totum fundamentum partis affirmantis, in quam eo deſumendum eſt. Suppono ex dictis de conceptu quidditatiuo materiæ, & formæ Controu.2.Punct.3.& Controu.3. Punct.3. quoſdam conſtituere conceptum quidditatiuum materiæ in virtute receptiua formarum, & conceptum formæ in ordine ad materiam potentem recipere formas, tanquam ad aliquam compartem. Alios verò conceptum materiæ in indifferentia ad terminandam vnionem cum aliis compartibus eſſentialibus diuerſæ ſpeciei, & conceptum formæ in determinatione ad illam compartem vnius tantùm ſpeciei: conſtituebant alij conceptum materiæ in virtute paſſiua operationum compoſiti, & conceptum formæ in virtute actiua earundem. Alij dicebant materiam à forma differre, ex eo quod materia eſſet radix impenetrationis, & non forma. Ego dixi conceptum materiæ conſiſtere in ratione perfectibilis, per aliam compartem, & conceptum formæ in ratione perficientis compartem aliam. Sume tibi conceptum quem ex his malueris pro materia, & forma conſtituenda, & illo ſecluſo adhuc plures remanebunt in illa entitate formalitates, ex vi quarum entitas illa pars eſſentialis conſtituatur, & quæ in alia entitate poſſint exiſtere ſine identitate cum illo conceptu excluſo.

5 Excurro ſingulos materiæ, & formæ conceptus. Secluſa virtute receptiua formarum à materia prima, in ſententia, quæ in hac materiæ eſſentiam conſtituebat, non remanet materia, neque remanet forma, quia conceptus formæ, qui antea non erat in materia, non reſultat præcisè ex negatione conceptus materiæ, cùm ſit poſitiuus, & formaliter non conſiſtat in negatione: ſed hoc conceptu ſecluſo adhùc manet pars eſſentialis: ergo conceptus partis eſſentialis ſecundùm hanc ſententiam non includit materiam, aut formam: Maior eſt per ſe nota, Minorem probo. Secluſa virtute receptiua remanet vnibilis alteri extremo, ſeu comparti per vnionem, ex qua totum vnitum reſultabit: ergo quod ſine vtraque parte ſubſiſtere non poterit, & cuius partes ſeorſim non poterũt exercere operationes illas, quas ſimus exercent, & quæ ſpecie differant, & vna ordinetur eſſentialiter ad vnionem cum altera, & petant vniri cum intima penetratione, & non tantùm more integrantium per approximationem immediatam: ergo entitas illa remanebit cum conceptu partis eſſentialis, quia conceptus partis eſt conceptus vnibilis ad aliam compartem, & differentia partis eſſentialis ab integrali, optimè conſtituitur per diuerſitatem ſpecificam partium, & per ordinem ad vnionem faciendam cum intima penetratione inter extrema, quorum vtrumque ordinetur eſſentialiter ad conſtitutionem totius, & neutrum primariò, & per ſe ad alterum à quo adæquatè diſtinguatur. Cæterùm conceptus hos poſſe dari in aliqua entitate ſeparatos à virtute receptiua difficultate caret, nulla enim eſt connexio inter virtutem receptiuam, & vnitiuam, neque aliqua leuis implicatio dari poteſt, in eo quod detùr entitas ſic vnibilis, quæ virtutem non habeat receptiuam alterius extremi, cui eſt vnienda, neque vnionis, media qua illi annectenda eſt, vt de facto fatentur omnes, qui negant conceptum materiæ conſiſtere in hac virtute receptiua. Vidi aliqubs adhærentes ſententiæ conſtituenti materiæ conceptum modo explicato, qui negant poſſe dari compoſitum eſſentiale conſtans duabus partibus, quarum neutra virtutem habeat receptiuam modi vnionis, quia compoſitum illud conſtaret, & non conſtaret materia, & quia conceptus materiæ, quam eſſentialiter dicit totum, formaliter dicit virtutem receptiuam: ita ferè omnes negant poſſe dari compoſitum eſſentiale, cuius partes non habeant rationem illam, quam putant eſſe conſtitutiuam materiæ, & formæ. Hi omnes confundunt præcedentem rationem, quia nondum concepêre totum conſtans partibus eſſentialibus, quarum neutra ſit materia, vel forma, & ita tenentur ſic philoſophari, vt ſuam ſententiam quoquo modo defendant, illorum tamen diſcurſum ſic infringo. Pono conceptum materiæ conſiſtere in virtute receptiua: dato compoſito eſſentiali conſtante partibus, quarum nulla haberet receptiuam virtutem non daretur duplex illud contradictorium: ergo malè hoc inconuenienti illud totum denegant: Antecedens probo: dato illo toto, hæc propoſitio eſſet vera, *totum hoc non conſtat materia*: hæc eſſet falſa, *totum hoc conſtat materiâ*; quæ tantùm poteſt probari ex hoc principio, *omne totum eſſentiale conſtat materiâ*, quod ego nego, & probare non poteris, neque per ſe notum eſt, ergo ex inconuenienti huius contradictionis negandum non eſt, poſſe Deum creare partem eſſentialem, quæ non habeat rationem conſtitutiuam materiæ, aut formæ.

6 In aliorum ſententiis idem omnino fieri poteſt diſcurſus, quia Authores qui dicunt rationem materiæ conſiſtere in differentia ad plures formas, & rationem formæ in ordine ad partem ſic indifferentem, rationem reddere non poterunt cur non poſſit Deus creare cõpoſitum conſtans duabus partibus eſſentialibus ita determinatis, vt ſe inuicem vniant per ſe ipſas, vt neque de potentia Dei abſoluta poſſint non eſſe inter ſe vnitæ, & illarum quælibet ſit per ſuam entitatem determinata ad vnionem cum alia determinata comparte. Vel etiamſi per ſuperadditum modum vniantur, & poſſint de potentia Dei abſoluta non eſſe vnitæ, incapaces ſint determinandi vnionem cum aliis compartibus, ſicuti multi affirmant de cœleſtibus corporibus. Qui etiam materiæ in virtute paſſiua, & formæ, in actiua conſtituebant, rationem reddere non poſſunt,

propter

Digitized by Google

propter quam repugnet totum, quorum vtraque pars ſit æquè actiua, & paſſiua in ordine ad operationes, quia omnes ab vtraque indiuiſibiliter actiuè procedunt, & in eiſdem indiuiſibiliter recipiuntur, vt multi tenent contingere de facto in compoſito materiali, quarum actiones à toto indiuiſibiliter procedere, & in toto indiuiſibiliter recipi exiſtimant. Qui conſtituebant rationem materiæ in radicali impenetratione, rationem apparentem non inuenient ad negandum compoſitum, cuius vtraque pars æquè ſit impenetrationis radix, in quo neutra habebit rationem formæ, neque materiæ, ex hoc capite, quia vtraque materia, aut vtraque forma eſſe non poteſt, neque ſpeciale conſtitutiuum materiæ, aut formæ in aliqua reperietur. Neque iuxta ſententiam, quam tradidi de conceptu materiæ, & formæ poteſt inueniri ratio ad negandum compoſitum, cuius partes æquè mutuò perficiantur in toto, quarum nulla ſpecialiter perficiens, aut perfectibilis dici poterit, & ita rationem materiæ, aut formæ neutra habebit.

7 Obiic. Vtraque pars compoſiti, quod nos dicimus non conſtare materia, & forma, eſſet actus primus compoſiti: ergo eſſet forma, quam ſemper Ariſtoteles definit per rationem actus primi. Vires reſumet obiectio: ponamus illud compoſitum eſſe viuens organicum. Tunc ſic: Quælibet pars illius compoſiti eſſet actus primus compoſiti organici potentia vitam habentis: ergo eſſet anima: ergo eſſet forma, cuius conceptus includitur in conceptu animæ: ergo totum illud conſtaret duplici forma, quod abſurdum eſt: ergo totum illud non eſt admittendum. Reſp. nullam partem illius compoſiti futuram eſſe formam, quia in omnium opinione forma eſſentialiter dicit ordinem ad materiam, tanquam ad compartem: ſed nulla pars diceret ordinem ad materiam tanquam ad compartem, vt ſupponit obiectio, quæ intendit probare vtramque partem futuram eſſe formam: ergo nulla pars eſſet forma. Ad rationem reſpondeo Ariſtotelem definiiſſe formam per actum primum potentiæ ſeu materiæ, & animam per actum primum materiæ, quam multi volunt ſignificari per particulam *corporis*, vel etiamſi non ſignificetur per illam particulam materia, ſed totum compoſitum, anima & quælibet forma dicitur actus compoſiti, non quia compoſitum reſpiciat tanquam potentiam, ſed quia illud conſtituit actuando potentiam ſeu materiam, & ita actus ille, qui tantùm fuerit conſtitutiuus compoſiti, non dicitur actus alicuius potentiæ quam includat compoſitum, neque forma neque anima dici poteſt. Contra hoc totum obiectionem aliam non inuenio, quam non ſoluerim, dum illius conſtitutionem explicui, & conceptus partium eſſentialium quas includit, expoſui.

8 Moneo hoc totum non poſſe eſſe vegetabile, quia vtraque pars illius neceſſariò eſſet per creationem producenda, quia nullum præſupponeret ſubiectum, & ita non poſſet ab agenti creato, vel minima illius portiuncula neceſſariò creanda produci. Poſſet à Deo generari, & corrumpi ratione vnionis quæ poſſet non creari, ſed educi ex altera parte in opinione, quæ in hac virtute eductiua exiſtente, in altera parte rationem materiæ non conſtituit, & ſecundum eandem opinionem poſſet ex vtraque indiuiſibiliter educi, quia per virtutem eductiuam communem vtrique parti neutra poteſt conſtitui materia reſpectu alterius. Quod ſi ex eo quod vnio educatur etiam ex vtraque parte, alteri earum velis conceptum materiæ, & formæ adhærere, non ideo totum hoc exterminandum erit facilè enim dici poterit vnionem ex nullo præſuppoſito ſubiecto educi, ſed creari. Si roges an corpus illud poſſet eſſe ſenſitiuum, Reſpondeo nullam inuenire repugnantiam in eo quod poſſet eſſe ſenſitiuum per ſenſationes diuerſæ rationis, ab his quæ de facto ſunt dependenter à materia.

PVNCTVM V.

An poſſit dari corpus omnino ſimplex?

§. I.

De compoſitione eſſentiali.

1 CORPORA, quæ de facto exiſtentia cognoſcimus per generationem, & corruptionem aliorum producta duplici conſtant parte eſſentiali, materia videlicet, & formâ, aliam inſuper compoſitionem integralium partium habent, in quas diuidi poſſunt, de vtraque compoſitione inquiro, an ita ſit de conceptu totius completi corporis, vt repugnet ſine illa corpus aliquod inueniri. De compoſitione eſſentiali negatiuam partem defendit Hurtad. diſp. 1. de cœlo, ſect. 1. qui putat non poſſe dari corpus cõpletum carens materia & forma. Affirmatiuam ſententiam multi tenent apud Suar. qui illam amplectitur diſp. 13. Metaph. ſect. 10. & apud Conimb. lib. 1. de cælo. cap. 2. quæſt. 4. art. 1. qui ſentiunt corpora cœleſtia hac compoſitione carere, & de cælo ſaltem empyreo id multi defendunt: eidem ſententiæ aſſentitur Arriag. cum pluribus recentioribus, quam communem eſſe inter Scholaſticos teſtatur Suarez ſuprà.

2 Sentio poſſe dari corpus completum expers compoſitionis eſſentialis. Nonnulla ſit concluſionis coniectura in rebus ſpiritualibus dari entitatem ſimplicem completam, ſicut eſt Angelus; & incompletam, ſicut eſt anima rationalis; ergo in rebus corporeis dabitur entitas ſimplex incompleta, ſicut materia & forma; & completa, quæ erit corpus hoc, quod propugnabo. Secundò ſic arguo: Nulla eſt neque apparens repugnantia in hoc corpore: ergo eſt obiectum omnipotentiæ diuinæ, quæ ad omnia quæ contradictionem non inuoluunt ſe extendit: antecedens probandum eſt ſolutione argumentorum, quæ hoc corpus impugnant, ideò ad illa venio antequam meam ſententiam explicem de corpore compoſitione integrali carente.

3 Obiicit primò Hurtadus: Corpus illud non poteſt eſſe vegetatiuum, quia vegetatio fit inter ſubiecta affecta qualitatibus contrariis, quæ ſibi inuicem perniciem machinantur, corpus autem illud capax non eſſet harum qualitatum, quia qualitates ordinantur ad nouam formam introducendam in ſubiecto: ſed corpus illud non eſſet capax nouæ formæ: ergo non eſſet capax qualitatum, quæ ad illam diſponunt. Solutionem impugnatione præoccupat Hurtadus, aſſeritque illud corpus non poſſe ab intrinſeco augeri ſine corruptione ſubſtantiæ, ſed per vnionem iam productæ, ſicut augetur aqua, quod ſic probat: Illa corpora augentur ab intrinſeco, quæ ab intrinſeco corrumpuntur, quia augmentatio eſt ad reſarciendas partes deperditas per diminutionem. Reſpondeo, nullum eſſe inconueniens aſſerere corpus illud non fore vegetabile, id tamen non probat Hurtadus; ſto ſolutioni quam ipſe impugnare intendit, & impugnationi Reſp. augmentationem non ſolùm eſſe ad reparanda damna decretionis, ſed abſolutè ad maiorem ſubſtantiam acquirendam, & ad perueniendum ad perfectum ſtatum viuentis, vt patet in infantibus, in quibus ſubſtantia quam per argumentationem acquirunt longè excedit illam, quam per diminutionem deperdunt.

4 Inſtat Hurtadus: Si corpus illud eſſet diuiduum, eſſet corruptibile, quia ita poſſet diuidi (vt diuiſio perueniret ad partem minorem minimo requiſito ad conſeruationem: ergo ſi corpus illud eſſet diuiduum, eſſet corruptibile: aliàs cùm eſſet ſimplex, & completum eſſet incorruptibile: ergo eſſet corruptibile, & incorruptibile. Sic cum Arriaga interpretor Hurtadum num. 9. in quo vix perfectum ſenſum reddunt illius verba, culpâ credo Typographi, qui dum hæc in poſteriori editione priori addidit, forſan omiſit aliquid, quo aſſeuerentur. Lege Hurtadum ab illis verbis *Item corpora diuidua*. Neque refert, ait Hurtadus, materiam primam eſſe diuiduam, & non eſſe corruptibilem, quia materia prima in quacumque menſura diuiſa poteſt acquirere aliam formam, cum qua poſſit conſeruari ſine maiori extenſione. Inſtantiam hanc ſic impugnat Arriaga: materia prima ſub quacumque menſura minima poteſt conſeruari cum aliqua forma: ergo poteſt dari corpus ſimplex, quod poſſit etiam in quacumque menſurâ conſeruari: hanc redargutionem ita claram putat Arriaga, vt miretur potuiſſe concedi corpori compoſito ex materia, & forma capacitatem diuiſionis ſine corruptibilitate, & id negari corpori ſimplici. Admirationem poteſt Arriaga deponere doctrina Hurtadi attentè inſpecta. Defendit Hurtadus corpus ſimplex neceſſariò viuens eſſe futurum, quod minimum ad ſui generationem requirit. Ex quo infertur illud corpus ſimplex non poſſe conſeruari in quacumque minima extenſione; compoſitum verò ex forma, & materia poteſt eſſe non viuens, quia etiamſi materia ſit ſub forma viuentis, & per diuiſionem redigatur ad extenſionem minorẽ minima requiſita ad illam formam ſuſtinendam, poteſt alia forma aduenire cum qua conſeruetur, in illo autem viuenti ſimplici cùm ſemper viuentis ratio eſſet conſeruanda, ſemper retinenda eſſet extenſio ad illam requiſita.

Alio

Digitized by Google

5 **Alio modo rationem Hurtadi impugno, in qua multatalis vnionis, incompoſſibilis cum illa, cuius impulſus**
difficilia, & nihil quod difficultatem ingerat inuenio. In primis falſum eſt principium, quod ſupponit, ſcilicet, omne corpus diuiduum eſſe corruptibile, cœlum enim diuiduum eſt, & iuxta communem ſententiam corrumpi nequit, non enim ex eo quod ſit diuiſibile mathematicè in partes, quibus conſtat, infertur eſſe diuiſibile phyſicè ab agente naturali: quod ſi ſupponat corpus illud eſſe diuiſibile, non ſolùm mathematicè, ſed etiam phyſicè, gratis ſibi hoc principium aſſumit. Neque ad defendendum corpus hoc non eſſe diuiſibile rationem aliquam deſiderarem præter illam, quam ipſe adducit, ſi efficax eſſet, ſcilicet, diuiſionem fieri, per receptionem corruptibilium qualitatum, quarum incapax eſſet tale corpus; quo admiſſo ex ſuis principiis illius argumentum irritum fit; ſi enim diuiſio facienda eſt per receptionem qualitatum, quas corpus hoc recipere nequit rectè defendam ego corpus illud phyſice diuidi non poſſe, etſi aliàs mathematicè diuiſibile ſit. Malè ergo iuxta hæc principia infert Hurtadus, corpus hoc fore phyſicè diuiſibile, ex eo quod eſſet diuiſibile mathematicè. Neque ſcio ex quo capite inferat Hurtadus corpus ſimplex neceſſariò fore incorruptibile, niſi forſan ex incapacitate qualitatum per quas neceſſariò facienda eſt corruptio, quo poſito nullum illi principium ſupereſt, ad probandum corpus illud fore diuiſibile phyſicè, neque corruptibile, vt nos trahat ad vtramque partem contradictionis. Reſpondeo corpus illud poſſe eſſe corruptibile, quia agens naturale poterit corrumpere vnionem integralem eductam ex partibus, quà corrupta corpus illud ſi certam extenſionem requirit, non poterit ſubſiſtere, quia per illam diuiſionem deſtruitur minimum requiſitum ad ſui conſeruationem.

6 Contra hanc ſolutionem inſurgit Arriaga n. 41. ſua ſententia efficaciter, ſed non mea, ſic argumentatur. Agens naturale non poteſt deſtruere vnionem continuatiuam niſi ſeparando partes, quæ antea erant vnitæ: ergo quando deſtruit vnionem partium illas ſeparat: ergo remanent ſeparatæ: ergo non corrumpuntur, id enim quod eſt ab alio ſeparatum corruptum non eſt. Reſpondeo ſeparationem, ſeu diuiſionem partium duo dicere, corruptionem vnionis & permanentiam partium carentium vnione, quam antea habebant: agens, cui ſeparatio, aut diuiſio tribuitur tantùm præſtat illud negatiuum, videlicet deſtructionem vnionis inter partes, quæ poſtea ab alia cauſa poſſunt conſeruari, quam conſeruationem non præſtat, neque intendit agens, quod vnionem deſtruxit, ac proinde deſtructa vnione, ratione agentis quod illam deſtruxit poterunt partes permanere, ſi ſit agens potens illas ſine vnione conſeruare, & tunc illud agens, quod vnionem deſtruxit dicetur, partes illas ſeparaſſe, vel poterunt deſtrui ex defectu agentis, quod illas abſque illa vnione conſeruare poſſit, & tunc agens vnionem illarum corrumpens non dicetur illas ſeparaſſe, neque diuiſiſſe ſi ſeparatio, & diuiſio ſumantur, vt ſonant, pro aliquo poſitiuo, ſed tantùm vnionem deſtruxiſſe, quod contingit in noſtro caſu, in quo agens naturale corrumpet vnionem, & in eodem inſtanti in quo corrumpitur hæc, deſtruentur partes, quæ erant vnitæ, & ita non poterunt dici ſeparatæ ſeu diuiſæ ex defectu permanentiæ. Ex quo inferes antecedens illud, agens naturale non poteſt deſtruere vnionem niſi ſeparando partes, falſum eſſe, quia ſeparatio duo dicit, deſtructionem vnionis, & conſeruationem partium, quæ fuerant vnitæ, quæ conſeruatio non requiritur ad deſtructionem vnionis, neque ad illam agens conducit, neque incumbit agenti, quod vnionem deſtruit, & eſt omnino per accidens, vt hic & nunc corrumpatur vnio, partes permãſuras eſſe corrupta vnione. Vnde in noſtro caſu agens corrumpens integralem vnionem corporis ſimplicis, ſine qua partes illius non conſeruarentur, neque vnionem immediatè, neque partes, quæ erant vnitæ mediatè deſtrueret per ſeparationem, ſeu diuiſionem partium, ſed præcisè per corruptionem, ſeu per non eſſe vnionis.

7 Impugnat ſecundo hanc ſolutionem Arriaga: vnio illa non poteſt deſtrui ab agenti naturali ex ſubtractione concurſus, quem non præſtat, non ex defectu ſubiecti, quia inde ſequeretur vnionem deſtruitur, quia deſtruitur ſubiectum: non è contrario, quia deſtruitur vnio, vt intendit exhibita ſolutio: non per formam contrariam: ego nullo modo. Reſpondeo vnionem corrumpi poſſe per impreſſionem impulſus recepti in partibus exigentis corruptionem corpus illud eſſet capax, ſicuti corrumpitur integralis vnio materiæ primæ.

Ex hoc concludo corpus illud poſſe eſſe incorruptibile & conſtans partibus vnitis, quas agens naturale non poſſit diuidere, quia illarum vnio eſt incorruptibilis reſpectu agentis naturalis, ſicuti vnio corporum, vel quia partes immediatè, & per ſe eſſent vnitæ. Item poſſe dari corpus ſimplex talis conditionis, vt deſtrui poſſit ab agente naturali producente impulſum, ex vi cuius deſtrueretur vnio requiſita, vt habeat minimam extenſionem, ſine qua corpus illud conſeruari non poſſet, ex defectu cuius vnionis deſtruerentur extrema, quæ ſine illa ſubſiſtere non poſſent. Dixi agens naturale poſſe deſtruere vnionem eductam ex partibus, vt iuxta principia arguentis ſolutio procederet; in mea verò ſententia vnio creata poteſt deſtrui ab agenti naturali, non phyſice, ſed producendo qualitatem, quæ exigat ſubtractionem actionis creatiuæ, qua Deus illam conſeruabat, ſi enim agens naturale exigere poteſt creationem animæ rationalis per diſpoſitionum introductionem, cur non poterit exigere annihilationem moduli vnionis integralis? 8

Argumentatur rurſus Hurtadus: corpus illud non fore ſenſitiuum, quia non conſtaret his quatuor qualitatibus, à quibus ſenſationes dependent, & illarum ſpecies petunt in ſubiecto, in quo recipiendæ ſunt temperamentum calidum, & humidum. Mirum eſt quam frigide contra hoc ſimplex corpus agatur. Fatetur Hurtadus reſponderi poſſe corpus hoc poſſe ſentire per ſenſationes diuerſæ ſpeciei à noſtris, quæ non dependerent à quatuor qualitatum temperamento, & per ſpecies inditas à Deo, quæ non exigerent hoc temperamentum ex parte ſubiecti. Addo ego corpus hoc poſſe ſentire eaſdem qualitates, quas nos ſentimus per ſpecies illarum, etiamſi tales qualitates recipere non poſſet, quia potentia ſenſitiua poteſt frequenter ſentire obiecta in extraneo ſubiecto recepta. Sed demus corpus hoc non fore ſenſitiuum, quid tunc poſtea? Cœleſtia corpora ſenſitiua non ſunt, & multi cenſent gaudere ſimplicitate, quam nos in hoc corpore indagamus. 9

Vltimo arguit Hurtadus: Si tale corpus eſſet poſſibile eſſet nobilius animo rationali, & eſſet ignobilius; nobilius quia eſſet actus ſimplex completus: quod dicit maiorem perfectionem, quàm eſſe formam informantem: eſſet ignobilius, quia anima rationalis habet operationes multo excellentiores, virtus enim intellectiua, & capacitas videndi Deum eſſentialiter dicit perfectionem longe excellentiorem, quouis alio corpore. Idem argumentum poſſet conficere Hurtadus, de quocumque compoſito materiali reſpectu eiuſdem animæ rationalis. Vnde de muſca conficio argumentum, quod de corpore ſimplici conficit Hurtadus, eadem omnino arguendi forma: Muſca eſt entitas completa, totúmque ſubſtantiale completum, anima rationalis eſt entitas incompleta, & pars ordinata ad componendum totum: ſed maiorem perfectionem dicit eſſe totum, quam partem: ergo muſca eſt perfectior anima rationali. Deinde eſt imperfectior, quia anima rationalis eſt ſpiritualis capax videndi Deum, &c. ergo eſt perfectior & imperfectior. Dices muſcam eſſe entitatem compoſitam & animam rationalem eſſe ſimplicem, & ita non rectè argumentum procedere. Contra: Ego non comparo muſcam in ratione compoſitæ, aut ſimplicis cum anima ad probandum muſcam eſſe perfectiorem, ſed in ratione completæ, & incompletæ, in qua ratione muſca excedit perfectionem animæ rationalis, etiamſi excedatur ratione ſimplicitatis, quam habet anima. Reſpondebis muſcam non eſſe abſolutè perfectiorem animal rationali, quia etiamſi illam excedat in ratione ſimplicitatis, quæ eſt longè maior perfectione quam habet muſca, ex eo quod ſit entitas completa. Placet ſolutio, ſed illam tibi ſume. Corpus illud præcisè ſi compararetur in ratione totius ſimplicis cum anima præcisè quatenus eſt forma, & entitas ex ſe inadæquata ſecundùm hanc rationem vincit perfectionem animæ rationalis, tamen abſolute non eſt perfectius animà rationali, quia anima rationalis habet alia prædicata ratione quorum longe maiori exceſſu vincit perfectionem illius corporis, quam vincitur ex eo, quod illa ſit entitas incompleta, & illud corpus ſimplex completum, & maior, minorve perfectio phyſica huius entitatis reſpectu illius ſumenda eſt, non ex vno, vel altero prædicato metaphyſico, ſed ex omnibus, & ex tota entitate. 10

11 Rem clarè vide in rebus æquè ſimplicibus: compara formam accidentalem ſpiritualem, cum ſubſtantiali corporea, v. g. præſentiam Angeli cum forma equi, non rectè argueres. Præſentia Angeli eſt forma ſpiritualis: forma equi eſt forma materialis: forma ſpiritualis perfectior eſt materiali: ergo præſentia Angeli eſt perfectior forma equi. Rurſus, præſentia Angeli eſt forma accidentalis: forma equi forma ſubſtantialis: forma accidentalis eſt imperfectior forma ſubſtantiali: ergo præſentia Angeli eſt imperfectior forma equi: ergo eſt perfectior, & imperfectior. Mala argumentatio, ad hoc enim vt concludatur præſentiam Angeli abſolutè eſſe perfectiorem, non ſufficit comparatio facta inter rationem ſpiritualitatis, ſed debet fieri inter omnia prædicata, quæ ſe tenent ex parte vtriuſque extremi, in quibus computatis exceſſibus, quibus mutuò excedentur entitates ſecundùm diuerſa prædicata, illa entitas abſolutè perfectior dicenda eſt, quæ ſecundùm plura excedit, quam exceditur. Sic in noſtro caſu corpus illud ſimplex excedit animam, quia eſt completum & compoſitionem non reſpicit, quam reſpicit anima: Exceditur quia anima eſt ſpiritualis & capax videndi Deum: computari debent illi exceſſus, & ſi maior fuerit: ſicuti eſt de facto ille, qui ſe tenent ex parte animæ, anima abſolutè perfectior erit; ſi autem maior eſſet exceſſus tenens ſe ex parte corporis corpus abſolutè perfectus diceretur. En manifeſtè redarguitur Hurtadus, & illius argumenti fallacia oſtenditur, quæ, vt rectè expendit Arriaga, procedit ex ſuppoſitione duplicis contradictorij, videlicet prædicatum corporis ſimplicis completi eſſe omnium perfectiſſimum, ita vt illius exceſſus nullo alio poſſit compenſari, & ſimiliter eandem ſummam perfectionem habere prædicata, quibus anima conſtituitur ſpiritualis, & capax videndi Deum, quibus principiis manifeſtè oppoſitis infert animam rationalem eſſe perfectiorem omni entitate non potenti videre Deum, & conſequenter corpore ſimplici; & ſimul corpus ſimplex eſſe perfectius omni entitate reſpiciente compoſitionem, & conſequenter animo rationali, & conſequenter animam rationalem eſſe perfectiorem, & imperfectiorem corpore ſimplici, & corpus ſimplex eſſe perfectius, & imperfectius animo rationali.

12 Alij arguunt: non poteſt dari ſubſtantia materialis carens omni forma accidentali: ergo neque carens omni forma ſubſtantiali. De ſubſtantia ſpirituali idem confice argumentum: non poteſt dari ſubſtantia ſpiritualis ſine aliqua forma accidentali: ergo neque ſine forma ſubſtantiali. Nego conſequentiam quidquid ſit de antecedenti, quod ſi verum eſt non alia de cauſa niſi quia eſt de ratione creaturæ iam conſtitutæ in ſuo eſſe ſubſtantiali capacem eſſe alicuius mutationis accidentalis, quæ per formam accidentalem facienda eſt.

§. II.

De compoſitione integrali.

13 Affirmo non ſolum poſſe dari corpus completum indiuiſibile integraliter ſecundùm ſubſtantiam, ſed quod ſit ſubiectum quantitatis diuiſibilis, & extenſæ. Nulla firmior probatio in his quæſtionibus, quàm illa, quæ ſumitur ex non repugnantia ſubiecti, quam argumentorum ſolutiones propugnabunt. Veruntamen antequàm argumenta proponam, & ſoluam, nonnulla præmitto, quæ meam concluſionem alienam non eſſe à vera Philoſophia, & à principiis in aliis quæſtionibus communiter admiſſis deductam eſſe oſtendant. Inprimis de conceptu entis corporei non eſt diuiſibilitas integralis, vt oſtendo Controuerſ.1.de anima, Punct.5. ergo non ex eo quod totum ſit corporeum debet eſſe diuiſibile integraliter, ſed ſufficiet ſi ſit impenetrabile, vel per ſe ipſum, vel ſaltem per quantitatem indiuiſibilem illi inhærentem, quia eſſentia quantitatis non conſiſtit in diuiſibilitate, ſeu extenſione aptitudinali, ſed in impenetrabilitate. Ex quo infero non repugnare corpus aliquod indiuiſibile integraliter. Partem aliam concluſionis, in qua affirmo poſſe ex huiuſmodi corpore educi quantitatem diuiſibilem ſic ſuadeo. Noc repugnat res diuiſibilis, & extenſa educta ex ſubiecto indiuiſibili: ergo ex eo, quod corpus illud indiuiſibile eſſet, non repugnaret educi ex illo quantitatē indiuiſibilem: antecedens debent admittere omnes Thomiſtæ, qui aſſerunt formas brutorum perfectorum eſſe indiuiſibiles, & quantitatem, & alia accidentia extenſa, & diuiſibilia educi ex toto compoſito, iuxta quæ aſſerta quantitas diuiſibilis equi inadæquatè educitur ex forma indiuiſibili eiuſdem equi, quia implicat educi adæquatè ex toto compoſito, qui inadæquatè educatur ex parte eſſentiali conſtitutiua compoſiti: ergo ſicuti educitur quantitas diuiſibilis ex ſubiecto inadæquatè indiuiſibili, ſic poterit educi ex ſubiecto adæquato. Idem clarius admittunt plures Theologi aſſerentes præſentiam Angeli ex vi cuius conſtituitur in ſpatio diuiſibili, diuiſibilem eſſe, & habere partes realiter inter ſe diſtinctas efficientes omnes, & ſingulas ſubiectum indiuiſibile, ex quo educuntur: ergo non repugnat rem diuiſibilem educi ex ſubiecto indiuiſibili. Quod ſi dicas Angelum, & illius præſentiam eſſe ſpiritualem, argumentum à paritate deſumo. Noc repugnat præſentiam ſpiritualem diuiſibilem, & eſſentialiter per ſe ipſam actu extenſam educi ex ſubiecto ſpirituali indiuiſibili: ergo non repugnabit, quantitatem corpoream, quæ tantùm per ſuam eſſentiam habet petere extenſionem educi ex ſubiecto corporeo indiuiſibili. Confirmatur: ſi ex aliquo capite repugnaret educi quantitatem diuiſibilem ex ſubiecto indiuiſibili eſſet, quia accidens & ſubiectum debent commenſurari, ſed inter accidens ſpirituale diuiſibile, & ſubiectum ſpirituale indiuiſibile datur ſufficiens proportio, vt accidens è ſubiecto educatur: ergo eadem poteſt dari in accidenti corporeo diuiſibili reſpectu ſubiecti corporei indiuiſibilis, non enim maior proportio requiritur inter accidens, & ſubiectum ſpirituale, quàm inter accidens & ſubiectum corporeum.

14 Obiic. Effectus formalis quantitatis diuiſibilis eſt conſtituere partes ſubiecti extra alias partes, & illud extendere: ſed non poſſet quantitas diuiſibilis præſtare hunc effectum tali corpori: ergo non poſſet illi vniri, quia nulla forma poteſt vniri ſubiecto, cui non poteſt præſtare ſuum effectum formalem. Effectum formalem cuiuſuis formæ nihil aliud eſſe quàm totum reſultans ex materia, & forma, oſtendam Controuerſ.8. Punct. 3. & ita ſicuti ex diuerſis in ſpecie ſubiectis, etſi forma ſit eiuſdem ſpeciei, reſultat totum ſpecie diſtinctum; ſic reſultat diuerſus effectus formalis, & ita licet ex quantitate, & ex ſubiecto diuiſibili reſultaret neceſſariò tanquam effectus formalis totum habens partes extra partes, poſſet dici ex quantitate, & ex ſubiecto indiuiſibili reſultare diuerſum effectum formalem, quia reſultaret totum ſpecie diſtinctum, quod partes extra partes non haberet: veruntamen id omitto, & parco, pluſquam par eſſet plures vti hac communicatione effectus formalis ſubiecto informato per formam, nam cùm effectus formalis ſit totum, & forma non communicat, nec tribuit totum ſubiecto; ita ſi ſtrictè loquendum ſit, debet non dici formam tribuere ſubiecto ſuum effectum formalem; veruntamen indulgendum eſt vulgo in loquendi modo, quo effectus formalis dicitur denominatio illa, quæ ſubiecto accreſcit, ex eo quod actu vniatur formæ, & totum componat.

15 His omiſſis: Reſpondeo ſubiectum habere actu partes extra partes, quando entitatiuè habet partes, prouenire formaliter à præſentia & non à quantitate, quia per præſentiam formaliter conſtituuntur partes in illo ſpatio, in quo ſunt. Neque ex vi quantitatis partes ſubiecti exigunt formaliter præſentiam, ex vi cuius vna ſit extra aliam, ſed ex vi cuius quælibet pars diuiſibilis, vel indiuiſibilis, vel quodlibet totum, cuiuſuis ſit conditionis, ſit in eodem ſpatio, in quo eſt quantitas cui vnitur, & cum de facto diuerſæ partes ſubiecti vniuntur diuerſis partibus quantitatis exiſtentibus in diuerſis partibus ſpatij, vt ſint partes ſubiecti in eodem ſpatio, in quo ſunt partes quantitatis, quibus vniuntur, petunt eſſe partes extra partes, ſi tamen partes quantitatis eſſent in eodem ſpatio, partes ſubiecti, quæ peterent eſſe in illis intimè præſentes, peterent eſſe in eodem ſpatio. Eadem ratione, ſi plures partes ſubiecti vnirentur eidem parti quantitatis, omnes peterent eſſe huic intimè præſentes & conſequenter, inter ſe penetratæ, & eadem pars, ſeu idem totum diuiſibile, vel indiuiſibile ſubiecti ſi vniretur diuerſis partibus quantitatis exiſtentibus in diuerſis ſpatiis, ſubiectum illud ſiue totale ſiue partiale peteret repeti in omnibus ſpatiis, in quibus erant partes, quantitatis cui erat vnitum. Hinc deprehendes totum integraliter indiuiſibile, de quo loquimur vnitum quantitati diuiſibili, ex vi illius vnionis tantùm habiturum exigere præſentiam quandam

per

per quam repeteretur in omnibus partibus ſpatij in quibus erant partes quantitatis, quibus erat vnitum, quod vniuerſaliter præſtat quantitas cuicumque ſubiecto, ſicuti quælibet alia forma, quæ petit ſubiectum exiſtens in ſpatio, in quo ipſa eſt, quia tamen ſpeciale eſt quantitatis petere habere partes non penetratas, ideo quando vnitur ſubiecto habenti partes cum correſpondentia ſecundùm vnionem partis ſubiecti, ad partem quantitatis, ſicuti contingit in quantis, quæ agnoſcimus exiſtentia, tribuit ſubiecto petere habere partes extra partes, vt correſpondeant partibus ipſius quantitatis, quibus ſunt vnitæ.

16 Obiic. ſecundò. Forma debet commenſurari cum ſubiecto ex quo educitur: ergo non poteſt educi forma diuiſibilis ex ſubiecto indiuiſibili. Inſto manifeſtè: forma materialis indiuiſibilis educitur in opinione Thomiſtarum, & poteſt educi in ſententia maioris partis totius ſcholæ ex ſubiecto diuiſibili: ergo ſicuti non repugnat ex defectu commenſurationis educi indiuiſibilem formam ex ſubiecto diuiſibili, ita non repugnabit ex defectu huius educi formam diuiſibilem ex ſubiecto indiuiſibili, non enim datur maior commenſuratio formæ indiuiſibilis ad ſubiectum diuiſibile, quàm formæ diuiſibilis ad ſubiectum indiuiſibile. Secundò non maior requiritur commenſuratio formæ cum ſubiecto informationis, quàm cum ſubiecto vnionis: ſed indiuiſibilitas formæ non impedit commenſurationem requiſitam, vt informet ſubiectum diuiſibile, vt patet in anima rationali; neque vt educatur ex illo: ergo diuiſibilitas formæ non tollet commenſurationem requiſitam, vt poſſit educi ex ſubiecto indiuiſibili. Reſpondeo formam tantùm exigere eſſe in eodem ſpatio, in quo eſt ſubiectum ex quo educitur quod poteſt habere forma diuiſibilis reſpectu ſubiecti indiuiſibilis, quia ſubiectum erit repetitū in omnibus partibus ſpatij in quibus fuerit pars formæ, quæ ex illo educitur, quæcumque autem commenſuratio præter hanc ſuperflua erit, vt forma ex ſubiecto educi poſſit. Vide quæ dixi num. 13. de præſentia Angeli. Alia argumenta ſimilia fieri poſſent, quæ ex doctrina tradita facilè quiſque ſoluet.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

EXPLICATA fuit libro primo natura *Totius* ſecundùm ſe, & ſecundùm illa, quæ intrinſecè includit; opus eſt in ſecundo explicare idem totum in ordine ad proprios motus, qui à toto, & à principijs intrinſecis, quæ includit, proueniunt, & in ordine ad cauſas intrinſecas, ex quibus componitur; & extrinſecis, à quibus dependet.

CONTROVERSIA VI.

De Natura.

NATVRAM Ariſtoteles primò in hoc libro contemplatur, vtpote cauſam motuum in ordine ad quos Totum corporeum in præſentiarum idem Philoſophus meditatur.

PVNCTVM PRIMVM.

Definitur natura.

1 NON poterimus non aberrare in lato campo, per quem nomen *natura* vagatur, ſi viam non ſternimus diſtinguentes varias naturæ acceptiones, vt certam metam nobis ſectandam præfigamus.

2 Varias naturæ acceptiones referunt Conimbr. libr. 2. phyſ. q. 1. art. 1. & ex illis, qui poſtea de hac re egêre, quas omnes breuiter referam. Primo natura ſumitur à probis Philoſophis, quorum Seneca 4. de officiis, & D. Auguſtin. lib. 15. de Trinit. c. 1. pro ſubſtantia infinita, Deo videlicet Optimo, Maximo, omnium rerum opifice, quem aliqui barbarè vocant naturam naturantem, hoc eſt creantem reliquas naturas, quas iidem naturatas, id eſt, creatas appellabant. Secundò ſumitur natura pro quidditate ſeu eſſentia rei. In hoc ſenſu dicimus Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, hoc eſt illa, quæ eſſentialia ſunt homini; & in eodem ſenſu dicimus definitionem explicare naturam rei, videlicet illa, quæ ſunt de eſſentia rei. Nota paſſim rectè Conimbr. aſſignaſſe diſcrimen inter naturam, & quidditatem, natura enim dicit eſſe rei in ordine ad ſe, quidditas verò dicit eſſe rei in ordine ad definitionem, qua reſpondemus interroganti, quid eſt hoc. Tertiò ſumitur natura pro tota collectione rerum naturalium, quo ſenſu dixit Ariſtot. 12. Metaph. cap. 7. text. 38. naturam pendere à principio, hoc eſt, totam hanc mundi machinam dependere à prima cauſa. Quartò ſumitur pro cauſis naturalibus ſecundùm innatam propenſionem, atque virtutem. In hoc ſenſu dicimus naturam abhorrere ſuperfluum, nihil vanè moliri, vacuum non permittere. Quintò ſumitur natura pro temperamento, ſeu complexione cuiuſcumque viuentis ex quatuor qualitatibus reſultante. Vltimò ſumitur natura pro viuentium generatione, quæ natiuitas ſeu naſcentia appellatur, vnde natura dicitur. Hæc eſt propria, & genuina huius nominis ſignificatio, & vocis acceptio, quia tamen generatio ab interno principio prouenit, nomen naturæ deriuatum fuit, ad ſignificandum internum principium cuiuſcumque generationis, ſeu motus, & hoc titulo ſubſtantia, ſiue viuens, ſiue non viuens, quæ eſt principium motus, natura dicitur, de quo principio in præſenti Ariſtoteles diſſerit. Has naturæ acceptiones apud Conimb. latiùs reperies loco citato, quibus nec verbum addidi, illorum enim tum eruditio magna, tum materiæ leuitas quidquam addi non permittit.

3 Naturam ſecundùm propriam acceptionem, quam vltimò retuli definit Ariſtot. text. 3. *Principium, & cauſa, vt id moueatur, & quieſcat, in quo primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens ineſt.* In prima definitionis voce offendunt Doctores, quæ in hac definitione ſuperfluere videtur, ad quid enim *principium*, & *cauſa*, ponitur in definitione, ſi cauſa conceptus in ſe formaliter principij conceptum exprimit. Auicenn. cum Burleo, quibus conſentit Toletus dicit per *principium* intelligi formam, per *cauſam* materiam.

Abs re omnino, quia inter materiam, & formam, hæc propriùs ſibi arrogat rationem cauſæ, quàm illa: ergo gratis & contra rationem dicitur per cauſam non formam, ſed ſpecialiter materiam exprimi, & per principium formam. Ingens antiquorum, recentiúmque caterua dicit nomen *cauſa* additum eſſe vt excluderetur priuatio, quæ continebatur in illa voce *principium*. Non damno particulam *cauſa* poſitam eſſe, ſed inquiro cur vox *principium* non fuit dempta, quæ in conceptu cauſæ continebatur? Si enim ego definirem hominem *viuens animal rationale*, etſi vox *animal* excluderet plantam incluſam in illa voce *viuens*, vitioſa eſſet definitio, quia poſita voce *animal*, ſuperuacanea erat vox *viuens*, cuius conceptus in conceptu animalis expreſsè continetur. Res quidem parui momenti, in qua non temerè dicetur vocem illam penitus ſuperfluere; ſi verò tibi placeat, Philoſophum neque minimam voculam prodegiſſe, dicito definitionem tradidiſſe expreſſo conceptu principij, & cauſæ ne aliquis ex imperito vulgo, cui conceptu cauſæ exploratus non eſſet, intelligens non in ſe imbibere conceptum principij cenſeret naturam non eſſe principium motus, in ordine ad quem natura dicitur.

4 Circa particulam *quietis* dubitant an importet aliquid poſitiuum, an tantùm negatiuum, videlicet negationem motus. Significare aliquid poſitiuum videlicet permanentiam, ſeu conſeruationem termini acquiſiti per motum docet optimè Rub. lib. 2. cap. 1. q. 1. n. 8. & Valleſ. de naturæ principiis, ad hoc caput, quod pulchrè probat ex interno impetu, quem habent corpora ad conſeruandum terminum quem per motum naturalem acquiſierunt, ſi enim amouere intendas lapidem à loco, ad quem per naturalem motum peruenit, reſiſtentiam experiêris: ergo lapis poſitiuè intendit conſeruare præſentiam illam & quieſcere in ſpatio acquiſito: ergo eſt principium poſitiuum non ſolùm motus, ſed etiam quietis.

5 Circa particulam *motus & quietis* venit in quæſtionem, an copulatiuè, vel disiunctiuè ſumenda ſit: An videlicet ſufficiat ad rationem naturæ eſſe principium motus, vel quietis, vel requiratur vtriuſque ſimul eſſe principium. P. Fonſ. 5. Metaph. q. 1. cap. 4. ſect. 4. disiunctiuè intelligendam eſſe defendit, ita vt in aliquibus compoſiti materia, quæ eſt natura, principium ſit motus, in aliis verò quietis. Neque verbum & ita ſtrictè intelligi volunt multi Fonſecæ ſectatores, vt neceſſariò coniungat vtrumque principium in definito, quod ego ſic explicarem. Particula & dicenda eſt annectere iuxta hanc ſententiam rationem definiti in his principiis etiam non coniunctis, non ipſa principia in ſe ipſis, ita vt faciat hunc ſenſum, omne id, quod fuerit cauſa motus eſt natura. Item omne id, quod fuerit cauſa quietis eſt natura, ex qua coniunctione, hæc disiunctio, in quam reſoluatur, fieri poteſt, natura eſt principium quietis vel motus. In hunc ſenſum explicanda eſt particula & in illo teſtimonio Scripturæ apud Ioann. Epiſt. 1. cap. 2. *Hic eſt Antichriſtus qui negat Patrem, & Filium*, hoc eſt, qui negat Patrem Antichriſtus eſt, & qui negat Filium ſimiliter eſt Antichriſtus, quæ coniunctiua propoſitio in hanc disiunctiuam reſoluitur: qui negat Patrem, vel Filium, eſt Antichriſtus.

6 Sentio naturas omnes, quæ de facto dantur cauſam eſſe motus, & quietis ſumpta particula & coniunctiuè, quia omnes habent virtutem acquirendi, ſi aliquid illarum perdiderint, vt patet in lapide, qui præſentiam deorſum producit, & eandem conſeruat, & in eam iam amiſſam propendet, idem contingit in aquæ reſpectu frigiditatis, & quibuſcumque aliis entitatibus reſpectu ſuarum paſſionum. Sentio ſimul, quod ſi daretur aliqua ſubſtantia, quæ tantùm eſſet principium motus, vel quietis, illam naturam eſſe dicendam propter rationes dictas, tum etiam quia terminus motus, & ex illo potentia ad motum, vel quietem ſpecie diſtingui non poſſet. De mente Ariſtoteles ſentio particulam intelligendam eſſe collectiuè, quia Ariſtoteles definiuit rationem communem naturam, quæ de facto dantur. Cùm autem omnes naturæ exiſtentes ſimul ſint principium motus & quietis, (ſimultate potentiæ intellige, non actus) ſit Ariſtotelem definiiſſe rationem naturæ, quæ ſimul eſt principium motus, & quietis, quam vt definiret, ſicuti eſt, per principium motus, ſimul, & quietis illam debuit definire. Hæc omnia leuia ſunt, nec maiori indigent probatione: An verò per principium debeat intelligi principium actiuum, vel paſſiuum ſufficiat dicam Puncto ſequenti.

Eius in quo eſt, per particulam iſtam excludunt aliqui materiam primam, quæ cùm ſit primum ſubiectum in nullo eſt: Alij dicunt materiam eſſe in toto, in quo continetur, quia contentum propriè dicitur eſſe in continenti. Totum multi relegant à ratione naturæ iuxta Philoſophi mentem, quia in nullo eſt? horum tamen aliqui defendunt ex natura rei totum naturam dici poſſe, quia eſt in ſuppoſito, non verò in ſententia Philoſophi, qui ſuppoſitum non cognouit. Alij tandem docent adhuc iuxta Ariſtotelem totum dicendum eſſe naturam, qui particulam illam *eius in quo eſt* cenſent, Ariſtotelem intellexiſſe negatiuè, hoc eſt non in ſubiecto extraneo. Quæ omnia Puncto venturo examinabo. Vnum ex hac particula certum eſt, neque materiam, neque formam, neque totum naturam dici per ordinem ad motum exercitum in ſubiecto extraneo. 7

Tandem per illam *primò & per ſe, & non ſecundùm accidens* excluduntur accidentia, quæ non ſunt in ſubiecto primò & per ſe, ſed ſecundariò, & accidentaliter. Sunt qui putent particulam *primò & per ſe* ad verbum *motus* referendam eſſe, ita vt ſenſus ſit, cauſa motus, qui ſit primò, & per ſe: errant tamen, quia vt bene Conimb. PP. demonſtrant ex textu Græco ad verbum *in quo eſt*, referri neceſſe eſt. 8

PVNCTVM II.

Quibus entitatibus ratio naturæ conueniat?

EX duplici capite dubium materiæ ius eſt, vt inter naturas annumeretur. Primum, ex defectu ſubiecti in quo ſit. Secundum, quia non eſt principium actiuum motus, ſed tantùm paſſiuum. Totum inter naturas ex mente Ariſtotelis recenſebo, etiamſi ſubiectum non habeat: potiori ratione ex hoc capite materia recenſeri poterit, quæ etſi non ſit in ſubiecto, eſt tamen in toto, ſicut incluſum in includente. Venio ad aliam rationem deſumptam ex eo, quod materia principum paſſiuum ſit non actiuum. 1

Scotus in 2. diſt. 18. quæſtione vnica, quem tota ſua ſchola ſequuta eſt, exiſtimat naturam tantùm conſtitui per principium paſſiuum, & non per actiuum. P. Vaſquez 1. 2. tom. 1. diſp. 25. cap. 3. num. 20. & 21. Et Valleſius Controuerſ. 11. ad Tyrones, aliique recentiores totam rationem naturæ principio actiuo, nullámque paſſiuo tribuunt. Communis ſententia, vtrumque principium tam actiuum, quàm paſſiuum naturæ conſtitutiuum eſſe defendit, & materiam primam propriè & ſtrictè naturam eſſe cenſet. Ita Conimb. lib. 2. Phyſic. cap. 1. quæſt. 1. art. 2. Rub. ibid. q. 2. Hurtadus diſp. 7. ſect. 2. Arriaga diſp. 6. ſect. 1. quibus ſubſcribo. Probo hanc ſententiam ex definitione naturæ tradita ab Ariſt. Definiuit Philoſophus naturam per principium motus abſtrahens à ratione principij: Sed ratio principij vniuocè conuenit principio actiuo, & paſſiuo: ergo non potiori iure intelligenda eſt definitio de principio actiuo quàm paſſiuo. Accedunt expreſſa Ariſtotelis teſtimonia, quibus materiam abſolutè naturam appellat. Ita hoc lib. 2. text. 10. *Natura ſic dicitur: Primò cuiuſcumque ſubiecta materies eorum, quæ motus in ſe, mutationiſque principium habent. Alio verò modo ipſa forma, & ſpecies.* Et 5. Metaph. *Natura verò hæc prima materia, & hæc dupliciter, aut quæ ad ipſum prima, aut ſimpliciter prima.* Tum 5. Metaph. cap. 4. *Natura eſt, ex quo primo inexiſtente generatur, quod gignitur.* 2

Obiicies Ariſtotelem eodem cap. 4. lib. 5. Metaph. vbi hæc habet: *Ex dictis itaque prima, & quæ propriè dicitur natura, eſt ſubſtantia eorum, quæ in ſe ipſis vt ipſa ſunt, motus principium habent. Materia enim eo quod huius ſit ſuſceptiua dicitur natura*: ergo ſentit Ariſtoteles materiam dici naturam eo quod ſit ſuſceptiua formæ: ergo ratio naturæ primariò conuenit formæ, propter hanc ſecundariò materiæ? Reſpondeo Ariſtotelem hoc cap. expreſsè dixiſſe omnem eſſentiam dici naturam metaphoricè propter naturam ſubſtantialem completam. Audi Ariſtotelem: *Metaphoricè verò omnis ſubſtantia* (id eſt, omnis eſſentia cuiuſcumque accidentis) *natura propter hanc dicitur*, deinde ſubdit: *Ex dictis prima & quæ dicitur, natura eſt ſubſtantia eorum, quæ in ſe ipſis, vt ipſa ſunt motus principium habent*, hoc eſt, ex eſſentiis dictis in quibus ſubſtantia, & accidens, *prima*, & quæ dicitur natura eſt ſubſtantia. Quàm doctrinam probat in materia, dum dicit. *Materia enim eo quod huius ſit ſuſceptiua*, hoc eſt, quia eſt ſuſceptiua motus, natura dicitur, quibus verbis non ex forma mendicatam rationem naturæ, 3

Digitized by Google

naturæ, materiæ attribuit, quia materia per principium motus, quod in ſe formaliter habet, natura dicitur. Hac ratione explicandus eſt Ariſtoteles, & reiiciendus Hurtadus, qui docuit ſect. 3. §. 15. Ariſtotelem prædicto teſtimonio docuiſſe materiam eſſe analogicè naturam cum forma, quod non tollit propriè dici naturam, ſicut accidens propriè eſt ens, & tamen reſpectu ſubſtantiæ in multorum ſententia rationem entis analogicè participat. Huic doctrinæ non acquieſco, quia cùm materia vniuocè ſit principium motus cum forma, vniuocè rationem naturæ debet participare; deinde, quia illud genus analogiæ fictitium eſt, vt probabo in Metap. 13. quia abſque fundamento Philoſophus ad hanc interpretationem ab Hurtado trahitur

4 Obiicitur ſecundò Ariſtoteles lib. 2. phyſic. cap. 1. textu 12. vbi hæc habet: *Atque natura magis hæc eſt, quàm materies, vnumquodque enim magis dicitur cùm eſt actu, quàm cum potentia.* Hoc teſtimonium adducam poſtea ad probandum rationem naturæ competere toti, quod comparat Ariſtoteles cum materia, non formam, vt rectè ex D. Thom. oſtendit Rub. quod totum dicitur phyſicè magis natura quàm materia, quia includit materiam & formam.

5 Obiicies tertiò Ariſtotelem 5. Metaphyſ. cap. 4. *Quare & quæcumque* (verba ſunt Ariſtotelis,) *naturâ ſunt, aut fiunt iam exiſtente, ex quo apta ſunt fieri, aut eſſe, nondum dicimus naturam habere ſi ſpeciem & formam non habeant:* ergo quouſque veniat forma non eſt natura; ergo materia natura non eſt. Reſpondeo Ariſtotelem docuiſſe materiam præexiſtentem, ex qua aliquid fit, non eſſe naturam, ſed illud quod faciendum eſt, nondum habere naturam, quia nondum exiſtit, neque habet formam, quæ facta non eſt, neque materiam, quæ ad illud non ſpectat donec ſit forma, quod eleganter explicuit idem Philoſophus, 2. phyſ. cap. 1. his verbis: *Nam quod poteſtate caro eſt aut os ſuam prius naturam non habet, antequam formam, quæ vt ratio eſt, acceperit.* Concludit ergo Ariſtoteles carnem non habere naturam carnis, quouſque adueniat forma, quæ carnem conſtituat.

6 Scotus cum ſua ſchola formam à ratione naturæ excluſit quem ferè omnes meritò impugnant, tum ex Ariſtotelis teſtimoniis, tum ex conſtituto naturæ, quod propriiſſimè conuenit formæ, quæ eſt principium motus, & quietis in compoſito, in quo eſt, neque in hoc magis eſt immorandum. Venio ad rationalem animum, de quo nonnulla poterat eſſe dubitatio. Senſere nonnulli animum rationalem, vt rationalem naturam non eſſe. Oppoſitam ſententiam amplector cum P. Soar. tom. 1. Metaph. diſp. 1. ſect. 2. num. 17. Tolet. quæſt. 2. Procem. in lib. de anima, Conimb. lib. 2. Phyſic. dubio 1. quæſt. 3. citata n. 26. Probat Rub. hanc concluſionem: Anima rationalis, vt rationalis eſt principium ridendi, & flendi in homine: ergo eſt principium motuum materialium in homine in quo eſt: ergo eſt natura. Non acquieſco: actus flendi dicit duo, & actum internum voluntatis, quo triſtatur, & angitur animus; & actum externum excutiendi lachrymas: primus actus totus eſt ſpiritualis, & reſpectu illius non poteſt dici anima principium motus corporis: ſecundus actus non immediatè prouenit ab anima, ſed ab actu voluntatis, qui non eſt in compoſito primò & per ſe: ergo non poteſt dici naturalis. Idem dico de actu ridendi, qui dicit actum internum ſpiritualem animæ, & actum externum, videlicet motum localem procedentem non immediatè ab anima, ſed ab interno actu.

7 Aliter ego concluſionem probo: anima rationalis, vt ſenſitiua eſt natura, ſed vt ſenſitiua & rationalis ex parte obiecti non diſtinguuntur: ergo ſaltem ex parte obiecti, vt rationalis, eſt natura: Maiorem admittunt omnes, qui formam equi naturam eſſe concedunt, quia anima rationalis, vt ſenſitiua æquè eſt principium ſenſationis in homine ac hinnibilis in equo. Minorem probo in Metaph. Controu. 4. Puncto 8. vbi nullam præciſionem obiectiuam admitto in rebus inter ſe identificatis. Secundò probo adhuc vt rationalem ex parte actus præciſam eſſe naturam. Anima vt principium vegetandi eſt natura; ſed vt rationalis eſt principium vegetandi: ergo vt rationalis eſt natura. Minorem huius ſyllogiſmi in qua eſt tota difficultas probo, Contr. 3. de generat. Punct. 3. ibi me adi. Tertiò, anima rationalis, vt rationalis eſt forma compoſiti: ſed forma vt forma eſt principium operationum in compoſito: ergo vt rationalis eſt natura.

8 Obiicies: Anima rationalis vt rationalis tantùm eſt principium intellectionis, & volitionis: ſed intellectio, & volitio non ſunt motus compoſiti, neque ſunt motus corporei: ergo vt rationalis non eſt principium actuum, per quos poſſit conſtitui natura. Probo ſequentiam: Natura conſtituitur per ordinem ad motus corporeos, & per ordinem ad motus compoſiti; ergo per ordinem ad intellectionem, & volitionem, quæ neque ſunt motus corporei neque motus compoſiti non poteſt conſtitui natura. Reſpondeo, negando maiorem primi ſyllogiſmi, dixi enim animam rationalem, vt rationalem ſupponi ad actum vegetandi, quod probo Controu. citata *de generatione*; ſed eſto: maiorem admitto, & nego minorem. Ad confirmationem. Reſpondeo motum volitionis, & intellectionis etſi ſolùm ab anima efficienter procedant, & in illa recipiantur, eſſe motum totius compoſiti, quia per intellectionem elicitam ab anima, & in illa receptam, totus homo dicitur intelligens, & per potentiam intellectiuam animæ dicitur anima intelligens; quia cùm totum nihil aliud ſit quàm partes, quod eſt proprium cuiuſuis partis, ratione illius eſt proprium totius. Sic equus moueri dicitur per ſenſationem actiuè tantùm procedentem à forma, & in eadem receptam, vt probabo Controu. 3. de anima Punct. 1. Ad aliud quod obiicitur; videlicet motum intellectionis non eſſe corporeum. Reſpondeo verum eſſe hunc motum ſecundùm ſe non eſſe corporeum, eſſe tamen motum totius corporei, & exercitum dependenterà corpore, quod ſufficit, vt per ordinem ad illum natura conſtituatur, quia Ariſtoteles definiuit naturam per ordinem ad motum ſubſtantiæ corporeæ, ſiue ſpiritualem, ſiue corporeum.

De cœlorum formis dicendum eſt eodem modo eſſe naturas: Probat Rub. cap. citat. quæſt. 1. num. 13. ex eo quod ſunt principium motus, etſi non ſint principium quietis: non aſſentior. Aſſero corpora cœleſtia eſſe principia quietis, quatenus conſeruant ſuas qualitates, & paſſiones, quæ illorum formas comitantur, (ſuppono diſputationis gratia corpora cœleſtia eſſe compoſita ex materia, & forma quidquid ſit de hoc) & ſi illis priuarentur, iterum ſe mouerent per acquiſitionem illarum, ſicut aqua natiua frigiditate priuata ſe mouet, vt iterum illam acquirat. Quod ſi ſemper localiter cœli moueantur (non loquor de Empyreo) non ideo carent principio quietis, quia ſi ab Angelis non mouerentur, eandem ſemper præſentiam in eodem ſpatio conſeruarent, à quo ſi aliud agens illos intenderet remouere, non ſine reſiſtentia recederent, & poſtquam receſſiſſent, iterum ſe mouerent ad idem ſpatium acquirendum, modò autem abſque vlla violentia ab Angelo cientur, quia etſi omnes illius partes moueantur, neque tota corpora cœleſtia, neque illorum partes aliquæ à proprio centro diuelluntur, totum enim corpus in eodem ſpatio permanet, & quælibet pars æquè gaudet qualibet parte ſpatij æquè diſtanti à centro intrinſeco eiuſdem corporis cœleſtis, & à reliquis compartibus, & nunquam per motum ab Angelo productum aliter conſtituitur. 9

Toti rationem naturæ tribuit Rub. q. 2. n. 18. quam ex mente Ariſtotelis illi denegandam non eſſe ipſius Philoſophi expreſſa teſtimonia ſuadent, perſpicuum eſt quod tradidit 1. Phyſic. c. 1. *Natura quidem ſunt animalia; parteſque ipſorum & plantæ; & ſimplicia corpora, vt terra, ignis, & aër, & aqua. Hæc enim & eiuſmodi res natura dicimus eſſe,* & teſtimonio ſuprà adducto ex lib. 5. Metaph. cap. 4. id clarè teſtatur. *Quare quæcumque natura ſunt, aut fiunt iam exiſtente, ex quo apta ſunt fieri, aut eſſe, nondum dicuntur naturam habere, ſi ſpeciem & formam non habeant, natura igitur quod ex ambobus hic eſt* (hoc eſt compoſitum) *vt animalia & partes eorum.* Ratione eandem concluſionem probo: magis naturalis eſt motus in ipſo quàm in ipſo in quo eſt: ergo totum quod eſt principium motus in ſeipſo potiùs debet eſſe natura, quàm pars quæ eſt principium motus in toto in quo eſt. 10

Obiiciunt Hurtadus, & Arriaga qui oppoſitam ſententiam defendunt, hic *diſp. 6. ſect. 1.* ille *diſp. 7. ſect. 5.* Ariſtotelem 2. Phyſic. text. 12. ſic dicentem *Compoſitum natura quidem non eſt, ſed eſt, & conſtat natura, vt homo.* Quibus verbis expreſsè videtur negare totum naturam eſſe. Expendas quæſo illam particulam, *ſed eſt, & conſtat natura:* Quæ clarè ſonant, ſed eſt natura, & conſtat natura, ex qua præcedentem partem huius clauſulæ intelligo, in qua Ariſtoteles aſſerit, compoſitum non eſſe naturam tantùm, ſicuti eſt materia, & forma, quæ ſunt natura, & natura non conſtant, ſed eſſe ſimul naturam, & conſtare natura; 11

ſi enim in priori parte clauſulæ abſolutè negaret, totum eſſe naturam, inepte in poſteriori contradictorium exprimeret, *ſed eſt natura*. Ex quo inferes hoc teſtimonio noſtram ſententiam non impugnari, ſed propugnari.

10 Concludo, materiam, formam, & compoſitum vniuocè rationem naturæ participare, & particulam illam *eius in quo eſt*, in definitione poſitam intelligendam eſſe negatiuè, id eſt, non in alio ſubiecto. Ex quo inferes totum ſimplex corporeum naturam eſſe dicendum; non verò totum ſpirituale ſicut Angelus, quia non eſt principium, quo moueatur totum corporeum, in quo ſit, de quo agit Ariſt. in hoc opere; non de mobili ſpirituali.

Pvnctvm III.

Quid ſit motus naturalis, violentus, & medius?

1 Naturalis motus quàm plurimæ ſunt acceptiones. Primò naturale dicitur, quod ſupernaturali opponitur, & ſicuti ſupernaturale dupliciter dicitur, quoad modum, & quoad ſubſtantiam; ita naturale, quoddam eſt tantùm quoad ſubſtantiam, aliud verò quoad modum, & quoad ſubſtantiam. Secundò naturale dicetur id, quod prouenit à natura ſine cognitione operante ad vnum determinata, ſic dicitur motus naturalis, quo lapis deſcendit deorſum. Tertiò dicitur naturale, id quod opponitur libero, ſic etiam voluntatis actus, qui non proueniunt à principio indifferenti naturales dicuntur. Quartò naturale dicitur, quod è natiuitate alicui entitati conuenit, vel ab illa procedit per naturalem emanationem, ſic naturale opponitur aduentitio. Quintò naturale dici ſolet, id quod iuxta communem ſeriem cauſarum communiter accidit, vt pluuia in hyeme. Sextò motus naturalis à natura ſecundùm explicationem quam de illa tradidimus Puncto præcedenti frequenter dicitur.

2 Violentum definit Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 1. *cuius principium eſt foris nihil prorſus eo conferente, cui vis eſt illata.* Quam definitionem omnes ferè Theologi, atque Philoſophi, ita explicant, vt illam particulam *nihil prorſus eo conferente*, non tantùm negatiuè, ſed etiam poſitiuè intelligenda ſit, hoc eſt reluctante, cui vis eſt illata. Sumitur hæc explicatio ex Ariſtotele 2. Ethic. ad Eudemum, vbi hæc habet: *Quando igitur foris quidpiam præter impetum intrinſecum mouerit, ſedaritve, id vi fieri aſſeueramus: quando vero ſecus non vi.* Vbi idem putat Ariſtoteles eſſe violentum, & vi factum. Circa particulam *paſſo* cenſeo non debere intelligi neceſſariò de ſubiecto, quod in actu ſecundo patiatur formaliter, quia hoc nunquam poſitiuè paſſioni reſiſtit, cùm ſit cauſa, & principium intrinſecum illius. Dicitur autem paſſum totum ſubiectū, ſeu forma cui eſt violentus motus, v.g. forma, aquę ſic eſt violentus calor inhęrens ſubiecto, quod informat. Intelligitur etiam, paſſum principiū effectiuum, cuius impetus ſeu determinatio in actu primo impeditur, ne in actu ſecundo in actionem prorumpat, hæc enim patiuntur, quando contra illorum exigentiam illis accidens, cui reſiſtunt, vel negatio accidentis, vel actionis, cuius habitum intendebant, contingit.

3 Ad hoc, vt motus dicatur naturalis in vltima acceptione, hoc eſt proueniens à natura, vt natura eſt, non ſufficit prouenire à principio paſſio, aliàs nullus motus naturalis, non eſſet, omnes enim à principio paſſio proueniunt, ſed requiritur, vt proueniat actiuè, & paſſiuè à natura, quia motus formaliter vt motus, dicit ordinem non ſolùm ad principium paſſiuum, ſed etiam ad actiuum, vt probabo lib. 3. Contr. 12. Punct. 6. ac proinde vt adæquatè naturalis ſit, requiritur, vt actiuè, & paſſiuè proueniat à natura, hoc eſt, à compoſito, vel ab aliqua parte compoſiti. Neque ſufficit vt quomodocumque actiuè, & paſſiuè proueniat ab aliqua parte actu componente compoſitum, ſed requiritur, vt proueniat ab illa quatenus ſpecialiter eſt motus, illius compoſiti. Hac ratione motus, quo materia prima quantitatem producit iuxta communem ſententiam, vt cauſa adæquata illius, motus naturalis non eſt, quia non prouenit, à materia prima quatenus eſt in compoſito, quia eandem quantitatem, & eodem omnino modo illam produceret in compoſito, & extra compoſitum, & ita motus ille non dicitur motus compoſiti, in quo eſt materia prima, eadem ratione motus, quo anima producit potentiam intellectiuam motus naturalis non eſt, ſecus motus, quo intellectionem producit motus, naturalis dici debet, quia iuxta communem ſententiam calor receptus in materia prima, & motus ille effectiuè, eſt à forma, & paſſiuè, ſeu ſubiectiuè à materia, & ita actiuè, & paſſiuè prouenit à compoſito ſecundum partes eſſentiales quas dicit.

4 Obiic. ſufficit ad contituendam naturam eſſe principium paſſiuum: ergo ſufficit vt motus ſit naturalis, prouenire à principio paſſiuo, ratione cuius illius ſubiectum natura conſtituitur. Reſpondeo ad rationem naturæ non requiri alium influxum præter paſſiuum, ex parte principij quod natura dicitur, non tamen ſufficere eſſe principium paſſiuum cuiuſcumque motus, ſed motus illius in quo eſt tale principium paſſiuum. Inſtabis, illa particula *eius in quo eſt*, non neceſſariò intelligitur poſitiuè, ſed ſufficit negatiuè iuxta dicta puncto præcedenti: ergo materia prima quatenus principium quantitatis eſt principium motus in ſe ipſa: ergo ſecundùm hanc rationem eſt principium motus quatenus eſt natura, ſicuti de toto ſimplici diximus Puncto præcedenti: Reſp. particulam illam *eius in quo eſt*, poſſe intelligi negatiuè, in motibus, qui poſitiuè pertinent ad totum ſiue ſimplex, ſiue compoſitum, quia ſunt propria illius, vel fiunt dependenter ab illo, quia definitio naturæ datur per ordinem ad motus proprios compoſiti, qui actiuè & paſſiuè proueniunt ab illo influente ſecundùm ſe totum indiuiſibiliter actiuè, & paſſiuè, vel ſecundùm vnam partem eſſentialem actiuè, & paſſiuè, vel actiuè, & paſſiuè ſecundùm eandem partem, dependenter tamen ab vnione ad alteram, vt motus ille proprius dicatur compoſiti, & propriè dici poſſit motus alicuius partis vt exiſtentis in compoſito.

5 Motus violentus dicitur non ſolùm ille, qui eſt contra motum naturalem ſtrictè ſumptum, hoc eſt, prouenientem à natura quatenus natura eſt; ſed qui eſt contra naturalem propenſionem, & determinationem, ſeu exigentiam cauſæ; quia omnis huiuſmodi motus fit vi reſiſtente exigentiæ, ſeu determinationi cauſæ. Contra principiū actiuum dari violentiam nullus negat, ſæpe enim dum agens frigidum intendit producere frigiditatem, coërcetur ab agenti calido, ne talem frigiditatem producat. Eſt dubium inter Doctores contra quæ principia detur violentia: Vaſquez 1.2. diſp. 25. c. 2. Mol. 1. p. q. 12. art. 1. Granados 1.2. diſp. 5. de voluntario negant dari violentum contra principium paſſiuum. Addit Vaſquez, dari non ſolùm contra principium actiuum, ſed etiam formale. Pater Soar. 1.2. diſp. 2. de voluntario ſect. 1. ibid. Monteſ. diſp. 1. q. 1. Cornejo q. 6. diſp. 12. dub. 1. Mart. q. 6. art. 4. tenent dari violentiam contra principium paſſiuum, ſic probant: Materia, vt eſt principium paſſiuum eſt natura: ergo motus, qui eſt contra principium paſſiuum eſt contra naturam: ergo eſt violentus. Non conuincor, quia ſicuti non omnis violentia eſt contra naturam vt natura eſt, ignis enim violentiam patitur, quando impeditur ne calorem producat in paſſo approximato, quem vt non natura producit, ſic non omnis motus, qui eſt contra naturam violentus dici debet, niſi ſit contra naturam poſitiuè reſiſtentem, & inclinatam ad oppoſitum. Sed eſto, motus omnis contra principium paſſiuum violentus ſit. Vnde probant Doctores hi dari motum contra principium paſſiuum?

6 Dico primò, non poſſe dari violentum contra principium paſſiuum ſtrictè ſumptum per receptionem alicuius qualitatis, ſeu formæ poſitiuæ: Probo: Principium paſſiuum poſitiuè influit in formam receptam: ergo forma recepta, & ipſa receptio oritur ab entitate intrinſeca principij paſſiui: ergo non eſt illi violenta, nihil enim quod paſſiuè oritur ab intrinſeco, rei illi violentum eſſe poteſt, quia omne violentum eſſentialiter eſt ab extrinſeco.

7 Dico ſecundò. Non poteſt fieri violentia principio paſſiuo in negatione receptionis alicuius formæ producendæ ab extrinſeco agente, ad quam nullam diſpoſitionem habet. Probo principium paſſiuum non eſt determinatum in actu primo ad illam formam recipiendam per ſuammet entitatem, ſed determinatur per potentiam agentis, quod eſt in actu primo ad illam producendam, & ſi ſint duo agentia in actu primo ad producendas qualitates oppoſitas, determinatur per præſentiā agentis validioris, & non impediti ad ſuum effectum producendū, ſed poſita hac determinatione, non poteſt naturaliter non recipere effectum: ergo poſita hac determinatione, non poteſt naturaliter violentiam pati. Minorem probo, Poſito paſſo ex ſe potente recipere formam, & agenti non impedito ex ſe in actu primo determinato

determinato ad illam formam producendam non poteſt naturaliter effectus non produci : ergo non poteſt non recipi: ergo poſita tali determinatione non poteſt ſubiectum violentiam pati per negationem receptionis : ſed antecedenter ad terminationem cauſæ non poteſt eſſe violentia, quia hæc ſemper eſt contra denominationem ergo in ordine ad has formas principium paſſiuum nullam violentiam pati poteſt.

8 Obiic. Aqua intendens producere frigiditatem, violentiam patitur quando impeditur ab igne, ne talem frigiditatem producat in paſſo : ergo paſſum violentiam patietur quando impeditur ab eodem igne, ne frigiditatem producendam ab aqua recipiat. Nego conſequentiam : diſparitas eſt manifeſta ; aqua in præſentia ignis adhuc ex ſe determinata ad producendam frigiditatem, cuius determinatio in actu primo coërcetur vi actiua ignis, ne in actum ſecundum erumpat: paſſum verò, præſentibus duobus agentibus contrariis tantùm eſt determinatum in actu primo, vt recipiat ab agente extrinſeco validiori, quia cùm ex ſe non ſit determinatum ad hanc formam potiùs, quàm illam oppoſitam recipiendam, ſed indifferens ad vtramque, determinatur extrinſecè ab agente validiori, & ita in præſentia ignis validioris ad producendum calorem, non determinatur adhuc in actu primo ad recipiendam frigiditatem, & ita negatio receptionis illi violenta non eſt.

9 Dico tertiò. Vltima diſpoſitione producta ad aliquam formam violentia fieret principio paſſiuo, ſi illam formam in ſe non reciperet, naturaliter tamen hæc violentia contingere non poteſt. Probo primam partem concluſionis : Subiectum ita diſpoſitum eſt determinatum in actu primo, & exigit receptionem qualitatum; ergo ſi non daretur talis receptio eſſet contra illius exigentiam : ergo eſſet illi violenta negatio talis receptionis. Secundam partem facilius oſtendo: poſita vltima diſpoſitione ad formam, etiamſi nullum ſit agens naturale debet illam producere Deus vt author naturæ, & illam producet, vt patet in productione plurium formarum ſubſtantialium præcipuè viuentium imperfectorum, quæ producuntur à Deo ad exigentiam diſpoſitionum exiſtentium in ſubiecto : ergo non poteſt naturaliter deficere receptio talium formarum, quia Deus naturaliter nunquam deficit in his, quæ illi, vt authori naturæ incumbunt.

10 Dices contra primam partem concluſionis : poſitis diſpoſitionibus ad formam, hanc produci ad exigentiam diſpoſitionum, non ad exigentiam ſubiecti, & ita ſi deficeret talis productio, eſſet contra exigentiam diſpoſitionum, non contra exigentiam ſubiecti, neque aliqua inferretur ſubiecto violentia, ſed tantùm diſpoſitionibus. Contrà : virtus actiua, quæ ex ſe non poteſt producere, neque exigit productionem effectus ſine aliis comprincipiis, & conditionibus, dicitur per ſe ipſam ſimul cum illis conditionibus, & comprincipiis exigere effectum : ergo ſimiliter virtus paſſiua, quæ ſine diſpoſitionibus effectum non exigit, dicetur illum exigere per ſuammet entitatem ſimul cum diſpoſitionibus, quando diſpoſitiones illi adſunt.

11 Effectus formalis duplex eſt, primarius, & ſecundarius: primarius eſt totum compoſitum, ſecundarius expulſio formæ præcedentis. Circa primarium effectum, nulla poteſt dari violentia diſtincta ab illa, quæ principio actiuo intendenti producere formam, & vnionem inferri poteſt. Probo clarè : producta forma, & vnione adhuc de potentia Dei abſoluta non poteſt impediri naturaliter primarius effectus, videlicet compoſitum, & totum conſtitutum : ergo tantùm poteſt impediri totum compoſitum, quatenus poteſt impedire productio formæ, & vnionis : ergo nulla alia violentia poteſt dari in negatione huius effectus præter illam, quam, immediatè patitur agens intendens producere formam & vnionem : ergo nunquam datur violentia immediatè contra principium formale in ordine ad primarium effectum, præter illam, quæ datur contra principium productiuum formæ, & vnionis, ex quibus neceſſariò reſultat.

12 Obiicies : Quando accidens eſt extra ſubiectum petit illud informare : ergo tunc fit violentia contra principium formale. Diſtinguo antecedens, accidens extra ſubiectum conſtitutum petit illud informare exigendo immediatè productionem informationis, & media illa ſuum formalem effectum, concedo ; exigendo immediatè effectum formalem, non exigendo immediatè vnionem, ex quo reſultat produci à principio effectiuo, nego, ergo fit violentia contra principium formale ; diſtinguo conſequens quatenus impeditur productio actiua vnionis, quam forma moraliter exigit, vel in cuius productionem actiuè propendet, ſi habet talem virtutem, concedo: quatenus immediatè effectus formaliter, nego.

Circa effectum formalem ſecundarium exiſtimo non 13
poſſe dari violentiam ſtrictè ſumptam ; poſſe tamen de potentia Dei abſoluta dari violentiam nonnullam, non contra influxum aliquem moralem. Hæc concluſio fiet perſpicua attento modo, quo effectus formalis ſecundarius, expulſio formæ videlicet, dependet à forma. Suppono, quod poſtea probabo Controuerſ. 8. Punct. 3. formam tantùm expellere aliam exigendo, ne Deus vltra illam conſeruet, ſed vt Deus ſubtrahat concurſum, quem antea præſtabat, quo poſito ſic argumentor: Expulſio formæ non prouenit ab alia forma contraria phyſicè, ſed moraliter : ergo ſi impediatur talis expulſio non impeditur effectus, in quem forma phyſicè influere intendebat : ergo non impeditur effectus immediatè ab ipſa forma efficiendus, ſed à Deo : ergo non fit contra influxum phyſicum, quem intendebat, ſed contra exigentiam moralem, quam habet : ergo non eſt propria violentia, ſicuti eſt quando impeditur ignis à productione, quam ipſe non tantùm exigeret, ſed phyſicè præſtaret, ſi non impediretur ab alio agente. Poſſe dari ſupernaturaliter hanc violentiam conſtabit ex dicendis Controu. 8. Punct. 2. vbi probabo poſſe Deum formas ex ſe incompoſſibiles naturaliter conſeruare. Naturaliter hanc violentiam non poſſe contingere vt certum ſuadeo, quia naturaliter non poſſunt formæ incompoſſibiles in eodem ſubiecto conſeruari. Neque calor exiſtens in aqua eſt contra effectum formalem, quem intendit forma aquæ, quia neque impedit effectum formalem primarium, neque ſecundarium illius, ſed tantùm eſt contra impetum actiuum formæ aquæ, ex vi cuius intendit producere frigiditatem, à qua productione arcetur per informationem caloris impedientis productionem aquæ. Vnde ex parte caloris hæc reſiſtentia eſt formalis in ordine ad frigiditatem, quæ produceretur, quæ violentiam non patitur, quia nondum exiſtit, reſpectu tamen formæ aquæ, quæ patitur violentiam, etſi ex parte caloris ab eadem informatione proueniat, eſt contra virtutem actiuam aquæ, quia vt latè dicam Controu... *de generatione*, reſiſtentia formalis non cum alia formali, ſed cum actiua digladiatur. Ratione huius reſiſtentiæ ſolet dici accidens violentum ſubiecto cui inhæret, quod intelligendum eſt formaliter per ſe ipſum de ſubiecto, ex quo educitur, quia ſemper naſcitur ex virtute intrinſeca illius, & nihil ortum ab intrinſeco violentum eſſe poteſt virtuti, à qua naſcitur, ſed reſpectu formæ quam habet tale ſubiectum, vel quatenus talis forma impedit aliam, in cuius negatione conſiſtit violentia illata ſubiecto, non in poſitiua receptione illius quam actu recipit.

Ex his concludo motum naturalem quatenus naturale 14
dicit quod prouenit à natura, vt natura eſt, eſſe illum, qui actiuè, & paſſiuè prouenit à compoſito indiuiſibiliter, vel actiuè ab vna parte, & paſſiuè ab alia, vel actiuè & paſſiuè ab eadem parte dependenter tamen à compoſito, ſeu quatenus eſt in compoſito modò explicato, num. 3. Motus naturalis quatenus poſitiuè opponitur violento eſt motus receptus in ſubiecto antecedenter intrinſecè determinato ad illum, ſicuti eſt materia prima ad recipiendum ſuam quantitatem, & aqua ad frigiditatem, quæ recipiuntur iuxta exigentiam intrinſecam principij paſſiui, qua ſubiectum eſt determinatum, vel per ſuam entitatem, vel per formam cum qua totum ſubſtantiale componit, eodem modo dicetur naturalis motus, quo materia vltimò diſpoſita recipit formam ſubſtantialem, cuius receptio debetur principio paſſiuo, vt dixi n. 8. Motus violentus dicitur ille, qui eſt contra exigentiam formæ ſubiecti, in quo eſt, ſicuti calefactio recepta in materia prima aquæ, & qui inducit negationem in proprio ſubiecto alicuius effectus, in quem ſubiectum propendebat, ſicuti præſentia lapidis ſurſum, quæ negationem inducit præſentiæ deorſum, ad quam lapis erat determinatus, quia licet hi motus ſecundùm ſe præciſè violenti non ſint principio paſſiuo, à quo intrinſecè oriuntur propter rationem dictam vt violenti dicantur, ſufficit ipſos inducere negationem formaliter violentam paſſo vel formæ, cum qua paſſum vnum conſtituit. Motus medius eſt, qui nec ſecundùm ſe, nec ſecundùm aliquid, quod inducit eſt contra

Digitized by Google

exigentiam ſubiecti, aut formæ, cùm qua ſubiectum totum componit, neque oritur ex determinatione intrinſeca, quam ſubiectum habet ad illum, ſed tantùm ex determinatione agentis per accidens applicati, per quam extrinſecè tantùm determinatur ſubiectum ad illum. Talis eſt motus lucis in aëre, cuius receptio, neque eſt contra exigentiam formæ aëris, neque impedit aliquem effectum in quem materia, vel forma aëris propendet, neque oritur ex aliqua determinatione, quam habet ad illam ſubiectum per ſuam entitatem, vel per formam illi inhærentem, ſed tantùm per præſentiam luminoſi determinatur aër ad lucem in ſe recipiendam.

PVNCTVM IV.

An creatura poſſit à Deo violentiam pati.

1 NOſter P. Pereira lib. 7. Philoſoph. cap. 8. negatiuè reſpondet. Affirmant P. Suarez 3. part. quæſt. 44. artic. 2. P. Vaſquez 1. 2. diſp. 25. cap. 4. P. Fonſeca & ferè omnes recentiores.

2 Dico primò: Si Deus imprimat impulſum lapidi, medio quo lapis deorſum aſcendat, vel introducat calorem in aqua, medio quo illius natiuam frigiditatem remoueat, violentiam infert his creaturis medio calore, & impulſu, eodem modo ac illans imprimeret quodlibet aliud agens naturale, quod ſimiles qualites produceret. Idem intellige de quacumque alia entitate à Deo producta, quæ ab agenti naturali producta eſſet violenta ſubiecto. Ratio præſto adeſt: calor in aqua, & ſic aliæ ſimiles entitates, ex ſe eſt illi violentus non ratione actionis, media qua producitur, vel agentis à quo dimanat: ergo à quocumque agente producatur, erit eodem modo violentus, cùm agens per per ſe formaliter non inferat violentiam, ſed per effectum ab illo productum. Confirmatur; aqua ex ſe repugnantiam habet cum calore, quatenus ab illa prohibet produci frigiditatem: ſed eodem modo prohibet illam produci calor productus à Deo, & ab agente naturali: ergo eandem repugnantiam habet cum vtroque calore: ergo vterque calor æquè eſt illi violentus.

3 Dico ſecundo: Etiamſi Deus non concurrat cum cauſa ſecunda, v. g. cum lapide exiſtente in medio aëris, vt moueatur deorſum præcisè per negationem concurſus nullà illi propriè, & ſtrictè violentiam infert. Probo: violentia non fit niſi cauſæ exiſtenti in actu primo ad operandum, ſed quando Deus ex ſe denegat concurſum, cauſa ſecunda non eſt in actu primo ad operandum: ergo non illi volentiam infert. Minorem probo: vnum ex requiſitis ad operandum eſt omnipotentia applicata, vt operetur cum cauſa ſecunda: ſed quando Deus ex ſe denegat concurſum, omnipotentia non eſt applicata: ergo non habet cauſa ſecunda omnia requiſita ad operandum. Maior certa eſt, quia omnis effectus dependet ab omnipotentia liberè operante: ergo dependet ab actu Dei, quo omnipotentia liberè determinatur vt operetur. Minorem oſtendo: omnipotentia applicatur per actum, quo Deus vult liberè operari quatenus eſt ex ſe, vel per negationem actus, quo decernat non operari antecedenter ad omnem cauſam ſecundam exigentem negationem operationis; ſed quando Deus ex ſe nulla cauſa exigente negationem operationis decernit non concurrere, non habet actum, quo ex ſe velit operari, neque negationem actus, quo Deus ex ſe determinetur ad non operandum: ergo omnipotentia non eſt applicata ad operandum cum cauſa ſecunda: ergo cauſa ſecunda non eſt in actu primo ad operandum: ergo illi non infertur violentia in negatione talis concurſus.

4 Dices cauſam ſecundam quatenus eſt ex ſe habere omnia requiſita ad operandum, ac proinde quando omnipotentia non applicatur illi violentiam inferri. Contra: mea potentia viſiua quatenus eſt ex ſe habet omnia requiſita ad videndum colorem, cuius ſpeciem non habet, ex defectu cuius illum non videt, & negatio talis viſionis illi violenta non eſt, quia potentia viſiua dependet à conſortio ſpeciei, vt viſionem eliciat: ergo licèt cauſa creata habeat ex ſe omnia requiſita ad effectum, quatenus eſt ex ſe, cùm eſſentialiter in operando dependeat ab omnipotentia, non illi violentia inferetur, ſi non habet omnipotentiam applicatam, à qua eſſentialiter in operando dependet. Vrgeo Quando Deus non applicat omnipotentiam, vel violentiam infert cauſæ ſecundæ immediatè per negationem concurſus, vel per negationem applicationis; nullo modo ergo. Probo primam partem antecedentis: non applicata: omnipotentia implicat cauſam ſecundam immediatè in actionem prodire, ad quam ſine conſortio omnipotentiæ applicatæ non eſt adæquatè potens: ergo negatio operationis non poteſt illi eſſe immediatè violenta. Probo conſequentiam: entitati non potenti adæquatè operari non poteſt eſſe violenta negatio operationis, quia entitas impotens ad operandum non propendet in operationem, propenſio enim eſſentialiter dicit potentiam adæquatam: ſed entitas cauſæ ſine omnipotentia applicata non eſt adæquatè potens operari: ergo non habet propenſionem ad operationem: ergo negatio operationis non eſt illi violenta. Secundam partem concluſionis, videlicet Deum non inferre violentiam in negatione applicationis; ſic ſuadeo. Applicatio omnipotentiæ eſt actus voluntatis Dei, vel negatio actus, quo ex ſe decernat non concurrere cum cauſa creata: ſed talis poſitiuus actus, aut talis negatio non eſt effectus phyſicè præſtandus à cauſa ſecunda: ergo negatio applicationis, ſiue applicatio conſiſtat in actu poſitiuo diuinæ voluntatis, ſiue in negatiuo, non eſt negatio alicuius effectus, quem cauſa ſecunda phyſicè intendat producere: ergo cauſæ ſecundæ nulla infertur propria & ſtricta violẽtia per negationem talis applicationis. Probo conſequentiam: violentia non poteſt conſiſtere in negatione illius, quod non eſt effectus cauſæ ſecundæ, in cuius phyſicam productionem propendeat cauſa ſecunda: ſed applicatio omnipotentiæ non eſt effectus in cuius productionem cauſa ſecunda propendeat; ergo illius negatio propriè, & ſtrictè non poteſt eſſe violenta cauſæ ſecundæ. Maior probatur ex definitione violenti, quæ debet eſſe contra internum impetum, vim, & conatum, qui non reperitur, niſi in cauſa reſpectu effectus ab illa producendi. Minorem probaui; conſequentia eſt legitimè deducta.

Dico tertiò: Deus aliqualem violentiam infert creaturæ latè, & impropriè, quando ex ſe illi concurſum denegat. Probo: etiamſi omnipotentia applicata non ſit in actu primo ad operandum, creatura petit non per conatum, quem habet ad applicationem tanquam ad effectum, ſed per indigentiam, quam habet tàlis applicationis hanc applicationem exhiberi à Deo: ergo ſi Deus illam non præſtat, faciet contra indigentiam cauſæ, cui ex vi authoris naturæ ſuccurrere debeat, eo enim ipſo quod creauit lapidem cum potentia ad operandum dependentem ab omnipotentia, tenetur talem omnipotentiam præſtare, quam ſi non præſtet, perinde eſt ac ſi lapidi potentiam ſe mouendi non dediſſet, quapropter hanc applicationem donum creationis appellant Theologi, quia eſt complementum ipſius creationis, largitioniſque potentiarum: ergo ſi hanc applicationem Deus non exhibeat, etiamſi nullum effectum principio potenti operari immediatè deneget, denegat virtuti ex ſe operatiuæ id, quod indiget, & quod Deus illi tenetur præſtare ex vi creationis, vt illius donum ſit adæquatè completum, & ne potentia operatiua entitati collata, perinde ſe habeat reſpectu creaturæ, ac ſi illi non ineſſet: ergo aliquam violentiam latè infert, non quia faciat contra exigentiam, quam habeat cauſa, ſed contra illius indigentiam, quia virtus operatiua non alio modo petit applicationem ad operandum, quàm per ſui indigentiam, & quaſi per miſeriam ſui, quæ ſine tali applicatione non poteſt operari, ſemel tamen iam conſtituta adæquatè potens operari non petit effectum præcisè per indigentiam, ſed per exigentiam, & conatum, quem habeat ad producendum effectum, etiamſi illo non indigeat, ſicut ignis exigit producere calorem in paſſo extraneo applicato, quo calore nullo modo indiget. 5

Ex his inferes quòd ſi Deus, poſtquam antecedenter decreuiſſet non concurrere cum aqua, vt frigiditatem produceret, in illa calorem produceret, talem calorem in actu ſecundo violentum non eſſe futurum aquæ, quia vt probaui Puncto præcedenti, calor tantùm eſt violentus aquæ quatenus impedit productionem frigiditatis, quam aqua poteſt, & intendit producere: ſed in illo caſu aqua non poſſet, neque intenderet producere frigiditatem: ergo calor non impediret productionem frigiditatis, quæ deficiente calorem eodem modo non produceretur ex defectu applicationis cauſæ primæ ad operandum cum ſecunda. 6

Obiicies primò, vt probes, Deum nullo modo poſſe violentiam 7

violentiam inferre creaturæ. Omnis creatura habet propenſionem, vt obediat Deo: ergo quilibet effectus à Deo in creatura productus, eſt iuxta illius propenſionem: ergo nullus poteſt illi eſſe violentus. Reſpondeo creaturam habere potentiam obedientialem, in his, quæ ſunt contra illius naturam, quæ potentia obedientialis componitur cum violentia reſpectu effectus, quia creatura obedit Deo in his, cuius oppoſitum ipſa ex ſe intendebat, contra ſuam propenſionem & inclinationem, ac proinde cum violentia. Ad argumentum in forma negandum eſt antecedens, aliud enim eſt capacitas & potentia obedientialis ad obediendum Deo, aliud propenſio. Obedientialis potentia ſeu capacitas datur in creatura reſpectu effectuum qui ſunt contra illius propenſionem, propenſio verò dari nequit ad actus oppoſitos, illis in quos creatura ex ſe propendet.

8 Obiicies ſecundò: Siue Deus impediat effectum media forma poſitiua, ſiue per ſubtractionem concurſus eundem impedit effectum, & eodem effectu manet priuata potentia: ergo eandem infert violentiam. Reſpondeo Deum in vtroque caſu eundem impedire effectum, ſed diuerſo modo, quia quando illum impedit per negationem concurſus, impedit effectum in quem proximè cauſa non propendet, ac proinde illum non impedit contra propenſionem cauſæ; quando verò illum impedit per introductionem formæ incompoſſibilis, impedit effectum contra propenſionem cauſæ, quam proximè habet in talem effectum, ac proinde in primo caſu illum non impedit cum violentia, cum qua illum impedit in ſecundo. Eſt enim violentiam inferre impedire effectum in quem cauſa proximè propendet, quod Deus facit in ſecundo caſu, in quo permanente propenſione ex parte actus primi impedit actum ſecundum, non in primo, in quo ex ſe concurſum denegat, in quo caſu propenſionem remouet remouendo potentiam ſine cuius applicatione non eſt virtus adæquata ad effectum, neque propenſio per modum actus primi.

9 Obiicies tertiò: Aquæ, dum habet calorem conſeruatum à fortiori agenti, non debetur productio frigiditatis: ergo non illi infertur violentia in negatione productionis. Diſtinguo antecedens; non debetur productio frigiditatis ex eo quod illam non exigat, nego: non debetur, ex eo quod contrarium agens conſeruans calorem, vel ipſe calor fortiùs exigat conſeruationem caloris, & conſequenter negationem productionis frigiditatis, quam exigit aqua productionem eiuſdem frigiditatis, concedo: deinde nego conſequentiam. Ratio eſt, quia adhuc præſente contrario aqua exigit frigiditatem producere, cuius exigentia ſi effectum non habet, quia contrarium oppoſitum exigit, violentiam patitur ortam ab exigentia contrarij, ratione cuius non debet cum illa concurrere Deus, qui tantum debet ex vi cauſæ primæ concurrere cum illo agente, quod fortius in ſuum effectum propendet, etiamſi alterum violentiam patiatur à contrario fortiori, quod impedit affectum, in quem propendebat agens, quod violentiam patitur.

10 Obiicies quintò ex D. Paulo ad Romanos: Deo operanti nihil reſiſtere: ſed vbi non eſt reſiſtentia, non eſt violentia: ergo operante Deo nulla creatura violentiam patitur. Reſpondeo cum P. Vaſquez, Deo operanti nihil reſiſtere cum victoria, ita vt illius actionem impediat, quod tantùm vult Paulus, ſæpè tamen creaturam reſiſtere, ſed fruſtrà, quæ reſiſtentia reſpectù omnipotentiæ vix talis dici poteſt, ſufficiens tamen eſt, vt ratione illius creatura violentiam patiatur.

11 Obiicies ſextò contra ſextam concluſionem: Si Deus tantùm infert violentiam, quando cauſa ſecunda habet omnipotentiam applicatam, ſequitur creaturam nunquam violentiam pati, etiam quando illius effectus impeditur à cauſa ſecunda. Conſequens eſt falſum: ergo antecedens. Sequelam probo: quotieſcumque cauſa ſecunda non operatur, omnipotentia non eſt applicata ad operandum: ergo non patitur violentiam cauſa ſecunda. Probo antecedens, quotieſcumque cauſa ſecunda non operatur non habet Deus actum, quo velit omnipotentiam concurrere cum cauſa ſecunda: ſed omnipotentiæ applicatio conſiſtit in hoc actu: ergo quotieſcumque creatura non operatur, non habet applicatam omnipotentiam. Alio modo idem fit argumentum. Applicatio omnipotentiæ conſiſtit in actu, quo Deus vult concurrere cum cauſa ſecunda, ſed quotieſcumque vult concurrere cum cauſa ſecunda, de facto concurrit: ergo quotieſcumque omnipotentia eſt applicata ad aliquem effectum, de facto exiſtit effectus: ergo creatura nunquam patitur violentiam per negationem effectus, ad cuius productionem habeat omnipotentiam applicatam, quia talis negatio nunquam exiſtit. Plena huius argumenti ſolutio exigebat doctrinam non paucis explicandam de modo, quo Deus ſuam omnipotentiam applicet ad concurrendum cum cauſis ſecundis. De qua applitione reſpectu effectus liberi producendi dicam Controu. 10. Punct. 4.

Modò ex ibi dicendis Reſpondeo applicationem ad effectum liberum producendum non conſiſtere in actu, quo Deus velit productionem illius actus independenter à libertate voluntatis, aut neceſſariò connexo cum productione, ſed indifferenti, ita vt illo oppoſito adhuc poſſit eſſe, & non eſſe effectus ad quem Deus ex vi talis actus omnipotentiam applicat. Quod ſi per decretum ſimile non abſolutè efficax, ſed dependenter ab exiſtentia, vel non exiſtentia cauſæ impedientis reſpectu effectus præſtandi, Deus applicaret ſuam omnipotentiam ad effectum neceſſarium, ita cum tali actu poſſet componi negatio effectus, & argumenta ſupra facta nullam difficultatem haberent. Sed do Deum non habere ſimile decretum reſpectu effectus producendi à cauſa neceſſaria, ſed ita abſolutè efficax, vt illo poſito non poſſit non eſſe effectus, & in hoc caſu reſpondeo omnipotentiam eſſe applicatam virtualiter ad effectum producendum caſu, quo illum non producit ratione contrarij exigentis productionem oppoſitam, præciſè per negationem decreti, quo Deus decernat antecedenter ad exigentiam contrarij denegare concurſum, quia eo ipſo quo Deus illum tantùm neget, ex eo quod contrarium exigit talem negationem virtualiter Deus eſt præparatus ad illum præparandum, caſu quo contrarium oppoſitum non exigeret, & hanc applicationem virtualem omnipotentiæ ſufficere, vt cauſa ſecunda violentiam patiatur à contrario, quia ex illa ſequeretur formalis, ſi agens contrarium non adeſſet, ac proinde negatio effectus non oritur ex defectu applicationis omnipotentiæ, quia hæc præſto adeſſet, ſi contrarium agens vel forma incompoſſibilis cum effectu illum non impediret, ſed ratione impedimenti, ſeu contrarij agentis ex cuius præuiſione Deus non applicat formaliter omnipotentiam, quam virtualiter applicat eo ipſo, quod ex ſe illam non remoueat independenter ab exigentia contrarij, & formaliter applicaret contrario fortius non exigente negationem effectus, ad quem omnipotentia erat applicanda. 12

CONTROVERSIA VII.

De cauſis in communi.

AGGREDIMVR tractationem rei, ſi quæ eſt in tota Philoſophia, ſcitu digniſſimam, vix enim in illa, imò neque in Theologia quæſtionem notabis, in qua tibi non occurrat prioritas cauſæ dependentia effectus ab illa, cauſandi genus.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit cauſa?

§. I.

Aliorum ſententia.

NVllam cauſæ definitionem tradidit Ariſtoteles in hoc lib. neque 5. Metaphyſic. cap. 2. vbi ex profeſſo de cauſis diſputauit, ideò omnibus datum eſt, ex proprio Marte rationem communem cauſæ definire, quo nihil exitialius, nulla enim lex eſſe poteſt, vbi legiſlatores ſunt omnes, neque communem aliquam auſcultant latam à Principe, cui auſcultent omnes. Conimbr. 2. phyſic. cap. 7. quæſt. 1. ita definiunt, *Cauſa eſt id, à quo aliquid per ſe dependet.* Quam definitionem mutuati ſunt ex P. Fonſec. Metaphyſic. 1. cap. 7. quæſt. 1. P. Pereira lib. 8. Philoſophiæ 1

Digitized by Google

Philoſophiæ c.1.cauſam ſic deſcribit: *Cauſa eſt, quæ in ſuo genere per ſe,& principaliter concurrit ad ſuſtentandum effectum.* Parum à Pereira diſcrepat P. Rubius lib. de cauſis,n.15. ita definiens:*Cauſa eſt per ſe influens in effectum.*P.Suarez diſp.12. Metaphyſic. ſect. 2. cauſam deſcribit, *Principium per ſe influens eſſe in aliud.* Arriaga ſic definitionem omnibus faciliorem tradidiſſe putat:Cauſa *eſt quæ per ſe influit producendo eſſentiam.*Valeſ.cap.7.text.68. hanc definitionem ex Ariſtotele putat deducere: Cauſa *eſt id propter quod eſt aliud.* Alij acuti recentiores cauſam definiunt: *Principium cum prioritate naturæ in aliud influens.*

2 Vna eademque difficultas Doctores omnes in varias traxit ſententias, nullámque cauſæ definitionem non nobis difficilem reddit. Fide ſanctum eſt Patrem æternum eſſe principium influens in Filium, producens perſonalitatem Verbi, ratione cuius Verbum dicitur à Patre productum, Patres omnes Latini hoc nomen cauſæ in diuinis exoſum habent, aſſerúntque Patrem dicendum non eſſe cauſam Filij, licet Græci omnes pleno ore Patrem Filij cauſam appellant. Nobis cum Patribus Latinis eſt ſentiendum, & loquendum, ex quo tota in hac materia inſurgit difficultas, quæ tota eſt in aſſignanda aliqua definitione, quæ conueniat omnibus principiis creatis, quæ per ſe verè influunt in ſuos effectus, & non conueniat Patri reſpectu Verbi, neque Patri,& Filio reſpectu Spiritus ſancti, quia neque Pater dicendus eſt cauſa reſpectu Filij, neque Filius dicendus eſt effectus reſpectu Patris. Sicuti neque Pater,& Filius dicendi ſunt cauſa, ſed principium Spiritus ſancti, neque Spiritus ſanctus effectus reſpectu ſui principij. Præter hanc difficultatem nulla poteſt contra has definitiones adduci, quæ ponderis aliquid contineat: percurro ſingulas.

3 Conimbricenſes à ſua definitione excludunt conditiones, & diſpoſitiones, ſine quibus non poteſt eſſe effectus per illam particulam *per ſe*, quia effectus non dependet per ſe à conditionibus. Per illam particulam *dependet*, excludunt ſecundam,& tertiam perſonam Trinitatis, quæ non dependent,ſed procedunt, Filius enim non poteſt dici dependens à Patre. Ab hoc vltimo incipio quod maioris eſt momenti: cur Filius, qui ſine Patre eſſe non poteſt, & ita ab illo producitur, vt non poſſit non exiſtere ab illo productus, & qui per locum intrinſecum repugnaret, ſi Pater repugnaret, dicendus non eſt, dependens à Patre?Cur non dicetur dependere ab alio, illud, quod ſine illo eſſe non poteſt, & à quo procedit tanquam a principio per ſe influente? Dices dependentiam dicere diſtinctionem naturæ in termino dependenti, quam non habet Filius reſpecta Patris, & ob hanc rationem non poteſt dici Filius reſpectu Patris, & ob hanc rationem non poteſt dici Filius ab illo independens. Non nego, ſed rogo ex quo capite probas dependentiam dicere naturam diſtinctam in termino dependenti,ab illo,à quo dependet? id tibi ſupponis non dato fundamento, vt tuam definitionem integram ſerues. Sed eſto: ignotior nobis eſt natura dependentiæ natura cauſæ, vel ſaltem æquè ignota, vnde non rectè per dependentiam cauſam explicas, qui poſſes per diſtinctionem naturæ inter cauſam, & effectum, per quam explicas dependentiam,naturam cauſæ breuiùs & clariùs nobis patefacere. Neque omnino conditiones cenſeo excludi per illam particulam *per ſe*, quæ tantùm opponitur cum illo, quod ſe habet per accidens reſpectu effectus, conditiones autem non ſunt per accidens, ſed per ſe requiſitæ ad effectum. Secundò illud *per ſe*,non ponitur in definitione ex parte principij; ſed ex parte termini, qui à principio procedit,quo poſito ſic argumentor.Modus vnionis per ſuamet entitatem eſt affixus extremis, quorum eſt vnio, & illi repugnat ex intrinſecis prædicatis exiſtere ſine extremis: ergo per ſe dependet ab illis: ergo hæc definitio conuenit extremis reſpectu modi,quo vniuntur,ex eo præciſè,quod ſint illius extrema, ex quo capite non ſunt illius cauſa; ſunt enim plura extrema vnita, quæ nullam cauſalitatem propriam exercent circà vnionem, qua annectuntur.

4 Patres Pereirus, & Rubius rectè principia omnia, quæ cauſalitatem propriam non exercent, conditiones, & diſpoſitiones excludunt à ſuis definitionibus per illas particulas *per ſe influens*, quia priuatio; quæ principium generationis dicitur per accidens ſe habet ad generationem, vel ſaltem ad actionem productiuam termini, vel ad terminum productum, reliquæ conditiones non influunt, ſed requiruntur,vt influat principium, quod dicitur cauſa, potius videtur redundare in vtraque definitione illa particula *per ſe*, quia omne quod influit, per ſe influit,& illa, quæ per accidens ſe habent nullo modo dicuntur influere. In definitione Pereiræ plura videntur redundare: particula illa *in ſuo genere*,neceſſaria non erat,quidquid enim influit, influit in ſuo genere:demerem ego etiam illam particulam *principaliter*, præcipuè ſi auferenda non eſſet illa particula *per ſe*,quidquid enim per ſe influit,& quidquid influit habet totam rationem principij principalis ad rationem cauſæ requiſitam: particula illa *ad ſuſtentandum*,mihi ſonat genus cauſæ materialis, cuius proprium eſt,non efficientis effectum ſuſtentare. Hæc definitio Rubij emendat: videamus quomodo ſcopum vincant, ad quem reliquæ alliduntur definitiones.Excludunt Patrem à ratione cauſæ reſpectu Filij, & Patrem, & Filium reſpectu Spiritus ſancti, per illam particulam *effectum*, quia neque Filius, neque Spiritus ſanctus dicuntur effectus reſpectu proceſſionum quas terminant,& ex vi quarum producuntur. Non inficior Verbum, & Spiritum ſanctum non poſſe dici *effectus*, quia effectus dicit quid creatum, ſeu factum, quod de Verbo, & Spiritu ſancto dici non poteſt,teſte Athanaſio.Cæterùm horum definitionum Authores,ſe in tuto collocarunt,nobiſque naturam cauſæ æquè ignotam reliquerunt, cùm enim effectus, & cauſa relatiuè dicantur, æquè difficile eſt naturam effectus inquirere,& eſſentiam cauſæ perſcrutari; itaque etſi firmum Catholicúmque ſit Verbum non eſſe effectum, æquè nos latet ratio propter quam Verbum non ſit effectus Patris,& propter quam Pater non ſit cauſa Verbi, & æquè explicatu difficile eſt, quid dicat conceptus effectus, qui non conuenit Verbo ſupra conceptum procedentis à principio,qui rectè de Verbo dicitur. Et quid dicat conceptus cauſæ,qui primæ perſonæ reſpectu ſecundæ non conuenit ſupra conceptum principij influentis,qui dicitur de prima perſona reſpectu ſecundæ.

Definitio Patris Suarij excludit primam Trinitatis perſonam à ratione cauſæ reſpectu ſecundæ per illam particulam *in aliud*: Filius enim non poteſt dici aliud à Patre, quia Verbum *aliud*, ſignificat non quamcumque diſtinctionem, ſed ſpecialiter diſtinctionem naturæ. 5
Mitto Verbum eſſe aliud ſuppoſitum à Patre, & argumentor ſic: illud *aliud* in quod debet influere principium, vt dicat cauſa, vel dicit naturam aliam quam nos naturam vocamus, vt diſtinctam à perſonalitate,vel dicit aliam eſſentiam, quatenus eſſentia dicit conceptum quidditatiuum rei, qui conuenit naturæ, perſonalitati, & cuicumque accidenti. Si dicit aliam naturam, vt diſtinctam à perſonalitate,ſequitur naturam creatam influentem actiuè, & paſſiuè in propriam ſubſtantiam, adhuc non eſſe futuram cauſam ſubſiſtentiæ, quia non influit in aliud, ac proinde meam ſubſiſtentiam de facto non habere cauſam materialem, quia hæc non poterat eſſe alia præter meam naturam, hæc autem,etſi de facto ſit principium paſſiuum, illius cauſa dici non poterit, quia dum influit in ſubſiſtentiam, non influit in aliud, hoc eſt,in aliam naturam. Si illud aliud dicat alium quidditatiuum conceptum,ſubſiſtentia Filij producta diſtinguitur à perſona producente, & habet proprium conceptum quidditatiuum, & hac ratione reſpectu illius,principium à quo procedit propriè cauſa dici poſſet. Eodem omnino modo reiicienda eſt definitio ab Arriaga adducta, quæ in nihilo differt à definitione P. Suarij.

Valleſij definitio leuiori opera detruditur:Verbum enim *propter*, ſi ſtrictè ſumatur tantùm cauſam finalem propter quam reliqua fiunt, ſignificat: ſi ab illius ſtricta ſignificatione diſcedamus, latiſſimè patet illius ſignificatio, non enim ſolùm effectus propter cauſas exiſtere dicere ſolemus,ſed etiam cauſas propter effectus,& communi proloquio inter Philoſophos dicitur: *eſſe eſt propter operari.* Neque inuenietur ratio aliqua propter quam potiùs poſſet dici lux propter ſolem, quàm Verbum propter Patrem. 6

Abſtruſioribus fundamentis ex Theologia petitis, & in Philoſophia non alienis à communi ſententia ſuam definitionem architectantur recentiores:ſupponunt ex Theologia principium productiuum in Patre non diſtingui formaliter ab ipſa productione actiua, & ab ipſo actuali influxu,& primam perſonam Trinitatis conſtitui formaliter, vt actiuam per generationem, ita vt non ſit priùs in aliquo ſigno rationis, Patrem eſſe potentem generare Filium, & eſſe actu generantem. Neque in Patre, & Filio priùs eſſe 7

eſſe principium ſpiratiuum, quàm ſpirationem ipſam, ſed principium conſtitui per ipſam actiuam ſpirationem. Sumunt ſecundò ex Philoſopho aliud principium, videlicet de ratione cauſæ eſſe prioritatem naturæ reſpectu effectus. Ex quibus inferunt Patrem non eſſe cauſam reſpectu Filij, neque principium ſpiratiuum reſpectu Spiritus ſancti, quod ſic probant. Pater non poteſt concipi, vt principium Filij, quin concipiatur actu generans, ſed vt actu generans non poteſt eſſe prior natura filio: ergo vt principium non eſt prius natura: ergo non eſt cauſa, quia de ratione cauſæ eſt prioritas naturæ reſpectu effectus. Patrem, vt generantem non eſſe priorem natura, probant ratione, qua probabo influxum, & actionem non eſſe priorem natura reſpectu effectus creati, quia videlicet non poteſt eſſe, neque concipi ſine effectu: illa autem quæ natura ſunt priora, poſſunt eſſe ſine illo, quod poſterius eſt, vt latiùs Puncto ſequenti. Ex quo infertur Patrem vt generantem non eſſe Priorem natura Filio, quia vt generans includit actualem generationem, quæ non poteſt eſſe neque concipi ſine termino genito, & conſequenter neque vt principium habet hanc prioritatem, quia prima perſona, vt prima perſona, & vt principium Filij, & vt generans Filium formaliter dicit eundem indiuiſibilem conceptum, quod ſi Pater non eſt principium prius natura Filio; neque cauſa illius propter rationem iam dictam, quam Philoſophi omnes admittunt aſſerentes, cauſam eſſentialiter dicere prioritatem naturæ reſpectu effectus.

8 Hæc ſententia acutè ſatis ad ſpeciem rem componit, ſed præterquam quod iuxta principia metaphyſica difficultatibus non careat, quòd mihi maioris eſt momenti, longè abeſt à mente Patrum, & à ratione, propter quam primæ perſonæ Trinitatis rationem cauſæ reſpectu ſecundæ negant. Id primò diſplicet in hac ſententia, quod rem certam inter omnes Patres Latinos, & inconcuſſam inter Theologos dependentem facit à quadam opinione dubia ſatis, quam plurimi Theologi impugnant, præcipuè Pater Vaſquez, qui primam perſonam, & principium generandi per aliquid prædicamentaliter abſolutum, & tantùm tranſcendentaliter relatum conſtituit, iuxta quam ſententiam ruit tota doctrina, & fundamentum, quo denegant hi recentiores primæ perſonæ veram rationem cauſæ. Audio illos reſpondentes ſe iuxta propria principia, & ſententiam, quam defendendam ſuſcipiunt, rectam definitionem cauſæ tradidiſſe, neque illorum eſſe iuxta ſententias quas impugnant definitiones componere. Solutionem admitterem, ſi in rebus æqua probabilitatis lance libratis hac propriæ doctrinæ conſequentia ſe tuerentur hi recentiores, in præſentiarum verò, inter omnes Latinos ſanctum eſt nomine cauſæ in diuinis vtendum non eſſe; illam verò recentiorum opinionem, licet aliqui Theologi defendant, nullus illam tuetur, tanquam quid neceſſarium ad retinendas Patrum loquutiones, neque illi adhæſit, ne adhuc verbis à Patribus diſcederet, ideóque non rectè hac doctrinæ conſequentia ſe protegunt hi recentiores, illa enim, quæ ab omnibus ſunt deguſtanda, ad proprium condiri palatum par non eſt. Interrogo hos recentiores an aliquando noſtrum Vaſquium conſtituentem primam perſonam Trinitatis per aliquid abſolutum, aliquando impugnauerint, quia ex opinione illius inferatur Patrem eſſe cauſam Filij, vel apud quem Patrum legerint, principium generandi conſtituendum eſſe paternitatem, ne dicatur cauſa Verbi geniti. Nullus de hac conſtitutione metaphyſica meminit, neque diſſentio inter Græcos, qui Patrem Filij cauſam vocabant, & Latinos, qui non cauſam, ſed principium Filij Patrem appellant, ex hac diuerſitate conſtituendi metaphyſicè primam Trinitatis perſonam trahebat originem, neque Latini Patres recuſabant Patrem cauſam Filij vocare propter metaphyſicam conſtitutionem; ſic vel aliter defendendam, de qua nihil curabant. Alia ergo Patrum mens, quàm ſciri plurimùm oportebit, vt ſciamus quid nomine cauſæ intellexerint Patres, Doctoréſque Latini, & ex quo capite principium in diuinis nomine cauſæ appellari recuſauerint.

§. II.

Propter quam rationem Latini Patres nomen* cauſa *in diuinis non admittant?

9 SEnſère Latini Patres conuenientius eſſe vti nomine, principij quam cauſæ in diuinis, ne nomen cauſæ rationem effectus, & creaturæ, diſtinctam inæqualem, & finitam naturam in productis denotaret, neque alia de cauſa volunt Patrem non dici cauſam Filij, niſi ne Filium Patri inæqualem naturaque ab illo diuerſum, creatum, & finitum compellare viderentur. Sic manifeſtè oſtendunt plura Patrum teſtimonia, nonnulla in medium adducam, quibus hæc veritas comprobetur. D. Anſelmus epiſt. de proceſſione Spiritus ſancti contra Græcos, paulò poſt medium, has rationes adducit dubitandi, vt definiat, an Pater dicendus eſſet principium vel cauſa Verbi: *Si tamen dicitur, Deus principium aut cauſam habere. Principium autem videtur non niſi rei recipientis eſſe, & cauſa non niſi effectus alicuius, & Spiritus ſanctus nunquam incipit eſſe, neque eſt effectus alicuius.* En vbi nullam rationem adducit, ne dicatur Spiritus ſanctus cauſam habere, niſi quia nullius eſt effectus, vnde cum poſtea eum omnibus Latinis nomen cauſæ non admittit, non alia ratione mouetur, niſi ne dicat Verbum, aut Spiritum ſanctum effectum eſſe.

10 Egregium eſt aliud teſtimonium ex D.Dionyſio lib. de diuinis Nominibus, cap.2. *Neque enim* (ait Dionyſ.) *inter effectus & cauſas perfecta ſimilitudo, ſed effecta quidem cauſarum, quas poſſunt præferunt imagines: cauſæ autem ſecretæ ſunt ab effectis, ſuntque principij ſui ratione ſuperiores.* Pulchrè Dionyſius rationes omnes recenſet, quas ſupra adduxi. *Neque enim*, ait, *inter effectus & cauſas perfecta ſimilitudo*, quaſi diceret, in perſonis diuinis nulla poteſt aliùs eſſe cauſa, quia perſonæ omnes perfectam habent ſimilitudinem, quæ non intercedit inter cauſas & effecta, etſi vna aliùs eſſet cauſa, illa perfectior eſſet. *Effecta quidem cauſarum præferunt imagines*, &c. idem eſt, ac dicere effecta quot poſſunt per productionem & dependentiam trahunt perfectiones ex his, quæ relucent in cauſis, quæ ſunt ſecretæ, hoc eſt, diſtinctæ naturæ ab effectibus, reſpectu quorum ſuperiores ſunt. Quibus expreſsè teſtatur Dionyſius Verbum, aut Spiritum ſanctum, non habere cauſam, quia vtrumque eiuſdem eſt perfectionis cum principio, à quo procedunt, & non diſtinguitur à natura principij, neque aliud principium habet maioris perfectionis, neque trahit perfectiones aliquas à natura principij aliis non participatis; quicquid enim eſt in natura principij generantis & ſpirantis eſt in natura geniti & ſpirati, vtpote non ſimili, ſed omnino eadem.

11 Accedit Beſſarion Patriarcha Conſtantinopolitanus in oratione pro vnione, quæ habetur in fine Concilij Florentini capite vltimo, poſt medium, vbi hæc habet: *Notandum, quod ſancti Doctores Orientales etiam in diuinis vtuntur nomine cauſæ, & cauſati largo modo, non quidem vt limitationem, & dependentiam importat, ſed prout productionem, & emanationem à principio eius, quod eſt à principio ſignificat: ideò me etiam ad Græcos loquentem his nominibus vſum fuiſſe.* Diſputauerat Patriarcha cum Græcis de proceſſione Spiritu ſancti, vtebantur Græci hoc nomine *cauſa* etiam in diuinis, Beſſarion cum Latinis vtebatur nomine *principium*, & nomen cauſa non admittebat in diuinis, veruntamen; quia de hac re non erat concertatio, & vocibus tantùm in illa diffidebant, Beſſarion nomine *cauſa* vſus eſt inter diſputandum cum Græcis, ne vocum diuerſitate turbaretur diſputatio, & impedita vocibus diuerſis ad rem non perueniret. Poſtea verò diſputatione finita rationem reddit Beſſarion, cur cum Græcis fuerit loquutus, & ait: vſus ſum nomine *cauſa* more Græco, quia Græci Patres cum quibus ſum loquutus largo modo ſumunt hoc nomen *cauſa*, non quatenus ſignificat dependentiam, & limitationem cauſati, quam dependentiam & limitationem nefas eſſet admittere, & quam intendunt Patres Latini negare, dum dicunt Patrem non eſſe cauſam Verbi, & quia ipſi limitationem, & hanc dependentiam non intendebant admitti in diuinis, non recuſaui loqui cum illis, quia non ex alio capite nomen *cauſa* in diuinis inuſum eſſe poteſt, niſi quia limitationem, & dependentiam ſignificat: expende illa verba: *Non quidem vt limitationem & dependentiam importat*, &c. *ideo me etiam ad Græcos*, quorum genuinum ſenſum eſſe à me traditum manifeſtè comperies.

12 Ex his inferes Latinos hoc nomen *cauſa* exterminaſſe à diuinis, ne limitationem, hoc eſt, naturam limitatam, & finitam in perſonis ſignificare viderentur. Hanc illationem finitæ, & limitatæ virtutis in perſona producta ex cauſa à qua producitur, quam Latini faciebant cuius antecedens negabant, ne conſequens admitterent, fundatam inuenio in alio principio vulgari ſatis in Philoſophia, quod tetigit D. Dionyſ. teſtimonio citato in illis verbis, *Effecta*

Digitized by Google

Effecta quidem cauſarum, quas poſſunt præferunt imagines. Illud eſt, nullum effectum perfectiorem ſua cauſa, quia cauſa nihil poteſt producere perfectius ſe ipſa neque eminenter continet maiorem perfectionem ſua formali perfectione, ex quo principio metimur perfectionem cuiuſcumque effectus per cauſæ perfectionem tanquam menſuram, quam non poteſt excedere, omniſque cauſa taxat, & limitat perfectionem effectus, & quotieſcumque effectus procedit à cauſa creata, etiamſi hæc produxerit effectum, quem poteſt, dicimus effectum productum non exceſſiſſe tantam perfectionem, quia cauſa à qua procedebat, non poterat aliam maiorem attingere; ſi verò effectus à Deo immediatè fuit productus, dicimus, Deum produxiſſe effectum cum tanta perfectione, quia ita illi placuit effectum producere, potenti alias perfectiorem alium producere, cuius perfectio ſimiliter voluntate diuina taxaretur, quæ potuit omnipotentiam ad maiorem aliam producendam applicare. En cauſæ omnes taxant, terminóſque præſcribunt perfectioni effectus, ita vt ſi à virtute creata procedat tantam perfectionem non excedat, quia alia maior non eſt obiectum virtutis, à qua procedit, etſi à Deo immediatè producatur, tantam perfectionem habeat, & non aliam maiorem, quia voluntas non applicuit omnipotentiam ad effectum cum maiori perfectione producendum, & omnes ab illa producibiles finiti ſint, & limitati, quia nihil non finitum, & limitatum ad extra producendum eſt obiectum virtutis productiuæ exiſtentis in Deo. In diuinis aliter ſe res habent, principium producens non taxat perfectionem termini producti, cuius perfectio nullam taxam habet, aut menſuram; quod ſi Filius non poſſit eſſe perfectior Patre, ideo eſt quia eadem eſt vtriuſque perfectio, communiſque indiuiſibilis eſſentia, qua maior alia repugnat, non præciſè ex defectu virtutis cauſæ illam potentis producere, ſed quia ſecundum ſe repugnat maior perfectio & quia vna omnium perſonarum natura, atque perfectio excedit omnem perfectionem excogitabilem. Hanc ſummam perfectionem ſine aliquo termino, aut limitatione volunt Latini Patres in perſonis productis defendere, & ne viderentur illam non agnoſcere, ſi nomen *cauſæ* in diuinis admitterent, quod apud illos limitationem importabat, qui nomen *cauſæ* ſine hac limitatione ad diuinas perſonas extendebant, ideò Beſſarion non recuſauit vti illo, explicat tamen nomen illud vſurpare cum Græcis, non quatenus dicit dependentiam & limitationem, quam apud Latinos importabat, in quorum acceptione nefas eſſet nomen cauſæ ad diuina transferri.

13 Eadem eſt mens Angelici Doctoris opuſc. 1. cap. 1. contra errores Græcorum, vbi his verbis probat Patrem non eſſe dicendum cauſam Filij: *Nam apud Philoſophos prima cauſa Deus nominatur: omne autem cauſatum ſub vniuerſitate creaturarum comprehenditur apud eos, & ideo ſi Filius cauſam diceretur habere, poſſet intelligi quod ſub vniuerſitate cauſarum, aut creaturarum comprehenderetur.* En expreſſè teſtatur D. Thomas Patrem non eſſe dicendum cauſam Filij, ne Filius inter vniuerſitatem creaturarum recenſeatur, hoc eſt, ne creatura compelletur. Et cap. 2. vbi negat Patrem prioritatem cauſæ reſpectu Filij hæc habet: *Neque enim prior eſt Pater tempore: cùm Filius ſit æternus: neque prior natura cùm Patris & Filij ſit vna natura.* Ecce D. Thomas negat Patrem eſſe priorem natura Filio, quia Pater & Filius eandem habent naturam, idem enim ſonabat inter Patres aliquid aſſe prius natura alio, quàm habere naturam priorem illo, quod erat poſterius. Conſtat ergo ex Patribus ideo non admiſiſſe nomen cauſæ in diuinis, quia ſentiunt nomen cauſæ importare diſtinctionem naturæ inter cauſam, & cauſatum, & perfectionem finitam, & limitatam, rationemque creaturæ in termino à cauſa producto.

§. III.

Veram cauſæ definitionem expono.

14 NOn eſt animus cauſam vtcumque definire definitione, quæ omnibus & ſolis cauſis conueniat, ſed etiam primum quidditatiuum conceptum cauſæ explicare, & conſtitutiuum eſſentiale cauſæ in definitione iuxta mentes Patrum exprimere. Definitionem adductam à Rubio quam num. 1. retuli ſcilicet, *id quod per ſe influit in effectum* ideo reieci, quia rem per conceptum æquè obſcurum exponebat, eſt enim æquè ignota ratio, propter quam Filius non ſit dicendus effectus, & Pater cauſa non ſit appellandus: verumtamen conceptum quidditatiuum cauſæ attingere conſtat ex mente Patrum, qui ideo negabant Patrem eſſe cauſam Filij, ne concederent Filium eſſe effectum, ſentientes cauſam, dici eſſentialiter per ordinem ad effectum: Eſt ergo hic conceptus effectus clarius in definitione explicandus. Non ineptè definiretur cauſa: *Principium influens in terminum non identificatum cùm natura principij.* Quæ definitio non conuenit Patri reſpectu Filij producti, quia Filius productus identificatur cum natura producentis, & videtur omni cauſæ creatæ competere, & alias attingit diſtinctionem creaturarum, ex defectu cuius nolunt Patres Latini primam perſonam dici cauſam reſpectu ſecundæ. Contra hanc definitionem adduci poteſt ſententia aliquorum aſſerentium poſſe eandem entitatem, ſe ipſam per ſecundam actionem producere, quæ productio eſt vera cauſalitas, nullus enim admiſit actionem creatam, quæ propriiſſimè non ſit cauſalitas, ex vi cuius principium non conſtituantur in actu ſecundo. Hanc opinionem non omnes admittunt, illamque impugnabo Controuerſ. 9. Punct. 10. veruntamen vellem definitionem aliquam tradere, quæ iuxta omnium opinionem conſtans ſit propter rationem, quam contra recentiores expendebam n. 8. Deinde ſi per impoſſibile hoc contingeret, vtidem homo ſe ipſum per veram actionem produceret, in illa productione totam rationem cauſalitatis contemplaremur: ergo de ratione formali cauſalitatis non eſt tendere in terminum diſtinctum à principio, quando principium eſt creatum: quod ſi Patres intendebant de ratione effectus ſeu termini cauſati à Deo eſſe diſtinctionem termini à natura Dei cauſantis, ideo eſt, quia requirebant limitationem ex parte effectu, illiuſque naturam eſſe finitam, quod eſſentialiter importat diſtinctionem à natura producentis quod habet naturam infinitam.

Sic ergo eſſentialiter & quidditatiuè conceptum cauſæ 15
ad ſenſum Patrum, & iuxta Ariſtotelis mentem exprimo. *Principium influens per influxum ex ſe formaliter defectibilem.* per particulam *principium* conuenit cauſa cum priuatione, & aliis, quæ non per ſe ad effectum conducunt, & principia dicuntur. Per illud *influens*, differt à principiis non conducentibus, & à conditionibus, quæ non influunt, ſed prærequiruntur ad influxum, & adhuc conuenit cum principio generante, & cum principio ſpirante ſecundam, & tertiam perſonam Trinitatis, à quibus vltimò differt per illam particulam per *influxum ex ſe defectibilem*, quia influxus quo prima perſona influit in ſecundam ex ſe eſt indefectibilis, generatio enim actiua identificatur cum Patre, & paſſiua cum Filio, ac proinde influxus, qui eſt idem cum generatione æquè indefectibilis eſt, ac Pater, & Filius, & ipſa natura diuina cum qua identificatur. Definitionem hanc competere omnibus cauſis reſpectu omnium effectuum per ſe notum eſt, nullus enim influxus procedit à Deo circa effectum ad extra productum, quem Deus ſubtrahere non poſſit, & qui ex ſe vtpote finitus, & limitatus non ſit defectibilis. Eadem ratione poteſt deficere quilibet alius influxus dependens à cauſa ſecunda, qui etiam immediatè dependeret à Deo: quod ſi daretur aliqua cauſa ſecunda, quæ per ſe ipſam influeret in effectum adhuc illius influxus defectibilis eſſet, quia ipſa cauſa ſecunda poſſet deficere.

Statui definitionem hanc omnibus cauſis, & non alij 16
entitati competere: probo modò exprimere conceptum quidditatiuum cauſæ. Rationem cauſæ contemplantur Patres reſpectu effectus, ſeu termini, qui in ſe dicat diſtinctionem à natura diuina: rationem hanc rectè explicat defectibilitas influxus, quæ per locum intrinſecum dicit defectibilitatem termini, qui ſine illo non poteſt, & conſequenter diſtinctionem à natura diuina, quæ indefectibilis eſt. Ad rationem cauſæ expoſcebant Patres ex parte termini virtutem finitam, & limitatam, hæc optimè explicatur per conceptum defectibilitatis: illud enim quod defectibile eſt, non eſt infinitum per eſſentiam, cui repugnat per locum intrinſecum eſſe defectibile. Conſonat etiam hæc definitio doctrinæ Ariſtotelis, qui 2. Phyſic. cap. 3. text. 29. & l. 2. de gener. c. 7. text. 55. cauſam efficientem definiuit, *vnde primum principium eſt mutationis*, ac ſi diceret, cauſa efficiens non eſt niſi illius, quod mutatur de non eſſe ad eſſe, quibus verbis innuit Ariſtoteles omnem effectum ex ſe eſſe defectibilem, capacémque non eſſendi.

Dicen

Digitized by Google

17 Dices per defectibilem influxum explicari formalitates requiſitas ad rationem cauſæ, reſpectu principij, & effectus reſpectu termini. Non tamen requiri hanc defectibilitatem per locum intrinſecum, vt in termino producto reluceat tota ratio effectus ſecundum omnes formalitates aſſignatas, & in principio producente tota ratio cauſæ, quod ſic probare poſſes. Supponamus per impoſſibile Deum ad extra entitatem aliquam neceſſariò, & abſque vlla libertate produxiſſe, non ſequitur ex hac ſuppoſitione per locum intrinſecum Deum non eſſe cauſam illius termini producti: & terminum productum non eſſe effectum, quia adhuc haberet perfectionem finitam, & limitatam, diſtinctam à natura Dei producentis, & nihilominus effectus ille non eſſet defectibilis, quia cùm neceſſariò produceretur à Deo independenter à quolibet alio, eo ipſo quod Deus exiſteret, illum produceret, & cum Deus neceſſariò exiſtat terminus ille neceſſariò produceretur à Deo. Reſpondeo duplicem defectibilitatem poſſe conſiderari in influxu, vnam extrinſecam, intrinſecam aliam: defectibilitas extrinſeca eſt, quæ prouenit à cauſa indifferenti, vel libera vt producat: Defectibilitas intrinſeca prouenit ab ipſa rei entitate, quæ ex ſe indifferens eſt, vt exiſtat, & non exiſtat, quia ex prædicatis eſſentialibus quæ in ſe habet non illi repugnat, non exiſtere, neque eſſentialiter dicit actu exiſtere. Hæc defectibilitas intrinſeca eſt de ratione conſtitutiua effectus quæ adhuc conueniret entitati, quam Deus neceſſariò produceret, quia licet non poſſet deficere, hoc non illi competeret ratione intrinſecæ entitatis, ex vi cuius præciſe apta erat ad exiſtendum, vel non exiſtendum; ſed ratione agentis illam neceſſariò producentis. Influxus autem per quem Verbum producitur, & Verbum productum ex ſuamet intrinſeca entitate deficere non poſſunt, & ex prædicatis intrinſecis defectibilitas illis repugnat, non præciſè ex eo quod principium productiuum neceſſariò terminum producat. Idem dicito de productione Spiritus ſancti.

18 Obiic. in opinione aliquorum præcipuè ex Thomiſtis: creatio identificatur cum Deo: ergo in horum ſententia influxus, quo Deus influit in rem creatam, cuius eſt cauſa identificatur cum ipſo Deo: ergo eſt æquè indefectibilis cum ipſo Deo: ergo in ſententia horum definitio cauſæ à nobis aſſignata ſubſiſtere non poteſt. Dixi rem explicandam eſſe à me iuxta omnium ſententias, & ita etiam ad hanc ſententiam, definitionem extendo. Authores qui dicunt creationem, actionémve non diſtingui à principio producente, dicunt creationem identificatam cum Deo non poſſe entitatiuè, & ſecundùm ſe deficere, aſſerunt tamen poſſe deficere ſecundùm formalitatem, & exercitium actionis, ita vt exiſtat ſine termino, & quin actu formalitatem influxus exerceat, & ita actionem defectibilem conſtituunt, etſi non materialiter, formaliter tamen, ſecundùm rationem formalem actualis influxus, & ita influxus, etſi aliàs identificatus ſit cum Deo, & indefectibilis ſecundùm entitatem, defectibilis eſt ſecundùm formalitatem, & ſecundùm rationem formalis influxus, quia Deus ab æterno illam actionem ſecum identificatam habuit, quin ex vi illius effectus poneretur extra cauſas, & ita in tempore effectus ex vi illius producitur, vt potuerit non produci, quia omnis effectus ad extra liberè producitur reſpectu Dei, quæ defectibilitas ſufficiens eſt, vt per ordinem ad illam illius principium conſtituatur in ratione cauſæ, quæ tantùm dicit ordinem ad influxum defectibilem formaliter in ratione influxus. Neque hæc defectibilitas conuenit influxui, quo prima perſona influit in ſecundam, aut prima & ſecunda in tertiam, quia neque materialiter, neque formaliter adhuc in ratione influxuum actualium potuerunt deficere hi fluxus, quibus perſonæ producuntur.

19 Definitionem hanc intendit impugnare nouus quidam & in ipſo epigraphi impugnationis illam nouellam appellat, de quo ego parum curo, videamus, quid ſuprà oſtenſionem ſui animi rationis contra hanc definitionẽ adducit.

Præd. 1. p. Controu. 1. art. 1.

Obiicit facilè contempturum prædictam definitionem illum, qui cum Patribus Græcis vellet defendere Patrem non ſolùm dici principium, ſed cauſam Filij, quia Græci in hac parte non recipiunt authoritatem Patrum Latinorum. Vno D. Thoma ſæpe extra rem adducto, frequenter iſte quæſtiones definit ex rationibus contra ſuam ſententiam adductis ſatisfeciſſe putat, & modò vt impugnet rationem haberi non vult de ipſo S. Thoma, & de omnibus Patribus Latinis, nec ſat mihi eſſe indicat iuxta illorum phraſim loqui, & ad locutionem Græcorum contra Latinos Patres recurrit, vt me impugnandi affectum expleat.

Obiicit ſecundò Ariſtotelem non cognouiſſe productionem in diuinis, & ideò fruſtrà ex illo in definitione cauſæ quærere particulam excludentem talem productionem. Reſpondeo, ad hoc, vt Ariſtoteles proprietatem cauſæ deſignaret, quæ competere non poſſet Patri producenti Filium, neceſſe non eſſe Patrem æternum cognouiſſe, nec productionem Filij, eo autem ipſo, quod etiam proprietatem deſignauerit, excluſit Patrem à ratione cauſæ, ſicut dum ego definio hominem per animal rationale, quod magneti non competit, magnetem excludo à ratione hominis, etiamſi magnetem non cognouerim, nec mihi vnquam in mentem venerit. 10

Obiicit, me petere principium dum ſuppono omnem cauſam, cauſam eſſe effectus creati, & limitati. Reſpondeo me hoc non ex meo cerebro fingere, ſed ex vnanimi conſenſu omnium Patrum Latinorum, & totius Latinæ Eccleſiæ, cum quibus ſentire, & loqui teneor, & ita hoc ſuppoſito conceptum communem cauſæ inquiro, & deſigno, mirórque hominem mei adeò memorem, ita eſſe ſui immemorem, vt cum hoc argumentum contra me inſtituerit num. 8. ſtatim num. 10. aſſerat authoritates Patrum probare cauſam rigoroſe includere diſtinctionem, & limitationem, idque ex doctrina Patrum expreſsè docere Sanctum Thomam. 11

Obiicit non requiri ad rationem cauſæ influxum defectibilem, & quia Angeli ſecundùm D. Dionyſium vitam habent indeficientem, & iuxta D. Thomam ſecundum ſuam naturam ſunt incorruptibiles. Agnoſcit iſte ex Concilio Lateranenſi, ex D. Auguſtino, & Sancto Thoma omnem creaturam poſſe tranſire de non eſſe ad eſſe, & annihilari, quo potuiſſet ab hac obiectione abſtinere, quam non refero, quia illi ſatisfacere neceſſe ſit. Sed vt oſtendam, quàm frigida, & friuola ſint ea, quibus in meas ſententias abſque delectu inuehitur. 12

Tandem arguit, quod etiamſi conceptus cauſæ, quem ego deſigno omni cauſæ competeret, quidditatiuus non eſſet. Deberet alium conceptum deſignare, qui prius omni competeret, vt hoc fundamento aliquo aſſereret. 13

PVNCTVM II.

Quid ſit actus primus reſpectu effectus, & cauſam eſſe in actu primo ad illum.

NOn pauci confundunt actum primum cauſæ cum prioritate naturæ cauſæ reſpectu effectus, exiſtimantes idem eſſe cauſam eſſe in actu primo ad effectum, & eſſe natura priorem illo: Errant tamen, differunt enim ſicuti differt ſubiectum à concreto, lignum v.g. ab albo, vt conſtabit ex dicendis in hoc Puncto de actu primo, & in ſequenti de prioritate naturæ. 1

Cauſam in actu primo dicere entitatem intrinſecam virtutis productiuæ nemo in quæſtionem vertit, quia actus primus dicit totum illud quod ad actum ſecundum ſupponitur: ſed entitas intrinſeca cauſæ v. g. ignis ſupponitur ad productionẽ caloris, & ad calorem productum: ergo actus primus dicit formaliter entitatem intrinſecam cauſæ. Dicit ſimiliter actus primus conditiones omnes prærequiſitas ad effectum tenentes ſe ex parte cauſæ v. g. approximationem inter agens, & paſſum, poſitiuam, vel negatiuam, eo modo, quo requiritur ad effectum producendum, diſpoſitiones ex parte paſſi, ſine quibus effectus produci non poteſt, omnipotentiam applicatam ad operandum cum cauſa ſecunda, demum omnia comprincipia, & illorum circunſtantias, quæ prærequiruntur ad effectum, & quæ debent ſupponi vt cauſa ſimpliciter ſic potens operari. Ratio eſt manifeſta: cauſa in actu primo, dicit virtutem iam aptam, & proximè potentem, & iam vltimo accinctam ad operationem: ſed quouſque habeat omnia alia comprincipia parata: & omnes conditiones, & circunſtantias tenentes ſe ex parte virtutis virtus cauſatiua non eſt ſimpliciter potens operari, non enim dicitur homo, etſi potentiam viſiuam habeat, ſimpliciter potens videre obiectum cuius ſpeciem non habet, neque ignis dicitur proximè potens calefacere ſubiectum abſens: ergo quouſque virtus cauſatiua ſit cum his omnibus comprincipiis & circunſtantiis non eſt in actu primo ad operationem. 2

Digitized by Google

Remotio impedimenti ſeu formæ incompoſſibilis cum actu ſecundo, quando poteſt eſſe effectus ipſius actus ſecundi non requiritur ex parte actus primi. Rem explico: Applicatur ignis intendens producere calorem ſubiecto frigido, frigiditas ſe tenens ex parte paſſi eſt incompoſſibilis cum calore, quem ignis intendit producere, & illa permanente calor non introducetur, poteſt tamen ignis non obſtante reſiſtentia frigiditatis calorem producere, & medio illo frigiditatem expellere, qua expulſa, calor, qui illam expellit, ſibi ſubiectum ſine aliquo impedimento præparat, vt poſſit illud informare, & in illo recipi tunc expulſio talis frigiditatis non ſe tenet ex parte actus primi, ſed potiùs eſt effectus, & actus ſecundus non tantùm reſpectu actus primi caloris, ſed reſpectu ipſius caloris, qui eſt actus ſecundus ignis potentis illum producere, & actus primus reſpectu frigiditatis expulſæ. Ratio eſt, quia tunc expulſio frigiditatis eſt effectus caloris introducti, ratione cuius frigiditas fuit expulſa, ex præuiſione enim caloris informantis ſubiectum, Deus ſubſtraxit concurſum, quo frigiditatem conſeruabat, effectus autem caloris non poteſt ſe tenere ex parte actus primi, quia ex parte actus primi tantùm ſe tenet, id, quod eſt prius: ſed effectus caloris eſt poſterior calore: ergo non eſt prior: ergo expulſio frigiditatis, quæ eſt effectus caloris, & illo poſterior, non poteſt eſſe prior illo, & ſe tenere ex parte actus primi reſpectu eiuſdem.

4 Maior difficultas eſt de aliis impedimentis, quæ non poſſunt auferri ab agente producente effectum media productione illius; eadem materia exemplum præbeat. Applicatur ignis intendens producere calorem paſſo alias capaci, præoccupato tamen frigiditate, ita ſubiecto adhærente, ratione peculiaris informationis, vel ratione validiſſimi agentis, quod illam conſeruat, vti neutiquam poſſit ignis frigiditatem expellere medio calore, neque hunc producere ratione impedimenti inauferibilis ab agente naturali, vel ſaltem ab hoc igne applicato. Inquirimus an hoc caſu dicatur ignis in actu primo ad producendum calorem. Duplicem actum primum diſtinguo, liberum & neceſſarium. Poſito impedimento inauferibili exiſtimo deſtrui actum primum liberum, libertatémque in actu primo mo, ratione cuius potentia dicatur proximè libera ad operandum. Hæc concluſio mihi certiſſima eſt, ſi enim ego deuinctus ſim ferreis catenis, à quibus me expedire non poſſum, nullus dicet me eſſe liberum, ad longum iter agendum, quod illo ablato impedimento inire poſſem. Itaque negatio impedimenti auferibilis non requiritur ad actum primum liberum, negatio verò impedimenti inauferibilis, eſſentialiter ad illum ſupponitur: verbi gratia ſum ego in medio cubiculi conſtitutus ianuis vndique clauſis, intendo Eccleſiam petere, impedit iter aër occupans ſpatium, quod ego per nouas præſentias ſum acquiſiturus, impediunt ſimiliter parietes quibus ſum concluſus, aër impediens præſentias acquirendas, non tollit libertatem, quia poſſum ego aërem remouere ipſa præſentiarum productione; parietes, quos ego deiicere non poſſum libertatem deſtruunt, & actum primum liberum, quia non illos poſſum remouere, vt Eccleſiam petam. Sed de hoc longiùs redibit ſermo Controuerſ. 12. de anima, vbi de libertate voluntatis diſputabo.

5 De actu primo phyſico aliter ſentiendum: affirmo ignem applicatum paſſo ex ſe receptiuo frigiditatis eſſe in actu primo, etiamſi non poſſit vincere impedimentum frigiditatis inhærentis ſubiecto: à poſteriori concluſio manifeſtè probatur, quia ſi tantùm eſſet in actu primo cauſa neceſſaria, quando poteſt vincere impedimentum extrinſecum, vt effectum producat, nunquam daretur reſiſtentia cauſarum, quia nunquam poterunt dari duæ cauſæ ſimul in actu primo ad effectus incompoſſibiles, quia non poteſt vtraque mutuò vincere, & vinci; illa verò quæ vincere non poterit non erit in actu primo: vbi verò non ſunt duo contraria in actu primo, non poteſt eſſe reſiſtentia, quæ dicit virtutes reſiſtentes in actu primo, vt conſtabit ex dicendis in *Generatione* à priori rationem reddo: Actus primus phyſicus tantùm dicit potentiam phyſicam ad operandum: ſed cum potentia phyſica ad operandum componi poteſt impedimentum ad operationem: ergo negatio huius impedimenti non eſt de ratione potentiæ phyſicæ, neque actus primi phyſici, quia ille, qui potentiam habet cum omnibus aliis circunſtantiis ad deambulandum, ſimpliciter dicetur potens deambulare, etiamſi aliquod impedimentum habeat, quo impediatur, ratione cuius non erit impotens phyſicè, ſed tantùm phyſicè impeditus, & moraliter impotens, quia phyſicum impedimentum impotentiæ morali æquiualet in ordine ad effectum, quando inauferibile eſt. Ex hoc infertur & iam diſtinctio inter actum primum liberum, & non liberum, quia actus primus liber dicit potentiam non ſolùm phyſicam, ſed moralem, & opponitur cum omni determinatione, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca ad actum ſecundum, quæ illum præcedat, actus verò primus phyſicus non dicit determinationem, neque opponitur cum determinatione intrinſeca, quam ſemper ex ſe habet potentia neceſſaria ad effectum, neque cum determinatione extrinſeca ad negationem effectus, quam inducit impedimentum inauferibile, ratione cuius determinationis opponitur cum actu primo libero, qui eſſentialiter dicit indifferentiam ex parte principij, quam non importat actus primus phyſicus, hic enim tantùm dicit poſſe facere, ille verò poſſe facere, & poſſe non facere.

Cauſam in actu primo non includere actionem, ex dictis manifeſtè conſtat, ſi enim cauſa adhuc impedita, dum nullam exercet actionem, eſt in actu primo, certum eſt ad actum primum non requiri actionem, & ratio ipſa manifeſtè oſtendit: eſſe in actu primo dicit potentiam ad operandum cum omnibus prærequiſitis ad actum ſecundum: ſed poteſt eſſe potentia cum omnibus prærequiſitis ſine actione: ergo ſine actione poteſt eſſe potentia in actu primo. Minor patet in cauſa libera, quæ poſtquam fuit in actu primo proximè potens ad operandum ſæpè non operatur, & in cauſa neceſſaria phyſicè impedita, & ratione ipſa manifeſtè apparet, aliud enim eſt poſſe operari: operari dicit operationem ſupra potentiam, poſſe operari tantùm dicit potentiam. 6

Difficilis quæſtio diſſoluitur de poſſibilitate actionis: hanc requiri ex parte actus primi affirmant, neſcio qui recentiores, quos impugnant Hurt. diſp. 8. & Arriag. diſp. 7. vterque ſect. 2. ſubſect. 2. In opinione, quæ affirmat repugnante actionem cauſam non poſſe ſubſiſtere, certum eſt requiri poſſibilitatem cauſalitatis tanquam obiectum relationis, quam dicit ad illam virtutis productiua caloris, ad ipſum actum primum caloris producendi, quia ex parte actus primi ſupponitur ad productionem caloris virtus productiua caloris: ſed hæc virtus ſupponit, vel dicit concomitanter tanquam obiectum poſſibilitatem calefactionis, & caloris, ſine qua exiſtere non poteſt: ergo eo modo quo requiritur poſſibilitas calefactionis & caloris ad exiſtentiam ignis tenentis ſe ex parte actus primi ad calorem producendum, requiritur ad actum primum reſpectu eiuſdem caloris quia actus primus illius dicit intrinſecè, & identicè entitatem ignis potentem calorem producere. 7

Dixi requiri poſſibilitatem caloris (eadem eſt ratio de poſſibilitate caloris, ſeu calefactionis) ad actum primum reſpectu eiuſdem caloris, ſecundùm prædictam ſententiam non tamen dixi requiri ex parte actus primi, quod eſt valde notandum, intercedit enim maximum diſcrimen inter hoc, quod eſt requiri ad actum primum, & requiri ex parte actus primi. Requiri ex parte actus primi proximi, dicit requiri tanquam quid tenens ſe ex parte virtutis, ſeu potentiæ, conditioniſve immediatè prærequiſitæ ad effectum: requiri ex parte actus primi remoti, eſt requiri hoc modo non ad ipſum effectum, ſed ad actum primum effectus, qui ſe habeat tanquam actus ſecundus reſpectu illius prærequiſiti, quod dicitur actus primus remotus reſpectu vltimi effectus. Requiri ad actum primum non dicit hunc prioritatis modum, ſed ſufficit requiri non immediatè ad effectum, & requiri ad cauſam, non vt actum primum illius, ſed tantùm comitanter, vel vt actum ſecundum. Rem explico in probabili ſententia, quæ aſſerit animam habere potentias ſuperadditas, & non poſſe eſſe ſine illis: ad actum primum viſionis requiritur potentia auditiua, quia requiritur ad animæ exiſtentiam, quæ eſt actus primus viſionis, non tamen requiritur potentia auditiua ex parte actus primi ad viſionem, quia neque immediatè influit in viſionem cuius ſit actus primus immediatus, neque mediatè, quia licet anima requirat potentiam viſiuam ad ſui exiſtentiam (loquor iuxta communem ſententiam, vt rem explicem) non illam requirit vt actum primum illius, neque ab illo dependet à priori, ſed tantùm à poſteriori, quæ dependentia non eſt ab 8

aliquo,

aliquo, quod ſe teneat ex parte actus primi. Similiter præſentia vnionis ex parte actus primi ſupponit vnionem, & quia hæc requirit extrema, ad actum primum huius præſentiæ requiruntur extrema, non tamen requiruntur ex parte actus primi, quia neque ſunt immediatè actus primus præſentiæ, neque media vnione, quia etſi vnio ex ſe non poſſit eſſe ſine extremis, hæc non requirit ex parte actus primi, neque ſe habent per modum actus primi. Sic in noſtro caſu, productio caloris ſupponit ex parte actus primi entitatem ignis ſecundùm ſe, hæc non poteſt exiſtere ſecundùm ſententiam, in qua procedit concluſio, ſine poſſibilitate caloris: Ex quo infertur ad actum primum caloris requiri poſſibilitatem eiuſdem, non tamen ex hoc capite requiritur ex parte actus primi, quia poſſibilitas caloris non requiritur immediatè, vt actus primus calefactionis, ſeu caloris exiſtentis, neque vt actus primus virtutis, à qua eſt producendus calor, videlicet ignis, quia licèt ignis dicat intrinſecè relationem tranſcendentalem ad poſſibilitatem caloris, & illam requirat tanquam terminum, non illam requirit ex parte actus primi, quia terminus, vt terminus non eſt actus primus, illius, quod terminat, vt patet in termino actionis productiuæ, ſed tantùm requiritur comitanter, vel conſequenter, ſeu illatiuè. Hæc doctrina apprimè obſeruanda eſt, quam ſi in promptu Philoſophus non habeat, nihil ſolidè apprehendet in his, quæ ad dependentiam effectuum à cauſis pertinent. Neque Theologus, qui his principiis dexterè non vtatur, nihil in materia de prouidentia, de ordine decretorum Dei ſolidè inueſtigare poterit.

9 Alio modo affirmo requiri poſſibilitatem cuiuſuis entitatis non ſolùm ad actum primum eiuſdem exiſtentis, ſed ex parte actus primi obiectiuè. Probo: Ex parte actus primi caloris producendi ab igne requiritur voluntas Dei applicans omnipotentiam ad concurrendum cum igne: ſed hoc decretum ſupponit ex parte actus primi poſſibilitatem eiuſdem caloris producendi: ergo calor producendus remotè ſupponit ſui poſſibilitatem, quatenus hæc ſupponitur ex parte actus primi, ad decretum, quod immediatè tanquam actum primum ſupponit. Tota difficultas in minori vertitur, vt Deus moueatur ad applicandam omnipotentiam ad producendum calorem requiritur ipſum eſſe poſſibilem, temerè enim, & cum periculo inane decretum eliciendi decreuiſſet producere calorem, quem ignorabat, an eſſet poſſibilis: ergo actus, quo vult producere calorem cùm cauſa ſecunda reſpicit tanquam motiuum ſaltem inadæquatũ poſſibilitatem caloris: ergo hic actus aliquo modo ſe tenet obiectiuè ex parte huius decreti ea ratione, qua poteſt dari actus primus reſpectu actuum internorum Dei, quia motiuum actus voluntatis non tantùm requiritur ad actum comitanter, ſed antecedenter: ergo medio hoc decreto applicante omnipotentiam ad calefactionem, quod pertinet ad actum primum calefactionis, hæc ſupponit ex parte actus primi ſui poſſibilitatem, eo modò, quo ſupponitur ad decretum: ſed ad decretum ſupponitur non tantùm comitanter, ſed antecedenter, non phyſicè, ſed tantùm obiectiuè, tanquam motiuum actus, quod eadem calefactio ſupponit ex parte actus primi. Quod dixi de actu applicante omnipotentiam ad producendum effectum cum creaturâ, dicam de actu, quo Deus ſe ſolo illum producere decernit, quia ſemper actus, quo Deus vult effectum producere ſupponit ex parte motiui poſſibilitatem effectus.

10 Dico vltimò, poſſibilitatem effectus non requiri alio modo præter iam dictos, neque ad actum primum, neque ex parte actus primi reſpectu eiuſdem effectus producendi, quapropter in opinione, quam latè probabo in Metaphyſicis aſſerente, virtutem intrinſecam cauſæ non habere connexionem cum poſſibilitate effectus, poſſibilitas tantùm requiritur, vt obiectum voluntatis, quo Deus applicat ſuam omnipotentiam, quod ſic probo. Poſſibilitas effectus poteſt conſiderari pertinens ad actum primum eiuſdem effectus producendi tanquam obiectum alicuius ordinis, ſeu reſpectus, vel formaliter per ſuam entitatem conſtituens actum primum tanquam obiectum tantùm poteſt conducere, vt obiectum relationis tranſcendentalis, vel actus intentionalis, qui ſe teneat ex parte actus primi, quos modos ſe tenendi ex parte actus primi iam explicui neque alius apparet, quo poſſit concurrere tanquam obiectum. Immediatè & per ſe formaliter non poſſe ad actum primum conducere, ſic probo. Poſſibilitas effectus nihil eſt diſtinctum ab ipſo effectu, ſed effectus tantùm poteſt ſupponi ad ſe ipſum, vt obiectum & non immediatè per ſuammet entitatem, quia nihil poteſt immediatè ad ſe ipſum ſupponi, neque tanquam virtus productiua, neque tanquam conditio: ergo non poteſt formaliter immediatè pertinere ad actum primum ſui ipſius. Dices entitatem, vt poſſibilem ſupponi poſſe ad ipſam vt exiſtentem. Contra: vel diſtinguis formaliter entitatem vt poſſibilem ab ipſa vt exiſtenti, vel non diſtinguis: ſi non diſtinguis non duplicem terminum diſtinctionis aſſignas, ſed eundem repeti modò affirmatum, & poſtea negatum. Si diſtinguis, poſſibilitas, vt diſtincta ab exiſtentia non eſt phyſicè, ſed tantùm obiectiuè, quia quod non eſt exiſtens, abſolutè non eſt: ergo non poteſt phyſicè actum primum conſtituere, nihil enim poteſt eo modo, quo non eſt, aliud conſtituere.

Ex hoc infero, quod ſi per impoſſibile fingamus Deum 11
poſſe applicare omnipotentiam ad obiectum ex ſe repugnans, vel ignem poſſe independenter ab applicatione omnipotentiæ calorem producere, in hac ſuppoſitione dimittendum eſſe actum primum adæquatum reſpectu obiecti impoſſibilis. Rem explico: Supponamus repugnare calorem, ex hac repugnantia, non ſequitur per locum intrinſecum repugnare virtutem productiuam illius, verbi gratia ignem, quia vt probabo in Metaphyſ. Controuerſ. 10. Punct. 4. virtus productiua connexionem non habet cum poſſibilitate effectus. Applicetur ergo ignis potens producere calorem ſubiecto capaci, tunc talis ignis, tantùm ex defectu decreti applicantis omnipotentiam non erit in actu primo ad producendum calorem, quia poſſibilitas tantùm requiritur ad exiſtentiam illius decreti: ergo ſi ſupponamus per impoſſibile decretum illud non eſſe neceſſarium ad productionem caloris, nihil deficiet ex his, quæ requiruntur ad actum primum caloris producendi.

Obiic. Implicante effectu ſuppoſito quocumque alio, 12
cauſa non poteſt producere effectum: ergo ad hoc vt cauſa poſſit producere effectum requiritur effectus poſſibilitas: ergo requiritur ad actum primum effectus producendi, qui dicit formaliter cauſam poſſe effectum producere. Diſtinguo antecedens: non poteſt cauſa producere effectum quocumque alio poſito, ex defectu potentiæ ſeu actus primi, nego: ex intrinſeca repugnantia effectus concedo: Deinde diſtinguo primum conſequens: ergo ad hoc vt cauſa poſſit producere effectum requiritur effectus poſſibilitas: requiritur effectus poſſibilitas concomitanter ad ipſum effectum cum quo identificatur, & per modum actus ſecundi, concedo conſequentiam: requiritur antecedenter ad ipſum effectum producendum, nego conſequentiam. Deinde nego ſecundam conſequentiam: actus enim primus dicit cauſam poſſe producere effectum quatenus eſt ex parte actu primi, & quatenus dicit omne, quod antecedenter prærequiritur ad effectum, non verò quatenus dicit poſſibilitatem effectus requiſitam formaliter ad productionem, tanquam quid comitans, productionem, ſeu identificationem cum illa. Aliud enim eſt requiri formaliter ad effectum: Aliud eſt prærequiri cauſaliter. Quod cauſaliter prærequiritur pertinet ad actum primum, & hac ratione non requiritur poſſibilitas effectus ad eumdem producendum formaliter per ſe, ſed tantùm tanquam obiectum decreti applicantis omnipotentiam, quod decreto præciſe nullo modo requiritur. Quod formaliter requiritur tanquam actus ſecundus conſtituens actum primum formaliter operantem non ſe tenet ex parte actus primi, & hac ratione requiritur immediatè, & per ſe poſſibilitas ad ipſius productionem.

Obiicies ſecundò. Cauſa actu operans dicit operatio- 13
nem actualem: ergo cauſa potens operari dicit operationem poſſibilem: probatur conſequentia, ſicut ſe habet exiſtentia operationis ad cauſam actu operantem, ſe habet poſſibilitas eiuſdem ad cauſam potentem operari: ſed cauſa operans conſtituitur per operationem actualem: ergo cauſa potens operari conſtituitur per poſſibilitatem operationis. Reſpondeo negando conſequentiam prioris enthymematis, & maiorem ſyllogiſmi ſequentis, hoc enim quod eſt operari dicit quid ſuperadditum actui primo, poſſe autem operari nihil dicit illi ſuperadditum. Vnum in hac re verum eſt, quod arguentem decepit, videlicet poſſibilitatem obiectiuam huius concreti *cauſa operans* dicere poſſibilitatem cauſæ & poſſibilitatem operationis, quia id, quod

includit hoc concretum *exiſtens in ſtatu exiſtentiæ*, includit idem concretum poſſibilitatis obiectiuæ, ſeu Logicæ, cuius poſſibilitas non diſtinguitur ab ipſa entitate exiſtente. Operatio verò quatenus dicit potentiam phyſicam, in qua virtualiter continetur tantùm dicit actum primum realiter diſtinctum ab ipſa operatione poſſibili, & exiſtenti.

PVNCTVM III.

De prioritate cauſæ reſpectu effectuum.

§. II.

Naturam prioritatis explico.

1 PRioritatem cauſarum reſpectu effectuum explicuit Ariſtoteles in Metaphyſ. cap. 11. & in Poſtprædicament. cap. 11. vbi poſtquam varios modos prioritatis tradidiſſet, ſcilicet prioritatem ordinis, dignitatis, vniuerſalitatis, & temporis, accedit ad illa, quæ prioritatem cauſæ habent. Quæ verbis exponit: *Alia autem natura* (ſcilicet priora) *ea inquam, omnia, quæ eiuſmodi ſunt, vt ſine aliis eſſe poſſint, non item ſine illis alia.* Ex quo infertur illud, quod prius natura eſt, poſſe eſſe ſine poſteriori, poſterius autem ſine priori eſſe non poſſe, ideo dicitur prior natura quia ſine effectu ſubſiſtere poteſt, effectus verò ſine cauſa neutiquam poteſt exiſtere. Ratio eſt, quia cauſa non recipit ſuum eſſe ab effectu, & ita deficiente effectu poteſt cum illo permanere, effectus verò habet à cauſa, quapropter ſine cauſa exiſtere repugnat.

2 Sibi contrarium fuiſſe Ariſtotelem in poſtpræd. cap. citato exiſtimarunt nonnulli decepti quibuſdam verbis, quibus ego doctrinam Philoſophi magis illuſtrabo: *Videbatur vltra iam dictos, alius quidem eſſe prioris modus. Eorum enim, quæ eſſendi conſequentia conuertuntur, alterum quod eſt cauſa quovis modo, vt alterum ſit, prius naturâ non incongruè dici poteſt.* Ecce Ariſtoteles aſſignat alium prioritatis modum inter illa, quæ ad inuicem conuertuntur, quorum vnum eſt cauſa alterius: ergo prioritas ex mente Philoſophi non dicit conſequentiam non mutuam inter illud, quod eſt poſterius. Hæc verba nonnullã ſpeciem obiectioni præbent, illa tamen adduxi in confirmationem doctrinæ, quam tradiderat Ariſtoteles, quam apprimè probant, ſi attexantur illis, quæ poſtea ſubdit Philoſophus, quibus præcedentia declarat. Exemplo doctrinam traditam explicat Ariſt. *Eſſe enim hominem ad orationem de ipſo veram, eſſendi conſequentia ſanè conuertitur. Nam ſi ſit homo, vera eſt oratio, quæ de ipſo profertur, & è contrà, homo profectò eſt, ſi vera eſt oratio ea, qua hominem dicimus eſſe: Atqui oratio vera, vt res ſit nullo pacto eſt cauſa; res tamen aliqua ex parte cauſa videtur, vt ſit oratio vera.* Non dubitari poteſt in hoc exemplo extrema non dici ad conuertentiam, res enim, quæ cauſa eſt veritatis, connexionem non habet cum veritate, quæ eſt illius effectus, non enim infertur eſt homo: ergo eſt veritas propoſitionis, quâ dicitur hominem eſſe, quia homo poteſt exiſtere nulla propoſitione exiſtente, in quo caſu erit homo, & non erit propoſitio vera: veritas autem cuius eſt cauſa homo exiſtens, neceſſariò infert hominis exiſtẽtiam, & hæc eſt recta illatio, hæc propoſitio *homo exiſtit*, eſt vera: ergo homo exiſtit: hæc autem non ita: homo exiſtit: ergo datur aliqua propoſitio vera cuius ipſe ſit cauſa, quia poteſt exiſtere homo nulla propoſitione vera, vel falſa exiſtente. Vnum in hac re verum eſt propter quod videntur aliquo modo dici ad conuertentiam hæc extrema, etſi verè non conuertantur, quod Ariſt. in prædictis verbis inſinuat, & ex quo fundamentum deſumpſit ad affirmandum, hæc extrema conuerti non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, vt iam explico, quod non eſt contra prioritatem cauſæ reſpectu effectus. Aſſerit Ariſtoteles rectè inferri eſſe hominem ad orationem de ipſo veram, hoc eſt rectè valere, hæc oratio eſt vera, *homo exiſtit*: ergo exiſtit homo. Poſtea ſubdit rationem propter quam hæc illatio mutua videatur: *Nam ſi ſit homo vera eſt oratio, quæ de ipſo profertur*, expendas quæſo illa verba, *quæ de ipſo profertur*, quæ non imprudens addit Ariſtoteles, qui non dixit: ſi ſit homo, vera eſt oratio; quia hæc eſt inepta conſequentia, eſt homo: ergo eſt oratio vera: ſed dixit: *Nam ſi ſit homo, vera eſt oratio quæ de ipſo profertur.* Ac ſi diceret ſi eſt homo vera erit oratio, quæ de ipſo proferatur; clariùs, ſi ſit homo, ex ſuppoſitione, quod eſſe de illo proferatur, oratio vera erit, implicat enim exiſtente homine, me proferre hanc orationem, *homo exiſtit*, & illam veram non eſſe, ac proinde mutuò dicuntur, hæc propoſitio eſt vera *homo exiſtit*; ergo verè exiſtit homo: Similiter homo exiſtit: ergo hæc propoſitio quam ego modò profero, *homo exiſtit*, vera eſt. In quo ſenſu extrema hæc ad conuertentiam dicuntur, quod declarat Ariſtoteles prædicto teſtimonio, ſempérque integra remanet illius doctrina, quia veritas propoſitionis, quæ eſt effectus obiecti, nulla ſuppoſitione facta infert obiectum, obiectum autem quod eſt cauſa, nulla ſuppoſitione facta, veritatem non infert, vt patet in exemplo adducto.

Cæterum contra hanc doctrinam ita nonnulli obiiciunt: ex parte illius, quod prius dicitur, vel tantùm ſumitur actus primus ſecundùm ſe, vel actus primus cum actione: ſi ſumitur actus primus cum actione, quatenus dicit hoc concretum *cauſans*, non poteſt eſſe ſine effectu, ſi ſumitur actus primus ſecundùm ſe, ſicuti actus primus ſecundùm ſe poteſt eſſe ſine effectu, ita effectus ſecundùm ſe poteſt eſſe ſine illo, quo poſterior eſt, quia poterat dependere ab alio per aliam actionem, & non eſſe poſterior hoc actu primo: ergo non eſt conſequentia de effectu ad cauſam, quæ non ſit ex cauſa ad effectum, cùm neutra entitas ſecundùm ſe alteram inferat, & ſicuti effectus cauſalitati adiunctus infert cauſam, ita cauſa adiuncta cauſalitati infert effectum. Reſpondeo facta comparatione cum cauſa in actu primo exiſtente, omni actione ſeclusa cum effectu nudè ſumpto diſparem eſſe rationem, quia cauſa poſita in actu primo poteſt eſſe ſine aliquo effectu, & ita illud eſſe quod habet in illo primo habet independenter ab omni effectu, ita vt verum non ſit dicere, hæc cauſa in actu primo exiſtit ex vi huius effectus, quo ablato non exiſteret. Effectus verò in inſtanti in quo exiſtit eo ipſo quod exiſtat affixus eſt alicui actioni determinatæ, quia etiamſi hæc vel illa illi ſufficeret, eo ipſo quod exiſtit vnam determinatam habet, ex vi cuius exiſtit, & quâ deficiente deficeret effectus, media qua affixus eſt huic actui primo, quia illa actio, ex vi cuius exiſtit ex natura ſua eſt determinatè affixa huic actui primo, & ita verum eſt de effectu, qui modò exiſtit dependens ab hac actione per ſe affixa huic principio, non ſolùm ſecundùm cauſalitatem, ſed etiam ſecundùm ſe defecturum deficiente hoc principio, dummodo aliud non ſuperueniret; de cauſa verò nunquam eſt verum dicere, deficiente hoc effectu, ſeu hac cauſalitate deficeret cauſa, nullo alio ſuperueniente effectu. Verum eſt, me non poſſe modò inferre ex exiſtentia effectus nude ſumpti exiſtentiam huius numero cauſæ; qui neſcio ex vi cuius cauſalitatis exiſtit, quæ immediatè mihi cauſam demonſtrat, in re tamen effectus ipſe, etſi non per ſuam entitatem, per cauſalitatem, quam de facto habet, eſt affixus huic cauſæ, ita vt ſine illa non exiſteret; cauſa verò, etſi de facto per cauſalitatem coniungatur cum effectu, ita coniungitur, vt illo deficiente eodem modo exiſteret, etiamſi nullus alius ſuccederet effectus.

Cæterùm hucvſque nondum dictum eſt, per quid conſtituatur cauſa prior effectu: licet enim actus primus, qui ſine ſecundo eſſe poteſt, denominetur prior natura reſpectu actus ſecundi, vt dictum eſt, tamen non dicitur prior natura per ſuammet entitatem, vt patet ex ipſa ratione actus primi, ſeu ſubiecti, quod denominatur prius natura, quod poteſt eſſe ſine effectu: ergo poteſt eſſe ſine illo, quod eſt poſterius: ergo poteſt non eſſe prius, quia ſine poſteriori exiſtenti ſaltem in ſigno ſequenti non poteſt exiſtere prius formaliter vt prius: ergo actus primus, qui formaliter denominatur prior natura, in ratione prioris conſtituitur per cauſalitatem per quam conſtituitur formaliter cauſans, & per eandem indiuiſibiliter effectus conſtituitur poſterior. Sicut enim per eandem conſtituitur ignis producens calorem, & calor productus ab igne, ita per eandem conſtituitur ignis prior natura calore, & calor poſterior natura igne, quia conceptus prioris natura eſt conceptus cauſantis, & conceptus poſterioris eſt conceptus cauſati: itaque duo dicit entitas, quæ eſt prior natura, ſeu ſubiectum, ſeu actus primus, qui denominatur prior natura; poſſe exiſtere ſine illo, reſpectu cuius prior dicitur, & eſſe cauſam illius: primum habet actus primus, ratione ſui, quia per ſe eſt independens ab omni effectu producendo; ſecundum per actionem ſuperadditam, ex vi cuius conſtituitur effectus exiſtens. Similiter

militer in effectu aliud eſt actu dependere, & effici ab illo; quo poſterior eſt aliud non poſſe eſſe ſine illo: Dependere actu habet per cauſalitatem ſuperadditam, non poſſe exiſtere ſine hac cauſa determinata, ex eo quod de facto terminet hanc cauſalitatem, & non aliam, quod ſimiliter dicit cauſalitatem ſuperadditam, habet tamen ex ſe, & per ſuam intrinſecam entitatem non poſſe exiſtere ſine hac, vel illa, quia ita intrinſecè petit dependere ab aliqua cauſa vt implicet exiſtere ſine vlla dependentia.

5 Concludo ex his actum primum ſecundùm ſe non eſſe priorem natura, ſed per actionem ſuperadditam, quæ ab illo poteſt ſaltem ſupernaturaliter ſeparari. Infero ſimiliter effectum ſecundùm ſuam entitatem non eſſe poſteriorem natura, ſed per eandem cauſalitatem, per quam dependet ab agente, quia vt modò dicebam per eandem entitatem conſtituitur cauſa prior, & effectus poſterior, habet tamen effectus per ſuam naturam, ita exigere dependere ab aliqua cauſa, qua ſit poſterior, vt implicet exiſtere ſine aliqua dependentia illi ſuperaddita. Hæc de effectibus, qui dependent per actionem interiectam; illi verò qui immediatè dependent per ſuas entitates abſque vlla media actione per ſuas entitates formaliter nullo alio ſuperaddito conſtituuntur poſteriores certa, & determinata cauſa, à qua per ſe dependent. Infero ſimiliter actionem qua dependet effectus à cauſa non eſſe priorem effectu, quia ſine effectu exiſtere non poteſt, ſed intrinſecè per ſuam entitatem ita eſt connexa cum effectu, vt non poſſit neque diuinitus eſſe ſine illo. Rurſus infero primam perſonam Trinitatis non eſſe priorem natura Filio, quia non eſt cauſa illius, vt probaui Puncto 1. neque me accuſes circulum committere, ego enim non probaui, Patrem non eſſe cauſam Filij, quia non eſt prior natura illo, vt aliqui probant, ſed iam aliunde firmum ſuppono, non eſſe cauſam, ex quo infero non eſſe priorem, quia prioritas naturæ eſſentialiter dicit cauſalitatem, & ſupponit virtutem cauſatiuam. Deinde Pater non poteſt dici prior Filio, quia adhuc principiū productiuum Filij exiſtere non poteſt ſine Filio, ſimiliter principium productiuum non diſtinguitur ab actuali productione actiua, & ſicuti productio non poteſt eſſe prior natura propter rationem dictam; ita neque principium cum illa identificatum. Adde in multorum ſententia, primam perſonam formaliter conſtitui per generationem actualem, & ita neque formaliter datur principium productiuum Filij diſtinctum ab ipſa productione actuali. Infero vltimò: Actum primum formaliter, vt priorem natura effectu non poſſe ſeparari ab illo, quia formaliter vt prior includit cauſalitatem inſeparabilem ab effectu, reſpectu effectus, qui non dependet, media cauſalitate diſtincta, includit ipſum effectum.

6 Hæc de prioritate *in quo*, quam prioritatem *naturæ* Philoſophi appellant. Aliam prioritatem aſſignant Doctores, quam vocant prioritatem *à quo*, quæ non dicit neceſſariò cauſalitatem neque illam excludit. Prius *à quo* dicitur illud à quo aliud ſiue natura, ſiue ſuppoſito diſtinctum trahit originem, illud verò quod originem trahit, poſterius *à quo* dici ſolet. Hac ratione, Pater dicitur prior prioritate originis Filio, & hic eadem ratione poſterior dicitur, quia pater filium producit, & filius productus dicitur à patre. Eadem ratione omnis cauſa prior eſt effectu, & omnis effectus poſterior cauſa; valet enim, eſt prius natura: ergo origine; non tamen è contrà, quia prioritas naturæ & *in quo*, ſupra prioritatem originis. & *à quo*, dicit veram cauſalitatem, quam non includit præcisè prioritas originis ſeu prioritas *in quo*. De actione diſſentiunt Doctores. An prior dicenda ſit effectu prioritate originis, affirmant aliqui à paritate generationis actiuæ, quæ eſt prior origine termino genito, & qua effectus verè dicitur eſſe ab actione. Negant alij exiſtimantes effectum non eſſe ab actione ſed à cauſa media actione: & diſparitatem reddunt ad exemplum adductum, ex eo quod generatio actiua non diſtinguitur à principio producente Verbum, cuius eſt generatio, actio verò procedens à cauſa diſtinguitur à principio producente effectum. Res eſt parui momenti, aſſentior huic dicendi modo.

§. II.

Argumenta ſoluta.

7 Obiicies, ad probandum non omnem actum primum poſſe eſſe ſine effectu, ac proinde non omnem cauſam priorem natura adhuc materialiter ſumptam ſine effectu eſſe poſſe. Ex parte actus primi reſpectu cuiuſuis effectus ſupponitur actus voluntatis, quo Deus vult illam producere; ſed poſito hoc actu non poteſt eſſe actus ſecundus: ergo poſito actu primo valet conſequentia ad actum ſecundum. Ne recurras ad effectum; qui ratione libertatis vel impedimenti creati potuit non coniungi cum actu primo, quia tantùm ſupponebat decretum virtuale, vel decretum producendi effectum dependenter à libertate cauſæ creatæ; conficio argumentum in actu primo, qui ſupponitur ad creationem Angeli: creatio Angeli ſupponi ex parte actus primi decretum abſolutùm, & efficax creandi Angelum: ſed ſuppoſito hoc decreto non poteſt non Angelus creari, quia eſt decretum abſolutum, & efficax independens ab aliquo, quo poſſit impedire creationem Angeli, quæ nullam entitatem habet in rerum natura ſecum incompoſſibilem, quod decretum non minorem connexionem habet cum creatione Angeli, quàm ipſa creatio cum termino: ergo hic actus primus inſeparabilis eſt ab effectu, etiam per intellectum quia non poſſumus concipere decretum efficax Dei ſine effectu, quem Deus per tale decretum intendit producere: ergo datur actus primus à quo valeat conſequentia ad effectum: ergo cùm poſteà huic actui primo aduenit actio, non conſtituitur prior natura, quia de ratione illius, quod eſt prius natura; eſt, vt ex illo non valeat conſequentia ad illud, quod eſt poſterius. Reſpondeo totum actum primum, qui ſupponitur ad creationem Angeli quatenus dicit omnipotentiam, & decretum illud efficax, poſſe, & de facto ſeparari ab Angelo non pro illo inſtanti pro quo Deus decernit creare Angelum, ſed per totam æternitatem præcedentem; omnipotentia enim, & decretum ex vi quorum Angelus in tempore fuit creatus extitere ab æterno ſine creatione Angeli; actio verò productiua effectus pro nullo inſtanti poteſt exiſtere non exiſtente effectu, & ideo connexio, quam habet actio cum effectu opponitur cum prioritate naturæ, non verò connexio, quam habet decretum cum effectu. Dices omnipotentiam cum tali decreto creandi Angelum in inſtanti *A*, non eſſe actum primum ad creationem faciendam in æternitate, ſeu in aliquo inſtanti præcedenti inſtans *A*, ac proinde hunc actum primum non poſſe exiſtere in illa menſura, pro qua eſt actus primus ſine effectu. Concedo, decretum non poſſe exiſtere in menſura, pro quâ eſt actus primus, id eſt, pro qua ex vi illius decernitur effectus ſine effectu, nihilominus verum eſt totum actum primum ſecundùm ſe præceſſiſſe in æternitate ſine effectu, ac proinde non valet conſequentia, eſt actus primus ad producendum Angelum in inſtanti *A*: ergo eſt Angelus productus. Sed neceſſum eeſt adiungi aliam præmiſſam, videlicet, eſt actus primus creandi Angelum in inſtanti *A*, & inſtans *A* eſt iam præſens: & tunc legitimè infertur: ergo exiſtit Angelus.

Inſtabis ſupponamus Deum decreuiſſe creare Angelum ab æterno, & perpetuò illum conſeruare. Decretum, quo decerneretur talis creatio ſemper connecteretur cum effectu: ergo non poſſet eſſe priùs natura illo, ergo actus primus huius Angeli non eſſet prior natura illo. Reſpondeo decretum creandi Angelum ab æterno, & perpetuò illum conſeruendi, eſſe actum primum ſubſtantiæ Angeli, & infinitarum durationum, quas per totam æternitatem haberet, quæ omnes eſſent actus ſecundus adæquatus reſpectu illius, à quo actu ſecundo adæquato actus primus de facto ſeparetur, quia nunquam illi toti ſimul coëxiſteret, ſed ſucceſſiuè in ſingulis inſtantibus ſingulis partibus illius actus adæquati, hoc eſt, ſingulis durationibus; & dum huic coëxiſteret, eſſe ſine omnibus aliis. Et ita à quacumque illarum ſingulariter ſumpta per æternitatem à parte antea, & à parte poſt ſepararetur, quia tantùm illi coëxiſteret per vnicum inſtans, in quo exiſteret illa duratio, & ita ex exiſtentia actus primi non poſſe inferri exiſtentiam totius actus adæquati, qui nunquam ſimul exiſteret, neque exſtitentiā huius partis in particulari, quia hæc tantùm exiſteret in vnico inſtanti, & actus primus illius per totam æternitatem duraret. Quod ſi ſubſtantia Angeli ſemper coëxiſteret actui primo, ſeu decreto, quo produceretur, ideo eſſet, quia decretū eſſet actus primus ſubſtantiæ Angelicæ, ex eo enim quod ſit decretùm efficax circa ſubſtantiā Angeli, tantum infertur Angelum eſſe futurum in aliqua differentia temporis, non verò per totam æternitatem, ſed ex eo, quod eſſet actus primus durationum correſpondentium omnibus

Digitized by Google

temporis inſtantibus, quarum quælibet ſupponit, vel conſtituit Angelum præſentem in certo inſtanti temporis, & ita ratione decreti durationum, ſeu actus primi durationum Angelus debet eſſe exiſtens omni tempore, & conſequenter coëxiſtere cuicumque entitati in quacumque differentia temporis, & hac ratione coëxiſtit decreto, quo decernitur illius ſubſtantia, quatenus eſt decretum, ſeu actus primus durationum.

9 Inſtabis: Duratio non diſtinguitur à re durante: ergo decretum, quod eſt actus primus ſubſtantiæ Angelicæ durantis, & quod eſt actus primus durationis adhuc ex parte obiecti non reſpicit duo, entitatem & durationem, nec eſt actus primus duorum: ergo malè diſtinguimus actum primum Angeli per æternitatem durantis, quatenus reſpicit ſubſtantiam Angelicam, & quatenus reſpicit durationem? Reſpondeo durationem non diſtingui intrinſecè à re durante, diſtingui tamen extrinſecè per aliquod extrinſecum quod connotat entitas durans, quod extrinſecum reſpicit decretum producendi Angelum durantem: diuerſum enim eſt decretum, quo Deus decernit creare Angelum durantem ab æterno, à decreto, quo decernit illum in tempore creare, & diuerſum obiectum reſpicit, etiamſi inſpiciat eandem ſubſtantiam Angeli.

10 Aliter reſponderi poſſet eandem entitatem decreti ſecundùm totum id quod dicit entitatiuum futuram eſſe, etiamſi Deus non decreuiſſet producere Angelum, in quo caſu licet non eſſet illud decretum ſecundùm formalitatem decreti, & eſſet ſecundùm entitatem, eſſet id, quod modò eſt actus primus Angeli, etſi non eſſet vt actus primus, & decretum efficax producendi Angelum, ex quo infertur actum primum Angeli ſecundum ſuam entitatem non habere connexionem cum Angelo, quia eadem entitas quæ modò eſt decretum, & eadem omnipotentia in quibus conſiſtit actus primus adæquatus Angeli producendi exiſterent, etiamſi Deus non decreuiſſet creare Angelum, in quo caſu exiſtente toto actu primo ſecundùm entitatem, etſi non ſecundùm formalitatem, non exiſteret Angelus. Ex quo infertur non valere conſequentiam ex entitate, quæ eſt actus primus Angeli ad ipſum Angelum exiſtentem, quod ſufficit ad prioritatem naturæ. Alij affirmant decretum efficax vt efficax conſtitui per effectum, & non ſupponi ad illum, & ita decretum efficax non ſe tenere ex parte actus primi, iuxta quorum doctrinam ratione decreti nunquam valebit conſequentia de act u primo ad actum ſecundum. Legatur P. Vaſquez tom. 1. in 1. part. diſp. 80. cap. 2. & P. Herice diſp. 16. cap. 9.

11 Obiicies ſecundò: Etiamſi fingamus per impoſſibile Deum eſſe cauſam neceſſariam effectus, non ſequeretur Deum non eſſe priorem natura effectu, & nihilominus mutuò valeret conſequentia, eſt effectus; ergo eſt cauſa: eſt cauſa, ergo eſt effectus, ergo non eſt de ratione prioris & poſterioris natura non dici ad conuertentiam. Reſpondeo adhuc in hoc caſu diuerſo modo inferri effectum ex cauſa, quam cauſa ex effectu, quia ita infertur effectus ex cauſa, vt ſi per impoſſibile fingeremus cauſam deficere per locum intrinſecum, ſequeretur effectum defecturum eſſe, ſi tamen fingeremus per impoſſibile effectum, quem neceſſariò Deus erat producturus per accidens deficere, ex defectu per locum intrinſecum non inferretur defectus cauſæ, quod ſufficit ad prioritatem naturæ, ad quam tantùm requirit Ariſtoteles, vt illa quæ ſunt priora, ita ſint, vt data negatione poſterioris ex hac non inferatur per locum intrinſecum negatio prioris, ſicuti data negatione prioris infertur per locum intrinſecum negatio poſterioris quod intendit Ariſtot. per illa verba: *Alia autem natura priora, quæ huiuſmodi ſunt, vt ſine aliis eſſe poſſint, non item ſine illis alia,* caſu autem quo Deus operaretur neceſſariò, etiam ex ſe poſſet eſſe ſine effectu, quia ſi rurſus fictioni fictio addatur, qua dicamus actionem Dei neceſſariò operantis impediri, non ſequeretur per locum intrinſecum Deum non extiturum ſicuti modò non ſequitur ignem neceſſariò calefacientem non exiſtere ex eo, quod non operetur.

12 Obiicies contra concluſionem, qua diximus actionem non eſſe priorem natura effectu. Actio conſtituit actum primum priorem natura: ergo ipſa eſt prior natura, quia id quod eſt prius natura, non poteſt aliud tale conſtituere. Inſto, actio conſtituit effectum poſteriorem natura: ergo eſt poſterior natura. Vrgeo in effectibus, qui per ſe ipſos ab agente procedunt: nulla interiecta actione, actus primus conſtituitur prior natura effectu per ipſum effectum: ergo effectus ipſe eſt prior natura ſe ipſo. Vide quàm rectè arguas. Reſpondeo actum primum conſtitui priorem per actionem, quæ non debet eſſe prior ſicuti mea duratio hodierna conſtituitur prior per durationem craſtinam, quæ non eſt prior, ſed poſterior. Et ego ſum poſterior Adamo per meam durationem, & durationem Adami, quæ non eſt me poſterior. Inſtabis, actus primus in illo ſigno, in quo præcedit illud, quod eſt poſterius, eſt prior natura: ergo in illo ſigno debet habere id per quod conſtituitur prior: ergo in illo ſigno debet eſſe actio. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia actus primus conſtituitur prior per illud, quod non eſt in illo ſigno, ſed in alio poſteriori, ſicuti duratio hodierna conſtituitur in hac menſura prior craſtina per durationem craſtinam, quæ non eſt in hac menſura, ſed in alia ventura, quæ ſi in hac menſura eſſet, non conſtitueret priorem durationem hodiernam, id enim quod eſt prius, formaliter conſtituitur tale, per id, quod eſt poſterius, quod eſſentialiter eſt in alio ſigno; illa enim quæ ſunt in eodem ſigno non poſſunt inter ſe ſeruare ordinem prioris & poſterioris.

Obiicies vltimò: Si daretur virtus productiua identifi- 13
cata cum actione, virtus illa eſſet prior natura effectu: ergo actio identificata cum illa haberet eandem prioritatem, Reſpondeo repugnare talem virtutem in creaturis, & in Deo reſpectu effectus ad extra producendi, vt probo Controu. 12. Punct. 1.

§. III.

Nonnulla de prioritate expediuntur.

SAtis nota eſt ex dictis diſtinctio inter illa, quæ ſunt 1
natura priora, & priora tempore, ſolùm hic noto prioritatem naturæ importare neceſſariò coëxiſtentiam temporis in illo inſtanti: in quo principium eſt prius natura, & effectus poſterior, quia nihil poteſt influere in inſtanti temporis in quo non eſt, & in quo non ſit illud in quod influit, influxus enim per quem principium formaliter conſtituitur prius, & effectus poſterior, eſſentialiter eſt affixus vtrique extremo, & connotat exiſtentiam vtriuſque in inſtanti temporis, in quo ipſe eſt, ex quo fit principium, & effectum debere tempore coëxiſtere vni tertio, ſcilicet influxui, & conſequenter debere inter ſe coëxiſtere, cum hoc tamen non opponitur principium tempore præceſſiſſe effectum, in quo non fuerit prius illo, Petrus enim prior eſt tempore filio, quem genuit, licet per ſe cauſa non requirat hanc proprietatem, eſſentia enim in primo inſtanti, in quo eſt ſuas paſſiones producit, hæc tantùm eſt legitima conſequentia in omni cauſa. Hoc principium actu eſt prius natura effectu; ergo eſt ſimul tempore cum effectu, ſiue ſimul cum illo, vel antea inceperit eſſe.

Dixi influxum conſtituere principium, à quo procedit 2
prius natura, ex quo inferes id tantùm eſſe prius natura, quod eſt principium, à quo influxus procedit, vel tanquam à cauſa, vel tanquam à conditione prærequiſita. Ex hoc infertur in prioritate naturæ, neque eſſe effectum, neque negationem effectus, quia effectus neque dependet à ſe, neque à negatione ſui, neque effectus, neque negatio effectus influit in ipſum effectum. Ex his deprehendes æquiuocationem ad quam multi offendunt ſic arguentes: effectus non eſt in priori natura: ergo eſt negatio effectus, quia inter effectum, & negationem effectus non eſt medium. Explico hanc argumentationem, effectus non influit in ſe ipſum: ergo influit illius negatio, quia inter effectum, & negationem illius non eſt medium. Inepta argumentatio, eadem tamen cum præcedenti, influere enim idem eſt quod eſſe prius natura, & idem eſt dicere, negatio eſt in illo priori naturæ, quod ſupponitur ad effectum; ac dicere, negatio eſt prior natura effectu, & negatio influit in effectum. Ad illud quod dicitur de immediata oppoſitione contradictoriarum, Reſpondeo non opponi immediatè contradictoriè hæc extrema, *effectus eſt in priori natura*, & *negatio effectus eſt in priori natura*, quia propoſitiones iſtæ cum his conuertuntur, *effectus eſt cauſa*, & *negatio effectus eſt cauſa*, & omnes ſunt falſæ, quia neque effectus, neque negatio effectus eſt cauſa ipſius, ſed entitas poſitiua, à qua dependet, ſicuti nec albedo, neque negatio albedidinis in muſico eſt cauſæ muſicæ, ſed tantùm homo. Contradictorium huius propoſitionis *effectus eſt prior natura*, eſt hæc propoſitio *effectus non eſt prior natura*, quarum hæc eſt vera, & illa falſa. Neque negandum eſt in priori naturæ

Digitized by Google

naturæ effectum non eſſe, ſed abſolutè dicendum in priori naturæ, quod ſupponitur ad effectum, effectum non eſſe, quia ſicuti verum eſt dicere, effectus non eſt cauſa ſui ipſius, ita verum eſt dicere effectus non eſt prior natura ſe ipſo, & effectus non eſt illo priori, quod ſupponitur ad effectum, quia hæ propoſitiones omnes habent eandem omnino ſignificationem, ex quo inferes manifeſtè decipi, qui dicunt in illo priori, quod ſupponitur ad effectum, neque eſſe, nec non eſſe effectum, per ſecundam enim propoſitionem retractant, quod per priorem dixerant. Secunda enim propoſitio tantùm addit negationem quandam ſupra priorem. Attendas quæſo quòd prior propoſitio erat, *neque eſt effectus*; ſecunda *neque non eſt effectus*, quæ tantùm differt à prima per negationem præpoſitam, per quam fit prioris contradictoria, ac proinde, qui vtramque affirmat, duplex defendit contradictorium, dixerat enim per primam propoſitionem effectum non eſt in illo ſigno, & poſtea id ipſum negat

15 Sed adhuc inſtabis: effectus, & negatio effectus ſunt extrema contradictoria: ſed ex duobus extremis contradictoriis alterum eorum debet eſſe in quocumque ſigno, ergo ex his extremis alterum eorum debet eſſe in ſigno naturæ, quod ſupponitur ad effectum. Concedo maiorem, & nego minorem, aliud enim eſt de quocumque in quocumque ſtatu exiſtenti debere verificari vnam ex duobus propoſitionibus contradictoriis, quod verum eſt, aliud vnum ex extremis contradictoriis debere eſſe in quocunque ſigno, quod eſt falſum, quia etſi nullum ſit medium inter hoc quod eſt eſſe album, & non eſſe album, effectum eſſe in ſigno naturæ, & effectum non eſſe in ſigno naturæ: negationem eſſe in ſigno naturæ; & negationem non eſſe in ſigno naturæ: & ita harum propoſitionum, altera debet eſſe vera, datur tamen maximum medium inter hæc extrema, *effectus eſt in ſigno naturæ*, & *negatio effectus eſt in ſigno naturæ*, vt iam probaui, extrema enim contradictoria tantùm immediatè inter ſe opponuntur in ordine ad exiſtendum, & non exiſtendum in rerum natura, ita vt vera ſit hæc conſequentia, *homo non eſt in rerum natura: ergo negatio hominis eſt in rerum natura*, non tamen in ordine ad cauſalitatem, vel ad alia prædicata illis ſuperaddita, in ordine ad quæ deſinunt eſſe contradictoria. Rem clarè cernes de eiſdem extremis in ordine ad idem ſpatium conſideratis: mea exiſtentia, & negatio meæ exiſtentiæ contradictoriè opponuntur: modò dum Compluti exiſto, verum eſt dicere meam exiſtentiam non eſſe Romæ; falſum autem eſt negationem meæ exiſtentiæ eſſe Romæ, quia dum ego exiſto Compluti, non eſt negatio meæ exiſtentiæ in rerum natura, ac proinde non eſt Romæ, id enim quod non eſt, nullibi eſt. Non ergo ſequitur in illo priori eſſe negationem effectus. Fateor tunc verum eſſe dari negationem præſentiæ, quâ mea exiſtentia fiat præſens Romæ, in hoc tamen non tenet paritas exempli adducti, quia illa, quæ ſunt priùs natura non dicuntur eſſe in ſigno aliquo, ſicut dicuntur entia realia eſſe in loco, quia eſſe in loco, dicit præſentiam ſuperadditam, quia locatum loco correſpondet, eſſe autem in ſigno non dicit correſpondentiam ad aliquod extremum, ſed eſſe entitates à quibus fluat influxu, qui non in illo ſignos, ſed in alio dicetur eſſe, ac proinde actus primus adæquatus, qui dicitur eſſe in ſigno naturæ in illo ſigno in quo eſt, nihil intrinſecum neque extrinſecũ importat exiſtens in illo ſigno ſupra ſuam entitatem, conſtituitur enim formaliter prior per influxum exiſtentem in alio ſigno poſteriori quem quaſi ex priori connotat actus primus, qui prior natura dicetur.

Pvnctvm IV.

Quomodo exiſtentia cauſæ ſupponatur ad effectum?

1 Dvplex definienda difficultas eſt in præſenti: Prima eſt an ad cauſandum requiratur entitas actu exiſtens, vel ſufficiat immediatè præceſſiſſe: Secunda quomodo exiſtentia requiſita in inſtanti in quo effectus producitur, vel tantùm in immediatè præcedenti ſupponatur ad effectum. Prima mihi leuiſſima eſt, res enim eſt manifeſtâ experientia comperta rem non exiſtentem non operari, quis enim vidit extinctum ignem lucem producere? quiſue leonem mortuum timuit impetentem, aliúmve effectum à cauſa non exiſtenti producentem vidit? ratio ipſa manifeſtè oſtendit: id quod non exiſtit non habet eſſe: ergo non poteſt alteri entitati eſſe: ſeu entitatem tribuere. Deinde cauſalitas qua effectus dependet à cauſa eſt modus per ſe immediatus affixus cauſæ phyſicæ: ergo non poteſt exiſtere ſine illa, modus enim exiſtere non poteſt ſine re cuius eſt modus.

Occurrunt Thomiſtæ, qui defendunt rem ſine exiſtentia poſſe operari in inſtanti, in quo primò non eſt immediatè ſuæ exiſtentiæ, & dicunt ſufficere immediatè antea cauſam habuiſſe eſſe, vt illud tribuat effectui, & immediatè præceſſiſſe rem in inſtanti antecedenti, vt in hoc poſſit eſſe modus illius. Contra: id quod præceſſit æquè non eſt, & æquè non habet eſſe in primo inſtanti, in quo non habet eſſe, ac in vlterioribus: ergo ſi in vlterioribus operari non poteſt, neque in primo in quo non eſt, poterit operari, vel ſi in primo poteſt, poterit etiam in vlterioribus. Idem infero de modo, qui ſi poteſt eſſe ſine re in hoc inſtanti, in quo primò res non eſt, poterit etiam in ſequentibus, præceſſiſſe enim, vel non præceſſiſſe immediatè antea nihil conducit ad dependentiam, quam hic, & nunc habet modus à re; eodem enim modo dependet calefactio in hoc inſtanti à ſubſtantia ignis, ſiue calor præceſſerit in inſtanti antecedenti, dummodo ignis hîc & nunc exiſtat. 2

Nonnulli contra Thomiſtas arguunt intendentes probare corrupta forma materiali leonis poſſe leonem adhuc viuere ſaltem pro vnico inſtanti, quia modus vnionis poteſt permanere in inſtanti in quo primò forma, à qua tanquam modus à re dependet, & forma in inſtanti in quo non eſt, poterit cauſare compoſitionem, Thomiſtæ tamen hanc doctrinam ad cauſas intrinſecas non extendunt, quæ cùm inadæquatè identificentur cum effectu, exiſtere debent, vt effectus exiſtat. Neque eadem eſt ratio de cauſis extrinſecis, quæ adæquatè ab effectu diſtinguuntur. Similiter arguit Hurtadus diſp. 8. ſect. 5. §. 112. ſequi ex hac ſententia hominem in inſtanti, in quo moritur poſſe videre, ſentire, peccare, & damnari, etiamſi in gratia deceſſerit. Reſpondebunt Thomiſtæ has operationes eſſe immanentes, & importare influxum cauſæ materialis illas recipientis, qui præſtari nequit à cauſa non exiſtenti, ſed adhuc poterit Hurtadus vrgere Thomiſtam, argumento, quod ipſe conficit §. 110. Cauſa materialis non poteſt recipere in inſtanti in quo non eſt, vt conſtat ex hac ſolutione, ergo neque efficiens efficere: vel aliter, cauſa efficiens poteſt efficere in inſtanti, in quo non eſt: ergo materialis poterit etiam recipere: etiamſi hanc conſequentiam deglutiret Thomiſta: illum ego ab abſurdo quod infert Hurtado liberarem, quia etiamſi homo in inſtanti in quo moritur efficienter, & ſubiectiuè viſionem cauſaret, non eſſet viuens, quia viuens dicit compoſitum ex viſione & ſubiecto quod implicat eſſe non exiſtente ſubiecto, ſicuti ſuprà dixi de compoſito eſſentiali, quod forma non exiſtente, exiſtere non poteſt. 3

Obiicit Thomiſta: Continguitas loci ſufficit ad operandum: ergo contiguitas temporis: ergo entitas poterit operari in inſtanti, in quo primò deſinit eſſe. Inſtat: entitas poteſt operari in loco immediatè à parte antea, & à parte poſt: ergo poterit in tempore vtrinque immediato, & ita operari antequam exiſtat, in inſtanti immediato illi in quo extitura eſt. Vrget: Cauſa poteſt operari in ſpatio diſtanti, & mediato, dummodo approximetur media alia concauſâ immediata illi ſpatio: ergo poterit in tempore etiam remoto, & mediato, ſi approximetur medio alio immediato illi tempori, & ita homo, qui immediatè fuit ante me, poterit modò mecum in hoc tempore operari, etiamſi quinquaginta ante annos deceſſerit. Reſpondeo diſparem eſſe rationem, id enim, quod non exiſtit in hoc loco, ſed in alio abſolutè exiſtit, & habet entitatem, illud verò quod non exiſtit in hoc tempore, etſi dicatur exiſtere in alio abſolutè non exiſtit, & ſtrictè loquendo dicendum non eſt, res exiſtit in alio tempore, ſed rem extituram eſſe in tempore venturo, vel extitiſſe in præterito. 4

Obiicit ſecundò Thomiſta: Homo moritur in hoc inſtanti in quo non eſt: ergo poteſt operari in inſtanti in quo non eſt. Quàm bellè egregia operatio mors eſt. Argumentum explico; mori hominem in hoc inſtanti, eſt fuiſſe in antecedenti, & non eſſe in hoc: ergo idem eſt dicere, homo poteſt mori in hoc inſtanti, in quo non eſt, ac ſi diceres, homo qui in inſtanti antecedenti fuit, poteſt non eſſe in hoc inſtanti, in quo non eſt: vide ergo quomodo 5

Digitized by Google

ex hoc antecedenti inferatur : ergo poteſt operari.

6 Obic. Tertiò : Diſpoſitiones ad formam in inſtanti in quo non ſunt, influunt in illam : ergo poteſt cauſa operari in inſtanti in quo non eſt. Nego antecedens, & illo admiſſo poſſe diſtinguere conſequens : ergo poteſt cauſa operari in inſtanti in quo non eſt : per influxum phyſicum, nego conſequentiam : per influxum moralem, concedo conſequentiam : influxus enim diſpoſitionum in formam non eſt phyſicus, ſed moralis.

7 Obiic. quartò : Sacramenta agunt in inſtanti in quo non ſunt : ergo: diſtinguo antecedens; phyſicè nego: moraliter, concedo.

8 Maior eſt difficultas, quomodo exiſtentia cauſæ requiratur ad effectum, an videlicet requiratur, vt ratio formalis productiua effectus, vel an requiratur vt conditio tenens ſe ex parte actus primi, an tantùm vt conditio ad actum primum. Suppono, quid ſit requiri tantùm ad actum primum, & quid requiri ex parte actus primi, quod explicui Puncto 2. n. 8. Recole ibi dicta. In mea ſententia quæ eſſentiam ab exiſtentia non diſtinguit, res eſt extra totam controuerſiam, exiſtentiam non ſe habere vt conditionem ſed vt rationem formalem ad effectum producendum, eodem enim modo ſupponitur ad calefactionem ſubſtantia ignis, & exiſtentia cum illa identificata : ſed ſubſtantia ignis ſupponitur vt virtus formaliter productiua : ergo exiſtentia eodem modo ſupponitur. In opinione quæ eſſentiam ab exiſtentia diſtinguit, ſtatutum eſt apud illius ſectatores exiſtentiam ſe habere tanquam conditionem, quia exiſtentia eſt modus, qui in ſua virtute non continet ſubſtantiam aliam eiuſdem rationis cum illa, quæ producitur v.g. exiſtentia ignis *A*, qui eſt modus quidam imperfectior ſubſtantiâ ignis, cuius eſt modus, non poteſt in virtute continere ſubſtantiam ignis B, æquè perfectam cum ſubſtantia ignis *A*; & conſequenter perfectiorem modo exiſtentiali ignis *A*, imperfectiore igne *A*, cuius eſt modus.

9 Cæterùm ego duplicem opinionem inuenio diſtinguentem eſſentiam ab exiſtentia : quædam aſſerit eſſentias eſſe ab æterno, & per productionem, ſeu generationem rei producit tantùm exiſtentiam afficientem eſſentiam, quæ iam, ab æterno ſupponebatur. Dura ſanè cogitatio, quæ mea ſententia toto cœlo à veritate aberrat, illius tamen Authores dabo in Metaph. Controu. 1. & 2. Alij mitiùs philoſophantur aſſerentes eſſentiam, & exiſtentiam inter ſe diſtinctas ſimul produci, & per eandem actionem eſſentiam recipere ſuum eſſe actuale, quod tunc incipit eſſe, adhuc vt diſtinctum ab exiſtentia, & quatenus ab illa diſtinctum habet eſſe actuale, quod per exiſtentiam diſtinctam ſine qua eſſe non poteſt conſtituitur formaliter exiſtens, iuxta hanc duplicem ſententiam, duplicem modum philoſophandi exponam. Secundùm priorem dicendi modum ex his, quos modò retuli, rationem non inuenio cur exiſtentia ignis producentis non ſit tota ratio productiua caloris, vel ignis ab alio igne producto, imò veriſimilius videtur ab illa tantùm procedere actionem terminatam ad effectum, quod ſic ſuadeo. Cùm producitur ignis B, tantum producitur ſecundùm illum dicendi modum exiſtentia illius: ergo poterit produci ab exiſtentia ignis *A*. quin ignis *A*, qui dicitur producens concurrat per ſuam eſſentiam ad producendam exiſtentiam ignis B, qui dicitur productus; rectè enim intelligitur exiſtentia ignis B, producta ab exiſtentia ignis *A*, & neceſſarium non eſt hanc ab eſſentia ignis B, immediatè produci, neque neceſſarius eſt influxus procedens ab eſſentia ignis *A*, ad producendam eſſentiam ignis B, quæ ſecundum hanc ſententiam iam præceſſit ab æterno, & non exiſtit in tempore : ergo ex nullo capite neceſſarius eſt influxus procedens ab eſſentia ignis *A*, nec requiritur, vt producatur eſſentia ignis B, quæ iam ſupponitur, ſed vt producatur exiſtentia, quæ ſufficienter ab alia exiſtentia procedit. Rurſus in omnium ſententia productio ignis ab alio igne eſt à cauſa vniuoca, ſed illius terminus eſt exiſtentia ignis producti & non eſſentia : ergo principium quod debet eſſe eiuſdem ſpeciei cum termino producto debet eſſe exiſtentia, & non eſſentia aliûs ignis; exiſtentia enim huius ignis eiuſdem ſpeciei eſt cum alia exiſtentia, & non cum eſſentia aliûs ignis, Concludo iuxta principia huius ſententiæ maiori conſequentia dictum iri exiſtentiam eſſe rationem formalem producendi quàm eſſe conditionem; & eſſentiam ignis tantùm conducere ad producendũ alium ignem tanquam quid prærequiſitum, vt ſit illius exiſtentia, quæ eſt tota ratio formalis producendi. Exiſtimo tamen melius eſſe conſequentiam ad principia adeò difficilia non ſeruare, quàm id aſſerere, quapropter hæc dicta ſint, non vt probem exiſtentiam eſſe virtutem formaliter operatiuam, ſed vt ad hoc abſurdum traham illos qui modum illum dicendi amplectuntur, & ex illo incipiat impugnatio huius ſententiæ, quam latiùs loco citato exhibebo.

10 Iuxta alium dicendi modum aſſerentem eſſentiam produci ſimul cum exiſtentia cenſeo hanc conditionem dicendam eſſe, & non rationem formalem propter rationem, quam tetigi, eſſe tamen conditionem, certum eſt, quia ſine exiſtentia non poteſt dari eſſentia, ſeu eſſe actuale, à quo tanquam à potentia formali dependeat effectus. Sed adhuc quæſtio, An ſit conditio ſe tenens ex parte actus primi. Sentio ſatis conſequenter dici poſſe, non eſſe conditionem tenentem ſe ex parte actus primi, ſed tantùm requiri vt detur illud eſſe actuale, & tantùm dependere effectum ab exiſtentia cauſæ quatenus eſſentia dependet ab exiſtentia, ſine qua eſſe non poteſt, & ſicuti eſſentia non dependet à priori ab exiſtentia, ita neque effectus dependet à priori ab exiſtentia cauſæ, neque tanquam ab aliquo quod ſe teneat ex parte actus primi; neque neceſſum eſt dici effectum dependere ab eſſe actuali, quod eſſentia dicitur, quatenus exiſtenti, ſed dependere ab illo, quod ſine exiſtentia eſſe non poteſt. Neque rationem aliquam reperio, quæ ſuadeat exiſtentiam requiri ex parte actus primi, adhuc vt conditionem ad effectum. Hæc dixiſſe ſufficiat iuxta principia omnino à veritate aliena, iuxta quæ dum conſequentiùs loquemur, in maiora incidemus abſurda.

11 Acriter contra me inſurgit nouus Complutenſis Thomiſta; quia Thomiſtæ nomine retuli celebre illud argumentum, homo in inſtanti, in quo non eſt moritur : *Ergo in inſtanti, in quo non eſt operatur*, aſſeritque debuiſſe referre Thomiſtam, in quo fictionem hanc legerim, & cùm nullum poſſem, debuiſſem à lectionibus abſtinere, & non argumentum fingere, quod irrideant. Fictionis calumniam facillimè à me excutiam, & obligationi ſatisfaciam, quam in me agnoſcit modernus iſte deſignandi Thomiſtam, in quo prædictum argumentum legerim. Cauezudo tom. 1. in 3. parte quæſt. 6. art. 1. pag. 80. colum. 1. vbi docet Sacramenta in inſtanti, in quo primo non ſunt cauſare gratiam, reſpondens ad argumenta oppoſita apponit exempla ad ſolutionem confirmandam, primò in diſpoſitionibus antecedentibus introductionem formæ, deinde ſubiungit : *Eſt etiam appoſitum exemplum in morte viuentium, res enim certa eſt, quod non moriuntur, niſi viuentia; tamen in inſtanti mortis iam viuens non eſt, non viuit, ſed ſufficit, quod vixerit toto tempore antecedenti, vnde in illo inſtanti dicitur eſſe ſufficienter, cùm verè dicatur mori, cùm tamen in alio inſtanti non verè dicatur mori, licèt fuerit viuens; mori autem mutatio phyſica eſt realis.* En argumentum quod Thomiſtæ nomine retuli apud Cauezudum expreſſum. Quis ergo finget, ego, qui argumentum refero ea ratione, qua apud Cauezudum inuenio, vel qui dicit me hoc argumentum finxiſſe vt illud crederent? ſciunt omnes argumenta iſta longè illuſtriora apud Cauezudum reperiri, & referunt adoleſcentes, qui vix prima ſcholarum limina ſalutarunt. Hoc vnum Thomiſtam in hac Complutenſi Vniuerſitate Theologiæ Cathedræ moderatorem ignorare quis credet? Difficiliùs tamen mihi perſuaſum erit ipſum ſcientem hoc argumentum apud Cauezudum reperiri illius fictionem mihi impoſuiſſe. Hoc vnum ſcio, quod ſi Cauezudum in hac parte non legerat, legiſſe debuerat, ne temere aliis fictionem imponeret.

Prad. 2. p. Controu. 13. art. 1. n. 15.

12 Subdit immediatè contra illos inferri hominem in inſtanti, in quo moritur, poſſe videre, ſentire, & peccare. Reſpondit : hoc argumentum contra illos non procedere, quia ipſi non loquuntur de cauſis intrinſecis, nec de actionibus immanentibus, dum aſſerunt cauſam poſſe operari in inſtanti, in quo non eſt. Eandem ſolutionem pro Thomiſtis dedi immediatè antequam argumentum Cauezudi referrem, ex quo poſſet Recentior iſte agnoſcere, quàm longè abſim ab argumentis fingendis, quæ Thomiſtis imputem, cùm ſolutionem adducam argumentis contra illos adductis in eadem materia, in qua ille mihi fictionem imponit. Nec debuiſſet iſte argumentum, quod pro Thomiſtis diſſoluo, & reiicio immediatè poſt me citatum referre vt omnes, qui apud illum tale argumentum relatum legerint abſque hæſitatione ſibi perſuadeant, me eo argumento contra Thomiſtas vti.

PVNCTVM

Digitized by Google

Pvnctvm V.

An cauſa remota, ſit vera & propria cauſa?

1 Cauſam remotam vocamus illam à qua medio effectu, quem ipſa proximè produxit, effectus alius procedit v.g. produxit ignis calorem in ſe, hic calor calorem alium producit, ad quem immediatè ignis non concurrit, calor à calore productus effectus remotus dicitur ignis producentis calorem in ſe. Ex quo inferes Deum, qui aliàs eſt cauſa proxima omnium creaturarum, in quas immediatè influit, eſſe ſimul cauſam remotam illarum, quæ ab aliqua cauſa creata producuntur, quatenus influit in creaturam producentem aliquem effectum, exempli gratia: Producit Deus ignem, ignis producit calorem: quatenus Deus immediatè cum igne concurrit ad producendum calorem, eſt cauſa proxima illius; quatenus produxit ignem, à quo calor producitur dicitur cauſa remota caloris.

2 Communis loquendi modus cauſas remotas ſimpliciter cauſas appellat, neque de hac re diſtinctè antiqui quæſtionem inſtituêre. Hurtad. diſput.8. ſect.4. multis intendit probare cauſam remotam non eſſe propriè cauſam, neque dicendam eſſe cauſam per ſe. Arriaga diſp.7. ſect.4. aſſerit quæſtionem hanc de nomine, in re enim ſiue dicatur cauſam remotam eſſe veram cauſam & per ſe influere, ſiue dicatur non eſſe propriè cauſam, & influere per accidens, idem omnino influxus illi eſt concedendus, neque noua cauſalitas conceditur, aut negatur, omnes enim admittunt cauſam remotam influere immediatè, & per ſe in proximam, & hanc in effectum, & nullus cauſæ remotæ influxum aliquem præbet præter illum, quem præſtat circa ſuum proximum effectum influentem in alium, cuius cauſa dicitur. Fateor rem ita ſe habere, neque in hoc poſſe aliquod eſſe diſcrimen in re, exiſtimo tamen in præſenti multùm curandum eſſe de modo loquendi, tum quia debemus loqui denominibus rebus accommodatis, ſi enim quis diceret Petrum eſſe equum, & poſtea diceret Petrum eſſe animal rationale, & nullo modo eſſe animal hinnibile tantùm in nomine à reliquis Philoſophis diſſentiret, tamen hoc modo nominibus abutẽs ab ſcholis explodendus eſſet, omnes enim ſcientias, illarumque terminos perturbaret, tum etiam quia ex modo loquendi in hac re dependet ſolutio quæſtionis non contemnendæ in Philoſophia: an videlicet effectus ſuam cauſam remotam producere poſſit, quod ſi modò aſſero cauſam remotam tantùm eſſe cauſam per accidens, magnum robur tribuo ſententiæ affirmanti; ſi verò cauſam remotam propriam, & per ſe cauſam appellem, vires ſumet negatiua ſententia quæſtionis iam propoſitæ, quia quod eſt per ſe cauſa, eſt per ſe prius, ac proinde non poterit eſſe poſterius, nihil enim poteſt eſſe prius & poſterius reſpectu eiuſdem.

3 Dupliciter poteſt influere cauſa remota, primò eo modo, quo meus auus in me influxit, qui produxit meum patrem, quem poſtea non conſeruauit, & ita, quando meus pater in me influxit, tam non dependebat à meo auo. Alio modo poteſt influere cauſa remota, actu producens, vel conſeruans cauſam proximam à qua illius remotus effectus proximè dependet, ſicuti ignis, qui actu conſeruat calorem in ſe, qui calorem producit in ligno. Aſſero cauſam remotam propriè, & per ſe phyſicè influere quando influit poſteriori modo aſſignato in effectum actu influentem in aliũ. Rationem huius concluſionis pro multis quæſtionibus Theologicis atque Philoſophicis obſerua. Quotieſcumque effectus dependet ab aliqua cauſa, ita vt non poſſit ſubſiſtere, illa deficiente, quin alia ſuppleat vices illius, dependet ab illa tanquam à cauſa propriè, & per ſe influente. Ratio eſt manifeſta: illud, quod ab alio, per accidens dependet, eodem modo ſubſiſtit, ſiue abſit ſiue adſit nullo vices illius ſupplente, vt patet in ædificio, quod per accidens pendet ab habitu Muſicæ, quem habet artifex, & ita eodem modo ſubſiſtet, ſiue adſit habitus, ſiue abſit, etiamſi nullus loco illius ſubrogetur. Deinde quia quotieſcumque effectus perſeuerat deficiente aliqua illius cauſa, loco cuius alia ſubſtituitur, non poteſt inferri cauſam illam non eſſe cauſam propriè & per ſe. Aliàs ignis non eſſet cauſa propria caloris, neque Petrus generans Ioannis geniti, quia deficiente igne, qui calorem producit, & deficiente Petro, qui Ioannem genuit, remanent calor productus, & Ioannes genitus, quia Deus vt cauſa prima ſubſtituitur loco cauſarum primò producentium ad hos effectus conſeruandos. Ex hoc principio infero ignem producentem calorem in ſe eſſe propriè cauſam reſpectu caloris producti in aqua à calore in igne producto, quod ſic probo: deficiẽte igne, qui calorem in ſe produxit, ſi alia cauſa loco illius non ſubſtitueretur, deficeret calor productus ab igne, quia non poteſt permanere ſine conſeruante: ergo ſi deficeret antiquum conſeruans, & aliud non ſuccederet, deficeret calor conſeruandus, qui fuerat ab igne productus. Rurſus deficiente calore producto ab igne, ſi non ſubſtitueretur alia cauſa loco illius, deficeret calor productus in ligno propter eandem rationem: ergo de primo ad vltimum deficiente igne ſi alia cauſa non ſubſtitueretur loco illius non permaneret calor in ligno ex vi eiuſdem influxus, quo ante erat productus: ergo dependebat tanquam à cauſa per ſe ab igne, ſine quo, vel ſine alio loco illius non poteſt conſeruari ex vi eiuſdem influxus.

Effectum, qui primo modo dependet à cauſa remota actu non influente in proximam exiſtimo non dependere ab illa phyſicè tanquam à cauſa propria, & per ſe, neque reſpectu huius effectus cauſa remota propriè poteſt dici cauſa per ſe, quod ſic probo. Cauſa remota non influit phyſicè adhuc remotè inſtanti in quo producit proximum effectum, non in inſtanti in quo effectus remotus producitur: ergo nunquam: primam partem antecedentis ſic probo: in inſtanti in quo cauſa hæc producit ſuum proximum effectum non exiſtit effectus remotus, vt ſupponimus ergo non poteſt cauſa in illum influere, influxus enim dicit dependentiam vnius ab alio, illud autem quod non eſt neque proximè, neque remotè eſt dependens, ego enim non poteram dici dependens, à meo auo in inſtanti, quo meus parens genitus fuit, in quo & multis poſtea annis, nondum exiſtebam, & eram æquè indifferens ad exiſtentiam cum multis indiuiduis, quæ ab eodem parente potuerunt procreari, & procreata non fuere, neque maior erat ratio cur ego dicerer tunc dependens à meo auo, quàm illa indiuidua, quæ potuerunt produci à meo parente, & producta non fuêre: ratum ergo ſit effectum non dependere phyſicè à cauſa remota in inſtanti, in quo effectus non producitur, ſed a cauſa proxima, à qua producendus eſt. Secundam partem antecedentis probo. In inſtanti in quo ego genitus fui à meo parente per eandem omnino actionem, & omnino eodem modo eſſem productus, ſiue meus auus in illo inſtanti exiſteret, & nunquam ex eo quod non exiſtat, neceſſum eſt aliquam aliam cauſam in me influere, quæ non influeret ſi exiſteret meus auus: ergo exiſtentia mei aui in inſtanti, in quo fui productus, omnino per accidens ſe habet ad meam productionem: ergo in illo inſtanti in me non influit, neque poterit dici cauſa per ſe meæ entitatis, neque proxima, neque remota, quia poteſt non exiſtere, id autem quod non exiſtit, neque remotè influit in effectum; quod ſi exiſtat æquè per accidens eſt illius exiſtentia ad mei productionem, ac ſi non eſſet: ergo nunquam poteſt eſſe cauſa per ſe. Vna hæc eſt ratio concluſionis huius effectus remotus, hic & nunc æquè producetur exiſtente, & non exiſtente cauſa remota, à qua proxima hic & nunc non dependet: ergo talis cauſa remota omnino per accidens ſe habet reſpectu effectus. 4

Dixi phyſicè non dependere hunc effectum à cauſa remota, quia ſentio moraliter dependere ab illa tanquam à vera cauſa morali non quatenus exiſtente in inſtanti, in quo producitur effectus remotus, ſed ab illa quatenus exiſtenti in inſtanti, in quo cauſa proxima fuit producta. Rem probo, & explico: ego in hoc inſtanti, in quo producor, dependeo à mea cauſa immediata, & ab omni illo, à quo mea cauſa immediata in eodem inſtanti dependet; ſed meus parens in inſtanti generationis, in quo ego depẽdeo ab illo, dependet moraliter ab exiſtentia præterita mei aui, ergo eadẽ dependentia, qua meus parens dependet immediatè in hoc inſtanti generationis, ego mediatè ab eodẽ dependeo. Minor tantùm indiget probatione: meus parens hic & nunc conſeruatur ex eo quod fuerit antea productus à meo auo exiſtẽte, & ſi tunc illa productio non præceſſiſſet, hic & nunc non conſeruaretur, quia Deus hunc influxum, ex vi cuius meus parens conſeruatur, ſubſtituit loco actionis præteritæ à meo auo exhibitæ: ergo ſi illa actio non præceſſiſſet, non eſſet modò hæc conſeruatio, 5

neque

Digitized by Google

neque meus parens exiſteret: ergo hîc & nunc meus parens in inſtanti meæ generationis dependet ab actione, quæ proceſſit à meo auo exiſtente: non phyſicè, quia nihil phyſicè dependet ab illo, quod non eſt: ergo moraliter: ergo eadem dependentia, qua meus parens proximè dependet, dependeo ego remotè iuxta doctrinam traditam. Ex hoc inferes me modò phyſicè dependentem tantùm à Deo conſeruante, moraliter dependere ab omnibus meis progenitoribus, quia quod Deus hîc & nunc me conſeruet, dependet ex eo quod illi præceſſerint, & altero eorum deficiente, non me conſeruaret ex hac numero prouidentia, & ſerie decretorum, ex qua hic & nunc mea conſeruatio dependet. Quod ſi Deus modò me conſeruaret per decretum, quo decerneret hic & nunc meam exiſtentiam non præuiſa actione, qua fui primò productus à meo parente, ita vt ex vi eiuſdem decreti modò exiſterem, etiamſi nullus ex meis progenitoribus præceſſiſſet, neque phyſicè neque moraliter ab illis dependerem, quod ex doctrina tradita clarè conſtat.

6 Vno hauſtu totam doctrinam traditam ſolido, vniuerſalique principio probaui, & fundamentum Hurtadi deſtruxi, & quod magis mirabile eſt non aliam impugnationem contra Hurtadum adduxi, quam ipſi debere non poſſem, ſic ait ibidem ſect. 9. § 175. neſcio an ſanè ſibi conſtans: *Cauſa per ſe eſt, quæ per ſe neceſſaria eſt ad effectum, ita vt ſine illa effectus eſſe non poſſit.* Subdit ipſe immediatè; *ſic ignis, & aqua, aliæque cauſæ remotæ ſunt per ſe cauſa calefactionis in ligno procedente à calore in ipſis exiſtente, quia licet calefactio adæquatè dependeat à calore, ignis tamen, & aqua ſunt neceſſarii ad exiſtentiam caloris*: quomodo autem hæc componenda ſint cum ſententia, quam ipſe tradit ſect. 4. non calleo: illum arguentem audiamus, ſic inſurgit: Primò, deficiente cauſa remota eodem modo remanet effectus: ergo effectus non pendet à cauſa remota. Diſtinguo antecedens deficiente cauſa remota, & ſupplente alia locum illius, concedo: deficiente alia & nulla vices illius ſupplente remanet effectus, nego. Sed poſſes inſtare: Demus modò Deum producere ignem, & ignem producere calorem in ſe, & calorem productam in igne producere calorem in ligno approximato, & calorem productum in ligno, ſenſationem in viuente; dummodo Deus conſeruaret calorem in ligno permaneret ſenſatio: ſed conſeruans calorem in ligno tantùm ſuppleret concurſum, quem præſtabat calor productus in igne; ergo deſtructo igne, qui erat cauſa remota ſenſationis, & nulla alia cauſa ſubrogata, loco ignis permanet ſenſatio: ergo & ex vi eiuſdem actionis: ergo ignis, qui erat cauſa remota ſenſationis non influebat per ſe in ſenſationem. Reſp. Deum conſeruantem calorem productum in ligno non ſolùm ſupplere in ordine ad illum calorem vices cauſæ proximæ, à qua producebatur talis calor, ſed etiam omnium cauſarum remotarum, quia ſubrogat ſuum influxum loco alius, qui pendebat ab aliis cauſis, & immediatè, & per ſe Deus præſtat calori, quem modò conſeruat, totum illud, quod præſtabant omnes cauſæ remotæ à quibus dependebat, ac proinde vices omnium ſupplere dicitur. Ex hac doctrina Minor illa: *Sed Deus conſeruans calorem in ligno tantùm ſuppleret concurſum, quem præſtabat calor in igne*: vt ſonat, concedenda eſt; ſed negandum quod intendit arguens videlicet hoc tantùm eſſe ſupplere vices principij proximi illius conſeruationis: qui enim ſupplet concurſum dependentem à pluribus cauſis remotis, & ab vna proxima, in ordine ad effectum conſeruatum ex vi illius influxus, qui loco præcedentis ſubrogatur, ſupplet non tantùm vices cauſæ proximæ; à qua ille influxus dependebat, ſed etiam omnium remotarum.

7 Obiic. ſecundò Hurtad. Eodem modo influit cauſa proxima in remotam, media proxima, quo potentia viſiua videt ſubiectum albedinis, media albedine: ſed qui videt albedinem, non videt ſubiectum media albedine; ergo qui influit in effectum remotum, media illius cauſa proxima, non influit in illum effectum. Reſpondeo negando antecedens, eſt enim longè diuerſiſſima ratio, ego enim non dicor remotè videns ſubiectum albedinis, quia albedo quam ego video, videat ſubiectum cui inhæret, ſicuti dicor influere remotè in motum localem, quia immediatè influit in hunc impulſus, in quem ego influo; albedo enim ſubiectum non videt, imò etiamſi albedo parietem videret, non diceret ego videns parietem media albedine, ſicuti ex eo quod videam Petrum Solem videntem, non dicor Solem videre, quia viſio, qua Petrus videt Solem, & viſio, qua ego Petrum video omnino diſparatè ſe habent, & etiamſi vna ab alia dependeat, viſio Petri non poteſt me videntem conſtituere, quia videre formaliter dicit immanentiam, viſionemque in me receptam; cauſare autem non dicit hanc immanentiam, & ideo etiam cauſa proxima dicitur actu cauſans per effectum ab illa adæquatè diſtinctum, & nullo modo vnitum, & materialis cauſa etiam præciſa vnione cauſa materialis formæ in actu ſecundo conſtituitur.

Obiic. tertiò opinionem Durandi aſſerentis effectus pro- 8
ductos à cauſis ſecundis tantùm mediatè pendere à Deo, quam omnes Theologi damnant, quia ex illa ſequeretur Deum non eſſe cauſam per ſe illorum: ergo ſentiunt Theologi cauſam remotam non eſſe cauſam per ſe. Reſp. Theologos non damnare hanc ſententiam, quia ex illa inferatur Deum non eſſe cauſam per ſe effectuum, quos producit mediis cauſis ſecundis, ſed quia aſſerit, Deum non eſſe cauſam proximam illorum, quod per ſe abſurdum eſt, quia cùm cauſa remota non influat in effectum niſi quatenus influit in cauſam proximam illius, ſequeretur ſemel producto Angelo Deum non poſſe impedire illius operationem quod abſurdiſſimum eſt.

Pvnctvm VI.

An idem effectus poſſit dependere diuiſim à duplici cauſa?

In hanc quæſtionem non cadunt intrinſecæ cauſæ. Cer- 1
tum enim eſt duplicem cauſam intrinſecam numero diſtinctam, non poſſe cauſare eundem numero effectum. Ratio eſt manifeſta: Cauſa intrinſeca identificatur cum effectu, & compoſitum hoc nihil aliud eſt, quàm hæc materia, hæc forma, & hæc vnio, ergo nequit dari hoc compoſitum ſine hac materia, hac forma & hac vnione: ergo ſi loco huius materiæ alia poneretur, aliud eſſet compoſitum Neque effectus negatiui maiorem locum inueniunt in hac quæſtione, licèt ratione oppoſita, quia nullus dubitat eandem expulſionem, ſeu carentiam frigiditatis in hoc ſubiecto poſſe ab hoc vel illo calore procedere, quicumque enim calor adueniens expellit eandem frigiditatem, quam inuenit in ſubiecto, & ita eandem carentiam eiuſdem frigiditatis inducit. Relego etiam ab hac quæſtione finalem cauſam, quæ nimis impropriè cauſa dicitur, non enim dubium eſt me poſſe idem iter agere cauſa inuiſendi amicum, aliudve negotium tractandi, licet non defuerint, qui dixerint actionem diuerſam ex diuerſa intentione procedere. Ita P. Arrub. 1. p. diſp. 58. c. 4. & 5. quem ſequutus eſt P. Hurt. tr. 2. diſp. 117. c. 2. n. 11. quorum fundamentum hoc eſt. Actio procedens à principio diuerſo, diuerſa eſſe debet, quia per ſe ipſam illud attingit: ſed intentio eſt principium actionum; ergo ex diuerſa intentione diuerſa actio procedet. Diſtinguo maiorem: poſito diuerſo principio phyſico, à quo actio per ſe ipſam dependet, actio eſt diuerſa, concedo maiorem: poſito principio diſtincto morali, à quo actio per ſe ipſam non dependet nego maiorem: ſed intentio eſt principium actionis, diſtinguo eodem modo: eſt principium phyſicum, à quo actio per ſe ipſam dependeat, nego minorem: eſt principum morale, à quo actio non dependet per ſeipſam, concedo minorem; deinde nego conſequentiam.

Reſtat difficultas hæc de cauſa materiali reſpectu for- 2
mæ, & de cauſa efficiente, leuis vtraque, & leuiſſima, vel nulla reſpectu cauſæ materialis; eadem enim forma, quæ educitur ex hac materia potuit ex alia educi, omnes enim materiæ de facto exiſtentes ſunt eiuſdem rationis, & quælibet capacitatem habet ad recipiendam quamcumque formam, & ita hæc materia potuit antecedenter recipere formam, quam de facto recipit alia materia, & forma ab hac & illa materia, diuiſim dependere. Trahitur tota difficultas ad duplicem cauſam efficientem vtramque creatam, quia de vna creata, & altera increata dubium eſſe non poteſt, certum enim eſt Deum poſſe ſe ſolo producere effectum, quem cauſa ſecunda producit.

Negant Capreolus, & Maiſ. relati à P. Soar. in Metaph. 3
diſp. 26. ſect. 5. in quam partem propendet D. Thom. quodlibet. 5. exiſtimant enim hi Doctores quamlibet cauſam ſub ſe habere claſſem quandam effectuum adæquatè diſtinctam, ita vt nullus effectus contentus in virtute huius cauſæ in illius virtute contineatur. Affirmat P. Suar. iam

relatus

Digitized by Google

relatus cum Scot. in 2. diſt. 20. q. 2. quam ſententiam maior pars Scholaſticorum defendit.

4 Dico primò. Poſſibiles ſunt duæ virtutes actiuæ vniuocæ eiuſdem ſpeciei quarum neutra ſub propriæ actiuitatis ſphæra habeat aliquem effectum, ex his, quos poteſt alia producere. Sit ratio: virtutes hæ non repugnant ex aliquo capite: ergo poſſunt à Deo produci. Aſſigna implicationem, vel totum concede. Confirmatur: Non repugnat duplex ignis productiuus caloris immediatè nulla actione interiecta: ſed nullus calor ita ab hoc igne productus poſſet ab alio dependere, quia dependeret per ſe ipſum ab hoc ſicuti modò dependet actio interiecta: ergo poſſibilis eſt duplex cauſa vniuoca, quarum neutra poſſit producere effectum, quem alia producere valet.

5 Dico ſecundò. Poſſibilis eſt duplex actiua virtus, quarum vtraque eoſdem numero effectus producere poſſit, ita vt nulla illarum valeat effectum edere, ad quem producendum altera per modum actus primi virtutem non habeat, probanda eſt hæc concluſio ex non repugnantia harum cauſarum, nulla enim poterit aſſignari, ex qua liceat aſſerere virtutes has inter ſe repugnare. Secundò ex parte effectuum repugnare non poſſunt tales virtutes, quia effectus non dependent immediatè per ſe ipſos, ſed mediis actionibus ergo ex ſe indifferentes ſunt, vt dependeant ab hac vel illa cauſa. Neque repugnantia ex parte principiorum, ſeu virtutum poteſt inueniri, quia nulla excogitari poteſt in eo quod multiplicentur diſtinctæ numero virtutes in actu primo, quarum quælibet adæquatè poſſit effectum producere, in ſe enim quælibet ſine reſpectu ad aliam repugnantiam non habet, aliàs vtraque repugnaret, ex reſpectu aliquo inter vtramque intercedente repugnantia oriri nequit, quia cum hæ virtutes ſubiectum commune non habeant, oppoſitionem contrariam habere nequeunt, neque alia poteſt inter has virtutes probabiliter excogitari: Confirmatur: non repugnat hunc effectum, qui poteſt adæquatè à cauſa prima produci, poſſe à cauſa ſecunda eodem modo produci: ergo non repugnabit hunc effectum, qui poteſt, & de facto producitur ab hac cauſa, potuiſſe antecedenter produci ab alia: ſi id de aliquo effectu concedis, quod ſine fundamento negabis, poſſe contingere reſpectu omnium, dummodo hæc virtus aliam virtutem intra ſuæ actionis ſphæram tanquam effectum non contineat perſpicuum eſt.

6 Dico tertiò. Ex potentiis actiuis de facto exiſtentibus non quælibet habet ſub ſe ſeriem effectuum adæquatè diſtinctam ab illa, intra quam alia ſuam poteſt extendere actionem, neque quælibet poteſt producere omnes effectus, quos alia producere valet. Hæc concluſio nulla poteſt efficaci ratione oſtendi, eſt enim de facto, quod nullo certo fundamento nobis conſtat; probabiliter tamen ita ſuadetur pars, quæ affirmat non quamlibet cauſam habere ſub ſe omnes effectus, quos habet alia. Probatur ex D.Th. 1. p. q. 45. art. 5. ad 1. vbi docet cauſam vniuocam non poſſe habere pro obiecto adæquato totam ſpeciem, aliàs ſe ipſam tanquam obiectum reſpiceret, & poſſet ſe ipſam producere, quam rationem expendit Soar. ſuprà, & nos adducemus Controu. 9. puncto 10. ad probandum idem non poſſe eſſe cauſam ſui ipſius. Confirmatur, & declaratur. Experientia compertum eſt hunc ignem producere illum; v. g. ignem *A* ignem *B*: ergo ignis *B* continetur in virtute ignis *A*: ſed idem ignis *B* non continetur intra propriam virtutem actiuam: ergo aliquis ignis poteſt produci ab igne *A*, qui produci non poſſit ab igne *B*.

7 Partem aliam aſſerentem plures effectus, qui poſſunt ab hac cauſa produci, poſſe etiam produci ab aliis ratione Theologicâ non contemnenda probo: Ex Scriptura, & hiſtoriis Eccleſiaſticis conſtat multos homines datos eſſe ſuis parentibus ex meritis Chriſti, quos non haberent ſine Chriſto, cuius meritis eorum ſterilitas fuit fœcunda, vt patet in Anna matre Samuelis, 1. *Reg.* 1. Sara matre Iſaac *Geneſ.* 18. Eliſabeth matre Baptiſtæ, *Lucæ* 1. & in Matre S. Bonauenturæ, & aliis plurimis, quod confirmat totius Eccleſiæ conſenſus, fideles enim preces fundunt, vt ex meritis Chriſti, ex his parentibus filij procreentur: ergo ex meritis Chriſti hi homines ex his parentibus nati ſunt: ſed aliàs erant naſcituri independenter à meritis Chriſti: ergo poterant ab aliis parentibus naſci. Conſequentia eſt legitima, quia ſi independenter à meritis Chriſti erant naſcituri, & non poterant ex aliis parentibus naſci, independenter à meritis Chriſti, ex his naſcerentur, & merita Chriſti in hoc negotio nullam poſſent vtilitatem habere. Maior Scripturæ teſtimonis firmiter eſt ſtabilita. Sola Minor, ſeu ſecundum Antecedens indiget probatione, videlicet illos homines independenter à meritis Chriſti eſſe naſcituros, quod confirmat communis Theologorum opinio, quæ aſſerit Deum non meruiſſe exiſtentiam hominum, ſed redemptionem illorum, & poſſet multis rationibus probari deſumptis ex decretorum ordine, quibus ſuperſedeo, quia nimis Theologicæ ſunt, tantùm in medium adduco celebre Auguſtini teſtimonium Epiſt. 105. *Etenim Chriſtus non pro nullis*, hoc eſt non pro non exiſtentibus, *vt homines crearentur, ſed pro impiis mortuus eſt, vt iuſtificarentur.* Infero ergo Petrum procreatum à Ioanne potuiſſe à Franciſco procreari, ac proinde poſſe effectum ab hac cauſa dependentem diuiſim ab alia dependere.

Obiic. primo. Determinatio productionis huius indiuidui prouenit à cauſa producente: ergo cauſa producens non poteſt eſſe indifferens ad producendos plures effectus, quos ſub ſe habeat. Reſpondeo certum eſſe cauſam quamlibet eſſe indifferentem ad producendos plures effectus, quos virtualiter continet, ex quibus determinatur ad producendum hunc potiùs, quàm illum cuius determinationis fundamentum inquirendum eſt, ſiue poſſit producere effectus, quos alia, ſiue non poſſit, ac proinde argumentum prædictum contra noſtram ſententiam nihil probat, quia principium determinans cauſam ad hunc numero effectum, inter plures, quos poteſt illa producere valebit determinare eandem cauſam inter effectus quos eadem & alia cauſa pariter producere poſſunt. 8

Obiic. ſecundò. Effectus, qui modo dependet ab hac cauſa, potuit ab illa dependere: ergo non dependet aſſentialiter ab hac. In omnium ſententia hoc argumentum locum inueniet, quia certum eſt effectum dependentem ab hac cauſa potuiſſe dependere à Deo. Reſpondeo effectum potentem ab hac, & illa cauſa diuiſim dependere, à nulla determinata eſſentialiter dependere, dependere tamen per ſe, hoc eſt, tanquam à vera cauſa, non per accidens influente ab illa à qua recipit eſſe, quia ita dependet ab illa, vt non poſſet ſubſiſtere ablatâ illa cauſa, ſi alia loco illius non ſubſtitueretur, quod eſt dependere per ſe. 9

Obiicit quidam contra id, quod dixi effectum moraliter dependere à cauſa remota, media cauſa proxima, quæ actu non conſeruatur à primo producente, me id ſine cauſa dixiſſe, illudque probare non poſſe, & per accidens omnino eſſe, vt me Deus modò conſeruet, fuiſſe priùs productum, à talibus hominibus vſque ad Adamum. Reſpondeo: neminem poſſe negare me Deum modò conſeruare, quia priùs fui productus, & ad hoc, quod fuerim productus à meo parente per ſe conduxiſſe exiſtentiam mei parentis, & ad hanc per ſe conduxiſſe actionem, qua meus parens fuit productus à meo avo, & ſic in aliis progenitoribus. Nam etſi meus parens eodem modo produceret me, etſi immediatè ipſe à Deo fuiſſet productus, hoc probat cauſas remotas non eſſe cauſas eſſentialiter requiſitas, non verò ſuadet non eſſe cauſas per ſe, in eo oppoſitum manifeſtè probatur, ſi enim meus auus, vel alius loco illius meum patrem non produxiſſet, neque meus Pater, neque ego ab eo fuiſſemus producti. 10 *Prad. 2. p. Controu. 1. art. 4. n. 77.*

Obiicit inſuper me contra omnem vſum, & rationem transferre cauſalitatem moralem ad eſſe phyſicum, quod eſt in cauſis omni cognitione, & ratione, & moralitate carentibus. Reſpondeo cauſam moralem debere cauſare media alia ratione prædicta, quia cauſat mouendi voluntatem alius, id verò, quod voluntatem mouet poteſt eſſe quid Phyſicum, & ratione deſtitutum, vt per ſe notum eſt, ex eo enim quòd videt Deus cauſas naturales applicatas ad agendum, ſuóque indigere concurſu, vt agant, mouetur ad concurrendum cum illis, & quando videt duo agentia contraria intendentia producere effectus inter ſe incompoſſibiles, mouetur ad concurrendum cum hoc potius, quàm cum illo, quia eſt fortius illo. Hæc ſunt omnibus nota, videat iſta iuxta quorum vſum, & qua ratione dixerit eſſe contra omnem vſum & rationem. 11

PVNCTVM VII.

An duplex cauſa poſſit in eũdem effectũ totaliter influere?

QVidquid dicatur de dependentia eiuſdem effectus à duplici cauſa diuiſim ſumpta huius difficultatis diſputatio 1

Digitized by Google

tatio integra perſeuerat, cùm enim certum ſit eundem effectum poſſe diuiſim à Deo, & à creatura adæquatè dependere, diſputandum ſupereſt, an poſſit ſimul à cauſa creata per influxum totalem, & per alium adæquatè diſtinctum à cauſa increata dependere, etiamſi adhuc diuiſim non poſſit à duplici cauſa creata idem effectus dependere. Addo reſpectu eiuſdem cauſæ creatæ poſſe hanc exagitari quæſtionem; eadem enim cauſa poteſt diuiſim per diuerſas actiones adæquatas eundem producere effectum, & de illa inſurgit difficultas, an ſimul poſſit diuina intercedente potentia per duas illas actiones, quæ diuiſim poſſunt ad eundem effectum terminari, illum producere, ita vt qualibet ablatâ ex vi alterius ſuperſtitis integer effectus perſeueret. Neque aliud eſt inquirere an idem effectus poſſit dependere à duplici cauſa adæquata, niſi inquirere an poſſit dependere per duplicem influxum adæquatum certum enim eſt naturaliter poſſe procedere per vnicum influxum à duplicatiuo principio, quorum quolibet virtutem habeat adæquatam actiuam ad illum effectum adæquatè ponendum extra cauſas,

2 Eadem ratione, quâ Puncto præcedenti cauſas intrinſecas à quæſtione relegaui, illas reſpectu compoſiti ad hanc difficultatem non voco, vnicum enim compoſitum vnica forma circumſcribitur; cui ſi aliam adiungas compoſitum aliud ſaltem inadæquatè diſtinctum illa conſtituet.

3 De cauſa finali iuſurgit difficultas reſpectu intentionis efficacis, electionis mediorum, & aliarum actionum voluntatis, & reſpectu operationum aliarum potentiarum, leuis tamen de vtriſque. Affirmo nullum actum internum voluntatis poſſe dependere à duplici fine adæquato. Ratio eſt obuia: Actus internus voluntatis intrinſecè, & per ſuam entitatem reſpicit ſuum obiectum, quod ſe tenet ex parte finis, & per ſe ipſum ab alio dependet, ita vt non poſſit non dependere ab illo, à quo ſemel dependet: ergo actus, qui dependet à duplici obiecto, ita à quolibet illorum dependet vt non poſſit non dependere: ergo à neutro dependet adæquatè. Patet conſequentia, eo ipſo quod non poſſit non ab vtroque dependere, neutrum ſeorſim ſumptum ſufficiens eſt, vt alio ablato actus perſeueret; ergo neutrum influit adæquatè, influere enim hanc cauſam adæquatè in hunc effectum dicit, vt ex vi illius omni alia ablata effectus ſubſiſtere poſſit.

4 De actibus externis aliarum potentiarum longè aliter dicendum eſt, certum enim puto poſſe quãlibet actionem externam à duplici cauſa finali dependere media duplici intentione efficaci duorum finium, quod ſic probo, In primis eſt certum poſſe reperiri in voluntate duplicem actum quemlibet ex ſe ſufficientem ad determinandam potentiam externam ad aliquam actionem, v.g. duplicem volitionem deambulandi ex duplici fine, quarum quælibet illarum ſeorſim ſumpta efficaciter imperaret deambulationem, in quo caſu probo in actu ſecundo deambulationem procedere adæquatè à qualibet illarum volitionum ſimul exiſtentium. Illa deambulatio, ita procederet vt qualibet illarum intentionum ablata, alia ſuperſtite, eadem permaneret ſine alio nouo influxu procedente ab hac intentione permanente; ergo intentio permanens antea adæquatè influebat in deambulationem: Conſequentia eſt legitima, quia modo adæquatè dependet deambulatio ab intentione, quæ vnicè exiſtit: & non per dependentiam, quam antea non haberet: ergo ſicuti modò dependet adæquatè, ita dependebat antea, ſiquidem eandem dependentiam habebat. Antecedens duplicem partem continet, vtramque ſeorſim probo. Pars vna dicit ablata vna intentione, alia ſuperſtite deambulationem permãſuram, quod perſpicuum eſt, quia cùm ſupponamus illam intentionem ex ſe in actu primo habere virtutem imperandi adæquatè deambulationem, eo ipſo quod exiſtat in ſubiecto ſuam virtutem exercet, poſita enim volitione in actu primo efficaciter imperante actionem externam, non ſupereſt iam libertas ex parte voluntatis ne ab hac intentione, quæ iam ſupponitur procedat deambulatio. Alterum in Antecedenti contentum eſt, volitionem illam non aliter influxuram quàm antea influebat, quod ſic oſtendo; Influxus volitionis in actionem externam non eſt actio aliqua phyſica intermedia media qua hæc ab illa dependeat, ſed tantùm coëxiſtentia virtutis potentis imperare cum actione externa imperata, quæ per ſympathiam reſultat poſita volitione; ſed coëxiſtentia eſt eadem: ergo influxus eſt idem. Influxum volitionis in actionem externam conſiſtere in coëxiſtentia volitionis potentis influere, & ipſius actionis externæ, probo latè in Controu. 8. de Anima, vbi latè de imperio voluntatis diſputo: coëxiſtentiam eſſe eandem notum eſt, quia coëxiſtentia non diſtinguitur ab exiſtentia extremorum: ſed extrema exiſtentia ſunt eadem: ergo coexiſtentia eſt eadem.

5 De cauſa materiali, & efficienti eadem eſt omnino ratio, cum idem ſit vtriuſque influxus, & idem eſt rem produci per duplicem actionem eductiuam adæquatam, ac recipi per duplicem paſſionem, ſic tota iam difficultas vertitur ad principium efficiens, ſeu ad cauſalitatem actiuam, an videlicet duplex principium actiuum poſſit ſimul adæquatè influere in effectum, vel quod idem eſt an duplex cauſalitas actiua, ſeu duplex actio adæquata poſſit ſimul ad eundem effectum terminari. Quidquid enim de cauſalitate actiua dixerimus, de paſſiua eodem modo intelligendum eſt.

6 Negat Pater Vaſquez tom. 1. part. 3. diſp. 29. cap. 4. affirmat Pater Soarez in Metaph. diſput. 26. ſect. 5. n. 13. vterque ſuos habet aſſeclas. Ego in hac re Soarium ſequor, cuius ſententiam iam probo. Nulla eſt repugnantia in eo, quod idem terminus duplicem cauſalitatem actiuam ſimul terminet; ergo poterit illam terminare diuina omnipotentia intercedente: antecedens mihi firmum erit, donec aliquis repugnantiam aſſignet, quam illico ſoluam, vt illud inconcuſſum conſeruem, ſed adhuc illud ſuadeo. Repugnantia ex parte virtutis actiuæ præciſè ſumptæ nulla exiſtit, idem enim effectus ſimul continetur ſub pluribus principiis actiuis, quod ſaltem reſpectu creati, & increati negari non poteſt, neque ex eo quod principium ſuam virtutem exerceat alterius actiuam virtutem intrinſecè euacuat: reſpectu actionum ſi aliqua eſt incompoſſibilitas, eſt formalis ſimilis incompoſſibilitati duarum formarum in eodem ſubiecto, quæ poteſt vinci à Deo cui integrum eſt, quantumuis hæc actio ſeu hæc forma exigat negationem aliùs cum qua eſt incompoſſibilis, illam contra talem exigentiam conſeruare: repugnantia ex parte termini nulla eſt, quia terminus nullam virtutem exercet circa actionem, neque ex parte illius magis requiritur ad terminandum ſimul actiones, quàm ad eaſdem ſucceſſiuè terminandas, quam rationem de termino vnionis latiùs expendam Controu. 8. Puncto 1. ergo ex nullocapite aliqua poteſt eſſe repugnantia, in eo quod effectus ſupernaturaliter dependeat à principio effectiuo per duplicem cauſalitatem adæquatam.

7 Puto hanc concluſionem iuxta propria principia adeò efficaciter probaſſe, vt illius ratio difficilem reddat tradendam aliam propter quam idem effectus non poſſit à duplici cauſa adæquata etiam naturaliter dependere; non etiam poſſumus recurrere ad incapacitatem ſubiecti actionis, neque ad incapacitatem termini, ſi enim ex hoc capite naturaliter non poſſet effectus duplicem cauſalitatem terminare, etiam ſupernaturaliter repugnaret, vt efficaciter probo Controuerſ. 8. Punct. 1. Neque incompoſſibilitas formalis actionum ſufficiens videtur ratio, quia incompoſſibilitas formalis ſumitur in ordine ad ſubiectum, ſeu actio creatiua nullum habet ſubiectum: ergo actio creatiua cum nulla alia entitate poteſt habere incompoſſibilitatem formalem: ergo ratione huius incompoſſibilitatis nullum eſt impedimentum, ne poſſit idem effectus terminare duplicem actionem creatiuam, vel vnam creatiuam; & aliam eductiuam. Dices terminum, qui poteſt terminare actionem generatiuam, non poſſe naturaliter actionem creatiuam terminare, eſto non creetur naturaliter, ſuppoſita creatione, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali quoad modum, inquiro an generatio naturaliter poſſit terminari ad effectum creatum, quem poſſet reſpicere, ſi creatio non terminaretur ad illum, & an harum actionum coëxiſtentia ſpecialem dicat repugnantiam naturalem diſtinctam ab illa, quam diceret quælibet illarum ſeorſim ſumpta. Secundò in duplici ratione creatiua clariùs vrget noſtra difficultas, quælibet enim illarum naturaliter poteſt eundem attingere terminum. Vltimo adhuc reſpectu duplicis actionis generatiuæ reſpicientis idem ſubiectum argumentum conficiunt. Actiones non repugnant niſi ratione terminorum, ita actio productiua dulcedinis, & actio productiua albedinis non repugnant, & repugnant actio productiua caloris, & productiua frigiditatis, quia non repugnant albedo, & dulcedo, & repugnant frigiditas, & calor: ſed

duplex

Digitized by Google

duplex actio terminata ad eundem effectum non repugnant in ſubiecto ratione termini cùm eundem vtraque reſpiceret: ergo ex nullo capite repugnaret.

8 Reſpondet Arriaga diſp. 7. ſect. 10. non poſſe eundem effectum terminare duplicem actionem, quia earum altera eſſet ſuperflua, natura autem nihil ſuperfluum admittit. Non acquieſcit animus, quia vtraque actio ſecundùm ſe eſt poſſibilis: ergo ſi agens ſit in actu primo ad illam, & paſſum in potentia principium actiuum ſuam exercebit actionem, etiamſi per accidens hic & nunc neceſſaria non ſit; agenti enim naturali, & actioni dimanaturæ omnino extrinſeca eſt exiſtentia alius actionis, ac proinde eodem modo ſe habent principium, & actio illius, ſiue alia exiſtat, ſiue non exiſtat, niſi dicat Arriaga agens naturale moueri, ne actionem eliciat, & ipſi actioni notum fieri ne in medium proſiliat, quia modò non eſt neceſſaria, ſed vt expectet quouſque alia non exiſtat, & terminus illa indigeat.

9 Nihilominus dicendum exiſtimo terminum naturaliter produci non poſſe per duplicem actionem. De duplici actione generatiua reſpectu eiuſdem ſubiecti facilè poteſt reddi ratio petita ex incompoſſibilitate actionum, quæ illis competere poteſt ratione ſui, etſi ratione terminorum incompoſſibilium non illam participent, licet enim bene inferatur, termini non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: ergo neque actiones, non ideo licet inferri, actiones per ſe ipſas formaliter aliam incompoſſibilitatem non habere ratione euius, ſi per impoſſibile ſepararentur à terminis adhuc inter ſe mutua eſſet formalis oppoſitio. Hanc ergo habent duæ actiones terminatæ ad eundem terminum, etiamſi nulla ſit in vtriuſque termino oppoſitio, non enim rectè infertur, albedo poteſt eſſe in ſubiecto: ergo in eodem poterunt naturaliter coexiſtere plures actiones ad eandem albedinem terminatæ. Neque poteſt eſſe multiplex actio reſpectu eiuſdem termini exiſtens quælibet in ſubiecto diſtincto, quia cùm diſtincta ſubiecta diſtinctum occupent locum, ſi terminus per actiones exiſtentes in diſtinctis ſubiectis poneretur, in eiſdem ſubiectis conſtitueretur naturaliter, & exiſteret naturaliter in duplici loco, quod contingere non poteſt. Inquires: quid, ſi ſubiecta naturaliter, vel ſupernaturaliter idem ſpatium occuparent? Reſpondeo in hoc caſu aſſignandam eſſe repugnantiam in his duabus generationibus, quam in duabus creationibus iam aſſigno.

10 Affirmo nullum terminum poſſe terminare duplicem actionem, ſiue vtramque generatiuam, ſiue creatiuam, ſiue vnam generatiuam, & creatiuam alteram propter eandem rationem, propter quam non poteſt effectus iam corruptus iterum produci, quia ſicut nunquam determinatur principium ad actionem terminatam ad effectum, qui ſemel fuit productus, & iam eſt corruptus, ſed ſemper determinatur circa nouum effectum, ita non determinatur circa effectum, qui iam per aliam actionem, ſiue ab eodem, ſiue ab alio principio procedentem exiſtit. Hæc ratio generalis eſt pro omnibus effectibus quam etiam ſuo modo accommoda pro effectibus creatis, licet enim Deus liberè determinet omnes cauſas ad productionem effectuum ſecundùm rationem indiuiduam, nunquam tamen aliquam determinat ad productionem effectus, iam corrupti, ſed ad nouum effectum, & potiori ratione, neque ad productionem effectus iam producti, & exiſtentis, neque ſe ipſum determinat ad duplicem creationem reſpectu eiuſdem termini, quia cognoſcit vnam eſſe ſufficientem, & alteram, eſſe ſuperfluam, hæc enim ratio, quam contra Arriagam impugnaui reſpectu agentis liberi circa vltimas effectuum indiuiduationes optima eſt.

11 Ex hoc capite, ſi Deus crearet Angelum per duplicem creationem, etiamſi illa ſimultas creationum non eſſet iuxta legem ordinariam, tamen nihil importaret contra exigentiam actionum, neque contra termini exigentiam, quia reproductio eiuſdem effectus tãtùm repugnat ex lege Dei, non verò ex aliqua ratione phyſica; quapropter ſi alia repugnantia non inueniatur in ſimultate harum actionum, non poſſe eundem effectum terminare duplicem actionem creatiuam, vel vnam actiuam, vel aliam generatiuam, tantùm erit ex lege Dei, non verò ex aliqua ratione phyſica. Multum in hanc ſententiam propendebam, verumtamen, quia nimis ſingularis videtur, etſi non in re magni momenti, aliud caput aſſigno, ex quo deſumatur incompoſſibilitas actionum. Dici poteſt actiones ipſas etſi ſubiecto carentes, incompoſſibilitatem habere, ex eo præciſè, quod in eundem terminum feruntur, ratione cuius quælibet exigit alterius non eſſe, neque cum altera naturaliter componi poteſt, quæ oppoſitio differt ab illa, quæ eſt inter alias formas, quia oppoſitio inter formas eſt in ordine ad ſubiectum commune, oppoſitio verò inter actiones creatiuas, vel inter generatiuam, & creatiuam non eſt in ordine ad ſubiectum commune, ſed in ordine ad terminum communem. An verò hæc oppoſitio propriè ſit dicenda formalis, vel tantùm impropriè, quia non eſt inter formas eiuſdem ſubiecti, quæſtio eſt tantùm de nomine. Aliam rationem adducit Soar. quam tribuit Caietano, reſpectu agentium creatorum, videlicet non poſſe duo eodem modo applicati ad productionem eiuſdem effectus, illam vide apud eundem loco citato, non enim vacat omnia examinare. Vnum te moneo, rationem hanc adæquatam non eſſe ad præſentem difficultatem, non enim ex illa poteris reſpondere, cur idem effectus non dependeat ab eodem numero principio per duplicem actionem totalem.

Obiic. contra concluſionem, qua diximus poſſe ſupernaturaliter eundem effectum procedere à duplici principio adæquato, ſeu per duplicem actionem adæquatam. Eo ipſo quod effectus recipiat eſſe ab hoc principio, habet exiſtẽtiam: ergo nõ habet iam quid recipiat ab alio, neque vllum poteſt præſtare effectum formalem alia actio. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, effectus enim iam habens exiſtentiam eandem, iterum ab alio principio recipere poteſt, & eadem exiſtentia, quæ erat ex vi prioris actionis licèt ſecundùm ſe non aliud nouum recipiat eſſe, incipit tamen idem habere ex vi alius actionis præcedentis. Ad illud de effectu formali reſpondeo, quod ſi nomine effectus formalis intelligatur illud, quod ex vi actionis extra cauſas ponitur, idem eſt formalis effectus vtriuſque actionis, ſi verò nomine formalis effectus intelligatur complexum ex termino, & actione, diuerſus formalis effectus eſt quem conſtituunt diuerſæ actiones ſicut diuerſum compoſitum, quod diuerſæ formæ conſtituunt. 12

Obiic. ſecundò. Effectus dependet à cauſa, quia illa indiget, & ſi cauſa non indigeret, dependere non poſſet adhuc de potentia Dei abſoluta: ſed nullus effectus poteſt duplici cauſa indigere, adhuc de potentia abſoluta, ergo nec dependere. Reſpondeo effectum indigere cauſa nihil aliud eſſe, quàm non eſſe ens infinitum, & à ſe, eo enim ipſo quod tale nõ ſit, cauſa aliqua indiget à qua recipiat eſſe, & conſequenter à qua dependeat. Hæc indigentia ſeu hoc non eſſe infinitum, & à ſe, fundamentum eſt, ex quo neceſſariò reſultat effectum exiſtentem ab vna cauſa hac, vel illa neceſſariò dependere. Similiter eſt fundamentum quo deficiente non poſſet à duplici cauſa dependere, quia ſi entitas eſſet à ſe, vel ſi eſſet repugnans, quod eſt non eſſe entitatem, ſed figmentum, neque ab vna neque multiplici cauſa dependere poſſet, & ita neceſſariò requiritur, vt effectus indigeat dependere ab aliqua cauſa, vt ab vna & multiplici dependere poſſit, quia poſita natura effectus etiamſi ex illa non neceſſariò inferatur duplex dependentia, infertur poſſe illam ſupernaturaliter terminare, quia non omnis dependentia debet eſſe orta ex indigentia, quam habeat effectus reſpectu illius, ſufficit enim indigere aliqua dependentia, vt poſſit plures terminare. Ita concedendum eſt, quod ſi effectus nulla dependentia indigeret non poſſet illam habere, quia tunc vel eſſet à ſe vel eſſet figmentum, de ratione enim entis poſſibilis creati eſt indigere dependentia. Ad illud, quod dicitur, ideo dependet ab vna cauſa, quia indiget vna dependentia, concedo, dependet à pluribus qui indiget pluribus dependentiis, nego. Sufficit enim vnica dependentia indigere, vt poſſit plures terminare. 13

Obiic. tertiò. Cauſa, quæ influit in conſortio alterius non eſt tota cauſa effectus: ergo non eſt cauſa totalis: ergo implicat dari duplicem cauſam totalem reſpectu effectus eo enim ipſo, quod influat duplex cauſa, quælibet influit in conſortio alterius. Reſpondeo diſtinguendo primum antecedens. Cauſa quæ influit in conſortio alterius, non eſt tota cauſa, vltra quam non ſit alia, concedo antecedens: non eſt tota virtus, quæ præſtat influxum aliquem ex vi cuius, quocumque alio ſecluſo ſubſiſtat effectus, nego antecedens; deinde nego conſequentiam, quia cauſa totalis non eſt, quæ influit ſine conſortio alterius, ſed quæ ita influit, vt ex vi illius influxus, ablata quacumque alia cauſa ſubſiſtat effectus. 14

15 Rubius,qui docuit lib.2.tract.7.*de comparatione cauſarum*, quæſt. 1. poſſe eundem effectum ſimul produci à duplici cauſa totali, negat ibidem n.69. effectum productum tempore antecedenti ab alia cauſa, & conſeruatum in hoc, poſſe denuo dependere ab alia cauſa,ait enim ſe non poſſe intelligere eundem effectum iam productum, & permanentem in eſſe recepto iterum produci, quia productio dicit nouitatem effectus: ergo ſi non eſt nouus effectus, non poteſt eſſe noua productio. Ratio debilis, quia actio terminata ad effectum, qui præceſſit in tempore immediato non dat nouum eſſe rei, ſed conſeruat, quod immediatè antea habuit, & ita ſicuti, ſi vtraque cauſa ab inſtanti præcedenti dediſſet nouum eſſe rei, vtraque in hoc inſtanti idem eſſe conſeruaret, ita ſimiliter poſtquàm altera tantùm dedit nouum eſſe rei in inſtanti præcedenti, poteſt vtraque idem eſſe conſeruare in hoc inſtanti, per actiones diſtinctas, quarum vtraque dicetur conſeruatio, quia licet altera modò incipiat eſſe illius terminus, non modò incipit, ſed immediatè antea fuit, & actio non dicitur prima productio ex eo quod primò incipiat, ſed ex eo quòd primò incipiat exiſtere illius terminus. His ſoluitur Rubij ratio, & ſimul impugnatur concluſio ratione adducta. Effectus enim, qui in hoc inſtanti poteſt terminare duplicem actionem, ſi primò inciperet eſſe, vel ſi cum primò incipit eſſe eaſdem terminaſſet, eodem modo poterit illas terminare etiamſi in inſtanti præcedenti alterum tantùm terminauerit, vnica enim terminatio, quæ præceſſit in inſtanti præcedenti neque ratione ſui, neque ratione negationis aliùs terminationis, quæ ſimul cum illa præceſſit opponitur cum duplici terminatione, ſeu duplici actione exiſtenti in hoc inſtanti, aliàs in illo poſſibili.

PVNCTVM VIII.

An duplici entitati poſſit conuenire mutua cauſalitas in eodem genere?

1 INquirimus an calor productus ab alio calore in genere cauſæ efficientis poſſit in eodem genere eundem producere: exempli gratia an calor A productus à calore B, poſſit eundemmet calorem B producere. Similiter poſſet quæſtio procedere de cauſa materiali, quæ non ſit primum ſubiectum, hoc enim nullam aliam habet materialem cauſam, ſed de alio ſecundo ſubiecto. An videlicet calor receptus in quantitate ex eo præciſè, quod in illa recipiatur impeditus maneret ad quantitatem recipiendam, ſi aliàs ad illius receptionem haberet virtutem, in qua hypotheſi locum inuenit hæc difficultas de cauſa materiali, & non in ſenſu abſoluto, quia nulla datur materialis cauſa recipiens formam, in qua antecedenter ad receptionem illius eadem poſſet recipi. De cauſis formalibus nulla eſt dubitandi ratio, quia cùm huius cauſalitas nihil aliud ſit, quàm vnio inter formam, & materiam, implicat hoc extremum quod alteri vnitur tanquam formæ, eidem tanquam materiæ vniri, quia ratio materiæ, & formæ non deſumitur ex diuerſitate vnionis, ſed ex diuerſitate intrinſeca earum entitatum, quæ vniuntur: de cauſis finalibus non recuſabo concedere poſſe duas entitates ſibi mutuò eſſe finales cauſas in eodem genere per diuerſas intentiones, quia ex vi huius intentionis poſſum ego intendere deambulationem propter ſanitatem, & ex vi illius ſanitatem propter deambulationem, quarum prima reſpicit ſanitatem tanquam finem, & ſanitatem tanquam medium. Ratio eſt, quia vt finis moueat non debet ſupponi exercitium, & quo vſque ita ſupponatur poteſt illius aſſequutio efficaciter intendi, & poſtquam ſemel eſt ita intentus poteſt efficaciter amari propter alium finem tanquam medium vtile ad illud.

2 Deuoluitur tota difficultas ad principium effectiuum, de materiali enim in hypotheſi facta eodem modo philoſophandum eſt. Nullam cauſam poſſe quoad primum ſui eſſe produci ab effectu, quem ipſa producit certum eſt inter omnes cuius rationem dabo num. 3. cauſam remotam ſentiebat doctus quidam Magiſter non eſſe cauſam per ſe ſed per accidens, cui principio ita fidebat, vt non dubitauerit abſolutè concedere cauſam remotam poſſe dependere quoad primum eſſe ab effectu ab illa producto in eodem genere: ita vt ſi calor A calorem B produxerat, & hic calorem E: poſſet calor E, calorem A, producere, quia cùm ab hoc remotè tantùm dependeat, quod non eſt dependere per ſe, ſed per accidens, ſtrictè loquendo non eſt illo natura poſterior, & ita abſolutè poteſt eſſe prior. Hanc ſententiam ita abſolutè prolatam puto nullatenus ſuſtinendam eſſe omníque probabilitate carere. Si enim ſine vlla diſtinctione admittamus effectum poſſe producere cauſam remotam in eodem genere quo ab illa procedit, poterit hoc modo defendi omnes creaturas eſſe ſibi mutuò cauſas in genere cauſæ efficientis, & neceſſarium non erit aliquam primam cauſam increatam aſſignare à qua omnes dependeant.

3 Dicendum eſt effectum non poſſe producere ſuam cauſam mediatam, neque immediatam, à qua actu dependet: in eodem genere in quo ab illa dependet, de cauſa immediata concluſionem probo. Effectus ſupponit ſuam cauſam exiſtentem: ergo antequam intelligatur exiſtens effectus, & potens influere intelligitur exiſtentia cauſæ: ergo ſupponitur exiſtens ex vi alicuius actionis conſequens primæ illationis realiter ab antecedenti non differt. Secundam conſequētiam probo: nihil creatum poteſt ſupponi exiſtens quin ſupponatur dependens: ergo debet ſupponi terminans aliquam dependentiam: ergo aliquam actionem, in qua conſiſtit dependentia: ergo eſt poſterior hac dependentia, ſeu hac actione: ergo non poteſt eſſe prior hac actione, neque actio ab illo per ſe dependere, cùm ſupponatur abſolutè exiſtens, antequam adueniat effectus, ita vt ſi hic deficeret, non deficeret ſaltem per locum intrinſecum talis actio. Confirmatur, nulla actio poteſt intelligi ante virtutem cauſatiuam, à qua dependet: ſed actio ex vi cuius producitur hæc cauſa intelligitur antequam exiſtat effectus productus ab eadem cauſa: ergo non poteſt dependere ab hoc effectu tanquam à virtute cauſatiua: ergo effectus non poteſt influere in cauſam per illam primam actionem, per quàm primo exiſtit cauſa.

4 De cauſis remotis à quibus actu dependet effectus eodem modo traditam concluſionem probo. Ad effectum ſupponitur actio productiua ſuæ cauſæ, vt nuper probaui: ergo ſupponitur exiſtens peincipium, à quo procedit talis cauſa: ſed hoc principium eſt cauſa remota: ergo ad hunc effectum ſupponitur exiſtentia cauſæ remotæ. Hæc cauſa remota vel eſt creata, vel increata: ſi eſt increata erit à ſe, & in illa ſiſtet ſeries cauſarum huius effectus: ſi creata: ergo debet ſupponi exiſtens ex vi alicuius actionis exiſtentis: ergo ſupponitur alia actio ad effectum remotum: ergo non poteſt dependere ab illo, eodémque modo arguo donec deueniam ad cauſam increatam, quæ ſupponitur exiſtens à ſe, vltra quam non poteſt cauſarum ſeries procedere.

5 Dixi effectum non poſſe producere cauſam mediatam, neque immediatam, à quibus actu procedit, quaſi primò fuit ab illis productus, etiam ab aliis conſeruetur, poterit eodem modo illas iterum producere vel conſeruare, ac ſi ab illis nunquam dependiſſet. Exempli gratia, Ignis A produxit calorem B, & hic calorem C, qui iam non conſeruatur à calore B, neque à calore A, proximè vel remotè, calor C, poterit modò vtrumque calorem A, & B, producere, ac ſi nunquam ab illis fuiſſet productus. Ratio eſt, quia effectus conſtituitur poſterior principio effectiuo per dependentiam, quam habet ab illo, & ita dum hanc dependentiam habet poſterior eſt, qua ablata non remanet poſterior: ergo ſi aliàs habeat virtutem per modum actus primi poteſt eſſe prior, & influere in illam entitatem à qua olim dependebat, & iam non dependet. Dixi poſſe influere effectum in principium à quo dependebat, & iam non dependet, ac ſi nunquam ab illo dependiſſet, quod intelligo, ſiue per nouam illius principij iam corrupti reproductionem, ſiue eiuſdem exiſtentis conſeruationem, neutra enim ex his repugnabit ab hac entitate procedere ex dependentia tam præterita, ſi aliunde non repugnet, quod ſi repugnet reproductio effectus, vel noua eiuſdem exiſtentis conſeruatio, effectum, qui antea ab entitate reproducenda, vel conſeruanda dependebat, non poſſe hanc reproductionem ſeu conſeruationem exercere, non procedet ex dependentia præterita, ſed ex alio capite de quo non curo.

6 Contra hanc concluſionem ſic explicatam nulla obiectio alicuius momenti excogitari poteſt; non enim requiritur idem eſſe prius, & poſterius reſpectu eiuſdem in eodem tempore, ſed in diuerſis, quia entitas tantùm eſt prior

dum

Digitized by Google

dum ab illa dependet alia, & tantum eſt poſterior dum ipſa dependet, & cùm non concedamus eandem entitatem ſimul influere, & dependere, non concedimus ſimul eſſe priorem, & poſteriorem, id autè reſpectu diuerſorum temporum concedere nullum eſt inconueniens. Tantùm poſſes obiicere: effectus, qui modò conſeruatur à Deo adhuc moraliter depēdet ab illa cauſa, à qua primò fuit productus, quia ideo conſeruatur à Deo in hoc inſtanti, quia antea ab illa cauſa fuit productus: ergo ſaltem moraliter eſt modò effectus poſterior cauſa, à qua non actu depēdet ſed dependit. Reſpondeo effectum conſeruatum à ſolo Deo moraliter eſſe poſteriorem cauſa primo producente relatè ad illius exiſtentiam præteritam, ex vi actionis, quam terminabat, quod non impedit prioritatem reſpectu eiuſdem cauſæ, non vt iam præteritæ, ſed vt actu præſentis ex vi actionis actu ad illam terminatæ.

7 Iam de cauſa quoad ſecundam actionem ex vi cuius adæquatè exiſtat ſuppoſita alia actione, ſimiliter adæquata mihi dubium non eſt poſſe dependere ab effectu, quem ex vi primæ actionis producit etiam in eodem genere, quo illum produxit. Supponit hæc concluſio entitatem poſſe dependere à duplici cauſa totali per cauſalitates adæquatas adæquatè diſtinctas, quod iam probaui Punct. 7. Quā ſuppoſitione facta, ſentio ignem *B*, dependentem ab igne *A*, & producentem ignem *C* poſſe iterum ab eodem igne *C*, dependere per aliam actionem diſtinctam ab illa per quam dependet ab igne *A*. Ratio eſt, quia ad productionem ignis *C*, tantùm ſupponitur exiſtentia ignis *B*, dependens ab igne *A*, & non alia: ſed poſtquam habet hanc dependentiam poteſt habere aliam, ſiquidem potens eſt duplicem adæquatam terminare: ergo poterit illa alia dependentia procedere ab effectu eiuſdem ignis, quia nullo modo illam ſupponit. Confirmatur: ideo effectus non poteſt eſſe principium primæ, ſeu vnicæ actionis, quā virtus illum producens dependet, quia illa actio vnica ſeu prima ſupponitur ad effectum: ergo poterit procedere ab ipſo effectu. Neque in hoc maior eſt difficultas, quàm illa, quæ reperitur in eo quod effectus duplicem dependentiam habeat adæquatam.

8 Obiicies: Eadem entitas non poteſt eſſe prior, & poſterior reſpectu eiuſdem: ſed ſi cauſa dependeret ab effectu quoad ſecundam actionem, eſſet prior & poſterior reſpectu effectus: ergo non poteſt habere hanc dependentiam. Reſpondeo non poſſe idem eſſe prius & poſterius reſpectu eiuſdem, ex vi vnius cauſalitatis, ſeu dependentiæ, bene tamen poſſe, ſi duplicem dependentiam habeat, eſſe prius ex vi huius, & poſterius ex vi illius, ſicuti ſi quis duplicem haberet præſentiam, poſſet ex vi huius præſentiæ eſſe prior in ordine ad locum reſpectu Petri, & ex vi aliùs eſſe poſterior. Sic contingeret in prædicto caſu: ignis *B*, quatenus productus ab igne *A*, prior eſſet igne *C*, quatenus verò ſuppoſita productione ab igne *A*, ex vi cuius eſt prior effectu, terminaret aliam actionem ab igne *C*, dimanans eſſet illo poſterior.

9 Inquires an illa ſecunda actio ſemper dicenda ſit conſeruatio, vel etiam poſſit dici productio, vt à conſeruatione diſtincta? Reſpondeo hanc ſecundam actionem dicendam eſſe productionem vt à conſeruatione diſtinctam, ſi incipiat eſſe in eodem inſtanti temporis, in quo incœpit prima actio, quia in illo inſtanti terminaretur ad effectum qui in menſura præcedenti temporis exiſtentiam non habuit, quod autem effectus ſupponatur productus prioritate naturæ per aliam actionem, non reddit illam actionem conſeruatiuam, quia conſeruatio non dicitur in ordine ad prioritatem naturæ, ſed ad prioritatem temporis, quam ſupponit in termino.

PVNCTVM IX.

An duplici entitati poſſit conuenire mutua cauſalitas in diuerſo genere?

1 MVtua cauſarum dependentia poteſt ſumi reſpectu cauſarum ſecundùm entitatem, vel reſpectu cauſalitatum, quibus cauſæ ſuos producunt effectus vtroque modo ſumptam illam explicabo. Mutua dependentia reſpectu cauſalitatum non ita intelligenda eſt, vt cauſalitas huius cauſæ dependeat à cauſalitate illius, & rurſus illius cauſalitas à cauſalitate huius, hæc enim dependentia eandem habet difficultatem reſpectu cauſalitatum, & reſpectu cauſarum: dependentia ergo cauſalitatum, quam communis admittit ſententia, nihil aliud dicit quàm non poſſe dari cauſalitatem huius cauſæ, ſine cauſalitate alterius, neque poſſe cauſalitatem huius principij non dependere ab illo: in hoc ſenſu datur mutua cauſalitatum dependentia, non enim poteſt dari cauſalitas principij paſſiui ſine cauſalitate principij actiui, neque non dependens ſimul à principio actiuo, & paſſiuo. Ratio manifeſta ſumitur ex identitate cauſalitatum, cùm enim actio quæ eſt cauſalitas agentis, & paſſio, quæ eſt cauſalitas paſſi realiter non diſtinguantur, mirum non eſt non poſſe ſeparari, neque non poſſe aliquam illarum non dependere à principio, à quo alia dependet. Idem dico de cauſalitate intrinſeca materiæ, & formæ reſpectu compoſiti, quæ conſiſtit in eadem vnione, per quam conſtituitur vtraque pars eſſentialis, actu totum componens, ſeu actu cauſans, quæ non diſtinguuntur, idem enim eſt cauſam intrinſecè cauſare effectum, & illum intrinſecè componere. Stat ergo cauſas mutuò dependere quoad cauſalitates, hoc eſt non poſſe vnam ſine alia cauſare.

De dependentia cauſarum ſecundùm ſuas entitates mutuā inter ipſas in diuerſo genere procedit difficultas, 2
mea quidem ſententia omnino eadem cum illa, quam Puncto præcedenti exagitaui de mutua dependentia cauſarum in eodem genere, verumtamen multitudo terminorum, & maior illorum obſcuritas reſpectu cauſarum in diuerſo genere probabilem reddit hanc mutuam dependentiam in diuerſo genere cauſæ, quam in eodem genere nullus audet defendere. Procedit difficultas de cauſis, quæ verè cauſæ ſunt, quia de finali cauſa controuerſia non eſt poſſe eſſe cauſam in genere cauſæ finalis, & effectum in genere cauſæ efficientis, medicina enim eſt principium efficiens ſanitatis, & ſanitas eſt cauſa finalis medicinæ. De cauſis propriis, quæ verum influxum habent, affirmo non poſſe mutuò inter ſe dependere (loquor quoad primum eſſe) quod per ſingulas diſcurrens ſic probo, In primis forma, quæ formaliter totum componit in nullo genere poteſt ab eodem toto dependere, non in genere cauſæ formalis, quia forma nullam cauſam formalem habet, non in genere efficientis, neque materialis, quod ſic probo. Forma debet ſupponere principium à quo procedit iam exiſtens: ergo vt forma dependeat à toto debet ſupponere exiſtens totum: ſed non poteſt ſupponi totum exiſtens ante exiſtentiam formæ: ergo non poteſt exiſtentia formæ ſupponere totum tanquam principium. Non poſſe ſupponi totum exiſtens ante exiſtentiam formæ ſic probo: Totum formaliter includit formam identificatam cum ipſo: ergo implicat in aliquo priori exiſtere totum, in quo non exiſtat forma: ergo implicat totum eſſe priùs forma: ergo implicat totum eſſe cauſam formæ. Confirmatur: Nullus concedet idem poſſe eſſe cauſam ſui ipſius adhuc in diuerſo genere; ſed ſi forma in aliquo genere dependeret à toto tanquam à principio, dependeret à ſe ipſa, ergo non poteſt à toto dependere. Minorem probo: implicat formam dependere a toto quin dependeat ab illo, quod eſt identificatum cum toto, & per quod totum conſtituitur: ſed totum eſt identificatum cum forma, & per illam conſtituitur: ergo implicat formam dependere à toto, quin à ſe ipſa dependeat. Quod ſi dicas formam dependere à toto non quatenus hoc eſt identificatum cum forma, ſed præciſè quatenus eſt identificatum cum materia, eſt dicere dependere tantùm à materia, hoc ego non nego, neque ad rem facit, cùm materia non dependeat à forma.

Aliter fieri poteſt comparatio inter materiam & formam, quarum formam dependere à materia fatentur omnes, materiam verò non dependere à forma, facile euincam, vt hanc mutuam dependentiam relegem. Materiam non poſſe dependere à forma tanquam à cauſa materiali dabunt Aduerſarij, quia materia prima nullam habet materialem cauſam, & quia ipſi mutuam hanc dependentiam in eodem genere cauſæ non admittunt: non dependere tanquam à cauſa formali certum eſt, quia materia prima nullam habet formalem cauſam per quam conſtituatur, quod ſi ilam haberet ſicuti de materia ſecunda, ſeu toto aliqua accidentia recipiente fas eſt dici, adhuc non poſſet forma, quæ ab illa materia ſecunda dependeret, ſeu ab illo toto eſſe cauſam formalem conſti- 3

tutiuam illius ſecundæ materiæ, ſeu totius habentis ſe per modum cauſæ materialis ad illam propter rationes, quibus nuper probaui non poſſe formam dependere in aliquo genere cauſæ à toto, quod formaliter conſtituit. Reſtat dici formam dependentem in genere materialis à ſubiecto in illud influere in genere cauſæ efficientis, quod in forma ſubſtantiali reſpectu materiæ primæ facilè poteſt impugnari ex eo quod materia prima creetur, & nihil per creationem productum poteſt dependere à principio creato, quia nullum ens creatum creandi virtutem habet: tradenda manet vniuerſalior ratio pro ſubiectis ſecundis, quæ per eductionem ſicuti formæ in ipſis receptæ producuntur, quam iam pro omnibus cauſis quomodocumque productis explico.

4 Sit vniuerſalior Conclvsio, quæ omnia huc vſque dicta amplectatur. Nullæ entitates poſſunt ſibi mutuò eſſe cauſæ propriâ cauſalitatis ratione etiam in diuerſo genere. Concluſionem hanc tradunt Suarez in Metaphyſic. diſput. 15. ſect. 8. n. 20. & alij ex antiquis, quos ipſe refert, quibus adde Hurtadum diſput. 8. ſect. 8. Arriagam diſp. 7. ſect. 8. ſubſect. 2. Effectus, in quocumque genere dependeat ab aliquo principio, ſupponit illud iam exiſtens, (pono dependere in genere cauſæ materialis) ergo ſupponit illud iam productum: ergo non poteſt illud primò producere. Fefellit plurimos diſtinctio in diuerſo cauſarum genere, qui ita reſpondent: forma dependens in genere cauſæ materialis ſupponit ſubiectum exiſtens in genere cauſæ materialis, concedo; in genere cauſæ efficientis, nego: ergo non poteſt illud efficere, negant conſequentiam: Et ſi inferas: ergo non poteſt illud cauſare, diſtinguunt conſequens non poteſt illud cauſare in genere cauſæ materialis, in quo dependet, & in quo illud ſupponit, concedo conſequentiam: in genere cauſæ efficientis in quo non dependet, neque illud ſupponit: nego conſequentiam. Quanta in his verbis æquiuocatio! Inquiro illud *in genere cauſæ efficientis, & in genere cauſæ materialis*, ex parte cuius ſe teneat? ex parte modi, quo principium ſupponitur, quod debet eſſe exiſtens, ſeu ex parte modi quo principium, quod eſt exiſtens, eſt prius effectu, quod eſt idem, vel ex parte modi, quod illud principium eſt exiſtens? hoc ſecundum ineptè diceretur, quia ſubiectum neque dicitur exiſtere in genere cauſæ efficientis, neque in genere cauſæ materialis, quia per ſe ipſum exiſtit: quod ſi in aliquo genere diceretur exiſtere, diceretur exiſtere in genere cauſæ formalis, id enim quod alicui entitati per ſe conuenit, dicimus formaliter illi conuenire, ſeu per propriam formalitatem quod poſſet aliquo modo dici in genere cauſæ formalis illis conuenire. Si membra diſtinctionis non ipſum modum, quo ſubiectum exiſtit, ſed modum, quo ſubiectum eſt prius, vt neceſſum eſt afficiant, integra manet difficultas, quam iterum propono: forma, quæ in genere cauſæ materialis eſt poſterior principio paſſiuo ſupponit tanquam cauſam influxuram in genere cauſæ materialis (viam præcludo omni diſtinctioni) exiſtentiam principij paſſiui: ergo illam ſupponit iam productam: ergo non poteſt illam producere.

5 Reſpondent Aduerſarij formam ſupponentem exiſtentiam principij paſſiui priorem in genere cauſæ materialis non ſupponere illam exiſtentiam vt productam, neque productionem principij paſſiui, quia ad oc vt principium paſſiuum cauſet in genere cauſæ materialis tantùm per ſe requiritur exiſtentia paſſiui principij, non verò illius productio, quia paſſio non dependet à productione exiſtentiæ principij paſſiui, ſed ab exiſtentia paſſiui principij ſecundùm ſe. Contra: Paſſio formæ ſupponit immediatè exiſtentiam paſſi ſecundùm ſe ipſam, ſed hæc paſſi exiſtentia ſupponit actionem productiuam illius: ergo de primo ad vltimum paſſio formæ remotè ſupponit productionem exiſtentiæ principij paſſiui, quam proximè ſupponit. Confirmatur: calor dependens ab igne per ſe, & immediatè tantùm ſupponit exiſtentiam ignis, ita vt ſi per impoſſibile ignis exiſteret abſque aliqua dependentia, calor eodem modo dependeret ab illo, & ex eo quod ad exiſtentiam ignis requiretur productio ipſius ignis, calor ſupponens exiſtentiam ignis ſupponit illius productionem: ergo paſſio, quæ ſupponit exiſtentiam paſſi debet ſupponere productionem paſſi eſſentialiter requiſitam ad exiſtentiam eiuſdem, quam ſupponit. Dices diuerſam eſſe rationem, quia productio ignis requiritur ad ignem tanquam quid requiſitum in eodem genere, in quo ignis ſupponitur ad calorem, productio verò paſſi ſupponitur ad paſſum tanquam quid requiſitum in diuerſo genere, ab illo in quo paſſio ſeu forma recepta ſupponit exiſtentiam paſſi. Contra: productio caloris ab igne ſupponens tanquam immediatum principium exiſtentiam ignis, ex eo præcisè ſupponit productionem ignis, quia implicat dari exiſtentiam ignis ſine actione: ergo quotieſcumque ſupponitur aliqua exiſtentia debet ſupponi, quidquid eſſentialiter ad illam requiritur, & ſine quo implicat dari talem exiſtentiam quomodocumque illud requiratur. Secundò: calor ſupponens vt principium efficiens ignem productum, illiuſque productionem: ergo ſupponit illũ iam receptũ, & illius receptionem: ergo non poteſt eſſe principium ſuæ receptionis. Probo conſequentiam: calor ſupponit productionem ignis, non productionem abſtrahentem à creatione, & eductione, quia id ſupponit quod requiritur ad ignem, & ex vi cuius ignis exiſtit, ſed non exiſtit ex vi actionis in communi: ergo non ſupponit actionem in communi, ſed in particulari: ergo vel actionem creatiuam, vel eductiuam: ſi eductiuam ſupponitur iam ignis in ſubiecto receptus, & ex illo eductus: ergo non poterit educi poſtea ex effectu, qui in illo priori, in quo eſt ignis eductus non ſupponitur; ſi ſupponit actionem creatiuam, ergo ignis vt recipiatur in termino producto in genere cauſæ efficientis debet ſupponi aliunde creatus: ergo non datur hæc mutua cauſalitas quoad primum eſſe vtriuſque cauſæ. Neque hoc dici fas eſt, quia ſi terminus poſtea recipiendus eſt per paſſionem non poteſt prius naturaliter ſupponi per creationem productus, quia naturaliter non poteſt idem terminus terminare eductionem, & creationem. Breuiùs rem totam cingo. Actio & paſſio ſunt idem: ergo terminus ſupponens actionem ſupponit paſſionem: ergo ſicuti effectus dependens in genere cauſæ efficientis non poteſt eſſe principium actionis, per quam cauſa producitur, quia illam ſupponit neque poterit eſſe principium paſſionis, quia ſupponit eandem.

Demum vt omnem æquiuocationem in hac materia effugias, cautè aduerte, aliud eſſe rem poni in aliquo ſigno quaſi exercitam in illo, aliud rem exercitam in alio ſigno poni in hoc vt conditionem ad illud, quod in hoc ſigno peragendum eſt. Cùm dicitur creationem materiæ poni in illo priori ſeu illo ſigno cauſæ materialis, in quo materia ſupponitur ad formam, non dicitur creatio materiæ fieri in illo ſigno, ſeu in genere cauſæ materialis, ſed creationem exercitam in genere cauſæ efficientis, ſupponi tanquam conditionem prærequiſitam ad virtutem, quæ in genere cauſæ materialis in illo ſigno ſupponitur. Eodem modo applicatio agentis ad paſſum, quæ fit in genere cauſæ formalis ſupponitur in ſigno, in quo virtus actiua ſupponitur in genere cauſæ efficientis, & alia innumera huiuſmodi exempla. Hæc doctrina apprimè notanda eſt contra illos, qui cùm argumentis ſuprà factis opprimuntur rem confundunt dicentes arguentem genera cauſarum confundere, cùm dicit materiam in illo priori in quo ſupponitur tanquam virtus materialis ad formam ſupponere actionem prærequiſitam ad ſui exiſtentiam, quibus verbis ita ſe protegunt, vt viam diſputationi præcludant ſemel & iterum reclamantes cauſarum genera confundi, vt rem confundant, ne ipſi argumentorum vi confundantur. 6

De diſpoſitionibus eodem modo philoſophandum eſt, dum in actu ſecundo ad formam diſponunt, ac de reliquis aliis cauſis, dum enim in aliquo genere diſpoſitiones influunt in formam, non poſſunt ab hac in alio genere dependere propter eandem rationem, quia non minus ſupponitur exiſtentia diſpoſitionum, vt determinent productionem formæ, quàm exiſtentia cauſæ materialis, vt illam recipiant: ergo ſicuti cauſa materialis non poteſt in aliquo genere dependere à forma, quam recipit; ita neque diſpoſitiones ab eadem forma ad quam diſponunt. 7

Obiicies: Actus contritionis eſt poſterior habitu gratiæ in genere cauſæ efficientis, & prior illo in genere cauſæ materialis, vt diſpoſitio ad illum: ergo poteſt aliquid eſſe prius, & poſterius ſaltem vt diſpoſitio. Vt rem hanc componeret docuit P. Vaſquez 1. 2. diſp. 211. n. 8. diſpoſitiones poſſe dependere à forma ad quam diſponunt, quam doctrinam tradidit Rubius lib. de generatione capit. 4. tit. quæſt. 5. veruntamen plures ſuppetunt modi, quibus

res

Digitized by Google

res aliter ſine hac mutua dependentia poſſit componi:non enim adeo certum eſt vt oppoſitum defendi non poſſit,habitum charitatis, à quo procedit charitatis actus, non diſtingui ab habitu gratiæ. Deinde etiamſi dicatur hos habitus non diſtingui multi cenſent primum actum non produci ab habitu,nec certum eſt,actum contritionis ſupponere ex parte ſubiecti habitum tanquam propriam diſpoſitionem,quibus omnibus dicendi modis tota res ſine hac mutua dependentia agitur,qui verò tenendus ſit alibi definiendum:

9 Alij obiiciunt expulſionem formæ eſſe priorem in genere cauſæ materialis introductione contrariæ, & poſteriorem in genere cauſæ formalis, quibus negandum eſt expulſionem in aliquo genere eſſe priorem, de quo latè Controu.8.Punct.3.

CONTROVERSIA VIII.

De cauſa materiali & formali.

EGI lib. 1. Controuerſ. 2. de materia, & Controu.3.de forma,vbi dum eſſentias harum entitatum explicui, non pauca dixi de virtute cauſatiua illarum, & de cauſalitate materiæ reſpectu formæ, dum explicabam, quomodo formæ præëxiſtant in materiæ potentia, & de cauſalitate vtriuſque reſpectu compoſiti, multa ſcripſi Controuerſ. 4. dum naturam modi vnionis explicabam,abſoluam in præſenti,quidquid pertinet ad perfectam cognitionem harum cauſarum, ex quibus materialis cauſa ſe extendit, non ſolùm ad materiam primam,ſed etiam ad quodcumque ſubiectum ex quo educitur forma realis, vel modalis, ſubſtantialis, vel accidentalis.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid vtraque cauſa, & vtriuſque cauſalitas.

1 MATERIALEM cauſam definit Ariſtoteles in hoc lib. capit. 3. his verbis: *Ex qua cum inſit, aliquid fit*; definitionem hanc meritò recipiunt omnes Philoſophi, contra quam fruſtra recentiores multa congerunt, quæ ſimplici definitionis explicatione euaneſcunt, hanc exhibeo, qua prolixa argumenta vito, & dirimo, feſtinè enim interficit, qui naſci prohibet. Definierat Ariſtoteles materiam primam lib. 1. cap. 9. *Primum cuiuſcumque ſubiectum, è quo quidpiam eo ſit pacto vt non per accidens inſit.* Intendit non ſolùm materiam primam deſcribere, ſed etiam omnem cauſam materialem, quæ latiùs patet, quam materia prima, ideo omiſit particulam illam, *primum ſubiectum*, cuius ratio formæ poteſt competere, quæ etſi ſit formalis cauſa compoſiti, eſt cauſa materialis plurium proprietatum, quæ ex illa educuntur, omiſit etiam illam particulam, *eo pacto vt non per accidens inſit*, quæ tantùm poteſt conuenire ſubiecto reſpectu ſubſtantialis formæ & materialis cauſa non ſolùm ad hanc ſe extendit, ſed etiam d formas accidentales, quæ ex illa educuntur. His demptis particulis, quod ſupereſt in definitione omni materiali cauſæ conuenit & non alij, quod ſic oſtendo. Do verbum *ex* cõmune eſſe omnibus cauſis, imò etiam omni principio, quod latiùs cauſa patet. Definit enim Ariſtoteles prima principia, *quæ non fiunt ex alijs neque ex alterutris, ſed omnia fiunt ex ipſis*, & hac ratione forma poteſt dici, ex qua fit totum, ita fert communis loquendi modus, quo dicimus totum conſtare ſeu componi ex materia, & forma; componi autem idem eſt, quod intrinſecè cauſari, cauſæ enim intrinſecæ non alio modo, quàm componendo, cauſant. Neque audiendi ſunt, qui dicunt hac, & ſimilibus loquutionibus verbum *ex* ſumi impropriè, ſi enim frequenter ſumitur hoc verbum in acceptione, quam volunt impropriam eſſe, ex quo capite poterimus cognoſcere an hic & nunc verbum *ex* propriè, & non impropriè ſumatur? Sentio definitionem hanc cauſæ materiali præciſe competere ratione illius particulæ *cum inſit*, quæ referenda eſt ad ly *aliquid*, ita vt faciat hunc ſenſum, *cauſa materialis eſt ex quo aliquid fit, quod illi inſit*,in hoc ſenſu definitio omni cauſæ materiali conuenit, quia omne, quod fit ex cauſa materiali illi ineſt media paſſione, & non poteſt alij principio, ſeu cauſæ competere, licet enim ex forma fiat compoſitum, & illa inſit materiæ, & ſit in compoſito compoſitum autem factum ex forma non ineſt ipſi formæ, & ideo non poteſt ad illam tanquam ad cauſam materialem referri, cui debet ineſſe illud, quod fit ex illa. Hoc intendit Philoſophus per illam particulam, *cùm inſit.*

Cæterùm eſt valde notandum materiam dici in ordine 2
ad duplicem terminum cauſam materialem, in ordine ad formam, & vnionem, quæ ex illa educuntur, & illi inſunt, & in ordine ad compoſitum, quod componit, quod non poteſt dici in eſſe materiæ, potius materia dicitur eſſe in compoſito, tanquam incluſum in includente, & pars in toto. Compoſitum cauſat materia ſeipſam communicando tanquam aliquid illi intrinſecum, ex quo componitur, & cum quo inadæquatè identificatur, formam verò,& vnionem cauſat tanquam effectus adæquate ab ipſa materia diſtinctos,quos totos ponit extra ſe entitatiuè, ita vt nihil illorum conſtituat formaliter neque componat, ſed tantùm illis det eſſe per receptionem, quod agens tribuit per actionem. Reſpectu horum effectuum materialis cauſa propria cauſa dicitur,ſicuti de materia prima reſpectu formarum ſubſtantialium probaui Controuerſ. 3. Punct. 4. in ordine ad quos cauſam materialem definit Ariſtoteles definitione adducta non in ordine ad totum quod non ineſt materiæ, neque propriè eſt illius effectus vt poſtea oſtendam. Ex hoc inferes illam particulam *cum inſit* non eſſe intelligendam de inhæſione media vnione, ſed media paſſione,per quam cauſa materialis conſtituitur in actu ſecundo cauſans, ad cuius conceptum formalem non ſpectat ordo ad vnionem, quia ad hoc vt materia cauſet formam neceſſum non eſt illi vniri,etſi ſemper vnio illius cauſalitatem comitetur,vt probaui Punct. citato,vbi oſtendi cauſalitatem materialis cauſæ eſſe paſſionem, ſeu receptionem accidentalem & non vnionem. Neque diminutè proceſſit Ariſtot. ex eo quod non definierit cauſam materialem in ordine ad totum, quia vt exactè res definiatur non debet definiri in ordine ad omnia extrema, ad quæ dicit ordinem,neque cauſa in ordine ad omnes effectus eſt neceſſariò explicanda, ſed ſufficiet illam explicari per ordinem ad aliquem effectum per quem poſſimus totam naturam definiti perfectè cognoſcere.

Conceptus cauſæ materialis, & formalis in ordine ad 3
totum componendum nullam dicunt receptionem accidẽtalem, aut potentiam ad illam ex parte materialis cauſæ recipientis, aut formæ receptæ vt probaui Controuerſ. 2. Punct. 3. & Controuerſ. 3. Punct.3. vbi de conceptu materiæ, quæ eſſentialiter eſt cauſa materialis totius & de conceptu formæ quæ eiuſdem eſt formalis cauſa diſputaui. Neque alius eſt conceptus cauſæ materialis totius,quã conceptus potentis componere per modum partis materialis, & conceptus formalis cauſæ quam conceptus potentis componere per modum partis formalis quos conceptus explicui punctis citatis, vbi accurratè tractaui, quomodo inter ſe differant pars materialis, & formalis, & materialem partem perfectibilem per aliam compartem formalem perficientem appellaui,& explicui, quid ſit partem eſſe perfectibilem per formam ſubſtantialem, & accidentalem, & quid ſit partem ſubſtantialem, & accidentalem aliam compartem perficere, recognoſce ibi latè tradita, nihil enim præter ibi dicta deſiderandum inuenio ad cognoſcendas naturas cauſæ materialis, & formalis totius, quæ formaliter non differunt à partibus materiali, & formali eiuſdem, quia conceptus cauſæ intrinſecæ à conceptu partis non diſtinguitur, & per eaſdem differentias per quas differunt pars materialis,& formalis differũt cauſa materialis, & formalis, & per eoſdem conceptus per quos conſtituuntur pars materialis, & pars formalis conſtituuntur formaliter cauſa materialis,& formalis eiuſdem totius.

Cauſalitatem materialis,& formalis cauſæ totius in or- 4
dine ad ipſum totũ ex parte materiæ eſſe vnionẽ,per quam materia vnitur formæ, & ex parte formæ eſſe vnionem,

per quam forma vnitur materiæ extra totam controuerſiam eſſe debet; id breuiter ratione oſtendo. Cauſa materialis, & formalis totius in actu primo dicunt potentiam componendi totum: ergo reducuntur ad actum ſecundum per compoſitionem, per quam formaliter dicuntur totum componere: ſed hæc eſt vnio: ergo reducuntur ad actum ſecundum per vnionem: ergo vnio eſt cauſalitas vtriuſque, quia cauſalitas nihil aliud eſt, quam id per quod cauſa in actu primo reducitur ad actum ſecundum: potentiam cōponendi reduci ad actum ſecundum per vnionem tanquā per compoſitionem, negabit nemo, eſt enim per ſe notum partes actu componere totum, nihil aliud eſſe, quam actu habere vnionem, per quam ex illis conſtituitur vnitum, quod formaliter eſt totum conſtans partibus. Circa hanc cauſalitatem, ſeu vnionem plures quæſtiones nonnulli hoc loco exagitant, an videlicet vnio, ſeu cauſalitas cauſarum intrinſecarum, ab ipſis diſtinguatur, an ex ſuppoſitione, quod diſtinguatur eadem ſit cum eductione, ſeu paſſione, an per ſimplicem, vel duplicem vnionem annectantur materia, & forma, quas quæſtiones exagitaui Controuerſ. 4. vbi probaui Punct. 1. vnionem eſſe modum ſubſtantialem diſtinctum ab extraneis, & ab eductione, & Punct. 2. eſſe modum ſimplicem, eandémque vnionem dici materializationem, quatenus ſe tenet ex parte materiæ, & informationem quatenus ſe tenet ex parte formæ; ſicuti eadem entitas actio dicitur, & eſt agentis cauſalitas quatenus reſpicit principium, à quo fluit, & dicitur paſſio, & eſt cauſalitas cauſæ materialis formæ quatenus ſe tenet ex parte ſubiecti. Ex quibus ratum eſt, eandem eſſe cauſalitatem materialis, & formalis cauſæ in ordine ad totum, quod componunt, & hanc diſtingui ab vtraque cauſa, in compoſitis, quorum partium vnio ab ipſis diſtinguitur. In totis, quorum altera pars per ſe ipſam vnitur ſubiecto, ſicuti in hoc concreto *præſens*, cuius pars formalis, videlicet præſentia, per ſe ipſam ſubiecto vnitur, cauſalitas partis formalis ab ipſa parte formali non diſtinguitur, & cauſalitas materialis cauſæ, quæ eadem eſt cum cauſalitate cauſæ formalis diſtinguitur à cauſa materiali, & identificatur cum cauſa formali: vnde ex duabus concauſis, quæ confluunt in hoc cōcretum, *præſens*, ſubiectum habent rationem materialis cauſæ illud componentis, forma verò, quæ eſt præſentia eſt cauſa formalis componens compoſitum, & eſt cauſalitas ſui ipſius, & alius concauſæ, quia per ipſam præſentiam eadem vnitur ſubiecto, & ſubiectum eidem eſt vnitum.

5 Contra hanc doctrinam præſto adeſt obiectio. De ratione cauſæ eſt prioritas naturæ, ſed hæc non poteſt conuenire cauſalitati: ergo neque entitati identificatæ cum cauſalitate: ergo non poteſt eſſe cauſa formalis identificata cum cauſalitate: ergo cauſa formalis huius concreti *præſens* diſtinguitur à cauſalitate per quam conſtituitur actu cauſans. Reſpondeo verum eſſe cauſalitatem non eſſe priorem natura, vt probaui Cont. 7. Punct. 3. ex quo rectè infertur non poſſe habere hanc prioritatem aliquid identificatum cum cauſalitate, & cauſam formalem huius concreti *præſens* non eſſe priorem natura, in quo nullum eſt inconueniens, nam etiamſi concedamus prioritatem naturæ eſſe de ratione cuiuſcumque cauſæ, & non ſolùm illarum, quæ adæquatè ab effectu diſtinguuntur, nihil abſurdi contra nos poterit inferri cum ſentiamus cauſam intrinſecè componentem effectum, propriè, & ſtrictè cauſam non eſſe quod ſtatim probabo.

Obiicies ad probandum vnionem non poſſe eſſe cauſalitatem materiæ & formæ. Cauſalitas per ſe ipſam dependet à cauſa in eo genere, in quo eſt cauſalitas: ſed vnio per ſe ipſam non dependet à materia, neque à forma in genere cauſæ materialis, aut formalis: ergo non eſt cauſalitas materiæ in genere cauſæ materialis, aut formæ in genere cauſæ formalis. Reſp. antecedens eſſe verum in cauſis quarum effectus ab ipſis diſtinguuntur, non in illis, quæ cauſant componendo, quia cauſa à qua dependet effectus adæquatè diſtinctus poteſt effectum, & cauſalitatem cauſare, materialis enim cauſa poteſt ſubeſſe paſſioni, & formæ, quæ media paſſione recipitur, & ab eodem principio effectiuo poſſunt effectus, & ipſa effectio procedere; materia verò, quæ totum tanquam effectum componit, non poteſt ſimul cauſalitatem, ſeu vnionem, & effectum, ſeu totum compoſitum componere, quia vnio non conſtat materia, & forma ex quibus componatur, & ita non poſſunt materia, & forma, quarum eſt cauſalitas illam componere; ſicuti actio, quæ conſtat principio effectiuo, & ſubiecto, poteſt à cauſis, quarum eſt cauſalitas, tanquam à principio effectiuo, & à materia dependere.

7 Materiam, & formam componentes totum cauſas intrinſecas vulgus appellat, quibus iam cauſalitatem aſſignauimus, ſed adhuc ſciendum ſupereſt: an illis propria ratio cauſæ conueniat. Non eſt quæſtio de materia quatenus in ſe reſpicit formam, & vnionem; hac enim ratione iam probaui Puncto citato, materiam propriè exercere cauſalitatem per receptionem reſpectu formæ, & vnionis, quas recipit, quæ cauſalitas non ſolùm eſt mediata, & remota circa totum, vt multi cenſent, ſed proxima, & immediata, quod ſic probo. Principium effectiuum cauſans vnionem media actione dicitur immediatè cauſare totum compoſitum, ergo principium paſſiuum cauſans vnionem media paſſione eodem modo dicetur cauſare totum: vtrūque enim principium eſt verè cauſa reſpectu termini quē attingit, & terminus, quem vtrumque reſpicit eſt omnino idem: ergo non eſt maior ratio vt dicatur principium efficiens cauſa immediata compoſiti per actionem terminatam ad vnionem, quàm vt principium paſſiuum dicatur ſimiliter cauſa immediata per paſſionem terminatam ad eandem vnionem, ex vi huius cauſalitatis materia prima dicitur cauſa immediata totius non componens, ſed patiens vnionem, per quam vltimo conſtituitur compoſitum. Vnum in hac re verum eſt de principio effectiuo vnionis dici eſſe principium efficiens totum compoſitum, & illud generans, etiamſi tantùm attingat per cauſalitatem vnionem: de principio verò paſſiuo vnionis non poſſe dici pati totum compoſitum vel totum compoſitum recipere, quia etiamſi ratione vnionis tantùm genitæ totum compoſitum denominetur genitum, ratione vnionis receptæ compoſitum receptum non denominatur, non alia de cauſa niſi quia inualuit vſus, denominationem geniti, etſi tantùm vnioni conuenientem toti communicari, & non ita communicari denominationem recepti, quæ tantùm tribuitur entitati indiuiſibili, quæ formaliter ratione ſui recipitur. Materia quatenus recipit formam poteſt dici totum mediatè, ſeu remotè cauſare, ſicuti de producente formam dicitur, ſi tamen per eandem paſſionem formam, & vnionem ſuſtentet, cauſalitas terminata ad formam erit cauſalitas immediata, non formaliter quatenus ad formam, ſed quatenus ad vnionem terminatur. Hoc cauſalitatis genus non eſt materiæ vt componentis, de quo procedit difficultas, quam iam ſoluo.

8 Sentio, materiam, & formam quatenus ſunt cauſæ intrinſecè componentes compoſitum media vnione propriè non eſſe cauſas, ſed tantùm partes compoſiti, quod ſic probo: forma (idem intellige de materia) quatenus in actu ſecundo componit totum non eſt cauſa materiæ, neque eſt cauſa vnionis, quam tantùm terminat præcisè ex eo, quod ſit pars componens totum, neque eſt cauſa ſui ipſius: ergo non eſt cauſa alicuius quod includat compoſitum: antecedens admittit communis ſententia: conſequentia eſt vndique firma, quia totum nihil includit præter materiam, formam, & vnionem: ergo quod non eſt cauſa materiæ, formæ, & vnionis, non eſt cauſa alicuius, quod includat compoſitum. Pergo vlterius: forma non eſt cauſa alicuius, quod includat compoſitum: ergo neque ipſius compoſiti. Probo conſequentiam: totum eatenus eſt cauſatum, & exiſtens extra cauſas, quatenus illa, quæ formaliter dicit ſunt cauſata & exiſtentia extra cauſas: ergo eatenus recipit eſſe à cauſa quatenus illud recipiunt, illa, quæ dicit formaliter: ergo non poteſt recipere eſſe ab aliqua cauſa, à qua illud non recipiat aliquid, quod dicat formaliter: ſed nihil, quod dicat formaliter totum recipit eſſe à forma; ergo neque ipſum totum ab illa ſuum eſſe recipit.

9 Secundò forma, ex eo quod totum componat tantùm præſtat hoc, quod eſt terminare vnionem, ſed eſſe terminum vnionis non eſt propriè eſſe cauſam: ergo forma ex eo quod componat compoſitum non eſt propriè cauſa: terminare vnionem non eſſe propriè eſſe cauſam, probo à paritate reliquorum terminorum actuum vitalium: relationum, & quorumcumque reſpectuum, tum etiam à paritate vnionis integralis, & ratione. Quia terminus, vt terminus nullum genus cauſalitatis ex quatuor aſſignatis à Philoſophis dicit, vt cuicumque ſingula percurrenti patebit. Deinde ſi forma media vnione aliquid cauſaret id deberet eſſe, quod media vnione

immediatè

Digitized by Google

immediatè attingit: ſed quod attingit immediatè media vnione eſt materia: ergo cauſaret immediatè materiam: hanc non cauſat: ergo nihil. Ad hæc facit illud argumentum quod efformabam num. 6. Vnio non dependet tanquam à cauſa à forma: ergo non eſt propria cauſalitas reſpectu illius. Demum ſi forma eſſet vera cauſa quatenus componit, materia quæ ſimilem cauſalitatem haberet etiam quatenus componens, haberet duplex genus cauſandi, vnum media paſſione per modum recipientis, aliud mediâ vnione per modum componentis, quæ cauſarum genera maximoperè ex cauſalitatibus differunt, & ita multiplicarentur cauſarum genera reſpectu cauſarum, quibus propriè, & ſtrictè ratio cauſæ conueniret, quod nullus huc vſque conceſſit. Neque poteris eadem vi argumentum retorquere in meam ſententiam, ex qua non infertur minui numerum generum cauſarum propriarum, ſi forma non ſit vera cauſa, quia forma poteſt dici cauſa propria reſpectu expulſionis aliûs formæ, etſi non dicatur cauſa compoſiti, quod autem vna forma aliam non expellat phyſicè, ſed moraliter, inconueniens non eſt, quia finalis cauſa intra numerum, quatuor cauſarum continetur, & non phyſicè ſed moraliter influit. Accedit plurimos negare cauſæ finalis propriam rationem cauſæ, quapropter nouum non eſſet aſſerere non dari quatuor genera cauſarum propriarum; aſſerere autem materiam pertinere ad duplex genus cauſæ, & dari quinque cauſarum, genera, etiam exceptâ exemplari cauſa, eſt contra communem omnium ſententiam. Contra hunc dicendi modum nihil momenti adduci poſſe exiſtimo, neque in te differt à communi ſententia, cùm non negetur materiam, & formam intrinſecè totum componere, & eſſe partes illius eſſentiales media vnione totum conſtituentes.

PVNCTVM II.

An eadem materia poſſit duplicem formam incompoſſibilem diuinitus recipere?

1 HÆc difficultas in præſenti propriè locum ſibi vendicat, vbi de cauſa materiali, & formali ſimul ſermonem inſtituimus, eſt enim vtrique communis: Inquirimus, an eadem materialis cauſa poſſit ſimul ſubeſſe diuina intercedente potentia duabus formis ex ſe incompoſſibilibus, quod eſt idem ac inquirere an duæ cauſæ formales, poſſint materiam habere communem, & illi ineſſe, eodémque iure pertinet hæc difficultas ad tractatum de cauſa materiali, & formali.

§. I.

Nonnulla præmittuntur?

2 DVplicem reſpectum dicit materia ad formam, quemdam media paſſione, alium media vnione. De vtroque ſub præfixo titulo venit diſputatio: an videlicet materia poſſit media receptione duplicem formam ex ſe incompoſſibilem pati, ſeu recipere, & an poſſit eidem duplici formæ, ſiue receptæ in materia, ſiue non receptæ, ſed per creationem productæ vniri, ita vt eum qualibet illarum vnum compoſitum conſtituat, quod à compoſito, quod cum altera componit differat ratione formæ, & in materia communicet. Quæſtiones hæ inter ſe ſunt valde affines, quæ promiſcuè abſque diſtinctione vulgò agitantur, de illis tamen ego diuerſum feram iudicium, quapropter multum refert præ oculis ſemper habere hanc diſtinctionem receptionis, & vnionis, mediis quibus forma diuerſo modo ſubiectum reſpicit.

3 Oportet etiam animaduertere ex diuerſis capitibus poſſe dimanare incompoſſibilitatem naturalem, ſeu naturaliter non poſſe eſſe duplicem formam in eadem materia media vnione, vel receptione. Primo poteſt procedere ex lucta quam inter ſe habent hæ formæ, quarum vna ſemper aliam expugnat propter inimicitias, quas eum illa gerit, etiamſi aliàs ſubiectum in gremio ex ſe vtramque ſimul amplecti non renueret, quia non eſſe ſupra ſuam virtutem, cauſalitatem, vel vnionem vtriuſque terminare, ſi ipſæ formæ inter ſe non mutuò digladiarentur, ita vt tota ratio, propter quam formæ ſimul eſſe non poſſunt ſumatur ex mutua exigentia, quàm quælibet habet, vt illa poſita corrumpatur altera, nulla habita ratione ad defectum virtutis, ſeu capacitatis, quem habeat ſubiectum ad vtramque formam ſimul fouendam. Poſſet ſecundò dimanare incompoſſibilitas formarum ex incompoſſibilitate diſpoſitionum, quas vtraque ſupponit, quæ cùm non poſſint ſimul eidem ſubiecto coaptari extrinſecè reddent formas ad quas diſponunt incompoſſibiles, etiamſi quælibet ratione ſui poſſet alteram abſque vlla violentia comitari. Tertiò poteſt incompoſſibilitas procedere ex incapacitate materiæ quæ ex ſe impotens ſit ad recipiendas ſimul duas formas, quia ita eſt potens vtramque ſucceſſiuè recipere, vt illas ſimul capere non poſſit. Poteſt quartò materia non poſſe naturaliter aliquam formam recipere ex defectu agentis naturalis, quia nullum non ſupernaturale poterit illam producere. Hæc incapacitas præciſè ex defectu orta agentis non eſt reſpectu ſimultatis formarum, ſed reſpectu alicuius, quæ non poſſit neque ſimul, neque ſucceſſiuè ab agenti produci, quia ſi agens poſſet ſucceſſiuè vtramque producere, & ſubiectum poſſet vtramque ſimul fouere, & vna non propulſaret alteram, duo agentia numero diſtincta poſſent duplicem hanc formam in eodem ſubiecto producere, vel vnam poſtquam produxiſſet, poſſet ceſſare ab illius conſeruatione, & producere alteram in eodem ſubiecto, ſi vtramque ſimul producere non poſſet, & ita naturaliter eſſet duplex forma in eodem ſubiecto.

Statuo primò: Si repugnantia recipiendi media inhæ- 4
ſione, vel terminandi media vnione duplicem formam, proueniat ex incapacitate ſubiecti, de potentia Dei abſoluta non poterit ſuppleri à Deo, neque ſubiectum duplicem amplecti formam. Rationem reddo à priori deſumptam ex P. Vaſquez, quem poſtea dabo. Capacitas, & incapacitas reſpiciendi formas non diſtinguitur à ſubiecto capaci, & incapaci: ergo permanente eodem ſubiecto permanet eadem capacitas, vel incapacitas: ergo ſi hoc ſubiectum eſt incapax recipiendi duplicem formam ſiue media inhæſione, ſiue media vnione, vel informatione, non poteſt fieri adhuc ſupernaturaliter capax, quia quidquid Deus miraculosè operetur, permanet idem ſubiectum: ergo eadem incapacitas; permanente verò incapacitate non poteſt recipere duplicem formam, quia ſi illas reciperet, eſſet capax, valet enim conſequentia de actu ad potentiam: ergo eſſet capax, & eſſet incapax; capax quia reciperet, incapax quia eſſet idem ſubiectum, quod per ſuam entitatem incapax erat.

Secundò probatur eadem concluſio: Subiectum recipit 5
in genere cauſæ materialis, ſed in hoc genere nulla poteſt eſſe eleuatio: ergo ſi ſubiectum ex ſe non eſt capax, non poteſt capax fieri à Deo: idem dices de effectu cauſæ formalis, ſiue intrinſecæ, ſiue extrinſecæ, qui non poteſt ſuppleri à Deo, propter rationem, quam iam trado. Deus tantùm operatur in genere cauſæ efficientis: ergo non poteſt per ſe ipſum ſupplere defectum cauſæ materialis, vel formalis. Probo conſequentiam: hæc cauſarum genera ſunt inter ſe valde differentia, ergo per influxum, quem præſtat cauſa in hoc genere non poteſt ſuppleri defectus influxus præſtandi in alio genere diuerſo. Confirmatur: agere non eſt pati: ergo per nullam actionem Dei poteſt adiuuari materia, vt patiatur formam, quam ipſa ex ſe non poteſt pati, neque vt terminet vnionem formæ, quam ſubiectum ex ſe non poteſt terminare, actionem enim producens formam, vel vnionem, tantùm producit id, quod eſt recipiendum, vel terminandum, capacitas autem ad determinandum debet ſupponi ex vi actionis, qua ſubiectum, quod præſupponitur fuit productum identificatum cum ipſa capacitate.

Dices: Deum in genere cauſæ efficientis ſupplere de- 6
fectum cauſæ materialis: Contra: vel Deus ſupplet hunc defectum cauſæ materialis præſtando ſimilem influxum illi quem præſtat, ſeu præſtaret cauſa materialis, & hoc implicat, quia Deus non poteſt pati formam, neque illi ſe vnire tanquam ſubiectum informationis: vel ſupplet defectum cauſæ materialis talem influxum actiuum præſtando, vt neceſſarius non ſit influxus cauſæ materialis, & hoc modo materia non recipiet formam, neque erit ſubiectum illius, ſed Deus per creationem conſeruabit formam independenter à materia, per quam creationem materia non erit eleuata ad receptionem ſed potiùs ab illa remota, de quo non eſt quæſtio, ſed an Deus poſſit facere vt duplex forma dependenter à materia tanquam à ſubiecto inhæſionis conſeruetur in eadem materia recepta. Quod dixi-

Digitized by Google

de ſubiecto inhæſionis eodem modo intellige de ſubiecto informationis, eadem enim eſt ratio de vtroque.

7 Dices materiam primam eſſe capacem recipiendi duplicem formam ſimul, & terminandi vtriuſque vnionem ſupernaturaliter, non verò naturaliter. Contrà: illud naturaliter: vel ſupernaturaliter, vel ſe tenet intrinſecè ex parte potentiæ materiæ, vel tantùm intrinſecè, quia licet potentia ad ſimultatem horum actuum ex ſe naturalis eſt, dicitur extrinſecè ſupernaturalis, quia illorum ſimultas propter contrarietatem, ſeu oppoſitionem actuum erit ſupernaturalis. Primam dici nequit, quia naturalis, & ſupernaturalitas non poteſt eidem entitati intrinſecè euenire: ſed materia prima eſt vna entitas ſimplex, & indiuiſibilis: ergo non poteſt illi naturalis & ſupernaturalitas conuenire, neque poteſt habere potentiam intrinſecè ſupernaturalem recipiendi formas, cùm hæc debeat eſſe identificata cum ſua naturali entitate, & nihil ſupernaturale poſſit identificari cum entitate naturali. Si dicas illam ſupernaturalitatem eſſe extrinſecam materiæ, tecum ſentio: ſed in hoc ſenſu cùm dicitur materia non poteſt recipere duplicem formam naturaliter, quam poterit ſupernaturaliter recipere, impotentia recipiendi naturaliter illas formas non eſt intrinſeca materiæ, ſed extrinſeca, quia tantùm dicit nullum agens naturale poſſe illas ſimul conſeruare in eadem materia propter incompoſſibilitatem, quam ex ſe habent formæ, non quia ipſa materia ex ſe virtutem non habeat, quia ſi agenti naturali virtus actiua ſuperueniret ad conſeruandam ſimul vtramque formam in eadem materia non obſtante oppoſitione ipſarum, materia prima intrinſecè inuariata abſque vlla eleuatione naturaliter vtramque formam reciperet, ac proinde in hoc ſenſu idem eſt dicere materiam primam non poſſe recipere duas formas ſimul, ac dicere me non poſſe ditari ab homine paupere, quod non eſt me habere aliquam incapacitatem recipiendi diuitias, ſed pauperem non habere facultatem illas mihi tribuendi.

8 Iuxta hanc doctrinam intelliges hanc eſſe optimam conſequentiam, materia prima non poteſt recipere hanc formam, vel ſimul duplicem aliam naturaliter: ergo neque ſupernaturaliter, ſi illud *non poteſt* ſe teneat ex parte materiæ, & non ex parte agentis connotati per illam particulam *naturaliter*. Vnde cùm dicimus animus rationalis non poteſt naturaliter recipere gratiam, tantùm intendimus ſignificare nullum eſſe agens naturale, quod poſſit gratiam habitualem in animo rationali producere, ex quo prouenit animum rationalem non poſſe ab agente naturali gratiam recipere, ſed neceſſariò illam recepturum (caſu quo illam recipiat) ab agenti ſupernaturali per receptionem ſupernaturalem ratione agentis, à quo procedit, non verò intendimus ſignificare animum rationalem ex ſe habere aliquam incapacitatem intrinſecam, vel aliquem defectum circa id, quod præciſè ex parte ſubiecti requiritur, quod debeat ſuppleri à Deo ad receptionem gratiæ ſupernaturalis, quia animus rationalis etſi ex ſe gratiam ſupernaturalem non exigat, illam poterit recipere per ſuammet entitatem, & virtutem intrinſecè naturalem, ſi Deus velit gratiam aliàs indebitam ſupernaturaliter illi infundere. Semper tamen dicitur animum rationalem ſupernaturaliter gratiam recipere, & nunquam naturaliter, quia ſemper illius receptio connotat agens ſupernaturale, & ratione termini intrinſecè eſt ſupernaturalis, etiamſi ex parte ſubiecti, in quo recipitur nullam ſupponat virtutem ſupernaturalem, ad hoc enim vt recepto abſolutè ſit ſupernaturalis non requiritur terminum recipere per potentiam paſſiuam ſupernaturalem, ſed ſufficiet ab agenti ſupernaturali procedere.

9 Statuo ſecundò. Si repugnantia naturalis, propter quam idem ſubiectum non poſſit recipere ſimul duplicem formam, vel vtraque ſimul informari, procedat tantùm ex mutua vtriuſque pugna, vel ex contrarietate diſpoſitionum, quas ſupponunt, poterit Deus ſupernaturaliter vtràque formam in eodem ſubiecto informationis, & receptionis copulare. Ratio eſt facilis. Vna forma tantùm expellit aliam quatenus petit, vt Deus ſubtrahat concurſum, quo illam conſeruabat, ſed ſuppoſita quacumque exigentia ſubſtractionis concurſus, poteſt Deus illum non ſubtrahere: ergo ſuppoſita forma exigente corruptionem alterius poterit Deus alterum, cuius hæc corruptionem exigebat conſeruare: exigentia enim cauſæ naturalis non poteſt cogere Deum ad illud, quod exigitur præſtandum, ita vt non poſſit cauſæ exigenti non annuere: ergo quando repugnantia oritur præciſè ex pugna formarum poterit vinci à Deo: quando oritur ex incompoſſibilitate diſpoſitionum facilius res componi poterit, quia ſicuti Deus formas ſubſtantiales inter ſe pugnantes poteſt in eodem ſubiecto continere, eodem modo poterit formas accidentales, ſeu diſpoſitiones ad duplicem formam inter ſe incompoſſibilem in eodem ſubiecto conſeruare, ſicuti conſeruat plures præſentias, quas habet Chriſtus Dominus in Euchariſtia, quarum quælibet cum altera habet naturalem incompoſſibilitatem: ergo ſimul conſeruatis diſpoſitionibus ad vtramque formam iam ex hoc capite formarum ſimultas non repugnaret. Demum poteſt Deus formam ſubſtantialem abſque vlla diſpoſitione ſaltem ſupernaturaliter conſeruare: ergo etiamſi in eodem ſubiecto non poſſent componi diſpoſitiones ad duplicem formam (quod facilè poſſes defendere, ſi diceres quamlibet formam ſubſtantialem ſupponere tanquam propriam diſpoſitionem carentiam diſpoſitionum ad aliam, de quo modò nihil trado) ex hoc capite non repugnaret reſpectu omnipotentiæ ſimultas formarum in eodem ſubiecto.

Obiic. Vna forma expellit aliam per informationem: 10
ergo poſita informatione non poteſt illam non expellere ſicuti poſita actione, per quam effectus producitur implicat non produci. Diſtinguo antecedens: vna forma expellit aliam per informationem in actu primo, concedo: in actu ſecundo, nego hoc eſt forma alterius expultrix per informationem exigit à Deo, vt Deus ſubtrahat concurſum, quo ſubtracto non erit inimica forma, cuius non eſſe machinatur, & hoc voco expellere in actu primo, hoc eſt intendere in expulſionem, ſeu in non eſſe formæ expellendæ; expulſio tamen tantùm contingit quando Deus ad exigentiam formæ informantis ſubtrahit concurſum, quo formam antiquam conſeruabat, quæ ſubtractio eſt cauſalitas non eſſe formæ antiquæ, & dicitur expulſio, quando contingit ad exigentiam formæ introductæ, quæ non expellitur phyſicè, ſed moraliter media voluntate Dei per ſubtractionem concurſus, quo Deus antiquam formam conſeruabat, de quo latè punct. 3. §. 2.

Obiic. ſecundò. Deus non poteſt facere vt forma, quæ 11
ex ſe eſt naturaliter incompoſſibilis cum alia, compoſſibilis fiat ſupernaturaliter, quia compoſſibilitas, & incompoſſibilitas identificantur cum entitate formarum, & eiſdem permanentibus ſemper remanent cum eadem compoſſibilitate, vel incompoſſibilitate. Reſpondeo de compoſſibilitate intrinſeca rectè probare argumentum, me tamen non aſſerere Deum poſſe facere compoſſibiles intrinſecè duas formas ex ſe incompoſſibiles, quia etiamſi Deus illas conſeruet in eodem ſubiecto adhuc remanent incompoſſibiles, quia vtraque remanet cum exigentia ad corruptionem alterius, in qua incompoſſibilitas conſiſtit, non enim requiritur ad hoc vt formæ ſint incompoſſibiles, vt non coniungantur, neque vt non poſſint abſolutè coniungi, ſed ne poſſint coniungi abſque repugnantia vtriuſque, contra quam agens vtramque conſeruabit, quia etiam quando ſunt ſimul mutuò, illarum quælibet exigit non eſſe alterius in eodem ſubiecto.

Statuo vltimò: Quando materiam non poſſe recipere 12
naturaliter hanc formam, vel duplicem illam ſimul, tantùm prouenit ex defectu virtutis agentis, ſupernaturaliter poterit vnicam, vel duplicem formam recipere, quia nullus effectus repugnat produci à Deo ex defectu virtutis Dei, ergo effectus in quo producendo nulla poteſt inueniri repugnantia præter defectum virtutis productiuæ poterit produci à Deo, cuius virtus eſt infinita, & ſe extendit ad omnia, quæ ex alio capite non implicant.

§. II.

De formis ſubſtantialibus iudicium fero.

PAter Vaſquez 3. part. diſput. 29. cap. 4. num. 23. cum 13
Capreol. in 1. diſtinct. 17. quæſt. 2. & aliis Thomiſtis negat poſſe materiam adhuc ſupernaturaliter plures formas ſubſtantiales recipere. Affirmat P. Suarez in Metaph. diſp. 15. ſect. 10. num. 6. P. Fonſeca 5. Metaph. cap. 4. quæſt. 4. ſect. 5. ad 3. P. Rub. 2. Phyſic. tractat. de forma, P. Hurt. diſp. 4. ſect. 3. num. 39. Præmiſſa ſemper diſtinctione ſubiecti inhæſionis, & informationis aliquibus concluſionibus meam ſententiam aperiam.

PRIMA CONCLVSIO. Poſſibilis eſt materia ex ſe capax 14
recipiendi

Digitized by Google

recipiendi duplicem formam ſubſtantialem media inhæſione,& media informatione,etiamſi formæ ſecundùm ſe ſint incompoſſibiles. Ex hoc infertur conſequenter ad dicta §. præcedenti, præcipuè num. 7. poſſe de potentia Dei abſoluta duplicem formam informare ſimul talem materiam, & recipi in illa de potentia Dei abſoluta. Hanc concluſionem rectè probant rationes à Suar. adductæ pro ſua ſententia, quarum præcipua eſt nullam ſequi contradictionem ex exigentia talis materiæ, & ex ſimultate receptionum, & informationum in illa; non enim vna forma eſſet de eſſentia alterius, neque vna forma pertineret ad eſſentiam compoſiti, quod altera conſtitueret, quod ſic oſtendo. Demus vnam eſſe formam ligni, alteram formam auri, neque aurum eſſet lignum, neque lignum aurum, quia neutrum alterius formam includeret: lignum enim, etſi materiam auri includeret, aurum non eſſet, quia aurum non tantùm dicit materiam, ſed eſſentialiter includit formam. Idem dico de auro, quod materiam ligni includeret, non tamen eſſet lignum. Verum eſt illa duo compoſita non diſtinguenda adæquatè, quia haberent eandem numero materiam, quod nullum eſt inconueniens, quia ſicut compoſita accidentalia album,& dulce diſtinguuntur formaliter, & ſunt idem ex parte ſubiecti, ſic accideret in illo caſu, in quo eadem eſſet in re diſtinctio, quæ nunc eſt in compoſitis accidentalibus, quorum ſubiectum eſt idem, & maior in modo ſignificandi, quia compoſita accidentalia cùm tantùm dicant in recto ſubiectum, & non formam, ſi ſubiectum eſt idem, totum quod dicunt in recto eſt idem,& ideo poſſunt prædicari, & dici, *album eſt dulce*, compoſita verò ſubſtantialiter cùm dicant æquè in recto materiam, & formam, etiamſi haberent eandem materiam communem, non haberent commune totum id,quod dicunt in recto, & ita non poſſent mutuò prædicari,neque dici *aurum eſt lignum*,vel *lignum eſt aurum*, ratione ſubiecti communis.

15 Secvnda conclvsio. Materia illa, de qua loquuti ſumus concluſione præcedenti, duplicem illam formam reciperet per potentiam naturalem, & ratione illius potentia non diceretur ſupernaturalis. Hæc concluſio conſtat ex dictis ſupra, vbi probaui hanc illationem eſſe legitimam: materia ex ſe non poteſt recipere duplicem formam ſubſtantialem naturaliter: ergo neque ſupernaturaliter poterit illas recipere: ergo ab oppoſito conſequentis valebit ad oppoſitum antecedentis: materia prima recipit ſupernaturaliter duplicem formam:ergo quatenus eſt ex ſe per potentiam naturalem,& per ſuam entitatem poteſt vtramque recipere. Extrinſecè materia dicetur ſupernaturaliter recipere formas, quia receptio ſupernaturalis erit non ratione materiæ, ſed ratione formarum incompoſſibilium,quas nullum agens naturale poteſt ſimul in eadem materia conſeruare,& non poſſet dici materiam naturaliter recipere tales formas,quia vt ita diceretur illas recipere neceſſum erat receptionem ex omni capite eſſe naturalem, & non ſufficit,illam exerceri per potentiam paſſiuam naturalem, & ex hac non eſſe ſupernaturalem, ſicuti dici nequit animum rationalem naturaliter gratiam recipere,etiàſi receptio ſupernaturalis non ſit ratione ſubiecti recipientis, & hoc ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam virtutem receptiuam cum illo identificatam intrinſecè ſit naturale,

16 Tertia conclvsio. Poteſt dari materia potens ex ſe terminare duplicem vnionem, ex cuius potentia non poſſint ſimul educi formæ illæ, quæ eidem poſſunt vniri.Prior pars concluſionis in concluſione 1. continetur. Poſterior probatur: poſſe terminare vnionem ad formam, & poſſe illam recipere,in aliqua materia poſſunt realiter ſeparari, ſicuti de facto ſeparantur in materia,quæ modo eſt reſpectu animæ rationalis, cuius vnionem poteſt terminare,etſi non poſſit illam recipere: ergo ex eo quod materia poſſit vniri ſimul duplici formæ non infertur poſſe vtramque recipere: ergo poteſt dari materia, quæ poſſit vniri ſibi formam, quam recipere non poteſt. Deinde nulla eſt repugnantia in eo,quod detur talis materia: ergo poterit dari. Idem dico de modis vnionum qui poſſunt eſſe informationes materiæ,& non educi ex illa, ſed ex forma, vel creari à Deo, modus enim vnionis non eſſentialiter dependet à materia tanquam à ſubiecto inhæſionis, imò ſi hic, qui de facto datur dependeret per ſe ipſum, non implicaret dari modum alium, qui poſſet creari ſine dependentia à materia tanquam à ſubiecto inhæſionis.

Qvarta conclvsio. Materia,quæ de facto datur non poteſt eſſe ſubiectum inhæſionis, ſeu cauſa materialis duplicis formæ ſubſtantialis neque duplicis modi vnionis adhuc de potentia Dei abſoluta. Adhæreo P. Vaſquez in hac concluſione, quam ratione euidenti probare non præſumo, ſed tantùm probabili coniectura, quàm expono: Materia prima non habet capacitatem ſuſtentandi duas formas ſimul: ergo neque ſupernaturaliter poterit illas recipere. Conſequentia ex iam dictis legitima eſt, antecedens probo: nullum eſt fundamentum ad tribuendam materiæ hanc virtutem recipiendi duas formas ſimul: ergo non eſt tribuenda. Probo antecedens: ex eo quod materia poſſit ſucceſſiuè recipere, non infertur poſſe ſimul, quia maior virtus requiritur ad ſuſtentandam ſimul duplicem formam, quam ſucceſſiuè, ſicuti ex parte efficientis maior virtus requiritur ad producendum ſimul duplicem effectum, quàm ſucceſſiuè: ergo nullum eſt fundamentum quod hanc virtutem in materia ſuadeat, quia ſi aliquod eſſet, deberet ſumi ex virtute, quam habet ad recipiendas ſucceſſiuè plures formas. Conſequentiam prioris enthymematis probo: quia ſicut iuxta bonam Philoſophiam non ſunt multiplicandæ entitates ſine fundamento,ſic in eadem entitate non ſunt virtutes multiplicandæ, neque eadem eſt extendenda ſine poſitiuo fundamento circa effectus,qui maiorem virtutem exigunt, aliàs poſſum ego dicere muſcam habere virtutē inchoatam ad producēdum Angelum, & alia ſimilia ſine fundamento confingere. 17

Obiic. Plures eſſe virtutes ad cuius cognitionem fundamentum non habemus: ergo ex eo quod non inueniamus fundamentum, non debemus negare virtutem occultam, cuius fundamentum forſan nos ignoramus. Reſp. admiſſo antecedenti negando conſequentiam, quia licet hæc regula: non apparet fundamentum,ex quo hæc virtus nobis innoteſcat: ergo non eſt, non ſit infallibilis, imò certum ſit aliquando deficere, tamen vt plurimùm eſt vera,& hic, & nunc moraliter certa; nos autem vbi demonſtrationem non habemus prudenter iudicamus iuxta communiter accidentia, quia iuxta hunc modum eſt minus errandi periculum, quam ſi abſolutè virtutes ſine fundamento concederemus, neque quia aliquando deficiat illa regula, cùm vtplurimùm vera exiſtat, debemus iudicium ſuſpendere, aliàs plurimas quæſtiones indeciſæ remanerent, ſed prudentia cenſetur, hic & nunc contingere, quod communiter accidere ſolet,& non quod rarò euenit, licèt poſſe aliter rem ſe habere aliquam formidinem pariat aſſenſui,ſine qua non ego concluſionem præcedentem trado. 18

Qvinta conclvsio. Materia prima quæ de facto datur poteſt vniri duplici formæ, dummodo non vltra vnicam formam, & vnicum modum vnionis ex illo educatur. Poſitiuum huius concluſionis docuit Suar. cum aliis, quos cum illo retuli, qui ſine diſtinctione inter vnionem, & inhæſionem docent materiam primam poſſe habere multiplicem formam. Negatiuum docet Vaſquez,& probatum eſt concl. præcedenti; vtrumque & præcipuè poſitiuum quod probatum non eſt oſtendo ex principiis Patris Vaſquez diſput.29. contra num.25. & ex doctrina Caiet.ibi relati, quam ipſe Vaſquez approbat. Refert citato loco ſapientiſſimus Pater Caietanum concedentem Scoto effectum non poſſe dependere à duplici cauſa totali, & aſſerentem inde non ſequi eandem naturam non poſſe à pluribus perſonis terminari, eo quod diuerſo modo dependeat natura à ſuppoſitis alienis, quàm effectus à cauſa efficienti natura enim à ſuppoſito, à quo terminatur, potius pendet inſtar relatiui, quàm ſicut effectus ab efficienti, quare ſicut relatio poteſt eſſe ad plures terminos, ita etiam eadem natura poſſet à pluribus perſonis terminari. Hæc ſunt Caietani verba ex Vaſquez tranſlata. Deinde in confirmationem huius doctrinæ ſic ſcribit Vaſquez: *Natura ita terminatur ab vna perſona alienæ vt ſolum terminetur tanquam à totali termino ſecundùm entitatem, hoc eſt, ita terminatur ab vna perſona vt in ſola illa poſſit eſſe,& ab ea ſuſtentari, & hac ſola ratione tanquam à termino totali terminatur, at verò quia non terminatur omni modo, quo terminari poſſet, ſiquidem ipſa terminari poteſt diuerſo quodam modo à qualibet perſona diuina ſeorſim, ideo dum terminatur ab vna non habet expletam capacitatem, qua poſſet ab alia terminari.* Poſtea latè tradit rationem, propter quam effectus non poſſit dependere à duplici efficiente, videlicet quia ab hoc accipit eſſe, & iſto accepto, non habet quid ab alio accipiat, at verò terminata ab vna ſubſiſtentia non accipit 19

eſſe

eſſe ab illa, ſed quandam terminationem, propter quod poteſt terminari, ab alia, & aliam accipere terminationem. Ex his principiis ſic arguo. Caſu quo forma, & modus vnionis creentur, materia prima tantùm ſe habet per modum puri termini reſpectu formæ, & modi vnionis, ergo poterit terminare multiplicem vnionem. Probo ex doctrina, quam ſupra ex Vaſquio retuli: tunc materia prima non acciperet eſſe à forma neque illi daret eſſe, quia ſupponimus creari formam, & modum vnionis: ergo poſſet aliam vnionem ad formam aliam terminare. Probo conſequentiam: natura poteſt terminari pluribus ſuppoſitis, ſeu ſubſiſtentiis, quia tantum ſe habet vt terminus ſubſiſtentiarum, non vt cauſa, neque vt effectus: ſed ſi vniones, & formæ creentur, materia tantum ſe habebit, vt terminus vnionum ad formas, non vt cauſa, neque vt effectus illarum: ergo poterit pluribus vnionibus terminari.

20 Rationem à priori huius concluſionis accipe. Non maior, ſed eadem omnino virtus requiritur ad terminandam duplicem vnionem ad formas diſtinctas ſimul, & ad terminandas eaſdem vniones ſucceſſiuè: ergo materia, quæ poteſt terminare ſucceſſiuè poteſt vtramque ſimul terminare. Antecedens probo: terminus vt terminus non eſt cauſa, ſed tantùm per ſuam entitatem terminat vniones productas ab aliis cauſis. Vnde terminare vnicam vnionem dicit ſuam entitatem & vnionem productam ab alia cauſa, terminare duplicem vnionem, dicit eandem omnino entitatem ex parte materiæ, & duplicem vnionem productam aliunde: ergo vnio, quæ additur quando materia terminat vnionem non oritur ex ipſa materia: ergo ſiue materia terminet vnicam vnionem, ſiue duplicem, nihil additur ex parte materiæ, neque illi intrinſecum, neque extrinſecum ortum ab ipſa materia, neque nouum exercet influxum, ſed tantùm ſupponitur ex parte materiæ entitas capax terminandi quamlibet ex illis vnionibus ſine aliquo influxu orto ab illa: ergo non maior virtus requiritur ad terminandam duplicem vnionem ſimul, quàm ſucceſſiuè: ergo materia, quæ poteſt terminare ſucceſſiuè duplicem vnionem, poterit ſimul vtramque terminare. Hinc clarè deprehendes diſtinctionem inter interminationem duplicis vnionis ad duplicem formam, & duplicem receptionem earudnem vnionum, vel formarum. Quando recipitur duplex forma, vel duplex vnio in materia datur duplex receptio, vtraque orta ex materiæ viſceribus & ex virtute illius tanquam ex cauſa, quapropter maior virtus requiritur ex parte materiæ, ſicuti ex parte cuiuſlibet cauſæ, vt ſimul duplicem edat cauſalitatem, circa quas conatum adhibet, & exercitium virtutis cauſatiuæ; quando vero materia terminat duplicem vnionem, creatam ad duplicem formam etiam creatam, nihil reperitur ortum ex viſceribus materiæ, in quo cauſando ſuam exerceat virtutem, ac proinde non maior virtus requiritur ad terminandam ſimul illam duplicem vnionem, quàm illa quæ requiritur ad ſucceſſiuè vtramque terminandam.

21 Obiic. Poteſt Deus creare materiam, quæ ſit potens terminare ſucceſſiuè duplicem vnionem, & non ſimul: ergo maior virtus requiritur ad terminandam duplicem vnionem ſimul, quàm ad eandem ſucceſſiuè terminandam. Reſp. negando antecedens propter rationem iam datam, quia terminus per puram terminationem, nihil præſtat, in quo poſſit ſuam inſumere virtutem, neque materia dum terminat ponit aliquem conatum, neque influxum, vt actu terminet, ſicut ponit efficiens, vel ipſa poneret ad recipiendam vnionem. Et ſicut Deus non poteſt producere albedinem potentem terminare ſucceſſiuè viſionem hominis, & equi, & impotentem vtramque ſimul terminare, ita neque mateтiam quæ poſſit ſucceſſiuè, & non ſimul duplicem terminare vnionem, non enim maiorem influxum præſtat materia in vniones præciſè quatenus illas terminat, quàm albedo in viſiones, tam enim materia, quàm albedo ſe habent reſpectu vnionum, & viſionum, vt purè terminos in nullo genere cauſæ influentes in vniones, & viſiones, quas terminant, neque refert materiam eſſe terminum intrinſecum vnionis, & albedinem terminum extrinſecum viſionis, quia ratio intrinſeci, vel extrinſeci nullam dicit cauſalitatem, nullúmque influxum.

22 Sexta conclvsio. In tota latitudine formarum poſſibilium nonnullæ erunt formæ ſubſtantiales, quæ abſque aliqua ipſarum repugnantia poſſit informare eandem materiam quin vna petat expulſionem alterius. Hanc concluſionem tradidit recens quidam de formis diuerſæ ſpeciei, quam impugnat in formis eiuſdem ſpeciei: ergo verò de omnibus idem feto iudicium. Ratio eſt: de conceptu quidditatiuo formæ ſubſtantialis abſtrahentis ab exiſtentibus, & poſſibilibus non eſt incompoſſibilitas cum aliis formis eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei, neque prædicatum aliquod, quod per locum intrinſecum connexionem habeat cum hac incompoſſibilitate: ergo poſſibiles ſunt formæ, quæ illa careant. Secundò nulla inuenitur repugnantia in his formis, imò neque ratio aliqua, quæ ſuadeat formas omnes eſſe incompoſſibiles, cùm illam incompoſſibilitatem non ſolùm nos docuerit experientia, quam de formis purè poſſibilibus non habuimus. Poſſent hæ formæ ex ſe immediatè non compoſſibiles præcipuè ſi ſpecie differrent, eſſe incompoſſibiles ratione diſpoſitionum, quas ſupponerent, poſſent etiam diſpoſitiones non incompoſſibiles ſecum afferre, & in hoc caſu ſimultanea informatio, & receptio plurium formarum in eadem materia ex omni capite eſſet naturalis, quia ex parte materiæ ſupernaturalis non eſſet, quia iam probaui concl. 1. poſſe dari materiam ex ſe naturaliter potentem plures formas ſibi vnire, & recipere, neque ex parte formarum, neque diſpoſitionum, quæ amico fœdere poſſent in idem ſubiectum conuenire, neque ratione agentium, quia vt dicebam num. 12. ſimultas formarum, quarum quælibet poteſt ab agenti naturali produci ratione agentium præciſè ſupernaturalis non euaderet; in reliquis autem euentibus, quando ex aliquo capite ſimultas non poteſt naturaliter contingere, etſi ex aliis capitibus naturaliter non repugnaret: verbi gratia, cùm materia ex ſe potens terminare vnionem duplicis formæ incompoſſibilis, vtramque de facto ſimul terminaret, illa ſimultas abſolutè ſupernaturalis dicenda eſſet non ratione materiæ; ſed ratione formarum ex ſe incompoſſibilium.

23 Obiic. Materia prima ſemper eſt ſufficienter informata vniuoca forma adæquata: ergo non indiget alia forma: ergo ſuperflua erit illi informatio illius formæ. Confirmatur: materia prima ideo recipit formam, quia indiget illa, ſed non poteſt indigere duplici forma: ergo non poteſt illam recipere. Reſp. materiam primam ſufficienter informari vnica forma, ex quo infertur aliam non eſſe illi neceſſariam, non tamen infertur eſſe ſuperfluam, plura enim, quæ neceſſaria non ſunt, valde vtilia exiſtunt, lux enim aëri nõ eſt neceſſaria, non tamen illi ſuperflua eſt. Secundò etiamſi ſecunda forma nullam materiæ vtilitatem afferret, eſſet neceſſaria compoſito, quod conſtituit, & ex hoc capite non inutilis eſſet neque ſuperflua, neque ex hoc capite repugnaret, id enim inutile, & ſuperfluum dicitur abſolutè quod omni vtilitate caret, non quod vni, vel alteri entitati non vtile eſt. Ad confirmationem Reſpondeo dato materiam vnam recipere formam quia illa indigeat, & conceſſo, quod alia non indigeat, negando, non poſſe recipere aliam, non enim rectè infertur, materia recipit hanc formam, quia indiget illa: ergo non poteſt recipere aliam, qua non indiget, poteſt enim recipere vnam formam propter indigentiam, & aliam propter potentiam, ſeu indifferentiam, quam habet ad illam, ſicuti aër recipit proprias qualitates, quia indiget illis, & recipit lucem, qua non indiget, quia capax eſt recipiendi illam.

§. III.

De formis accidentalibus iudicium fertur.

24 Plures formas accidentales inter ſe diſparatas poſſe ſimul reperiri iu eodem ſubiecto media inhæſione & media informatione ſenſibus percipimus, ſentimus enim albedinem, dulcedinem, præſentiam in eodem ſubiecto. Formas contrarias, verbi gratia calorem, & frigiditatem eſſe incompoſſibiles, & mutuò ſe expellere ſuadet experientia. Hanc incompoſſibilitatem in naturam formarum ferè omnes reducunt, ex eo enim quod diſponant ad formas inter ſe immediatè oppoſitas, talem naturam ſortiuntur, vt eandem incompoſſibilitatem inter ſe æmulentur, quam formæ, ad quas diſponunt, ſortiuntur. Formas adæquatas eiuſdem ſpeciei, & eiuſdem omnino rationis eſſe etiam incompoſſibiles monſtrat experientia, non enim poſſum ego habere duplicem præſentiam, duplicem quantitatem, aliave huiuſmodi accidentia. Nonnulli renuunt concedere has formas ex natura ſua eſſe incompoſſibiles per oppoſitionem aliquam, quam inter ſe habeant, & aſſerunt totam illarum incompoſſibilitatem oriri ex

incapacitate

Digitized by Google

in capacitate ſubiecti, quod non poteſt duplicem formam accidentalem eiuſdem omnino rationis ſuſtinere. Cenſeo incompoſſibilitatem formarum accidentalium non oriri ex incapacitate ſubiecti, quia ſi ex hac oriretur, neque diuinitus poſſent in eodem ſubiecto reperiri, vt probaui ſuprà, ſed fide certum eſt in Euchariſtia habere corpus Chriſti plures præſentias definitiuas eiuſdem ſpeciei: ergo naturalis ipſarum repugnantia non oritur ex repugnantia ſubiecti. Ex præſentiis definitiuis gradum facio ad præſentias circunſcriptiuas, etiamſi ſpecie diſtinguantur, quod ego non cenſeo, quas etiam poſſe in eodem ſubiecto reperiri fert communis ſententia. Neque hæc repugnantia præcisè ex defectu virtutis agentium poteſt oriri, quia cùm ego virtutem habeam ad acquirendam per motum progreſſiuum præſentiam in hoc ſpatio, & extrinſecum agens virtutem habet ad imprimendum mihi impulſum, quo in alio ſpatio præſentiam diſtinctam acquiram, ſi termini ratione ſui, vel ratione ſubiecti non repugnarent, ſimul à diuerſis virtutibus producerentur. Ex hoc infero: repugnantiam horum accidentium oriri ex incompoſſibilitate, quam inter ſe habent, ratione cuius in genere cauſæ formalis ad inuicem ſe expellunt.

25 Cenſeo ſimiliter incompoſſibilitatem accidentium contrariorum caloris, & frigiditatis oriri tantum ex oppoſitione ipſorum, & nullo modo ex incapacitate ſubiecti. Probo hanc concluſionem à paritate accidentium eiuſdem ſpeciei, quæ tantùm opponuntur ratione ſui, & non ratione ſubiecti, & à paritate accidentium diſparatorum albedinis, & caloris, in quibus, quia deficit formalis oppoſitio, nulla reperitur, quod eſt ſignum tantùm incompoſſibilitatem accidentium oriri ex oppoſitione formali ipſorum. Ratione etiam eandem paritatem confirmo. Non maior virtus requiritur ex parte ſubiecti ad recipiendam nigredinem ſimul cum albedine, quàm ad recipiendum calorem ſimul cum eadem albedine cùm ſuppoſita iam receptione albedinis ex parte ſubiecti non requiritur maior virtus ad effectum, qui perfectior non eſt, ſed ſuppoſitâ iam albedine, nigredo neque illius receptio, quæ eſſet eadem ſi albedo non ſupponeretur, non eſt perfectior calore, & receptione illius: ergo ſuppoſita iam albedine in ſubiecto, ex parte ſubiecti, non maior virtus requiritur per ſe loquendo independenter ab incompoſſibilitate formarum, ad coniungendam nigredinem per receptionem cum albedine quàm ad coniungendum calorem cum eadem albedine: ſed poteſt coniungere calorem cum albedine: ergo præcisè ſi aliud non ſit impedimentum poterit ſubiectum ex ſe coniungere nigredinem cum albedine, ſicuti componit calorem, & albedinem. Dices formam arguendi non eſſe bonam, quia maior virtus requiritur ad producendam muſcam, quàm ad producendum hominem, nihilominus valet homo hominem producere, & muſcam producere non poterit. Reſpondeo me non arguere: poteſt ſubiectum recipere calorem: ergo poterit recipere albedinem, ad quam non requiritur maior virtus; ſed ſuppoſita iam ex parte ſubiecti virtute ad vtramque qualitatem recipiendam, inferre ex eo quod non maiorem conatum impendat virtus paſſiua in receptione huius qualitatis, quàm illius, poſſe componere quatenus eſt ex ſe receptionem huius in qua maiorem conatum non impendit cum receptione, cum qua componit aliam, in qua maiorem vel ſaltem æqualem virtutem in actu ſecundo exercet.

26 Ex hoc infero: poſſe reperiri in eodem ſubiecto duplicem formam accidentalem, ſiue eiuſdem ſpeciei, ſiue contrariam, quia quoties incompoſſibilitas tantùm oritur ex mutua ipſarum oppugnatione, & non ex incapacitate ſubiecti, illa non obſtante de potentia Dei abſoluta poſſunt formæ in eodem dari ſubiecto. Hæc de formis, quæ opponuntur tantùm ratione ſubiecti, ſunt tamen aliæ formæ accidentales, quæ obiecta oppoſita reſpiciunt ſicuti amor, & odium, aſſenſus, & diſſenſus, quarum oppoſitionem explico Controu. 5. de anima Punct. 3.

PVNCTVM III.

De effectibus cauſa formalis.

Dvplex formalis effectus vulgò circumfertur, primarius, & ſecundarius; hic negatiuus, ille poſitiuus, de vtroque ſigillatim diſputabo.

§. I.

De effectu primario.

1 Dixi ſæpe effectum formalem primarium formæ nihil aliud eſſe, quàm totum compoſitum, quod dicitur effectus formæ, ex qua tanquam ex cauſa formali intrinſeca componitur. Cauſalitas, quam formæ aſſignauimus totum ſuum eſſe effectum ſuadet, quia cùm hæc ſit vnio, & quod ex vnione reſultat ſit totum compoſitum, hoc effectum dicimus, in quem fertur cauſalitas formæ, vnio videlicet. Deinde cauſa intrinſeca cauſat, ſemetipſam exhibendo effectui quem componit: ſed quod componit forma, & cui ſe ipſam exhibet eſt totum: ergo totum eſt effectus formalis formæ. Hoc effectu formali aſſignato optimè ſubſiſtit illud tritum proloquium, quo dicitur incompoſſibile eſſe dari formam in ſubiecto ſine formali effectu, quia cùm totum nihil aliud ſit, quàm materia, forma, & vnio, eo ipſo, qnod detur forma vnita ſubiecto, datur, materia, forma, & vnio, & neceſſariò datur totum, quod ab his entitatibus ſimul ſumptis non diſtinguitur. Neque quidquam aliud poteſt inueniri quod poſſit eſſe effectus, cùm ſit poſitiuus, & forma nihil aliud poſitiuum cauſet per vnionem ad materiam, nihil enim inuenitur poſtquam forma eſt vnita materiæ præter compoſitum, materiam, formam, & vnionem, ſed forma non eſt cauſa materiæ ſeorſim ſumptæ, neque vnionis ſeorſim, neque materiæ, & vnionis, neque ipſius formæ ſeorſim ſumptæ, quia nullam ex his entitatibus intrinſecè componit, neque extrinſecè cauſat: ergo tantùm poteſt eſſe cauſa totius, ſeu materiæ formæ, & vnionis ſimul ſumptarum, quæ à toto non diſtinguuntur: ergo nullus effectus poſitiuus formæ poteſt dari præter totum: ergo effectus formalis, qui poſitiuus eſt, non diſtinguitur à toto compoſito.

2 Ex his inferes contra recentiores, quibus patrocinatur Rub. materiam vt informatam non eſſe effectam formalem formæ, quia materia vt informata non eſt totum, ſed tantùm dicit materiam cum informatione, ſeu materiam habentem formam, forma autem neque eſt cauſa materiæ, neque informationis, ſeu habitionis formæ, vt modò expendebam. Si hoc teneas, videbis ſæpe multos vanè terreri vanis difficultatibus, quas rem non percallentes petunt ex negatione effectus formalis poſita forma in ſubiecto, ſæpe enim anguntur quomodo viſio inhærens lapidi, non illum conſtitueret videntem, ex quo inferri exiſtimant non illi tribuere effectum formalem, & quomodo gratia habitualis in purè homine filium adoptiuum conſtituat, & hunc effectum Chriſto Domino non tribuat. Semper enim forma ſuum effectum formalem tribuit, quod eſt compoſitum, ſed quia eadem forma cum diuerſis ſubiectis diuerſa compoſita conſtituit, hinc eſt, quod diuerſos ſortiatur effectus formales. Hac ratione viſio, etſi lapidi poſſet vniri non illum conſtitueret videntem, quia videns dicit compoſitum ex viſione, & natura animalis, & non quodcumque compoſitnm conſtitutum ex viſione, & alio quocumque ſubiecto. Similiter filius adoptiuus dicit compoſitum ex gratia habituali, & ſubiecto, quod non ſit filius naturalis, & gratia habitualis vnita Chriſto Domino non componit concretum, cuius ſubiectum quod eſt hoc ſuppoſitum Chriſtus, filius naturalis non ſit, & ita non conſtituit filium adoptiuum quando vnitur Chriſto: quando verò vnitur homini puro conſtituit quoddam concretum ſanctum, cuius ſubiectum non eſt filius naturalis & ita illius effectus formalis, ſeu totum, quod reſultat ex homine & gratia eſt filius adoptiuus. Si verò eadem gratia lapidi vniretur illius effectus formalis, non eſſet totum, quod ſanctum diceretur, quia ſanctum dicit concretum conſtans ex gratia habituali & natura intellectuali.

3 Inferes, ex his nihil aliud eſſe formam ſuum effectum formalem tribuere ſubiecto, quàm cum illo totum conſtituere, in quo ſenſu poſſet etiam dici, ſi ita ferret vſus, materiam ſuum effectum materialem tribuere formæ, quia ſicut forma cum materia componit totum, ita materia cum forma idem componit, & vtraque eſt de eſſentia totius. Eſt tamen ſpecialis ratio, propter quam prænaluit vſus, vt totum potius diceretur effectus formalis formæ, quàm effectus materialis materiæ, etſi vtroque modo dici poſſet. Hæc eſt indifferentia, quam habet materia, quæ de facto datur ad totum huius, vel illius ſpeciei conſtituendum,

Digitized by Google

tuendum, & determinatio, quam habet forma, ex quo prouenit, vt totum hoc, quod ratione formæ ab illo ſpecie differt, & non ratione materiæ, iuxta vulgarem loquendi modum non dicatur effectus materiæ, ſed formæ. Hæc ratio communis eſt compoſitis ſubſtantialibus, & pluribus accidentalibus. In accidentalibus occurrit etiam alia, videlicet ſubiectum, ſeu materiam ſignificare in recto, formam in obliquo, & ita ſubiecta ſignificantur per modum habentis, & denominata per formam, ex quo prouenit, vt dicamus formas ſubiectis tribuere ſuum formalem effectum, & non dicamus materiam tribuere ſuum materialé effectum formæ, quia hæc non ſignificatur per modum habentis materiam. Nihilominus potuit dici albedo parietata per ſubiectum ſicuti paries dicitur dealbatus per albedinem, ſi ita ferret vſus, vt ex Hurtado dixi Controuerſ. 2. puncto. 3.

§. II.

De effectu ſecundario.

4 VNus eſt negatiuus effectus formalis cauſæ qui eſt expulſio formæ in qua expulſione examinandum eſt, quid ſe teneat ex parte effectus negatiui, quid huius ſit per ſe, quid per accidens, reſpectu principij expellentis, quid ſe teneat formaliter ex parte principij, & quid ſit cauſalitas. In expulſione animæ rationalis eſt ſubtractio concurſus, quo conſeruabatur vnio, & non eſſe ipſius vnionis, quæ antea conſeruabatur, in expulſione aliarum formarum corruptibilium inuenitur eadem ſubtractio concurſus, & idem non eſſe vnionis, inſuper reperitur ſubtractio concurſus, quo conſeruabatur forma, & non eſſe formæ prius conſeruatæ. Idem contingit in expulſione formæ accidentalis.

5 Principium expellens quodcumque illud ſit, per ſe non opponitur cum ſubſtantia formæ ſubſtantialis, neque intendit non eſſe illius ſecundum ſubſtantiam: patet hoc in corruptione hominis, in qua anima rationalis, quia ſuum eſſe habet independenter à ſubiecto, quacumque forma introducta, quâ è ſubiecto abigitur, remanet; idem contingeret in qualibet forma ex his, quæ generantur ſi per actionem creatiuam conſeruarentur. Ratio eſt manifeſta: forma non expellitur per aliam formam à natura rerum, ſed à ſubiecto: ergo ſi non habeat hæc forma ſubiectum, quod alia acquirat nullam habebit oppoſitionem cum illa: la: ergo id, quod hæc forma intendit eſt pellere aliam à ſubiecto: ergo ſi alia abeat, etiamſi poſtea conſeruetur, non erit contra exigentiam formæ introductæ illius conſeruatio ſicuti non eſſet ſi antea non præceſſiſſet in ſubiecto, à quo expellitur.

6 Principium expellens, quod non opponitur cum forma ſecundum ſe, poterit opponi cum forma vt inhærente media paſſione, vel informante media vnione, vel vtroque modo. In primis certum eſt opponi cum forma vt informante independenter ab inhærentia, patet in anima rationali, quæ non inhæret, cum qua opponitur forma cadaueris, & non cum illa ſecundùm ſe: ergo cum illa vt informante. Sed adhuc poterit ſubeſſe difficultas, an forma cadaueris opponatur cum anima rationali vt informante præcisè, vel cum illa vt informante per informationem inhærentem ita vt immediata oppoſitio non ſit cum forma vt vnita ratione formæ, neque ratione vnionis, ſed ratione inhæſionis, quam habet vnio in materia, ita vt ſi hæc non inhæreret forma cadaueris relinqueret vnitam ſubiecto rationalem animam quia modò directè, & per ſe opponitur cum inhæſione vnionis qua deſtructa definit eſſe vnio, & anima rationalis non informat: vel an forma cadaueris opponatur immediatè cum vnione ſecundùm ſe, cuius non eſſe intenderet, etiamſi vnio crearetur. Iuxta aliquorum principia, qui religioſè obſeruant nihil creatum poſſe definere ad exigentiam alius entitatis creatæ ex hoc principio ſic poſſet argui. Poſita forma, & poſita vnione creata, quidquid eſt in compoſito eſt creatum: ergo neque forma, neque vnio poteſt corrumpi ab entitate creata: ergo forma informans tantùm opponitur cum alia forma, & cum alia vnione, quatenus forma, vel vnio eſt dependens à ſubiecto, tanquam à cauſa materiali: ſi enim opponeretur cum forma vel vnione ſecundùm ſe opponeretur cum forma, & vnione etiamſi nulla intercederet inhærentia. Nihilominus omnino certum puto formam opponi cum alia forma, vt informante, ſiue per informationem creatam, ſiue eductam, ita vt vnio ſecundùm ſuam entitatem ſit ratio formalis terminandi oppoſitionem, quam habet forma expellens cum expulſa. Ratio eſt, quia etiamſi vnio crearetur, anima rationalis vt vnita opponeretur cum forma cadaueris, neque naturaliter poſſent duæ formæ informare idem ſubiectum, etiamſi vtraque forma, & vtraque vnio crearetur, oppoſitio enim eſt inter formas vt informantes, & æquè informant per vnionem creatam ſiue eductam. Neque ratio oppoſita quidquam probat rectè enim entitas creata poteſt exigere annihilationem aliùs entitatis creatæ, neque quidquam contra hanc concluſionem obiici poteſt. Eandem concluſionem ſtabiliet ratio num. 9. adducenda ad probandum formam vt informantem eſſe terminum expulſionis.

7 Opponitur etiam forma cum alia forma præcisè vt inhærente ſecluſa informatione. Hanc concluſionem tradidi Controuerſ. 2. punct. 2. n. 17. vbi dixi animam rationalem non ſolum opponi tantùm cum forma Embryonis, ſeu cuiuſuis alius compoſiti, quam expellit tantùm vt vnita, ſed etiam vt inhærente, alias anima rationalis informans tantùm deſtrueret vnionem formæ præcedentis, & illam inhærentem relinqueret in eodem ſubiecto, quia inhærentia, vt ibi dicam, bene poſſet ſine vnione ſubſiſtere, ſi hæc ex aliquo capite non impediretur, neque ex non eſſe vnionis à priori, aut poſteriori ſequeretur non eſſe inhæſionis. Ex hoc infero formam opponi non ſolùm cum vnione ſecundùm ſe, ſed etiam immediatè cum ipſa inhærentia vnionis, ita vt inhærentia, & vnio per ſe immediatè terminent oppoſitionem, quia etiamſi forma cum illa forma ſecundùm ſe ſumpta non opponatur, opponitur immediatè cum illius inhærentia: ergo potiori ratione opponetur cum inhærentia vnionis per ſuam entitatem oppoſitæ cum alia forma.

8 Concludo ex his in corruptione cuiuſcumque compoſiti vnionem inter materiam, & formam immediatè & per ſe corrumpi ab alia forma, illiuſque non eſſe per ſe intendi à principio expellente. Similiter inhærentiam vnionis. & formæ eodem modo definere eſſe, tanquam entitates quarum non eſſe intenditur à principio expellente; formam verò non ſe corrumpi, neque illius non eſſe per ſe intendi, ſed tantùm prouenire ex eo quod forma ſine inhærentia non poſſit ſubſiſtere & ita hac ablata definit eſſe, ſucceditque illius non eſſe: quod ſi forma poſſet ſine inhærentia permanere, poſito principio expellente adhuc permaneret, ſicuti de facto contingit in expulſione animi rationalis. Hæc de expulſionis termino, illius principium modò explicabo.

9 Dixi quid definat eſſe ratione formæ informantis, oportet modò ſcire quid ſit principium illius non eſſe, quod in expulſione reperitur. Duplex eſt principium, in actu primo, & in actu ſecundo: in actu primo eſt illud, quod poteſt ponere effectum, ſiue de facto illud ponat, ſiue non; in actu ſecundo eſt, quod poteſt ponere effectum, & illud ponit de facto. Vtrumque reſpectu non eſſe quod in expulſione reperitur explicabo. Forma ſecundùm ſe principium non eſt expulſionis, vt per ſe patet, quia ſecundùm ſe non poteſt aliud expellere, expulſio enim ſemper eſt in ordine ad idem ſubiectum informationis, ſeu inhæſionis. Forma vt vnita ſecluſa omni inhærentia ſiue formæ, ſiue vnionis principium eſt expellens aliam formam, ſeu potens inducere non eſſe quod in expulſione reperitur. Formæ opponuntur, quatenus conſtituunt diuerſa tota; forma enim cadauerica, & rationalis opponuntur quatenus conſtituunt cadauer, & hominem: ſed conſtituunt hæc compoſita præcisè vt informantes: ergo vt informantes opponuntur: ergo vt informans forma cadaueris eſſet principium non eſſe formæ hominis vt informantis: ergo ſicuti forma hominis vt informans eſt terminus expulſionis; ita forma cadaueris, vt informans erit principium illius per modum actus primi. Clariùs patet eadem concluſio in formis accidentalibus, in quibus ſic arguo. Calidum vt octo, & frigidum vt octo formaliter vt calidum, & vt frigidum opponuntur, ſed per vnionem intelligitur vnum formaliter calidum, & alterum formaliter frigidum, etiam inhærentia ſecluſa: ergo etiam inhærentia ſecluſa intelliguntur oppoſita: ergo intelligitur repugnantia ipſorum tam ex parte termini, quàm ex parte principij.

10 Opponitur etiam forma vt inhærens, ſecluſa etiam vnione

Digitized by Google

vnione ex parte principij cum alia forma independenter ab vnione,& vt vnita independenter ab inhærentia. Priorem partem probo: duæ vniones formarum oppoſitarum per ſe immediatè opponuntur reſpectu eiuſdem ſubiecti: ergo duæ inhærentiæ etiam per ſe immediatè reſpiciunt ſubiectum per ſemetipſas inhærentiæ, & vnionis, & æquè reſpiciunt formas oppoſitas quarum ſunt inhærentiæ: ergo forma ligni vt inhærens opponitur cum forma ignis vt inhærente. Alteram partem videlicet formam vt inhærentem opponi cum alia forma vt informante ſic probo: Oppoſitio inter extrema ſemper eſt mutua, implicat enim hoc eſſe incompoſſibile cum illo quin illud ſit etiam incompoſſibile cum iſto, ſed probaui num. 7. animam rationalem præciſè vt vnitam omni inhærentia ſecluſa opponi cum forma embryonis vt recepta independenter ab vnione inter materiam, & formam embryonis: ergo forma embryonis vt recepta opponitur cum anima rationali vt vnita: ergo illa vt recepta exigit non eſſe animæ rationalis vt vnitæ: ergo eſt principium per modum actus primi non eſſe formæ rationalis vt vnitæ, quo poſito forma rationalis vt vnita non permanebit, ſed illius deſtruetur vnio.

11 Eſt etiam aliud principium in actu primo illius non eſſe, quod dicit expulſio, hoc eſt, principium in actu primo potens producere formam expultricem formæ præexiſtentis. quod non tantùm petit productionem formæ, quam continet in ſua virtute, ſed non eſſe oppoſitæ illi, quam intendit producere, eo enim ipſo quod agens in actu primo exigit producere formam ignis in hoc ſubiecto exigit non eſſe totius formæ incompoſſibilis cum illa, quam intendit producere, ac proinde exigit vt ſubtrahatur concurſus formæ oppoſitæ, quæ in ſubiecto reperitur, & ne detur nouus concurſus ad formam incompoſſibilem cum illa, quam intendit producere. Clarè rem cernes in formis accidentalibus: datur ſubiectum frigidum, cuius frigiditas conſeruatur ab aqua, ſeu ab alio agente calido approximato: applicatur agens calidum in actu primo potens producere calorem vt tria, incompoſſibilem cum frigiditate vt ſex: hoc agens calidum in actu primo, antequam calorem vt tria producat, exigit immediatè non ſolùm productionem trium graduum caloris, ſed etiam ſubtractionem concurſus caloris vt ſex,& non eſſe illius: quod latè, clarè & efficaciter inuenies Controuerſ. 6. de generatione, punct. 1. vbi reſiſtentiam actiuam qualitatum explico. Idem contingit in formis ſubſtantialibus, in quibus eadem eſt oppoſitio, agens enim in actu primo exigens productionem formæ ignis in hoc ſubiecto exigit non eſſe formæ ligni in ſubiecto eodem. Ex quo infero virtutem productiuam ignis in actu primo proximè conſtitutam, eſſe in actu primo per ſe etiam principium non eſſe formæ ligni in eodem ſubiecto.

12 Aliud principium in actu primo non eſſe formæ in ſubiecto iuxta communem doctrinam poſſet aſſignari, videlicet non eſſe diſpoſitionum requiſitarum ad formam, ex quo immediatè ſequitur non eſſe formæ in ſubiecto in opinione, quæ aſſerit formam dependere in conſeruari à diſpoſitionibus, quibus ablatis ſecundùm hanc ſententiam, quolibet alio principio corruptionis ſecluſo deficeret forma. In mea ſententia, in qua forma non dependet in conſeruari à diſpoſitionibus: non eſſe diſpoſitionum, neque in actu primo principium eſt expulſionis formarum, illis enim ablatis, & oppoſitis introductis forma naturaliter conſeruaretur in materia, dummodo non eſſet aliud principium, à quo corrumperetur. Ex his inferes agens producens formam ignis in ſubiecto multipliciter eſſe principium in actu primo reſpectu expulſionis formæ ligni primò, immediatè, & per ſuam entitatem, quatenus exigit ſubtractionem concurſus, quo conſeruatur forma ligni in ſubiecto modo explicato num. 11. Secundò mediatè, quatenus producit formam inhærentem ſubiecto. Tertiò etiam immediatè quatenus producit vnionem inter materiam, & formam, ſiue inhærentem ſubiecto, ſiue non inhærentem, ſed per actionem creatiuam, qui duo poſteriores modi non diſtinguuntur, ſi agens per eandem actionem producit formam, & vnionem in ſubiecto. Hæc de principiis in actu primo corruptionis, ſeu non eſſe formæ in ſubiecto. Explico modò, quæ ex his principiis, quæ in actu primo poſſunt influere, de facto in actu ſecundo influant.

13 Cenſent multi ex principiis in actu primo potentibus expellere formam, illud tantum, quod eſt prius aliis de facto expellere formam, quia poſteriora iam inueniunt formam expulſam ab illo, quod illa præceſſit, & ita illam de facto expellere nequeunt. Ita philoſophantur multi Theologi, qui aſſerunt actum contritionis eſſe expulſiuum peccati, de facto tamen illud non expellere, quia iam illud inuenit expulſum ab habitu, qui ad actum contritionis ſupponitur. Sic in noſtro caſu poſſet dici formam ignis adhuc vt informantem non expellere formam ligni, quia iam illam inuenit expulſam à principio producente formam ignis, quod neceſſariò ſupponit, quodque diximus exigere non eſſe formæ ligni in illo ſigno, in quo exigit productionem formæ ignis priùs natura, quod illam producat, & hac ratione defenderet non nemo vnam formam in actu ſecundo aliam non expellere. Cæterùm licet exemplum à Theologis adductum forſan improbari non poſſit, propter peculiarem illius materiam, in qua diuerſa eſt ratio, ac in aliis, vt poſtea explicabo, qui ita in aliis cauſis philoſopharetur, non rectè prioritatem naturæ percalluiſſe præſumerem. Aliud enim eſt, ſupponi prius natura principium expulſiuum, aliud ſupponi expulſionem, ſicuti aliud eſt dependere à principio expulſiuo tanquam a cauſa, aliud dependere ab ipſa expulſione. Forma vt informans ſupponit tanquam principium actum primum ad illam quod eſt ex ſe potens expellere contrariam, non tamen ſupponit ipſam expulſionem potentem procedere à tali principio, neque ſupponit actum primum quatenus de facto expellentem, ſed actum primum ſecundùm ſuam entitatem, cuius forma non poterit eſſe principium, quia eſt illo poſterior; expulſionis verò, qua poſterior non eſt, & quam non ſupponit; rectè poteſt eſſe principium ex hoc capite, ſi alias ſit potens illam inducere, & ſimul cum actu primo, à quo pendet, illam inferre, ita vt forma vt informans, quæ ſecundùm ſe eſt poſterior natura principio illam producente, ſimul cum eodem principio in ordine ad alium effectum conſtituat vnicum principium adæquatum, quod ſit prius natura ſuo effectu, & in ordine ad illum ſint ſimul natura illa quæ inter ſe habent ordinem prioris, & poſterioris. Hanc doctrinam in Sole & luce clarè cernes: Sol producit lucem in ſeipſo, quæ eſt illo poſterior, & qua prior eſt Sol, poſtea verò lux & Sol, quorum quoduis alterum poterat producere primum gradum lucis in aëre, ſimul conſtituunt vnum principium adæquatum reſpectu primi gradus lucis exiſtentis in aere, in ordine ad quem lux recepta in Sole, & Sol quæ inter ſe habent ordinem prioris, & poſterioris, ſunt ſimul natura, & vtrumque eadem prioritate prius luce recepta in aëre.

Ex hac doctrina facilè meam concluſionem depromo. 14
Aſſero: omnia principia à me aſſignata expulſiua formæ in actu primo illam de facto expellere. Rationem ſuprà expoſui, quam nunc cingo: omnia illa principia virtutem habent formæ expultricem; nullum illorum ſupponit expulſionem: ergo omnia per modum vnius formam expellent. Maiorem ſuppono ex dictis à num. 9. vſque ad 12. incluſiuè, neque illa indiget probatione: tantùm enim aſſero in præſenti concluſione illa principia, quæ poſſunt formam expellere, illam de facto expellere, ac proinde illorum virtus ſupponenda eſt non probanda. Minorem probo: forma ignis vt informans, etiamſi ſupponat negationem diſpoſitionum ad formam ligni non ſupponit effectum huius negationis, videlicet negationem formæ ligni, & etiamſi dependeat à negatione diſpoſitionum ad formam ignis, & ab actu primo productiuo ipſius, quæ poſſunt inducere non eſſe formam ligni, non dependet à priori non eſſe formæ ligni, quia illa quæ per ſe ſupponit, verbi gratia, ſuum actum primum, & negationem diſpoſitionum ad formam ligni, realiter diſtinguuntur à non eſſe formæ ligni vt informantis, & etiamſi hæc principia ex ſe non poſſent expellere formam ligni, forma ignis, quæ per ſe ipſam poteſt illam expellere poſſet produci: ergo forma ignis, vt informans non ſupponit non eſſe formæ ligni vt informantis, quia tantùm ſupponit id, à quo dependet: ergo cùm aliàs ſit ex ſe potens hanc inducere expulſionem, illam de facto inducet. De reliquis principiis videlicet de actu primo potente producere formam ignis, & de carentia diſpoſitionum, ſi ex virtutem habet inducendi non eſſe formæ in ſubiecto, certum eſt non ſupponere formam expulſam, quia nullum principium ſupponunt prius illis potens

Digitized by Google

formam expellere, ni aliud mediteris principium expulſionis formæ ligni, videlicet diſpoſitiones ad formam ignis, quas dicas immediatè exigere non eſſe formæ ligni, ſicuti principium productiuum formæ ignis non tam petit immediatè productionem formæ ignis, ſed etiam non eſſe formæ ligni. Quod ſi ita ſentias philoſophandum eſt de non eſſe diſpoſitionum formæ ligni ſupponente diſpoſitiones formæ ignis cum virtute ad inducendum non eſſe formæ ligni, quod poteſt etiam inducere non eſſe diſpoſitionum, ſicuti de forma vt informante, quæ oppoſitum expellit, etiamſi ſupponat ſuum actum primum cum virtute ad expulſionem, quam ipſa præſtat.

15 Hanc doctrinam non inglorius in lucem Compluti dedit noſter Doctor Complutenſis Hurtadus quam edidit tom. de Incarnat. diſp. 1. diff. 10. vbi docuit actum contritionis de facto expellere peccatum, etſi procedat ab habitu gratiæ potente peccatum expellere, illúmque ſupponat natura priorem. Cæterùm etſi illius doctrina iure multis ſit commendata, in præſenti materia non leuem habet difficultatem præcipuè in doctrina ipſius Hurtadi, propter quam dixi forſan non poſſe improbari exemplum, quod adducunt aduerſarij pro oppoſita ſententia, de actu contritionis non expellente peccatum, ex eo quod ſupponat habitus, quam hic explicandam reliqui. Expulſio, poteſt eſſe formæ poſitiuæ, quæ propriè eſt expulſio, & formæ negatiuæ, quæ impropriè dicitur expulſio, ſicuti expulſio tenebrarum lucis: expulſio formæ poſitiuæ diſtinguitur ab informatione formæ expellentis, ac proinde non valet conſequentia, ſupponitur informatio caloris, ergo ſupponitur expulſio frigiditatis. Expulſio negationis non diſtinguitur ab informatione habitus, ac proinde valet, ſupponitur lux informans; ergo ſupponitur expulſio tenebrarum. Hinc fit in opinione aſſerente peccatum dicere priuationem gratiæ, gratiam ipſam eſſe non eſſe peccati: ac proinde eo ipſo quod ſupponatur gratia in ſubiecto ſupponitur non eſſe peccati; & actus contritionis, qui ſupponit habitum gratiæ priorem natura ſupponi non eſſe peccati prius naturâ, ac proinde non eſſe peccati identificatum cum gratia informante, quod eſt prius actu contritionis, & non poteſt eſſe poſterius illo. Multi tamen rem componunt aſſerentes peccatum dicere priuationem gratiæ informantis, quæ auferenda eſt per gratiam vt informantem, quam non ſupponit actus contritionis, qui non procedit ab habitu vt informante media vnione, ſed vt inhærente media paſſione. Hoc dicendi modo optimè ſententia Hurtadi defendi poſſet: verumtamen Hurtadus non ſolùm non defendit, verùm ægrè fert hanc diſtinctionem inter inhærentiam, & vnionem ab aliis defendi, & ita difficilè in hac materia doctrina aliàs ſemper laudanda poteſt adduci, quæ rectè in eadem conſtat apud illos, qui inter peccatum, & gratiam oppoſitionem contrariam inter extrema poſitiua, & non priuatiua agnoſcunt, vel etiam apud illos, qui diſtinguentes inhærentiam formæ ab illius informatione aſſerunt habitum gratiæ ſupponi ad actum contritionis vt inhærentem, & non vt informantem, ac proinde non ſupponi ad actum contritionis non eſſe peccati, quod conſiſtit in habitu gratiæ vt informant, iuxta quorum principia dicendum eſſet actum contritionis procedentem ab habitu gratiæ peccatum de facto expellere, ſi illius habet virtutem expultricem per ſuam entitatem, tanquam per formam formaliter ſanctificatam.

16 Circa modum, quo vna forma aliam expellit, dico breuiter nullam formam aliam expellere producendo aliquid in forma expellenda, neque in ſubiecto: non in forma expellenda, quia illud quod in forma produceretur potiùs ſupponeret formam tanquam ſubiectum, cauſámque materialem, quàm illam deſtrueret, nihil enim poteſt eſſe deſtructiuum cauſæ immediatæ, quam ſupponit: non in ſubiecto, quia dè illo quod produceretur inquirerem an per aliam productionem expelleret formam, & ſi affirmatiuè reſpondeatur in infinitum abibimus: ſi per ſe ipſum cur non poterit præſtare forma per ſe ipſam illud, quod præſtat effectus ille, quem tu fingis productum à forma? Neque forma poteſt aliam phyſicè immediatè corrumpere, quia corrumpi formam nihil aliud eſt, quàm ſubtrahi concurſum, quo antea conſeruabatur, ſed vna forma non conſeruat aliam: ergo non poteſt alius concurſum ſubtrahere, neque illa forma deficiet ex eo quod hæc illam non conſeruet, nihilo enim minùs indiget forma ligni, quàm concurſu præſtito à forma ignis vt conſeruetur. Non reſtat alius modus, quo vna forma aliam expellat, niſi moraliter exigendo à Deo, vt concurſum ſuſpendat, quo formam antiquam conſeruabat, quæ exigentia effectum ſortietur, quando Deus ex vi illius moueatur ad ſuſpendendum concurſum, quem erga formam antiquam exigebat; quod ſi Deus in inſtanti, in quo introduceretur forma ignis in hac materia deſtrueret formam ligni præëxiſtentem nullo habito reſpectu ad formam ignis introductam, non diceretur hæc in actu ſecundo aliam expuliſſe. Ex hoc inferes formam vt inhærentem, & vt informantem non dicere cauſalitatem expulſionis, ſed tantùm actum primum illam exigentem. Hic actus primus primò reſpicit actum diuinæ voluntatis, quo vult ſubtrahere concurſum, non tanquam effectum, quia actus diuinæ voluntatis nullius virtutis effectus eſſe poteſt, aliquo modo tamen dicitur hic actus dependens ab illa exigentia, ſine qua non eſſet. Hanc dependentiam impropriam habet actus diuinæ voluntatis per ſuammet entitatem, nulla aliâ cauſalitate interiectâ, quia omnis actus eodem modo, quo pendet immediatè dependet à motiuo, quod reſpicit. Ex hoc actu tanquam ex cauſa ſequitur non eſſe formæ vt inhærentis, & non eſſe formæ vt informantis. Non eſſe formæ vt inhærentis habet cauſalitatem negatiuam, videlicet non eſſe actionis terminatæ ad formam vt informantem. Non eſſe formæ vt inhærentis dicit non eſſe ipſius inhæſionis ad quod nulla datur cauſalitas interiecta adhuc negatiua, quia ſicut forma vt inhærens, quæ formaliter dicit inhæſionem non dicit cauſalitatem interiectam, quia inhæſio per ſe ipſam dependet, ita non eſſe eiuſdem non poteſt dicere negationem cauſalitatis ſeu ſubtractionem concurſus terminati ad formam vt inhærentem; ſed ſicuti forma vt inhærens per ſe ipſam dependebat ab agente, ita non eſſe formæ vt inhærentis per ſe ipſam deſinit conſeruari ab agente, & in ſe ipſa inuoluit deſitionem ſui.

Actus primus producens formam deſtruit oppoſitam mediatè, & immediatè, mediatè quatenus producit formam, quæ aliam expellit modo dicto, & ita illius cauſalitas remota erit cauſalitas, qui producit formam vt inhærentem, & vt informantem: immediatè deſtruit aliam formam exigendo eandem ſuſpenſionem concurſus, quam exigit forma vt inhærens, & vt informans, & ita per eandem cauſalitatem, per quam forma informans aliam expellit, per eandem actus primus formæ expellentis immediatè deſtruit formam, quæ expellitur: dicitur tamen forma expellere aliam formaliter, & non actus primus, etſi eadem ſit vtriuſque cauſalitas, oritur à forma exigenti illius, quia per ſuam informationem, & eſt actus primus huius cauſalitatis, & forma formaliter vt informans: actus verò primus, quem eadem ſupponit ex parte principij actiui formæ expellentis nullam dicit informationem formaliter, neque incompoſſibilitatem ipſius cum forma, quam intendit deſtruere in ordine ad ſubiectum aliquod commune, ſed tantum virtutem actiuam, & ita actus primus ad formam ignis dicitur actiuè deſtruere formam ligni & ipſa forma ignis dicitur illam deſtruere formaliter per eandem cauſalitatem, ſicuti principium actiuum, & paſſiuum per eandem cauſalitatem in diuerſo genere cauſæ eundem exhiberet effectum. 17

Negatio diſpoſitionum ſi eſſet actus primus ad deſtructionem formæ influerent tanquam motiuum, à quo dependebat conſeruatio formæ, ad quam diſponebant diſpoſitiones, quarum negatio ſucceſſit. Si diſpoſitiones ad formam immediatè exigerent non eſſe contrarias, eandem cauſalitatem in illud haberent, ac reliqua principia medio eodem actu voluntatis diuinæ modo ſuprà explicato de aliis principiis. 18

CONTROVERSIA IX.

De cauſa efficiente creata.

Explicui cauſas intrinſecas entis naturalis, accedo iam ad cauſas extrinſecas explicandas, quarũ præcipua eſt efficiens. Hæc primò diuiditur in creatã, & increatam: diſputabo modò de cauſa efficienti

Digitized by Google

efficienti creata diſputaturus Controuerſia ſequenti de cauſa increata.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit cauſa efficiens?

1 Ariſtoteles hoc 2. lib.cap.2.& 3.& 5. Metaphyſic. cauſam efficientem definit, vnde primum principium eſt mutationis,& quietis, & in text. 31.huius 2. lib. verba definitionis repetens, ita ait: *Semen autem, & medicus, conſulto omnino ipſum faciens omnia ſunt principium mutationis: ſtatus,aut motus.* In hac definitione aliam virtute contentam inueniunt Suarez diſp. 17. Metaph.ſect.1.& Rub.tract. de cauſa efficienti,num. 1. quam ſic tradunt: *Cauſa efficiens eſt principium per ſe à quo primo eſt, aut fit mutatio* quam definitionem poſtea propugnabo.

2 Recentiores quidam ita verbis Ariſtotelis adhæſere, vt exiſtiment cauſam efficientem non eſſe principium mutationis, ſed id vnde procedit ipſum mutationis principium, neque adeo peregrinæ cogitationis fundamentum aliquod adducunt, præter verba Ariſtotelis ſupra relata, quæ ſi cum aliis,quibus frequenter Philoſophus ſuam mentem explicat, contuliſſent, non ita illorum materiali ſono deciperentur. Eodem lib.5. Metaph. cap.2. poſt prædicta verba ita diſcrimen inter materiam, & efficiens aſſignat: *Hoc quidem vt materia, illud vero vt vnde motus.* Et ſtatim poſtquam dixerat exercitium eſſe cauſam bonæ habitudinis & è contra bonam habitudinem eſſe cauſam exercitij, diſcrimen addit inter efficiens, & finem his verbis: *Non tamen eodem modo, ſed hæc quidem vt finis, illud vero vt principium motus*, ex quibus manifeſtè concluditur in phraſi Ariſtotelis idem eſſe id, vnde principium eſt motus, ac id, quod eſt principium motus, & inter peritos Latinæ linguæ optimè dicitur effectum trahere originem, & principium ab efficiente.

3 Hurtadus diſput. 9. ſect. 1. cauſam efficientem definit: *Principium per ſe influens in aliud, præciſa mutatione ſui, ex præciſa ratione influxus.* Non probo definitionem hanc,quia conuenit cauſæ formali, & quia non conuenit omni efficienti. Conuenit cauſæ formali, quia hæc eſt cauſa totius ex doctrina communi, quam Hurtadus amplectitur, & in illud influit ſecluſa mutatione ſui ex præciſa ratione influxus cauſæ formalis, qui tantùm eſt vnio, ex vi cuius forma non mutatur. Dices non mutari per terminationem vnionis, mutari tamen per illius receptionem, quia forma patitur vnionem in opinione Hurtadi conſtituentis duplicem vnionem, quandam receptam in materia, aliam in forma. Contra: etiamſi forma mutetur per receptionem vnionis non mutatur ex præciſa ratione influxus, quem exhibet in totum, quia forma non influit in totum recipiendo vnionem, ſed illam terminando, & illius influxus adæquatus eſt vnio,ex vi cuius præciſè non mutatur forma ergo cauſa formalis influit ſine mutatione ſui ex præciſa ratione influxus, etſi ex alio capite mutetur,quatenus cauſa materialis vnionis:ergo illi conuenit prædicta definitio. Vrgeo ad hominem: In opinione Hurtadi principio immanenter operanti rectè quadrat hæc definitio,etſi quatenus ſubiectum actionis per illam immutetur: ergo rectè etiam conueniet principio formali totius,etſi quatenus eſt principiũ materiale vnionis mutetur,cùm nõ mutetur per eandem vnionem ſicut principium immanenter operans non immutatur per actionem, ſed per inhæſionem vnionis ab illa diſtinctam. Vltimò vnio in opinione Hurtadi poteſt creari: pono ergo creari vnionem & formam compoſiti, de forma enim nullus negat poſſe creari, tunc ſic argumentor: Illud compoſitum ex materia, forma, & vnione eſſet verè compoſitum ex materia, & forma: ergo vtraque totum componeret: ergo vtraque in actu ſecundo eſſet cauſa illius,vna formalis,materialis altera: ſed neutra mutaretur: ergo neque cauſa materialis, neque formalis totius mutantur ex præciſa ratione influxus, quem exhibent in totum.

4 Secundò argumentor contra eandem definitionem. Principium immanenter producens immutatur præciſè ex vi actionis immanentis: ergo principium effectiuum immutatur ratione influxus. Diſtinguit Hurtadus §.5. Actio immanens immutat agens intrinſecè: in denominatione actionis, nego: in denominatione paſſionis, concedo. In hac re Hurtadi conſequentiam non laudo. latè probat diſput 16. Metaphyſic ſection.4. à num.29. actionem eductiuam formaliter non diſtingui à paſſione, neque habere diuerſa connotata: ergo actio eductiua vt eductiua eſt formaliter immutat agens. Probo: vt eductiua formaliſſimè eſt paſſio iuxta ſententiam Hurtadi: vt eſt paſſio immutat: ergo vt eductiua immutat: ſed actio vt immanens eſt eductiua: ergo vt actio immanens, & vt eductiua eſt cauſalitas agentis, quod non conſtituitur ſolùm agens per actionem, ſed tale agens per talem actionem videlicet immanentem, vel tranſeuntem; actio enim intra lineam actionis diuiditur in tranſeuntem, & immanentem.

5 Arriaga diſput.9. ſect.1.ita cauſam definit: *Principium per ſe influens in aliud præciſa mutatione ſui ex præciſa ratione cauſæ efficientis.* Vitium huius definitionis vel recentem Dialecticum non latebit, includit enim definitum eodem modo ſignificatum in illa particula *efficientis*, ac ante definitionem definiendum proponebatur. Patitur etiam eaſdem difficultates, quas contra definitionem Hurtadi expendimus, à qua tantùm differt per vltimam particulam.

6 Sto definitioni, quam ex Ariſtotele tradunt Suar. & Rub. ſuprà: *Principium per ſe, à quo primo eſt, aut fit mutatio.* Principium loco generis ponitur, per reliquas particulas differre à cauſa formali & finali nullus dubitat, non enim effectus dicitur eſſe à fine,ſed propter finem, neque à forma, ſed per formam, per quam totum conſtituitur. Eſt difficultas tantùm de materia reſpectu formæ, per quam particula excludatur ab hac definitione. Volunt nonnulli excludi ex eo quod effectus non dicatur fieri à materia,ſed ex materia, illa enim particula denotat principium extrinſecum, quod Ariſtoteles ſignificauit per particulam *vnde*, quæ ſemper denotat terminum extrinſecum, neque enim locus, vbi ego ſum, dicitur vnde ſum, ſed locus à quo diſcedo dicitur vnde venio. Non omnino acquieſco, quia etiamſi particula *vnde*, dicat rationem extrinſecam, materia reſpectu formæ, cuius eſt cauſa, extrinſeca dici poteſt, quatenus extrinſecum ſumitur pro re adæquatè ab illo diſtincta, cui extrinſeca dicitur, in quo ſenſu ſufficit, vt dicamus particulam *vnde* rationem extrinſecam importare in forma, quæ concipitur quatenus naſcitur, ſeu educitur ex materia proficiſcens ex illo eſſe virtuali, quod in materia habebat ad eſſe formale, quod in ſe continet. Magis placet materiam excludi per particulam illam, *primo*, quæ non conuenit effectui, ſeu cauſalitati reſpectu ſubiecti, ſeu cauſæ materialis, ſed reſpectu principij effectiui; nam licèt materia ſit primum ſubiectum in ratione ſubiecti, non tamen eſt primum à quo eſt motus ſeu cauſalitas, quæ dependet à materia tanquam à principio paſſiuo, & ab alia entitate tanquam à principio effectiuo quod probo, & explico. Primum mouens iuxta Ariſtotelem dicitur illud, quod determinat motum, & ab illo tantùm dicitur primo eſſe motum, à quo depẽdet, ob hanc rationem dixit Ariſtoteles viuentia à ſe moueri, quia illa ſibi motum determinant, neque indigent alio extrinſeco determinante, vt moueantur, & non dicuntur moueri à generante, quia poſtquam ſunt producta à generante,pro ſua libertate ſi ſint rationalia, vel pro ſua indifferentia ſicut cognoſcitiua, vel ſi tantùm vegetatiua ſint ſecundùm illorum diuerſum ſtatum à principio intrinſeco modò determinantur ad tantam nutritionem,modò ad tantam, ita vt magis nutriantur antequam perueniant ad perfectum ſtatum, minùſque poſtquam illum expleuerint. Non viuentia dixit Ariſtoteles moueri à generante, quia poſtquam generans talem illis indidit formam ſemper ſunt eodem modo ex ſe determinata ad talem motum, & ita dicuntur determinationem illam in actu primo traxiſſe à generante, licet in actu ſecundo à ſe determinentur,vt patet in motu lapidis deorſum, qui ab ipſa natura lapidis determinatur.

7 In hoc ſenſu affirmo, illam particulam, *primo* tantùm conuenire cauſæ efficienti, quæ eſt determinatiua motus & quæ materiam determinat ad illum; ita vt ſi motus verè procedat ab efficiente, & materia non ab hac, ſed ab alio tanquam à determinante procedat, ſemper enim actus primus actiuus motum determinat, quem non poteſt paſſiuus determinare, ob quam rationem dicam Controuerſ. 12. de anima. Punct. 3. cum communi ferè omnium ſententia principiũ paſſiuum vt paſſiuũ non poſſe eſſe liberũ, quia paſſiuum vt paſſiuũ non valet ſe determinare.

Ariſtoteles nunquam actionem ſine motu cognouit, ideo definitionem cauſæ efficientis dedit per motum, & quietem, nos autem, qui actionem creatiuam, & plures alias actiones, præcipuè ad accidentia terminatas, quibus non competit ratio motus, agnouimus, per principium motus, principium totius actionis debemus intelligere, quid verò ſignificetur nomine quietis explicui Controuerſ. 6. Punct. 1. inter exponendum naturæ definitio-
9 nem.

Cauſalitatem principij effectiui in illius definitione explicuit Ariſtoteles, motum videlicet, per quem principium effectiuum actu mouet, ſeu efficit, cum verò dixerimus principium effectiuum debere ſumi in ordine ad plures actiones, quæ motus non ſunt debemus effectiuo principio tanquam veram cauſalitatem non ſolùm motum, ſed etiam actionem aſſignare, quam etiam deſignauit Ariſtoteles dum definiuit actionem: *actus agentis vt agens eſt.* De natura actionis dicam Controu.12. Puncto 1.

10 Cauſa efficiens diuiditur in primam & ſecundam; cauſa prima eſt à qua omnes dependent effectus, cùm ipſa à nulla alia cauſa dependeat; ſecunda dicitur, quæ dependet ab alia cauſa, & à qua dependent aliqui effectus. Rurſus ſecunda diuiditur in moralem, & phyſicam; phyſica dicitur, à qua effectus per verum influxum dependet; moralis, quæ phyſicè non attingit effectum, ſed in cauſa eſt, vt alia cauſa illum attingat, ſicuti conſulens, rogans, vel mandans; Phyſica diuiditur in principalem, & inſtrumentalem; quomodo hæc membra inter ſe differant, non omnium eadem ſententia, varias explico Punct. 5. Principalis iterum ſubdiuiditur in vniuerſalem, & particularem. Vniuerſalis quæ cum pluribus cauſis inter ſe ſpecie diuerſis ad plures concurrit effectus ſpecie diuerſos. Particuliaris, quæ cum aliis concauſis determinatis certos ſibi præſcribit effectus. Deinde cauſa principalis alia vniuoca, alia æquiuoca; vniuoca dicitur reſpectu effectuum eiuſdem ſpeciei cum principio; æquiuoca reſpectu effectuum diuerſæ ſpeciei. Demum alia eſt cauſa libera, alia neceſſaria; cauſa libera eſt quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, & non operari; neceſſaria dicitur, quæ poſitis requiſitis ad operandum, non poteſt non operari.

Pvnctvm II.

Statuitur virtus actiua in cauſis ſecundis.

1 AVdiendi non ſunt Auctores, qui dicunt in cauſis ſecundis non eſſe virtutem operatiuam, ſed Deum ad præſentiam illarum effectus producere, quæ ſententia ex Trident. efficaciter reiicitur. Damnat Trident. ſeſſ. 6. can. 4. illum, qui dixerit noſtrum arbitrium nihil operari; ſed habere ſe veluti quoddam inane inſtrumentum: ergo conſtat, ex Trident. nos effectiuè operari actus ſpectantes ad noſtram iuſtificationem, & non nos habere merè paſſiuè: ergo ex Concilio conſtat nobis ineſſe actiuam virtutem ad actus noſtræ voluntatis. Secundò, eandem concluſionem traditam à Concilio, quam modo propugno, ratione oſtendo: Homini ineſt liberum arbitrium, & ſe liberè determinat ad hanc operationem laude, & illam vituperio dignam: ergo homo effectiuè elicit ſuam operationem, alias non eſſet liber, neque ſe determinaret, ſed illum determinaret Deus, qui operationem produceret, neque illi poſſet dari laudi, vel vituperio operatio, quæ ab illo non efficitur, ſed à Deo, qui pro ſua libertate illam produceret nullo habito reſpectu ad libertatem hominis, quæ illi non ineſſet, ſi non effectiuè actus voluntatis produceret. Dices hominem eſſe dignum laude vel vituperio, quia Deus ad præſentiam illius producit hanc, vel illam actionem. Contra: homo ex ſe indifferens ad actionem bonam vel malam, vel producit aliquid, ex vi cuius determinetur Deus ad producendam hanc actionem bonam vel nihil producit, ſed Deus ad præſentiam hominis indifferentis ad vtramque actionem pro ſua libertate, producit, quam vult. Si primum dicas, iam concedis homini virtutem actiuam: ſi ſecundum, conuinceris hominem non eſſe laude dignum hic & nunc ex eo, quod Deus producat actionem honeſtam, quia præſentia hominis non magis determinabat Deum ad actionem honeſtam, quàm inhoneſtam producendam.

Operationes aliorum brutorum effectiuè ab ipſis proce- 2
dere manifeſtè oſtenditur, ſi enim motus non procederet ab ipſo animali, quomodo equus bello inſtructus commoueretur? quomodo aſinus ad ſonitum huius vocis agitaretur, & ad illius ſonitum quieſceret? numquid determinatur Deus vocis ſonitu, vt motû, quietémve animalis producat? quis amens hæc dicet? Secundò animalia motu defatigantur: ergo illum producunt, non enim defatigarentur ſi nihil agerent, neque cum homine congruè actum eſſet, ſi defatigaretur actione à Deo exhibita; & virtutem operandi Deus ſibi præriperet, hominique laborem, & defatigationem tantùm fuiſſet impertitus.

De aliis effectibus vulgo eadem concluſio probatur, 3
quia ſi ignis non eſſet productiuus caloris, non eſſet maior ratio cur Deus ad præſentiam ignis calorem produceret, quàm frigiditatem. Non vrget hæc ratio, quia ſicuti tenemur recurrere ad naturam agentis, cum à nobis quæritur cur ignis ſit productiuus caloris, & non frigiditatis; ſic qui dicunt agentia naturalia per ſe non eſſe operatiua ad eandem naturam recurrerent, & dicerent ex natura ignis prouenire, vt Deus ad præſentiam illius debeat vt auctor naturæ potius calorem, quàm frigiditatem producere. Poteſt tamen vrgeri hæc ratio, quia ſi tota virtus actiua exiſteret penès Deum nihil operante cauſa ſecunda, cur Deus ita decreuiſſet certos effectus producere, plantas, verbi gratia non niſi poſt tam laborioſam hominis culturam, poſt pluuiam de cœlo miſſam, quæ omnia in caſſum Deus decreuiſſet ad effectum à ſe producendum præire, cum illis non expectatis æquè bene effectus poſſet à Deo produci.

Vltimò eandem concluſionem probo. Effectus poteſt 4
dependere à principio paſſiuo creato: ergo ab effectiuo. Reſpondebis Deum non poſſe pati effectum, & ita virtutem paſſiuam dandam eſſe neceſſariò in creaturis, poſſe tamen illum efficere, quapropter virtus actiua neceſſaria non eſt in alio præter Deum. Contrà virtus actiua Dei non opponitur cum virtute actiua creaturarum: ergo ex eo quod Deus actiuè poſſit operari, non infertur creaturam hac virtute actiua carere, ſtatuo ergo virtutem actiuam Dei non eſſe fundamentum ad negandam virtutem actiuam creaturæ, & hoc poſito, arguo à paritate prædicta. Vrgeo: in creatura inuenitur tota proportio, quæ poteſt excogitari requiſita ad aliam producendam: neque fundamentum eſt ad negandum hanc illi productiuam ineſſe, aliàs tota Philoſophia clamitat illam in creaturis concedendam eſſe, perpetua ſenſuum experientia idem demonſtrat: eliminanda ergo eſt ſententia, quæ virtutem hanc creaturis denegat, vel tota euertenda Philoſophiæ diſciplina.

Demum vt doctè meditatur Soar. diſp. 18. Metaphyſ. 5
ſect. 1. virtus hæc ex ſacra Pagina haud obſcurè colligi videtur, Geneſ. 1. num. 11. *Germinet terra herbam virentem*, & num. 24. *Producat animam viuentem, &c.* Ex quibus verbis colligit Baſil. hom. 9. tes virtutem productiuam accepiſſe. Et Matth. 4. ait Chriſtus: *Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum.* Et infrà: *vltrò terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum, &c.*

Pvnctvm III.

De virtute operatiua accidentium.

PRima conclvsio. Subſtantia habet virtutem 1
intrinſecam, & immediatam productiuam accidentium in ſeipſa: ita Soar. diſp. 18. Metaph. ſect. 3. Hurtad. diſput. 9. ſect. 1. ſubſect. 2. & alij plurimi. Probo hanc concluſionem experientia, qua videmus aquam remoto quolibet alio agente extrinſeco reducere ſe in priſtinam frigiditatem, ergo producit frigiditatem in ſe ipſa. Reſponderi ſolet ex Iauello aquam frigiditatem in ſe producere propter qualitatem quandam occultam productiuam frigiditatis diſtinctam à ſubſtantia aquæ, quam recipit à generante. Inquiro, vnde hæc qualitas occulta fuit nota? certè ex nullo capite, ac proinde adeo mihi eſt occulta, vt illam non agnoſcam, quam neque Iauellus cognouiſſe debuerat, cùm verò ſubſtantiam aquæ nouæ, ipſi efficientiam frigiditatis tribuo, & non ignotæ qualitati, & ſine fundamento fictæ committo. Secundò in actibus vitalibus

Digitized by Google

libus ſpecialiter probatur hæc concluſio, quo (adhuc potentiis ſuperadditis) immediatè ab anima procedere oſtendo Cotrou.3.de anima punct.1.

2 SECVNDA CONCLVSIO. Subſtantia virtutem habet producendi immediatè in alio ſubiecto extraneo plura accidentia, quæ in ſe ipſa producit, ignis v. g. poteſt producere immediatè per ſuam ſubſtantiam calorem in ligno eiuſdem rationis cum calore in ſe ipſo producto. Probo hanc concluſionem: calor productus in ligno,& igne, eſt eiuſdem rationis: ergo continetur vterque calor ſecundùm ſuam entitatem in virtute intrinſeca ignis, aliàs calor contentus in virtute intrinſeca ignis non petit ex ſe immanenter produci cum ſaltem ab alio calore poſſet produci tranſeunter, neque modus tranſeunter operandi excedit virtutem intrinſecam ignis: ergo poterit ignis non ſolum immanenter, ſed etiam tranſeunter calorem producere, præcipuè cum nullum ſit fundamentum ad negandum igni hanc virtutem tranſeuntem producendi calorem, quem poteſt immanenter producere.

3 TERTIA CONCLVSIO. Ignis, qui virtutem habet producendi calorem in ligno non impeditur calore, quem in ſe habet vt talem calorem producat in ſubiecto extraneo. Hanc concluſionem exprimo contra Arrag. aſſerentem diſp.11.ſect.2. ſubſect.1. n.14. ignem habere virtutem producendi calorem in ſubiecto extraneo, nihilominus naturaliter non poſſe illum producere, quia impeditur proprio calore. Meam concluſionem probo, & Arriagam impugno principio illis ſatis familiari. Quoties duæ cauſæ, quarum quælibet virtutem habet ad effectum producendum approximantur paſſo, in quo effectus eſt producendus, vtraque attemperat ſuum concurſum, & effectus ab vtraque procedit, ſed calor, & ignis habent virtutem ad producendum calorem in ſubiecto extraneo,& æquè vterque applicatur ſubiecto: ergo effectus ab vtroque procedit, per concurſum attemperatum, qui inadæquatè procedat ab igne, & inadæquatè à calore, & ab vtroque adæquatè. Reſpondet Arriag. calorem eſſe cauſam magis proportionatam ad producendum alium calorem. Contra: Hæc maior proportio gratis confingitur ab Arriag. non enim ex eo quod calor ſit magis ſimilis alteri calori, eſt magis proportionatus ad productionem illius, cum proportio inter cauſam, & effectum non conſiſtat in ſimilitudine, vt patet in omnibus agentibus æquiuocis, ſed in virtute ad agendum, quæ excellentior eſt in agentibus æquiuocis: ergo maior proportio admittenda non eſt. Sed eſto maiorem proportionem habeat calor, quam ignis ad producendum calorem tranſeunter, nihilominus ignis habet proportionem ex ſe ſufficientem ad illum producendum, quia ſi non impediretur proprio calore illum produceret, vt fatetur Arriag. ergo etiamſi calor ignis maiorem proportionem habeat, calor magis proportionatus & ignis minus proportionatus calorem producent. Probo conſequentiam: cauſam eſſe proportionatã ad effectum producendum nihil aliud eſt, quàm habere virtutem ad illius productionem exhibendam: ergo eſſe magis proportionatum erit habere maiorem virtutem: ſed non ex eo quod hæc cauſa habeat maiorem virtutem quàm illa, impeditur cauſa, quæ habet maiorem virtutem, ne effectum producat quem aliàs poteſt producere, imò cauſa quæ ex ſe non habet virtutem adæquatam, audita alia, quæ virtutem adæquatam habeat, concurrit ad effectum, quem ſe ſola præſtare non poterat: ergo cauſa minus proportionata, quæ aliàs ſufficientem proportionem habet ad effectum producendum non impeditur cauſa magis proportionata, ne effectum producat, potius illa adiuta facilius, & celerius illum producet. Vrgeo: abſente calore proprio ignis produceret calore in ligno: ergo etiam præſente calore. Probo conſequentiam: virtus actiua ignis, neque capacitas paſſi non minuitur per præſentiam caloris, quia vtraque virtus non diſtinguitur à ſubſtantia ignis, & paſſi, quæ abſente, & præſente calore eadem eſt: neque calor poteſt impedire actionem ignis: ergo. Calorem non poſſe impedire actionem ignis ſic probo: vnum agens tantum poteſt impedire actionem alterius, quatenus qroducit, vel intendit producere effectum incompoſſibilem cum effectu producendo ab alio, vel quatenus præoccupat actionem alterius: ſed calor non poteſt impedire influxum ignis primo modo, quia vterque intendit eundum effectum producere, non præoccupando actionem alterius, ſeu ſubiectum per effectum à ſe productum, quia hæc actio procedens à calore, & non ab igne in illo inſtanti temporis applicato debet ſupponere ex parte actus primi aliquid, ratione cuius Deus cum ſuo principio ad hanc actionem concurrat, & non ad aliam cum alio comprincipio applicato, cum enim in priori naturæ antequam intelligatur aliqua actio procedens ab hoc agente præoccupante, ſeu impediente actionem alterius, ſupponatur vtrumque principium actiuum exigens actionem, ad hoc vt Deus cum hoc principio actiuo, & non cum illo concurriſſe dicatur, aſſignandum eſt ex parte huius principij aliquid ratione cuius illi debita ſit actio adæquatè ab illo procedens, impediens actionem proceſſuram ab alio principio, vel ab vtroque, in quam alterum principium propendebat, quod aſſignari non poterit, quia maior virtus ex parte caloris, etiamſi admittatur, non exigit vt minori virtuti ignis penitus denegetur influxus, quia minor virtus non alia maiori abſorbetur, ſed potius adiuuatur, vt nuper dicebam.

QVARTA CONCLVSIO. Plura accidentia tranſeunter producta indiuiſibiliter producuntur de facto ab alio accidenti,& ſubſtantia, v.g. calor in aqua ab igne,& à calore exiſtente in igne. Hæc concluſo ex præcedentibus manifeſtè infertur, probaui enim ignem,& calorẽ exiſtentem in ipſo virtutem habere ad producendum calorem in aqua,& oſtendi vnum non poſſe impedire actiuitatem alterius, ex quo manifeſtè infertur vtrumque in actionem prodire, quotieſcumque calor ſimul cum igne applicantur ſubiecto capaci recipiendi calorem. 4

Obiic. contra hanc concluſionem Si accidens haberet virtutem producendi accidentia in ſubiecto extraneo, ſequeretur aquam nimis calidam producturam frigiditatem in manu quia etiamſi frigiditate careret, ipſa per ſe poſſet frigiditatem producere; conſequens autem eſt contra manifeſtam experientiam, qua conſtat quodlibet paſſum aqua calida calefieri. Diceret aliquis aquam calidam non poſſe producere frigiditatem in ſubiecto extraneo, quia prius debet propriam frigiditatem amiſſam recuperare, quàm extraneam producere, cum magis propendeat in frigiditatem extrinſecam producendam quàm in extrinſecam aliam, & ipſa ſibi propinquior ſit, quam cuicumque extraneo paſſo. Non placet hæc ſolutio, quia agens poteſt agere in paſſum diſtans qualitatem intenſam, dummodo aliquam in propinquius, etſi remiſſiorem ratione maioris contrarij producat; ſed aqua calida ſemper aliquam frigiditatem in ſe habet, quam producit, ſeu conſeruat: ergo media illa poterit frigiditatem producere in paſſo ſibi propinquo. Reſpondeo aquam non producere frigiditatem in manu, quia impeditur calore, quem in ſe habet, qui calorem in eadem manu producit,& cum hæc non poſſit ſimul moueri duplici motu contrario non poteſt recipere frigiditatem ab aqua, quia recipit calorem ab alio calore aquæ inhærente. Neque ſolutio hæc diſplicere debet ex eo, quod accidens, v.g. calorem inhærentem in aqua actiuitati ſubſtantiæ præferamus, docemur enim experientia calorem inhærentem ferro, vel lapidi aquam calefacere, & hanc remouere à conſeruatione frigiditatis innatæ, præualereque contra illius virtutem actiuam. 5

QVINTA CONCLVSIO. Accidens exiſtens abſque conſortio aliûs ſubſtantiæ valet aliud accidens producere. Patet hæc concluſio in aqua calefacta, cuius calor calorem producit aqua non adiutus, quæ caloris productiua non eſt, neque alio agente extrinſeco, quia omni alio ſemoto calefit paſſum applicatum calori in aqua recepto. 6

Ex hac concluſione contra præcedentem, argumentum deſumunt nonnulli: calor ex ſe abſque ſubſtantia ſufficiens eſt producere calorem in ſubiecto extraneo: ergo neceſſum non eſſet ſubſtantiam habere virtutem producendi calorem in extraneo ſubiecto. Euinceret hoc argumentum ſi probaret non poſſe eſſe duplicem cauſam productiuam eorumdem effectum in ſpecie: illud retorqueo: calor ſufficiens eſt producere calorem: ergo neceſſum non eſt lucem habere virtutem productiuam caloris,& ſic in omnibus effectibus poſita vna cauſa, à qua poſſunt produci, ſuperfluunt reliquæ, & ita exterminandæ erunt. Reſpondeo poſito calore potente calorem producere in rerum natura, non eſſe neceſſarium ſubſtantiam ignis habere virtutem productiuam caloris, vt ſit calor in rerum natura, eſſe tamen valde vtile ignem talem virtutem habere vt calor poſſit à pluribus cauſis produci, quod ſufficit vt virtus illa productiua caloris in ſubiecto extraneo ſuperflua non ſit. 7

PVNCTVM IV.

De virtute operatiua ſubſtantiæ?

1 PRIMA CONCLVSIO. Subſtantia poteſt immediatè aliam ſubſtantiam producere. Hæc concluſio eſt contra omnes Thomiſtas, qui pugnaciſſimè defendunt vnam ſubſtantiam creatam non poſſe aliam ſubſtantiam immediatè, neque adæquatè producere. Thomiſtas ſequuti ſunt ex noſtris Vaſquez 1.part.diſput.195.cap.1.num.10. Pereira in Phyſicis lib.8.à cap.11. Rub.tract. de cauſa efficiente, quæſt. 6. num. 58. in commentariis excuſis Compluti anno 1513. in excuſis Valentiæ oppoſitum ſequutus. Noſtram ſententiam defendunt Scotus cum ſuis, & Ochamus cum Nominalibus adducti à P.Suar. Durand. in 1. diſt.1.quæſt.4.n.13. P. Suar. in Metaphyſic. diſput.18.ſect.2. num.21. Conimbr.2. Phyſic. quæſt. 16. art. 2. & 6. Hurtad. diſput.9. ſect.3. Arriag. diſput.1. ſect.2. ſubſect.4. Primum huius ſententiæ fundamentum pando. Quotieſcumque poſſumus cauſas naturales aſſignare effectibus, quos videmus in natura produci, non licet ad cauſas ſupernaturales, neque ad Deum recurrere: ergo debemus aſſignare cauſas materiales formis ſubſtantialibus, quas per crebras corruptiones, & generationes produci experimur. Pergo: ſed nulla cauſa naturalis vnius formæ ſubſtantialis poteſt aſſignari præter aliam ſubſtantiam: ergo hæc debet aſſignari, Non poſſe aliam aſſignari conſtabit ex concluſione ſecunda, qua probabo accidens non poſſe eſſe cauſam adæquatè productiuam ſubſtantiæ, hanc rectè aſſignari ſic probo: nulla maior poteſt deſiderari proportio inter cauſam & effectum quam illa, quæ eſt inter ſubſtantiam, & ſubſtantiam, neque in ſubſtantia poteſt excogitari ratio aliqua, propter quam illi pugnet poſſe immediatè producere hanc ſubſtantiam, & ab illa produci: ergo virtus hæc productiua ſubſtantiæ, quæ accidenti concedi non poteſt, non eſt abſque vlla ratione ipſi ſubſtantiæ deneganda, vt teneamur recurrere ad Deum pro quolibet ſubſtantiali effectu producendo.

2 Sed age videamus quid prohibeat, vnam ſubſtantiam eſſe productiuam alterius, vnum ignem aliûs ignis eiuſdem ſpeciei, in quo nullum prædicatum relucet quod in altero non appareat. Dicunt Thomiſtæ non eſſe concedendum ſubſtantiæ creatæ, quod proprium eſt Dei, & eſſe proprium Dei poſſe immediatè ſubſtantiam producere, & ita nefas eſt hanc virtutem creaturæ tribuere. Rectè quidem: ne ſubſtantia ſibi diuinam perfectionem arroget, nolunt Thomiſtæ eſſe immediatè productiuam ſubſtantiæ, & eandem virtutem conferunt accidenti, quaſi in hoc aliquid eſſet diuinum, quod ſibi poſſet afferre prædicatum illud, quod prohibet pientiſſima Thomiſtarum religio ſubſtantiæ dari, ne illi diuinitatis aliquid impingamus. Fingat Thomiſta ignem eſſe immediatè productiuum aliûs ignis: in illo aliquid diuinitatis reuerebitur? Abſit. Nolo recenſere modo innumera capita, ex quibus virtus ſubſtantiæ immediatè operatiuæ aliûs ſubſtantiæ differret à virtute diuina, ſufficiat dicere hanc eſſe increatam independentem ab omni alia ſecundùm ſe, & in ordine ab effectus producendos, & illam creatam dependentem à Deo ſecundum ſuam exiſtentiam, & in ordine ad ſuas operationes, quas ſine concurſu Dei exerere non poteſt. Argumenti forma inefficax eſt: Deus immediatè poteſt producere ſubſtantiam: ergo creatura id præſtare non poterit: retorqueo modum inferendi: Deus immediatè poteſt producere accidens: ergo creatura id efficere nequibit. Deus eſt in ſe ipſo ſine ſubiecto inhæſionis: Ergo Angelus non poterit eſſe in ſe ipſo ſine ſubiecto inhæſionis. Peſſimus inferendi modus, plurima enim, quæ conueniunt creaturis, etiam conueniunt Deo, omnia tamen longo diſcrimine diſſita, quidquid enim habet creatura eſt dependens à Deo, & quidquid habet Deus eſt independens ab omni alio.

3 SECVNDA CONCLVSIO. Accidens non poteſt eſſe cauſa adæquata productiua ſubſtantiæ. Concluſionem hanc defendunt omnes, qui præcedentem propugnant. Scoti ratio magni momenti ſemper eſt. Accidens eſt imperfectius ſubſtantiâ: ergo non poteſt eſſe cauſa adæquata illius: nullus in dubium vertit antecedens. Probo conſequentiam: effectus ſecundùm ſe totum dependet à principio adæquato efficienti: ergo totus continetur in virtute adæquata efficientis: ſed entitas perfectior non poteſt virtualiter contineri in alia imperfectiori: ergo ſubſtantia non poteſt contineri in virtute accidentis. Reſpondent Thomiſtæ accidens operari in virtute ſubſtantiæ, & ita poſſe producere ſubſtantiam illo perfectiorem, & æquè perfectam cum alia ſubſtantia, in virtute cuius accidens operatur. Contra: operari accidens in virtute ſubſtantiæ eſt operari ſimul cum ſubſtantia immediatè operante, vel tantùm per ſuam entitatem: non primum, quia iam ſubſtantia eſſet immediatè operatiua, & accidens non eſſet principium adæquatum ſubſtantiæ: ergo quidquid ſit operari in virtute ſubſtantiæ, accidens quod ita operatur, operatur præciſè per ſuam entitatem, à qua tota procedit operatio: ſed hæc ſemper remanet imperfectior ſubſtantia: ergo non poteſt illa in ſua virtute contineri. Inſto: ſæpè ſubſtantia, à qua ſunt producta accidentia in virtute cuius dicuntur operari, eſt corrupta, vel abſens, dum accidentia operantur quid ergo prodeſt accidenti operari in virtute ſubſtantiæ, quæ non eſt? quomodo poterit talis ſubſtantia accidens eleuare ad effectum producendum perfectiorem ipſo accidenti, ad quem accidens per ſuam entitatem eſt improportionatum?

Vrgeo: Quando animalia ex putrefactione terræ generantur, nulla eſt ſubſtantia, in virtute cuius accidentia producant illa animalia: ergo illa accidentia non concurrunt in virtute alius ſubſtantiæ. Antecedens probo: nulla eſt ſubſtantia, quæ ſit productiua muris, neque quæ ex ſe intendat producere omnia accidentia requiſita ad ſubſtantiam muris: ſi enim aliqua eſſet, debebat eſſe alius mus: ſed mus murem non producit: ergo illa accidentia non habent ſubſtantiam in virtute cuius concurrant: ergo in hoc & aliis ſimilibus caſibus, in quibus Thomiſtæ recurrunt ad naturam accidentis operantis in virtute ſubſtantiæ illorum doctrina ſubſiſtere non poteſt. Dices concurrere in virtute ſpeciei. Vacua verba: ſpecies nullam habent virtutem præter illam, quam habent indiuidua, & repugnat reperiri in ſpecie virtutem in aliquo indiuiduo non repertam, ſed nullum ex indiuiduis ſpecierum, de quibus agimus, habet virtutem producendi aliud: ergo neque in ſpecie eorumdem talis virtus poteſt agnoſci. 4

Aliter reſpondent alij ſubſtantiam in virtute cuius operatur accidens deriuare virtutem aliquam accidenti, ratione cuius poſſit eliuari ad producendum ſubſtantialem effectum. Sed neque hi difficiliùs impugnantur. Mitto in productionibus, de quibus modò agebam non reperiri ſubſtantiam, in virtute cuius accidens operetur, quæ in illud virtutem hanc deriuet, & argumentor ſic: virtus illa deriuata vel eſt ſubſtantia, vel accidens: ſi eſt accidens de illa eadem eſt difficultas ac de accidenti, in quod deriuatur: ſi eſt ſubſtantia vel immediatè attingit productionem ſubſtantiæ, vel non: ſi immediatè attingit, iam effectus immediatè dependebit à ſubſtantia & non adæquatè ab accidenti, quod nos intendimus: ſi non attingit, nihil magis præſtat illa virtus deriuata accidenti, in quod fuit deriuata, quàm præſtabat ſubſtantia, à qua fuit deriuata, cum totum effectum producendum relinquat accidenti ex ſe improportionato. Totam impugnationem huius dicendi modi, accidens concurrere in virtute ſubſtantiæ, & ita poſſe producere effectum illo perfectiorem, his cingo Accidens per ſuam entitatem eſt imperfectius ſubſtantia & improportionatum ad producendum ſubſtantiam, ſed quidquid ſit producere in virtute ſubſtantiæ nihil addit ſupra ſuam entitatem: ergo ſemper remanet accidens imperfectius ſubſtantia, & cum eadem improportione: ergo nonquam poterit ſubſtantiam producere. Si ſcire deſideres quid nos doceat Angelicus Doctor cum dicit accidens operari in virtute ſubſtantiæ. Reſpondeo: Angelicum Doctorem docere accidens eſſe virtutem quandam datam ſubſtantiæ, vt media illa operetur, & ita dici operari in virtute ſubſtantiæ quia tota ſua entitas, quæ à ſua virtute non diſtinguitur, ſubſtantiæ fuit data, propter quam eſt accidens quod non tam dicitur ens, quàm entis ens, hoc eſt ens ſubſtantiæ, & eadem ratione, qua dicitur accidens ens ſubſtantiæ, ſeu illius affectio, dicitur virtus ſubſtantiæ, quod non illi præſtat excellentiam aliquam ſupra ſuam entitatem, ratione cuius poſſit attingere effectum, ad quem ex ſe eſt improportionatum. Hanc eſſe mentem Angelici Doctoris oſtendo ex Caietano Contr. 2. de anima, punct.1. ad finem. 5

TERTIA CONCLVSIO. Accidentia non habent virtutem adhuc inadæquatam ad producendam ſubſtantiam, neque cum hac concurrunt ad aliam ſubſtantiam producendam. Probo hanc concluſionem ex eo præciſè, quod nullum ſit 6

Digitized by Google

ſit fundamentum, quod ſuadeat accidentibus ineſſe virtutem inadæquatam ad accidentia producenda, neque ratio aliqua, quæ ſuadeat vnum ignem non eſſe cauſam adæquatam aliûs ignis, & quia neque virtutes ſine fundamento entitatibus ſunt concedendæ, neque ſine illo ſunt multiplicandæ partiales cauſæ pro aliquo effectu. Neque vtilitatem aliquam reperio in hac virtute in accidentibus reperta, quia quando accidentia ſunt ſeparata à ſubſtantiis, cùm illa non ſufficiant adæquatè ſubſtantiam producere, recurrendum eſt ad Deum vt ſuppleat defectum ſubſtantiæ: ergo etiamſi accidentia talem virtutem non haberent, poſſemus etiam recurrere ad Deum vt suppleret influxum cauſæ adæquatæ. Quando accidentia ſubſtantiam comitantur, poteſt tota virtus actiua tribui ſubſtantiæ: ergo nihil mouet ad hanc virtutem accidentibus tribuendam: non ergo illis ſine fundamento danda eſt. Dicunt nonnulli hanc virtutem dari in accidentibus, vt ſubſtantiæ mediis accidentibus, cum quibus vnum principium effectiuum adæquatum efficiant, poſſint aliam ſubſtantiam producere in paſſo diſtanti: v. g. vt Sol poſſit aurum effectiuè producere medio calore approximatus, quia ſimul cum illo vnum principium adæquatum conſtituit, quod ſi non conſtitueret non poſſet ratione diſtantiæ aurum producere. Reſpondeo ſine hac virtute productiua ſubſtantiæ in accidentibus reperta, rem aliter eſſe componendam, vel hanc virtutem denegandam.

7 QVARTA CONCLVSIO. Non repugnat dari accidens, quod poſſit ſimul cum ſubſtantia aliam ſubſtantiam producere per virtutem inadæquatam, quam habeat ad illam producendam. Hanc concluſionem probo ex eo quod præcedens altiores non habeat radices, præter illas, quas ad illam perſuadendam oſtendi; quæ non probant, non poſſe dari accidens, quod talem virtutem non habeat, ſed tantum non eſſe fundamentum, vt hæc virtus accidentibus, quæ modò exiſtunt concederetur. Cæterùm dupliciter poteſt habere accidens virtutem inadæquatam ad ſubſtantiam producendam. Primò poteſt habere virtutem productiuam ad producendam ſubſtantiam cum alia ſubſtantia quæ per ſe ſolam poſſit ſubſtantiam producere, non tamen renuat adiuuari virtute accidentis ad effectum quem ſine illius conſortio poſſet producere. Secundò poteſt dari accidens habens virtutem inadæquatam producendi ſubſtantiam, cum alio principio ſubſtantiali, quod ſimiliter ex ſe ſit principium inadæquatum non potens ſine illo accidenti ſubſtantiam producere. Affirmo vtroque modo poſſe conuenire accidenti poſſibili hanc inadæquatam virtutem: Eſto ratio: nullam implicationem inuoluere naturam talis accidentis, neque eſſe de ratione ſubſtantiæ non poſſe produci ab accidenti tanquam à principio inadæquato, neque non poſſe cum accidenti conſtituere principium adæquatum alius ſubſtantiæ, cùm enim ſint plures ſubſtantiæ, quæ non poſſint aliam, etſi ſimilem producere, neque inadæquatè, cur non poterit eſſe aliqua, quæ tantùm poſſit inadæquatè, & non adæquatè? neque eſt contra rationem accidentis eſſe productiuum ſubſtantiæ per virtutem inadæquatam, & cum principio alio ſubſtantiali ex ſe adæquato, ſiue inadæquato, hic & nunc vnum principium adæquatum conſtituere huius effectus ex vi huius cauſalitatis. Hæc omnia conſtabunt ex argumentorum ſolutione.

8 Obiic. Accidens ex ſe eſt improportionatum ad producendam ſubſtantiam: ergo nequibit ſimul cum ſubſtantia ſubſtantiam producere. Diſtinguo antecedens: accidens, quod modò exiſtit, concedo: accidens præciſè ex prædicato accidentis, ſubdiſtinguo: eſt improportionatum ad producendam ſubſtantiam per modum principij adæquati, concedo: per modum principij inadæquati concurrentis cum alio comprincipio ſubſtantiali, nego. Inſtant; nullum eſt prædicatum quod poſſit correſpondere in effectu ſubſtantiali principio accidentali: ergo non poteſt neque inadæquatè ſubſtantia ab accidenti procedere, De hac correſpondentia prædicatorum inter effectum & cauſam dicam punct. 9. interim dico, omnia prædicata effectus ſubſtantialis poſſe correſpõdere prædicato ſpecifico principij accidentalis, non formaliter, ſed eminenter, quia omnia poſſunt in virtute illius contineri, non tanquã in virtute ſeu principio adæquato, ſed tanquam in principio inadæquato, neque alia prædicatorum correſpondentia neceſſaria eſt inter cauſam, & principium inadæquatum, præter correſpondentiam virtutis continentis eminenter, effectus eminenter contenti, quæ nullam dicit correſpondentiam formalem prædicatorum eiuſdem rationis inter effectum & principium inadæquatum, neque omnium ſed aliquorum quæ poſtea aſſignabo inter effectum & adæquatum principium. Rurſus conſtat; omnia prædicata, quæ ſunt in effectu ſubſtantiali ſufficienter correſpondere principio ſubſtantiali: ergo non poſſunt correſpondere principio accidentali. Diſtinguo antecedens: correſpondent formaliter, tranſeat; correſpondentia enim formalis non arguit virtutem adæquatam, neque inadæquatam, Angelus enim ſecũdùm omnia prædicata correſpondet Angelo quem non poteſt producere: correſpondent eminenter, ſubdiſtinguo: in ſubſtantiis poſſibilibus, quæ tantùm habent virtutem inadæquatam ad producendum effectum, correſpondent eminenter tanquam principio adæquato, nego: tanquam principio inadæquato, concedo; In aliis, quæ ſine accidenti poſſent producere ſubſtantiam, correſpondent omnia prædicata effectus ex vi cauſalitatis, per quam poſſent ſine accidenti effectum producere, concedo; ex vi aliûs cauſalitatis per quam poſſunt cum accidenti effectum eum producere correſpondent omnia prædicata effectus tanquam principio adæquato, nego: tanquam principio inadæquato, concedo, quia principium ex ſe potens ſine aliûs conſortio ex vi huius cauſalitatis effectum adæquatè producere, ex vi illius, quæ per ſe dependet ab allo principio, & ab alio, non poteſt non eſſe principium inadæquetum effectus, neque media illa poteſt effectum adæquatè producere, neque illum adæquatè continet, ſed tantùm inadæquatè per ordinem ad talem cauſalitatem.

9 Obiic. D. Thom. 1. p. q. 5. art. 4. aſſerentem ſubſtantiam non eſſe immediatè operatiuam ſubſtantiæ. Interpretor D. Thomam dicentem ſubſtantiam non eſſe immediatè operatiuam aliûs ſubſtantiæ, quia priùs producit accidens & medio illo diſponit ſubiectum, qua diſpoſitione præmiſſa ſubſtantia productionem attingit aliûs ſubſtantiæ medio accidenti tanquam diſpoſitione, non verò medio illo tanquam virtute effectiua.

10 Obiic. nullam poſſe aſſignari cauſam præter accidentia multis ſubſtantiis, quæ producuntur naturaliter, ex quo infertur neceſſariò accidentibus virtutem effectiuam illarum concedendam eſſe. Reſpondeo: omnia eſſe componenda abſque virtute effectiua accidentium reſpectu ſubſtantiæ. De quibus dicam Contro....

PVNCTVM V.

De potentia actiua obedientiali reſpectu actuum vitalium.

1 PRolixas diſputationes vidi apud aliquos de natura, ſeu ratione conſtitutiua cauſæ inſtrumentalis. Ego verò in hac re nihil ſpeciale notatu, nedum diſputatu dignum inuenio. P. Vaſquez 1. part. diſp. 43. & ſæpè alibi cauſam principalem appellat illam, cui correſpondet aliquod prædicatum in effectu, cauſam verò inſtrumentalem illam, cui nullum prædicatum correſpondet: v. g. lumen gloriæ & potentia viſiua efficienter concurrunt ad viſionem beatificam vitalem, & ſupernaturalem, qua ſupernaturalis eſt indiget lumine ſupernaturali, qua vitalis indiget potentia vitali, & ita vtrique cauſæ ſuum prædicatum correſpondet in effectu, ratione cuius cauſæ principalis rationem vtraque habet; accidens verò concurrens ad productionem ſubſtantiæ, in qua nullum illi prædicatum correſpondet non dicitur principalis, ſed inſtrumentalis cauſa. Non ego in meis principiis hæc compono, ſentio enim omni virtuti productiuæ correſpondere effectum tanquam virtuti, in qua eminenter continetur, & omnem aliam correſpondẽtiam non requiri ad rationem cauſæ. Statui inſuper accidentia non poſſe concurrere ad ſubſtantiam producendam, & ita teneor aliam inſtrumenti rationem aſſignare.

2 Sentiunt alij inſtrumenta dici accidentia, quæ ſubiectũ diſponunt ad formam recipiendam, mediis quibus agens operatur, & in hoc ſenſu exiſtimo accidentia propriùs dici inſtrumenta quacũque alia cauſa immediatè attingente ſubſtantiam, quia ſicut artifex mediis inſtrumentis ſtatuam conficit, ſic ſubſtantia mediis accidentibus tanquam diſpoſitionibus ſubſtantiã producit, licèt ſimilitudo non teneat in omnibus, nam, vt poſtea dicam, inſtrumenta artis propriè non ſunt inſtrumenta, quia effectiuè concurrunt.

3 Dici etiam ſolet maximè inter Thomiſtas cauſa inſtrumentalis illa, quæ per aliam concauſam altioris ordinis eleuatur ad producendum effectum,quem non poteſt producere ſine alia concauſa alterius ordinis. Verbi gratia, intellectus dici ſolet inſtrumentum luminis gloriæ ſupernaturalis, quatenus cum illo concurrit ad viſionem ſupernaturalem producendam, quo ſenſu phraſis eſt Thomiſtarum lumen gloriæ eſſe totam virtutem ad producendam viſionem,& intellectum eſſe inſtrumentum.Cùm his multùm contendendum non eſt, ſi concedant viſionem effectiuè dependere à lumine, & ab intellectu, & ab vtroque immediatè, & per ſe: hoc enim admiſſo quæſtio eſt purè de nomine, an intellectus dicendus ſit cauſa inſtrumentalis vel principalis, quæ cùm tantùm dependeat ex modo loquendi, nulla poteſt efficaci ratione definiri.

4 Deinde cauſa inſtrumentalis non immeritò diceretur illa,quæ ſine alia concauſa per concurſum indebitum eleuaretur à Deo modo poſtea explicabo de potentia obedientiali ad producendam effectum,quem naturaliter non poteſt producere, quia tunc licèt effectus dependeret à cauſa non exigeret illius productionem, & ita potiùs Deo tribueretur effectus tanquam cauſæ principali, quàm creaturæ, quæ velut inſtrumentum Dei volentis talem effectum producere concurreret.

5 Alij latiùs hanc rationem inſtrumenti, extendunt aſſerúntque quamlibet cauſam partialem, quæ cum alia concauſa perfectiori effectum producit, dici inſtrumentum perfectioris concauſæ. Sic ſpeciem impreſſam reſpectu potentiæ vitalis, cum qua ad actum concurrit,inſtrumentum appellant, quia eſt longè imperfectior potentia vitali. Ab hoc loquendi modo non longè abeſt D. Thomas, qui aſſerit phantaſma concurrere cam intellectu tanquam illius inſtrumentum ad ſpeciem impreſſam producendam quapropter illum improbare non audeo, aſſero tamen illum non eſſe communem,quia cum cauſa particularis non exceditur ab alia concauſa in prædicatis vniuerſalioribus, ſupernaturalis videlicet reſpectu naturalis, ſpiritualis reſpectu materialis eiuſdem rationis computatur in ordine ad denominationem inſtrumenti, vel cauſæ principalis. Exemplum adductum à Sancto Thoma tantùm poſſet probare de hoc notabili exceſſu,quia phantaſma,vt pote materiale exceditur ab intellectu ſpirituali in prædicato valde vniuerſali ſpiritualitatis. Lege Patrem Soar. diſput.18. ſectione ſecunda.

PVNCTVM VI.

De potentia actiua obedientiali reſpectu actuum vitalium.

1 Potentia naturalis dicitur comparata illis effectibus, quos poteſt cauſare cum concurſu generali ſibi debito, vel præciſè ſumpta, vel quatenus coniuncta cum aliis comprincipiis, quæ naturaliter illi poſſunt adiungi. Potentia obedientialis dicitur virtus cauſitiua in ordine ad effectus, quos non poteſt producere per concurſum debitum potentiæ ſecundùm ſe, neque illi cum aliis comprincipiis, quæ naturaliter illi poſſunt coniungi, exempli gratia. potentia ignis ad calorem producendum, & intellectiuæ animæ ad intellectionem, naturales dicuntur, quia igni debetur concurſus ad calorem producendum in ſe quocumque alio ſoluto,& in paſſo ſuppoſita applicatione, quæ naturaliter poteſt contingere, & animæ intellectiuæ, licet ſecundùm ſe ſumptæ abſque omni ſpecie non debeatur concurſus ad cognitionem, illi tamen debetur ſuppoſita ſpecie impreſſa, quæ naturaliter illi poteſt adiungi. Potentia, quam habet anima ad actum amoris Dei fidei diuinæ,& viſionis intuitiuæ circa Deum obedientialis eſt, quia animæ ſecundùm ſe ſumptæ, neque quatenus coniunctæ cum alio comprincipio,quod illi poteſt naturaliter coniungi non debetur concurſus ad hos actus, ſed tantùm quatenus coniunctæ cum habitibus ſupernaturalibus animæ indebitis, quos ipſa naturaliter conſequi non poterit.

2 Potentia obedientialis dicitur quatenus concurrit ad hos actus,quibus illi non debetur concurſus, niſi quatenus coniunctæ cum principiis indebitis, & altioris ordinis, quia ſecundùm effectus,quos hac ratione producit, cum ipſa illorum productionem quatenus ex ſe non intendat, ſed determinata à Deo immediatè vel medio principio altioris ordinis,quod Deus infundit potentiæ, obedire dicitur creatori, quatenus ſubditur illius determinationi circa effectum, quem ipſa non intendebat. Dicitur potentia hæc eleuari ad actus producendos, in ordine ad quos obedientialis dicitur, quia per comprincipium illi præſtitum, vel ſpecialem omnipotentiæ aſſiſtentiam ad concurſum indebitum conſtituitur iam magis potens in actu primo, quàm erat antea ad effectus alterius ordinis, & quaſi effertur & extollitur ad actum primum circa hos effectus, ac proinde eleuari nihil aliud eſt, quam virtute extrinſeca ſurſum tolli.

Intellectum & voluntatem eleuari ad actus ſupernaturales conducentes ad noſtram iuſtificationem efficiendos. Catholicum eſt, quod abſque temeritate, negabit nemo. Extant de hac re plurima teſtimonia Scripturæ,& Patrum, quibus diciturliberum hominis arbitrium coopera gratiæ Dei, & quæ hominibus hæc opera ſuadent, quæ ſuaſiones inutiles eſſent, ſi homines nihil in hos actus efficerent. Videri poſſunt de hac re Bellarm. lib. 6. de gratia & libero arbitrio. Vega in Trid.lib.6.cap.2. 3

Potentiam paſſiuam animæ intrinſecè naturalem eleuari ad actus ſupernaturales certum eſt apud omnes, quia ſi actus diſpoſitiones alias requirerent ex parte paſſi,de his inquirerem an eſſent naturales an ſupernaturales: ſi ſupernaturales, iam potentia paſſiua eleuaretur ad formam ſupernaturalem diſponentem ad alios actus ſupernaturales recipiendam:ſi naturales,potentia paſſiua intrinſecè naturalis nulla diſpoſitione ſupernaturali præmiſſa reciperet actus ſupernaturales,ac proinde immediatè ad illorum receptionem eleuaretur, quia per aliquid naturale eleuari non poſſet. Potentiam actiuam animæ eleuari ad eoſdem actus producendos tenet communis ſententia Theologorum. Ita tenent quatuor primæ noſtræ Societatis fulgentiſſima lumina P.Mol.1.part.q.12. art.5. diſp.2.§. *Quidquid autem ſit.* P.Vaſquez 1.part.diſput.43.cap.4.num.1.& 12.vbi oppoſitam improbabilem cenſet, & diſput.126.c.5.P.Soar. 1.part. lib. 2. de viſione Dei cap.9.n.13.& cap.10.num.8.& ſæpè alibi,P.Val.1.part.diſp.1.q.12.quos nullo dempto ſequuti ſunt omnes Doctores noſtræ Societatis,quorum longum ſyllabum inuenies apud Ripal.tract.de ſuper.diſp.30. ſect. 2. In oppoſitum ſententiam eunt Thomiſtæ negantes immediatam actiuitatem animæ etiam inadæquatam reſpectu actuum ſupernaturalium, quam totam tribuunt habitibus ſupernaturalibus, quos dicunt concurrere tanquam totam virtutem, media qua anima operatur, ſicuti multi potentias ſuperadditas admittunt, qui totum concurſum deferunt intellectui reſpectu intellectionis naturalis,ita vt anima immediatè non concurrat ad illam; ita nonnulli Thomiſtæ totum influxum actiuum in actus ſupernaturales habitibus ſupernaturalibus tribuunt, aſſeruntque hos concurrere ad actus, non ſolum vt ſpirituales,ſed vt vitales, quia concurrunt loco animæ tanquam potentiam ſupernaturalem illi infuſam. Huius ſententiæ primus inuentor fuit Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 2. quem ſequuti ſunt Aladeaux diſput. 64.concl.2. & diſp.35. art.3.Cabr.1.in 3. part.quæſt.1. art. 2. diſp.4. §.4. Maior 1. part.quæſt.12.art.5. contr.2. §. *Tertio aduertendum.* Hos voce tenus ſequuntur alij plurimi Thomiſtæ aſſerentes habitus ſupernaturales concurrere ad actus tanquam totam virtutem illorum, qui poſtea concedunt intellectum, & voluntatem immediatè effectiuè attingere hos actus non tanquam virtutem, ſed tanquam inſtrumentum ad illos: horum vidi plurimos publicis diſputationibus, ita ſententiam ſuam interpretantes,cum quibus multum non eſſe contendendum monui punct. præcedenti num. 3. Refertur etiam tertia ſententia aſſerentium potentias naturales vitales effectiuè concurrere ad vitalitatem actuum non verò ad illorum ſupernaturalitatem. 4

Primo loco reiicienda ſententia, quæ aſſerit potentias vitales concurrere ad vtilitatem actuum, & non ad ſupernaturalitatem illorum, Contra quam ſic inſugo. Vitalitas,& ſpiritualitas actus amoris Dei, verbi gratia, non diſtinguuntur inter ſe: ergo implicat produci vitalitatem huius actus ab hac cauſa, quin ſupernaturalitas producatur ab eadem cauſa, & ex vi eiuſdem actionis, aliàs eadem entitas produceretur, & non produceretur ab hac cauſa,& produceretur,& non produceretur ex vi eiuſdem actionis. Secundò habitus, & potentia vel influunt in actu per eundem influxum,vel per diuerſum: ſi per eundem influxum: ergo totum id, quod attingit ille influxus dependet ab vtraque cauſa,à quo procedit influxus:ſed influxus attingit 5

attingit vitalitatem, & ſupernaturalitatem: ergo vitalitas, & ſupernaturalitas procedunt indiuiſibiliter ab vtraque cauſa, ſiquidem procedunt per influxum indiuiſibiliter ab vtraque procedentem. Si cauſæ influunt per influxus realiter diſtinctos, vel influxus reſpiciunt eundem terminum, vel diuerſum: ſi eundem, idem terminus, qui dependet à potentia dependebit ab habitu, & è contra: ſi diuerſum videlicet influxus potentiæ vitalitatem, & influxus habitus ſupernaturalitatem, ſequitur potentiam non eleuari per habitum ad effectum, quem producit, ſiquidem ad producendam vitalitatem diſtinctam à ſupernaturalitate non indigebat habitu, neque habitus, aliquo modo in illam influit, ſed tantùm in ſuam ſupernaturalitatem. Mitto paradoxum eſſe defendere in actu reperiri ſupernaturalitatem, & vitalitatem tenentem ſe ex parte effectus diſtinctas realiter, quod nullus huc vſque commentus eſt.

6 Retenta ergo omnium Doctorum ſententia, quæ in actu non diſtinguit realiter ſupernaturalitatem, & vitalitatem, tenentem ſe ex parte termini, dicendum implicare produci à diuerſis cauſis hæc prædicata, & vnum non dependere à cauſa, à qua dependet aliud, & ex vi vtriuſque cauſalitatis, ſicuti implicat produci ab hac cauſa ex vi huius cauſalitatis rationale, quin ab eadem cauſa, & ex vi eiuſdem cauſalitatis producatur animal. Argumentum ſuprapoſitum de duabus contradictoriis, quæ darentur, ſi ex duobus identificatis vnum produceretur ab hac cauſa, & non aliud, latè proſequar in Metaphyſic. reſpectu cognitionis realis, quam defendo non poſſe attingere vnum prædicatum, quin attingat omnia cum ipſo realiter identificata.

7 Tenenda eſt ſententia, quam defendunt noſtræ Societatis Doctores aſſerentes potentiam vitalem phyſicè immediatè attingere totum actum ſupernaturalem. Attingere effectiuè omnia identificata cum actu, ſi aliquid illius effectiuè tangit, probatum eſt iam contra tertiam ſententiam. Probo modò contra ſecundam potentiam vitalem immediatè attingere actum. Efficaciſſimè probatur noſtra ſententia ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. vbi aduerſus Luterum & Caluin. ſic ſtatuit: hominem gratiæ excitanti, atque adiuuanti liberè aſſentiendo, & cooperando diſponi: verba ſunt Concilij: *Per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens.* Vbi expendendum eſt illud, *cooperando diſponi*, vbi cooperatio ſimul cum Deo operante tribuitur homini: ergo homo ex mente Concilij operatur; aliàs non poſſet dici operari ſimul cum Deo. Secundò homo excitatur per Spiritus ſancti illuminationem: ergo excitatur ad operandum, ad quid enim eſſet excitandus homo ſi non operaretur? ergo operatur homo, & non ſolùm habitus illi infuſu. Eandem veritatem clarius expreſſit idem Concil. Can. 4. *Si quis dixerit* (verba ſunt Concilij) *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſit diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſiue ſe habere, anathema ſit.* Quibus verbis expreſsè definit Concil. liberum arbitrium non ſe habere paſſiuè, ſed agere: ergo operatur, influit actiuè: ergo non ſolùm influit habitus, quia habitus infuſus non eſt liberum arbitrium, & quia ſi hic tantùm operaretur voluntas purè paſſiuè ſe haberet, quia reſpectu habitus infuſi tantùm ſe habet paſſiuè, phyſicè enim in illum non influit, & ſi in actus ab hoc procedentes non influeret actiuè, neque immediatè, neque mediis habitibus aliquid efficeret, id enim quod habitus non producit, non poteſt dici mediis aliis producere effectus, qui tantùm ab habitibus efficienter procedunt.

8 Rationibus purè Philoſophicis eadem veritas efficaciſſimè euincitur. Prima ſit: actus ſupernaturalis intellectionis, & volitionis eſt vitalis: ergo procedit à principio vitali: ergo procedit à potentia vitali: ergo non ſolùm procedit ab habitu, qui vitalis non eſt. Reſpondet Thomiſta: actum vitalem debere dependere à vita proximè vel remotè, & ita actum ſupernaturalem vitalem procedere à vita medio habitu. Contra: prædicatum vitalis relucens in effectu debet eſſe in cauſa, à qua proximè recipit eſſe: ergo actus vitalis debet dependere à principio proximè & immediatè in ſe ipſo vitali. Antecedens conſtabit ex dicendis Contr. 2. de anima Punct. 2. De conceptu actus vitalis, & ex multis capitibus efficaciſſimè probatur: omnis cauſa proxima adæquata dat effectui totum eſſe, quod habet: ergo debet continere illud per ſe formaliter, vel eminenter: ergo principium proximum actus vitalitatis debet continere vitalitatem actus formaliter, aut eminenter: ſed non continet illam formaliter, quia non eſt vita in actu ſecundo, ſicut eſt actus; non eminenter, quia non eſt vita in actu primo: ergo non poteſt eſſe principium adæquatè productiuum illius. Secundò demus habitum poſſe adæquatè actum vitalem producere: natura non diceretur producere habitum medio habitu, quia natura non producit habitum, neque actionem vitalem exerceret quatenus produceret habitum, quia actio, ex vi cuius producitur habitus vitalis non eſt.

Eadem concluſio ex libertate voluntatis ad actum ſupernaturalem manifeſtè oſtenditur. 9
Actus ſupernaturalis amoris Dei eſt liber reſpectu voluntatis: ergo voluntas ſe determinat ad talem actum: ergo voluntas efficienter illum producit, nequit enim determinatio ad actum, neque libertas ad illum ſubſiſtere, neque dari determinatio ad actum liberum in actu ſecundo ſine influxu actiuo ex parte principij liberi & liberè ſe determinantis, vt latè probabo Controuerſ. 11. de anim., Punct. 2. vbi de natura principij liberi diſputabo. Dices habitum eſſe principium proximè, & formaliter indifferens, naturam radicaliter, & remotè. Contrà: ergo tota libertas proximè, & formaliter cōuenit habitui, & non animæ neque volitiuæ potentiæ: ergo ratio formalis liberi arbitrij reſpectu actuum ſupernaturalium conuenit habitui, & habitus primariò & formaliter eſt liber, & voluntas, ſi aliquo modo eſt libera tantùm eſt radicaliter & remotè libertate deriuata ex illa, quam formaliter exercet habitus: ergo voluntati non primariò & per ſe, ſed deriuatiuè ratione habitus conuenit libertas: ergo voluntas vt diſtincta ab habitu non eſſet potentia libera reſpectu actuum ſupernaturalium, quod ſine temeritate nullus concedet. Demum ratione habitus non poſſe dici voluntatem eſſe liberam probandum eſt rationibus, quibus oſtendam animam non poſſe dici liberam, neque eſſe dignam odio, vel amore per libertatem, quam tantùm exercet potentia ſuperaddita, ex quo capite probabo adhuc admiſſa potentia volitiua ſuperaddita, animam immediatè ad volitiones liberas effectiuè concurrere. Quod ſi anima non poteſt dici libera media potentia illi innata & propria illius, neque libera dici poterit medio habitu quem ipſa non producit, neque illi naturaliter ineſt. Vide quæ de hac re ſcribo Controuerſia tertia de anima, punct. primo.

Item habitum non poſſe primariò determinare exiſtentiam actus, neque indifferentiam illius determinare probo. 10
Habitus charitatis non eſt principium cognoſcitiuum ſed determinatio ad actum indifferentem in cauſa non poteſt procedere à principio non cognoſcitiuo: ergo non poteſt procedere ab habitu. Probo minorem: determinatio effectus, quæ non eſt per modum naturæ debet eſſe per propoſitionem obiecti, in quo appareat ratio inclinans ad hanc determinationem, & ab eadem remouens, ex vi cuius propoſitionis principium ſe determinaturum conſtituatur potens ſe cum indifferentia determinare: ergo principium, cui non poteſt obiectum proponi per cognitionem, non poteſt conſtitui potens ſe cum indifferentia determinare: ergo principium non cognoſcens non poteſt ſe determinare. Vrgebo hanc rationem Controuerſ. 3. De anima punct. 1. Vbi probabo principium actiuè influens in amorem liberum debere eſſe formaliter cognoſcens, ex principio probo adhuc admiſſis potentiis ſuperadditis animam immediatè præſtituram concurſum ad actus intellectus & voluntatis, qui debent procedere ab vno principio effectiuo communi, quod non contingeret ſi tantùm effectiuè ab habitibus producerentur, quia habitus infuſi ad actus voluntatis & ad actus intellectus diſtinctionem realem ſortiuntur.

Obiic. Thomiſta: Potentia volitiua ſiue diſtincta ab 11
anima ſiue cum illa identificata eſt entitas naturalis & naturalis virtus, ſed virtute naturali non poſſunt fieri actus ſupernaturales: ergo non poſſunt procedere actiuè à potentia volitiua. Concedo maiorem, & diſtinguo minorem: virtute naturali non adiuta habitu ſupernaturali, & auxilio

Digitized by Google

auxilio gratiæ ſupernaturalis non poſſunt fieri actus ſupernaturales, concedo minorem: adiutà habitu ſupernaturali,& auxilio gratiæ,nego minorem: ergo actus ſupernaturales non poſſunt produci à potentia volitiua; diſtinguo conſequens: tanquam à principio adæquato,concedo conſequentiam: tanquam à principio inadæquato adiuto habitu ſupernaturali,& auxilio gratiæ indebito,nego conſequentiam.

12 Obiicies ſecundò. Omne principium inadæquatum & partiale exigit aliud comprincipium, quo indiget ad operandum:ergo ſi voluntas eſſet principium partiale actuum ſupernaturalium, exigeret aliud comprincipium, videlicet habitum:ergo habitus ſupernaturalis illi eſſet debitus,quod eſt abſurdum.Antecedens probant, quia omne principium partiale eſſentialiter ordinatur ad aliud comprincipium, ſicut omnis pars ordinatur ad aliam compartem. Nego primum antecedens, vel illud diſtinguo, vt omnem æquiuocationis occaſionem adimam Thomiſtis. Omne principium inadæquatum ex ſuppoſitione,quod ſit operaturum exigit aliud comprincipium, ſine quo operari non poteſt, concedo. Omne principium inadæquatum ex ſe abſolutè exigit aliud comprincipium, nego antecedens, principium enim,quod obedientiale dicimus,eſt inadæquatum, & non exigit aliud comprincipium,quia illi ſecundùm ſe debitum non eſt, & licèt ex ſuppoſitione, quod eſſet operaturum, illud debebat operari, cùm illi principio inadæquato ex ſe non debeatur operatio,non illi debetur habitus ad operationem requiſitus. Ad confirmationem Reſpondeo non omne principium partiale ordinari ad aliud comprincipium partiale,neque omnem partem ordinari ad aliam compartem tanquam aliquid debitum, & connexum cum comparte, ſeu comprincipio,quod à Thomiſtà extorquebo neceſſariò hac ratione. In omni opinione voluntas informata habitu charitatis, ſeu anima informata gratia conſtituit totum quoddam concretum accidentale conſtans ex ſubiecto, quod eſt anima tanquam ex parte materiali, & ex gratia tanquam ex parte formali,& anima eſt compars gratiæ in ordine ad hoc totum concretum *gratum*, nihilominus animæ ſecundùm ſe non debetur gratia: ergo non cuilibet parti cuiuſuis totius debita eſt alia compars ad componendum totum. Dices hoc concretum *gratum* conſtitutum ex anima, & gratia eſſe totum quiddam accidentale,ac proinde partes inter ſe non eſſe connexas, neque vnam habere connexionem cum alia. Rectè quidem eodem modo Reſp. totum illud principium adæquatum ſimiliter eſſe totum quoddam accidentale,& ita illius partes non eſſe connexas. Dices ſecundò animam,quæ eſt pars huius concreti *gratum*, non exigere compartem neceſſariam ad hoc concretum *gratum* conſtituendum,quia poteſt cum alia comparte aliud concretum accidentale conſtituere. Reſp. eadem ratione potentiam volitiuam non exigere comprincipium inadæquatum requiſitum ad conſtituendum principium adæquatum actus charitatis, quia eadem potentia poteſt cum alio comprincipio naturali componere aliud principium naturale adæquatum ad alium actum naturalem producendum.

13 Obiic. tertiò. Si actus procederet ab habitu ſupernaturali,& à potentia naturali,euaderet naturalis,quia effectus ſequitur debiliorem partem principij,vel ſaltem actus minus haberet ſupernaturalitatis, quam habitus, quia habitus procederet à principio adæquato ſupernaturali, & actus tantùm à principio partim naturali, partim ſupernaturali. Reſpondeo prædicatum ſupernaturalitatis in aliqua entitate non accipere magis, nec minus, ac proinde non poſſe vnam entitatem eſſe magis ſupernaturalem alia ſupernaturali;poſſeque ſimpliciter ſupernaturalem eſſe ex principio inadæquato ſupernaturali, quod ſufficiens eſt ad effectum ſupernaturalem producendum, ſicuti principium inadæquatum ſpirituale cum alio principio inadæquato materiali poteſt effectum ſimpliciter ſpiritualem producere; vt patet ſecundùm Thomiſtarum opinionem in intellectu agente ſimul cum phantaſmate producente ſpeciem impreſſam intellectus ſimpliciter ſpiritualem procedentem à principio inadæquato ſpirituali, & ab alio inadæquato materiali, videlicet phantaſmate.

Pvnctvm VII.

An qualibet creatura habeat potentiam obedientialem actiuam ad omnes effectus.

§. I.

Aliorum ſententiis propoſitis nonnulla præmittuntur.

Cvilibet creaturæ ineſſe potentiam obedientialem ad quemlibet effectum quantumuis perfectum per actionem eductiuam producendum, ſi ad illius productionem eleuetur à Deo, Defendunt plures, & grauiſſimi Doctores ex noſtris & ex externis. Ex noſtris P. Suar. 11. in 3.part.diſp.3.ſect.5.& tract.3.diſp.9. ſect.1. & 2.& apud Ripald. tom. 3. de ſupern. diſp. 40. ſect. 2.P.Molina,P. Val. P.Did.Ruiz,P.Arrub.P. Gran.P. Ioan. Præpoſit. P. Alba. P. Tan. P. Henr.P.Becan. P.Sair. quos ſequitur idem Ripal.& P.Hurt,diſp.9.ſect.14.ſubſect.2.& P. Arriag. diſp.11.ſect.4. Ex externis Palud. Capr. Hæru. Ferrat. Caiet. Sot. Aluarr. Nauarr.Ledeſm.Nazar. Aluelda & alij plurimi. 1

Oppoſitam ſententiam defendunt ex noſtris P. Vaſquez 1.part.diſp.176.c.3.& 3.part.diſp.57.cap.5.& diſp.132. c.3.P.Raguſa tom.1.in 3.p.diſp.9. n.11.P. Coninck.3.p.q.62. art.4.dub. vnic. P. Alarcon. tract.6.de Angel.diſp.9.cap.9. P.Gaſpar Hurtad.tom.de Incarn.diſp.9.diff.4.& alij plurimi ſapientiſſimi recentiores. 2

Statuo primò pro quæſtionis deciſione id, quod propugnatores potentiæ obedientialis etiam ad ſuam ſententiam ſupponunt, in creatura eleuanda ad effectum producendum debere reperiri quandam virtutem innatam & inchoatam, quam ſect.5.citata ad finem, remotam vocauit P. Suar. non quia immediatè ad effectum non concurrat, ſed quia non eſt ſimpliciter proximè potens, neque in actu primo ad effectum producendum. Rationem huius eleganter tetigit P. Vaſquez diſp. 176. citatâ n.9.vbi ſic argumentatur. Quando res aſſumitur à Deo vt inſtrumentum ad aliquem effectum producendum, non tantùm eſt ordo efficientis & effecti inter effectum ipſum,& cauſam principalem: ſed etiam inter effectum & inſtrumentum ipſum, quia effectus non tantùm exit à cauſa principali,ſed re ipſa exit à cauſa per inſtrumentum, & inſtrumentum re ipſa agit,id, quod non agebat antequam eleuaretur, ex quo infertur manifeſtè in re ipſa eleuata,quam multi vocant inſtrumentum principij eleuantis iuxta quorum phraſim loquutus eſt Vaſq. debere eſſe virtutem innatam, & inchoatam ad talem effectum, vt ex illa immediatè & non tantùm ex principio eleuante oriatur effectus,quia id quod per ſe & immediatè formaliter attingit actionem per ſe immediatè & formaliter debet habere virtutem intrinſecam attingendi actionem, ſaltem tanquam principium inadæquatum illius. Ita expreſſe Suar.diſp.31.citata, ſect.6. in fine, & Ripal.diſputat.41. ſect.6.num.4.vbi ſeipſum refert.ſect.3. eiuſdem diſputationis, & diſp.4. ſect.2. & eadem ratione exiſtimo teneri philoſophari omnes quamcumque ſententiam tenentes, & ob hanc rationem faſſus eſt Arriag. poſſe dari, & forſan eſſe creaturam aliquam quæ ex defectu huius virtutis inchoatæ, & inadæquatæ non poſſit eleuari à Deo ad producendum effectum ad quem ex natura ſua hanc inchoatam virtutem non habeat. 3

Suppono ſecundò, creaturam non habentem virtutem inchoatam, & intrinſecè & per ſuam entitatem non potentem inadæquatè, & remotè in ſenſu, quo Suar.potentiam hanc remotam vocauit, quem expoſui n.3. non poſſe eleuari à Deo ad effectum producendum ad quem virtutem hanc non habet,& creaturam omnem habentem hanc virtutem poſſe à Deo eleuari ad producendum omnem effectum, reſpectu cuius habet hanc virtutem inchoatam. Prima pars huius aſſerti infertur euidenter ex illo quo primò ſuppoſui,& probaui,quia ſi requiritur potentia inchoata,& innata,vt Deus poſſit eleuare creaturam, rectè infertur non poſſe eleuare creaturam non habentem hanc virtutem inchoatam. Secundam Doctores oppoſitæ ſententiæ grato animmo admittent, quæ facilè probari poteſt.Deus abſque vlla cauſa creata poteſt producere omnẽ effectũ in ſe non repugnantem, qui per ſuam entitatem eſſentialiter non dependet ab aliqua cauſa, ſicuti actus intentionales vitales: ergo poterit eundem producere cum cauſa habente aliquam inchoatã,ſeu partialem virtutem ad eundem 4

effectum

effectum producendum. Secundò omne principium partiale, & inadæquatum productiuum alicuius effectus poteſt compleri per aliquod comprincipium ad eundem effectum: ergo Deus poterit complere principium inadæquatum, quod habeat creatura ad producendum effectum, quem ipſa ſine eleuatione aliûs comprincipij altioris ordinis non poteſt producere, omnipotentia enim eſt virtus infinita continens eminenter omnes effectus poſſibiles, per quam poterit Deus ſupplere defectum euiuſuis principij, & quæcumque alia virtus creata requiſita vt conſtituatur principium adæquatum effectus producēdi, poterit à Deo produci, & applicari virtuti innatæ obedientiali creaturæ, vt ſimul cum illa vnum principium adæquatum conſtituat ad effectum producendum, ad quem potentia obedientialis tantum eſt principium inadæquatum, & inchoatum.

5 Ex his infertur ad hanc quæſtionem dirimendam priùs examinandum eſſe, an creaturæ ex ſe habeant hanc virtutem innatam, & inchoatam, qua quæſtione definita, fixum erit quid dicendum ſit de modo, quo Deus ſe poſſit gerere cum creaturis in ordine ad effectus producendos per ſupernaturalem eleuationem, quos creatura naturaliter producere non poteſt, qui enim dixerit creaturas potiri hac innata, & inchoata virtute tenebitur aſſerere Deum poſſe illas eleuare ad effectus producendos ad quos habent hanc virtutem inchoatam; & qui dixerit creaturas hac virtute carere dicere cogetur Deum non poſſe creaturas eleuare; & vterque eodem modo de omnipotentia philoſophatur, & qui affirmat nihil defert omnipotentiæ, quod ab illa auferat, qui negat; neque è contrà: omnes enim concedunt omnipotentiæ virtute ad eleuandum creaturam ad producendum effectum ad quem habet virtutem inchoatam, & innatam, omnéſque omnipotentiæ negant virtutem ad eleuandam creaturam ad effectum ad quem non habet virtutem innatam & inchoatam, & tantùm differunt in hac virtute innata, ſeu inchoata concedenda vel neganda creaturis, de quibus eſt quæſtio an poſſint vel non poſſint eleuari. Ex his inferes malè ſe ſpecie cultus omnipotentiæ protegere, qui defendunt creaturas poſſe eleuari ab omnipotentia ad effectum producendum, æquè enim ſunt de omnipotentia benè meriti, qui oppoſitam ſententiam defendunt, cum illi concedant virtutem ad eleuandam creaturam, quæ habuerint virtutem inchoatam, & defectui omnipotentiæ non tribuant non poſſe eleuare creaturas quæ de facto exiſtunt, ſed defectui creaturarum non habentium hanc virtutem, ratione cuius eleuari poſſint. Ex hac doctrina fuit fundamentum Arriagæ ad ſententiam affirmatiuam defendendam, contra quam ſic ille argumentatur num. 78. non repugnat vna creatura, quæ nec diuinitus poſſit eleuari ad omnes effectus: ergo non eſt vniuerſaliter verum dari in omnibus eam potentiam obedientialem ad omnes effectus. Quam obiectionem fatetur difficilem eſſe, & ita ad illam reſpondere præſumit: ait hic eſſe quaſi dicas contradictorias partes, quarum vna dicit: *Non ſequuntur duo contradictoria ex eo quod Deus non poſſit eleuare.* Altera dicit: *Non ſequuntur duo contradictoria ex eo, quod Deus poſſit*: affirmátque in hac controuerſia, quamdiu nobis non conſtiterit de repugnantia tenemur inclinare ad partem, quæ auget omnipotentiam Dei. Hæc ſolutio facilè ex dictis impugnatur, quia quando obiicitur: *non repugnat creatura, quæ non poſſit eleuare*, non dicimus non repugnare aliquem defectum in omnipotentia, ſed non repugnat exiſtere de facto creaturam non habentem in ſe virtutem intrinſecam inchoatam ad effectum producendum ſupernaturaliter, quem naturaliter non poteſt. Vnde contradictoriæ partes, de quibus eſt quæſtio, non ſunt circa naturam omnipotentiæ, ſed circa naturam creaturarum, de quibus quæritur an poſſit eleuari. His poſitis, quæ altè tene ad ſimiles quæſtiones, quæ de potentia abſoluta procedunt, rem totam clarè definiam.

§. II.

Propria ſententia.

6 Dico primò, creaturas exiſtentes non habere virtutem innatam, aut inchoatam, ad producendum quemcumque effectum, ſed tantùm intellectum, & voluntatem habere hanc potentiam ad actus ſupernaturales. Probo hanc concluſionem ratione in his quæſtionibus, quæ de facto procedunt, ſæpè à me repetitâ, & ſæpius repetenda. Nullum eſt fundamentum ad concedendam aquæ virtutem inchoatam, & innatam ad producendum Angelum: ergo virtus hæc illi concedenda non eſt, non enim debemus ſine fundamento poſitiuo virtutes rerum multiplicare, & illa quæ neſcimus tanquam verè exiſtentia propugnare. Nullum eſſe fundamentum probo ex eo quod nullum ſit prædicatum in effectibus ita producendis, ratione cuius exigant contineri in virtute obedientiali cuiuſlibet creaturæ, ſicuti eſt in actu vitali ſupernaturali, qui ratione vitalitatis exigit dependere à vita in actu primo, quæ cùm ſit entitas naturalis non poteſt ſine alio comprincipio ſupernaturali eleuante hunc actum producere. Quapropter actus amoris Dei quatenus ſupernaturalis dependet à principio ſupernaturali, & à principio vitali naturali tanquam à principio eleuato per aliud altioris ordinis. Hæc eſt diſparitas quam adducit P. Vaſquez inter animam habentem potentiam obedientialem ad actus ſupernaturales, & non ad alios effectus cùm dicit, animæ correſpondere prædicatum quoddam, quod non correſpondet in aliis effectibus, quam ego non adduco ad probandum præcisè ablata hac correſpondentia ex parte principij non poſſe eſſe potentiam obedientialem, ſed ad probandum non eſſe fundamentum ad dandam potentiam obedientialem in anima, ſeu in aliis entitatibus reſpectu aliorum effectuum, quod eſt ad concedendam potentiam obedientialem in anima reſpectu actuum vitalium, in quibus prædicatum vitalitatis arguit potentiam ad illos in ſubſtantia viuenti, & prædicatum ſupernaturalitatis arguit hanc potentiam indigere eleuatione vt reducatur ad actum, quia principium naturale non eleuatum non poteſt ſupernaturalem actum producere. Vnde vitalitas actus arguit potentiam obedientialem ratione prædicati vitalis, quod neceſſariò debet correſpondere principio vitali, reliqui tamen effectus, etſi ſupernaturales ſint, dum vitales non ſunt exigunt hanc correſpondentiam, ac proinde in nulla entitate arguunt potentiam obedientialem. Neque aliud eſt caput, ex quo poſſit inferri hæc potentia obedientialis, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum, quæ contra illam adduci poſſunt.

Dico ſecundò. Non repugnat creatura, quæ habeat potentiam obedientialem, & inchoatam ad producendum 7
quemlibet effectum ſupernaturalem, & naturalem, qui non poſſit produci à cauſis naturalibus & qui per ſe & immediatè non dependeat ab his numero cauſis. Ratio eſt, quæ ſemper in quæſtionibus, quæ de poſſibili procedunt, vnicè ſemper rem probat. Nulla eſt repugnantia in eo quod detur talis creatura: ergo poterit dari. Antecedens probo: ex eo, quod effectus producendus ſit perfectiſſimus non poteſt ſumi repugnantia, quia potentia, quæ non eſt principium adæquatum effectus non debet eſſe æquè perfecta cum illo: omnis enim inæqualitas quæ ſit inter effectum producendum, & principium productiuum ſuppleri poterit ratione aliûs comprincipij æquè perfecti cum effectu producendo, vel ratione omnipotentiæ ſpecialiter concurrentis cum illa entitate dummodo illa habeat innatam inchoatámque virtutem ad effectum producendum.

Dico tertiò, poteſt dari entitas habens virtutem inchoatam ad producendum aliquos ex his effectibus, quos dixi 8
in concluſione præcedenti, & non alios etiam imperfectiores. Probo, non ex eo quod hæc entitas habeat virtutem naturalem ad hunc effectum producendum infertur habere ſimilem virtutem ad producendum alium etiam imperfectiorem illo, quem poteſt producere; homo enim poteſt producere hominem, & non poteſt producere equum homine imperfectiorem: ergo ex eo quod hæc entitas habeat virtutem inchoatam, & obedientialem ad producendum hunc effectum v.g. hominem non infertur illam habere ad producendum alium effectum etiam imperfectiorem. Deinde probatur, quia nulla eſt repugnantia in eo quod Deus producat entitatem cum virtute inchoata, & obedientiali ad hos effectus, & non ad alios etiam imperfectiores.

Dico quartò. Non poteſt dari creatura habens potentiam obedientialem, & innatam ad producendum effectum, 9
qui de facto producitur à cauſis naturalibus eo modo, quo ab ipſis producitur. Rem explico: ignis producitur ab alio igne præcisè per applicationem agentis ad paſſum, non poteſt aliqua alia creatura habere potentiam inchoatam, & obedientialem ad ignem hoc modo producendum. Equus producitur ab alio equo per commixtionem maris, & fœminæ

Digitized by Google

minæ deciſo à mare ſemine,quod fouet equa,non poſſunt dari alia duo animalia mas & fœmina quæ virtutem habeant non naturalem, ſed obedientialem ad alium fœtum ſimili modo producendum. Non negat hæc concluſio poſſe dari entitatem habentem potentiam obedientialem ad producendum equum ſpeciali Dei concurſu eo modo quo ignis ignem producit ſine hac ſeminum commixtione,quæ intercedit in naturali generatione equi , neque negat concluſio poſſe dari lignum habens virtutem inadæquatam ad producendum ignem, ſed tantùm negat poſſe dari huiuſmodi virtutem obedientialem , quæ naturaliter poſſit reduci ad actum. Hanc mentem mihi iniecit ſapientiſſimus. P. Vaſq.diſp.176.cit.c.4.vbi ſic argumentatur contra ponẽtes potentiam obedientialem in quacunque creatura ad quemlibet effectum. Si aliqua virtus inadæquata, & innata tribueretur creaturæ, poſſet illi coniungi cauſa alia ſecunda creata naturalis, quæ compleret efficaciam eius ad quemlibet effectum non ſupernaturalem ſecundum ſubſtantiam,quia effectus eſt naturalis , & rectè procederet à virtute illa inadæquata, & ab alia concauſa naturali , quæ illius actiuitatem ſuppleret. Rationem illuſtrat exemplo virtutis inchoatæ ad effectum ſupernaturalem , quæ completur per virtutem ſupernaturalem ad illum effectum producendum: ergo ſimiliter virtus illa naturalis compleri poſſet per virtutem aliam naturalem ad effectum naturalem producendum : ergo talis virtus inadæquata non eſſet dicenda obedientialis,ſed naturalis, ſiquidem poſſet compleri per aliam virtutem naturalem, quæ illi poſſet naturaliter coniungi. Hæc ratio magni momenti mihi viſa eſt vt potè à tanto magiſtro excogitata,quam ſic expendo:Demus in ligno virtutem inchoatam,ſeu inadæquatam,quantumuis minimam & exilem ad ignem producendum , hæc virtus poſſet compleri & inadæquari virtute alius ignis potentis adæquatè producere ignem, ad quem lignum habet illam virtutem inadæquatam : ergo virtus illa inadæquata naturaliter poteſt reduci ad actum : ergo virtus illa non eſt dicenda obedientialis , ſed naturalis, & inadæquata. Virtutem illam inadæquatam, & & imperfectam poſſe compleri per virtutem ignis,ſic probo:Ignis nulla alia virtute adiutus poteſt producere ignem ad quem lignum habet virtutem inadæquatam : ergo poterit eundem producere adiutus virtute quantumuis minima, & exili dummodo ſit proportionata ad effectum producendum : ergo ex igne aliàs potente adæquatè producere effectum, & ex illa virtute inadæquata ligni poteſt conſtitui vnum agens adæquatum producens ignem , qui inadæquatè continebatur in virtute ligni,,& adæquatè in virtute ignis.

10 Dices virtutem illam inadæquatam ligni eſſe talis naturæ vt non poſſit compleri per aliam cauſam naturalem, quia nunquam illi debetur concurſus ad concurrendum cum alia cauſa naturali, ſed tantùm poteſt concurrere cõcurſu ſibi indebito , ſupernaturaliter collato. Non latuit hæc ſolutio ſapientiſſimum Vaſquez, quam ſolidè refutat ibid. num. 22. rationem ab illo adductam expendo. Omni creaturæ aliàs habenti virtutem ad producendum effectum debetur concurſus cauſæ primæ, quia cauſa prima debet concurrere cum omni entitate habente ex ſe omnia requiſita ad producendum effectum hoc concurſu ſecluſo : ſed virtus illa inadæquata ligni applicata igni,& illud concretum ſeu adiunctum per accidens *lignum , & ignis* , haberet omnem virtutem requiſitam ad producendum ignem & concurſu generali cauſæ primæ ſecluſo,nihil illi deeſt ad producendum effectum; ergo nihil illi deeſt vt talis concurſus ſit debitus , non enim eſt aliquid in cauſa ſecunda exigentia concurſus Dei, quàm virtus ex ſe iam ſecundum id, quod requiritur ex parte creaturæ , cum omnibus requiſitis ad producendum effectum , quem producet per aduentum concurſus: ſed lignum & ignis haberent omnia requiſitis ad producendum ignem diſtincta à concurſu generali cauſæ primæ,quo ſuperueniente effectum producerent:ergo haberent exigentiam ad talem concurſum generalem : exigitur enim concurſus generalis quotieſcunque res ita ſe habent vt præciſè ex defectu illius deficiat effectus,qui illo poſito abſque vllo ſpeciali influxu,ſed tantùm ſecundum rationem generalem cauſæ primæ ſuperueniret. Robur accipit hæc ratio ex his, quæ dixi Contr.6.Punct.4. creaturæ non deberi concurſum generalem ratione exigentiæ,quam habeat ad illum, ſed ratione indigentiæ , atqui lignum & ignis illo indigerent concurſu , & non alio ſpeciali ad producendum alium ignem : ergo illis eſt debitus.Confirmatur, munus cauſæ primæ eſt ita adeſſe cauſis ſecundis, vt ratione ipſius nullus effectus non producatur, ſed ita præſto adeſſe omnibus vt in omnibus caſibus, in quibus cauſa ſecunda operaretur, ſi non indigeret concurſu cauſæ primæ, hunc exibeat cauſa prima, vt operetur ſecunda : ſed lignum ex ſe inadæquatè potens , & ignis adæquatè potens producere alium ignem , illum producerent, ſi non indigerent concurſu cauſæ primæ , quem ſi non producant tantum erit ex defectu huius generalis concurſus : ergo cauſa prima debet illis præſto adeſſe ad concurrendum,illiſque debet hunc concurſum generalem exhibere : ergo naturaliter poterunt in actum ſecundum ſe reducere : ergo virtus inadæquata ligni non eſt dicenda obedientialis , ſed naturalis.

11 Aduerto non quamcumque virtutem inadæquatam poſſe compleri per virtutem inadæquatam ad eundem effectum,quia effectus aliquando indiget principiis inadæquatis diuerſæ rationis,ad quem producendum nunquam ſufficiant innumera inadæquata eiuſdem rationis, ſicuti infinitæ ſpecies impreſſæ viſionis , quarum quælibet eſt cauſa inadæquata illius,non poſſunt conſtituere principium adæquatum viſionis: alia verò principia inadæquata eſſe poſſunt quorum nullum ex ſe eſt adæquatum , & aliquando eiuſdem, & aliquando diuerſæ rationis conſtituere poſſunt vnum principium adæquatum ex principiis verò , quorum vnum ex ſe eſt inadæquatum , & alterum adæquatum reſpectu eiuſdem numero effectus ſemper poteſt effici vnum efficiens adæquatum , ideo dixi non eſſe potentiam obedientialem, quæ eſt principium entitatis , quæ eodem modo poteſt dependere adæquatè ab alia cauſa naturali,quod eodem modo intelligendum eſt ſi poſſit inadæquatè dependere ab alio principio inadæquato , quod poſſit complere aliud, & cum illo naturaliter coniungi, ad vnum principium adæquatum conſtituendum.

12 De aliis entitatibus habentibus virtutem inadæquatam ad producendum effectum natnralem ,quem alia cauſa naturalis nullo modo producere poteſt , vel ſaltem non eodẽ modo, eſt longè diuerſa ratio, quia illarum virtutes compleri naturaliter non poſſunt ; verbi gratia , demus entitatem habentem virtutem inadæquatam ad producendam formã ſolis:hæc virtus naturaliter non poteſt cõpleri,quia nulla eſt alia cauſa naturalis potens producere eandem formam, per quam illius virtus compleatur. Idem dico de virtute productiua formæ equi ſine naturali ſeminum commixtione,ſed eodem modo, quo ignis ignem producit;hæc virtus compleri non poteſt per virtutem , quam habet equus producendi equum , quia equus non habet virtutem adæquatam , neque inadæquatam ad producendum aliũ equum ſine ſeminum commixtione præciſè per iuxtapoſitionem agentis ad paſſum,& ita ex virtute,quam habet equus , & virtute,quam haberet illa entitas non poſſet fieri vnum principium adęquatum , quia virtutes illæ haberent longè diuerſum modum operandi.

13 Concludo ex his Deum poſſe eleuare intellectum & voluntatem ad actus ſupernaturales , & non poſſe eleuare creaturas exiſtentes ad quoſlibet alios effectus,poſſibilémque eſſe creaturam quam poſſit eleuare ad omnes ſeu tantùm ad aliquos effectus ſupernaturales vel naturales ex his,quos non poteſt alia cauſa naturalis producere eodem modo, quos illos producere poſſet alia entitas, quæ haberet virtutem inadæquatam. Hæc omnia ex concluſionibus præcedentibus , & ex his quæ præmiſi num. 2. & 3. clarè inferuntur, omnia enim hoc vnico principio continentur : Deus poteſt eleuare omnem creaturam habentem virtutem inchoatam , & obedientialem , & non poteſt eleuare creaturam non habentem virtutem inchoatam, & obedientialem.Ex his facile erit argumenta aduerſariorum diſſoluere quæ iam ſubdo.

§. III.

Argumenta ſoluta.

14 OBiiciunt aduerſarij primò auctoritatem D. Auguſtini & D.Thomæ:Auguſtin. enim de Geneſi ad lit.cap.17. poſtquam præmiſerat conuenire rebus creatis virtutem agendi iuxta naturæ curſum , ita ſubdit : *Super hunc autem motum,curſumque rerum naturalem poteſtas Creatoris habet apud ſe,poſſe de his omnibus facere aliud,quàm earum ſeminales rationes habent,non tamẽ id quod in iis poſuit,vt de his fieri,vel abſque*

Digitized by Google

que alia poſſit. Quibus verbis Aug. tradidit creaturis virtutem ad producendos effectus, quos natura ſua non poſſunt producere quam doctrinam ita certam exiſtimauit, vt ad fidei dogmata ſpectare cenſeat. Subdit Auguſtinus: *Dicam quid mihi videatur ſine affirmandi temeritate, quod tamẽ cum dixero, fortaſſe prudenter ita conſiderantes, quos iam Chriſtiana fides imbuit, etiamſi nunc primitus ita cognoſco, non eſſe dubitandum iudicabunt*: ergo cenſet Auguſtin. Chriſtianis extra dubium eſſe debere Deum poſſe cum creaturis effectus ſupra ſuas naturas producere. Et D. Thom. de potentia Dei q.6.art.2.ad 12. ita ait: *Quando aliqua virtus actiua eſt altior tanto poteſt eandem rem producere in effectum altiorem, vnde natura poteſt ex terra facere aurum aliis elementis commixtis quod ars facere non poteſt; & inde eſt, quod res aliqua eſt in potentia ad diuerſa ſecundum habitudinem ad diuerſos agentes, vnde nihil prohibet, quin natura creata ſit in potentia ad aliqua fienda per diuinam potentiam, quæ inferior potentia facere non poteſt, & iſta vocatur potentia obedientiæ, ſecundum quam quælibet creatura obedit Creatori.* His verbis exiſtimant propugnatores potentiarum obedientialium ſtatui in qualibet creatura ad omnes effectus.

15 Reſpond. Magnum Eccleſiæ Patrem Auguſtinum & Angelicum Doctorem non docuiſſe teſtimoniis citatis ineſſe cuicumque rei virtutem ad quoſcumque effectus producendos, ſed ad multa facienda ſupernaturaliter, quæ naturaliter non poſſunt facere. Quod verum eſt in intellectu, & voluntate, quæ per habitus ſupernaturales eleuantur ad producendos effectus, quos naturaliter non poſſunt producere, & in quocumque alio agente, quod ſupernaturaliter producet effectus, quos naturaliter ex defectu alius concauſæ diſpoſitionis, ſeu conditionis requiſitæ producere non poteſt. Sic Beatiſſima Virgo potuit ſine virili ſemine ſanctiſſimam Chriſti humanitatem ſpeciali Dei concurſu producere, quam naturaliter non poſſet ſine viri ſemine procreare. Sic Elizabeth ſterilis, & nimia ſenectute confecta ſpeciali Dei concurſu Chriſti Præcurſorem genuit, quem & defectu accidentium, ſeu diſpoſitionum, quæ ad fœcunditatem requiruntur, ratione cuius ſterilis erat, & ex defectu caloris, & aliarum qualitatum, quæ præ ſenectute defecerant concipere non poſſet. Sic etiam terra, quæ naturaliter nonniſi verno tempore poteſt ſe variis variegare floribus media bruma in eoſdem flores, alioſque quoſcumque præmaturos fructus poterit ferax erumpere. Mitto potentiam paſſiuam, qua poterunt flumina retrogrado ferri curſu, omniaque elementa propria deſerere loca, terram ſurſum ferri ignemque deorſum. Poſſunt item virtutes omnium creaturarum ſupernaturaliter compeſci, ita vt ignis non calefaciat neque ingens mons humeris teneri Infantis ſuperpoſitus illi impulſum imprimat. In quibus mirè elucet obedientia creaturæ in ſuum creatorem, & dominium, quod in omnes creaturas habeat vnum omnium principium Deus optimus maximus, quin abſque fundamento in quacumque entitula confingamus inadæquatam virtutem illi intrinſecam ad producendum quemcumque perfectiſſimum effectum.

16 Obiic. ſecundò: Nulla eſt implicatio in eo, quod Deus eleuet quamcumque creaturam ad quemcumque effectum ergo poterit Deus illam eleuare. Reſpond. maximam eſſe implicationem, quam iam aſſigno. Si Deus eleuaret aquam de facto exiſtentem ad producendum equum, ſequeretur aquam ex ſe habere virtutem innatam, & inadæquatam, & illam non habere, quia aqua eadem exiſtens ſecundum intrinſecam entitatem eandem virtutem intrinſecam ſecum identificatam haberet, ſed modò non habet virtutem identificatam: ergo etiamſi eleuaretur illam non haberet, quod eſt vnum ex duobus contradictoriis. Inſuper virtutem haberet, quia de actu ad potentiam valet conſequentia: ergo ſi produceret per ſuam entitatem, per ſuam entitatem haberet virtutem: ergo haberet, & non haberet virtutem.

17 Obiic. tertiò: Intellectus poteſt eleuari ad producendam viſionem intuitiuam Dei: ergo alia entitas naturalis poterit eleuari ad quemcumque effectum ſupernaturalem. Nego conſequentiam, diſparitatem aſſigno, tum ex parte effectus tum ex parte cauſæ; ex parte effectus, quia viſio Dei cum ſit entitas vitalis eſſentialiter petit dependere à potentia vitali, & non poteſt produci ab alia cauſa ſupernaturali, neque etiam à Deo ſine concurſu huius potentiæ vitalis, & ita vt detur viſio neceſſum eſt eleuari potentiam vitalem naturalem per comprincipium ſupernaturale ad viſionem hanc producendam, debet enim intercedere correſpondentia inter viſionem, & principium immediatè illam producens, ad quam correſpondentiam non ſufficit quodcumque viuens ſe tenens ex parte actus primi, ſed requiritur viuens in actu primo, quod conſtituatur viuens in actu ſecundo per viſionem ipſam productam. Ex parte cauſæ diſparitas eſt quod intellectus habet potentiam inchoatam ad certos effectus ſupernaturales quam non habet ad alios, neque aliæ entitates habent ad aliquem effectũ ſupernaturalem. Intellectum hanc virtutem habere conſtat nobis ex principiis fidei, reliquas entitates non habere virtutem inchoatam ad omnes effectus ex eo negamus, quia nullum habemus fundamentum ad tales virtutes illis concedendas. Neque à paritate fundamentum deſumi poteſt: Sicut enim hæc eſt inepta conſequentia: hæc entitas habet hanc virtutem naturalem: ergo alia diſtincta ſpecie ſimilem virtutem habebit; ſic ineptè arguitur: hæc entitas habet hanc virtutem obedientialem ad hunc effectum: ergo eadem habet virtutẽ obedientialẽ ad alios effectus ſpecie diſtinctos, & alia ſpecie diſtincta habebit virtutem inchoatam ad hos effectus, vel ad alios, neutrum enim infertur.

Obiic. quartò: Creaturæ habent potentiam obedientialem paſſiuam ad omnes effectus: ergo actiuam. Negant multi conſequentiam, & non immerito, quia potentia paſſiua adæquata effectus poteſt eſſe longè imperfectior illo non autem principium adæquatum actiuum, quod ſemper debet eſſe ſaltem æquè perfectum cum effectu, ex quo infertur maiorem proportionem requiri inter principium actiuum, & effectum, quàm inter hunc & principium paſſiuum. Reſpondeo negando antecedens, non enim quælibet potentia paſſiua virtutem habet, vt ex illa quæcumque forma educatur, vt Controu.10.Punct.3. dictum eſt, vbi probaui materiam primam non poſſe recipere ſimul plures formas adhuc de potentia Dei abſoluta. 18

Obiic. quintò: Accidens ſimul cum ſubſtantia poteſt concurrere ad producendam ſubſtantiam: ergo quælibet entitas naturalis poteſt cum alia ſupernaturali effectum ſupernaturalem producere. De accidentibus, quæ de facto exiſtunt antecedens ego negaui, ſed verum eſto. Rogo quis hanc arguendi formam docuerit, in qua conſequens vniuerſalius ad plures ſpecies longè inter ſe diſtinctas ſe extendit quàm antecedens. Rurſus demus paritatem inter res adeò diſpares. Sic argumentor: Accidens poteſt cum ſubſtantia non per potentiam obedientialem, ſed naturalem ſubſtantiam producere: ergo entitas naturalis non ſolùm per potentiam obedientialem, ſed etiam naturalem poterit aliam entitatem ſupernaturalem producere. Dices diſparem eſſe rationem quia accidens naturaliter poteſt coniungi cum ſubſtantia, & res naturalis non poteſt coniungi naturaliter cum illa ſupernaturali. Vera eſt diſparitas, ſed illam tibi ſume, ex illa enim dico ſubſtantiam habere tanquam proprium inſtrumentum accidens, cum quo naturaliter coniungitur, & rem naturalem non eſſe inſtrumentum rei ſupernaturalis, neque è contra, quia non ſunt mutuò connexa, ſicut ſubſtantia, & accidens. Rurſus argumentum retorqueo: licèt accidens coniunctum cum ſubſtantia poſſit aliquas ſubſtancias producere, non tamen omnes valet efficere, nullum enim accidens cum quacumque ſubſtantia coniungatur valet formam ſolis producere: ergo non omnis entitas naturalis poteſt eleuari ad quemcumque effectum. Reſpondeo quidquid ſit de antecedenti negando conſequentiam: diſparitas ſumenda eſt ex ratione, qua mouẽtur Authores ad concedendam actiuitatem accidentibus reſpectu ſubſtantiæ, quæ non inuenietur, quæcumque illa ſit, ad concedendam virtutem inchoatam creaturæ reſpectu cuiuſcumque effectus. 19

Obiic. ſextò: Deum habere perfectiſſimum dominium creaturarum, & hoc non ita futurum, ſi non poſſit illis vti ad quoſcumque effectus producendos. Simul opponũt perfectionem ſummam omnipotentiæ Dei, ob quam poterit vti imperfectiſſimis inſtrumentis ad quæcumque perfectiſſima opera, quia in omnium artium genere, quo agẽs principale perfectius, eo imperfectiori, & ineptiori inſtrumento vti poteſt ad opus perficiendum, rectius enim ſcribit, aut depingit excellens pictor, aut ſcriptor calamo, aut penicillo inerti, quàm improbus pictor aut ſcriptor optimo calamo aut penicillo. Non ad anguſtias formæ ſyllogiſticæ his rationibus trahemur. Reſpondeo dominiũ quod Deus habet in creaturas eſſe perfectiſſimum omnium poſſibilium, quæ poſſunt excogitari, non enim eſſet perfectius dominiũ, quo poſſet vti creaturis de facto exiſtẽtibus 20

Digitized by Google

ad producendos effectus, quorum non habent virtutem inchoatam,quia illud eſſet chimæricum, ſicut eſſet chimæricum dominium, quo Deus poſſet vti gratiâ habituali ad conſtituendum hominem formaliter nigrum, & nigredine ad conſtituendum hominem formaliter ſanctum, quod dominium vt pote fictitium, & chimæricum à Deo eſt relegandum, Ad illud quod dicitur de perfectione omnipotentiæ. Reſpondeo omnipotentiam eſſe ſummè, & infinitè perfectam, ad cuius perfectionem non attinet poſſe facere illa, quæ ex ſe implicant. Ad comparationem ex artifice adductam. Reſpondeo,excellentiorem artificem melius vti quocumque inſtrumento cæteris paribus alio imperitiori artifice, nullum tamen poſſe vti tanquam inſtrumento,re omnino inepta ad opus faciendum, neque enim probus, aut improbus pictor poterunt tanquam in tabula in ſubſtantia Angeli depingere, vel illa vti tanquam penicillo, quia ſubſtantia Angeli omnino inepta eſt ad hæc munera,ita neque Deus poteſt vti quacumque creatura ad quemcumque effectum producendum, quia plures illarum omnino ineptæ ſunt, neque aliquam virtutem habent inchoatam ad plures effectus producendos.

21 Obiic. ſeptimò: Sacramenta cauſant gratiam ſupernaturalem, & humanitas Chriſti multa miracula eſt operata, & effectus produxit, qui naturaliter produci non poterant: ergo poteſt Deus eleuare entitates naturales ad effectus ſupernaturales, ad aliaque quamplurima, quæ ſine miraculo fieri non poſſunt, Reſpondet P. Vaſquez locis ſuprà citatis,gratiam ſupernaturalem dependere à ſacramentis, & miracula fieri ab humanitate Chriſti moraliter, & non phyſice,quod in ſacramentis ſpecialiter probatur. quia ſacramentum Baptiſmi operatur recedente fictione, dum non exiſtit, nihilque poteſt phyſicè, dum non exiſtit effectum ſortiri, & reliqua ſacramenta effectum ſortiuntur in vltimo inſtanti, in quo conficiuntur, in quo vix minutula particula illorum perſeuerat. quando enim profertur vltima ſyllaba verborum conſecrationis, tantùm illa ſupereſt, è qua poſſet phyſicè gratia produci, reliqua enim verba iam non exiſtunt, proinde nihil poſſunt producere: & quando alter ſponſus vltimò exprimit conſenſum,iam præceſſit conſenſus, & expreſſio alterius ſponſi,& nihil poteſt operari. Addo ſecundùm hanc ſententiam defendi poſſe plura miracula ſanctiſſimam Chriſti humanitatem non ſolùm moraliter,ſed etiam phyſicè perpetraſſe, quia quando Petrum ſupra mare tuto pede ambulare iuſſit, tantùm neceſſum fuit petro Chriſtum imprimere impulſum, vt non ſubmergeretur, quem quoad ſubſtantiam naturaliter imprimere poterat, quod autem illum imprimeret abſque vllo contactu, & diſtans à petro hoc erat ſupplere Deum miraculosè conditionem requiſitam ad operandum, non verò eleuare Chriſti humanitatem ad aliquem effectum ſecundùm ſubſtantiam altioris ordinis ab illis, quos naturaliter potuit producere.Similiter quando cæcis viſum reſtituebat,effectus ſecundùm ſubſtantiam productus, tantùm erat temperamentum qualitatum, & motus localis organorum vt ſitum,& locum haberent requiſitum ad proprias functiones obeundas, qui motus localis ſecundùm ſubſtantiam non excedit virtutem naturalem humanitatis, neque in temperamento qualitatum erat aliqua, quæ ſecundùm ſubſtantiam non poſſet produci à Chriſto. Neque ideò ſine maximo miraculo hæc fiebant; non enim ſine miraculo poteſt moueri, & ad proprium reſtitui locum exiguus neruus in cerebro abſconditus ac alio ſuppoſito loco diſtante ab homine, cuius organa ad proprium locum reſtituuntur, neque in tam exiguis partibus quantitatis inter ſe propinquis poteſt tanta,& non maior, neque minor intenſio qualitatis, diuerſa in diuerſis partibus ab agente loco diſtante, & ſuppoſito diſtincto produci. Difficiliùs hæc doctrina poterit defendi in aliis miraculis, videlicet in conuerſione aquæ in vinum facta in nuptiis, & præcipuè in mortuorum reſurrectione, de quibus Theologi diſputabunt. Sufficiat modò dicere cum P. Vaſquez, hæc miracula moraliter,& non phyſicè à ſanctiſſima Chriſti humanitate eſſe perpetrata.

§. IV.

Nonnulla corollaria.

22 EX his, quæ dixi multa ſunt notanda, quæ facilè ex doctrina deducuntur, quæ inpræſentiarum exprimam,vt plenam de hac re notitiam meo lectori reddam.

Noto, duplicem eſſe potentiam obedientialem, quædam abſoluta eſt naturalis in ordine ad ſubſtantiam effectus,& obedientialis in ordine ad modum,quo illum producit:alia obedientialis eſt in ordine ad ſubſtantiam effectus. Exemplum prioris eſto ignis quatenus poteſt agere in paſſum diſtans, quin agat in propinquum, vel quatenus poteſt introducere formam ignis in materiam vltimò diſpoſitam ad aliam formam, & carentem diſpoſitionibus ad formam ignis. Poſterioris exemplum eſt potentia intellectiua, quæ ad ſubſtantiam viſionis intuitiuæ obedientialis eſt, quia ex ipſa ſubſtantia viſionis fieri nequit ab intellectu non eleuato per lumen gloriæ, vel per concurſum ſpecialem Dei ſupplentis vice luminis. 23

Ex hac potentiarum obedientialium differentia alia ſuboritur eiſdem intrinſeca,videlicet potentiam obedientialem tantùm ſecundùm modum, & non ſecundùm ſubſtantiam eſſe virtutem completam,vel quæ naturaliter poteſt compleri ſecundùm id,quod requiritur ex parte virtutis influentis in effectum, & tantùm dici obedientialem, quia illi deficit conditio requiſita ad agendum, ſicuti in igne agente in diſtans, quia dicit totam virtutem adæquatam effectus producendi, & quatenus diſtinctus ab eleuatione dicit totum id quod ſe tenet ex parte virtutis productiuæ, vel ſaltem principium inadæquatum, quod naturaliter poſſet compleri,& tantùm eleuatur, quia ſuppletur conditio quædam, quæ etiam naturaliter poſſet accidere virtuti. Vnde illa eleuatio eſt quaſi accidentaliter contingens cauſæ ad effectum producendum, quia naturaliter poterat contingere virtutem eſſe completam, & cum omnibus prærequiſitis ad effectum eundem producendum abſque aliqua eleuatione: ignis enim, qui calorem producit in paſſo diſtanti potuit eſſe applicatus ad eundem calorem in eodem paſſo producendum. Potentia obedientialis reſpectu ſubſtantiæ effectus ſemper eſt principium inadæquatum, non ſolùm ex defectu conditionis, ſed etiam ex defectu virtutis requiſitæ ad effectum producendum, non enim poteſt dari virtus adæquatè actiua obedientialis reſpectu alicuius effectus. In effectu ſupernaturali producendo à potentia obedientiali naturali,& in quocumque effectu perfectiori potentia obedientiali certum eſt, quia nequit entitas imperfectior eſſe adæquatè virtus productiua effectus illa perfectioris.In aliis quibuſcumque potentiis probo ex dictis ſuprà, vbi ſtatui debere concurſum cauſæ primæ omni virtuti, quæ ex ſe habet omnia requiſita ac effectum,ita vt ſuperueniēte concurſu illum produceret:ergo ſi daretur virtus adæquatè actiua reſpectu alicuius effectus illi naturaliter deberetur concurſus:ergo ex omni capite eſſet virtus naturalis & non obebientialis. 24

Alia ex his differentia deprehenditur inter potentiam obedientialem actiuam, & inter potentiam obedientialem paſſiuam ad effectus ſubſtantiam. Quod potentia obedientialis actiua vtpote inadæquata in ratione virtutis actiuæ ſemper eleuatur,ſeu completur per aliud comprincipium actiuum ſiue illi inhærens, ſicuti lumen gloriæ eleuans intellectum ad viſionem beatam, ſiue illi tantùm extrinſecè aſſiſtens, ſicuti omnipotentia cùm præſto adeſt intellectui ad producendum cum illo viſionem beatam per ſpecialem concurſum, quem loco luminis præſtet omnipotentia. Potentia obedientialis paſſiua non neceſſariò eleuatur per aliud comprincipium tenens ſe ex parte paſſi, neque per omnipotentiam ſupplentem vices principij paſſiui, ſed tantùm per eleuationem tenentem ſe ex parte principij actiui,eo enim ipſo quòd intellectus ſit potens producere actiuè viſionem, eſt potens illam recipere, quia principium paſſiuum non indiget alia eleuatione præter illam,quam dicit principium actiuum, ita vt ſi per impoſſibile intellectus poſſet abſque vlla eleuatione viſionem producere, etiam abſque illa eandem viſionem naturaliter recipere poſſet.Non nego poſſe dari aliquam potentiam paſſiuam indigentem eleuatione facienda per aliud comprincipium paſſiuum reſpectu effectus recipiendi, poteſt enim dari principium paſſiuum naturale ſecundùm ſubſtantiam inadæquatum reſpectu alicuius formæ ſubſtantialis, quæ non poſſit compleri niſi per aliud comprincipium ſupernaturale, cùm quo componat vnum adæquatum principium paſſiuum formæ ſupernaturalis recipiēdæ, ſicut enim intellectus, & lumen gloriæ conſtituunt vnum principium actiuum adæquatum viſionis ſupernaturalis, ſic intellectus iſte, vel alius ſpecie diſtinctus poſſet cum alio habitu cōſtituere vnum principiū adæquatum paſſiuum 25

reſpectu

Digitized by Google

reſpectu alicuius actus, quem non poſſet adæquatè intellectus recipere. Hoc tamen non eſt proprium omnis principij paſſiui, reſpectu omnis effectus recipiendi, quia intellectus neceſſariò recipit aliquem habitum, vel actum ſupernaturalem immediatè ſine conſortio alicuius principij ſupernaturalis paſſiui, quaſi hoc comprincipium reciperetur in intellectu, vel reciperetur tantùm in principio paſſiuo naturali ſecundùm ſubſtantiam, vel in infinitum eſſet abeundum, vel deberet eſſe creatum, & hoc nullum poteſt de facto excogitari reſpectu intellectus de facto exiſtentis.

26 Poſſes contra hanc doctrinam non abs re obiicere: Poteſt dari potentia paſſiua naturalis ſecundùm ſuam entitatem adæquata reſpectu effectus recipiendi in ratione principij paſſiui, quæ obedientialis dicitur in ordine ad talem effectum, quia connotat principium actiuum ſupernaturale & indebitum, ſine quo non poteſt materialiter effectum cauſare, quæ præciſè eleuatur per aduentum principij actiui ſupernaturalis: ergo poterit dari virtus actiua naturalis ſecundùm ſubſtantiam, quæ ſit adæquata in ratione virtutis actiuæ naturalis, & obedientialis dicatur, quia connotat paſſum ſupernaturale, & indebitum, quod illi non poteſt naturaliter coniungi, ſine quo non poterit effectum producere. Reſpondeo negando conſequentiam, rationemque diſparitatis aſſigno. Principium actiuum adæquatè ſecundùm ſe totum naturale non poteſt eſſe principium actionis ſupernaturalis, & ita non poteſt agere circa ſubiectum ſupernaturale, quia omnis paſſio ſubiecti ſupernaturalis, quæ eſt eadem cum actione eſt ſupernaturalis, ex quo fit principium actiuum adæquatè naturale non poſſe eleuari à paſſo ſupernaturali, cùm non poſſit agere circa illud. Principium verò paſſiuum adæquatè naturale poteſt eſſe principium paſſionis ſupernaturalis, ac proinde poteſt pati ab agente ſupernaturali, & ab illo eleuari.

27 Noto etiam non ſolùm dari eleuationem & potentiam obedientialem principij naturalis ad effectum ſupernaturalem, & principij imperfectioris ad effectum perfectiorem; ſed etiam principij ſupernaturalis ad effectum ſupernaturalem, & principij ſupernaturalis ad effectum naturalem, & abſolutè principij perfectioris ad effectum imperfectiorem, & principij perfecti ad effectum æquè perfectum. Ratio à priori eſt, quia in his omnibus entitatibus poteſt dari ad hos omnes effectus ratio potentiæ inchoatæ, quæ non poſſit compleri naturaliter per aliam potentiam. Poteſt enim dari Angelus habens virtutem inchoatam, & inadæquatam ad producendam formam cuiuſdam aſtri materialis, quæ tantùm poſſit compleri per omnipotentiam, vel ſaltem per aliam concauſam ſupernaturalem, & tunc Angelus ſpiritualis perfectior forma aſtri habebit virtutem obedientialem reſpectu effectus materialis, & imperfectioris. De aliis potentiis annumeratis exempla ſunt obuia.

PVNCTVM VIII.

Quid ſit potentia obedientialis?

1 QVam grauiter in hac re offendunt graues Auctores ſapientiſſimique recentiores, qui non diſtinguentes inter potentiam obedientialem, & eleuationem eiuſdem potentiæ, pleraque confundunt, & Doctores, quorum ſententiam amplectuntur abs re impugnant, & contra aſſerentes eleuationem fieri per qualitatem inhærentem, motúmve tranſeuntem, probant potentiam innatam eſſe intrinſecam, & indiſtinctam à creatura, & contra illos, qui dicunt virtutem obedientialem eſſe indiſtinctam à creatura probant creaturam eleuari per aliud comprincipium, ſeu auxilium extrinſecum, & ita Doctores inter ſe non diſſentientes concertationes fingunt, prolixáſque excitant quæſtiones, in quibus ſi diſtinctè procederent, clarè apparerent, illáque rerum diſtinctarum confuſione omnibus tenebreſcunt. Non vacat omnium Doctorum mentes explicare, quos pro mea adducam ſententia fideliter referam, monéoque ab aliis relatos legendos eſſe, plures enim inueni quos ſiniſtrè etiam doctiſſimi viri interpretantur. Claritate & diſtinctione, quam ſemper affecto rem tractabo.

§. I.

Exploditur ſententia Ripaldæ.

NOſter Ripalda tom. I. de ſupern. quæſt. 41. ſect. 9. & 6. duplicem actiuitatem in potentia obedientiali diſtinguit, conditionalem vnam, & aliam abſolutam. Virtus condionata eſt, qua entitas non eſt abſolutè adhuc inadæquatè potens, ſed tantùm ſub conditione ſi illi adſint reliqua comprincipia ſupernaturalia requiſita ad effectum, cum quibus entitas nullam habet connexionem, quia illa ſunt ſupernaturalia, & entitas, quæ virtus obedientialis denominatur eſt naturalis, nihilque naturale connexionem habet cum re ſupernaturali. Alia eſt virtus abſoluta, etſi inadæquata, qua abſolutè intellectus inadæquatè eſt potens producere viſionem. Virtutem illam conditionatam aſſerit non diſtingui ab entitate rei virtutem verò abſolutam aſſerit diſtingui inadæquatè adhuc vt virtus partialis eſt ab entitate, quæ dicit in recto entitatem rei, & in obliquo adiutorium Dei, ſeu auxilium intrinſecum quo virtus illa conditionata tranſit in abſolutam, & formaliter conſtituitur virtus inadæquata partialis effectus. Itaque virtus abſoluta partialis, quam habet intellectus ad viſionem beatam dicit in recto ipſum intellectum, & in obliquo lumen gloriæ, & poſſibilitatem viſionis, cum quibus illa condionata cum intellectu identificata connexionem non habet, quia nihil naturale connexionem poteſt habere cum entitate ſupernaturali. 2

Rationem huius diſtinctionis inadæquatæ virtutis abſolutæ partialis deſumit ex natura eiuſdem entitatis habentis potentiam obedientialem, quæ abſoluta debet eſſe ab aliis comprincipiis ſupernaturalibus, quibus indiget ad ſuum effectum producendum, & ſine quibus impotens eſt illos producere. Ex hoc capite infert diſtinctionem inter potentiam partialem, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, & ad ſupernaturalem Quia intellectus in opinione Ripaldæ connexionem habet cum poſſibilitate omnium cognitionum naturalium, quas poteſt efficere, & omnium principiorum, quæ per ſe requiruntur ad has cognitiones efficiendas, ac proinde per ſeipſum eſt cum omni, quod requirit ad cognitiones producendas, & ita per ſe ipſum poteſt dici virtus partialis abſoluta effectus: idem verò intellectus connexionem non habet cum poſſibilitate viſionis beatæ, neque luminis gloriæ requiſiti ad viſionem, quia etiamſi vtrumque repugnaret, permaneret idem intellectus, & ita indiget non repugnantia horum vt abſolutè ſit potens, adhuc partialiter producere effectum, & cum non habeat connexionem cum tali non repugnantia, quouſque ipſa intelligatur non intelligitur intellectus adhuc partialis abſoluta virtus ad producendum effectum. Ex hoc infert abſolutam virtutem tantùm dicere entitatem intellectus, ſed etiam importare in obliquo alia comprincipia, cum quibus ex ſe poſſet intellectus non coniungi, & ſine quibus non eſſet abſolutè adhuc partialiter potens. Idem dicit de omnipotentia quatenus virtus adæquata productiua ignis, quæ nō eſt virtus productiua abſoluta quouſque intelligatur poſſibilitas ignis, quia hac deficiente omnipotentia non poterit abſolutè ignem producere, & nullam connexionem habet cum illa, ratione cuius non poſſit deficere. Eandem doctrinam tradit de potentia obedientiali paſſiua diſp. 25. ſect. 3. aſſerit enim potentiam obedientialem intellectus ad recipiendam viſionem, ſeu quamlibet formam ſubſtantialem duplicem eſſe, conditionatam, & abſolutam, illam non diſtinguit ab intellectu: hanc aſſerit diſtingui inadæquatè, quia ſupra entitatem intellectus dicit poſſibilitatem formæ ſupernaturalis recipiendæ, & principij actiui requiſiti ad producendam talem formam ſupernaturalem, cum quibus non habet connexionem propter rationem iam dictam, videlicet, nullam entitatem naturalem per ſe eſſe coniunctam cum entitate ſupernaturali adhuc vt poſſibili. 3

Multa mihi in hac ſententia diſplicent, nonnulla attingam. Nec verè ſupponit hic Auctor, nec bene infert: non verè ſupponit, quia falſum eſt intellectum habere connexionem cum cognitionibus naturalibus, quas poteſt producere, & cum illarum principiis per ſe requiſitis, & illam non habere cum cognitionibus ſupernaturalibus, vt oſtendam Controuerſ. 10. Metaphyſic. vbi probabo intellectum non habere connexionem cum cognitionibus naturalibus, & caſu, quo illam haberet eandem habiturum cum cognitionibus etiam ſupernaturalibus. Non verè infert, quia 4

Digitized by Google

admiſſa hac differentia inter cauſam in ordine ad effectus naturales, & ſupernaturales, quos poteſt producere, eodem modo philoſophandum eſt de virtute partiali illius in ordine ad omnes effectus, quod ſic probo. Non minus dependet intellectus à comprincipio naturali ad cognitionem naturalem eliciendam, quam dependet à comprincipio ſupernaturali ad eliciendam cognitionem ſupernaturalem, etiamſi cum iſto non habeat connexionem quam habet cum illo, quia intellectus non poteſt ſine ſpecie naturali, vel aliquo ſupplente vices illius adhuc ſupernaturaliter elicere cognitionem naturalem, ſi enim velit Deus intellectum elicere cognitionem naturalem ſine ſpecie impreſſa tenebitur ſupplere concurſum, quem præſtitura erat naturalis ſpecies, & in opinione, quam ego cum hoc Magiſtro defendo, hæc cognitio ſecundùm ſpeciem eſſentialiter dependet ab ſpecie impreſſa, quia per ſe ipſam nulla interiecta actione diſtincta dependet à principio: (ſuppono modò cum communi ſententia cognitionem dependere ab ſpecie impreſſa, idem enim erit ſi immediatè dependeat à phantaſmate) ergo ſicut intellectus ex eo, quod non poſſit ſine lumine gloriæ elicere viſionem beatam, non eſt adhuc partialiter abſolutè potens donec intelligatur in obliquo lumen gloriæ, & poſſibilitas eiuſdem viſionis, quæ ſi abſit nullo modo poterit viſionem producere, ita intellectus ex eo quod non poſſit adhuc ſupernaturaliter ſine aliquo comprincipio, & in omnium ſententia, hanc actionem in ſpecie, ſiue diſtinctam, ſiue indiſtinctam à termino ſine ſpecie impreſſa producere, & ſine non repugnantia eiuſdem actionis adhuc vt partialis, abſoluta potentia dicet in obliquo ſpeciem impreſſam; & poſſibilitatem viſionis: ergo adhuc vt partialis virtus dicet aliquid diſtinctum à ſe ipſo videlicet, ſpeciem impreſſam naturalem, & poſſibilitatem viſionis: ergo: ſicut virtus partialis abſoluta, quam habet intellectus ad viſionem beatam dicit in recto & in obliquo comprincipia ad viſionem, & huius poſſibilitatem ita virtus partialis abſoluta ad cognitionem naturalem dicet in recto entitatem intellectus, & in obliquo comprincipia eſſentialiter requiſita ad talem cognitionem, & illius poſſibilitatem: ergo vtraque virtus abſoluta inadæquatè diſtinguetur ab intellectu.

5 Reſpondet Ripalda intellectum habere connexionem cum principiis requiſitis ad intellectionem naturalem & cum poſſibilitate huius, & non habere connexionem cum comprincipiis requiſitis ad cognitionem ſupernaturalem, neque cum poſſibilitate talis cognitionis ſupernaturalis. Bene: ſed non ſatis. Admitto hanc connexionem cum illis extremis, & non cum iſtis, & arguo: Connexio quam habet intellectus cum comprincipiis requiſitis ad cognitionem naturalem, & cum poſſibilitate eiuſdem, poteſt conſiderari quatenus dicit vtrumque extremum connexionis in recto, vel quatenus dicit vnum in recto, & aliud in obliquo, vel præciſè quatenus dicit entitatem intellectus præciſam, & adæquatè diſtinctam ab alio extremo, cum quo habet connexionem, quæ talis eſt, vt ipſa non eſſet, ſi non eſſet alterum extremum, cum quo eſſet connexa: duobus prioribus modis inadæquatè diſtinguitur ab intellectu, ſaltem illo modo, quo potentia partialis ad viſionem beatam diſtinguitur ab intellectu; poſteriori modo non poteſt intellectus, etiamſi in ſe imbibat illam connexionem intelligi virtus partialis effectus, quod ſic probo. Non poteſt intelligi partialis virtus ſecundùm doctrinam huius auctoris, quin dicat formaliter vt virtus abſoluta partialis ſaltem in obliquo illud, ſine quo implicat poni effectus: ſed non poteſt poni effectus ſine aliquo diſtincto ab intellectu vt connexo ſumpta connexione poſteriori modo: ergo non poteſt intelligi intellectus partialis virtus effectus, ſeu cognitionis naturalis, quin intelligatur in obliquo aliquid diſtinctum ab intellectu vt connexio ſumptâ connexione poſteriori modo præciſè, quatenus dicit alterum extremum, videlicet intellectum. Maiorem probo: ex eo non poteſt intellectus intelligi vt partialis virtus viſionis beatæ, quin intelligantur in obliquo comprincipium intellectus ad viſionem, & poſſibilitas viſionis, quia ſine hoc comprincipio, & ſine hac poſſibilitate repugnat viſionem fieri ab intellectu: ergo intelligenda ſunt omnia, ſine quibus repugnat effectus ſaltem in obliquo; vt aliqua virtus illius, quæ per ſuam entitatem eſt virtus conditionata, ſit abſoluta virtus etiam partialis talis effectus productiua. Minorem oſtendo: ſumpto intellectu quatenus præciſè dicit vnum extremum connexionis, quin in recto, aut in obliquo dicat formaliter alia comprincipia ad cognitionem naturalem, & poſſibilitatem cognitionis non dicit hæc comprincipia, neque hanc poſſibilitatem, ſed ſine his comprincipiis, & ſine hac poſſibilitate repugnat fieri cognitionem: ergo intellectus quatenus præciſè dicit vnum extremum non dicit omnia, ſine quibus repugnat cognitio.

Dices non poſſe ſumi intellectum vt connexum, quia formaliter vt tale dicat in obliquo aliquod extremum cognitionis. Non verè, quia etſi vnum extremum vt relatum non poſſit cognoſci ſine alio, benè tamen adæquatam diſtinctionem ego apprehendo inter vtrumque. Sed eſto: 6
Intellectus eſt partialis virtus effectus naturalis vt connexus cum comprincipiis & cum poſſibilitate effectus. ſed vt connexus dicit in obliquo extrema à ſe diſtincta: ergo vt partialis abſoluta virtus dicit in obliquo extrema à ſe diſtincta: ergo virtus partialis, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, dicit in obliquo aliquid diſtinctum ab ipſo intellectu ergo eodem modo completur per aliquid diſtinctum ab intellectu incluſum in obliquo virtus partialis, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, & virtus, quam dicit idem intellectus ad cognitionem ſupernaturalem. Vnum iuxta principia Ripaldæ inferrem ego, videlicet virtutem partialem ad viſionem ſupernaturalem compleri per aliquid diſtinctum ab intellectu, cum quo intellectus habet connexionem, & ita ex parte intellectus non repugnare non compleri in ratione virtutis partialis per illud extrinſecum; virtutem tamen partialem intellectus ad cognitionem naturalem compleri per aliquid diſtinctum ab intellectu, cum quo intellectus eſſentialem connexionem habet, & ita repugnare ex parte intellectus ipſum non compleri in ratione virtutis partialis, licèt per aliquid diſtinctum compleatur, ſicuti dicam ergo de veritate formali cognitionis, quam habet Deus de obiecto creato, quæ formaliter dicit aliquid inadæquatè diſtinctum à cognitione creata, licet præciſè ratione cognitionis implicet, illa exiſtente, non coniungi cum illo extrinſeco, per quod complenda eſt formalis virtus cognitionis.

Vrgeo: aliud eſt formaliter connexio formalis huius extremi ad illud, aliud formalis coexiſtentia vtriuſque: 7
connexio huius extremi ad illud, formaliter tantùm dicit entitatem huius extremi neque aliud connotat tanquam formale conſtitutiuum connexionis, ſed tanquam terminum quem reſpicit connexio adæquata cum hoc extremo adæquatè diſtincta à termino; verbi gratia connexio, quam habet virtus productiua caloris ignis identificata cum calore poſſibili iuxta communem ſententiam dicit tantùm entitatem ignis adæquatè diſtinctam ab omni alio, quia entitas ignis quocumque alio ſecluſo talis eſt vt præciſè ex ſuis prædicatis intrinſecis exiſtere non poſſit ſine poſſibilitate caloris, quod eſt formaliter ignem eſſe connexum cum poſſibilitate caloris. Coëxiſtentia formalis vtriuſque extremi connexi formaliter dicit exiſtentiam huius extremi illi extrinſecam, & exiſtentiam illius extrinſecam huic. Et etiamſi formaliter velis præſcindere hoc extremum vt illi formaliter coëxiſtens ab illo, vt huic coëxiſtenti, quæ impræſcindibilia ſunt, adhuc quando meditaris hoc extremum illi formaliter coëxiſtens formaliter pertinet ad hanc coëxiſtentiam, alterius exiſtentia in obliquo importata; ſed nulla virtus partialis indiget præciſè connexione ipſius cum alio comprincipio ad producendum effectum, ſed coëxiſtentia: ergo ſi virtus ex ſe conditionatè potens per aliquid aliud conſtituenda eſt virtus partialis abſoluta, non eſt per connexionem quam ipſa dicat formaliter, ſed per coëxiſtentiam: ergo ſi aliquam formalitatem importat partialis abſoluta virtus præter illam, quam vocat Ripalda virtutem conditionatam, eſt coëxiſtentia, & connexio, ergo virtus abſoluta partialis ſi aliquid addit ſuprà illam, quam conditionatam vocat Ripalda, non eſt connexio, ſed coëxiſtentia ipſius cum aliis comprincipiis, & cum poſſibilitate effectus, ergo ſemper importat aliquid extraneum. Probo minorem, videlicet, nullam virtutem partialem indigere connexione cum aliis comprincipiis, neque cum poſſibilitate effectus ſed coëxiſtentia ad producendum effectum. Finge tibi, quod mihi verum eſt, potentiam viſiuam non habere connexionem cum ſpecie impreſſa, neque

Digitized by Google

neque cum poſſibilitate viſionis naturalis, & habere coexiſtentiam cum his extremis ſine aliqua connexione ex parte vnius cum alio: in hoc caſu potentia viſiua abſoluta ac omni connexione produceret tanquam cauſa partialis viſionem eſſentialiter dependentem à potentia & ab ſpecie impreſſa eodem modo, ac ſi comprincipia ipſius inter ſe eſſent connexa,& vtrumque cum poſſibilitate: ergo connexio comprincipiorum formaliter, nihil conducit ad productionem, ſed tantùm remote, ſeu cauſaliter, quatenus connexio infert coëxiſtentiam. Patet in intellectu inſtructo lumine gloriæ qui viſionem producit, etiamſi intellectus connexionem non habeat cum lumine gloriæ, neque cum poſſibilitate viſionis in opinione huius auctoris, quæ illi non accreſcit ex coëxiſtentia, non enim eo ipſo quod duo coëxiſtant ſunt connexa, quotieſcumque enim hoc extremum illi coëxiſtit eodem modo exiturum, ſi alterum non exiſteret, coëxiſtentiam habet cùm illo, non tamen connexionem: ergo ad hoc vt virtus partialis abſoluta ſit, nunquam indiget, connexione, ſed coëxiſtentia cum altero extremo, quæ ſemper dicit aliquid extrinſecum extremo coëxiſtenti. Quod ſi virtus abſoluta actiua deſideraret connexionem entitatiuam cauſæ cum effectu vt docet Ripald. *ſect. 9. num. 67.* nunquam intellectus, quantumvis inſtructus lumine gloriæ eſſet cauſa abſoluta viſionis intuitiuæ Dei, quia nunquam habet connexionem cum illa, cum ita illi coëxiſtat, vt viſione non exiſtente & repugnante, exiſteret eodem modo. Dices: intellectum vt inſtructum lumine gloriæ habere hanc connexionem, ſed hoc eſt dicere, lumen gloriæ illam habere, & non intellectum, ſed adhuc efficacius arguo. Demus intellectum adiutum ſpeciali concurſu Dei abſque lumine gloriæ viſionem producere; tunc intellectus neque ratione ſui, neque ratione omnipotentiæ connexionem haberet cum effectu,neque cum poſſibilitate illius: ergo non deſideratur ad virtutem abſolutam connexio entitatiua inter cauſam & poſſibilitatem effectus,ſed tantùm coëxiſtentia. Patet hoc omnibus effectibus qui tantùm dependent à Deo, qui nullam connexionem habet cum poſſibilitate illorum.

8 Vltimò,id quod indiget virtus partialis naturalis ad effectum producendum,non eſt poſſibilitas tantùm aliùs comprincipij, non enim voluntas poteſt amare proximè,& formaliter ex eo quod ſit poſſibilis cognitio repræſentãs obiectum, neque potentia viſiua poteſt videre, quia poſſibilis eſt ſpecies impreſſa,ſed quia actu illam habet: ergo ſi potentia viſiua formaliter vt cauſa partialis viſionis diceret connexionem cum alio comprincipio videlicet cum ſpecie, non haberet hanc connexionem cum ſpecie, vt poſſibili,ſed vt exiſtenti,ſed hanc non habet, cùm naturaliter ſit potentia viſiua ſine hac & illa ſpecie eſſentialiter requiſitis ad certas viſiones,vel ſaltem ad actiones productiuas illarum, ſi producuntur per actiones interiectas:ergo nullam connexionem dicit formaliter ex conceptu abſolutæ partialis potentiæ creatæ.

9 Diſplicet etiam in hac ſententia poſſibilitatem effectus pertinere formaliter vt connotatum ad rationem potentiæ abſolutæ partialis,& totalis. Quod ſic impugno: conceptus virtutis, ſeu potentiæ abſolutæ, eſt conceptus illius, à quo actio exiſtens fluit, atque dependet: ſed actio exiſtens nunquam fluit, atque dependet à poſſibilitate ipſius neque ſumpta in recto,neque in obliquo:ergo poſſibilitas potentiæ nullo modo ſpectat ad conceptum quidditatiuum potentiæ.Dices ex hoc inferri non ſpectare in recto, ſed ſpectare in obliquo. Explicemus terminos, & non demus verba:illa poſſibilitas effectu in obliquo,vel eſt formaliter conſtitutiua potentiæ, ita vt quidquid intelligatur adæquatè diſtinctum ab illa etiamſi cum ordine ad ipſum non habeat totam rationem conſtitutiuam potentis influere per modum cauſæ totalis, neque partialis abſolutæ,vel tantùm eſt terminus ſine ordine ad quem non poteſt intelligi conceptus cauſæ partialis, aut totalis. Hoc non dices, ne totam ſententiam retractes: primum dici non poteſt, quia actio eſſentialiter dependet ab adæquata ratione conſtitutiua potentiæ, quia potentia tantùm dicit formaliter id, à quo per ſe dependet actio: ſed actio non poteſt procedere à ſua poſſibilitate phyſicè, ſed tantùm obiectiuè, modo explicato Controu. 7. puncto 2.num.10. ergo poſſibilitas actionis nullo modo poteſt pertinere ad rationem conſtitutiuam principij abſoluti productiui. Vide quæ ibi dixi contra hunc dicendi modum, vbi probaui poſſibilitatem actionis,ſeu effectus non pertinere ad actum primum, & explicui quomodo etiamſi implicante actione effectus non poſſit produci, actionis non repugnantia non ſpectet ad conceptus actus primi potentis producere effectum. Hæc omnia in potentia receptiua clariùs patent, quis enim dicit poſſibilitatem formæ tenere ſe ex parte conceptus quidditatiui principij paſſiui abſolutè potentis recipere formam? Non vacat latiùs hæc expendere, quæ ex traditis principiis non difficilè latiùs quiſque impugnabit.

Ex eadem doctrina impugnandum eſt id, quod aſſerit de omnipotentia intrinſecè abſoluta à poſſibilitate effectuum, videlicet, non eſſe intrinſecè per ſuam entitatem virtutem productiuam illorum, ſed tantùm conditionatam, quæ ſit abſoluta oppoſita poſſibilitate effectuum, quod falſum eſt. Quia id, quod eſt tantùm conditionatum & non abſolutum, non eſt, ſed eſſet: ſi autem Deus intrinſecè non eſt abſolutè potens, ſimpliciter non eſt intrinſecè potens. Secundò quia purificatio conditionis vel expectanda eſt vt conditio omnino extrinſeca ad potentiam abſolutam ſicuti expectatur conditio in hoc conditionato, ſi petieris dabo, cuius conditionatus euentus adæquatè diſtinguitur à conditione, ita vt purificata conditione euentus iam abſolutè exiſtens formaliter non conſtituitur per conditionem, & ab illa dependet, vel expectatur vt conditio non extrinſeca, ſed intrinſeca, cuius purificatio eſt de ratione conſtitutiua euentus modo conditionati, purificata conditione futuri abſolutè; ſicuti in hac conditionali: ſi anima rationalis vnita fuerit materiæ, erit totum. Non primo modo, quia purificata conditione creaturarum poſſibilium nihil ponitur adæquatè diſtinctum ab hac conditione, ratione cuius omnipotentia, quæ antea non erat abſoluta formaliter abſoluta conſtituatur, quia purificatio conditionis extrinſecæ non conſtituit, neque inadæquatè formaliter abſolutum euentum, quia antea erat conditionatus. Quod ſi dicas aduenire Deo aliquid non realiter, ſed virtualiter diſtinctum, nolo tecum de hac virtuali diſtinctione contendere, ſed infero contra te, per hoc prædicatum conſtitui omnipotentiam abſolutam, & non formaliter per purificationem conditionis, ita poſſibilitatem creaturarum non pertinere ad conceptum omnipotentiæ. Si dicas poſſibilitatem eſſe conditionem intrinſecam conſtitutiuam omnipotentiæ, conſtituis Deum omnipotentem formaliter per poſſibilitatem effectuum, & illius virtutem actiuam fingis: partim creatam, partim increatam: increatam dicit entitatem Dei, creatam quatenus dicit poſſibilitatem effectuum; partim exiſtentem; partim non exiſtentem: non exiſtentem quatenus dicit poſſibilitatem creaturarum, quæ ſimpliciter non exiſtit, ſed tantum obiectiuè quovſque de facto ſit exiſtens. Conſtituis inſuper omnipotentiam totum quoddam per accidens dicens formaliter, & intrinſecè entitates diſtinctas non vnitas, neque mutuò connexas, quia entitas Dei neque vnitur, neque connectitur cum poſſibilitate creaturarum.

Dices: Ex his duobus pertinentibus formaliter ad conceptum omnipotentiæ, vnum tantùm includi in obliquo: ſed hæc verba iam abegi num. 9. quidquid enim pertinet formaliter ad eſſentiam alicuius, ſi non pertinet vt quid extrinſecum, ſed formaliter vt quid conſtitutiuum, eſt de illius eſſentia, & verè dicitur eſſentia conſtat ex hoc obliquo & illo recto æquè eſſentialiter, in his enim quæ eſſentialia ſunt non eſt vnum eſſantialius alio. Nota nonnullos fœdè terminos contradictorios replicare, reſpondentes poſſibilitatem eſſe conſtitutiuum formale extrinſecum omnipotentiæ, conſtitutiuum enim eſſentiale, & extrinſecum manifeſtam inuoluunt implicationem; quidquid enim eſt conſtitutiuum alicuius eſt de eſſentia illius, & nihil rei magis intrinſecum, quàm propria eſſentia, cuius nihil poteſt eſſe intrinſecum. Deberent dicere, qui ita omnipotentiam Dei conſtituunt, poſſibilitatem creaturarum eſſe extrinſecam Deo, intrinſecam tamen omnipotentiæ, ſicuti priuatio præcedens actionem eductiuam, extrinſeca eſt eductioni, intrinſeca tamen mutationi, quæ formaliter dicit ipſam eductionem, & priuationem præcedentem. Quomodo omnipotentia in ratione virtutis productiuæ ſit abſoluta, & intrinſeca Deo.& eſſet eodem modo etiamſi omnes creaturæ repugnarent, & ita ſit de facto reſpectu illarum quæ

10 (margin, beside "Ex eadem doctrina") — see paragraph above
11 (margin, beside "Dices: Ex his duobus")

quæ repugnant dixi Controu. 7. punct. 2. citato, & latiùs dicam in Metaph. Punct. 4. Controu. 10. Omitto alia argumenta, quæ in hanc ſententiam adducit ipſe Ripal. ſect. 9. quorum ſolutiones expendere non vacat.

§. II.

Propria ſententia.

12 LOngum ſanè eſſet omnium ſententias impugnare, quapropter ad propriam accingor, inter quam explicandum obiter inſinuabo, quid alij etiam à quibus diſſentimus, ſentiant, quos doctè, & ſolidè impugnant noſtri. Lege ſi placet Soar. Vaſquez, Ripal. locis citatis, Ruiſium de voluntate Dei diſp. 1. num. 7. & diſp. 46. num. 15. & Alarcon tract. 1. de viſ. diſp. 2. cap. 11. & apud quos innumeros alios reperies.

13 Affirmo potentiam obedientialem eſſe intrinſecam entitatem, quæ poteſt eleuari ad effectum, ita vt in intellectu ratio potentiæ obedientialis, neque inadæquatè diſtinguatur ab ipſo intellectu, qui per ſuammet entitatem intrinſecam eſt virtus, ſeu potentia inadæquata ad viſionem intuitiuam Dei, talis tamen conditionis vt non poſſit reduci ad actum ex defectu aliûs comprincipij quo vſque illud coniungatur intellectui, quod cum ſupernaturale eſſe debeat non poteſt naturaliter coniungi, & ita neque virtus illa inadæquata intellectus poteſt naturaliter reduci ad actum: ita tenent vterque Societatis Magiſter, Vaſq. & Soar. locis citatis puncto 3. quos ſequuntur P. Didac. Ruiz. Arrub. Gran. Albert. vterque Hurtadus, Salmant. & Complut. aliique quàm plurimi doctores. Neque in hac re diſſentiunt P. Soar & P. Vaſquez, vt falſo nonnullus exiſtimauit, vterque enim concedet virtutem obedientialem eſſe intrinſecam rei, quæ illa gaudet, diſſentiunt tamen ex eo quod Soar. hanc virtutem obedientialem omnibus entitatibus impertitur, & ad omnes effectus accommodat, Vaſquez verò tantùm certis entitatibus ad certos effectus, & non alios producendos virtutem hanc largitur, quod benè notauit P. Alarc. ſuprà n. 42. & dubitauit nemo. Eadem tantùm eſt diſſenſio inter vtrumque Hurtadum, alióſque quàm plurimos, quorum aliqui ſententiam Soarij propugnant, alij opinionem Vaſquez amplectuntur, omnes tamen vno ore fatentur potentiam obedientialem eſſe intrinſecam, & identificatam cum entitatibus, in quibus reperitur. Concluſionem probo ex his quæ ſtatuebam punct. 7. Entitas quæ dicitur potentia obedientialis vt diſtincta ab omni alia, verbi gratia, intellectus vt diſtinctus à lumine gloriæ influit in viſionem intuitiuam Dei, & per ſuam entitatem tangit cauſalitatem, ſiue diſtinctam, ſiue identificatam, per quam producitur viſio: ergo per ſuam entitatem vt diſtinctam à lumine gloriæ habet potentiam non quæ poſſit reduci ad actum naturaliter: ergo non naturalem: ego obedientialem. Confirmatur: æquè eſſentialiter dependet viſio intuitiua Dei à meo intellectu tanquam à principio effectiuo, quo non influente fieri repugnat: & qualibet alia naturalis cognitio: ergo viſio intuitiua Dei dependet tanquam à principio effectiuo ab intellectu, non tanquam à principio adæquato, & naturali: ergo tanquam à principio inadæquato & obedientiali: ergo intellectus eſt principium inadæquatum, & obedientiale viſionis. Dices eſſe principium inadæquatum, non tamen per ſuam entitatem. Contrà: nihil ſuperadditum dat intellectui actiuitas extrinſeca, quam ipſe non habeat, ſed adiuuat vt faciat id quod non poſſet facere; quia tantùm habebat actiuitatem intrinſecam obedientialem: ſed intellectus etiamſi producat viſionem ſupernaturalem Dei adiutus lumine gloriæ illam producit per propriam actiuitatem: ergo per propriam actiuitatem, quam habet à ſe non ab alio, quia antequam illi adiungatur lumen gloriæ vt adiuuet intellectum ad viſionem, debet ſupponi intellectus cum actiuitate inchoata, & inadæquata ad videndum, aliàs æquè poſſet lumen gloriæ adiuuare lapidem & intellectum ad producendam viſionem, & ad videndum Deum.

14 Dico ſecundò. Potentia obedientialis ſemper indiget, vt reducatur ad actum concurſu indebito, aliàs eſſet naturalis, & potentia, quæ ſimpliciter eſt obedientialis reſpectu ſubſtantiæ effectus, ſemper connotat aliud comprinpium indebitum, quod neceſſariò debet eſſe principium ſupernaturale, ſi effectus producendus ſit ſupernaturalis, & potentia obedientialis. Hoc ſibi volunt multi, qui dicunt potentiam obedientialem rei naturalis ad producendum effectum ſupernaturalem dicere intellectum connotantem lumen gloriæ, aliudve principium ſupernatrrale. Ratio eſt: omnis potentia inadæquata connotat aliud comprincipium, quo indiget ad effectum producendum, non tanquam ſibi debitum, ſed tanquam aliquid ſine quo effectum ad quem non habet virtutem adæquatam producere non poterit: ſed omnis potentia obedientialis ad ſubſtantiam effectus, præcipuè naturalis ad effectum ſupernaturalem non poteſt efficere effectum ſine alio comprincipio indebito: ergo illud connotat non tanquam debitum, ſed tanquam aliquid, ſine quo non poteſt producere effectum. Duo ergo connotat obedientialis potentia, effectum indebitum, commune enim eſt omnipotentiæ connotare effectum, & proprium potentiæ obedientialis, hunc effectum ab illa connotatum illi eſſe indebitum, connotat etiam comprincipium ſimiliter illi indebitum, ſi ſit potentia obedientialis ad ſubſtantiam effectus, quia de ratione talis potentiæ eſt eſſe principium inadæquatum, & omne principium inadæquatum connotat aliud comprincipium inadæquatum, per quod compleatur. Quod ſi principium inadæquatum obedientiale ſit, neceſſariò alterum comprincipium connoratum erit indebitum, in hoc enim differt potentia obedientialis à naturali, quod huic debetur alterum comprincipium, & non illi. Quod ſi potentia tantùm ſit obedientialis reſpectu modi, quo effectus producitur, non connotat alterum comprincipium indebitum, ſed concurſum generalem ſecundum ſubſtantiam datum cum non debetur, per eandem enim actionem ignis aget ſupernaturaliter in diſtans, qua ageret naturaliter in idem paſſum propinquum. Neque ratione harum connotationum addit potentia obedientialis ſuprà entitatem aliquid diſtinctum formaliter pertinens ad conſtitutiuum potentiæ obedientialis, quia in intellectu, qui eſt principium partiale intellectionis naturalis, & ſupernaturalis non diſtinguitur realiter connotatio ad effectum, & ad alterum comprincipium, quia termini connotati non pertinent ad conſtitutiuum intellectus illos connotantis, ſed tantùm ab illo reſpiciútur vnus tanquam effectus, & alter tanquam comprincipium, quod cum altero conſtituit vnum principium adæquatum, ſicut de conceptu partis eſt ordo, ſeu reſpectus ad alteram compartem, non tamen vna pars pertinet ad rationem formalem conſtitutiuam alterius & de conceptu cauſæ eſt ordo ad effectum, non tamen effectus eſt ratio conſtitutiua cauſæ, neque refert extrema non eſſe connexa vt hinc ordinem habeant, quia in omnium opinione etiamſi lumen gloriæ indebitum ſit intellectui, habet hic innatam virtutem ad videndum adiutus lumine gloriæ, quam non habet lapis, ac proinde maiorem aliquem ordinem. habet intellectus ad lumen gloriæ, & ad viſionem beatam, quàm lapis.

15 Dico tertiò, Potentia obedientialis ad ſubſtantiam effectus eleuatur per alterum comprincipium, quod illi adiungitur ad effectum producendum, ſiue ſit creatum, & illi intrinſecè inhærens, ſicuti lumen gloriæ intellectui, quod illum conſtituit potens ſimpliciter adæquatè, & proximè videre Deum, ſiue ſpecialis modus, quo applicatur per decretum Dei ad concurrendum ſpeciali concurſu cum potentia obedientiali, non ſolùm per modum cauſæ primæ, ſed quaſi ſpeciale comprincipium effectus, qua ratione eleuatur voluntas, quando abſque vllo habitu Deo ſupplente vices huius producit actus ſupernaturales, eademque ratione eleuaretur aqua ad producendum gratiam, ſi de facto ad hunc effectum eleuaretur. Neque huic concluſioni quatenus aſſerit intellectum eleuari per lumen gloriæ, quod eſt qualitas illi ſuperaddita refragatur Vaſquez 1. & 3. p. & Soar. 3. locis citatis, vt putauit doctus quidam: nunquam enim negant hi Doctores, potentiam obedientialem poſſe eleuari per qualitatem ſuperadditam, ſed aſſerunt potentiam obedientialem non conſiſtere in qualitate ſuperaddita, & hanc eſſe horum Doctorum mentem eſt luce clarius, millies vtrumque legi de hac re in locis citatis, & vbicumque de hac materia diſputant, & nihil clarius apud hos Doctores, in quibus nihil non clariſſimum reperio. Totus enim eſt Vaſq. vt probet non poſſe entitatem aliàs in ſe non habentem virtutem, conſtitui potentem per qualitatem ſuperadditam, numquam tamen negat, rem habentem virtutem obedientialem intrinſecam ſecum identificatam, poſſe eleuari per qualitatem ſuperadditam, imò inter Scholaſticos nihil

Digitized by Google

nihil communius eſt, quàm intellectum eleuari per lumen gloriæ ad videndum. Itaque pro hac concluſione refero plures, quos citat Ripalda diſp.41. ſect.3. cui etiam fauent quatenus aſſerunt potentiam poſſe eleuari per ſpecialem modum, quo applicatur omnipotentia ad concurrendum cum potentia obedientiali ſpeciali concurſu diſtincto, quoad ſubſtantiam à concurſu cauſæ primæ, plerique ex Doctoribus quos refert Ripald. expreſsè P. Vaſquez 1.p. tom.1. diſp.46. cap.2. P. Soar. lib. 2. de attributis negatiuis cap.16. num. 5. P. Mol. 1. p. q.12, art.5. diſp. 1. §. *contraria tamen ſententia*. Valent. ibid. punct. 3. §. *nec tamen negandum eſt*. P. Arrub. 1. p. tom.1. diſp. 20. cap.5. Salas 1. 2. tom. 1. quæſt. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 4. Her. tract. 4. diſp. 67. cap. 2. Vbi hi Doctores ſupponunt primam partem concluſionis, videlicet intellectum eleuari lumine gloriæ, & inquirunt an poſſit eleuari auxilio extrinſeco Dei, videlicet omnipotentia concurrente loco hominis, aliúſve habitus ſupernaturalis ad quemlibet actum ſupernaturalem. In hanc ſententiam interpretor eminentiſſimum, & venerabiliſſimum noſtrum Card. Bellarm. tom. 2. lib. 2. de effectibus Sacramentorum cap. 11. §. *tertio igitur*, & P. Val. tom.4. diſp. 3. puncto 1. §. *eſt igitur*, §. *vereor igitur*, & puncto 2. §. *hac ſententia*, aſſerentes potentias obedientiales eleuari per modum quemdam, quem Deus imprimit creaturæ, quæ per potentiam obedientialem concurrit, qui modus in horum Doctorum ſententia intelligendus de auxilio extrinſeco, ſeu decreto ſpeciali Dei, quo Deus decernit concurrere cum creaturis, Verbi gratia: cùm aqua in ſacramento Baptiſmi ad producendam gratiam, quia per illud decretum determinat aquam ad efficientiam gratiæ, ad quam ipſa non valebat ſe determinare, cauſa verò quæ aliam determinat determinatam mouere dicitur. Sunt alij Thomiſtæ aſſerentes potentiam obedientialem eleuari per motionem quamdam virtuoſam, de qua plura dicunt, quæ non poſſunt intelligi de hoc ſpeciali decreto concurrendi, neque paucis explicari, illos non parcè, & ſatis ſolidè impugnant noſtri, præcipuè Soar. Valentia, Alarc. & Ripald. locis citatis.

16 Concluſionem probo: eleuare potentiam nihil aliud eſt, quàm conſtituere potentiam proximè in actu primo potentem elicere actus ſupernaturales, aliósve effectus, quos potentia ex ſe non poterat efficere ex defectu virtutis adæquatæ ad illos efficiendos: ergo per illud eleuatur virtus obedientialis, per quod conſtituitur in ordine ad effectus, reſpectu quorum obedientialis potentia dicitur eodem modo diſpoſita, ac eſt ad alios effectus, quos naturaliter producit, ſed per lumen gloriæ eodem modo eſt intellectus in ordine ad viſionem intuitiuam Dei, ac mea potentia viſiua, per ſpeciem coloris ad colorem videndum: ergo per lumen gloriæ eleuatur, quia poſito lumine gloriæ in intellectu, debitus eſt concurſus ad viſionem Dei eodem modo ac eſt debitus concurſus ad viſionem albi poſita ſpecie albedinis in potentia viſiua: ergo per illud lumen gloriæ eleuatur intellectus ad viſionem ſupernaturalem. Similiter quando Deus ſupplet vices luminis gloriæ, id præſtat omnipotentia applicata per decretum, quo Deus vult concurrere loco luminis: ergo ſi lumen eleuabit potentiam ad viſionem, quando Deus ſpecialiter concurrit loco illius, omnipotentia per illud decretum applicata potentiam eleuabit. Idem dico de aqua, qua Deus concurreret ad producendam gratiam in Sacramento Baptiſmi, ſi aqua phyſicè gratiam produceret, quæ eleuaretur per decretum, quo Deus applicaret omnipotentiam ad talem concurſum, vel omnipotentiam applicatam ex vi illius decreti ad concurrendum ſimul cum aqua. Confirmatur eadem concluſio. Intellectus potentia obedientialis dicitur ad viſionem (idem dico de qualibet entitate ſimilem potentiam habente ad quemcumque effectum) quia poteſt eleuari ad viſionem, ad quam non habet virtutem adæquatè proportionatam, neque potentiam adæquatè proportionari per aliud comprincipium illi naturaliter coniunctum: ergo eleuatio potentiæ obedientialis debet diſtingui ab ipſa potentia obedientiali, aliàs potentia obedientialis per ſe ipſam eſſet eleuata ad effectum, & intellectus per ſe ipſum diceretur eleuatus ad viſionem beatam, quod eſt hæreticum, ſed hæc eleuatio non poteſt conſiſtere in ipſo effectu, quia antequàm ſit effectus, & actio, ex vi cuius producitur, debet ſupponi eleuatio, quia potentia eleuatur vt producat effectum, ad quem ipſa eſt improportionata, & vt conſtituatur proportionata ad illam, & antequam ſit productio debet ſupponi potentia ex parte actus primi proportionata ad illam: ergo eleuatio debet ſe tenere ex parte actus primi: aliàs debet eſſe indebita, & diſtincta à potentia obedientiali: ergo debet conſiſtere in illo quod ſe tenet ex parte actus primi diſtinctum à potentia obedientiali, & illi indebitum: ergo reſpectu intellectus videntis Deum eſt lumen gloriæ, quia reſpectu viſionis Dei lumen gloriæ eſt quod ſe tenet ex parte actus primi, vt indebitum intellectui & diſtinctum ab illo: ergo quando intellectus viſionem producit ſupplente Deo vices luminis eleuantis eodem modo, quo illas ſupplet, eleuat intellectum. Dico omnipotentiam eleuare intellectum, vel aliam potentiam, quando ſupplet vices habitus iuxta ſententiam aſſerentem, poſſe potentias naturales actus ſupernaturales elicere ex vi huius extrinſeci auxilij, de cuius veritate non curo. Tantùm enim aſſero ſuppoſita hac opinione, omnipotentiam eſſe principium formaliter eleuans potentiam: quod ſi hæc opinio falſa eſſet, & non poſſit intellectus ſine lumine gloriæ Deum videre ſemper lumen gloriæ eleuabit potentiam ad viſionem. Idem dico de quocumque alio habitu ſupernaturali reſpectu ſuorum habituum.

Vnum in hac re nota, nunquam eſſe potentiam adæquatè eleuatam, etiamſi habeat aliquod comprincipium indebitum quouſque habeat omnia illa requiſita ad actum, quibus poſitis reliqua omnia naturaliter illi poſſent coniungi. Rem explico: indiget potentia obedientialis, quam habet voluntas ad amandum Deum amore ſupernaturali, habitu charitatis, & cogitatione ſupernaturali, etiamſi habeat habitum charitatis non eſt adæquatè eleuata, ſi non habeat cogitationem ſupernaturalem inclinantem ad amorem Dei, quia adhuc deficit voluntati ad illum amorem eliciendum quoddam comprincipium, ſine quo non poteſt amare Deum, quod non poteſt naturaliter acquirere, neque illi debitum eſt. Si tamen voluntas habeat habitum ſupernaturalem, & cogitationem ſupernaturalem ad actum, etiamſi non intelligatur omnipotentia applicata ad præſtandum concurſum generalem cauſæ primæ, potentia intelligitur adæquatè eleuata, quia hic concurſus generalis cauſæ primæ debetur potentiæ volitiuæ pro ſua libertate ſuppoſito habitu, & cogitatione ſupernaturali inclinante ad actum. Si dicas etiam ſuppoſito habitu deberi voluntati ſaltem aliquam cogitationem ſufficientem ex vi habitus ad actum ſupernaturalem, ad quem datur habitus, ac proinde ſuppoſito tantùm habitu voluntatem eſſe ſufficienter eleuatam ad actum, quia reliqua ad illum requiſita naturaliter habitum ſupernaturalem comitantur. Reſpondeo non eſſe huius loci antecedens examinare, quod ſi verum eſſet, rectè procedit illatio facta, id enim tantùm ego affirmo, potentiam non eſſe eleuatam adæquatè quouſque habeat omnia requiſita ad effectum, quibus poſitis, reliqua, quæ ad illum efficiendum deficiunt naturali ſequela coniungantur. 17

Dico quintò & vltimò, potentiam obedientialem quoad modum tantùm effectus; verbi gratia, ignem reſpectu caloris producti in paſſo diſtanti, quem poſſet producere in eodem ſubiecto approximato, eleuari per decretum, quo Deus vult præſtare concurſum illum ſuppoſita diſtantia paſſi non debitum, ſed per omnipotentiam applicatam ex vi talis decreti, quod eſt idem. Idem dico de eleuatione, qua poteſt eleuari ignis ad producendam formam ignis in materia habente diſpoſitiones ad formam ligni, & non ad formam ignis, ſeu in materia, in qua Deus decreuerat conſeruare formam præexiſtentem. In quibus caſibus, id tantùm eſſet ſupernaturale, ad quod idem concurſus, qui cum aliis circunſtantiis debitus eſſe poſſit, cum his ſit indebitus. Hæc concluſio eodem modo probanda eſt ac præcedens, quia ex vi talis decreti applicantis omnipotentiam, ſeu ex vi omnipotentiæ applicatæ per tale decretum, eſt ignis in actu primo ad producendum effectum, quem cum illis circunſtantiis non poſſet naturaliter producere: ergo ex vi omnipotentiæ ſic applicatæ eleuatur ſupra proprias vires ad producendum effectum cum his circumſtantiis, quibus naturaliter illum producere non poſſet. 18

Ex hoc infero potentiam vt eleuatam dicere in recto potentiam obedientialem, & in obliquo habitum ſupernaturalem, vel aliud comprincipium indebitum, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum, ſicuti omnipotentiam applicatam modo ſupradicto ad effectum producendum. Verbi gratia: intellectus vt eleuatus ad viſionem dicit intellectum vt habentem lumen gloriæ, qui ſic acceptus non eſt idem 19

Digitized by Google

ac intellectus, & lumen gloriæ, quia intellectus habens lumen gloriæ tantùm dicit in recto intellectum, & intellectus, & lumen gloriæ dicit vtrumque in recto, ratione cuius diſtinctionis diuerſa poſſunt prædicari de illis, hæc eſt enim vera prædicatio: *Intellectus habens lumen gloriæ eſt cauſa partialis viſionis.* Et hæc eſt falſa: *Intellectus, & lumen gloriæ ſunt cauſa partialis viſionis.* Similiter hæc eſt vera prædicatio: *Intellectus, & lumen gloriæ ſunt principium adæquatum viſionis.* (loquor de principio adæquato creato) & hæc eſt falſa: *Intellectus habens lumen gloriæ eſt principium adæquatum viſionis.* De his dixi Controuerſ. 5. puncto 1. num. 6. Vbi dixi totum non diſtingui à partibus, & vnione ſimul ſumptis, diſtingui autem à partibus virtutis ſimul ſumptis, aliud enim eſt partes & vnio, aliud partes vnitæ. Secundum hanc doctrinam facilè intelliges quomodo potentia obedientialis vt eleuata, verbi gratia, intellectus vt eleuatus per lumen gloriæ, non ſit principium adæquatum viſionis, etiamſi intellectus, & lumen gloriæ ſint principium adæquatum illius. Vide dicta de his ſignificatis in recto, & in obliquo Controu. 5. Punct. 4. citato.

PVNCTVM IX.

Vnde agnoſcenda ſit cauſa adæquatè ſufficiens?

1 HVic quæſtioni occaſionem dedit P. Vaſquez 1. part. tom. 1. diſput. 4. cap. 2. & 4. vbi negat præter lumen gloriæ requiri in intellectu beati aliud comprincipium ad viſionem intuitiuam Dei, vel concurſum alium præter generalem omnium cauſarum, ex eo quod viſioni correſpondent ex parte luminis gloriæ, & intellectus omnia prædicata quæ ſunt in ipſa, viſio enim habet vitalitatem, quæ intellectui tribuitur, habet ſupernaturalitatem, & eſſe circa tale obiectum, quæ correſpondent lumini gloriæ. Doctrinam hanc infert Vaſquez ex principio valde ſibi familiari, videlicet cauſam adæquatam eſſe illam, cui correſpondent omnia prædicata, quæ ſunt in effectu. Ne putes correſpondentiam hanc inter prædicata effectus, & cauſæ ita eſſe intelligendam, vt hoc prædicatum dependeat realiter ab hac cauſa, & non ab alia, & illud ab illa, & non ab hac, aduertere oportet noſtrum Vaſquez, non aſſeruiſſe vitalitatem actus dependere ab intellectu, & non à lumine, & ſupernaturalitatem à lumine, & non ab intellectu, quia vitalitas, & ſupernaturalitas ſunt in viſione omnino idem, & implicat vnum ex his prædicatis dependere ab aliquo principio, à quo phyſicè, & realiter alterum non dependeat. Quia tamen nihil vitale poteſt produci, niſi principium ſaltem inadæquatum ſit vitale; neque ſupernaturale, quin principium actiuum ſaltem partiale ſit etiam ſupernaturlae, ideo ſupernaturalitas effectus tribuitur principio partiali, quod eſt ſupernaturale, & vitalitas alij comprincipio, in quo ratio vitalis reperitur, licet effectus ſecundùm ſe totum à qualibet cauſa partiali inadæquatè, & ab omnibus adæquatè phyſicè eodem modo dependeat. Ex quo infertur hanc attributionem formaliter eſſe per rationem cum fundamento tamen in aliquo reali, videlicet non poſſe produci quid ſupernaturale à principio adæquato iure naturali, neque quid vitale à principio adæquato non vitali.

2 Doctrinam hanc approbat, & explicat Hurtad. diſput. 9. ſect. 5. quam multi ita firmiter amplectuntur vt virtutem actiuam pluribus entitatibus reſpectu aliarum negent ex eo præciſè, quod nullum prædicatum agnoſcant in effectu, quod illis correſpondeat. Exiſtimo tamen non ita vniuerſaliter eſſe admittendam, ſunt enim plures effectus quorum cauſas non poſſumus hac prædicatorum correſpondentia metiri, quòd facilè oſtendo. In cauſis vniuocis mater habet omnia prædicata, quæ habet filius, & nulla poteſt formalitas aſſignari in prole, quæ non reluceat in matre, & tamen iuxta communem ſententiam, mater eſt cauſa inadæquata filij: ergo non eſt bona conſequentia, omnia prædicata, quæ ſunt in effectu relucent in hac cauſa illius: ergo hæc eſt cauſa adæquata. Dices hoc prouenire ex modo ſpeciali, in quo producuntur animalia per tranſmiſſionem ſeminis, quæ niſi inter marem, & fœminam eſſe non poteſt. Bene eſt: modus, quo producuntur animalia ſufficiens eſt, vt cauſa, cui correſpondent omnia prædicata, quæ ſunt in effectu non ſit adæquata: ergo non rectè infertur in animalibus, huic cauſæ correſpondent omnia prædicata, quæ ſunt in effectu: ergo eſt cauſa adæquata. Deinde ſicut ratione huiuſmodi, quo animalia producuntur, deficit conſequutio prædicta in hac materia, ſic ratione aliûs ſpecialis modi, quo alia entitas producatur, vel ratione aliûs intrinſeci prædicati, quod habet effectus, poterit in alia materia deficere. Dices hanc correſpondentiam non futuram formaliter, ſed eminenter. Sed hanc ſolutionem efficaciter ſtatim reiiciam.

3 Accedo ad cauſas æquiuocas, in quibus correſpondentia formalis non reperitur, quia effectus eſt diuerſæ rationis à cauſa & prædicatum ſpecificum illius in cauſa non reperitur. Prædicata effectus eminenter correſpondere cauſæ æquiuocæ, nihil aliud eſt, quàm eminenter contineri effectum in cauſa, & contineri effectum in cauſa, nihil aliud importat, quàm cauſam habere virtutem ad effectum producendum: ergo idem eſt formaliter prædicata effectus correſpondere cauſæ, & cauſam eminenter continere effectum, & cauſam poſſe producere effectum: & ſi velis hæc mente præſcindere, notius omnibus erit cauſam poſſe effectum producere, quia debent à poſteriori cognoſci ex productione, & hæc quòd primò, & clarius infert, eſt potentia ad ipſam, hæc enim conſequentia: effectus producitur à cauſa: ergo poteſt illum producere, neque ruſticum latet; hæc autem, effectus producitur à cauſa: ergo cauſa effectum continet eminenter, ad terminorum apprehenſionem peritiorem hominem deſiderat, etſi his apprehenſis, æquè clara ſit, ac præcedens: ergo non rectè explicatur ratio cauſæ adæquatæ per correſpondentiam eminentialem adæquatam cauſæ ad effectum, cum non explicetur ignotum per magis notum, ſed per æquè ignotum, vel ignotius. Vt rem explicem, inquiro; an Sol ſit cauſa adæquata auri? Si affirmes, ex eo quod illi correſpondeant omnia prædicata, inquiram, ex quo capite tibi notum ſit correſpondere omnia prædicata? Si neges eo quod illi omnia prædicata auri non correſpondeant, rogabo, vnde noueris non correſpondere omnia prædicata auri Soli? nullum tibi ſupererit fundamentum ad affirmandam, vel negandam hanc eminentialem correſpondentiam, ex quo non poſſes cauſalitatem adæquatam, vel inadæquatam Soli concedere reſpectu auri hac excluſa prædicatorum correſpondentia.

4 Reſpondere poſſes ex doctrina Hurtadi §. 53. tunc effectum non contineri adæquatè in cauſa æquiuoca, etſi illo perfectiori, quando in effectu continetur ratio aliqua, vel cauſa indiget alio comprincipio determinatiuo, ratione cuius cauſa perfectior effectu non poteſt adæquatè illum producere; tunc verò cauſam æquiuocam continere effectum adæquatè, quando eſt perfectior illo, & ipſa nullo indiget determinatiuo, neque effectus ex modo, quo producitur indiget dependere ab alio. Hac ratione explicatur quomodo intellectus neque anima, ſiue ab intellectu diſtincta, ſiue identificata cum illo non ſit cauſa adæquata viſionis Dei, neque cuiuſuis cognitionis creatæ etiamſi illa perfectior ſit, quia ad producendam quamcumque cognitionem indiget anima determinatiuo alio comprincipio, & ad producendam viſionem intuitiuam Dei indiget hoc determinatiuo, & inſuper viſio indiget alio comprincipio ſupernaturali, ratione cuius non poteſt adæquatè produci ab anima naturali ſecundùm ſuam ſubſtantiam. Eadem ratione explicatur, quomodo intellectus inſtructus lumine gloriæ, non indigeat alio comprincipio ad producendam viſionem, quia neque ex parte effectus eſt aliquod prædicatum, ratione cuius petat ab alio comprincipio dependere, neque intellectus inſtructus lumine gloriæ alio indiget determinatiuo, principium enim conſtitutum ex intellectu, & lumine, phyſicè perfectius eſt viſione, ex quo infertur illi correſpondere omnia prædicata viſionis, & eſſe principium adæquatum illius. Totam doctrinam admitto, ſed adhuc mihi difficultas. Vnde ſcire poterimus, hoc principium indigere alio determinatiuo, & illud non indigere? hunc effectum habere ſpeciale prædicatum, ratione cuius petat pendere ab alio principio, & non poſſit adæquatè dependere ab hoc, quod perfectius eſt effectu producendo? Ratio aliqua aſſignanda eſt ad hæc cognoſcenda, ex qua dicam ego cognoſci cauſam adæquatam, vel inadæquatam effectus.

Rem

Digitized by Google

5 Rem ego ſic compono: Prædicata ſubſtantiæ ſpiritualis, ſupernaturalis,& vitalis reperta ex parte effectus exigunt correſpondentiam formalem ex parte cauſæ, ſiue cauſa ſecundùm alia prædicata ſit vniuoca, vel æquiuoca, ita vt nunquam poſſit ſubſtantia produci adæquatè ab accidenti, neque entitas ſpiritualis à principio adæquatè materiali, in quo non includatur aliquod principium inadæquatum ſpirituale, neque ſupernaturalis effectus à principio adæquatè naturali poſſit dependere, aut vitalis actio à principio adæquato non vitali. Ex quo fit reſpectu effectuum, in quibus aliquod prædicatum ex his reperitur, rectè inferri non eſſe principium adæquatum illud, in quo ſimile prædicatum non relucet. Sic dicimus ſenſationem internam non eſſe principium adæquatum ſpeciei impreſſæ vel expreſſæ in intellectu productæ, quia ſenſatio eſt materialis, & ſpecies producenda ſpiritualis. Similiter dicimus intellectum non poſſe eſſe principium adæquatum viſionis intuitiuæ Dei, quia hæc eſt ſupernaturalis, & intellectus eſt potentia naturalis, eodem modo dicimus non poſſe habitum, aut ſpeciem impreſſam eſſe principium cognitionis, quia hæc eſt vita in actu ſecundo eſſentialiter dependens à vita in actu primo, & ſpecies impreſſa, ſeu habitus talis non eſt. Eadem ratione dicimus diſpoſitiones non eſſe cauſam adæquatam formæ ſubſtantialis, quia non poteſt hæc poduci à principio non ſubſtantiali. Forſan erunt alia prædicata, quæ hanc correſpondentiam formalem exigant inter cauſam, & effectum, ex his tamen, quæ de facto dantur nullum aliud mihi occurrit, quod hanc correſpondentiam deſideret, quia prædicatum materiale illam non expoſcit, motus enim materialis cœlorum producitur ab Angelo tanquam à principio adæquato, & entitas accidentalis adæquatè producitur à ſubſtantia, & effectus naturalis rectè poteſt à cauſa ſupernaturali procedere. De aliis prædicatis minus vniuerſalibus certum eſt hanc correſpondentiam non deſiderari, vt patet in omnibus effectibus æquiuocis, aurum enim à non auro producitur,& vitalis operatio à principio, quod non eſt vitalis operatio,& ſic in aliis. Si dicas, cur hæc prædicata hanc correſpondentiam expoſcant de ſingulis ſpecialis eſt ratio propriis tradenda locis. Effectus ſupernaturalis non poteſt procedere à principio adæquato naturali, quia de ratione entis ſupernaturalis eſt non eſſe debitum, enti naturali, eſſet tamen illi debitum, ſi ab illo poſſet adæquatè produci. Ratio vitæ in actu ſecundo eſſentialiter dicit dependere à vita in actu primo, ex quo repugnat dependere à principio adæquato non vitali. Subſtantia perfectior eſt omni accidenti, & ita ab illo non poteſt adæquatè produci. Effectus ſpiritualis non poteſt à cauſa adæquata materiali ſecundùm ſe totam procedere propter maiorem perfectionem, & maximam improportionem, quæ eſt inter materiale, & ſpirituale.

6 Eſt etiam nobis aliud fixum principium in Philoſophia: omnem cauſam efficientem adæquatam debere eſſe ſaltem æquè perfectam cum effectu. Ex quo rectè inferimus: hæc entitas eſt imperfectior illa: ergo non poteſt principium adæquatum eſſe illius. Inſuper aliud etiam principium certum eſſe debet, videlicet non eſſe multiplicanda principia alicuius effectus ſine ſpeciali fundamento. Ex quibus omnibus has ego regulas deduco. Quotieſcumque eſt in effectu aliquod prædicatum ex ſuprà aſſignatis, videlicet ſubſtantiæ ſupernaturalis, ſpiritualis, vel vitalis, omne principium in quo ſimile prædicatum non correſpondet formaliter non poteſt eſſe principium adæquatum illius. Quotieſcumque effectus eſt perfectior hoc principio effectiuo, à quo dependet, tale principium eſt inadęquatum reſpectu effectus. Quotieſcumque hoc principium eſt perfectius effectu, & formaliter includit quodcumque ex quatuor prędicatis ſubſtantiæ ſupernaturalis, vitalis, ſpiritualis quod eſt in effectu,& non apparet certum aliquod fundamentum ad aſſignandum aliud principium neceſſariò requiſitum ad effectum, cenſendum eſt tale principium eſſe adæquatum, quia ex vna parte habet omnia illa, quæ ſcimus in omnibus entitatibus, requiri ad rationem principij adęquati, & ex alia non eſt fundamentum ad multiplicandum aliud principium pro hoc effectu, neque ſine neceſſitate multiplicandum eſt.

7 Ex his conſtat rectè intuliſſe noſtrum Vaſquez ex correſpondentia prædicatorum, quæ eſt inter intellectum, & lumen cum viſione intuitiua Dei, intellectum, & lumen conſtituere vnum principium adæquatum viſionis, quia ex vna parte habeat correſpondentiam, quam ſcimus requiri inter cauſam & effectum, & ex alia nullum apparet fundamentum ad alia principia multiplicanda pro viſione producenda. Ex quo fundamento negatiuo, & ex poſitiua correſpondentia, & perfectione principij intellectus, & luminis rectè infertur nullam aliam cauſam requiri ad producendum viſionem. Hæc omnia principia ſemper ex parte antecedentis ponenda ſunt, vt rectè inferatur adæquatio cauſæ iuxta doctrinam ſupra traditam.

Ex hoc infero ad cognoſcendum an intellectus ſit principium adæquatè productiuum cognitionis naturalis, examinandum eſſe, an ſit fundamentum aliquod ad conſtituendum aliud principium effectiuum requiſitum ad talem cognitionem: quod ſi appareat dicendum eſt intellectum eſſe principium inadæquatum, ſin minus tota virtus actiua reſpectu cognitionis naturalis danda eſt intellectui. Fundamentum, quod reperiri poteſt ad conſtituendum aliud comprincipium, eſt indifferentia, quam habet intellectus ad cognoſcendum hoc vel illud obiectum, ex quo infertur indigere alio determinatiuo ad producendam cognitionem circa tale obiectum. Dicet aliquis ſpecies ſeu phantaſmata poſſe hanc præbere determinationem ſine influxu actiuo, qui dicere tenebitur intellectum eſſe principium adæquatè effectiuum cognitionis naturalis. Dicet alius, hanc determinationem non poſſe exhiberi niſi per influxum actiuum principij determinantis: tenebitur hic dicere ſpecies determinantes intellectum vt verſetur circa tale obiectum actiuè concurrere ad cognitionem, & intellectum eſſe principium inadæquatum illius. 8

Ex hoc infero non rectè arguere aliquos: ſubſtantiæ productæ correſpondent omnia prædicata in ſubſtantia producenda: ergo accidentia non concurrunt effectiuè ad productionem ſubſtantiæ. Si enim loquantur de correſpondentia formali omnium prædicatorum, neque requiritur inter cauſam & effectum, neque arguit potentiam adæquatè productiuam. Si loquuntur de correſpondentia eminentiali petunt principium, & ignotum per ignotius explicant. Argumentum vt rectè procedat ita debet fieri. Ignis habet correſpondentiam formalem cum alio igne omnium prædicatorum, quorum correſpondentia formalis deſideratur inter potentiam, & cauſam, eſt æquè perfectus cum alio igne, nullum eſt fundamentum ad affirmandum requiri productionem accidentium procedere effectiuè à ſubſtantia: ergo accidentia effectiuè non concurrunt. Quod ſi quis exhibeat fundamentum quo mouetur ad dicendum accidentia effectiuè concurrere ad ſubſtantiam, illorum propugnatio, vel impugnatio rem dirimet. Similiter non rectè arguunt actui correſpondent omnia prædicata in potentia, & ſpeciebus: ergo habitus acquiſitus non dependet ab habitu. Qui enim voluerit defendere habitum acquiſitum concurrere effectiuè ad hunc actum facilè exercitum, dicet non poſſe hanc facilitatem prouenire, niſi ab aliquo principio diſtincto a potentia, & ſpeciebus: quod ſi defendat vel probet, rectè defendet, vel probabit habitum effectiuè concurrere ad actus. 9

Inſuper noto, illud fundamentum negatiuum dupliciter poſſe poni ex parte antecedentis. Primò ſi dicatur: nullum eſt fundamentum, ex quo conſtet requiri aliud comprincipium ad effectum, & tunc tantum licebit inferre: ergo principium, quod cognoſcimus perfectius effectu, & cùm correſpondentia formali requiſita poteſt eſſe principium adæquatum. Alio modo poteſt poni illud fundamentum negatiuum, ſi dicatur, nullum eſt fundamentum, ex quo conſtet poſſe aliud principium influere in effectum, & tunc inferri poterit: ergo hoc principium perfectius effectu habens correſpondentiam requiſitam neceſſariò eſt cauſa adæquata effectus. Hac ratione inferimus intellectum inſtructum lumine gloriæ eſſe cauſam adæquatam viſionis, quia non ſolùm non habemus fundamentum ad dicendum neceſſariò requiri aliud comprincipium ad viſionem, ſed neque ad dicendum dari aliud comprincipium potens in illam influere, & non inferimus ex eo quòd calor ſit æquè perfectus cum alio calore, & habeat omnem correſpondentiam requiſitam ad cauſandum, neceſſariò eſſe principium adæquatum illius, quia licet non requiratur aliud comprincipium ad producendum calorem, ſunt tamen alia, quæ in eundem calorem poſſunt influere, ſic calor vt quatuor, qui poterat eſſe principium adæquatum 10

caloris

Digitized by Google

caloris vt duo, ſæpè eſt principium inadæquatum illius, quia calori vt quatuor productio caloris vt duo ſæpè adiungitur ignis, vel lux, quæ poſſunt in eundem calorem influere, quibus adiunctis attemperatur influxus caloris producentis cum influxu ignis, vel lucis, & non adæquatè, ſed inadæquatè procedit à calore & adæquatè à calore & igne, vel à calore, & luce, vel à calore, luce, & igne, ſi omnia tria principia productiua eiuſdem caloris coniungantur.

PVNCTVM X.

An eadem entitas poſſit eſſe principium effectiuum ſui ipſius per ſecundam actionem?

1 PRocedit tantùm hæc difficultas inter eos, qui concedunt eundem effectum poſſe per duplicem actionem totalem dependere à principio effectiuo, apud illos enim, qui aſſerunt tantùm per vnicam actionem poſſe dependere, certum eſt hanc non poſſe ab eodem effectu procedere, quia omnis actio procedens ab aliquo effectu debet ſupponere effectum iam productum; vnde antequam intelligatur hoc principium cum aliquo influxu ab illo procedente debet iam intelligi productum: ergo per productionem non procedentem ab illo: ergo nullo modo poterit in ſe ipſum influere, ſi non poteſt influere in ſe ipſum iam ab alia cauſa productum. Procedere tantùm poteſt difficultas admiſsâ poſſibilitate duarum actionum totalium in eundem effectum, an poſſit effectus poſtquam iam eſt productus ex vi huius actionis ſe ipſum per aliam actionem producere.

2 Affirmat Arriaga diſput. 12. Metaphyſic. ſect. 2. ſequutus P. Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 50. ſect. 4. ad finem, §. *ſed ex hac ſolutione*, vbi expreſsè affirmat non eſſe inconueniens idem ſe ipſum producere per ſecundam actionem, licet oppoſitum non leuiter inſinuet doctiſſimus P. diſput. 12. Metaphyſic. ſect. 2. vbi docet de ratione omnis cauſæ eſſe influere in aliud natura diſtinctum.

3 Acquieſco omnium Doctorum ſententiæ neganti idem adhuc per ſecundam actionem poſſe ſe ipſum producere, quam ſic probo. Nihil poteſt ſe ipſum cauſare in genere cauſæ materialis: ergo neque in genere cauſæ efficientis. Reſpondet Arriaga nullam materiam poſſe aliam ſimilem materiam materialiter cauſare, ac proinde mirum non eſt non poſſe ſe ipſam cauſare in illo genere cauſæ, in qua non poteſt cauſare aliam eiuſdem ſpeciei, independenter enim ab entitate numerica præciſè ratione identitatis ſpecificæ repugnat hæc cauſalitas eiuſdem entitatis in ſe ipſam, quæ repugnantia non eſt in principio effectiuo, quia vnum principium efficiens producit aliud eiuſdem ſpeciei. Ex hac doctrina argumentum retorquet Arriaga contra arguentem: vna materia non poteſt materialiter cauſare aliam eiuſdem ſpeciei: ergo vnum effectiuum principium non poterit efficere aliud eiuſdem ſpeciei. Antecedens eſt verum: conſequens falſum: ergo mala illatio; hac vtitur argumentum factum à paritate cauſæ materialis non potentis ſe ipſam materialiter cauſare ad cauſam efficientem non potentem ſe ipſam effectiuè producere. Duo continet hæc ſolutio. Primum eſt vnam materiam non poſſe ab alia entitate materialiter cauſari, ex quo optimè infertur non poſſe à ſe ipſa in hoc genere cauſæ procedere. Hoc verum eſt de materia prima, eo enim ipſo quod ſit materia prima dicit non eſſe receptam in alia, & ipſam eſſe primum ſubiectum in nullo receptum. Ob hanc rationem non de materia prima, ſed de omni cauſa materiali obiectionem produxi, de cuius conceptu non eſt cauſari ab alia cauſa materiali, quia quantitas eſt cauſa materialis plurium accidentium, & ipſa in genere cauſæ materialis dependet à materia. Aliud continet ſolutio videlicet nullam cauſam materialem poſſe dependere in genere cauſæ materialis ab alia eiuſdem ſpeciei, quod conuenit omnibus cauſis materialibus de facto exiſtentibus reſpectu quarum rectè diſparitatem aſſignat Arriaga inter cauſam materialem & efficientem, qua argumentum ſupra factum ſufficienter ſolutum eſſe videtur.

4 Vrgeo tamen argumentum ſupra factum: etiamſi omnis cauſa materialis exiſtens de facto æquiuoca ſit cum ſuo effectu: nunquam enim vidimus calorem ex calore eductum, neque quantitatem in quantitate receptam, non tamen eſt contra conceptum quidditatiuum cauſæ materialis eſſe eiuſdem ſpeciei cum effectu, quem poſſit materialiter cauſare, neque repugnat de potentia Dei abſoluta dari duplicem qualitatem tantùm inter ſe numero diſtinctam, & vtramque diſtinctam in ſpecie ab his, quæ de facto dantur, quarum vna poſſit educi ex alia, licet vtraque poſſit etiam educi ex alia cauſa materiali æquiuoca, ſicuti modò ex duplici calore, quorum quilibet poteſt ab igne producere in genere cauſæ efficientis, poteſt in eodem genere quilibet illorum efficienter produci ab alio. Sic ego duplicem calorem ſpecie diſtinctum à calore de facto exiſtente, & vtrumque eiuſdem ſpeciei ſuppono produci à Deo, quorum quilibet poſſit in genere cauſæ materialis à quantitate vel ab altero calore educi, & ſic argumentor. Calor eductus à quantitate, à quo poteſt alius calor eiuſdem ſpeciei in genere cauſæ materialis procedere, non poteſt in hoc genere cauſæ propter identitatem numericam dependere à ſe ipſo: ergo propter eandem identitatem non poterit idem calor, neque alia quælibet entitas à ſe ipſa dependere in genere cauſæ efficientis. Negabis forſan poſſibilem eſſe calorem, qui poſſit educi ex alio calore, & cauſam aliquam materialem eiuſdem ſpeciei cum effectu, quem poſſet materialiter cauſare. Contrà: nulla poteſt excogitari repugnantia inter cauſam materialem, & effectum eiuſdem ſpeciei: ergo ſine fundamento negas diuinæ omnipotentiæ poſſe producere aliquam entitatem cum virtute cauſandi in genere cauſæ materialis effectum eiuſdem ſpeciei. Si dicas repugnantiam dari inter cauſam materialem & effectum eiuſdem ſpeciei, illam aſſigna, & præſto aderit impugnatio, ego enim exiſtimo nullam poſſe excogitari, cùm de conceptu cauſæ materialis, vt ſuprà dicebam non ſit diuerſitas ſpecifica inter ipſam & effectum. Sed age iam do tibi repugnare cauſam materialem eiuſdem ſpeciei cum effectu, & ſuppono per impoſſibile dari, & tantum ex ſuppoſitione procedat argumentum quod ſic conſtituo. Etiamſi calor poſſet recipi in alio calore eiuſdem ſpeciei, non poſſet recipi in ſeipſo: ergo præciſè qualibet alia ratione ſecluſa ex identitate numerica repugnat eandem entitatem recipi in ſe ipſa, ita vt ſi ex nulla alia ratione implicaret præciſè propter eandem rationem implicaret idem recipi in ſe ipſo, ſeu cauſari à ſe ipſo in genere cauſæ materialis, quod eſt idem: ergo ex eadem ratione repugnabit, idem produci à ſe ipſo ſeu cauſari in genere cauſæ efficientis. Alio modo totum vnico verbo argumentum cingo, nulla ſuppoſitione facta. Præciſè ex identitate numerica quocumque alio ſecluſo repugnat eandem entitatem recipi in ſe ipſa: ergo ex eadem repugnat fieri à ſe ipſa.

Aliter reſpondet Arriaga cauſalitatem cauſæ materialis eſſe vnionem, quæ eſſentialiter reſpicit duo extrema vnienda realiter diſtincta, cauſalitatem verò efficientis eſſe actionem, quæ non arguit hanc diſtinctionem inter principium & terminum. Hanc ſolutionem recipio facilè ex dictis de cauſalitate materiæ, probaui enim formam dependere in genere cauſæ materialis non per vnionem, ſed per paſſionem, ex qua doctrina ſic argumentor. Paſſio non diſtinguitur ab actione, ſed non poteſt dari paſſio procedens ab hoc principio materiali terminata ad ipſam tanquam ad terminum receptum: ergo non poteſt dari actio ab hoc principio effectiuo terminata ad idem principium tanquam ad terminum factum. Dices *recipi* ex ſe dicere eſſe receptum in recipiente, nihilque poſſe eſſe in ſe ipſo, ac proinde inter receptum, & recipiens debere ſemper diſtinctionem intercedere. Contrà: ſicut recipi dicit eſſe receptum in recipiente, ſic fieri dicit eſſe factum à faciente: ergo ſicut non poteſt idem recipi in ſeipſo, ita non poteſt fieri à ſe ipſo, non enim apparet ratio propter quam maior diſtinctio debeat intercedere inter recipiens & receptum, quàm inter faciens, & factum, & inter illud, quod eſt, & illud, in quo eſt tanquam in ſubiecto, & illud quod eſt, & illud, à quo eſt, tanquam à principio. Profectò nullam ego diſparitatem rationis inuenio quapropter conſequentiùs diceret ad ſua principia qui affirmat idem poſſe fieri à ſe ipſo non repugnare ex identitate numerica idem recipi in ſe ipſo, ne tamen in hoc conſequens vi conſequentiæ trahamur, negandum eſt antecedens, mihi quidem difficile eſt idem fieri à ſe ipſo, & paradoxum ſapit dici idem in ſe ipſo recipi poſſe. 5

Secundò eſſe de ratione principij producentis diſtinctionem à principio producto, probatur ex Patribus, & Doctoribus Scholaſticis, qui omnes inferunt diſtinctionem 6

perſonarum

Digitized by Google

perſonarum ex relatione producentis, quæ eſt in vna reſpectu alius: ergo ſi idem poſſet ſe ipſum producere, non rectè inferret tota Theologia Pater producit Filium: ergo Pater diſtinguitur à Filio. Dices hanc illationem eſſe logitimam etiamſi idem poſſit ſe ipſum per ſecundam actionem ſupernaturaliter producere, quia productio, qua Pater Verbum producit eſt naturalis reſpectu perſonarum, quia in diuinis nulla poteſt dari productio *ad intra*, quæ non ſit naturalis principio producenti, & termino producto, quia omnis productio *ad intra* in diuinis eſt neceſſaria, & quia nulla cauſa ſuperior poteſt excogitari, quæ eleuet aliquam diuinam perſonam ad productionem *ad intra*, ad quam ipſa non ſit naturaliter determinata, neque ad aliquam productionem *ad extra*, quia omnes productiones *ad extra* communes ſunt toti Trinitati, & procedunt ab omnipotentia, quæ à nulla alia cauſa poteſt eleuari, cùm nullum ſit principium perfectius omnipotentia neque ſuperius illâ, eleuatio autem ſemper dicit ex parte principij eleuati ſubordinationem ad principium eleuans, quam omnipotentia reſpectu nullius comprincipij poteſt habere; illi enim, vtpote principio rerum omnium, omnia ſunt ſubordinata, & ipſa nulli entitati ſubordinata eſſe poteſt. Non caret probabilitate ſolutio, nihilominus adhuc inſto: ſi non repugnaret idem ſe ipſum producere, etiamſi Pater Æternus non poſſet eleuari ad productionem *ad intra*, cur dici non poteſt Patrem habere eſſe à ſe eodem modo, quò nunc vera fides illum cognoſcit, & poſtea quam ſupponitur eſſe à ſe naturaliter ſe ipſum producere, non per productionem quę ſupponat aliam, ſed quæ ſupponat terminum exiſtentem, ita vt ſi per impoſſibile deficeret actio, qua producitur per locum intrinſecum non deficeret terminus, qui producitur, quatenus ſupponitur cum ſuo eſſe, quod habet a ſe ante productionem, etiamſi in tali caſu realiter deficeret, quia deficeret productio identificata cum Patre, qui ſupponitur ante productionem à ſe indiſtinctam. Dices nullam entitatem poſſe naturaliter & abſque eleuatione produci per productionem non requiſitam per locum intrinſecum ad ſui exiſtentiam. Contra, quia licèt hoc in creaturis ita contingit, rationem efficacem in diuinis reddi non poterit, cur ita contingere non poſſit, ſi eadem entitas poſſet ſe ipſam producere, quam ego poſtea aſſignabo in principiis negantibus idem poſſe à ſe ipſo produci. Concludo: ergo nihil poſſe à ſe ipſo produci, quia ita fert communis hominum apprehenſio, & quia iuxta hanc philoſophiam melius defenditur myſterium Trinitatis, & probatur diſtinctio inter Patrem & Filium, ex eo quod Pater Filium producat & Patris, & Filij ab Spiritu ſancto, ex eo quod Pater & Filius per modum vnius principij ſpiratiui Spiritum ſanctum producant.

7 Huius concluſionis, quæ propter communem omnium conſenſum, & propter rationes a poſteriori adductas, & quia nullum pro oppoſita fundamentum adducitur, mihi quidem eſt omnino certa, hanc à priori rationem contemplor. Actio procedens ab hoc principio eſſentialiter ſupponit principium exiſtens: ergo eſſentialiter intrinſecè & per ſe ſupponit illud, ad quod ordinatur; ergo intrinſecè & per ſe ſemper eſt otioſa, & implicat ex vi illius fieri id, quod iam non ſit factum: ergo ex natura ſua repugnat, nihil enim inuenitur in rerum natura, quod per ſe & intrinſecè ſit otioſum & ſuperfluum, & quod ita reſpiciat finem, in quem ordinatur, vt ſemper æquè exiſtat finis ſine illo, quod ordinatur ad illius exiſtentiam, ac ſi exiſteret medium ordinatum ad talem finem. Actionem ab eodem in idem terminatam ita futuram eſſe certum eſt, quia illa actio ſemper ſupponeret terminum exiſtentem independenter ab illa: ergo æquè exiſtet terminus ſiue illa poſtea ſuccederet, ſiue non ſuccederet; finem autem actionis eſſe exiſtentiam effectus fatentur omnes. Dices illam actionem eſſe vtilem vt terminus exiſtat ex vi illius. Contra: finis actionis eſt exiſtentia termini ſecundùm ſe, non enim actio eſt vt exiſtat terminus per actionem, ſeu vt exiſtat, & quia terminus non infinitus non poteſt exiſtere ſine actione, ideò inuenta eſt actio, vt ex vi illius exiſtat terminus: ergo actio, quæ non poteſt eſſe vtilis vt exiſtat terminus, ex ſua natura eſt ſuperflua, & otioſa, & conſequenter repugnans.

8 Ex hac ratione facilè repugnantiam aſſignabis in tali actione, & ſolues fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quæ tantùm petitur ex non repugnantia actionis terminatæ ad principium. Dices enim talem actionem fore ſuperfluam; & non fore ſuperfluam: propoſitionem affirmatiuam probaui modo, negatiuam munit principium illud vulgarè in Philoſophia: *Natura abhorret ſuperfluum.*

CONTROVERSIA X.

De cauſa prima.

Pvnctvm Primvm.

Statuitur dependentia creaturæ à Deo ſecundùm entitatem, & operationem.

§. I.

Dependentia ſecundum entitatem oſtenditur.

Dari vnum principium, à quo reliqua omnia creata trahunt originem ratione naturali compertum eſt, qua ductus Ariſtot. illius exiſten- 1
tiam agnouit, ſunt illuſtria huius Philoſophi verba hoc lib. 2. cap. 4. text. 43. & 44. *Sunt etiam, qui mundi huius aliorùmque omnium cauſam in caſum referant, conuerſionem enim, & motum eum, qui vniuerſum diſtinxit, & hunc ordinem redegit, caſu eſſe: & hoc ſanè admiratione dignum eſt, quod enim animalia quidem & neque eſſe, neque fieri à fortuna, ſed aut naturam, aut mentem, aut aliquid aliud tale cauſam eſſe affirment; propterea quod è cuiuſque ſemine non quodvis fiat, ſed ex tali oliua, ex tali autem homo; cœlum verò, & ea, quæ inter ſenſibilia diuiniora ſunt, caſu effici cenſeant, taliùmque eorum nullam, qualis plantarum, & animalium eſt, cauſam eſſe.* Doctrinam oppoſitam errori, quem miratur Philoſophus expreſsè definit Concil. Nic. per illa verba: *Factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium.* Extant etiam alia illuſtria Scripturæ teſtimonia: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ioan. 1. Denique contra illos, qui dicebant Deum ab initio condidiſſe creaturas, eiſque permiſiſſe generationes ceſſante omni concurſu Dei adducit Auguſtinus tom. 3. lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 20. verba illa Ioannis 5. *Pater meus*, &c. Ita Auguſtinus: *Contrà quos profertur illa ſententia Domini: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Deinde quia non ſolùm magna, & præcipua; verùm etiam iſta terrena, & infima ipſe operatur, vt dicit Apoſtolus, & Sapient. 11. quomodo poteſt aliquid permanere niſi voluiſſes? aut quomodo à te vocatum eſſet non conſeruatur?* Accedit illuſtre teſtimonium Nazianzeni orat. 2. de Theologia: *Quomodo ergo vniuerſa hæc rerum moles, vel producta vmquam eſſet vel conſiſteret, niſi Deus hæc omnia in rerum natura protuliſſet, atque conſeruaret?* Qui de hac re plura videre velit teſtimonia, adeat P. Suarez diſp. 21. Metaphyſic. ſect. 1.

Creaturas dependere à Deo in conſeruari per verum 2
influxum, quem in illas præſtet, hac efficaciſſima ratione euinco. Conſeruatio cuiuſlibet creaturæ libera eſt reſpectu Dei, vt quælibet in quocunque inſtanti poſſit à Deo in nihilum redigere: ergo poteſt Deus quamcumque creaturam corrumpere: ſed non poteſt creatura corrumpi à Deo, niſi per ſubtractionem concurſus ex vi cuius conſeruabatur à Deo ergo poteſt ſubtrahere concurſum ergo illum præſtabat: nihil enim poteſt ſubtrahere concurſum, ſeu ceſſare ab illo, quod eſt idem, ni antea concurſum exhibebat. Probo Deum non poſſe creaturam corrumpere, niſi per ſubtractionem concurſus, reliqua per ſe patent: Deus non poteſt creaturam corrumpere per actionem aliquam poſitiuam, quia omnis poſitiua actio terminatur ad terminum poſitiuum, & nulla poteſt terminari formaliter, & immediatè ad non eſſe: ergo debet illam corrumpere per actionem aliquam negatiuam, ſeu per negationem actionis, non per negationem actionis, quæ non præceſſiſſet in inſtanti antecedenti, quia ſi non præceſſiſſet actio, cuius negatio eſt in hoc inſtanti, præceſſiſſet illius negatio in inſtanti antecedenti corruptionem entitatis poſitiuæ, in quo exiſtebat talis entitas: ergo per illam negationem non corrumperetur entitas in hoc inſtanti, cum in pręcedenti coëxtitiſſent entitas poſitiua, & talis negatio:

ergo

minetur ad operationem præſtandam ab ipſa. Actus verò voluntatis diuinæ Deum formaliter volentem conſtituit, & non cauſam ſecundam operaturam, ac proinde ratio, propter quam potentia exequens operationes externas ab actu appetitus non influente determinatur, non reperitur in cauſa ſecunda reſpectu actus voluntatis diuinæ. Aliud exemplum, quod adducit Arriaga de approximatione haud efficacius eſt. Approximatio eſt circunſtantia afficiens agens & paſſum, & ex parte vtriuſque dicit propriam cuiuſlibet præſentiam, qua intrinſecè afficitur; volitio verò diuina omnino eſt extrinſeca reſpectu cauſæ creatæ: ergo longè diuerſa eſt ratio de approximatione, & de volitione. Ex hac rationis diſparitate, qua exemplum irritum fuit, argumentum conficio contra ſolutionis doctrinam. Volitio Dei eſt omnino extrinſeca cauſæ ſecundæ: ergo ſi aliquem effectum ad extra phyſicè ab illa dimanantem non habet, non poteſt creaturam determinare ad hoc vt operetur, vel non operetur, quia volitio obiecti formaliter vt volitio tantùm denominat obiectum volitum, quod non eſt formaliter eſſe effectum: ergo vt Deus me determinet ad operandum, non ſufficit Deum velle, ſed velle volitione quadam effectiua, ex vi cuius phyſicè Dei omnipotentia influat in effectum ad quem me determinat. Rem explico, & declaro: eatenus volitio Dei, qua decernitur effectus præſtandus à Deo dicitur efficax, quatenus illa poſita omnipotentia indefectibiliter operatur, quod ſi omnipotentia nõ operaretur poſita volitione, effectus non eſſet, & eatenus volitio Dei, qua decernit effectum à me præſtandum, eſt efficax quatenus omnipotentia concurrit ſimul cum virtute, quam ego habeo ad effectum: ergo ſi Deus non phyſicè influeret in effectum non poſſet illius exiſtentiam phyſicè determinare. Antecedens probo. Finge tibi, Deum nihil poſſe operari, & decernere meam operationem, poſſem ego non obſtante tali decreto non operari, quia Deus nullas vires haberet, quibus me poſſet ad operandum compellere, & decreti me omnino immutatum relinqueret, & in creaturis non cognoſcitiuis nullo modo poſſet tale decretum ad operationem conducere: ergo præcisè per hoc, quod eſt velle, vel nolle Deum, ſi illius volitio phyſicè efficax non eſſet, creatura non determinaretur ad operandum, vel non operandum. Neque refert decretum extrinſecum libertati formaliter libertatem deſtruere, & actum primum liberum deſtruere, quando ex natura ſua eſt efficax, & antecedens effectum, quia hoc habet ex eo quod phyſicè influat in volitionem media omnipotentia, quod ſi non efficeret, libertatem non læderet, neque ad efficientiam actus voluntatis immediatè conducere poſſet.

8 Argumentor ſecundò ad hominem: Nullus eſt effectus, cuius Deus non ſit propriè, & verè cauſa: ſed cauſa remota in doctrina Hurtadi non eſt propriè cauſa: ergo nullus eſt effectus, cuius Deus non ſit cauſa proxima, quæ tantùm eſt verè & propriè cauſa in doctrina huius auctoris. Diſtinguit Hurtadus maiorem propoſitionem: Nullus eſt effectus, cuius Deus non ſit propria cauſa in actu primo concedit, in actu ſecundo, negat, quia Deum poſſe omnem effectum immediatè producere ad illius perfectionem ſpectat, illum tamen in actu ſecundo non producere non arguit imperfectionem in Deo. Non dubito imperfectionem non eſſe in Deo non producere effectum, quem poteſt producere, quod ſcire oportet, eſt, an ex ſuppoſitione, quod effectus exiſtat imperfectionem arguat in Deo, exiſtere quin Deus ſit propriè cauſa illius, vel huiuſmodi exiſtentia ſine dependentia à Deo tanquam à vera cauſa repugnãtiam dicat ex parte creaturæ, id ego probare intendo. Creatura eo ipſo quod ſit ens finitum & limitatum, debet contineri in omnipotentia, ita vt licet de facto non dependeat a Deo, ſaltem poſſet dependere ad illo tanquam à vera cauſa, vt fatetur Hurt. ergo hoc, quod eſt contineri in omnipotentia, & poſſe immediatè dependere ab illa tanquam à virtute & potentia æquè debet conuenire actioni, ex vi cuius terminus producitur, & termino per actionem producto, quia tam actio, quàm terminus æquè habent rationem creaturæ: ergo omnis actio eo ipſo quod ſit, neceſſariò actu dependet à Deo. Probo conſequentiam: actio non poteſt dependere à principio, à quo actu non dependeat, quia cum dependeat per ſuam entitatem, non eſt indifferens ad dependendum ab hoc principio: ergo ab illo, à quo actu non dependet, dependere non poteſt, & ab illo, à quo dependere poteſt, actu dependet: ergo implicat dari actionem, quæ actu non dependeat à Deo, & poſſit ab illo dependere: ſed non poteſt dari actio, quæ non poſſit dependere à Deo: ergo non poteſt dari actio, quæ de facto non dependeat à Deo. Diceret aliquis illam actionem dependentem tantùm à cauſa creata per ſe ipſam poſſe à Deo dependere per interiectam actionem. Hanc doctrinam non admittit Hurt. qui non concedit poſſe dari actionem terminatam ad actionem, quæ ſi in aliquo caſu poſſet admitti, admittenda non eſſet circa actionem immediatè & per ſe adæquatè dependentem ab alio principio, quia actio reflexa terminata ad actionem adæquatè dependentem intrinſecè eſſet ſuperflua, quia intrinſecè reſpiceret terminum, qui illa ſublata eam exiſtentiam haberet, ac ſi eſſet alia actio reflexa. Hoc argumento ad hominem vſus ſum contra Hurtad. qui concedit cauſam remotam non eſſe propriè cauſam in ſententia verè affirmante cauſam remotam eſſe veram cauſam, quod ego verum iudico de cauſa remota actu influente in proximam, etiamſi actio immediatè non dependeret à Deo, Deus verè eſſet cauſa illius, licèt tantùm remota. Quapropter contra ſic opinantes primum argumentum eſt adducendum, vel probandum eſſet inconueniens Deum non poſſe eſſe cauſam proximam cuiuſuis actionis creatæ.

9 Ex his rationibus facilè ſoluitur quæſtio, quam diſputant recentiores cum Arriaga num. 8. an poſſit Deus pro libito ceſſare à concurſu immediatè in actiones creaturæ, ſubſtituendo aliam cauſam loco ſui. Cui negatiuè reſpondendum propter rationes iam dictas, ſcilicet quia illa cauſa creata operaretur cum alia ſecunda independenter à Deo, & quia Deus non poſſet eſſe cauſa proxima actionis dependentis ab illa, & non à Deo. Deinde quia ſi creatura non indigeret concurſu immediato Dei ad operandum, neque indigeret concurſu aliùs concauſæ creatæ: in ratione enim cauſæ creatæ ſufficientem virtutem habet ignis ad producendum alium ignem, quod ſi de hoc ignis exiſtenti neges, ſaltem poſſet Deus creare alium ignem, aliamve creaturam habentem virtutem ad præſtandum per ſe ipſam totum influxum, quem modò poſſet præſtare hic ignis exiſtens, & alia concauſa, quæ ſupplere diceretur vices cauſæ primæ. Vltimò ratio propter quam concedimus Deum concurrere effectiuè cum cauſis exiſtẽtibus eſt, quia de ratione creaturæ eſt, non poſſe concurrere ſine conſortio cauſæ primæ, & quia de ratione cauſæ eſt effectiuè concurrere cum omni creatura: ſed quidquid eſſet ſubſtituendum diſtinctum à Deo eſſet creatura: ergo non poſſet concurrere ſine conſortio cauſæ primæ, & de ratione cauſæ primæ eſſet cum illo quodcumque eſſet immediatè concurrere.

§. III.

An effectus dependeat à cauſa prima & ſecunda per eundem influxum.

10 EVicimus iam cauſam primam ſemper influere cum ſecunda in effectum. Reſtat modò definiendum, an vtraque cauſa per eundem indiuiſibilem influxum, vel per diuerſum influant in effectum? Influere per eundem docet D. Thom. cum aliis apud patrem Soar. diſp. 22. Met. ſect. 3. quod fert communis Philoſophorum ſententia, & mihi omnino certum eſt. Non debet eſſe quæſtio: an creatura dependens à cauſa prima, & à ſecunda, per alium influxum adæquatum vel inadæquatum dependere poſſit à Deo non tanquam à cauſa prima præcisè: ſed tanquam principio ſpecialiter concurrente, per hunc peculiarem influxum, & per concurſum alium per quem cum cauſa ſecunda cauſæ primæ adimplet officium: de hoc enim non eſt quæſtio inter Auctores, neque vllus hac ratione poſſe Deum concurrere concurſu diſtincto ab illo, cum quo cauſa ſecunda concurrit negabit; dum concedatur ſimul concurrere per eundem influxum, per quem influit cauſa ſecunda. Quæſtio eſt: an cauſa prima influat: per eundem influxum per quem influit ſecunda; & an in ratione cauſæ primæ teneatur per alium diſtinctum influere in omnes effectus? quam ſic explicatam duplici concluſione definio.

11 Dico primò: Deus immediatè influit in effectum per eundem influxum, per quem influit cauſa ſecunda. Probo influxum, per quem influit cauſa ſecunda, eſſentialiter dependet à Deo non per alium influxum ſuperadditum; quia actionis non datur actio: ergo creatura ex vi eiuſdem influxus immediatè dependet a cauſa prima, & à

Digitized by Google

cauſa ſecunda; quia implicat influxum dependere ab aliquo, à quo non pendeat effectus ex vi illius, quia effectum dependere à principio, nihil aliud eſt, quàm influxum, ex vi cuius fit effectus, dimanare à principio. Dices, poſſe influxum per ſe ipſum immediatè dependere à cauſa ſecunda, tanquam à principio inadæquato, & media alia actione à cauſa prima. Rectè enim poteſt dari entitas, quæ ſit actio immediatè dependens ab hoc principio, & ſit terminus media alia actione dependens ab alio principio. Contra hunc dicendi modum in primis obiicio: ſine fundamento dici, poſſe dari actionem terminatam ad aliam actionem. Quod, ſi de potentia Dei abſoluta poſſet contingere vel daretur aliqua actio, quæ etſi per ſe ipſam dependeret ab hoc principio inadæquatè; tamen, etiam indigeret alia actione ſuperaddita, media qua dependeret ab alio principio, ſimiliter inadæquatè, vt per ſe ipſam, & media alia actione ab vtroque principio adæquato penderet; in qua actione non facile repugnantia illa poterit deprehendi: at ita contingere de facto, nullo probabili fundamento dici poteſt; cum poſſit Deus ſimul cum creatura per eandem actionem influere, & abſque neceſſitate has actiones multiplicare contra communem ſententiam, fas non eſt. Adde in actibus liberis, quos exercet creatura, non poſſe reperiri huiuſmodi influxum; quia ſi volitio, quam exercet mea voluntas, dependeret ab alia actione, quam Deus exerceret, tota indifferentia, quam haberet actio voluntatis à me procedens, eſſet determinata in cauſalitate, quam ſupponeret, qua poſita non poſſet non eſſe; ac proinde actio meæ voluntatis nunquam eſſet libera formaliter; ſicuti in opinione, quæ diſtinguit in actu voluntatis actionem, & terminum, tota libertas exercetur in actione: quia poſita actione non poteſt non eſſe terminus. Deinde libertas illa, quam haberet actio meæ voluntatis deriuata ab actione, quam ſupponeret, non denominaret meam voluntatem liberè operantem; quia denominatio ad exiſtentiam meæ actionis volitiuæ non procederet à me, ſed à Deo illam determinante, cùm determinabat cauſalitatem procedentem tantum à Deo, quam ego non poſſem determinare; quia non à me procederet; & nihil poteſt eſſe liberum, & determinabile reſpectu principij, à quo non procederet.

12 Dico ſecundò: Cauſa prima non concurrit ad effectum per alium influxum diſtinctum ab influxu, quem præſtat cauſa prima ex vi muneris primæ cauſæ. Ratio eſt; quia ſufficienter intelligitur cauſam ſecundam dependere in operari, & effectum dependere à cauſa prima, ex eo, quod influxus, quo cauſa ſecunda operatur, dependeat à prima, & quæuis in ſufficientia, quam virtus creata haberet reſpectu effectus, poſſe ſuppleri ex eo quod cauſa prima per eumdem influxum ſimul cum ſecunda influeret in effectum: ergo dandus non eſt influxus ſpecialis, medio quo cauſa prima influat in effectum, diſtinctus ab illo, per quem effectus à cauſa prima, & à cauſa ſecunda indiuiſibiliter fluit. Antecedens conſtabit ex ſolutione, & impugnatione fundamenti, quo alium influxum ſpecialem à Deo prouenientem nonnulli abſtruunt.

13 Dicunt propugnatores huius influxus, creaturam illo indigere, vt eſſentialiter dependeat à Deo, & hac ratione aſſerunt omnem creaturam dependere per influxum ſecum identificatum à Deo eſſentialiter, & per alium influxum ſuperadditum dependere à cauſa ſecunda, & à prima; aſſeruntque hunc influxum procedentem à cauſa prima, & à cauſa ſecunda, vt pote effectui ſuperadditum non eſſe illi eſſentialem; quia quod eſt de eſſentia rei debet eſſe cum illa identificatum: ac proinde, vt creaturæ omni conſtituant dependentiam eſſentialem à Deo, meditantur dependentiam quandam identificatam cum effectu, per quam eſſentialiter à Deo dependet. Pro hac ratione ſoluenda duplicem dependentiam te diſtinguere oportet in effectu reſpectu cauſæ, & in creatura reſpectu Dei: quædam eſt per modum actus primi, quæ ſtrictè loquendo propriè non eſt dependentia ſed exigentia actus ſecundi, qui formaliter eſt dependentia. Hanc dependentiam per modum actus primi, ſeu potius hanc exigentiam dependentiæ fatemur eſſe eſſentialem effectus & identificatam cum illo, eamdemque ſemper inuariatam reſpectu eiuſdem effectus; ex vi cuius exigitur dependentia formalis, non eſt determinata, ſed hæc, vel illa. Dependentia per modum actus ſecundi, quæ eſt dependentia formalis, & quæ propriè dependentia dicitur, eſt actio, qua dependet effectus. Hæc ita eſt neceſſaria ad effectus exiſtentiam, vt neque de potentia Dei abſoluta poſſit effectus exiſtere nulla data actione ad ipſum terminata, licet illa actio, quæ de facto datur ad exiſtentiam effectus, & quæcumque alia, quæ loco illius dari poſſet, realiter ab illo diſtinguatur. De hac dependentia actuali effectus à cauſa prima diceret aliquis non eſſe eſſentialem effectui, propter rationem iam factam de diſtinctione reali, etſi illi ſummè ſit neceſſaria adeò, vt de potentia Dei abſoluta ſuppleri non poſſit defectus omnis dependentiæ; ita vt ſine illa effectus exiſtat: & hoc tantùm probat obiecto ſuprà facta, & in hoc ſenſu in re nihil falſum diceret qui aſſereret dependentiam actualem creaturæ à creatore non eſſe eſſentialem creaturæ, quia tantùm intenderet ſignificare non eſſe identificatam cum creatura; quod verum eſt. Et ita dicimus de eſſentia hominis eſſe materiam, formam & vnionem, & non dependentiam actualem ſeu actionem, quam homo per ſuam eſſentiam exigit, etſi de potentia Dei abſoluta non poſſit eſſe ſine illa. Nihilominus cenſeo dicendum non eſſe, dependentiam actualem eſſe eſſentialem creaturæ; ne detur occaſio errandi imperito vulgo, quod putet effectum poſſe exiſtere ſine dependentia actuali à Deo, quod falſum eſt. Ex hac doctrina facilè diſſoluitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ diſtinguendo illud antecedens: creatura eſſentialiter dependet à Deo dependentiâ in actu primo; concedo: dependentia in actu ſecundo, ſubdiſtinguo illud *eſſentialiter*, eſſentialiter, hoc eſt ſummè neceſſariò, ita vt dependentia abſoluta ſine dependentia eſſe non poſſit, concedo antecedens: eſſentialiter, hoc eſt intrinſecè, & per ſuam entitatem, nego antecedens.

Nec mihi ſat eſt argumentum ſuprà factum diſſoluere poſitiuè: fundamentum huius ſententiæ impugno. Si creatura haberet ſecum identificatum influxum, ſeu actionem, ex vi cuius dependeret à Deo, influxus ille, ſeu illa actio eſſet creatio: ergo forma equi ex vi actionis, qua dependebat ab alia cauſa ſecunda, vel à Deo ſupplente vices illius, eſſet educta: ergo eadem forma equi de facto eſſet educta, & creata. Probo antecedens: forma equi ex vi influxus ſecum identificati, quo dependeret à Deo, non dependeret ab aliquo ſubiecto, neque inadæquatè, ſed influxus, ſeu actio qua producitur terminus, qui ex vi illius non dependeat ab aliquo ſubiecto, eſt creatio: ergo talis influxus identificatus cum forma eſſet creatio. Minor eſt certa, & conſequentia legitima: maiorem probo: forma equi per ſe ipſam non dependet, neque inadæquatè à ſubiecto, quia ſi loco actionis generatiuæ, quam terminat, alia creatiua ſubſtitueretur, eadem forma equi perſeueraret ſine dependentia adhuc inadæquate à ſubiecto, quam ſi per ſuammet entitatem haberet, non poſſet vnquam non habere: ergo non dependet à ſubiecto per influxum, ſeu actionem identificatam cum forma, quæ ſemper eſſet eadem permanente eadem forma, cum qua identificatur: ergo forma equi crearetur ex vi influxus ſecum identificati, ſi per ſe ipſam immediatè dependeret à Deo. Inſuper educitur per actionem, ex vi cuius dependet à cauſa creata: ergo ſimul educeretur, & crearetur, ſi per ſe ipſam dependeret à Deo & per actionem ſuperadditam à principio creato generante. 14

§. IV.

Mens peregrina Dolæ expenditur, quâ in ſententiam Durandi de concurſu cum cauſis ſecundis abierit.

POſtquàm hæc ſcripſeram, vidi librum ſcriptum à Patre Ludouico à Dola Ordinis Capucinorum ſancti Franciſci, quem inſcribit, *Diſputatio quadripartita de modo coniunctionis concurſus Dei & creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis præſertim ad actus prauos aduerſus prædeterminantium, & aſſertorum ſcientia media opiniones.* Supponit hic auctor & non paucis probare intendit, prima parte diſputationis difficultates, & quæſtiones, de quibus contendunt phyſicè Prædeterminantes & Authores ſcientiæ mediæ, totam ſuam originem duxiſſe ex eo quod vtrique admiſerint Deum cócurrere immediatè cum creatura ad proprios actus producédos concurſu ſimultaneo immediato, & identificato cum eiuſdem creaturæ concurſu. Ex hac propoſitione, ſeu hypotheſi philoſophica non ſolùm ait originem duxiſſe controuerſias & contentiones inter Catholicos 15

Digitized by Google

tholicos, ſed duas præ cæteris peſtilentiſſimas Sectariorum hæreſes, quibus humana libertas impetitur, & peccatum noſtrum Deo authori adſcribitur, præcipuum erroris fundamentum poſuiſſe.

16 Hæc cùm vidiſſet, ait Dola, applicuiſſe animum, cùm ob adiuuandos & hæreticos in hac parte reducendos, tum ob finiendam maximam illam Theologorum à quinquaginta plus minúſve annis aduerſum ſe inuicem pugnantium diſſenſionem, ad eruendam euellendámque hæreſum inter infideles & contentionum inter Catholicos radicem, vt ramorum vitium in radice procuraret, & ita extinctis infidelium hæreſibus, & Catholicorum contentionibus & controuerſiis depoſitis, illi luce fidei veræ fruerentur, & hi quieto atque pacato gauderent animo. Hæc aſſequi ſperat Dola, negando Deum immediatè concurrere cum voluntate concurſu ſimultaneo & identificato cum concurſu ab ipſa voluntate procedente ad actus ordinis naturalis, quod iam diu Durandus, quem ipſe in hac re ſequitur, affirmauit de omnibus cauſis, & apud omnes ferè Scholaſticos non benè audiuit, plures enim authores, euos refert ipſe Dola 4. part. cap. 8. num. 5. Durandi ſententiam periculoſam, temerariam, & erroneam appellant. Nec deſunt qui oppoſitam fide ſanctam eſſe pronunciarint quod neque ipſum Dolam latuit, vt conſtat ex citato loco. Non ſemel quæritur hic author, nonnullos vt ſuam ſententiam omnibus inuiſam facerent, nimis durè illam interpretatos eſſe ac retuliſſe, ac ſi ipſe negaret concurſum Dei ad actus liberos noſtros abſque alio addito, à qua mente longè alienus eſt, admittit enim concurſum Dei ad omnes effectus, ex vi cuius omnium prima cauſa dicatur, & cauſa ſecunda primæ ſubordinata cenſeatur, ideóque ait quotieſcumque negaſſet concurſum illum, quem prædeterminantes & ſcientiæ mediæ aſſertores admittunt addidiſſe *concurſum Dei proximum immediatum identificatum aut indiſtinctum ab operatione creaturæ.* Neque ideò putandum eſt admiſiſſe Dolam concurſum immediatum Dei diſtinctum à concurſu creaturæ, quod non adeò à veritate aberraret, aſſerit enim 1. part. cap. 2. in fine pro eodem vſurpare concurſum Dei immediatum & concurſum identificatum cum concurſu creaturæ, negátque poſſe eſſe immediatum & diſtinctum à concurſu creaturæ, quod nonnulli authores dixerunt, quos ipſe impugnat part. 2. cap. 11. Itaque aſſerit hic auctor Deum concurrere ad actus naturales noſtræ voluntatis, & ſic ad omnes alios effectus naturales concurſu cauſæ primæ, qui tantùm eſt mediatus, & remotus, ex vi cuius Deus conſeruat cauſam ſeu virtutem cauſæ abſque eo quod immediatè influat in effectus. Sic multis in locis præcipuè in fine totius operis, vbi concluſionem ex omnibus, quæ præmiſerat proponit. Aſſerit inſuper hic author 4. part. cap. 17. num. 5. non eſſe indiſpenſabiliter neceſſarium, vt omnis cauſa creata dependeat in ſuo eſſe à Deo proximè & immediatè producente & conſeruante, quia poteſt dependere ab ipſo mediatè & remotè, nimirum mediante aliâ cauſâ ſecundâ, per quam dumtaxat influat Deus, nimirum producendo & conſeruando illam cauſam, quæ poſtea per ſemetipſam ad effectum proximè producendam ſufficiat.

17 Profectò nihilominùs indigebunt prædeterminantes (loquor verbis ipſius Dolæ) & ſcientiæ mediæ aſſertores ad ſuas litterarias contentiones componendas, quàm hoc arbitro, cùm quia has ſedere non vtile, ſed perniciosum eſſet vtiliſſimúmque ipſas acuere, dum enim vna ſit vtrorumque mens, vnáque voluntas veritatem indagandi & aperiendi, eaſdemque veritates Catholicas accerrimè propugnandi, huiuſmodi enim intellectum ſpeculatiuæ contentiones Religioſorum virorum voluntates religionis & charitatis vinculo obſtrictas non propulſant, omnes enim ſunt eiuſdem vineæ Domini operarij, qui, licet variis modis, eidem Domino gloriam proprio labore procurant, cui in perpetuis ſuis lucubrationibus & non quæſtui propriæ gloriæ, inanis ſemper, inſeruiunt. Neque parum incrementi vtraque ſententia accepit ex impugnatione alterius, quæ occaſionem dedit ſolertiùs vtriuſque rationes inquirendi, & ſolidiora fundamenta vtrique iaciendi, & veritatum Catholicarum ſplendor eſt maximus, vt ad eaſdem ſemper diuerſi aditus pateant, quos illuſtret ratio: tum quia etiamſi concluſionem quam propugnandam Dola ſuſcepit vtrique Authorum claſſi perſuaderet, quod longè aberit, & ſuprà vires cuiuſque literatiſſimi hominis ſemper eſſet, adhuc illis ſemper præcipua imò tota contendendi & diſputandi materia ſupereſſet: quod nonnullos ſibi obieciſſe ait Dola, quibus credere ſatis conſultum ipſi fuiſſet, & quiſque mediocriter in his Scholis verſatus facilè percipiet, & ego impræſentiarum paucis indicabo. Contendebat olim prædeterminantes cum Authoribus ſcientiæ mediæ: An Deus futura conditionata libera cognoſceret, certò & infallibiliter. Nonnulli Thomiſtæ circa hæc futura Deo tantùm coniecturalem ſcientiam tribuebant. Sic ſentiebat olim Cabrera, qui prior hanc ſententiam edidit, 3. part. q. 1. art. 3. diſp. 1. §. 22. n. 389. tom. 2. quæſt. 62. art. 1. diſp. 11. §. 6. concluſione 3. n. 147. Eandem fusè conatur probare Ledeſma diſp. 2. de ſcientia futurorum contingentium in ſecunda ſententia pag. 579. concl. 5. & pag. 591. & ſequentibus. Eandem vt probabilem defendit Curiel. lib. 2. contr. 7. art. 1. n. 37. Conſentit Cabecudo, 3. part. q. 62. art. 5. ſua quæſt. 2. ad duodecimum argumentum. Aliter ſentit Nauarretus 1. part. quæſt. 14. controuerſ. 56. §. 2. concluſ. 6. & ſequentibus. Qui ſolus affirmat nullam ſcientiam formaliter in Deo exiſtere huiuſmodi conditionatorum, ſed tantùm eminenter.

Poſtea verò iam teſtimoniis ſcripturæ conuicti vnanimes aſſerunt Thomiſtæ omnes, Deus certò & euidenter 18
cognoſcere omnia futura conditionata libera, affirmant tamen hæc cognoſci in decreto abſoluto, quod Deus habet circa obiecta conditionata, quod illorum ſcientiam præcedit, in quo tanquam in obiecto primario cognoſcuntur, quia in ſeipſis veritatem non habent, ex vi cuius poſſint immediatè actum diuinæ ſcientiæ terminare. Hoc decretum totis viribus contendunt exterminare aſſertores ſcientiæ mediæ, & circa hanc quæſtionem mutuò vtraque Doctorum acies in alteram toto impetu irruunt. Quomodo ergo litem hanc componat Dola ablato concurſu immediato Dei ad actus liberos noſtros? Quæ verò connexio inter hanc theſim & illam de qua vtraque contendit Schola poteſt inueniri? nullam profectò meditabitur diuturnus Dolæ labor. Legi Authorem hunc dicentem 1. part. cap. 6. ſolummodò iactitaſſe homines, qui ſunt penitus illiterati, neque quæ loquuntur, intelligunt, theſim, quam propugnandam ſuſcepit, eſſe omnino impertinentem ad quæſtionem prædictam dirimendam; verumtamen illiterati hominis cenſura non me terret, cùm Dolam legam totum in harum quæſtionum affinitate explicanda, & tantùm apud ipſum reperiam Authores, qui aſſerunt futura conditionata non cognoſci in ſeipſis & indigere hoc decreto prædeterminatiuo, vt Deus euidenter illa cognoſcat, eodem phyſicam prædeterminationem propugnare: illos verò, qui aſſerunt Deum in ſeipſis huiuſmodi conditionata cognoſcere, neque his decretis indigere, neque has prædeterminationes admittere.

Demùm acerrima concertatio eſt inter Authores vtriuſ- 19
que ſcholæ circa efficaciam auxiliorum, quibus Deus ſpecialiter prouidet prædeſtinatis, & non reprobis, qui tantùm auxiliis ſufficientibus ad gloriam conſequendam præueniuntur, & circa modum, quo Deus diſcernit prædeſtinatum à reprobo, ita vt ille ſalua ſuorum actuum libertate certiſſimè & infallibiliter finem conſequatur ex ſpeciali gratia Dei, & iſte non ex auxiliorum defectu, ſed ex eo quod auxiliis diuinæ gratiæ non annuat, quibus antecedenter ſaluus fieri potuit, in æternum damnetur. Quam quæſtionem prædeterminantes ſuæ prædeterminationis ope definiunt, & aſſertores ſcientiæ mediæ, huius beneficio dirimunt, vtrique obliti concurſus ſimultanei, de quo non curant ad præſentes quæſtiones dirimendas. Quid ergo Dola præſumit componere inter has ſcholas negato concurſu immediato Dei ad effectus naturales producendos? Hanc ſibi obiectionem Dola propoſuit 1. part. cap. 9. n. 6. cui reſpondet primò nondum eſſe facultatem imprimendi de auxiliis gratiæ, quæ dantur ad actus ſupernaturales, propter quod in titulo opuſculi præfixit ſermonem habiturum de concurſu Dei ad actus naturales præſertim prauos, eo quod nullo decreto, quod ad illum peruenerit prohibeatur de hoc concurſu diſputare. Veneror obedientiam Religioſi viri, verumtamen non ab illo petitur; vt propoſitas dirimat quæſtiones; & inter vtramque ſententiã proferat, theſímque in hac materia propriis rationibus ſtabilitam defendendam ſuſcipiat, ſed vt explicet quod ipſe defendendum ſuſcepit, quomodo videlicet harum quæſtionum difficultates de medio tollantur, ablato concurſu ſimultaneo Dei cum cauſis ſecundis ad ſuos effectus producendos.

Digitized by Google

20 Secundò reſpondet ibidem, quod ſi dicatur Deum non concurrere ad actus noſtros liberos, tametſi ſupernaturales influxu primo & indiſtincto, & gratia præueniens conſtituatur in actu vitali ſupernaturali, quo illuſtretur intellectus, & in inſpiratione ſimiliter vitali, & ſupernaturali voluntatis in qualitate præcedente conſenſum noſtrum liberum, à quo etiam ſeparari poteſt, & de facto ſæpiſſimè ſeparatur, nimirum quoties diuinæ vocationi reſiſtimus, facile erit demonſtrare, nihil inde præiudicij humanam libertatem accipere, quia euidens eſt cum huiuſmodi vocatione, & qualitate ſupernaturalibus diſſenſum noſtrum etiam in ſenſu compoſito reperiri poſſe. Non do priora verba, ſed Dolæ refero. Id, quod facile Dolæ viſum eſt, materiam ſubminiſtrat omnium diſputationum, quæ in materia de auxiliis tractantur, inter vtriuſque Scholæ Authores. Non facile, ſed ſummè difficile viſum eſt Thomiſtis gratiam efficacem conſtituere in actu vitali intellectus & voluntatis, & in qualitate quæ in ſenſu compoſito cum diſſenſu potuit componi quod tota illorum Schola vno ore denegar, neque ſine maxima Thomiſtarum iniuria proferre potuit Dola, euidens eſſe gratiam efficacem in ſenſu compoſito & efficaciam auxiliorum poſſe cum negatione aſſenſus componi, quod ipſi acerrimè inficiantur, totámque ipſorum doctrinam, ſi admitteretur, euerteret: Demum totos neruos exercent Thomiſtæ vt defendant non poſſe à cauſa indeterminata, hoc eſt, non præuenta alia motione effectum determinatè procedere, & facilè putat Dola omnes Thomiſtas cum aſſertoribus ſcientiæ mediæ componere, ponendo gratiæ efficaciam in actu voluntatis & intellectus, & qualitate, quæ ſunt indifferentes vt in actu ſecundo coniungantur cum aſſenſu & diſſenſu. Scio certè gratias non acturos Thomiſtas Dolæ propter modum, quem inuenit componendi Controuerſias inter ipſos, & Authores ſcientiæ mediæ, quod in mentem veniſſe non debuerat hominis Thomiſtarum principiis mediocriter inſtructi.

21 Reſpondet tertiò ibidem eos, qui hac diſputatione de concurſu Dei ſimultaneo mediocriter fuerint verſati, facilè intellecturos, ex his quæ dicta ſunt de concurſu Dei ad actus ſupernaturales. Cæterùm cùm ipſe difficultates, quæ in concurſu ſimultaneo reperiuntur, non alio modo ſoluat, niſi negando dari talem concurſum ſimultaneum, neſcio ego, quomodo ex doctrina tradita circa concurſum, quem negat, poſſint ſolui prædictæ difficultates, ni in his quæſtionibus negetur illarum ſubiectum (quod illæſa fide, & ſine ingenti amentia fieri non poteſt) ſicuti negauit ille ſubiectum, circa quod difficultates iſtæ procedebant, à qua mente longè abeſt religioſus Dola.

22 Demum quia opus ſuum inſcripſit Dola, *aduerſus prædeterminantium, & ſcientiæ mediæ aſſertores*, placet omnibus notum fieri, quid contra aſſertores ſcientiæ mediæ ſcripſerit Dola, (viderint alij Authores quid contra ipſos dixerit, in quos non pauca congerit.) Mitto negare concurſum cauſæ primæ cum ſecunda ad actus naturales, quod contra prædeterminantes & ſcientiæ mediæ aſſertores & contra communem ferè omnium ſententiam pronunciat, & venio ad illa, quæ ſpecialiter de ſcientia media pronunciat, & de his quæ ſpecialiter illius Authores docent, & de quibus cum Thomiſtis certant. In primis ſcientiam mediam re & nomine amplectitur: ſic ille 1. part. cap. 3. num. 9. *Cæterum de nomine ſcientiæ mediæ, eſt enim veluti media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & illam viſionis, quemadmodum futura ſub conditione, quæ ſunt illius obiecta neque expectantur ab ea præciſè vt poſſibilia neque vt abſolute futura, ſed veluti medium quemdam ſtatum habentia, ſcilicet veluti conditionatè futura, propter quod ſcientiæ iſti nomen attributum eſt ſatis accommodatum, ſcientiæ conditionatæ aut ſcientiæ mediæ. Quod autem patronos illius vocamus modernos aſſertores ſcientiæ mediæ, non id ita accipiant velim, quaſi nos exiſtimemus ſcientiam futurorum conditionatorum eſſe nouitium commentum prout illam aliqui immerito appellant. Fateamur enim eam eſſe à ſanctis Patribus agnitam, intellectam, traditam.* Hæc ille: deinde folio vltimo totius operis pag. 1. ſic ſcribit ipſe Dola: *Aſſertores quoque ſcientiæ mediæ maximam omnino promereri laudem, quod euidenter oſtenderint prædeterminationes phyſicas in rigore illo ſecundum quem à nonnullis defenſoribus ſuis explicari ſolent, nequaquam eſſe tolerandas: & ſcientiam conditionatam omnino eſſe neceſſariam intellectui diuino infinitè perſpicaci: præſertimque eſſe vtiliſſimam ad prudenter ſancienda decreta prouidentiæ ac ſapientiæ Dei.* Profectò modeſtiæ cauſa nunquam ego tantùm laudis deferrem ſcientiæ mediæ propugnatoribus, quantùm prædictis verbis Dola tribuit.

Id quod in aſſertoribus ſcientiæ mediæ Dolæ diſplicet, eſt vſus huiuſmodi ſcientiæ, quia illa putant ipſius aſſertores, omnia quæ ad noſtram libertatem ſpectent, facilè componi, quod falſitatis plenum eſſe ait numero citato, ideoque, prædeterminantes plurimum vtilitatis Theologis omnibus atque adeò toti Eccleſiæ attuliſſe, dum fortiter obſtiterunt, ne ſcientia media exiſtimata fuerit vniuerſum negotium conciliationis libertatis noſtræ & diuinæ innocentiæ & ſanctitatis, aliaſque difficultates affines explicari per eam poſſe. Porrò cùm hunc vſum ſcientiæ mediæ in illius aſſertoribus Dola improbare affirmet, placet in medium adducere quomodo eadem ſcientia vtatur Dola, ſeu quam vtilitatem Deo huiuſmodi ſcientiam afferre fateatur, & ad quid neceſſariam eſſe huiuſmodi ſcientiam affirmat. Aſſerit in primis teſtimonio modo relato vtiliſſimam eſſe ad prudenter ſancienda decreta prouidentiæ ac ſapientiæ Dei. Deinde 1. part. cap. 7. vt explcicaret quomodo poſſet componi infallibilitas diuinæ prouidentiæ circa prædeſtinatos, & circa actus noſtros liberos cum libertate noſtræ voluntatis, concordiam hanc ſcientiæ mediæ beneficio fieri affirmat, quia cùm Deus per ſcientiam mediam cognoſcat quid voluntas ſit factura, ſi Deus hunc actum intendat, vel illum permittat: *Deus* (ſunt verba Dolæ loco citato, numero tertio) *de actu noſtro à ſe volito & intento erit ſecuriſſimus, quia nullum efficaciter intendet actum, neque ſtatuet permittere aut efficere, vt vllus actus à noſtra libertate liberè fiat niſi quem iam ante & ſecundum rationem priùs per ſcientiam conditionatam præuiderat liberè à nobis eſſe producendam, ſi voluntas noſtra in his vel in illis occaſionibus poneretur.* Deinde paulò inferiùs. *Et ſic patet qualiter admiſſa noſtra ſententia reformatóque illo principio Philoſophico facile ſit intelligere & explicare quomodo in eadem actione libera tam naturali, quàm ſupernaturali, duæ illa conditiones & infallibilitatis & contingentiæ vniri poſſint, quæ videbantur eſſe contrariæ, ſiquidem infallibilitas prouenit ex ſcientia conditionata Dei, libertas autem ex eo quod Deus neque prædeterminet voluntatem, neque cum ea concurrat proximè, &c.* Continent hæc verba totam medullam doctrinæ, quam tradit vniuerſa noſtra Societas de ſcientia condionata, de illius vſu, vtilitate, & neceſſitate: ad hoc enim noſtri Authores illam in Deo expoſcunt vt ſalua noſtra libertate ſubſiſtat infallibilitas diuinæ prouidentiæ, quod verbis relatis defert Dola ſcientiæ conditionatæ. Hanc fuiſſe mentem omnium Doctorum noſtræ Societatis dubitabit nemo, qui in illorum ſcriptis mediocriter fuerit verſatus. Legatur noſter Molina præcipuus huius ſcientiæ propugnator 1. part. quæſt. 33. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. *Et quidem Deus Optimus Maximus.* & quæſt. 22. artic. 1. diſput. 2. Pater Suarez libr. 1. de ſcientia cap. 7. in Opuſc. lib 2. de ſcientia conditionata cap. 2. num. 5. Pater Vaſquez 1. part. diſp. 93. cap. 1. §. *Porrò aliqua*, diſput. 98. cap. 4. §. *Hinc ſequitur.* Pater Leſſius de auxiliis cap. 4. num. 16. Pater Erice tractat. 3. diſp. 22. cap. 3. Pater Alarcon. tractat. 2. diſp. 4. cap. 11. num. 2. & reliqui omnes noſtri Doctores: qui in hac re neque in vngue diſcrepant. Quod ſi apud illos non ſemel inuenies ſcientiam conditionatam neceſſariam eſſe ad noſtram libertatem defendendam, non eſt quia ſentiant formaliter ex vi huius ſcientiæ voluntatem liberam conſtitui cum aliquibus principiis, ex vi quorum omnino inuariatorum libera non eſſet hac ſcientia ablata, ſed quia libertas voluntatis componi non poſſet cum infallibilitate Prouidentiæ diuinæ, ac proinde ne Deus ſe exponeret periculo fruſtrandi ſua decreta, vel cæco modo plura media præuideret voluntati ad effectum, quem Deus decreuiſſet, vt ſi ex vi huius non conſentiret ex vi illius annueret teneretur Deus voluntatem regere mediis principiis ex ſe connexis cum effectu, quæ cum illius negatione antecedenter componi non poſſent, ex vi quorum tota voluntatis euerteretur libertas. 23

Diſcurſum hunc pulchrè expoſuit doctiſſimus noſter Ruiſius tomo de ſcientia diſputat. 59. ſect. 13. num. 11. his verbis, quibus rem totam prolatauit. *Licet conditionata ſcientia ſit abſolutè neceſſaria ad certitudinem prædeſtinationis, & voluntatis Dei, ne patiatur periculum fruſtrationis, nihilominus ad conſequendum effectum prædeſtinationis, vel potius vt iſte homo qui prædeſtinatus eſt, ſit vel aliter operetur, non requiritur conditionata ſcientia formaliter vt præſentia eſt. Cuius ratio* 24

Digitized by Google

ratio à priori eſt, quoniam vt arbitrium concipiat liberam volitionem, ſatis eſt voluiſſe. Deum tribuere omnia principia, ſiue naturalia ſiue ſupernaturalia iuxta exigentiam talis volitionis, & ex parte ſua paratum obtuliſſe concurſum neceſſarium, ita vt per Deum non ſtet, quominus arbitrium operetur. Hæc autem omnia ſufficerent, vt arbitrium operaretur, nec illis omnibus præſcientia conditionata ſuperaddit aliquam virtutem actiuam, ſed tantùm addit certitudinem per media, quoniam præuidet quid operaturum eſſet arbitrium. Hæc Ruiſius quibus alia plura ſimilia potuerit Dola legere, & deprehendere totum ſcientiæ mediæ vſum, quem illius Aſſertores propugnant ab ipſo Dola admitti, & tradi toto ſuo opere, illoque præcipuè indigere præ cæteris omnibus authoribus, vt doctrina, quam hoc opere tradit poſſit componi cum infallibili Dei prouidenntia, ſi quidem minus concurſus phyſici reſpectu noſtrarum actionum Deo tribuit, quàm prædeterminantes & ſcientiæ mediæ Aſſertores, aduerſus quos totam ſuam diſputationem inſtituit. Quomodo autem ad defendendum concurſum ſimultaneum voluntatis ſcientia conditionata tantùm prærequiratur modo explicato, quem admittit Dola antequam huius diſputationem legiſſem, ſcripſeram iam punct. 4. numero 43.

25 Diſplicet etiam Dolæ obiectum ſcientiæ mediæ, quod illius propugnatores aſſignant ad hunc concurſum ſimultaneum componendum cum libertate. Quæ difficultas originem trahit ex eo, quod videatur concurſus iſte libertati aduerſari, quomodo autem cum libertate rectè componatur oſtendo P. 4. Inſuper controu. 7. de Anima P. 6. num. 7. paucis trado quomodo aſſignandum ſit obiectum ſcientiæ conditionatæ Dei, ſecundùm diuerſas opiniones, efficaciter ſuadeo difficultatem in hoc obiecto aſſignando non ex hac materia procedere, ſed totam originem trahere ex principio, quod in ſtatu abſoluto præcedit actum noſtrum liberum: quod ſi ſemel cum libertate componatur, & vincatur difficultas in hoc principio abſoluto cum libertate componendo, nulla erit in hoc obiecto ſcientiæ conditionatæ Dei aſſignando, de quo meum non eſt in hoc opere diſputare, ſufficiat principia Philoſophica tradidiſſe, quibus in Theologia difficultates circa præſentem materiam poſſint componi, quod præſtitiſſe puto hic P. 4. & Contr. 7. de anima P. 6. n. 7. ideo non amplius in hac re immorandum eſt, quia qui nihil lego apud Dolam quod vel leuem ingerat difficultatem.

26 Circa præcipuam quæſtionem, qua intendit Dola Deum non concurrere immediatè ad actus noſtros liberos, non multùm cum illo contendam, quia in toto opere argumentum nullum inuenio pro ſua ſententia, quod in his, quæ ſcripſeram in hoc Punct. & P. 4. antequam hunc authorem legiſſem ſolutum non ſit aut facilè ſolui non poſſit: adducam illico duo fundamenta, quibus vnicè ſua innititur ſententia, & ſolutiones referam, quas adducit rationi, qua ſtabiliuimus Deum neceſſariò concurrere cum omnibus cauſis ſecundis concurſu ſimultaneo identificato cum concurſu cauſæ ſecundæ. Antea vero quàm ad hæc perueniam placet aduertere plures Doctores pro ſua ſententia Dolam congeſſiſſe, part. 4. à cap. 3. vſque ad 8. de quorum mente longum eſſet ſigillatim diſputare, tantùm aſſero, pleroſque tantùm aſſerere Deum non eſſe cauſam actionis peccaminoſæ formaliter, quatenus hæc fundamẽtum eſt malitiæ moralis, quia hæc non fundant malitiam vt procedentem à cauſa prima, à qua ſecundùm totã ſuam entitatem phyſicam phyſicè producitur, ſed quatenus procedit à cauſa ſecunda Vnum præ omnibus impatiens fero annumerari à Dola, ac ſi aſſereret Deum non immediatè concurrere cum voluntate concurſu immediato, & identificato cum concurſu eiuſdem voluntatis: Is eſt eruditiſſimus noſter Didacus Ruiz à quo ſuam ſententiã fruſtrà conatur extorquere Dola 4. part. capit. 8. numer. 5. §. *ſane iſte Author.* Diſcurſus Dolæ hic eſt: Aſſerit docuiſſe noſtrum Ruiſium variis in locis concurſum Dei eundem eſſe cum concurſu creaturæ, exiſtimat tamen oppoſitum docuiſſe, vel ſaltem doctrinam tradidiſſe, ex quo oppoſitum inferatur tomo de ſcientia Dei diſputat. 59. ſect. 1. concl. 1. numer. 6. vbi hæc habet; *Phyſica prædeterminatio non continetur expreſſè in Scriptura ſacra, neque definitur à ſummis Pontificibus, ſacriſve Conciliis, neque traditur à Patribus Eccleſiæ: imo potius hæc omnia ſi bene conſiderentur, efficaciter probant poſſibile eſſe actualiter diſſentire etiam in ſenſu compoſito eũ concurſu primæ cauſæ, atque motione diuina.* Ex quibus verbis ſic argumentatur. Concurſus Dei poteſt componi cum diſſenſu, & diſtingui à conſenſu voluntatis: ergo concurſus Dei diſtinguitur à concurſu voluntatis, quia idem à ſeipſo nequit diſiungi. Neſcio quo fine argumentum inſtituit Dola cùm ipſum non lateret nomine concurſus Dei ſæpe non intelligi concurſum in actu ſecundo, quem identificatum eſſe cum concurſu cauſæ primæ contendimus, ſed concurſum in actu primo, hoc eſt, cauſam ipſam vt paratam ad concurrendum, de qua agit Ruiſius, & quam diſtingui à concurſu in actu ſecundo admittunt omnes. Solutionem hanc Dolam non latuiſſe, neque illius doctrinam ab illo poſſe negari, ipſius teſtantur verba cap. 2. n. 5. quæ iam do: *Concurſum dixi in actu ſecundo, ſiquidem qui hac diſtinctione concurſus in actu primo & in actu ſecundo vti ſolent appellant concurſum in actu primo cauſam ipſam vt paratam ad concurrendum, ſeu ipſam animi præparationem, ſi ſermo ſit de agenti intellectuali, qua præparatione animi cauſa eſt proxime diſpoſita ad operandum.*

Totum fundamentum quod adducit Dola ad negandum concurſum immediatum Dei cum cauſa ſecunda, eſt non poſſe concurſum iſtum componi cum libertate voluntatis & ſanctitate Dei, ſiquidem ex vna parte læderetur libertas, & ex alia actio peccaminoſa Deo tribueretur & poſſet dici author peccati. Quomodo concurſus iſte poſſit componi cum libertate late tradam Punct. 4. vbi explicabo modum, quo cauſa prima cum ſecunda libera concurrat. Et ex hoc concurrendi modo facile conſtabit peccatum Deo non eſſe imputandum, ſiquidem concurrit ad materiale illius determinatus à voluntate, quæ ſe liberè determinat ad talem actum, cum qua Deus concurrit, vt ſtet muneri cauſæ primæ; quomodo autem cauſa ſecunda primam determinet, & in quo ſenſu intelligenda ſit hæc determinatio explico Punct. 4. citato. 27

Innumera argumenta adducit Dola contra concluſionem, quam propugnandam ſuſcepit, quibus Authores noſtrum concurſum ſimultaneum probare intendunt, quorũ nonnullis ſatisfeciſſe non inficior, quia ad concluſionem quantumuis certam & euidentem probandam adduci poſſunt plura argumenta, quibus neque probabilis apparet, quomodo verò reſpondet argumentis à me adductis, quibus firmius innititur noſtra concluſio, & quibus ad illam ſtabiliendam præcipuè vtuntur Authores, iam ſubiicio. 28

Ad argumentum adductum n. 6. quo probabam Deum immediatè influere in effectum, quia aliàs non poſſet illum impedire, quod eſt abſurdum, reſpondet Dola 4. parte cap. 19. numero 7. Deum poſſe impedire actionem cauſæ ſecundæ deſtruendo illam, aut virtutem agendi, quam habet. Secundò reſpondet poſſe Deum impedire actionem cauſæ ſecundæ immittendo illi qualitatem incompoſſibilem cum actione & ſtupefactiuam virtutis agendi. Rurſus ait forſan poſſe actionem impediri à Deo non conferendo illi virtutem qua ſe poſſit determinare ad ſingularitatem indiuiduationis actionis, qua determinatione non præſtita cauſa ſecunda nihil operabitur. Rurſus poſſe Deum impedire actionem voluntatis eam diuertendo ad alia obiecta; aliove modo poſſe impediri actionem à Deo, augendo reſiſtentiam paſſi, ſi ſermo de actionibus, quæ tranſeunt in ſubiectum capax reſiſtentiæ. Vltimò poſſe à Deo impediri actiones, ſi dicatur has dependente à permiſſione diuina.

Ex omnibus modis hunc vltimum, qui probabilitatis aliquid habere poſſet, impugnaui num. 7. Modus alius, quo Deus dicitur poſſe impedire actionem non determinando indiuiduationem illius ſuſtineri nequit, quia ad conſeruationem effectus iam producti non requiritur hæc determinatio, cùm iam ſit cauſa determinata ad conſeruandum effectum, quem produxit, & de hac conſeruatione eadem eſt difficultas, ac de prima productione, quia ſicut Deus poteſt impedire primam productionem, ſic & conſeruationem, & non minùs abſurdè hoc, quàm illud Deo negaretur. Neque hæc ſolutio poteſt ſubſiſtere cum doctrina Dolæ, cùm ipſe ſibi obieciſſet negato immediato concurſu Dei non poſſe indiuiduationem effectus determinari à Deo, quia nullus ſupereſt modus, quo Deus determinet productionem, quæ ab ipſo immediatè non procedit. Reſpondet 4. part. capit. 18. num. 6. hanc determinationem poſſe tribui non Deo, ſed cauſæ ſecundæ his conditionibus affectæ. Primus modus impediendi actionem deſtructa cauſa ſufficiens non eſt, non enim tutè dicetur Deum non poſſe conſeruata 29

cauſa impedire effectum ab illa producendum. Reliqui alij modi per qualitatem ſtupefactiuam actionis, per augmentum reſiſtentiæ paſſi, vel per diſtractionem animi ad alia obiecta, indignè Deo tribuuntur, nimis enim illius omnipotentiæ derogatur, ſi non valeat effectus poſitiui productionem impedire, abſque alius effectus actione poſitiua.

31 Ad argumentum adductum num. 11 quo probabam effectum dependere à Deo per eandem actionem, qua dependebat à cauſa ſecunda, quia actio cauſæ ſecundæ vtpote creatura, à Deo dependere debebat; reſpondet Dola part. 4. c. 17. n. 5. fieri poſſe non ſolùm actionem non dependere à Deo immediatè, verùm etiam poſſe dari cauſam ſecundam, quæ dum alium producit effectum, non dependeat immediatè à Deo, ſed tantùm mediatè, & remotè, nimirum mediante alia cauſa ſecunda. Hæc ſolutio impugnanda eſt ex eo, quod Deus non potuerit effectum productum corrumpere, ſeu non productum impedire, quin deſtrueret non ſolùm cauſam proximam, à qua depédebat, ſed etiam cauſas remotas, vſque peruenire ad illam, in quam Deus immediatè influebat. Quæ impugnatio coincidit cum illa, quam adhibui argumento præcedenti, licèt plus abſurdi extorqueat ab oppoſita ſententia, ex qua deducit non poſſe Deum aliquem effectum deſtruere abſque alia maiori opera, videlicet abſque corruptione plurium cauſarum.

PVNCTVM II.

An prima cauſa determinet ſecundam ad indiuiduationem effectus.

1 OMnis cauſa neceſſaria determinata eſt per ſuam naturam ad ſpeciem effectus naturaliter producendi; ita vt, ſi ignis aliquid producat in paſſo approximato effectus productus ſit calor, & non frigiditas: ex ſe enim ſubſtantia ignis petit producere calorem, & non frigiditatem; quam nequit ſua attingere actiuitate. Cum hac determinatione quoad ſpeciem, eſt alia indifferentia quoad indiuiduationem; ignis enim, qui petit calorem, & non frigiditatem producere, indifferens eſt, vt producat hunc vel illum calorem, ex omnibus, quos in ſua actiuitatis continet ſphæra. Hæc indifferentia determinanda eſt ab aliqua circunſtantia, ſeu comprincipio ab igne diſtincto, in cuius cognitionem conſtituitur diſputatio. Dixi cauſas neceſſarias determinatas quoad ſpeciem effectus naturaliter producendi; quia ſi effectus eſſet ſupernaturaliter producendus per potentiam obedientialem tunc determinatio quoad ſpeciem non à cauſa naturali, ſed à Deo illam eleuante procederet, verbi gratia, ſi aqua haberet potentiam obedientialem ad producendum habitum charitatis, & habitum fidei, dum hic, & nunc habitum charitatis à Deo eleuata produceret, determinatio quoad ſpeciem à Deo eleuante procederet; ideo enim produceret habitum charitatis, potiùs quàm fidei habitum, quia Deus illam eleuaret ad hunc habitum, & non ad illum. Oportet etiam aduertere determinationem quoad ſpeciem tribuendam eſſe principio adæquatè actiuo neceſſariò, non inadæquato: quia potentia viſiua indifferens eſt ad producendas viſiones ſpecie diſtinctas circa obiecta diuerſa; cuius indifferentia determinatur per aliud comprincipium, videlicet ſpeciem impreſſam; qua poſita non poteſt potentia viſiua vltra certam, & determinatam ſpeciem viſionis ſe extendere. Cauſa libera non ſolùm indifferentiam habet quoad exercitium; ſed etiam quoad ſpeciem effectus producendi: voluntas enim ſæpè eſt libera ad amandum, & odio habendum: quæ libertas intrinſece includit indifferentiam ad actus amoris, & odij ſpecie diſtinctos. Hæc indifferentia, quoad ſpeciem actuum ab ipſa voluntate determinatur: alias libertatem non haberet quoad ſpecificationem; illius enim eſt libertas, cuius determinatio indifferentiæ. Solùm impræſentiarum examinandum ſupereſt: à quo proueniat determinatio quoad indiuiduationem effectuum, tam in cauſis creatis liberis, quàm in neceſſariis?

2 Patet Vaſquez tom. 1. in 3. part. diſp. 74. cap. 7. num. 46. affirmat, cauſas omnes naturales determinari quoad indiuiduationem effectuum, quos producunt, à circunſtantiis extrinſecis; ita vt in hoc tempore, in hoc loco, & in hoc paſſo, neceſſario ab hoc agente, procedat hic numero effectus: & hæc numero actio. De actionibus liberis aſſerit in fine diſputationis n. 53. voluntatem eſſe omnino liberam, non ſolùm quoad ſpeciem actus; ſed etiam quoad indiuiduationem. Indiuiduationem effectuum non prouenire ab his circunſtantiis; ſed à Deo parante concurſum ad hunc numero effectum, potiùs quàm ad illum, docuerunt Gregorius de Arimino in 1. diſt. 17. a. 2. ad 7. & d. 25. q. 1. art. 1. P. Suarez in Metaph. diſp. 5. ſect. 3. n. 34. & ſect. 6. à n. 6. Conimbr. 2. Phyſic. c. 7. q. 15. art. 2. & de generat. c. 11. q. 1. art. 3. Fonſec. 5. Metaph. c. 2. q. 9. ſect. 10. Rub. tract. 4. q. 9. num. 3. Hurtad. diſp. 10. ſect. 4. Arriag. diſp. 1. Metaph. ſect. 3. ſubſect. 9.

Acquieſco huic poſteriori ſententiæ; patienter autem non fero, illam intendere probare Arriagam ex principiis noſtri Vaſq. qui oppoſitam defendit. Sic argumentatur Arriaga loco citato. Angeli ſolo numero diſtincti potuerunt produci à Deo ſub eiſdem circunſtantis temporis, & loci; imò qui producti ſunt in hoc tempore, & in hoc loco potuerunt produci in alio: quod adducit ex Vaſq. tom. 2. in 1. part. diſput. 124. num. 14. & diſput. 181. cap. 3. ex quo infert Arriaga alios effectus videlicet cognitiones Angelorum, & productiones formarum materialium potuiſſe alio tempore produci. Porrò difficultatem hanc non admodum attentè eſt meditatus Arriaga; qui ſolutionem luce clariorem non vidit, quam breuiter ſubiicio Determinatio circunſtantiarum conſtituit Vaſquez in ordine ad rationem effectuum, ad quam cauſæ non ſe valent determinare, vnde circunſtantiæ non determinant calorem, vt producat calorem, potiùs quàm frigiditatem, quia calor ex ſe determinatus eſt ad calorem producendũ: determinant verò hæ circunſtantiæ (loquor in ſententia Vaſquez) calorem producentem ad hanc numero caloris productionem, ad quam ſimul, & alias eiuſdem ſpeciei calor erat indifferens. Ex hac doctrina productio Angeli in doctrina Patris Vaſquez non determinatur quoad indiuiduationem, ratione circunſtantiarum: quia cum illius principium effectiuum ſit Deus, qui apprimè nouit vltimam indiuiduationem cuiuſcumque Angeli, & cuiuſuis productionis Angelicæ, valet ſe determinare ad hunc numero Angelum, & hanc numero Angeli creationem, per actum, quo dicat volo creare hunc numero Angelum per hanc numero creationem. Et ſicuti voluntas creata non determinatur ab aliquo extrinſeco ſecundùm rationem effectus ad quam ſe determinare valet: ita neque Deus determinatur ab extrinſeco ſecundùm aliquam rationem ad effectum ab ipſo producendum; quia ipſe valet ſe determinare ad omnem rationem effectus per actum voluntatis, quo imperet omnipotentiæ non tantùm creationem Angeli quoad ſpeciem; ſed etiam hanc numero creationem. Hac ſolutione ſatisfacio Hurtado aſſerenti ſecundùm hanc ſententiam fore Angelos Autumnales, qui tempore Autumno poterunt produci, ſicuti ſunt caſei Auguſtales, & fructus verni, & hyberni; Angelorum enim cauſa libera quoad indiuiduationem effectus, quem producit independenter à quibuſcumque aliis circunſtantiis, ſe determinat ad hunc Angelum ex huius actionis præ aliis creandum. 3

Neque placet argumentum, quod contra hanc opinionem facit omnium ferè recentiorum turba, videlicet Beatiſſimam Virginem meruiſſe ex Chriſti meritis accelerationem incarnationis, & hoc tempore concipi ipſum Chriſtum, qui iam ſupponebatur futurus: quia licet hoc argumentum rectè probet potuiſſe Chriſtum hoc, vel illo tempore concipi potentia abſoluta (idem dico de quolibet alio effectu) non probat, has circunſtantias loci, & temporis non exigere hanc numero productionem; contra quam exigentiam poteſt Deus, quemcumque hominem, in quocumque tempore, producere. 4

Sentio voluntatem creatam non poſſe ſe ipſam determinare ad indiuiduationem actus, quem producit. Probant ferè omnes concluſionem hac ratione. Intellectus non cognoſcit rationem indiuidualem huius actus amoris: ergo ratio indiuidualis actus, vt diſtincta ab omni alio actu indiuiduo tendente circa idẽ obiectum, non eſt libera voluntati. Nó acquieſco rationi: contra quã ſic argumẽtor. Ad hoc, vt actus ſit liber, non requiritur cognitio actus, qui formaliter in ſe liber eſt; ſed tantùm cognitio obiecti, vt patet in volitionibus liberis, quas tantùm præcedit cognitio obiecti voliti: ergo ex eo quod ratio indiuidualis 5

actus

Digitized by Google

actus non cognoſcatur, non infertur non poſſe eſſe liberam reſpectu voluntatis. Rem confirmo, & rationem vrgeo. Ratio ſpecifica amoris, vt diſtincta ab odio, & intenſio actus liberè exercentur reſpectu voluntatis, intellectu non cognoſcente rationem ſpecificam amoris, neque illius intenſionem: ergo ex eo quod intellectus non cognoſcat rationem indiuidualem actus, non infertur hanc non eſſe liberam. Deinde etiamſi indiuiduatio omnium actuum cognoſceretur expreſcè, & diſtinctè à voluntate, nihilominus voluntas non valeret ſe determinare circa omnium indiuiduationem, quod ſic probo. Cognitio, qua ego cognoſco meum actum charitatis, verbi gratia, erga Deum immediatè, & per ſe non conducit, vt ego exerceam actum charitatis, quia hic tantùm regitur cognitione, qua proponitur illius obiectum, ſcilicet Deus, vt bonus: ergo tantùm poteſt conducere, vt ametur talis actus charitatis per actum reflexum imperantem, quo ego dicam: *Volo elicere talem numero actum charitatis*, ex vi cuius imperij eliciatur hic numero actus charitatis: ergo cognitio indiuiduationis tantùm poteſt conducere, vt imperetur à voluntate: ergo indiuiduatio, ex eo quod cognoſcatur, tantùm poteſt eſſe libera, quatenus poteſt eſſe volita, & amata per actum reflexum imperantem talem indiuiduationem actus: ergo indiuiduatio actus voluntatis, quæ non procedit ab illo actu reflexo illam imperante, etiamſi cognoſcatur non poteſt eſſe libera reſpectu voluntatis, ſed non poſſunt omnes actus indiuidui voluntatis procedere ab alio actu reflexo: ergo ſi illorum indiuiduatio expreſsè cognoſceretur ab intellectu, non poſſet eſſe libera. Non poſſe omnes actus indiuiduos voluntatis procedere ab alio reflexo imperante manifeſtè probatur; quia ſi actus procedit ab alio imperante, alius ille imperans vel procedit ab imperante, vel non; ſi procedit, pergo vlterius. & de illo, à quo imperans imperatur, inquiro, an imperetur ab alio? Donec veniam ad aliquem non imperatum, quem ſi non inuenero, in infinitum abibo; de illo ergo non imperato dici non poterit aliquid conducere cognitionem ſuæ indiuiduationis vt voluntas liberè ſe ad illam, præ aliis tendentibus in idem obiectum, determinet.

6 Deſiderabis rationem, propter quam voluntas potens ſe determinare ad ſpeciem, & intenſionem actus, non poſſit ſe ad illius indiuiduationem determinare: illam accipe: Ad illud valet voluntas ſe determinare, ad quod trahitur in actu primo ab obiecto, & ad quod ex vi cognitionis allicitur, & inuitatur: cognitio autem bonitatis inuitat, & allicit voluntatem ad amandum, & non ad odio habendum; & ita voluntas ex vi cognitionis, quæ repræſentatur obiecti bonitas, inuitata ad amandum, valet ſe determinare ad amorem; quod eſt determinare ſe ad ſpicificationum actus. Idem dico reſpectu intenſionis: quia bonitas obiecti voluntatem trahit ad amorem, & quo maior eſt illa, & viuacius proponitur, trahit ad maiorem, ſeu intenſiorem amorem; ad quem inclinat cognitio bonitatis, & ita voluntas inuitata per cognitionem ad totam intenſionem amoris, quam poteſt elicere, ex vi talis cognitionis, valet intra illam intenſionem, ſe determinare ad plures, paucioréſve gradus amoris, etiamſi illorum intenſionem. aut ſpecificationem non cognoſcat. Reſpectu indiuiduationis hæc ratio non habet locum: quia nulla apparet ex parte obiecti bonitas, vel formalitas, quæ petat amari hoc indiuiduali actu amoris, & non alio eiuſdem rationis, neque ex obiecti meritis (vt ſic loquar) illi debetur talis numero actus amoris, vt diſtinctus ab omni alio, ex meritis autem obiecti boni, ſeu rationis formalis terminantis actum amoris debetur amoris actus, vt diſtinctus ab actu odij, & debetur amor in tanta in tenſione, ſalua libertate voluntatis, quæ poteſt obiectum, quod ex vi repræſentationis, qua obiicitur petit amari amore intenſo, vt ſex, ad quem inclinat illius repræſentatio, amare actu intenſo, vt quatuor, vel tantum vt duo, ſeu in quacumque intenſione contenta infra maximam, ad quam ſe poteſt extendere ex vi bonitatis propoſitæ, ſeu cognitionis inclinantis ad amorem. Ex hoc inferes rationem, propter quam voluntas non poteſt ſe determinare ad indiuiduationem actus eſſe, quia nulla apparet formalitas in obiecto volito, quæ inclinet ad hanc indiuiduationem actus, vt diſtinctam ab omni alia eiuſdem ſpeciei.

7 Danda eſt vltima determinatio indiuiduationis effectus procedentis à cauſa creata, Deo, qui cauſam neceſſariam determinatam quoad ſpecificationem, & liberam ſe determinantem ad ſpeciem effectus, determinat ad hanc indiuiduationem effectus, & actionis, vt diſtinctam ab omni alia eiuſdem ſpeciei. Moueor ad aſſerendum hanc determinationem prouenire à Deo, & non à circunſtantiis; quia determinationem hanc poſſe à Deo procedere difficultate caret, & vix concipi poteſt, quomodo ab aliis circunſtantiis poſſit procedere; quod ſic oſtendo: Si tempus determinat hunc numero effectum, inquiro; quis determinat hoc numero tempus, ſeu hanc numero cœli motum, potiùs quàm illum? Si dicas tempus imaginarium; clarè impugnaberis; quia hic numero cœli motus potuit eſſe in hoc vel in illo imaginario tempore eo modo, quo dicitur motus eſſe in tempore imaginario. Fortiùs: tempus imaginarium nihil eſt reale; ſed tantùm purum figmentum: quomodo ergo valebit determinare indiuiduationem effectus realis, & poſitiui? Deinde de circunſtantia loci inquiro; quæ iſta ſit? an locus extrinſecus; hic non; quid enim mea hoc, vel illo aere ambiri? hac vel illa tegi veſte ad hanc numero volitionem, & non aliam ab hac diſtinctam producere? Si dicas eſſe locum intrinſecum, ſeu præſentiam; rurſus teneberis alias circunſtantias aſſignare, quibus hæc quoad indiuiduationem determinetur. Recurres ad ſpatium imaginarium loci, quod eodem modo reiicitur, ac ſpatium imaginarium temporis. Deinde licèt corpus non poſſit habere in alio ſpatio præſentiam quam in iſto habet; poteſt tamen in iſto hanc, vel illam habere, homo enim, qui ab hoc ſpatio diſcedit, etiamſi ad illud redeat, non eandem numero præſentiam acquirit; ſed aliam numero diſtinctam, aliàs idem numero effectus reproduceretur, præcipuè in corporibus cœleſtibus, quæ ſæpe idem ſpatium remeant, & idem indiuiſibiliter ſumptum cum eadem indiuiſibili correſpondentia partium occupant, quod prius occupauerant. Video te de ſpatio imaginario loci, ad ſpatium imaginarium temporis fugientem, vt vim argumenti effugias: ſed imaginaria ſatis eſt ſolutio, quæ ab imaginariis deſumitur. Et ſanè percipi non poteſt: quomodo circunſtantiæ adeò extrinſecæ poſſint hanc præſtare determinationem: neque vlla eſt poſitiua ratio, quæ id ſuadeat, ex quo non leue deſumitur fundamentum pro noſtra ſententia.

8 Rurſus argumentor pro ſententia tradita: Deus eſt cauſa libera omnium effectuum, quos producit vt cauſa prima cum cauſis ſecundis, & neceſſariis: ergo ſicut cauſa libera creata determinat effectum ſecundùm rationem, quam poteſt determinare, cauſa libera increata determinabit eundem effectum ſecundùm rationem, quam poteſt illum determinare, ſalua libertate cauſæ liberæ creatæ, & determinatione cauſæ neceſſariæ: ſed Deus poteſt determinare indiuiduationem effectus ſalua libertate cauſæ liberæ creatæ, & determinatione cauſæ neceſſariæ: ergo illam determinabit. Sola pars illa minoris, quæ aſſerit Deum poſſe determinare indiuiduationem volitionis, ſaluâ libertate voluntatis, quam aliqui negarunt indiget probatione, illam exhibeo. Circunſtantiæ temporis, & loci ſecundùm communem ſententiam non tollunt libertatem, etiamſi determinent indiuiduationem effectus: ergo neque Deus libertatem auferet, ſi idem præſtet, ſicuti enim determinatio, quæ eſt à Deo non eſt à voluntate: ſic determinatio, quæ eſſet à circunſtantiis non proueniret à voluntate: ergo ſicuti hæc non eſſet contra libertatem voluntatis, ita neque illa. Secundò etiamſi voluntati liberum ſit amare, vel non amare, non eſt illi liberum ex ſuppoſitione, quod liberè ſit amatura amare hoc numero actu, potiùs quàm alio eiuſdem rationis ſpecificæ tendente in idem numero obiectum: ergo determinatio quoad hanc indiuiduationem non poteſt eſſe contra libertatem voluntatis, determinatio enim actus ſecundùm rationem, qua liber non eſt reſpectu voluntatis, non poteſt huius lædere libertatem. Secundò modus, quo Deus determinat voluntatem ad hanc numero volitionem, eſt parando concurſum indifferentem, vt voluntat eliciat, vel non eliciat hunc numero actum, & non parando ſimilem concurſum indifferentem, vt voluntas eliciat, vel non eliciat, hunc numero actum, & non parando ſimilem concurſum ad alios actus eiuſdem rationis, qui poſſent ex eiſdem principiis huius loco procedere: ex quo infertur, quòd ſi voluntas ſit operatura pro ſua libertate, hunc actum eliciat, & non alium ſalua illius libertate ad hunc eliciendum, & non eliciendum: ergo determinatio indiuiduationis volitionis præſtita à Deo nullo modo lædit libertatem voluntatis.

9 Obiicies, ſequi ex noſtra ſententia Deum eſſe cauſam, vt ſit potius hoc peccatum, quàm illud: quod eſt abſurdum. Reſpondeo, Deum nullo modo eſſe cauſam malitiæ peccati: ac proinde non eſſe cauſam, vt potius ſit hæc malitia, quàm illa, neque Deo tribuitur, vt hic, & nunc ſit numero actio materialis peccati; quia Deus non poſitiuè determinat illius exiſtentiam; ſed parat concurſum indifferentem ad illam, quem non præbet ad aliam exiſtentiam eiuſdem rationis: ac proinde Deo tribui poteſt negatio exiſtentiæ aliûs actionis materialis peccati, quia non præſtat concurſum indifferentem ad illum, ſine quo fieri nequit: exiſtentia verò huius actionis materialis cauſæ ſecundæ tribuenda eſt; quia hæc tantùm illam determinat offerente Deo concurſum indifferentem ad actionem peccaminoſam exhibendam, & non exhibendam. De hoc iterum latiùs, & opportuniùs redibit ſermo Punct. 4. §.5. à num. 46.

10 Obiicies præterea: cauſa prima determinat effectus quoad indiuiduationem: ergo quoad ſpeciem; quia indiuiduatio, & ratio ſpecifica effectus non diſtinguuntur. Alio modo ſolet ex eodem principio obiici. Cauſa ſecunda determinat effectum quoad ſpecificationem: ergo quoad indiuiduationem; quia ſpecificatio, & indiuiduatio in effectu non diſtinguuntur. Hoc argumentum æquè procedit in ſententia, quæ determinationem indiuiduationis tribuit extrinſecis circumſtantiis. Reſpondeo indiuiduationem, & ſpeciem à parte rei non diſtingui in hoc indiuiduo; & cauſam determinari quoad ſpeciem eſſe idem, ac determinari quoad plura indiuidua ſub disiunctione, hoc videlicet, vel illud, ex quibus Deus vnum determinat; qui non dicitur determinaie rationem ſpecificam; quia quodcumque quod determinaret, ex his, ad quos cauſa ſecunda ſub disiunctione eſt determinata, eiuſdem eſſet ſpeciei cum hoc, quod determinat.

Pvnctvm III.

De Phyſica prædeterminatione.

1 NOn diſputo modò, an phyſica prædeterminatio libertatem lædat? vel an requiratur ad actus liberos ſalutares, ex ſpeciali prouidentia Dei erga prædeſtinatos? hoc enim ad Theologum attinet; ſed an præciſè ex modo phyſico, quo effectus producitur, neceſſariò ſit conſtituenda, nécne?

§. I.

Vtráque ſententiâ propoſita, verior eligitur.

2 STatuimus iam ſtrictiſſimam dependentiam, quam habet cauſa ſecunda à prima, non ſolùm vt exiſtat, verùm etiam vt operetur, ex vi cuius nihil poteſt cauſa creata producere, Deo non concurrente cum illa ad effectus productionem. Indagandum eſt modò, an Deus tantùm concurrat cum creatura concurſu ſimultaneo per actionem indiuiſibiliter dependentem à cauſa prima, & à cauſa ſecunda? an verò concurrat per præuiſam aliquam præmotionem, ſeu qualitatis infuſionem, ex vi cuius cauſa determinatur ad operandum?

3 Vniuerſa Thomiſtarum ſchola, vt viam ſterneret ad alia Theologiæ altiora, præter concurſum comitantem cauſæ primæ cum ſecunda, antecedentem, ſeu præuium alium his temporibus inuenit, quem accerrimè propugnat; aſſerítque neceſſum eſſe aliquid produci à Deo in cauſa ſecunda, quod huius operationem præcedat, & prædeterminet, ex vi cuius cauſa ſecunda prædeterminetur ad operandum. Hic concurſus præuius variis nominibus à Thomiſtis nuncupatur. Quidam illum appellant phyſicam prædeterminationem; alij præmotionem; alij qualitatem prædeterminantem; alij impreſſionem; alij complementum. Tota Societatis ſchola qualitatem hanc totis viribus reiicit. Vtriuſque ſcholæ Doctores abundè apud quemlibet reperies; ideò nullum refero: tantùm moneo nullum ex noſtræ Societatis Auctoribus non illam abundè impugnaſſe: ex illuſtriſſima verò Dominicanorũ familia nullum, ante Bañez qui huius prædeterminationis fuit primus parens, illam docuiſſe, & poſt hunc illam abiuraſſe Aluelda diſput. 58. & diſput. 6. membr. 2. & M. Fr. Laurent. Gutierrez vir miro ingenio præditus, excellénſque doctrinâ, vehementer ſemper hanc prædeterminationem ſtomachatus eſt, & M. D. Fr. Antonius Viezma Epiſcopus Petrenſis, & poſtea de Almeria, qui diu primárius Cathedræ Theologiæ, magno huius Complutenſis Vniuerſitatis plauſu, fuit Profeſſor, numquam materias de gratia, ſcientia, & prædeſtinatione ſcripſit, neque verbo explieauit, ne in hanc prædeterminationem, contra propriam mentem prædeterminatus, incideret, vt ſæpe noſtris ipſe teſtatus eſt.

Antiquos omnes diſcipulos D. Thomæ pro noſtra ſententia eſſe & phyſieam prædeterminationem, quam modò Thomiſtæ moderni defendunt, neque à longè ſalutaſſe optimè oſtendit noſter Ruicius tomo de ſcientia diſp. 49. ſect. 6. vbi oſtendit clariſſimis teſtimoniis S. Antonini, Ægidij, Romani, Rainerij, Paludani, Capreoli, & Cajetani, Dezæ, Contradi, & Holcot, etſi in Nominalium claſſi annumerari ex illuſtri Dominicanorum familia teſtimoniis horum Doctorum referendis abſtineo, quæ apud Ruicium legi poterunt. 4

His, & aliis fundamentis munitis ſcripſi Magiſtrum Bañez primum fuiſſe parentem phyſicæ prædeterminationis, quod anteà notarunt noſtri Recentiores, & poſtea Typis mandauit Ripalda tom. 2. de ente ſupernaturali lib. 5. diſp. 113. ſect. 4. n. 6. contra vtrumque inſurgit nouus quidam his verbis: *Eam tuentur* (ſcilicet phyſicam prædeterminationem) *omnes S. Thomæ diſcipuli nullo, quem ſciam dempto. Quia tamen ſunt, qui abſque vllo fundamento auſi ſunt affirmare: imo & ſcribere, & typis mandare, quod primus Author huius ſententiæ fuit M. Bannez, & quòd eam poſtea abiurarunt Magiſter Aluelda, & M. Araujo, & alij Patres Magiſtri Primarij Complutenſes, & Salmanticenſes in gratiam veritatis vtrumque mendacium paucis, ſed euidentiſſimis refellam Authorum teſtimoniis.* Modum loquendi huius Religioſi corrigere ſuorum Prælatorum erit, meum tantùm eſſe volo oſtendere meum, & Ripaldæ aſſertum veriſſimum eſſe, neque teſtimonium aliquod ab hoc Recentiori adduci, quo vel in minimo noſtram veritatem ſuſpectam reddat, ſingula ab ipſo adducta referam oſtendamque illibatam noſtram veritatem relinquere. 5

Prado 1. Controu. 12. art. 2. n. 35.

Primo loco hæc Capreoli verba adducit, diſt. 5. quæſt. 2. *Deus eſt cauſa non ſolum naturæ, ſed etiam cuiuſlibet actionis creaturæ, quatuor modis, videlicet dando virtutem, eam conſeruando, & inquantum mouet ad agendum, & denique prout quodlibet agens eſt inſtrumentum diuinæ virtutis operantis.* Neſcio in quo ex his verbis euidentiam ſui intenti Magiſter iſte reperiat, ex quo phyſicam prædeterminationem deducat? Deum dare virtutem, & eam conſeruare cum prædeterminatione non concernit. Applicare virtutem ad agendum ſine prædeterminatione ex diuerſis capitibus cognoſci poterit, quia Deus cauſam conſeruat, & expeditam facit ad agendum, & quia ſuam omnipotentiam applicat ad concurrendum cum illa. Denique cauſam eſſe inſtrumentum Dei dicit cauſam operari per virtutem à Deo acceptam, atque productam, & hanc non poſſe operari Deo cum illa non operante. 6

Subdit ex eodem Capreolo, *cauſa conferens, & conſeruans virtutem, cuiuslibet agentis ſecundi mouens illam ad operandum, & eam ſuo effectui coniungens operatur in qualibet operatione agentis ſecundi, ſed Deus eſt huiuſmodi: igitur.* Concedo conſequentiam, videlicet Deum operari in qualibet operatione agentis ſecundi; ſed quid inde? Vnde phyſica prædeterminatio? Si eam in voce illa mouens inuenire vult; oſtendam in ea non eſſe, & ita alibi quærendam. 7

Tandem hanc propoſitionem ex Capreolo ſubdit. *Dico, quod ſimul tempore, ſed priùs natura actio primæ cauſæ attingit effectus, quàm actio ſecundæ.* Ex mente Capreoli, Deus eſt cauſa actionis creaturæ producendo, & conſeruando virtutem actiuam, vt conſtat ex teſtimonio prius adducto, conſeruare autem, & producere virtutem creatam prius natura eſt, quàm actionem à virtute procedere. 8

Debilia profecto ſunt iſta; vrgentiora dato. Audiat modernus iſte Capreolum, quem ſuum patronum vocauit, pro me contra ipſum loquentem. Sic habet in 1. diſt. 45. quæſt. vnica ad quartum contra tertiam concluſionem. *Voluntas quantum ad exercitium actus, ſcilicet, vt velit, vel non velit determinatur à ſe ipſa: & illud, quo ſe ad hoc determinat, eſt actus eius determinatus.* Non clarioribus verbis potuit dici voluntatem ſe ipſam determinare per proprium ſuum actum; & ita ad hunc nullam illius determinationẽ ſupponi. 9

Deinde

Digitized by Google

10 Deinde in 2.diſt.24. q. vnica art.3. inter medium, & finem ad quoddam argumentum. Voluntas quantum eſt de ſua natura eſt ad oppoſita. *Ipſa tamen ratione ſuæ libertatis ſe determinat ad id quod vult, & ipſa non indiget alia determinante.* Verba, quæ adeo clarè principium à voluntate diſtinctum determinans negant, explicatione non indigent.

11 Rurſus idem Capreolus diſt. 25. ſequentique vnica columna tertia, & quarta, ait. *Actus elicitus à voluntate contingenter, & euitabiliter exenit, & producitur à cauſa de ſe indeterminata, quæ poteſt ſeipſam determinare.* Videat modernus iſte, quem Authorem ſuæ ſententiæ vindicem inuenit, conferat teſtimonia, quæ ex eo pro mea ſententia adduco cum his, quibus ille in ſuam trahere intendebat: agnoſcétque melius illi fuiſſe huius Authoris non meminiſſe.

12 Secundo loco Caietanus adducit 1. parte q. 45. §. *Ad durandum* vbi affirmat: hanc propoſitionem eſſe veram. *Angelus, & omnis cauſa ſecunda non agit, niſi agatur à prima.* Explicui punct.3.n.27. quid ſit cauſam ſecundam non agere, niſi agatur à prima: oſtendique ex Angelico Doctore q. 6. art. 1. ad ſecundum hoc tantum importare omnem cauſam ſecundam agere per virtutem à Deo receptam.

13 Tertio loco adducit Sauellum lib.6. Metahp.quæſt. 11. ad primum, vbi ait, cauſa ſecunda non mouet, niſi in quantum mouetur à prima. Iam euici apertiſſimis teſtimoniis Diui Thomæ & Caietani tantum hoc dicendi modo ſignificari nullam cauſam ſecundam ſe mouere, niſi per virtutem à prima productam.

14 Tandem adducit Magiſtrum Bartholomæum de Medina 1.2.quæſt.9. art. 6. ad tertium, vbi hæc habet, *Res certiſſima eſt, voluntatem noſtram nihil poſſe velle boni, aut mali, niſi prius moueatur à Deo ad operandum, ſicut penicillus nihil poteſt operari, niſi prius à principali agente ad operandum moueatur.* Hoc veriſſimum eſt, veruntamen vnde locus ad probandum hanc motionem non eſſe per cognitionem indifferentem, ſed per phyſicam prædeterminationem.

15 Extra Thomiſtarum claſſem refert Ægidium Columnam aſſerentem, prius attingere Deum quemlibet creatum, quam illum attingat creatura, quia Deus illum attingit ſub ratione vniuerſali entis, & creatura ſub ratione talis entis. Sed hoc ad rem non eſt, quia tantum dicitur de prioritate vniuerſalitatis ex eo, quod Deus producat omne ens, & cauſæ creatæ tantum poſſunt producere talia entia certa, & determinata, & non alia, neque aliud importat Deum producere effectus ſub ratione entis, cum certum ſit producere omnes rationes, quæ in quolibet indiuiduo effectu continentur, omneſque eodem prorſus modo à Deo dependere.

16 His clauduntur teſtimonia omnia, quæ euidentiſſima promiſit Modernus iſte ad ſuum intentum probandum, quorum explicatione à me adducta, ſeu potius ſimplici illorum propoſitione ſatis propulſatam eſſe notam mendacij compertum eſt, clariuſque conſtabit neminem ante Magiſtrum Bañez phyſicam prædeterminationem docuiſſe, neque vllum ſiquidem Authorem inuenire potuit nouus iſte, quem legitimè pro ea adduceret.

17 Supereſt excutere aliam mendacij notam, quam idem Modernus mihi, & Ripaldæ impoſuit ex eo, quod dixerimus Magiſtrum Araujo, & Magiſtrum Alueldam alioſque RR. Complutenſes, & Salmanticenſes phyſicam prædeterminationem abiuraſſe. De M. Arauxo nihil ego dixi, nec dicere potui, quia illius opus, poſt meum lucem vidit verũtamen id veraciſſimè dixit Ripalda cum phyſicam prædeterminationem prolem eſſe expoſitam ad fores Scholæ Thomiſtæ, vt à Thomiſtis, vel inuitis, & extraneis parentibus aleretur. Mag. Arauxo, nunc digniſſimus Segouienſis Epiſcopus dixit, non ſecus inquit, 1.2.q.111. art.5.dub.6. n.36. *Atque infans foribus Eccleſiæ exponitur, vt ab ipſa volente, nolente ve in curam, & tutelam recipiatur.* Iudicabam me profecto de phyſica prædeterminatione egregie meritum, dum illi nobiliſſimum Parentem Magiſtrum Bañes adſcribebam, quam expoſitam prolem ad Thomiſtarum valuas appellat digniſſimus pariter, ac ſapientiſſimus hic Præſul ex præclara ipſa Prædicatorum familia. Qui quidem n.40. & 41. latiſſimè hanc phyſicam prædeterminationem impugnat, ex Trident. probátque libertatem euertere. Verba Authoris longius non profero, quia iſte, cum quo diſputo auſus non eſt negare, ita ſcriptum reperiri in libro ſcripto à Magiſtro Araujo, nequidquam aliud illi reſpondendum occurrit, quam aſſerere tractatum illum repertum in libro huius Authoris, illo viuente, & ſciente, & volente, eiuſdem Authoris non eſſe; ſed ab alio elaboratum, qui in Bibliotheca communi adſeruatur proprij Authoris nomine, & ſapientiſſimus Magiſter Araujo cum ſuis imprimi permiſit. Præſto fidem ſubleuanti meam, habeo iam duplicem patronum huius tractatus, in quo phyſica prædeterminatio ad fores Thomiſtæ ſcholæ expoſita eſſe dicitur, vnum illum, qui tractatum hunc elaborauit, ſub cuius nomine in Bibliotheca adſeruatur communi; alterum doctiſſimum Mag. Araujo, qui tractatum iſtum approbauit, & adoptauit, & cum ſuis imprimi permiſit.

Venio ad Albeldam, quem dixi phyſicam prædetermi- 18
nationem abjuraſſe, quod inquit Magiſter iſte nunquam ſe eſſe crediturum, non peto, vt credat, ſed vt legat, & attendat. Audiat Albeldam 1. part. diſput. 58. ſect. 2. in initio ſic proponentem phyſicæ prædeterminationis ſententiam. *Aliqui ex iunioribus Thomiſtis ita explicant, diuinæ prædefinitionis circa actus noſtros liberos bonos, vt dicant gratiam auxiliantem, præuenientem conſenſum noſtrum eſſe qualitatem per modum actus primi inhærentem voluntati, ſemper intrinſecè perfectiorem, & alterius rationis, quam gratia auxilians, quæ datur ei, qui diſſentit, etiamſi ſint inæqualiter tentati, aſſerunt enim qualitatem huiuſmodi eſſe vltimate complentem potentiam voluntatis, & reducentem illam, quaſi inchoatiuè de actu primo ad actum ſecundum, ac proinde neceſſe eſſe exiſtimant, quod auxilium, quod eſt efficax in vno, etiam leuiter tentato intrinſecè, & ex natura habeat, quod ſit efficax in quocumque alio, quantumvis grauiſſimè tentato: quia dicunt hanc eſſe naturam huius qualitatis, vt in quocumque ſuppoſito ſit vltimum complementum potentiæ actiuæ reducens illam quaſi inchoatiuè de actu primo, ad actum ſecundum.* E contra verò proſequitur explicando naturam gratiæ purè ſufficientis eadem proportione. Sic proponit phyſicæ prædeterminationis ſententiam, quam dicit eſſe aliquorum iuniorum Thomiſtarum. Secundo loco proponit ſententiam noſtrorum Authorum, & poſtea ex propria ſententia paulo ante num. 10. ſic habet. *Prædictæ tamen ſententiæ veræ non ſunt pro quarum impugnatione dico contra primam ſententiam, non oportere, quod gratia præueniens, quæ in vno eſt efficax ſit etiam efficax in alio maiori tentatione vocato, &c.* Rurſus paulo ante num. 11. contra eandem ſententiam ſic habet. *Secundo probatur, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, quod auxilium efficax ſit talis naturæ, vt voluntas noſtra non poſſit illud abycere, non ſolum poſſibilitate conſequenti, ſed etiam poſſibilitate antecedenti, ſeu quod idem eſt non ſolum in ſenſu compoſito, ſed etiam in ſenſu diuiſo: Conſequens dici non poteſt, quia contrariatur Tridentino ſeſſ.6.cap.5.* Poſtea num.12. ſic eandem ſententiam inſequitur. Tertio probatur, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur non eſſe laudandos magis viros ſanctos, qui de grauiſſimis tentationibus victoriam reportarunt, quam eos, qui ſolum vicerunt leuiſſimas, quæ argumenta ex noſtris Authoribus mutuatus eſt Aluelda.

Subdit poſtea: ſect.3. pag.709 n.36. cuius ordinem Ty- 19
pographus inuertit; poſſe diſſenſum componi cum auxilio efficaci, quo nihil longuis à phyſica præmotione, ſunt verba Albeldæ. *Ex quo colige, quod non dicitur diſſenſus impoſſibilis in ſenſu compoſito libero arbitrio, ſic excitato, hoc enim falſum eſt, nam cum liberum arbitrium ſic excitatum ſit proxime, & expedite indifferens ad vtrumlibet, alias liberum non eſſet, non implicat abſolutè poni diſſenſu cum illo ſic excitato.* Dubitare Albeldam his in locis, & per totam diſputationem impugnare phyſicam prædeterminationem, eſt media in luce cæcutire.

Obiicit Recentior iſte Albeldam dixiſſe diſp.6.neceſſa- 20
rium eſt Dei præuium concurſum actualem in ipſas cauſas ſecundas. Id forſan dixit de decreto concurrendi, aut de modis illis concurrendi ad actiones cauſæ ſecundæ, quos Capreolus dixit Deum habere producendo virtutẽ, & illam conſeruando, quod ſatis indicat ibi Albelda per hæc verba. *Oppoſita ſententia ſicut communis eſt apud omnes Philoſophos antiquos, ita certiſſima, & lumine naturali videtur nota.* Huc vſque ex Albelda retulit recens ille, & immediata verba ſubticuit ad alia tranſiliens, vt ſenſum huius Authoris in fauorem phyſicæ prædeterminationis detorqueat *Pro cuius declaratione*, (proſequitur Albelda) *ſupponendum eſt, quod in quacumque cauſa creata aliud eſt eſſe, aliud operari, ita etiam in illa duplex reperitur dependentia à prima cauſa, altera in eſſendo quando videlicet à Deo habet eſſe, vnde ab eo dependet in fieri, & conſeruari. Alia vero eſt in cauſando, quatenus videlicet à concurſu cauſæ primæ dependet concurſus cauſæ ſecundæ. Vtramque autem dependentiam expreſſit Apoſtolus.* Quod ſi alia obſcura, & inuoluta in hoc Authore

inueniantur,

inueniantur, quibus videntur ſibi contradicere, aut conſequenter non loqui, de hoc ego non curabo dum oſtenderim clarè, & manifeſtè Authorem hunc phyſicam prædeterminationem impugnare.

21 De Magiſtro Laurentio Gutierrez nihil habuit hic Author, quo probare contenderet eam phyſicam prædeterminationem defendiſſe, neque ego habeo, quo reuincam animoſitatem hominis, qui ea, quæ in libris ſcripta leguntur aperto negat, id certo mihi conſtat, quod cum in ſuo Collegio Sancti Thomæ quibuſdam publicis diſputationibus præeſſet anno 1613. & à Patre quodam è noſtris argueretur de efficacia gratiæ Hiſpanè reſpondit. *No es mi ingenio para abrazar eſas durezas, y nunca las pude entender.* Quæ verba inſeruit poſtea P. Gaſpar Hurtado veraciſſimus vir in tractatu de auxiliis ipſo Magiſtro in hac Vniuerſitate reſidente, ſciente, & conſentiente; cuius tractatus copiæ hodie apud nonnullos extant, quod iterum ex hoc ſuggeſtu dictauit P. Ioannes Antonius de Vſon, de illuſtriſſ. de Fratre Antonio Viezma dixit abſtinuiſſe ſemper à quæſtionibus de efficacia gratiæ, & ſcientiæ mediæ cuius teſtes ſunt quotquot in hac Vniuerſitate illum cognouere, alibi addidi hoc feciſſe, ne contra propriam mentem prædeterminationem cogeretur docere; hoc ſæpe ab ipſo audiui, & multis argumentis poſſem confirmare. Inſinuare ſufficiat doctiſſimum virum, dum adhuc Vniuerſitatis Cathedram regebat à diſciplina diſcipulorum domeſticorum fuiſſe ſemotum, cuius loco ſuffectus fuit Magiſter Ioannes à ſancto Thoma, vt ſuos phyſicis prædeterminationibus imbueret quo doctiſſimus vir fuit coactus ad priuatam domum diuertere, qua à ſuis derelictus pauperrimam vitam degebat.

22 Opponit nobis Magiſter iſte: Patrem Enriquez, & P. Pereira phyſicam prædeterminationem fuiſſe amplexatos, ſed vtrumque iam ab hac impoſtura vindicauit Paulus Leonardus in ſuis reſponſionibus ad expoſtulationes contra ſcientiam mediam, ſed ipſi de ſe loquantur ſic habet Enriquez lib. de fine hominis cap. 4. vbi pro ſua ſententia illum refert Recentior iſte, quod prius fecerat Aluarez lib. 6. reſponſionis cap. 1. n. 25. *Neque vlla ratio, aut authoritas cogit dicere, quod Deus actu libero prædefiniuit omnia futura conditionata nempe, quis effectus, aut qualis operatio ſequeretur, ſi in tali, aut in alio ſtatu, aut circunſtantiarum concurſu conſtitueret? nam hic actus in Deo videtur otioſus, & nihil facit ad rerum productionem, conſeruationemque, aut decorem vniuerſi.* Quibus valde diſtat à prædefinitionibus Thomiſticis, ſed clarius, & magis cap. 14. n. 9. vbi ſic habet. *Si quis conſideret ſpeculatiue duos homines æquales in naturalibus bonis, in habitibus & cauſarum concurſu, & eos moueri auxilio omnino æquali ex parte obiecti, & potentiæ non videtur implicare ex natura rei, vt vnus cooperetur, & conuertatur, altero non conuerſo.* Doctrina hæc clare opponitur cum phyſica prædeterminatione.

23 Benedictus Pereira l. 8. phyſ. c. 9. ſic ſcribit: *Si enim voluntas ita moueretur, vt ipſa ſe nullo modo moueret ad agendum determinaret omnis profecto meriti, & demeriti libertatis ratio funditus tolleretur. Sed quia Deus ſic eam mouet, & ipſa nihilominus ſe ipſam moueat. & per ſuam deliberationem determinet ad agendum, hoc vel aliud quidpiam ob eam cauſam merito appellatur.* Expende verba illa *ſe determinaret, ſe determinet.* Per motionem autem Dei nihil aliud intelligit, quam dependentiam à Deo in operari, vt ipſe ſtatim explicat his verbis, *non enim intelligendum eſt voluntatem eſſe liberam omnino, ita vt à nullo dependeat, nullique ſubiiciatur, hac enim libertate ſolum Deum liberum eſſe cognoſcimus*

24 Iactat Recens iſte Ferdinandum de la Baſtida, qui Romæ pro ſententia Societatis pugnauit, poſtea ſui iuris factum Abulæ phyſicam prædeterminationem defendiſſe. Eſto: ſed qui nobis cum his, qui foris? Sed ne hanc gloriolam habeat Thomiſta moneo Baſtida phyſicam prædeterminationem Abulæ defendiſſe intra clauſtra Dominicanorum in prælectionibus habitis pro laurea doctoratus, qua ab ipſis Dominicanis erat donandus. Quid ergo mirum ſi illis blandiretur, dum aliter faciens, loco prætenſæ laureæ proclamationes Fratrum poſſet pertimeſcere, quod addit, Baſtidam videlicet Valliſoleti Phyſicam prædeterminationem docuiſſe ab viris fide dignis aliter eueniſſe compertum habeo.

25 Vltimo opponit è noſtris Patrem Michaëlem Marcos in manuſcriptis in lucem non editis phyſicam prædeterminationem tenuiſſe. Reſpondeo conſtans eſſe Magiſtrum iſtum in matura ætate conſtitutum in noſtro Collegio Salamantino ſcientiam mediam, & auxilia indifferentia docuiſſe, & phyſicam prædeterminationem impugnaſſe, quod ſi forſan iuuenis ante hanc controuerſiam cum Dominicanis excitatam dum vigebat imperium Magiſtri Baſſes tempori inſeruierit, ſeruaueritque Molinæ, & aliis primoribus Societatis prælium primo inſtituere, & agmina recentiorum Thomiſtarum impetere mirum non eſſet.

26 Hæc de mente Antiquorum diſcipulorum S. Thomæ veraciter Thomiſtarum, neque aliter ſentientes D. Thomæ conſentirent, qui longe alienus fuit à phyſica prædeterminatione abſtruenda, eamque admittendam non eſſe conſtat ex eodem Angelico Doctore. Integrum librum de hoc argumento neruoſe, & erudite ſcripſit Petrus à S. Ioſepho, quem inſcribit *defenſio S. Thomæ Aquinatis aduerſus recentiores quoſdam Theologos, qui prædeterminationem phyſicam ad actus liberos illi falſo aſſignant.* Idem argumentum feliciter inſequitur noſter Ruiz tom. de ſcientia diſput. 49. ſection. 2. & 3. & 4. vnum vel alterum teſtimonium Angelici Doctoris adducam, quo ſtare pro noſtra ſententia negante phyſicam prædeterminationem compertum erit.

27 Hoc probo imprimis ex prima ſecundæ q. 9. art. 6. ad 3. *dicendum quod Deus mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac motione vniuerſali homo non poteſt aliquid velle, ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verum bonum.* Expende verba illa homo per rationem determinat ſe; & diſtinctionem inter determinationem ad bonum in communi extra quod voluntas vagari non poteſt, & ita hæc determinatio eſt à Deo producente voluntatem, & determinationem ad volendum, hoc vel illud & ad hunc, vel illum actum liberum, quæ eſt à voluntate ſe determinante & non à Deo determinante voluntatem: bene tamen ab illo, tanquam à principaliori cauſa determinationis ad actum honeſtum.

28 Rurſus in 2. ſententiarum diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. ad 3. *Dicendum, quod Deus operatur in omnibus, ita tamen, quod in vnoquoque ſecundum eius conditionem vere in rebus naturalibus operatur, ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi ſibi miniſtret, & ipſo operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur.* Ex his arguo in ſententia Diui Thomæ determinatio actionis eſt in poteſtate voluntatis, ſed phyſica prædeterminatio non eſt in poteſtate voluntatis: ergo phyſica prædeterminatio non eſt determinatio voluntatis.

29 Iterum in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. ſic habet Angelicus Doctor. *Sic ergo patet, quod hæc differentia eſt in agentibus, quia quædam determinant ſibi finem, & actus in finem illum, quædam vero non, nec aliquod agens finem ſibi præſtituere poteſt, niſi rationem finis agnoſcat, &c. & propter hoc in ſolis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus, ſed à quibuſdam aliis prioribus.* Ergo ſentit Angelicus Doctor ea ſolum agentia eſſe libera, quæ determinant proprias actiones, & ea quorum actiones determinantur à cauſis prioribus libera non eſſe; ergo ſi actiones voluntatis determinarentur à Deo ſuperiori cauſa voluntas libera non eſſet.

30 Item in 2. diſt. 39. quæſt. 1. art. 1. *Ipſa autem potentia voluntatis quantum in ſe eſt, eſt indifferens ad plura. Sed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* Expende non ſolum hic aſſerere D. Thomam voluntatem determinare ſe ipſam, ſed non determinari ab alio.

31 Obiic. nobis Thomiſtæ ſacrum Doctorem ſæpe dicere voluntatem moueri, & præmoueri à Deo, quod nos non negamus, nec negari poteſt, quia Deus dat auxilium excitans quod eſt motio, & quia libertatem præuenit præmotio dicitur. Vnde P. Suarez tom. 1. de gratia prol. 3. c. 6. n. 11. aſſerit auxilium excitans recte dici auxilium præmouens, ſeu præmotionem. Deinde vniuerſalius in phraſi D. Thomæ moueri à Deo eſt moueri per virtutem à Deo receptam, quo ſenſu dicimus grauia, & leuia à generanti moueri, quia ab eo grauitatem & leuitatem, quibus mouentur recipiunt. Sic explicat Angelicus Doctor 1. parte quæſt. 105. art. 4. ad primum, hoc quod eſt moueri ab alio exemplo grauium & leuium, & hoc applicat ad motionem voluntatis, ibidem ad ſecundum, *Dicendum, quod moueri voluntariè eſt moueri ex ſe, id eſt à principio intrinſeco, & illud principium intrinſecum*

poteſt

Digitized by Google

teſt eſſe ab alio principio intrinſeco: & ſic moueri ex ſe non repugnat ei, quod mouetur ab alio. Videas quomodo in phraſi Diui Thomæ voluntatem moueri ab alio nihil aliud ſit, quam moueri per virtutem ab alio receptam.

32 Sic explicat Caietanus 1.2.q.9.art.4. verſus finem §. *Ad id verò* Diuum Thomam dicentem ibi voluntatem, quæ à ſe mouetur, moueri ab alio, quia ipſa non eſt primum principium, verba ſunt Caietani. *Eſt igitur Authoris ſententia, quod ſicut generans graue, dat graui naturalem appetitum motus deorſum, & propterea ceſſante impedimento, graue ex appetitu accepto mouetur deorſum, & quieſcit ibi, ita genitor voluntatis dat ei naturalem inclinationem in bonum, ita quod propoſito per intellectum abſque impedimento voluntas tendit in illud actu elicito qui eſt volitio.* En Caietanum interpretantem Diuum Thomam, dum aſſerit voluntatem moueri à Deo nihil aliud ſignificat, quam voluntatem ſeu virtutem illi intrinſecam, qua mouetur dependere à Deo Authore voluntatis & dante illi intrinſecam inclinationem in bonum, quo propoſito, eo præciſe, quod impedimentum abſit voluntas tendit pro ſua libertate in hoc, vel illud bonum propoſitum, quia ex ſe tantum eſt intrinſicè determinata ad bonum in commune, ſiue apparens.

33 Obiiciunt etiam nobis Thomiſtæ Angelicum Doctorem dicentem voluntatem, & quamlibet aliam cauſam creatam agi à Deo, quod in phraſi Diui Thomæ nihil aliud eſt, quam voluntatem, & quamlibet cauſam creatam agere per virtutem à Deo receptam. Conſtat ex Angelico Doctore 1.parte.q.60.art.1.ad 2. vbi ſic habet. *Dicendum, quod omnia, quæ ſunt in toto mundo aguntur ab aliquo propter primum agens, quod ita agit quod nullo modo alio agatur, in quo eſt idem natura & voluntas, & ideo non eſt inconueniens, ſi Angelus agatur in quantum inclinatio naturalis eſt ſibi indeterminata ab Authore ſuæ naturæ. Non autem ſic agitur, quod non agat cum habeat voluntatem liberam.*

34 Obiiciunt inſuper apparentius Diuum Thomam aſſerere Deum operari cum cauſis ſecundis, veluti cum inſtrumento, quibus ſupra ſuam entitatem oportet addere impulſum aliquem, vt operentur, ita vt ſine hoc ſint entitates incompletæ ad operandum. Sic habet q. 3. de potentia, art.7. *Id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat eſt intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum per modum, quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Et paulo poſt ex hoc infert. *Vnde ſicut in inſtrumento artificis conferri non potuit, vt operaretur abſque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur abſque operatione diuina.* Reſpondeo cum Patre Ruizio, tom. de ſcientia diſp. 49. ſect.2. Diuum Thomam hic non expoſcere aliquid reale intrinſecè, ſuperadditum virtuti creatæ, ſed, quod Deus Deus cum illa concurrat actione terminata ad effectum, ex qua extrinſeca denominatio reſultat in virtute creata cum qua Deus concurrit. Dicitur enim cauſa ſecunda complete operari potens per applicationem cauſæ primæ ad operandum cum illa concurſu ſimultaneo, quæ applicatio importat decretum Dei, quo vult cum creatura concurrere, ex vi cuius formaliter conſtituitur omnipotentia applicata in actu primo ad concurrendum, & quia cauſa ſecunda ſine omnipotentia ſic applicata concurrere non poteſt, dici poterit quid incompletum, ſeu virtus incompleta ad operandum; ex virtute enim cauſæ creatæ, & ex omnipotentia applicata ad operandum conſtituitur vnum adæquatum principium; & actus primus completus ad operationem, quæ eſt actus ſecundus.

35 Hanc eſſe mentem Angelici Doctoris conſtat ex toto articuli contextu, in quo inquirit, *Vtrum Deus operetur in operatione naturæ?* Et omnia argumenta, quæ in contrarium adducit, eo tendunt, vt probent ſententiam Durandi aſſerentis cauſas ſecundas à Deo productas, & conſeruatas operari abſque cooperatione Dei, hoc eſt abſque concurſu ſimultaneo. Argumenta, quæ ſanctus Thomas pro ſua ſententia ibi adducit, tantum procedunt contra ſententiam relatam, quam tenuit Durandus, & in illis tantum infert creaturam non poſſe operari, Deo cum illa non operante. Primum argumentum Diui Thomæ eſt. Sicut ars ſupponit naturam, ita natura præſupponit Deum, ſed in operatione artis operatur natura; ergo in operatione naturæ operatur Deus. Secundum argumentum, hoc eſt ſecundum Philoſophum, homo generat hominem, & Sol, ſed operatio hominis dependet ab operatione Solis: ergo actio naturæ dependet ab operatione Dei. Tertium argumentum eſt. Natura non poteſt eſſe ſine Deo operante: ergò in qualibet naturæ operatione Deus operatur. Quartum argumẽtum eſt. Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Sed non eſt dicendum, quod virtus ſecundum quod eſt in Deo eſt otioſa: ergo in qualibet naturæ operatione Deus operatur. Ecce in omnibus argumentis tantum concludit Angelicus Doctor: naturam non operari ſine operatione Dei, & Deum ſemper cum natura operari, & in ſua conclusione tradenda tantum infert, rei naturali non potuiſſe conferri, quod operaretur abſque operatione diuina, quæ omnia de concurſu ſimultaneo optimè intelliguntur, & hunc argumenta conuincunt, & præuium, quem Thomiſtæ intendunt nullo modo ſuadent, ergo rectè, & legitimè de hoc concurſu explicatur Diuus Thomas, & neceſſe eſt explicari, ne dicamus Argumenta Angelici Doctoris inefficacia, & intentum non ſolum non probare, ſed neque attingere.

36 Ex eo, quod interdum Diuus Thomas caſu in hanc vocem *prædeterminatio* inciderit loco eius æquè potui poni prædefinitio, ſeu prædeſtinatio, vel volitio Dei tempore præcedens, eo modo, quo ratione huius præcedentiæ ſcientia Dei ſæpe præſcientia dicitur intendunt nonnulli phyſicam prædeterminationem probare. Sanct. Thomas 1. p.quæſt 23.art.1. inquirit: Vtrum homines prædeſtinentur à Deo? Reſpondet affirmatiuè, probátque omnia ſubiacere diuinæ prouidentiæ, & cum teſtimonium Damaſceni ſibi obiecisſet, his verbis reſpondet. *Ad primum ergo dicendum, quod Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt determinata ad vnum.* Ex hoc loco neque apparenter infertur, prædeterminationem D. Thomam adſtruere; non enim in ſua ſententia tradenda nomine prædeterminationis vſus erat, ſed nominibus prædeſtinationis, prædefinitionis, & ordinationis; nec dum aſſerit, Damaſcenum nominare prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis illius loquendi modum non improbat, ſed tantum aſſerit, ipſum non loqui de impoſitione neceſſitatis, quo vel tacitè inſinuat, hanc ſignificari nomine prædeterminationis, vel quod fauorabilius poſſunt habere Thomiſtæ abſtrahere à ſignificatione huius vocis prædeterminatio.

37 Inſuper ſanctus Thomas quodlib.12.quæſt.1.art.4. illam quæſtionem tractans an omnia ſint ſub fato. *A prouidentia* (inquit) *Dei omnia ſunt prædeterminata, & ordinata*, & in hoc ſenſu concedit omnia eſſe ſub fato iuxta illud Boëtij. *Fatum eſt immobilis diſpoſitio rebus mobilibus inhærens.* Ex verbo autem illo omnia ſunt prædeterminata volunt Thomiſtæ phyſicam prædeterminationem inferre, ſed incaſſum profecto, nam ibi Sanctus Doctor tantum vult prouidentiam Dei eſſe certam, & immobilem, & ſua decreta eſſe irritabilia: prædeterminata autem dicit quia à Deo ſunt decreta prius tempore, quam fiant. Conſtat apertè ex eo, quod Angelicus Doctor loquatur etiam de affectibus, qui à Deo ſolo tanquam à cauſa dependent, reſpectu quorum prædeterminatio Thomiſtica locum non habet, quia hæc tantum pro cauſis ſecundis inuenta eſt. Eadem fuit mens Auguſtini relata à D. Thoma his verbis. *Si quis hoc modo intelligat fatum ſententiam teneat, linguam corrigat & non dicat fatum, ſed prouidentiam.* Cùm igitur Sanctus Thomas Boetium, & Auguſtinum imitetur, & quæſtio quam ibi tractat, tantum ſit, an omnia ſubjaceant prouidentiæ diuinæ, ſit manifeſtum, hanc tantum prouidentiam cum Boëtio, & Auguſtino intendiſſe probare immemorem omnino phyſicæ prædeſtinationis, quam Thomiſtæ ſtabilire intendunt.

38 Aliud adducitur teſtimonium ex Diuo Thoma in commentario ad Dionyſium de diuinis nominibus c.5. ſect. 3. quod his verbis proponit Aluarez diſp.22. de auxilus n.11. *Et huiuſmodi rationes ſacra ſcriptura vocat prædefinitiones, ſeu prædeterminationes.* Neſcio an alicuius incuria, vel nimia cura verbum hoc prædeterminationem, irrepſerit, quod apud D. Thom. non inuenitur, ſed prædefinitionem, quo huic teſtimonio ſuperabunde ſatisfactum eſt. Subdit poſtea Angelicus Doctor: *Quæ quidem prædefinitiones, & voluntates ſunt definitiuæ entium, & effectiuæ ipſorum, quia & huiuſmodi rationes ſuperſubſtantialis Dei eſſe prædeterminauit, omnia produxit.* Sic Sanctus Thomas vtroque loco proximè citato iuxta editionem Romanam anno 1570. In hoc teſtimonio verbum *prædeterminauit*, non cadit ſupra verbum *omnia*, vt conſtat ex grammatica conſtructione, & commate poſito poſt verbum *prædeterminauit*, & ante verbum *omnia*, ſed ſupra voces illas, *rationes ſuperſubſtantialis eſſe Dei.* Ita

vt

Digitized by Google

vt ſenſus ſit, produxit omnia, quia prædeterminauit rationes ſuperſubſtantialis eſſe Dei, hoc eſt diuinos actus reſpectu quorum phyſicam prædeterminationem hucuſque Thomiſtæ non defendunt, neque apud D.Th. in prædicto teſtimonio eſt, *omniáque produxit*, vt ſcribit Aluarez. *ſed omnia produxit*, & dum Aluarez coniunctionem *que* addit deſtruxit ſenſum Angelici Doctoris, neque alium ad ſuam mentem compoſuit, ſed totam periodum abſque vlla ſignificatione perfecta reliquit, manet enim pendula, & abſque comparte pars illa propoſitionis cauſalis, *quia prædeterminauit rationes ſuperſubſtantialis eſſe Dei.*

39 Alia teſtimonia, quæ ex ſancto Thoma, in fauorem phyſicæ prædeterminationis obiiciuntur ad eam comprobandam leuiſſimi momenti ſunt, & ex prædictorum ſolutione facile quiſque ingenuè, & legitimè abſque præiudicio noſtræ ſententiæ explicabit.

40 Affirmo qualitatem hanc, iuxta principia Philoſophica, admittendam non eſſe, neque in cauſis liberis, neque in neceſſariis; quia in vtriſque abſque vlla neceſſitate, & ſine fundamento ponitur. Non eſſe neceſſariam in cauſis neceſſariis, ſic probo. Hæc qualitas ponitur in cauſis, vt determinentur ad operandum: ſed cauſa neceſſaria ex ſua natura & per ſuammet entitatem eſt determinata ad operandum, quotieſcumque habet paratam omnipotentiam, vt cum illa concomitanter concurrat ad effectum: ergo prætèr omnipotentiam paratam ad concurrendum cum illa per concurſum comitantem, ſuperfluè alia præmotio, ſeu determinatio ponitur. In cauſis liberis eodem modo fit argumentum: etiamſi cauſa libera ex ſua natura non ſit determinata ad operandum, eo ipſo quod ſit libera, talis eſt naturæ, vt poſitis omnibus requiſitis ad operandum, & non operandum, valeat ſe determinare ad operationem, & carentiam eiuſdem; aliàs non eſſet libera; quia principium liberum eſſentialiter dicit principium indifferens potens ſe determinare: ergo vt cauſa libera determinetur, neceſſaria non eſt hæc præmotio; ſed ſufficit applicatio obiecti per cognitionem proportionatam ad illud amandum; & ſi quæ ſunt alia requiſita ad actum amoris; videlicet habitus ſupernaturalis, ſi actus producendus futurus ſit ſupernaturalis: ergo ſuperfluè excogitatur hæc qualitas, ſeu præmotio. Multa ſunt capita, ex quibus intendunt Thomiſtæ neceſſitatem huius phyſicæ qualitatis præmunire, in cauſis liberis illam ex indifferentia voluntatis expoſcunt; in liberis, & neceſſariis illam expoſtulant ex ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam; ex neceſſitate concurſus cauſæ primæ, quam habet ſecunda, vt operetur, ex ratione cauſæ primæ. Quæ omnia percurram, vt probem ex nullo capite, qualitatem hanc eſſe neceſſariam; & Thomiſtarum argumenta ſimul diluam.

§. II.

Indifferentia voluntatis non arguit neceſſitatem phyſicam prædeterminationis.

41 EX indifferentia, & indeterminatione voluntatis, quam habet in actu primo, inferre volunt Thomiſtæ phyſicam prædeterminationem, qua per modum actus primi determinetur ad actum ſecundum. Deinde, quia determinatio prouenit à principio actiuo; ac proinde exiſtimant non poſſe à voluntate prouenire; quia hæc eſt principium actiuum & nihil poteſt eſſe principium actiuum & paſſiuum ſecundum eandem rationem. Expendam hæc argumenta poſtquam de hac re diuerſas ſententias, illarúmque Auctores dedero.

42 Docuit Ægidius Romanus in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnicâ art. 3. ad argumenta, dub. 2. art. 6. & in 1. dub. & 2. & quodlib. 3. quæſt. 16. Voluntatem non eſſe potentiam actiuam, ſed purè paſſiuam; nihilominus ſe ipſam determinare: quia dum ſe continet à proſequutione huius obiecti, conſequens eſt, vt contrarium obiectum agat in voluntatem. Exempli gratiâ, illi obiicitur delectatio fornicationis, & diuina lex prohibens fornicationem, ſi contineat ſe ab amore fornicationis, per hanc continentiam determinat ſe ad amorem diuinæ legis, quem producit ſuum obiectum in voluntate tali continentia ſuppoſita. Quòd ſi voluntas contineat ſe ab amore diuinæ legis, determinatur ad fornicationis amorem; quia huius delectabile obiectum illum neceſſariò producet in voluntate. Ægidium ſequutus eſt Arg. diſt. 25. quæſt. vnicâ, art. 1.

Hæc opinio eſt omnino improbabilis, & aliena à vera doctrina Patrum, & Conciliorum aſſerentium, voluntatem concurrere ad noſtram iuſtificationem. Cognoſce teſtimonium ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. quo vtor Controu. 5. de anima, Punct. 1. num. 11. ad probandum voluntatem actiuè concurrere ad ſuas operationes. Ratione philoſophica clariſſimè impugnatur: voluntas nihil effectiuè agit circa duplex obiectum propoſitum in hac ſententia, verbi gratia, circa delectationem fornicationis, & circa amabilitatem diuinæ legis prohibentis fornicationem: ergo quatenus eſt ex ſe æquè ſe habet circa vtrumque obiectum, neque eſt aliqua ratio propter quam dici poteſt magis continere ſe circa hoc obiectum, vt oppoſitum neceſſariò ſui amorem in illa producat, quàm circa illud, vt ab hoc amor ipſius producatur: ergo neque per continentiam amoris, neque per productionem eiuſdem magis ſe determinat circa hoc obiectum, quàm circa illud: ergo tota determinatio ex ipſis obiectis expectanda eſt. 43

Secundò: continere ſe ab hoc obiecto, dicit voluntatem poſſe determinari in illud, & ſe ab hac tendentia abſtinere, non enim dicimus abſtinere ab obiecto, quod adhuc concupiſcere nequimus: ſed voluntas circa nullum obiectum poteſt per productionem amoris ab illa dimanantem tendere: ergo per negationem huius tendentiæ non ſe continere poteſt ab aliquo obiecto. Sed eſto, contineat ſe per hanc negationem: hæc negatio eſt neceſſaria; quia illius habitus non ſubiacet voluntati: ergo non ſe liberè continet. Deinde eſto libera. Hæc negatio eſt circa vtrumque obiectum: ergo circa vtrumque ſe continet: ergo non magis ſe determinat ad vnum, quàm ad aliud. Si continentia ponatur in negatione paſſionis, eodem modo reiicietur. Quia voluntas, dum agens operatur, non poteſt ſe continere à paſſione; quia neceſſariò patitur. Dum non operatur agens pati nequit, ac proinde negatio paſſionis non illius continentiæ danda eſt, neque voluntas poteſt determinare agens, vt agat, vel illud coërcere ne agat; quia hoc nequit præſtare voluntas per ſuammet entitatem, quæ indifferens eſt ad patiendum, & non patiendum. Quod ſi per ſuam entitatem id præſtaret, non fieret liberè ab illa, ſed neceſſariò: non per aliquid ſuperadditum; quia hoc produci nequit à voluntate, quæ principium effectiuum non eſt in hac ſententia: ergo nullo modo voluntas poteſt intelligi continere ſe liberè circa hoc obiectum, potiùs quam circa illud. Mitto rationes alias, quæ longiùs poſſent contra hanc ſententiam expendi. 44

Communis Scholaſticorum ſententia docet reſpectu actuum voluntatis ſola ratione differre agens, & patiens; ac proinde voluntatem ipſam ſe actiuè determinare, & paſſiuè ſuos actus recipere. Ita Scotus in 2. diſt. 25. quæſt. vnica, §. *Ad primam rationem.* Baſſolis in 2. diſt. 25. quæſt. 1. Henric. quodlibeto 9. quæſt. 5. & quodlibeto 11. quæſt. 6. & 7. & quodlibeto 12 quæſt. 26. & ferè omnes Antiqui. 45

Multiplex eſt principium reſpectu volitionis; quoddam actiuum phyſicè influens, ſicuti voluntas, & habitus: aliud ſe tenens per modum conditionis, ſeu moralis cauſæ, ſicuti cognitio in multorum ſententia. Rurſus inter principia actiuè concurrentia voluntas tantum concurrit determinando actionem, ad cuius determinationem concurrit habitus. Alia ſunt principia, quæ concurrunt non determinando actionem; ſed quaſi determinata à voluntate: ſicuti habitus, qui neceſſariò concurrit dependenter à voluntate, & cauſa prima, quæ per decretum liberum, quo ipſa vult liberè ſuam omnipotentiam voluntati exhibere, vt pro ſua libertate cum illa operetur, vel non operetur, omnipotentiam ſubdit voluntati: ita, vt integrum ſit voluntati cum illa veluti cum habitu operari, vel non operari. Hæc certa ſunt, & ſuis locis adamuſſim explicanda. Sit 46

CONCLVSIO. Principium actiuum determinans volitionem, non diſtinguitur à principio paſſiuo reſpectu eiuſdem volitionis: hoc eſt, voluntas, quæ cum omnibus requiſitis conſtituta, potens operari ſe ipſam determinat per actionem phyſicè fluentem ab illa, ſecundùm eandem entitatem eſt principium actiuum, & paſſiuum volitionis, reliqua verò, quæ voluntatem adiuuant ad producendam actionem, per quam ipſa ſe determinat, non ſunt principium paſſiuum volitionis. Ex quo infertur principium actiuum, & paſſiuum volitionis diſtingui tanquam includens, & incluſum: actiuum enim dicit quidquid paſſiuum 47

Digitized by Google

ſiuum,& aliquid vltra.In hanc ſententiam interpretor Doctores omnes aſſerentes, non diſtingui, niſi per rationem principium actiuum, & paſſiuum volitionum. Loquuntur enim de principio actiuo determinante;non verò de principio actiuo in tota latitudine. Sit

48 Secvnda conclvsio illata ex prima, quæ propria huius eſt loci: Principium actiuum volitionis liberæ agit quatenus eſt in potentia ad agendum,& non agendum & omnino indifferens; quam indifferentiam non admittit,niſi per ipſam volitionem,quæ eſt determinatio principij,antequam nulla alia ſupponitur. Hæc concluſio eſt deducta ex doctrina Angelici Doctoris, quam ſanctus Doctor ſæpe docet. Legatur in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica, art. 1. & in corpore, vbi hæc habet: *Nihil agit niſi in quantum eſt in actu: & inde eſt quod oportet omne agens eſſe determinatum ad alteram partem: quod enim ad vtrumlibet eſt,æqualiter ſe habens, eſt quodammodo potentia reſpectu vtriuſque, & idem eſt, vt dicit Commentator in 2. phyſic.quod ab eo, quod eſt ad vtrumlibet nihil ſequitur, niſi determinetur.* Exiſtimabunt phyſicæ prædeterminationis patroni hoc teſtimonio iure optimo Diui Thomæ ſuam ſententiam tribui:audiant, quid ſubdat ſanctus Doctor paucis interiectis: *Hæc eſt differentia in agentibus: quia quædam determinat ſibi finem & actum in finem illum, quædam verò non:* & in ſolutione ad 3. ait: *Determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur.* En conſtituit Angelicus Doctor differentiam inter agens liberum,& neceſſarium; quod liberum ſibi determinat finem & actionem circa illum, ac proinde non indiget determinatione in actu primo,quam ſupra cum Commentatore tantùm pro agentibus neceſſariis requiſierat. Deinde, vt omnem ambiguitatem auferret, hanc determinationem in poteſtatem liberi arbitrij reduxit. Similia habet de malo, quæſt.3.art.3.& quæſt.6. art. vnico, in corpore; vbi ait: *Quantum ad exercitium actus, manifeſtum eſt, quod voluntas mouetur à ſe ipſa:ſicut enim mouet alias potentias: ita ſe ipſam mouet.* Poſtea explicat, quomodo intelligendum ſit illud axioma, ſcilicet non poſſe idem principium ſecundùm eandem rationem eſſe in potentia, & in actu; quod explicat de principio adæquato eo modo, quo nos diximus diſtingui principium effectiuum, & paſſiuum volitionis. Subdit immediatè: *Neque propter hoc ſequitur, quod voluntas ſecundum idem ſit in potentia, & in actu. Sicut enim homo ſecundum intellectum, in via inuentionis mouet ſe ipſum ad ſcientiam in quantum ex vno noto venit ad aliquid ignotum, quod erat in potentia notum: ita per hoc, quod homo vult aliquid in actu, mouet ſe ad volendum aliud in actu: ſicut per hoc, quod vult ſanitatem, mouet ſe ad volitionem ſumere potionem.* Explicat ſanctus Doctor quomodo diſtinguatur principium actiuum, & paſſiuum electionis; quod etiam locum habet in intentione libera, ſi ad ipſam, vt ſæpè contingit; & ſemper contingere plures volunt, ſupponatur actus neceſſarius, & in omni euentu principium adæquatum actiuum includit omnipotentiam, & cognitionem ſaltem tanquam conditionem,quæ ad principium actiuum,& non paſſiuum volitionis ſpectant.

49 Mens hæc vt Thomiſticæ nomen apud omnes mereatur comprobanda eſt auctoritate diſcipulorum D.Thom.quos medullam eſſe illorum, quos Thomiſtas appellant, negabit nullus. Multis parco,quibus hæc ſententia poſſet comprobari tantummodo Capreolum adduco diſtinct. 24. citata,art.3. ad 6.argument. vbi hæc habet: *Voluntas quantum eſt de ſua natura eſt ad oppoſita: ipſa tamen ratione ſuæ libertatis ſe determinat ad id, quod vult; & ita non indiget alio determinante;*neque verba explicatione indigent.

50 Ex his facile eſt argumenta Thomiſtarum ſoluere. Primum eſt; quia mouens, & motum ſunt diſtincta ſubiecto, ſeu re ipſa, vt colligitur ex Ariſtotele lib. 9. Metaphyſ. cap.1.text.12.& lib.5.cap.12.text. 17. Addunt ſequi ex oppoſito, quod idem moueret ſe primo; quod fieri nequit,vt conſtat ex 8. Phyſic. text.70. Cuius ratio eſt; quia tale debet eſſe mouens in actu,quale eſt mobile in potentia reſpectu eiuſdem formæ. Reſpondeo principium adæquatum actiuum ſemper diſtingui à paſſiuo, quia actiuum includit cauſam primam, quæ principium paſſiuum non eſt; & in hoc ſenſu intelligendus eſt Ariſtoteles, ex quo non infertur idem mouere ſe primò,id eſt tanquam prima cauſa; quod eſſet abſurdum, quia ſemper mouet ſe dependenter ab alio principio increato. Et ad actionem, qua ſe mouet, ſupponitur actio alia, qua ipſum principium ſe mouens dependet à Deo. Ad illud, quod additur tale debere eſſe mouens in actu, quale eſt mobile in potentia, Reſpondeo intelligendum eſſe de actu primo, in quo eſt principium indifferens ante ipſam actionem.quia actus primus tantùm dicit prærequiſita ad actionem.

Arguunt ſecundò: nihil agere in ſe ipſum, nam Ariſtoteles inquit 2. Phyſic. cap.7. text. 20. materia, & efficiens non coincidunt in idem numero. Patiens autem ſe habet, vt materia, reſpectu agentis. Si Thomiſtæ probare intendiſſent voluntatem nullo modo concurrere ad volitionem, & non dari actionem aliquam immanentem in rerum natura, neque agentis liberi, neque neceſſarij ad rem ſpecie tenus hæc teſtimonia adducerentur; cùm aut ipſi fateantur voluntatem eſſe principium actiuum, etiam phyſica prædeterminatione præuentam, & paſſiuum eiuſdem volitionis, neſcio quomodo hæc teſtimonia nobis obiiciant?Reſpondeo,Ariſtotelem dixiſſe materiam ex ſuo conceptu non identificari cum efficiente; quia ſæpe diſtinguuntur cauſa materialis, & efficiens, & materia prima, quæ abſolutè materia dicitur non eſt principium actiuum formarum ſubſtantialium,quam recipit,neque primarum qualitatum, aliorúmque accidentium, quæ formas comitantur; & eſt quæſtio an aliquorum productiua ſit? Hæc ad auctoritatem Ariſt. principium autem illud *nihil agit in ſe ipſum*, vel negandum eſt,vel eum diſtinctione concedendum de principio adæquatè actiuo. 51

Tertiò arguunt; cauſa indeterminata non poteſt producere determinatum effectum; ergo voluntas ſine phyſica prædeterminatione non poteſt volitionem determinatam producere. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; cauſa indeterminata, hoc eſt, vaga ſecundùm entitatem, non poteſt effectum producere determinatum, concedo; quia nulla cauſa in rerum natura eſt vaga,& indeterminata ſecundùm entitatem: cauſa indeterminata ad effectum producendum,& in ſua entitate determinata, non poteſt effectum producere,ſubdiſtinguo; ſi cauſa illa non habeat virtutem ſe determinandi, concedo; ſi illam habeat, qualem habet cauſa libera, & principium cognoſcitiuum, nego. Deinde nego conſequentiam. 52

§. III.

Subordinatio cauſæ ſecundæ ad primam non deſiderat phyſicam prædeterminationem.

SÆpe determinationem partiti ſumus in determinationem in actu primo, & in actu ſecundo: determinationem in actu ſecundo nulla obtinet cauſa,quouſque ſuam exerceat cauſalitatem; hæc eſt enim, quæ formaliter in actu ſecundo cauſam determinat. In hoc ſenſu dicimus virtutem actiuam ignis per actionem determinari in actu ſecundo ad calefaciendum; quod idem eſt, ac dicere conſtitui calefacientem per actionem, & voluntatem determinari per ipſam volitionem ad volendum in actu ſecundo;quia per volitionem formaliter volens conſtituitur. Determinatio in actu ſecundo, quando eſt principium liberum, eſt propria determinatio; quia determinat indifferentiam, quam habebat principium. Determinatio verò, quæ principium neceſſarium ſupponit, ſicuti calefactio reſpectu virtutis calefactiuæ, propriè non eſt determinatio: quia nullam determinat indifferentiam, quam habet principium ex ſe. Virtus enim calefactiua eſt principium determinatum ad calefaciendum; ita vt quotieſcumque ſit cum omnibus requiſitis ex parte actus primi neceſſariò calefaciet, ſi forma oppoſita efficaciùs non reſiſtat, quàm ipſa actiua virtus efficere petit. Sicuti determinatio propria principium ſequitur liberum: ita determinatio quæuis formaliter libera, ſicuti volitio, ſi plura principia habeat tantùm reſpectu illius libera dicitur, quod in actu primo liberum ſupponitur ad ipſam, & quod ante ipſam omnino ex ſe erat, & indifferens, & potens ſe determinare ad talem volitionem, & ad negationem illius. Vnde non eſt idem eſſe principium effectiuum determinationis, & eſſe principium ſe determinans: habitus enim eſt principium effectiuum determinationis voluntatis, hoc eſt volitionis; & non eſt principium ſe determinans. 53

Plurimum etiam præ oculis habere oportet diſtinctionem illam effectuum liberorum in ſe primariò formaliter, & liberorũ ſecũdariò libertate deriuata à cauſa.Volitio libera eſt liberæ in ſe:effectus qui depẽdet à volitione libera 54

Digitized by Google

eſt liber in cauſa, & ſecundario, ſicuti deambulatio. Non enim alia ratione liberè deambulo, niſi quia liberè volo deambulare. Moneo inſuper volitionem creatã liberã, eſſe liberam reſpectu voluntatis creatæ, & reſpectu voluntatis diuinæ; ſicuti enim voluntas ita illam producit, vt poſſet non illam producere: ita Deus ad illius volitionem concurrit, vt poſſet etiam non concurrere, quia nullus effectus neceſſariò producitur à Deo: ſed omnes ab illo liberè operante procedunt. Ea tamen eſt differentia inter libertatem Dei, & creaturæ reſpectu volitionis creatæ notatu digniſſima, quod volitio creata, reſpectu voluntatis creatæ, eſt libera formaliter, primariò, & in ſe; & eſt primum, per quod voluntas ſe determinat ad volitionem ipſam, ante quam nihil erat in voluntate, per quod voluntas ſupponeretur determinata: volitio verò creata nunquam poteſt eſſe formaliter, primariò, & in ſe libera reſpectu voluntatis diuinæ; ſed ſemper eſt libera deriuatiuè libertate volitionis diuinæ, à qua dependet tanquam à cauſa, & per quam Deus ſe determinat, quatenus eſt ex ſe, ad volitionem creatam producendam, vel non producendam; ita, vt antequam Deus volitionem creatam producat, intelligatur iam quatenus eſt ex ſe determinatus ad illam producendam, per decretum quod procedit ipſam volitionem; quo poſito non vltra Deus manet indifferens ad hanc volitionem producendam, vel non producendam. Ratio huius diſcriminis ſatis perſpicua erit omnibus, qui politè materiam hanc attingunt: illam exhibeo. Volitio tantùm eſt libera formaliter, & in ſe reſpectu voluntatis quam determinat, & conſtituit volentem: ſed volitio creata tantùm determinat, & conſtituit volentem voluntatem creatam: ergo tantùm eſt libera formaliter, & in ſe, reſpectu voluntatis creatæ. Maior ab omnibus eſt admittenda, quia, cùm voluntas tantùm ſit potentia formaliter libera, illud tantùm, quod eſt exercitium talis potentiæ eſt formaliter, & in ſe liberum; & id quod determinat voluntatem formaliter, eſt id quod formaliter in ſe prouenit à principio indifferenti; reliquæ vero actiones prouenientes à voluntate determinata, vel non dependentes à voluntate, non poſſunt prouenire à principio indifferenti potenti ſe determinare. Minor Catholicè negari nequit, conſequentia ineuitabilis eſt.

55 Ex his infero formaliter ex vi volitionis creatæ tantùm cauſam creatam conſtitui liberam in actu ſecundo, & hanc eſſe vnicè principium in actu liberum per hanc volitionem formaliter, & quæ vnicè per ipſam ſe determinat: Deumque per hanc volitionem creatam non conſtitui ſe determinantem neque liberum; ſed per aliam formam, videlicet per ſuam volitionem ſe determinare ad volitionem creatam producendam, & conſtitui primum liberum reſpectu volitionis creatæ.

56 Videas vltrà, dupliciter ſe poſſe Deum determinare ad concurrendum. Primò per decretum, quo decernat actionem independenter à libertate voluntatis: ita vt cum illo decreto componi nequeat negatio volitionis. Secundò per decretum, quo decernat volitionem dependenter à libertate voluntatis; quod quidem indifferens eſt vt componatur cum volitione, & negatione eiuſdem. Primum illud decretum libertatem deſtruit: hoc ſecundum illam illæſam tuetur, & eſt, quo de facto ſe determinat ad concurrendũ cum voluntate ad actus liberos; quod latiùs explicabo, & probabo punct. immediatè venturo. Decretum primum libertatem deſtruens, determinat cauſam primam, & ſecundam; & ipſam actionem. Decretum hoc benignum libertati attemperatum, non determinat cauſam ſecundam, quia illo poſito manet indifferens ad operandum; & non operandum: & conſequenter non determinat actionem, ſeu volitionem dependentem à cauſa ſecunda, neque dependentem à Deo, quæ eſt eademmet indiuiſibilis: tantùm determinat Deum, ne poſito hoc decreto ex parte ſua, ſit indifferentia aliqua ad concurrendum, vel non concurrendum, quia totam ſuam omnipotentiam, ex vi huius decreti veluti voluntati creatæ commiſit, in ordine ad illum actum, vt illa vtatur, vel non vtatur ſecundum ſuum arbitrium. Quapropter decretum hoc rectè dicetur determinatio ſubiectiua, ſeu reſpectu ſubiecti (ſic liceat voluntatẽ diuinam reſpectu ſuæ volitionis compellare) non verò determinatio determinatiua, ſeu determinatio ſui termini. Ex quo inferes aliud eſſe ſe Deum determinare ad concurrendum libere cum voluntate: aliud determinare voluntatem, & volitionem ipſam. Hæc ſi percalleas, nullus tibi, neque minutulus difficultatis ſcrupulus poteſt ſupereſſe, & ex illis omnibus omnia, quibus Thomiſtæ ſuam qualitatem ſtabilire intendunt, facillimo negotio perſoluſe.

§. IV.

Soluuntur obiectiones contra præcedentem doctrinam.

OBiicit Aluarez diſp. 18. & diſp. 24. n. 14. Si voluntas operaretur ſine præuia motione, eſſet primum agẽs: ergo non poteſt operari ſine illa: probat antecedens: illud eſt primum agens, quod operatur independenter ab alio, & ſine præuia præmotione; ſed voluntas operatur independenter à motione: ergo operatur vt primum agens. Debuiſſet Aluarez primam partem antecedentis, omiſſam in minori ſecundi ſyllogiſmi, probaſſe: & ſecundam maioris ſtabilire, fruſtra enim ſibi fingit definitionem primi agentis, vt probet agens, quod non operatur cum motione præuia, eſſe primum agens. Si tamen ex hac parte firmum ſibi argumentum ſupereſt, firmius ex altera mihi ſubſumo. Primum agens eſt illud, quod operatur independenter ab alio, & ſine præuia motione: ſed voluntas etiamſi operaretur ſine propria motione, non operaretur independenter ab alio: ergo non eſſet primum agens. Melius enim arguitur à negatione vnius partis eſſentialis ad negationem compoſiti, quam ab affirmatione eiuſdem partis, ad affirmationem totius compoſiti. Hæc enim eſt optima conſequentia: non datur materia, quæ eſt pars eſſentialis hominis: ergo non datur homo: & hæc peſſima: datur materia: ergo datur homo. 57

Reſpondeo primam cauſam eſſe illam, quæ operatur independenter ab alia: & cauſam ſecundum eſſe illam, quæ non poteſt operari ſine dependentia ab alia. Ex quo fit voluntatem ſemper operari, vt cauſam ſecundam: quia ſemper operatur dependenter à Deo, & neque independenter ab illo operari. Confugit Aluarez locis citatis ad auctoritatem D. Thomæ, vt hanc ſolutionem reiiciat: aſſeritque impugnatam fuiſſe à D. Th. in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. vbi hæc habet: *Quamuis per hanc reſponſionem euitaretur, quod voluntas humana, & quæcumque alia cauſa non eſſet primum ens ſimpliciter: non tamen videtur poſſe euitari, quin eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod primum agens non reduceretur ſicut in cauſã.* 58

Adeò altè mentibus noſtris inſedit de authoritate, ſubtilitate, præcellentique Angelici Doctoris doctrina, digniſſima exiſtimatio: vt illius teſtimonia abs re ſæpiſſime adducta ad illa, quæ nullatenus probant, imò non raro ad illa, quibus neque cohæret tanti Doctoris doctrina, nunquam nobis ſuſpectam reddant, neque grandem inter Doctores Scholaſticos, & Eccleſiæ Patres auctoritatem quidquam apud nos minuant: affectus enim, & ſtudium erga Magiſtrum, & doctrinam nobis ſuadent, & monſtrant quanta Angelici Doctoris iniuria, illius teſtimonia ita referantur, vt leuia, & inania videri poſſint, ſi illius maximum pondus, & efficacia maxima ad illa probanda, quæ Angelicus Doctor intendit, omnibus non innoteſceret. Reſpondeo Angelicum Doctorem hic impugnaſſe ſententiam quandam, quam Magiſter retulerat, aſſerentem cauſam ſecundam non dependere à prima in operando, & ſine concurſu illius ſuos effectus producere: dependere tamen ipſam cauſam ſecundam in fieri à Deo, à quo entitatem recepit. Quam ſententiam efficaciter impugnant verba ex D. Thom. relata, quia licet ex dependentia, quam haberet cauſa ſecunda à prima, vt ipſa produceretur, rectè poſſet euitari non dici primum ens, quia hoc eſt omnino independens, tamen non poteſt euitari eſſe primum efficiens, quia actio, per quam operaretur, per ſe ipſam à Deo non dependeret. 59

Arguunt ſecundò. Voluntas quando operatur vel determinatur à Deo, vel ſe ipſam determinat; ſi determinatur à Deo, intentum obtinent Thomiſtæ: ſi ſe ipſam determinat: ergo voluntas eſt primum ſe determinans: ergo præter Deũ admittendum eſt aliud primum principium, & aliud primum liberum. Neque refert dicere, voluntatem ſe determinare per concurſum dependentem à Deo; quia adhuc poſito concurſu Dei per modum actus primi, voluntas eſt indifferens, & ipſa eſt, quæ determinat ſuam volitionem: quæ eſt concurſus Dei, & ipſius voluntatis, & ab vtroque eſſentialiter dependet: ergo voluntas debet dici primum principium volitionis, quæ phyſicè eſſentialiter dependet 60

Digitized by Google

dependet à Deo, & à voluntate, & primo determinatur à voluntate, quàm à Deo, tota enim determinatio volitionis radicatur in voluntate, à qua oritur tanquam à radice ſuæ determinationis, & tanquam à principio primo determinante actionem.

61 Dixi iam num. 19. aliud eſſe Deum ſe ipſum determinare; aliud determinare actionem: & ex ibi dictis modò reſpondeo, voluntatem non tantùm eſſe, quæ primò determinat volitionem; ſed quæ vnicè illam determinat, quia Deus non determinat volitionem, cuius determinationem voluntati commiſit, iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 15. verſ. 14. *Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui*, & ibid. n. 17. *ignem, & aquam appoſui tibi*: tamen voluntatem non eſſe principium primò ſe determinans ad volitionem. Quia antequam voluntas, per productionem ipſius volitionis, ad ipſam ſe determinet, & exerceat ſuam libertatem circa ipſam, per exhibitionem eiuſdem, iam Deus ſeipſum per decretum, quo ſtatuerat concurrere ad volitionem dependenter à voluntate, ſeipſum determinauerat, & libertatem propriam exercuerat circa volitionem humanam producendam. Ex quo clarè infertur voluntatem non eſſe primum principium liberum talis volitionis, licet ſit non primum, ſed vnicum principium determinans volitionem, & vnicum principium in actu ſecundo liberum, & formaliter exercens ſuam libertatem per hanc volitionem creatam: quæ Deum non conſtituit liberè operantem: ſed effectus decreti Dei, & exercitij voluntatis diuinæ.

62 Hæc in cauſis liberis: in neceſſariis autem facilior eſt ſolutio. Dicunt Thomiſtæ, cauſas neceſſarias eſſe determinatas ad operandum, quoad ſpecificationem: non tamen quoad exercitium. Quia in exercitio habent indifferentiam, quam ipſi appellant contingentiæ, quia quando ignis hic, & nunc comburit, contingere potuit, vt non combureret. Hanc doctrinam non probo: quia ignis ſemper petit exercitium actionis, ſi ſit applicatus: ſi autem applicatio deficiat, non petit ſub illis circunſtantiis effectum, neque quoad ſpecificationem, neque quoad exercitium. Sed quidquid ſit de hoc reſpondeo determinationem, quam habet ignis in actu primo ad operandum, non diſtingui à ſua entitate, quæ per modum actus primi operationem exigit, & concurſum cauſæ primæ dandum ſub omnibus requiſitis ad actionem, & non alio modo. Et ſicut entitas ignis dependet in fieri, & in conſeruari à Deo: ita determinatio ignis per modum actus primi dependet à Deo, & ſicuti Deus determinat ignem ad exiſtentiam: ſic illum determinat ad exigentiam, quam habet reſpectu effectus: quia hæc non diſtinguitur à ſua exiſtentia, Determinatio eiuſdem ignis in actu ſecundo, ad hanc calefactionem, eſſentialiter eſt à Deo, & ab igne: ita tamen vt ignis non poſſit ex ſe illam non exhibere: Deus tamen poteſt talem actionem ſimul cum igne producere, & non producere. Ex quo infertur totam determinationem ignis in actu primo exigentis calorem in actu ſecundo illum producente à Deo, eſſe tanquam à primo determinante exigentiam, & actum primum calefactionis, & vltimò, & efficaciter determinante ipſam calefactionem, quia poſitâ calefactione ignis per modum actus primi, adhuc deficeret calefactio, ſi Deus non ſe determinaret ad illam producendam.

63 Arguunt tertiò: Deus non determinat voluntatem ad operandum: ergo vel expectat determinationem voluntatis, vt cum illa operetur, vel illi offert ſuum concurſum in actu primo, vt ipſa Deum aplicet ad operandum illo modo, quo maluerit voluntas? Primum dici nequit: quia non poteſt Deus videre determinationem voluntatis, antequam videat ſuum concurſum in actu ſecundo, cum quo identificatur, & ad quem ſupponitur concurſus in actu primo, ſeu applicatio omnipotentiæ. Si dicatur ſecundùm, ſequitur Deum operari cæco modo, ſecundum ductum voluntatis, quin ſciat, quid facturus ſit quo vſque illud fecerit. Reſpondeo, Deum exhibere, ſeu committere voluntati ſuam omnipotentiam, vt illa vtatur in partem, quam maluerit, antequam determinationem abſolutam illius videat: nihilominus non operari cæco modo: quia antequam ſuam omnipotentiam voluntati credat, ſcit Deus per ſcientiam conditionatam, quid voluntas factura ſit, ſi illi omnipotentia applicetur, vt ipſam vertat in partem quam maluerit. Vnde antequam Deus effectum liberum producat, illum, vt poſſibilem agnouit; & antequam applicet ſuam omnipotentiam ad illum producendum, eundem effectum nouit ſub conditione futurum, vel non futurum. Quod autem illum non præuiderit abſolutè futurum, nihil refert: quia nullus effectus futurus videtur, antequam decernatur.

Arguunt tertiò Thomiſtæ: Deus eſt verus dominus noſtræ voluntatis: ergo poteſt vti illa quando vult, & quomodo vult: ergo vtitur illa, & applicat illam ad ſuas operationes. Primum antecedens non poteſt in quæſtionem verti: prior illatio probatur ex definitione dominij, quam tradit Bart. in l. *ſi quis vi.* §. *differ. n.* 4. *ff. de acquirenda poſſeſſ.* vbi inquit: *Dominium eſt ius perfectè diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur.* Quam definitionem amplectuntur Iuriſperiti omnes, apud Ant. Gomez ad leg. 45. Tauri: ex qua aliam dominij deſcriptionem communiter adducunt Doctores: *Dominium eſt ius habendi poſſidendi, fruendi, & vtendi, ac diſponendi de aliqua re pro libito voluntatis, vel ſecundùm aliquem determinatum modum, à quadam ſuperioritate, vel auctoritate definitum.* Poſterior illatio probatur ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 16. art. 2. vbi ſic vſum definit: *Vſus alicuius rei nihil eſt aliud, quàm applicatio illius ad aliquam operationem*, ex quo ſit vſum dici operationem, ad quam potentiam applicamus. 64

Reſpondeo, Deum eſſe verè Dominum voluntatis, & noſtrarum actionum, & poſſe vti noſtra voluntate, quando, & quomodo voluerit; & ita poſſe vti voluntate illam applicando, vt neceſſariò operetur; & poteſt vti illâ applicando eandem ad operationem liberam. Si voluerit vti illa ad operationem neceſſariam, poterit illi adiungere decretum aliquod prædefinitiuum, ex ſe immediatè efficax independenter ab aliis mediis, vel aliud comprincipium creatum huiuſmodi efficax, in illam conijcere. Si autem voluerit vti voluntate, vt ipſa liberè operetur, debet voluntatem applicare ad talem operationem per principia, quæ inclinent ad operationem: ſed indifferentia, vt coniunganrur cum operatione, & cum illius negatione, & non per decretum prædefinitiuum, vel comprincipium creatum modo dicto, quod ex ſua natura neceſſitatem voluntati inducat. Quia nequit Deus applicare potentiam ad operationem per media, cum quibus repugnat talis operatio; cum verò operatio libera repugnat cum huiuſmodi comprincipiis, non poteſt Deus applicare voluntatem ad operationem liberam, per hæc comprincipia. 65

Arguunt vltimò: voluntas ſe determinat quoad ſpecificationem; & Deus illam determinat quoad indiuiduationem: ergo prius eſt voluntatem determinari quoad ſpecificationem, quàm Deum ſe determinare cum ipſa concurrere: ſed hoc fieri nequit; quia nulla determinatio poteſt eſſe in voluntate independens à concurſu Dei: ergo tota doctrina tradita falſa eſt. Explicabo punct. ſequent. §. vltimo, quomodo Deus voluntatem determinet ad indiuiduationem ſpecierum, ad quas ipſa ſe poteſt extendere, quod non ſit expectante Deo determinationem quoad ſpecificationem, vt poſtea ipſe indiuiduationem determinet, ſed offerendo concurſum ad hunc numero actum amoris, & hunc numero odij, & non alios, antequam voluntas vllam habeat determinationem, Ex quo ſit, vt ſi voluntas ſe determinat ad actum amoris, neceſſariò ad hunc ſe debeat determinare; quia alium non eſt potens: & ita de actu odij. 66

Poſſes ex hac doctrina ſic arguere cum Thomiſtis: Si Deus non determinat voluntatem; ſed tantùm ſuum parat concurſum, vt voluntas operetur, vel non operetur iuxta ſuum arbitrium; ita vt tunc operetur Deus cum voluntate, cum ipſa ſe ad operandum determinat, & tunc non operaretur Deus cum ipſa, cùm eadem non ſe determinat, ſequitur Deum eſſe cauſam ſubordinatam voluntati: & voluntatem non eſſe cauſam ſubordinatam: ſed potiùs ſubordinantem reſpectu Dei. Probatur ſequela: cauſa ſubordinata eſt illa, quæ in operari dependet ab alia & cauſa ſubordinans eſt illa, à qua alia cauſa in operari dependet: ſed Deus dependet in operari à cauſa ſecunda, cùm ad nutum illius operetur, & non operetur; ergo Deus eſt cauſa ſubordinata voluntati, tanquam concauſæ ſubordinanti. Reſpondeo, voluntatem eſſentialiter ſubordinari cauſæ primæ; quia ſiue liberè, ſiue neceſſariò operetur, operatur dependenter à voluntate cauſæ primæ: ita vt, ſi prius Deus non voluerit cum ipſa concurrere ad actum liberum, vel neceſſarium, ipſa nullo modo poterit operari, & poteſt Deus pro ſua libertate determinare voluntatè, vt neceſſariò operetur, & quamlibet operationem 67

liberam illius impedire: Voluntas autem non poteſt Deum determinare ad aliquam operationem, ſi prius ipſe, etſi non actionem, ſaltem ſeipſum determinauerit modo explicato n. 19. ad talem actionem; neque aliquam actionem ſine concurſu Dei determinare valet voluntas; & hæc ſubordinatio ſemper competit voluntati. Quia tamen Deus vult ſuam libertatem voluntati relinquere, illi per decretum indifferens ſuam omnipotentiam applicat, & committit, vt illa vtatur in partem quam maluerit; & omnipotentia ſic applicata libere à Deo, operatur vel non operatur hunc vel illum effectum dependenter à determinatione voluntatis. Et in hoc ſenſu poteſt dici omnipotentia ſubordinata voluntati, cui Deus illam commiſit non neceſſario: ſed, ex decreto libero Dei: Nunquam tamen adhuc ex decreto libero Dei voluntas diuina dicitur ſubordinata immediatè voluntati humanæ, quia licèt voluntas determinet omnipotentiam ad producendam volitionem creatam; nunquam tamen determinat voluntatem diuinam ad ſuam volitionem. Quia antequam voluntas creata determinet ſuam volitionem, & omnipotentiam ad talem volitionem producendam, eſt Deus determinatus ad omnem actum ſuæ voluntatis, à quo volitio creata dependet. Neque cauſa aliqua creata immediatè poteſt determinare exercitium voluntatis diuinæ, niſi mediatè tantùm, quatenus determinat obiectum circa quod voluntas diuina poſtea poteſt verſari non actu efficaci, quo velit tale obiectum producere, quia hic actus iam ſupponitur ad determinationem cauſæ creatæ, & productionem obiecti, ſed actu complacentiæ, vel alio ſupponente iam obiecti exiſtentiam.

§. V.

Neceſſitas concurſus cauſæ primæ, vt ſecunda operetur neceſſitatem non inducit phyſicam prædeterminationem.

68 AD difficultatem hanc diſſoluendam, oportet in memoriam adducere obiectum omnipotentiæ eſſe rationem communiſſimam entis; quod omnes abſque quæſtionis loco admittere tenentur. Hanc concluſionem ex dicendis in Met. Contr. 10. de modo quiſque facilè intelliget; vbi probabo cauſam non referri ad rationem aliquam communem omnibus effectibus; ſed ad hunc, & illum peculiarem effectum; dicimus tamen referri ad rationem aliquam communem effectuum, ſeu ad effectus ſub ratione aliqua, in qua omnes conueniunt, vt ſignificemus omnia ſingularia ſignificata ſub illo communi conceptu eſſe terminos, ſeu obiecta talis potentiæ, ſic potentiæ viſiuæ colorem in communi ſolemus aſſignare tanquam obiectum; quia ſpecies omnes contentæ ſub hoc conceptu vniuerſali coloris, obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ conſtituunt. Eodem modo, quia omnia ſingularia contenta ſub hoc vniuerſali conceptu entis, ſunt obiecta omnipotentiæ, dicimus obiectum illius eſſe rationem illam communiſſimam entis. Ex quo fit prædicatum entis eſſe titulum adæquatum, vt quilibet effectus dependeat à Deo: ſicuti prædicatum vitalis, titulus eſt, vt effectus dependeat à principio vitali. Cum autem in omni effectu hæc ratio entis reperiatur, in omni effectu dependentia à Deo reperiri neceſſe eſt. Quem diſcurſum eleganter conceſſit D. Th. 1. part. quæſt. 105. art. 5. in corpore: *Quia forma rei eſt intra rem & tanto magis, quia conſideratur, vt prior, & vniuerſalior; & ipſe Deus eſt propriè cauſa ipſius eſſe vniuerſalis in rebus omnibus: quia inter omnia eſt magis intimus rebus, ſequitur quod Deus in omnibus rebus intimè operetur.*

69 Noto ſecundò, Deum multis modis influere in effectum productum ab ipſo, & à cauſa creata. Primò: influit in effectum producendo virtutem creatam, à qua ipſe effectus producitur; & hac ratione Deus dicitur cauſa remota cuiuſvis effectus. Quam cauſalitatem haberet quolibet alio influxu ſecluſo. Secundò: Deus producit conditiones, & omnia requiſita, vt cauſa ſecunda operetur, quod eſt applicare cauſam ad ſuam operationem. Hoc fit in cauſis phyſicis per approximationem localem, inter agens, & paſſum, & in voluntate per præſentationem obiecti. Hac ratione Deus habet remotè prioritatem illam reſpectu effectus, quam proximè habet conditiones ab ipſo productæ. Tertiò: Deus ſuam omnipotentiam applicat ad producendum effectum, per decretum antecedens ipſius productionem, indifferens ad effectum liberè producendum à voluntate creata, & determinatum ad producendum effectum dependentem à cauſa ſecunda ex natura ſua neceſſaria, & determinata ad effectum. Medio hoc decreto concurrit Deus eodem modo, quo concurrit modò mea volitio ad motum localem efficiendum à potentia progreſſiua; qui concurſus moralis, & non phyſicus dici ſolet quia tantum ſe habet per modum determinantis principium phyſicè producens. Quartò: Deus per ſuam omnipotentiam immediatè influit in effectum: ita vt actio productiua illius eſſentialiter reſpiciat omnipotentiam per ſe ipſum, & immediatè. Hac ratione Deus immediatè, & propriiſſimè dicitur cauſa cuiuſvis effectus creati.

70 Hos omnes influxus rectè ſine prædeterminatione componi ex illorum naturis facilè conſtat. In quibus rationem adæquatam cauſæ primæ, à qua ſecunda depēdeant in operari ſecundum rationem, qua ab hac diſtinguitur, prædeterminatione secluſa ſitam eſſe probo, & explico. Influxum cauſæ, abſtrahentem à cauſa prima, & ſecunda, rectè quiſque agnoſcet in dependentia, quam habet quilibet effectus à Deo immediatè, per omnipotentiam, attingentem productionem ipſius. Deinde ratio cauſæ in eo relucet, quod Deus eſt cauſa vniuerſalis omnium effectuum, & principium immediatum omnium actionum, & ob hanc rationem præciſam poteſt dici Deus cauſa prima, ſeu prior prioritate vniuerſalitatis, illa enim, quæ vniuerſaliora ſunt priora vocamus. Neque hæc ratio alicui entitati creatæ conuenire poteſt: implicat enim dari cauſam creatam, à qua eſſentialiter dependeant omnes actiones creatæ. Quia ſaltem actio, qua ipſa produceretur ab ipſa non procederet; Neque refert, ſi dicas, Deum non produci à ſeipſo quia Deus à nulla cauſa dependet: virtus autem illa dependeret à vera cauſa: ac proinde daretur cauſalitas aliqua, cuius ipſa non eſſet principium: ac proinde non eſſet cauſa prima, id eſt omnium vniuerſalior. Quia Deus eſſet cauſa omnium effectuum, quorum hæc entitas eſſet cauſa, inſuper eſſet cauſa illius entitatis: ac proinde eſſet cauſa vniuerſalior illa. Addo implicare cauſam, à qua reliquæ entitates eſſentialiter dependeant; quia anima rationalis de facto poteſt dependere à ſolo Deo: ergo implicat non poſſe depēdere ab illo ſolo: & poſſibilis eſt actio tantùm dependens à Deo: ergo de potentia Dei abſoluta non poteſt non eſſe poſſibilis, quia licet liberum ſit Deo, hanc entitatem produci, vel non produci: non tamen liberum eſt illi entitatem eſſe vel non eſſe poſſibilem.

71 Alio modo Deus dici poteſt cauſa prima reſpectu effectus, qui dependet indiuiſibiliter à Deo, & à cauſa ſecunda, verbi gratia, volitionis creatæ. Quia cum dicimus, volitio dependet à Deo, & à voluntate hominis, ſi inquiramus, voluntas hominis à quo dependeat? aliam illius poterimus cauſam aſſignare. Dicemus enim, voluntas dependet ab anima, ſi voluntas potentia ſit ſuperaddita. Et rurſus ſi inquiramus, à quo dependeat anima? dicemus dependet à Deo: & ſic dependentia volitionis à voluntate noon reſoluitur in ipſam voluntatem, ſed in Deum & ſicut prima principia vocamus illa, quæ rurſus per alia probari nequeunt, ſed per ipſa nota ſunt: ſic primam cauſam vocamus illam: quæ cauſam aliam non habet, à qua ipſa dependeat, & prima dici nequit illa, quæ ab alia dependet, & media qua cauſa alia influit. Et hac ratione nulla cauſa creata, prima dici poteſt. Deus autem propriiſſimè cauſa prima dicitur: quia cùm dicimus volitio creata immediatè dependet à Deo, ſi rurſus interrogemus, Deus à quo dependet? dicemus, Deus à nullo alio dependet, neque vltra progredietur in reſolutione cauſarum, Deus enim eſt prima cauſa media qua nulla alia influit.

Alio modo poteſt dici Deus cauſa prima, quia non tantùm eſt cauſa immediata effectus; ſed etiam mediata: quia tribuit virtutem cauſatiuam cauſæ creatæ, media qua influit in effectum. Propter quam rationem Deus dicitur, & prima cauſa reſpectu effectus, quia prius influit mediatè Deus in effectum, quàm cauſa creata immediatè influat. Hæc ratio cauſæ primæ videtur coincidere cum ratione immediatè aſſignata; tamen, ſi rectè inſpiciatur, longè eſt ab illa diuerſa. Dixi enim cauſam creatam nō dici cauſam primam; quia influxus, & dependentia effectus non reſoluitur in ipſam. Vnde, etiamſi volitio dependeret à volũtate, & voluntas ab anima, licet anima per impoſſibile non dependeret à Deo, voluntas non diceretur cauſa prima

volitionis

Digitized by Google

volitionis; & Deus diceretur cauſa prima illius. Quia influxus, & dependentia volitionis à Deo in ipſum reſolueretur, etiamſi Deus mediatè non influeret in volitionem. Modò tamen aſſero Deum dici cauſam primam volitionis;quia eſt cauſa virtutis creatæ,à qua producitur, eſt inſuper non dependens ab alia. Vnde, cum dicimus, volitio dependet à voluntate, & rogamus; voluntas, à quo dependet? reſpondemus, ab anima; & rurſus anima à Deo: Deus autem à nullo dependet. Ex quo fit Deum eſſe cauſam primum non reſolubilem in aliam, non ſolùm ea ratione, qua immediatè concurrit: ſed etiam ratione concurſus mediati,quem exhibet media alia cauſa creata.

73 Alia ratione Deus dici poteſt cauſa prima effectuum; quia applicet cauſas creatas ad operandum per productionem phyſicæ præſentiæ ad effectus phyſicos; & per productionem cogitationum ad voluntatis opera, præcipuè ad opera honeſta, & meritoria; ad quæ elicienda Deus ſanctis cogitationibus, in quibus præuenientem gratiam conſtituunt Theologi, ex meritis Chriſti voluntatem excitat. Quem influxum non habent cauſæ creatæ, quia licet cogitatio ad opus naturale poſſit naturaliter ab obiecto applicato produci,obiectum & illius applicatio in Deum, tanquam in primã cauſam,à qua dependent,reduci debent.

74 Rurſus Deus dici poteſt cauſa prima prioritate dignitatis, non ſolùm quia ſecundùm ſuam entitatem cauſa increata eſt nobilior principio creato, ſed quia principalius operatur, ſine ſubordinatione,reſpectu libertatis, ſeu indeterminationis,vel neceſſitatis cauſæ ſecundæ in ordine ad ſuam operationem. Rem explico:volitio eſt actio, quæ non poteſt non à Deo.& voluntate dependere ex ipſo,quod ſit in rerum natura; & ita voluntas non poteſt illam ſine concurſu Dei elicere, neque Deus ſine concurſu voluntatis valet illam efficere. Hæc tamen intercedit differentia; quod Deus pro libertate ſua poterit voluntatem determinare,vt neceſſariò producat actionem, & illam impedire, ne talem actionem, ſed volitionem producat, neque illi reſiſtere poteſt voluntas ſi efficaciter independenter ab illius libertate, ita vti ipſa voluntate ad volitionem producendam: voluntas autem non poteſt Deum cogere vt illa totam volitionem producat.

75 Vltimò: Deus cauſa prima dicitur reſpectu volitionis liberæ: quia prius eſt Deum ſe ipſum determinare ad volitionem producendam, dependenter à libertate voluntatis, per decretum indifferens explicandum punct. ſequenti quàm voluntatem determinare volitionem, & per hanc ſe ipſam determinare modo ſupra explicato. Reſpectu cauſæ neceſſariæ nulla eſt propria determinatio; quia non ſupponitur indifferentia. Nihilominus calefactionem ipſam ſolemus vocare determinationem ignis ad calefaciendũm, quæ eſſentialiter ſupponit determinationem Dei volentis cum igne cale facere. Et in hoc ſenſu priùs intelligitur Deus per ſuam volitionem determinatus ad calorem producendum cum igne, quam ignis determinatus conſpiciatur per ſuam actionem. De effectibus, qui tantùm à Deo dependent, & non à cauſa ſecunda neceſſum agere non erit. Cùm enim Deus eſt vnica cauſa ſine conſortio alius effectum producens, diſtinguendus non eſt diuerſus modus influendi cauſæ primæ, & ſecundæ, cum nulla ſit ſecunda; & ex dictis cur tunc Deus cauſa prima dicenda ſit, facilè conſtabit. Quæ ſufficiant modò, vt quiſque facilè videat non deſiderari principia, ex quibus diſtinguantur influxus cauſæ primæ, & ſecundæ, phyſica exterminata prædeterminatione. Venio iam ad argumenta Thomiſtarum ſoluenda.

§. VI.

Argumenta ſoluta contra doctrinam modò traditam.

76 OBiiciunt primò Thomiſtæ, vt probent de ratione primæ cauſæ eſſe operari media phyſica prædeterminatione: Deus operatur, vt prima cauſa: ergo prius natura influit in effectum, quàm cauſa creata: ergo non ex eo, quod moueat voluntatem mediis cogitationibus, quia hæ poſſent ab Angelo immitti, & tamen Angelus, non vt prima cauſa operaretur: ergo neceſſaria eſt præmotio phyſica, vt Deus operetur per modum cauſæ primæ. Neque exceſſus in perfectione quidquam conducit;quia non quelibet cauſa perfectior alia concauſa, & perfectior effectu eſt cauſa prima:alias anima perfectior ſpecie impreſſa,cum qua producit intellectionem, & perfectior ipſa eſſet cauſa prima reſpectu illius.

Reſpondeo ex dictis, multis titulis Deum eſſe cauſam primam reſpectu volitionis, ſine eo, quod phyſicam prædeterminationem producat. Vide quæ ſuprà dixi. Ad argumentum reſpondeo, non eſſe de ratione cauſæ primæ influere in effectum prius naturã,quàm cauſa ſecunda, ſed influere tanquam virtus, & potentia, quæ ab alio principio non dependeat, neque neceſſum eſt recurrere ad cogitationes, quas Deus immittit, etiam vt prima, quas ſi iniiceret Angelus, non eſſet vt prima cauſa, ſed vt principiũ dependens à Deo.

77 Obiic. Aluarez diſp. 18. num. 14. cauſa, quæ habet eſſe ab alio, habet operari ab illo. Ob quod probat Concil. Flor. decreto de fide Catholica, Verbum habere à Patre eſſe principium Spiritus ſancti, quia à Patre habet eſſe. Et Chriſtus Ioan.7 ait: *doctrina mea non eſt mea; ſed eius, qui miſit me.* Reſpondeo, omnes cauſas creatas habere operari à Deo; quia à Deo habent virtutem operatiuam, & quia Deus immediatè operatur cum illis; ita vt nequeant ſine Deo operari: quod optimè ſine phyſica prædeterminatione componitur.

78 Obiicit idem Aluarez ſuprà num.12. omnes cauſæ creatæ ſunt inſtrumenta: ergo omnes prædeterminantur à Deo. Antecedens probatur ex D. Thom. quæſt.3.de potentia art.9.& ratione;quia cauſa creata non poteſt eſſe principalis cauſa,quia eſſe eſt actus vniuerſaliſſimus, in quem tantùm Deus, vt cauſa principalis influere poteſt. Conſequentia probatur:de ratione inſtrumenti eſt agere, vt motum à cauſa principali: ergo omnis creatura, quæ agit,vt inſtrumentum, agit vt mota. Reſpondeo,non omnes cauſas creatas ſtrictè loquendo eſſe tantùm inſtrumenta; ſed cauſas principales potentes influere in rationem entis contractam ad ſuos effectus. Quod autem dicitur Deum tantùm poſſe influere in rationem entis, explicui iam ſuprà,vbi dixi,hoc loquendi modo tantum ſignificari Deum; & non aliam cauſam, poſſe in omnes effectus creatos influere. Ad auctoritatem Diui Thomæ Reſpondeo, Angelicum Doctorem non loqui de inſtrumento ſtrictè ſumpto; ſed quodam modo dici voluiſſe cauſas creatas inſtrumenta, quia ſicut inſtrumentum ſubditur artifici, ita cauſæ creatæ ſubduntur Deo. Neque in conſequenti illationem inuenio; quia non eſt de ratione inſtrumentalis, phyſicâ præmotione ad operandum determinari.

79 Obiic. quartò: Deus non poteſt operari actionem vitalem,ſine potentia vitali: ergo incompoſſibile eſt influere, vt cauſam primam in actionem vitalem, quin prius influat in ipſam potentiam: ergo non poteſt operari, vt cauſa prima, reſpectu vitalis actionis, quin phyſicam prædeterminationem in potentia produxerit. Sic argumentatur Aluarez num. 42. Hoc argumentum maiori explicatione indiget, quàm ſolutione. Mihi tamen illud explicare non incumbit, neque in explicando tempus inſumere placet. Scio enim nihil difficultatis in illo, quamtumvis explicato inueniendum eſſe. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: impoſſibile eſt Deum influere in actum vitalem, quin prius influat in ipſam potentiam, tanquam in effectum, hoc eſt, quin prius illam producat, concedo conſequentiam; quin prius influat in ipſam potentiam tanquam in ſubiectum producendo in illam phyſicam prædeterminationem, nego conſequentiam. Nullum enim veſtigium illationis inter antecedens, & conſequens apparere poteſt.

80 Obiicit Aluelda diſp. 6. num. 13.& 14. Operatio cauſæ ſecundæ,vt eſt à cauſa ſecunda,eſt formaliter à Deo: ergo Deus non ſolùm concurrit per concurſum ſimultaneum, ſed per concurſum præuium. Probatur conſequentia; per concurſum ſimultaneum, effectus quatenus formaliter dependet à cauſa ſecunda, non dependet à Deo proximè, ſed tantùm remotè, quatenus cauſa ſecunda dependet à Deo; ergo debet dari alius ſpecialis concurſus, per quem actio, vt dependens à cauſa ſecunda, dependeat à Deo. Primum antecedens probant Thomiſtæ; quia actio vt cauſæ ſecundæ eſt creatura: ergo vt à cauſa ſecunda dependet à Deo; quia de ratione creaturæ eſt dependere à Deo. Neque illis ſatisfacies ſi dicas operationem creatam vt cauſa ſecunda, nihil aliud eſſe quam operationem ipſam, & cauſam ſecundam; ac proinde operationem, vt à cauſâ ſecundâ, dependere à Deo dicere dependentiam operationis,& ipſius cauſæ ſecundę.Hanc enim ſolutionem ſic impugnant:poteſt Deus conſeruare Solem,& conſeruare illuminationem; & tamen poteſt Sol non illuminaret

Digitized by Google

ergo Solem illuminare aliquid eſt præter ſubſtantiam illuminationis, & Solis: ergo operatio, provt à cauſa ſecunda, quidquam aliud importat, præter operationem, & cauſam ſecundam. Sic Aluelda ſuprà.

82 Idem argumentum in Alueldam retorqueo: operatio procedens à phyſica prædeterminatione, vt dependet à phyſica prædeterminatione dependet à Deo, quia vt à phyſica prædeterminatione eſt etiam creatura, de ratione cuius eſt habere dependentiam à creatore: ergo Deus non ſolùm concurrit cum hac phyſica prædeterminatione per concurſum ſimultaneum; ſed per aliud præuium, quo agat in ipſam prædeterminationem: ſicut ipſi Thomiſtæ volunt concurrere cum igne ad producendum calorem. Plura alia in Alueldam expendi poſſent; ſed ne in rebus leuis momenti immorer, ad ſolutionem argumenti deuenio. Reſpondeo, operationem creatam ſecundùm ſe totam, phyſicè dependere à Deo per ipſammet entitatem, per quam indiuiſibiliter pendet à cauſa prima, & à cauſa ſecunda, & ita ex parte actionis non eſſe formalitatem diuerſam, per quam dependet à cauſa prima & à formalitate, per quam dependet à cauſa ſecunda: nihilominus, ex modo noſtro concipiendi, diſtingui extrinſecè per noſtros actus actionem, provt dependentem à cauſa prima, & provt dependentem à cauſa ſecunda, quia cum dicimus actionem, provt dependentem à cauſa prima, etiamſi ex parte obiecti in recto ſignificati ſummamus id, quod formaliſſimè eſt dependentia à cauſa prima, & ſecunda, in obliquo tantùm ſumimus, vnum terminum, ſeu principium talis dependentiæ. Cum verò dicimus actionem, vt dependentem à cauſa ſecunda, ex parte obiecti in recto ſignificati ſumimus eundem formaliſſimum reſpectum ad cauſam primam ex parte tamen obliqui ſumimus alterum terminum, ſeu alterum principium eiuſdem dependentiæ, videlicet cauſam ſecundam. Vnde actio, vt dependens à cauſa prima, & vt dependens à cauſa ſecunda, diſtinguuntur per extrinſeca connotata, non tamen ſecundum formalitatem in recto ſignificatam. Quia tamen qui dicit actionem, vt dependentem à cauſa prima, & actionem vt dependentem à cauſa ſecunda, non ſolùm dicit ſignificatum in recto, & conſtitutiuum formale intrinſecum actionis; ſed etiam obliquè connotata, hinc eſt, quod actio, quatenus dependet à cauſa prima, & quatenus dependet à cauſa ſecunda, formaliter differat ratione extrinſeci connotati. Ad argumentum in forma reſpondendum eſt: actio provt à cauſa prima, & à cauſa ſecunda, dependet à Deo, diſtinguo antecedens: eademmet actio, ſecundùm eundem reſpectum indiuiſibilem intrinſecum, per quem reſpicit cauſam ſecundam, reſpicit cauſam primam, concedo: dicit idem connotatũ, quando cognoſcitur, vt formaliter per noſtram cognitionem ſumitur in ordine ad cauſam primam, & quando vt formaliter ſumitur in ordine ad cauſam ſecundam, nego. Quia vt ſumitur in ordine ad cauſam ſecundam, dicet tantùm tanquam connotatam cauſam ſecundam, & non primam, & vt ſumitur in ordine ad cauſam primam, dicit tanquam connotatum, cauſam primam, & non ſecundam. Quæ diuerſitas connotationum eſt valde extrinſeca actioni; nam hæc per ſuam entitatem ſemper dicit reſpectum ad cauſam creatam, & increatam, ſi eſt actio, mediâ quâ cauſa ſecunda operatur. Quod autem intellectus illam ſignificet cum hoc, vel cum illo connotato, nimis accidentale, & extrinſecum eſt actioni. Ad confirmationem illam: actio pro vt à cauſa ſecunda eſt creatura, diſtinguo antecedens: eſt creatura connotans formaliter cauſam primam ex modo noſtro concipiendi, nego: connotans tantùm cauſam ſecundam ex eodem noſtro modo concipiendi, concedo. Si iterum inſtes; de eſſentia creaturæ eſt connotare cauſam primam, diſtinguo: eſt connotare cauſam primam, vt præcisè connotat ſecundam ex parte reſpectus tenentis ſe ex parte obiecti in recto, concedo: ex parte obliqui, ſubdiſtinguo: eſt connotare cauſam primam formaliter, vt connotat ſecundam, nego: abſolutè, concedo.

§. VII.

Vltima actualitas actionis prædeterminationem in actu primo non expoſcit.

83 Caput aliud, ex quo Dominicani intendunt originem trahere ſuam phyſicam prædeterminationem, eſt actualitas effectus, ex qua intendunt probare debere dari in potentia præmotionem aliquam, per quam auferatur illius potentialitas, & conſtituatur in actu ad operandum. Quia entitas in actu non poteſt oriri ex entitate in potentia, & quia ſi potentia creata ſine phyſica prædeterminatione eſſet in actu ad operandum, illi conueniret ratio puri actus, quæ tantùm Deo competere poteſt. Caput hoc abſcindere difficile non erit, ſi explicemus terminos; quibus non mediocriter res, aliàs facilis, & clara, fit difficilis, & obſcura.

Actualitas potentialitati opponitur, & ita tot dantur actualitatum genera, quot potentialitatum. Duplex eſt potentia: vna logica, alia phyſica. Potentia logica eſt illa, qua res aliqua poſſibilis dicitur: hæc conuenit materiæ primæ, quæ eſt primum ſubiectum, & ſubſiſtentiæ, quæ eſt vltima perfectio ſubſtantialis, conſtituens vltimò naturam perfectam, & cuicumque accidenti vltimò perficienti ſubſtantiam, & omnibus entitatibus, quæ continentur intra obiectum omnipotentiæ. Hæc potentia perfectiſſimè actuatur, & perficitur per exiſtentiam cuiuſuis rei, ſecluſo quolibet alio in illa recepto; potentia enim logica, quam habet materia prima ad exiſtendum, qua poſſibilis dicitur, omnino eſt reducta ad vltimum & perfectum ſuum actum, quando materia exiſtit, ſiue formam habeat, ſiue illa careat. Quia exiſtentia formæ, neque illius receptio non eſt exercitium potentialitatis Logicæ, quam habet materia ad exiſtendum. Hanc actualitatem requirit omnis potentia phyſica ad operandum; implicat enim aliquid non exiſtens phyſicè operari. In hoc ſenſu exiſtentiam cuiuſuis rei actum purum dicere poſſemus illius potentiæ Logicæ: quia tota perfectiſſimè reducta eſt ad actum. Nihilominus nomine actus puri ſignificare ſolemus exiſtentiam rei, ita per ſuam eſſentiam exiſtentis, vt implicet ipſam deficere, vel non eſſe: & in hoc ſenſu ſolus Deus eſt actus purus. Reliqua vero entia creata dicuntur habere aliquid admixtum potentialitatis, quia licet exiſtant, potuerunt antecedenter non exiſtere, & poſſunt deficere. 84

Potentia phyſica triplex eſt, actiua, paſſiua & terminatiua. Actus harum potentiarum ſupponunt illas iam exiſtentes, & ſunt omnino extra conceptus potentiarum. Imò realiter ab illis diſtincti, quod non conuenit actui potentiæ Logicæ; qui realiter, imò neque formaliter ex parte obiecti à ſua potentia diſtinguitur. Potentia ad agendum ad ſuum actuum reducitur per actionem; & hæc conuenit Deo, qui per ſuam entitatem eſt potens efficere, & per actionem conſtituitur actu efficiens. Neque reſpectu huius actus potentialitas in Deo imperfectionem arguit: neque in ordine ad illum Deus per ſuammet entitatem purus actus dici poteſt; quia Deus per ſuammet entitatem præcisè non conſtituitur efficiens. 85

Potentia paſſiua ad actum reducitur per receptionem alicuius formæ intrinſecè inhærentis ſubiecto. Hæc potentia repugnat Deo, ſicuti illius actus. Deus enim per ſuammet ſimpliciſſimam entitatem eſt perfectiſſimus, & in hoc ſenſu dicitur actus purus, id eſt ens ſummè perfectum, ſine admixtione alicuius perfectionis ſuperadditæ intrinſecè inhærentis, & ſine noua perfectione ab ipſo diſtincta illi aduenientе. Hæc perfectio nulli ſubſtantiæ creatæ competit, omnes enim perficiuntur aliquibus accidentibus; imò nulli entitati creatæ; accidens enim vltimum, in quo aliud non recipitur, etſi non perficiatur per formam, perficitur per ſubiectum, ratione cuius conſtituitur exiſtens, & ſine quo non poteſt exiſtere. Quod enim dicitur accidens eſſe perfectionem ſubiecti; & ſubiectum non eſſe perfectionem ſubſtantiæ, eſt dicere, accidens ex ſe ordinari ad perficiendum ſubiectum, & non è contrà. De facto tamen, & accidens perficitur per ſubiectum, & ſubiectum per accidens, & ex vtroque reſultat concretum perfectius quocumque eorum ſeorſim ſumpto. 86

Potentia terminatiua ſumitur in ordine ad diuerſos terminos. Potentia terminatiua dicitur reſpectu actuum vitalium. v. g. color habet potentiam terminandi viſionem, Quodcumque ens potens eſt terminare intellectionem, & ſic de aliis actibus. Dicitur etiam potentia terminatiua vnionis partis eſſentialis, vel integralis ad aliam compartem eſſentialem, vel integralem, vel ſuppoſiti ad naturam, vel accidentium ad ſubſtantiam per modum ſubiecti, quod informant; vel non per modum ſubiecti, ſed per modum 87

Digitized by Google

modum termini, in quem ſit conuerſa propria ſubſtantia illorum: ſicuti accidentia panis terminant vnionem ad corpus Chriſti in myſterio Euchariſtico. Alia eſt potentia terminatiua relationis tranſcendentalis, vel prædicamentalis, ſi datur. Aliam potentiam terminatiuam agnoſcunt nonnulli, qua quantitas per indiuiſibile terminatiuum terminatur: hæc eſt, qua accideus per vltimum ſui terminatur. Actus harum potentiarum ſunt exiſtentiæ actuales actuum vitalium, vnionum, ſeu relationum, illarúmve entitatum, reſpectu quarum ſe habent tanquam terminatum. Ex his potentiis potentia terminandi actum vitalem intellectionis, & amoris creati, & actus illarum Deo non repugnat, & verè dicimus Deum eſſe in potentia, vt ametur, & cognoſcatur à nobis. Ad cuius actum reducitur per noſtrum amorem, noſtrámque cognitionem, à quibus actus denominatur cognitus, & amatus. Neque potentia terminandi relationem prædicamentalem creaturæ ad creatorem, & terminatio actualis extrinſecè adueniens expoſitione relationis identificatæ cum creatura, Deo repugnat; ex vi cuius terminationis Deus non dicitur relatus, relatio enim non denominat terminum relatum, ſed tantùm fundamentum. Poterit tamen Deus dici actu terminans relationem, ſeu actu reſpectus per talem relationem. Neque alicui ſubſiſtentiæ diuinæ repugnat eſſe terminum naturæ creatæ ſubrogatum loco proprij termini ſubſtantialis, ſeu ſubſtantiæ, terminaréque vnionem hypoſtaticam inter naturam humanam, & ſubſiſtentiam diuinam. Repugnat autem Deo terminare vnionem, per modum partis eſſentialis, vel integralis compoſiti: & ſimiliter per modum ſubiecti inhæſionis, ſeu informationis formæ accidentalis, vel ſubſtantialis.

88 Actus omnium potentiarum, quos Deo tribuimus, dicuntur contrahentes, & determinantes potentiã ad actum. Sic dicimus Deum per actionem conſtitui efficientem, & illius potentiam contrahi ad actum, ad quem, & ad negationem illius indifferens erat. Dicuntur ſimiliter perfectiones extrinſecæ Dei, quis enim neget mundi fabricam, adeóque excellentium creaturarum ſtructuram eſſe maximam Dei perfectionem, licèt extrinſecam, ex qua intrinſecam in vita deprehendimus?

89 Ex his licet inferre non omnem actum ſecundum eſſe perfectiorem actu primo. Creatura enim eſt actus ſecundus reſpectu omnipotentiæ, & omnipotentia actus primus reſpectu creaturæ: & infinita perfectione omnipotentia creaturam exſuperat; & in quacumque cauſa creata ſemper adæquatum efficiens licet non perfectius; ſaltem æquè perfectum eſſe debet cum effectu. Non poteſt enim quid perfectius à principio imperfectiori produci: ergo actus ſecundus principij effectiui non debet eſſe perfectior principio effectiuo, ſeu actu primo illius. Neque reſpectu potentiæ paſſiuæ actus ſecundus perfectior eſt actu primo; intellectio enim eſt actus ſecundus animi rationalis potentiæ intelligere; non tamen intellectio eſt perfectior anima. Actum ſecundum ſubſtantialem perfectionem eſſe reſpectu ſubiecti informationis, habentis ſe per modum materiæ componentis cum illo totum compoſitum, probaui in Phyſic. hoc tamen conuenit huic actui ſecundo ex peculiari conceptu formæ ſubſtantialis; quæ perfectior debet eſſe materia, propter rationem ibi aſſignatam. Eadem certitudine infertur non omnem perfectionem eſſe in ſe perfectiorem perfectibili; quia omnis actus ſecundus eſt perfectio actus primi? non tamen eſt illo perfectior, vt patet in exemplis adductis actionis reſpectu principij effectiui, & formæ accidentalis reſpectu ſubiecti accidentalis.

90 Vt clarè deprehendas fallaciam argumentorum, quæ Thomiſtæ adducunt, & concluſiones præcedentes comprehendas, inſpicias precor, quod ſibi ſatis notum erit aliud eſſe principium efficiens ſecundum totam, quod dicit in ratione efficientis, eſſe perfectius effectiuo: aliud efficientiam, ſeu actum ſecundum eſſe perfectiorem principio effectiuo, ſeu actu primo, quia principium efficiens dicit duo, principium effectiuum, & efficientiã; hoc eſt actum primum, & actum ſecundum; & ab effectiuo diſtinguitur tanquam includens ab incluſo. Vnde, cum includat efficiens perfectionem effectui, & perfectionem efficientiæ, mirum non eſt ratione efficientiæ perfectione ſuperare principium effectiuum. Si tamen inter ſe comparentur effectiuum, & efficientia: actus primus, & actus ſecundus, ſemper actus primus perfectione ſuperabit actum ſecundum. Eadem ratione quælibet potentia, vt reducta ad actum, maiorem perfectionem dicit, quàm ipſa ſine actu, v.g. animus intelligens, maiorem perfectionem dicit animo non intelligente; non tamen intellectio perfectior eſt animo. Idem omnino de actu illo contrahente potentiam Logicam intelligendum eſt. Licet enim maiorem actualitatem dicat principium intelligens, quàm intellectiuum; quia dicit actualitatem intellectiui, & intellectionis non tamen maiorem actualitatem dicit intellectio, quàm principium intellectiuum exiſtens in rerum natura. Hæc quæ naturæ lumine tota ſunt omnibus, ſunt, quæ Thomiſtas decipiunt, ſeu, quod certius iudico, quibus ipſi nos decipere procurant, nunquam enim credidi doctiſſimos viros de his dubitaſſe.

§. VIII.

Diſſoluuntur argumenta Thomiſtarum contra præcedentem doctrinam.

VEnio iam ad Thomiſtarum argumenta ſoluenda Obiic. 91
primò: Cauſæ ſecundæ tribuunt effectui ſuam vltimam actualitatem: ſed non poſſunt hanc tribuere ſine præmotione: ergo non poſſunt ſine præmotione operari. Minorem probant: omnis cauſa creata habet aliquid admixtum potentialitatis: omnis actio habet actualitatem ſine admixtione potentialitatis: ergo actio habet perfectiorem actualitatem, quàm illam habeat cauſa creata: ergo non poteſt dependere à cauſa creata, niſi dependeat à præmotione, quæ habet actualitatem æquè perfectam cum actione, vel cum cauſa ſecunda. Sic argumentantur Gonzalez diſp. 6. n. 70. & Aluarez diſp. 18. num. 12.

Mille modis redarguitur obiectio: ſi enim actio perfe- 92
ctiorem habet actualitatem, quàm virtus actiua illius; quia hæc per illam conſtituitur efficiens in actu ſecundo, cur ipſa qualitas præmouens potentiam non dicetur habere imperfectiorem actualitatem actualitate actionis, cum per hanc in actu ſecundo efficiens conſtituatur? & cur non dicetur habere aliquid potentialitatis, cùm ipſa, determinans per modum actus primi potentiam, per ipſam actionem determinetur, & efficiens conſtituatur? quæ redargutio maiorem vim habet, ſi præmotionem hanc cum cauſa ſecunda neceſſaria comparemus. Ad argumentum reſpondeo, concedendo illud antecedeus, videlicet cauſam ſecundam tribuere actualitatem actui: nego tamen cauſam ſecundam non habere actualitatem æquè perfectam cum actione. Quia cum actualitas non diſtinguatur ab entitate, quæ dicitur actualis, & principium efficiens creatum ſit perfectius ſua actione; hinc eſt quod actualitas principij effectiui creati perfectior ſint actualitate ſuæ auctionis, ſeu ſui actus ſecundi. Ad illud, quod dicitur actum primum habere maiorem potentialitatem, diſtinguo ſi potentialitas ſit Logica reſpectu propriæ exiſtentiæ, nego: æquè enim exiſtit actus primus, ac actus ſecundus; imò exiſtentia actus primi ſupponitur ad exiſtentiam actus ſecundi, & vterque actus tam primus, quàm ſecundus defectibilis eſt. Vnde in hoc genere potentialitatis, ſeu actualitatis non habet maiorem potentialitatem admixtam actus primus, quàm actus ſecundus, ſi per potentialitatem intelligatur potentia phyſica ad efficiendum, vel recipiendum effectum diſtinctum. Concedo, actum primum habere maiorem potentialitatem, & actum ſecundum illam minorem habere. Nego tamen, ex hoc capite actum primum non poſſe producere actum ſecundum ſine alia præmotione. Quia hæc maior potentialitas, maiorem virtutem arguit: potentia enim ad producendum effectum diſtinctum tam in Deo, quàm in creatura dicit perfectionem; & potentia ad illum recipiendum in creatura perfectionem dicit, licet admiſtam aliqua imperfectione. Quapropter Deo conuenire non poteſt: non tamen ſemper pontentia paſſiua imperfectior eſt actu illius; ſæpe enim idem eſt principium actiuum, & paſſiuum reſpectu eiuſdem actionis. Et vt dixi ſupra, potentia paſſiua, quam habet anima, vt ex illa educatur potentia, ſeu actus accidentalis, perfectior eſt ipſa eductione, ſeu actu educto. Sed eſto, ſit omnis potentia paſſiua diſtincta à principio imperfectior ſuo effectu, ſeu forma recepta; non ideò præmotione indiget. Quia cauſa materialis non debet eſſe perfectior ſuo effectu, vt patet in materia prima, quæ eſt entitas imperfectior forma materiali ex illa educta.

Obiicit ſecundò idem Gonzalez ibidem, num. 10. Nulla 93
cauſa naturalis, eſt actus purus in agendo: ergo habet

Digitized by Google

virtutem actiuam permixtam cum paſſiua ; ergo agit , vt mota , ſecundùm hanc virtutem paſſiuam. Probat antecedens : omnis cauſa creata diſtinguitur realiter ab actu ſecundo : ergo perficitur per illum : ergo eſt cauſa paſſiua reſpectu illius : ergo nulla cauſa eſt purè actiua. Conſequentia probatur: Vnumquodque agit, quatenus eſt in actu, & agitur quatenus eſt in potentia ; ergo cauſa ſecunda agit , quatenus eſt in actu , hoc eſt , quatenus patitur per motionem.

94 Non placet diſputare , an omne principium effectiuum ſimul ſit paſſiuum, ſaltem reſpectu effectus non conducentis ad actionem ? De facto enim ſic in omnibus principiis creatis contingere cenſeo. Quid autem de poſſibili ſit, non ad hanc quæſtionem ſpectat. Vnum autem affirmo, quod vnicè ad rem attinet , principium effectiuum non dicere in ſuo conceptu virtutem paſſiuam , neque paſſionem neceſſariam eſſe, vt principium adæquatum effectiuum ad actum reducatur. (Loquor de principio adæquato ; quia principium inadæquatum ſæpe indiget alio principio in ipſo recipiendo : & hac ratione indiget paſſione, ſicuti potentia indiget ſpecie in ipſa recepta) cuius oppoſitum non probat Albelda : ratio enim, quam ſupra ex illo dedi, æquè probat Deum debere pati actionem ab illo dimanantem, per quam extrinſecè perficitur. Ad illud , quod dicitur vnumquodque agere quatenus eſt in actu , diſtinguendum eſt ; ſi enim ſonet vnumquodque agere quatenus eſt in actu primo, id eſt , quatenus eſt potens, & habet omnia requiſita ad agendum, verum tenet ; ſi tamen intelligatur eo modo, quo intendit Gonzalez , videlicet vnumquodque agere quatenus actus patitur , falſiſſimum eſt.

95 Obiicit tertiò Gonzalez n. 11. actus ſecundus perfectior eſt actu primo; ergo non poteſt agere niſi habeat in ſe præmotionem aliquam, per quam reducatur ad actum ſecundum. Probat antecedens ; quia actus ſecundus minorem habet potentialitatem , & magis actualitatis ; & actus primus habet minus actualitatis , & maiorem potentialitatem. Non vacat millies hæc redarguere. Rationem perpendas Albeldæ, & ſi illam agnoueris, inuenies eodem modo poſſe ex illa intendi in Deo dandam eſſe hanc præmotionem. Reſpondeo , actum primum effectiuum nunquam eſſe imperfectius , ſed ſaltem æquè perfectum cum effectu. Ad confirmationem , deſumptam ex maiori potentialitate actus primi reſpondi ſupra in ſolutione ad primum argumentum.

96 Fundamenta alia deſumunt Thomiſtæ , ad ſuam qualitatem ſtabiliendam, ex prouidentia ſpeciali Dei erga prædeſtinatos ; quæ facilè diluit quiſque ex noſtris Theologis. Quia tamen meum hoc opus non Theologicum , ſed Philoſophycum eſt, ab illorum ſolutione abſtineo, ſicuti à multis impugnationibus , quibus hanc prædeterminationem exterminare contendere poſſem , petitis ex fundamentis Theologicis.

§. IX.

Specialiter probatur dari non poſſe Phyſicam prædeterminationem ad actus liberos voluntatis creatæ.

97 COncluſio à me aſſerta , & propugnanda eſt , dari non poſſe phyſicam prædeterminationem ad actus liberos : hanc à poſteriori probo intendens inferri ex phyſica prædeterminatione libertatem euerti, poſita phyſica prædeterminatione ad conſenſum non poteſt in eo inſtanti in quo ponitur, poni carentia conſenſus : ergo in eo inſtanti non datur libertas ad vtrumque, ſed neceſſitas ad conſenſum, & impotentia ad carentiam conſenſus. Antecedens probo : ponere in eo inſtanti carentiam conſenſus , eſt ſimul ponere carentiam conſenſus cum phyſica prædeterminatione , quod eſt componere carentiam conſenſus cum phyſica prædeterminatione, componere enim, & ſimul ponere ſunt omnino ſynonima , vt patet ex apprehenſione terminorum , ſed implicat de potentia abſoluta in Thomiſtarum ſententia , voluntatem componere carentiam conſenſus, cum phyſica prædeterminatione ad conſenſum: ergo implicat ponere carentiam conſenſus in inſtanti in quo eſt phyſica prædeterminatio. Solum indiget probatione antecedens illud , videlicet ponere in inſtanti , in quo eſt phyſica prædeterminatio carentiam conſenſus eſſe ſimul ponere carentiam conſenſus cum phyſica prædeterminatione , quod ſic oſtendo. Ponere carentiam conſenſus, quando eſt phyſica prædeterminatio, ſeu in inſtanti, in quo hæc exiſtit eſt ponere in eadem temporis menſura carentiam conſenſus , in qua eſt phyſica prædeterminatio ; ergo eſt illam ſimul ponere cum phyſica prædeterminatione, non enim eſt aliud ſimul ponere , aut ſimul eſſe , quam ponere, aut in eadem temporis menſura.

Prima , & vniuerſalior fuga huius argumenti eſt voluntatem in eo inſtanti poſſe ponere carentiam conſenſus in ſenſu diuiſo phyſicæ prædeterminationis , non tamen in ſenſu compoſito. Non negant in hoc membro ſecundo compoſitionem phyſicæ prædeterminationis cum voluntate, & potentia ad conſenſum , & carentiam conſenſus, aſſerunt enim voluntatem ſimul habere potentiam ad vtrumque, & ſimul eſſe compoſitas phyſicam prædeterminationem ad conſenſum , & potentiam ad carentiam conſenſus. Solum negant potentiam ad coniungendam carentiam conſenſus cum phyſica prædeterminatione , aliud enim eſt ſimultas potentiæ ad extrema oppoſita : aliud potentia ad ſimultatem extremorum inter ſe , & actus cum potentia , itaque affirmant in inſtanti in quo eſt phyſica prædeterminatio eſſe ſimultatem , & compoſitionem inter phyſicam prædeterminationem , & potentiam ad carentiam actus , ſeu ad actum oppoſitum : non tamen admittunt potentiam ad ſimultatem phyſicæ prædeterminationis , & carentiæ actus prædeterminati. Expoſui terminos nobis ſatis notos , & in aliis materiis ſatis vtiles , quia ſæpè vidi Thomiſtas dum difficultate argumenti premuntur conqueri nos, non diſtinguere inter ſimultatem potentiæ, & potentiam ad ſimultatem , & inſuper vt conſtet , quam verè dixerit Doctiſſimus Petrus à S. Ioſepho in concordia ſuaui diſp. 2. ſect. 4. n. 2. ſine fundamento aſſerere Thomiſtas impugnatores phyſicæ prædeterminationis diſtinctionem, hanc non calluiſſe, & ex ſiniſtra illius intellligentia multa illis falſo imponi. Quot , quantique viri , non ſolum ex noſtris , ſed externis , etiam Dominicanis ſolutionem ex hac diuiſione deſumptam aſpernentur , videre licet apud Paulum Leonardum parte 2, ſect. 2. n. 8. & 9. 98

Expoſitam iam diuiſionem impugno , implicat voluntatem ponere diſſenſum in ſenſu compoſito phyſicæ prædeterminationis ad conſenſum. Probo conſequentiam , in inſtanti, in quo eſt phyſica prædeterminatio ad conſenſum non eſt ponibilis diſſenſus , niſi in ſenſu compoſito prædeterminationis , quia eo ipſo quod in eo inſtanti poneretur neceſſariò eſſet coniungendus cum phyſica prædeterminatione præexiſtente, ſed hoc modo non poteſt poni ; ergo nullo. Quod caſu, quo poneretur coniungeretur cum phyſica prædeterminatione , conſtat ex præmiſſis , quia coniungere nihil aliud eſt quam vnum ponere quando eſt aliud. 99

Inſtauro idem argumentum; voluntas prædeterminata ad conſenſum, non poteſt ponere diſſenſum compoſitum cum phyſica prædeterminatione, non diuiſum à phyſica prædeterminatione; ergo nullo modo. Non poteſt ponere diſſenſum compoſitum cum prædeterminatione concedunt aduerſarij ; nou poſſe ponere diuiſum à prædeterminatione ſic probo. Diſſenſus diuiſus à prædeterminatione , eſt diſſenſus ab ea ſeparatus , & exiſtens phyſica prædeterminatione ablata ; ſed phyſica prædeterminatio eſt exiſtens independenter à voluntate , & hæc illam auferre non poteſt; ergo non poteſt voluntas ponere diſſenſum diuiſum à prædeterminatione ; ergo nullo modo, Probo conſequentiam; qui non poteſt tollere vnum extremum , quod exiſtens ſupponitur non poteſt ponere aliud abſque eo , quod præexiſtenti coëxiſtat , & cum illo componatur , vt per ſe notum eſt. Modo enim quando exiſtit Angelus , cuius exiſtentiam auferre non poſſum , non potero ego ponere aliquam exiſtentiam ſeparatam ab exiſtentia Angeli , ſed ſi eam ponam independenter à voluntate mea exiſtentia à me poſita erit ſimul cum exiſtentia Angeli , & cum ea componetur, & reſultabit coëxiſtentia vtriuſque. 100

Hinc deprehendes quanta ſit differentia inter has propoſitiones, *iuſtus poteſt peccare, Prædeterminatus poteſt diſſentire.* Prior vera eſt in ſenſu diuiſo, quia iuſtus poteſt gratiam liberè amittere, & peccatum ponere diuiſum à gratia expulſa per peccatum. Prædeterminatus verò , nec per ſenſum diuiſum, neque modo aliquo poteſt prædeterminationem ſe à excutere, & ita non poteſt diuiſum à prædeterminatione diuiſum ponere , ſed ſi poneretur eſſet coniunctuscum prædeterminatione, qui modus ponendi apud Thomiſtas implicat , apud quos hoc coniunctum Phyſica 101

Digitized by Google

ſica prædeterminatio ad conſenſum, & diſſenſum chymæricum eſt.

102 Rurſus arguo: voluntas libere componit conſenſum cum phyſica prædeterminatione: ergo antecedenter poteſt illum non componere, ſeu non coniungere: ergo poteſt libere facere, quod illius conſenſus non ſit coniunctus cum phyſica prædeterminatione: ergo quod phyſica prædeterminatio ſit ſeparata à conſenſu, quod in Thomiſtarum ſententia conſtituente phyſicam prædeterminationem eſſentialiter coniunctam cum conſenſu chymericum eſt, ad quod ſemper implicat antecedens poteſtas, ergo debent fateri voluntatem liberam eſſe ad componendum & diuidendum conſenſum à phyſica prædeterminatione, ac proinde phyſicam prædeterminationem intrinſecè talem non eſſe, neque eſſentialiter cum conſenſu coniunctam.

103 Omnes illationes legitimæ deſcendunt ab illo antecedenti, *Voluntas libere componit conſenſum cum phyſica prædeterminatione*, quod probo ex Tridentino verbis relatis ex ſeſſ.6.cap. 5. *eidem phyſicæ prædeterminationi libere aſſentiendo, & cooperando*; aſſentiri enim eſt ſimul conſentire, & cooperari eſt ſimul operari; ſimul autem aſſentiri eſt coniungere aſſenſum cum motione phyſicæ prædeterminationis, & ſimul operari eſt componere aſſenſum & operationem cum phyſica prædeterminatione: ergo ad hunc ſenſum compoſitum, & hanc compoſitionem voluntas liberè concurrit.

104 Denique cum libera voluntas eſſentialiter dependeat à phyſica prædeterminatione in operibus factis, vt oportet ad meritum, & iuſtificationem in ſententia aſſerente ipſam includi in ratione gratiæ, & huius virtus, vt definit Tridentinum ſeſſ.6. cap.16. opera facta, oportet, vt ſemper antecedat, comitetur, & ſubſequatur, omnis operatio meritoria. eſt cooperatio, & coniunctio operis cum phyſica prædeterminatione de facto, nec ſeparabilis eſt ratio operationis factæ vt oportet à ratione cooperationis, & coniunctionis cum phyſica prædeterminatione, cum verò operatio meritoria libera ſit, ita & cooperatio cum phyſica prædeterminatione. Nec valet ad formales diſtinctiones operationis, & cooperationis recurrere, tum quia operatio meritoria vt talis includit cooperationem cum phyſica prædeterminatione, tum quia in his, quæ inſeparabilia ſunt, non poteſt dari libertas ad vnum abſque eo, quod detur aliud.

105 Solutionem aliam adducit Aluares lib. 12. de Auxiliis diſp.116. n.9. celebrem inter Thomiſtas, videlicet phyſicam prædeterminationem integrum relinquere iudicium indifferens rationis, & ita libertatem illæſam relinquere, quia poſito iudicio indifferenti, nec Deus neceſſitatem voluntati poteſt imponere, neque illius libertatem deſtruere tali iudicio permanenti. In hac doctrina ſolutionem nullam reperio, neque illius ſpeciem, ſed concluſionem, quam Thomiſtæ nunquam probabunt, quod enim refert iudicio repræſentari obiectum cum indifferentia, & ex vi huius repræſentationis voluntatem nullam pati neceſſitatem, ſi aliunde ponitur principium aliquod voluntatem ad vnam partem adigens, & naturalitas, quale eſſe intendimus phyſicam prædeterminationem, alias dicere poſſem ſemoto concurſu cauſæ primæ voluntatem liberam permanere, quia ſine illo permanet entitas intrinſeca voluntatis & iudicium indifferens.

106 Inſuper argumentum ſupra factum ex determinatione, quam ad conſenſum voluntatis inducit phyſica prædeterminatio, & incompoſſibilitate, quam habet cum diſſenſu eodem prorſus modo procedit, quidqnid ſit de iudicio indifferenti, & caſu, quo verum eſſet, quod omnino eſt falſum, voluntatem cum iudicio indifferenti non poſſe pati neceſſitatem, aliunde eſſet ſoluendum argumentum adductum.

107 Neque vnquam PP. dum impugnabant Hæreticos, qui ineuitabili fato libertatem euerti defendebant, illos reiiciebant, quia iudicium indifferens negarent, quod nunquam ſomniarunt, neque eos inconſequentiæ arguebant, quia retento rationis iudicio libertatem negabant, ſed quia affirmabant Deum ſua voluntate, & præſentia ita præmouere voluntatem creatam, vt illam neceſſario faceret operari, quod optime obſeruarunt Suarius tom. 1. de gratia prolog.1.cap.4. n.10. & doctiſſimus Hugo Cabellus in ſupplemento ad libros Scoti de anima tom. 2. editionis Lugd. diſp.3. ſect. 14. n. 6. Hanc ergo ſolutionem omnino inſufficientem iudico, quam Habra de Raconis Doctor Pariſienſis in ſua philoſophia tractatu de principiis quæſt.2. propoſitione 1. §. *ſed hæc reſponſio* aſſerit peſſimam eſſe omnium, quæ adhibentur.

Alia ſolutio, ſeu luſio verborum eſt RR. quorundam aſſerentium voluntatem cum phyſica prædeterminatione ad conſenſum poſſe coniungere diſſenſum potentia abſoluta, non tamen potentia infallibilitatis. Vocant potentiam infallibilitatis, quę reuera, & cum effectu ad actum reducitur. Hac ratione Tridentino reſpondent voluntatem cum phyſica prædeterminatione, in qua apud illos phyſica prædeterminatio conſiſtit, poſſe diſſentire, reſiſtere, & gratiam abiicere potentia abſoluta, non tamen potentia infallibilitatis. His vocibus exiſtimant optime libertatem defendere, aſſerentes ad libertatem requiri principia actus liberi poſſe conjungi cum vtroque extremo potentia abſoluta, non tamen potentia infallibilitatis. 108

Explicemus verba: voluntas prædeterminata ad morem non poteſt potentia infallibilitatis prædeterminationem coniungere cum carentia amoris. Inquiro vnde oriatur hæc impotentia infallibilitatis ad coniunctionem prædeterminationis, cum carentia amoris, & hæc infallibilitas coniunctionis cum amore. Si oritur ex natura intrinſeca ipſius prædeterminationis eſſentialiter connexæ cum amore, vt Thomiſtæ affirmant implicat potentia aliqua abſoluta ad diſiungendam phyſicam prædeterminationem ab amore, ſeu ad componendam prædeterminationem cum carentia amoris, implicat enim potentia quantumuis abſoluta dicatur ad faciendum aliquid, quod eſt contra ſuam eſſentiam, vt per ſe notum eſt. 109

Dicunt Thomiſtæ naturam phyſicæ prædeterminationis eſſe coniungi eſſentialiter cum actu libero, & ita ratione coniunctionis iſtius non habere potentiam infallibilitatis, vt diuidatur ab actu, & quia illius coniunctio eſt cum actu libero habere potentiam abſolutam ad coniungendam carentiam amoris cum prædeterminatione ad amorem. Mirabilis phyſicæ prædeterminationis eſſentia ad producendum ſummè neceſſario actum liberum potens, in quo duplex contradictorium continetur, quia producere neceſſario actum eſt non producere actum liberum, & item quando neceſſario producit actum liberum illum liberum producet vt aſſeritur, & illum non producet liberum, quia neceſſario illum producit. Implicat igitur in terminis produeere neceſſario actum liberum, ſeu producere neceſſario actum, & hunc liberum eſſe, producere enim actum liberum, & producere actum neceſſarium, non ex alio capite deſumitur, quam ex modo illum producendi, liberè, vel neceſſario. Rem ex terminis notam vnica propoſitione accipe, quæ verborum fallaciam, & æquiuocum detegit, & euertit. Implicat hoc complexum voluntas prædeterminata ad amorem eſſentialiter coniuncta cum amore, & in ea eſſe potentiam abſolutam, aliúue quovis nomine ſignificetur ad hanc coniunctionem auferendam, & amorem ab eo ſeparandum, ſiue eſſentialis illa coniunctio infallibilitatis naturalitas appelletur, ſiue alio quouis nomine exponatur, quia contra rerum eſſentias nulla potentia diſpenſari poteſt. 110

Confirmatur: hoc coniunctum odium, & prædeterminatio ad amorem eſt chymæricum, & implicatorium: ergo reſpectu illius nulla datur potentia. Antecedens prædeterminantibus factum eſt, conſequentia negabit, qui admittat potentiam creatam ad duplex contradictorium, ſi aſſeratur impotentiam infallibilitatis ad coniungendam phyſicam prædeterminationem cum diſſenſu ſitam non eſſe in connexione intrinſeca prædeterminationis cum actu prædeterminato, erit omnino diſcedere à prædeterminantium genere. Rurſus nullum caput Thomiſtæ deſignabunt, ex quo oriatur hæc infallibilitas enim intrinſecè phyſica prædeterminatio non repugnet coniunctioni diſſenſus, vnde conſtare poterit coniunctionem hanc aliquando futuram non eſſe. Si ex ſcientia Dei hæc infallibilitas deſumatur Deus ſcit, quod aliàs eſt futurum, non enim hoc eſt futurum, quia Deus ſcit, ſed Deus ſcit, quia futurum eſt: ergo aliud caput erit deſignandum ex quo infallibilitas futuri conſenſus deſumatur. Denique, ſiue ex ſcientia, ſiue ex decreto infallibilitas deſumatur auxilium intrinſece indifferens permanebit, quod admittere Thomiſtæ ſæpe repugnant. 111

§. X.

§. X.

Ex definitione libertatis Phyſica prædetermina-tio reycitur.

112 ITerum probo non poſſe dari phyſicam prædeterminationem ad actus liberos ex definitione potentiæ liberæ ſic ſe habente. *Potentia libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, & non operari* Tradunt hanc definitionem Gregorius Nyſſenus, Sanctus Thomas, Capreolus, Deza, Herueus, Conradus, Feriara Henricus de Gandauo, Scotus, Ocham, Gabriel, Gregorius, Marſilius, Adam Goudanus, Dionyſius Ciſtercienſis, Hieronymus ad Angeſto, Rupertus, Holchot, Almainus, Guillelmus de Rubion, Ricardus, Taper, Cannerus, Malderus, quos tumultuariè retuli breuitatis cauſa, loca autem, quibus potentiam liberam ita definiunt, & definitiones ab ipſis traditas ad verbum tranſcriptas, reperies apud Ripaldam tom.3.contra Baianos lib.2. diſp 15. ſect.12.

113 His poſſunt adiungi, quamplures Theologi, ex antiquioribus, quos huius temporis Doctores omnes ſequuntur, vnius verba non reticebo, quia nullis aliis melius poteſt definitio tradi, & comprobari, & quia tradita ſunt ab illuſtri Thomiſticæ Scholæ Dinaſta. Sic habet Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap.16. *Illa itaque cauſa libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere. Quia tamen concurſum cauſæ primæ nonnulli non callentes definitionem perturbant.* Sic addit. *Sunt ergo inter ſcholaſticos, qui doceant poſito concurſu Dei non eſſe vtrumque in poteſtate voluntatis, ſcilicet, agere, & non agere. ob idque aiunt ſecundo, huiuſmodi concurſum non numerari inter requiſita ad agendum, imo dicunt (vt ſua vtamur voce) comitari actionem ipſam, horum autem duorum, vel vtrumque, nunquam intellexi, vel neutrum vnquam credam. Etenim non eſt dubium, quin concurſus Dei, licet comitetur, vt aiunt actiones, ſit nihilominus vniuſcumque cauſæ ſecundæ requiſitus ad agendum, imo vero, & natura prærequiſitus, quoniam non ſolum Deus eſt effectus cauſæ ſecundæ, verum etiam ipſe mouet, ad agendum, & quamuis ille concurſus ſit prærequiſitus, nihilo ſecius illo poſito, tunc etiam eſt in facultate Voluntatis agere, & ceſſare, alias nullus dabitur requiſitorum numerus, quibus poſitis voluntas poſſit agere, & non agere, atque à Deo non erit libera, nam ante diuinum concurſum non poteſt agere, & quando iſte adeſt, vt iſti aiunt non poteſt non agere.* Ex Soto hæc Thomiſtarum Scholæ magno Achille, quibus clariora alia pro noſtra ſententia ſcribi non potuerunt. Argumentum factum ab ipſo de concurſu Dei ad phyſicam prædeterminationem transfero. Si enim illa poſita non poteſt voluntas in ſenſu compoſito agere, & non agere nullus dabitur requiſitorum numerus, quibus voluntas poſſit agere, & non agere, atque ideo non erit libera, nam ante phyſicam prædeterminationem, non poteſt agere, & quando iſta adeſt non poteſt non agere.

114 Rationes huius definitionis naturæ lumen videtur oſtendere, nam agentia neceſſaria poſſunt agere poſitis omnibus requiſitis ab agendum, & aliquo ex illis ablato poſſunt non agere, imo non poſſunt agere: ergo potentia libera in eo debet à neceſſaria diſtingui, vt poſitis amoribus requiſitis ad agendum ita poſſit agere, vt illis perſeuerantibus poſſit non agere, & cum illis coniungere carentiam actionis: poſſe enim ablatis prærequiſitis ad operandum non dari operationem reſpectu cuiuſvis potentiæ neceſſariæ verum eſt. Confirmatur: de ratione potentiæ liberæ eſt poſſe non producere, quando potentia neceſſaria non poteſt non producere, ſed hæc tantum non poteſt non producere, quando habet omnia requiſita ad producendum: ergo de ratione potentiæ liberæ eſt, poſſe non producere, quando ſunt omnia requiſita ad agendum; & carentiam ſuæ productionis dari poſſe in ſenſu cópoſito neceſſariorũ ad agendũ.

115 Hac definitione potentiæ liberæ præmiſſa arguitur ſic. Potentia libera talis eſſe debet, vt poſitis omnibus requiſitis poſſit operari, & non operari: ſed voluntas prædeterminata ad operationem non poteſt operari, & non operari: ergo non eſt potentia libera. Conſequentia eſt legitima: Maior continet definitionem potentiæ liberæ authoritate reuerendam, & naturali ratione notam. Minorem probo. Volũtas prædeterminata ratione prædeterminationis connexa eſſentialiter cum operatione eſt omnino inſeparabilis ab operatione, & implicat ſic prædeterminatam non operari: ergo ſic prædeterminata non poteſt non operari: ergo ſic prædeterminata non eſt potentia potens operari, & non operari.

Reſpondent Thomiſtæ voluntatem prædeterminatam in ſenſu compoſito habere potentiam ad non operandum, & cum phyſica prædeterminatione eſſe ſimultatem potentiæ ad operationem, & non operationem, licet non ſit potentia ad coniungendam non operationem ſeu carentiam operationis cum prædeterminatione. Rectè ſtaret ſolutio ſi voluntas poſſet à ſe excutere phyſicam prædeterminationẽ, & operatio ſine illa dari poſſet, cum verò vtrumque negent Thomiſtæ argumentum integrum manet. voluntas prædeterminata non habet potentiam ad ponendam operationem coniunctam cum prædeterminatione, vt Thomiſtæ propugnant non diſiunctam, ſeu diuiſam à phyſica prædeterminatione: ergo nullo modo. Conſequentia eſt legitima. Priorem partem antecedentis admittunt Thomiſtæ poſteriorem probo. Ad hoc vt voluntas haberet potentiam ad ponendam carentiam operationis diſtinctam, vel diuiſam à phyſica prædeterminatione, neceſſe erat phyſicam prædeterminationem, non exiſtere, vel iam exiſtentem poſſe auferri. Sed prædeterminatio iam ſupponitur exiſtens independenter à libertate voluntatis. Agimus enim de voluntate prædeterminata, & voluntas non poteſt illam auferre: ergo non poteſt ponere carentiam operationis in ſenſu diuiſo. Antecedens probo, vt voluntas poſſit ponere carentiam operationis in ſenſu diuiſo prædeterminationis, neceſſe eſt, vt omne, quod eſt in hoc complexo, *carentia operationis in ſenſu diuiſo prædeterminationis*, quod aliunde non exiſtat poſſit poni à voluntate, ſed in hoc complexo eſt eſſentialiter incluſa carentia phyſicę prędeterminationis: ergo neceſſe eſt vt hæc aliunde exiſtat, vel poſſit poni à voluntate: ergo voluntas prædeterminata non habet potentiam ad ponendam carentiam operationis in ſenſu diuiſo phyſicæ prædeterminationis. 116

Confirmatur, non poteſt dari potentia in voluntate ad carentiam operationis, niſi ea ratione, qua hæc poſſibilis eſt. Sed carentia operationis tantum poteſt concipi vt poſſibilis in ſenſu compoſito, vel in ſenſu diuiſo phyſicæ prædeterminationis. Sed neutro ex his modo voluntas poteſt illam ponere: ergo nullo. Non in ſenſu compoſito vt affirmant Thomiſtæ; non in ſenſu diuiſo, quia ad hoc neceſſe erat phyſicam prædeterminationem non exiſtere, vel voluntatem poſſe illam à ſe remouere, ea enim exiſtente, quidquid exiſtat in ſenſu compoſito illius exiſtet. Sed phyſica prædeterminatio exiſtens ſupponitur, agimus enim de voluntate prædeterminata, & voluntas non poteſt phyſicam prædeterminationem à ſe abigere: ergo voluntas non poteſt ponere carentiam operationis in ſenſu diuiſo phyſicæ prædeterminationis. Mitto voluntatem prædeterminatam ad conſenſum indigere alia phyſica prædeterminatione, vt eliciat diſſenſum, vnde hunc ex duplici capite elicere non poteſt, vnum, quia eſt prædeterminata ad conſenſum, alterum, quia non eſt prædeterminata ad diſſenſum. 117

Dices potentiam voluntatis eſſe ad carentiam operationis ſecundum ſe, non verò ad carentiam vt coniunctam cum prædeterminatione, neque vt diuiſam ab illa. Contra eſt, quia etſi effectus contineatur ſecundum ſuam entitatem in virtute cauſę, poſſe illum proximè producere ſemper eſt dependenter a circumſtantiis, & à negatione impedimentorum, quæ ſi adſint, & auferri non poſſint, virtus nequit in effectum erumpere, etſi enim habeam virtutem viſiuam coloris ſi ita ſint oculi clauſi, vt illos aperire non poſſim, videre non potero, quantumuis in virtute potentiæ viſiuæ contineatur viſio. Sic voluntas prædeterminata impedimentum habet ad carentiam operationis, cum qua eſſentialiter opponitur prædeterminatio voluntatem occupans, quia prædeterminatio eſſentialiter coniuncta cum operatione, & aliunde voluntas prædeterminationem tollere non poteſt: ergo non eſt proximè potens non operari, neque poſita prædeterminatione requiſita ad operationem voluntas eſt potens operari & non operari. 118

Reſpondent nonnulli definitionem illam debere intelligi de requiſitis ex parte potentiæ, & actus primi, quibus voluntas poſſit operari, & non operari, non verò de his, quæ non pertinent ad potentiam, & actum primum, & ita non requiri potentiam prædeterminatam poſſe operari, & non operari, quia prædeterminatio non pertinet ad potentiam, neque requiritur ad poſſe, ſed ad operari, neque attinet ad actum primum, ſed eſt quid medium inter actum primum & actum ſecundum, & applicatio actus primi ad actum ſecundum. 119

Nihil in his verbis inuenio, quod difficultatem emolliat: 120

liat : incipio ab illo, quod dicitur, prædeterminationem non requiri ad poſſe, ſed ad operari, prædeterminatio requiritur ad operationem, non vt conſtitutiuum illius, ſed vt principium vt plures Thomiſtæ affirmant, vel vt aplicatio principij ſeu conditio ; ergo pertinet ad conſtitutiuum actus primi proxime expediti ad operationem ; agens enim eſſe in actu primo non ſolum dicit virtutem productiuam effectus, ſed applicationem, & omnes conditiones neceſſarias ad operandum, nec dicimus ignem eſſe in actu primo ad calefaciendum, ex eo ſolum quod habeat virtutem productiuam caloris, ſed ex eo, quod habeat virtutem applicatam, & non impeditam ad producendum calorem: ſic ignis exiſtens Compluti, etſi habeat ſufficientem virtutem ad calefaciendum quodque lignum, non dicitur eſſe in actu primo ad calefaciendum lignum exiſtens Romæ, quia non habet ſufficientem applicationem : ergo etiam ſi voluntas prædeterminata ad amorem habeat ſufficientem virtutem ad odium, & prædeterminatio neceſſariò, nempe prædeterminatio ad odium, & quia habet ineuitabile reſpectu odij, & omnino indiſpenſabile impedimentum ad odium producendum, nempe prædeterminationem ad amorem cum eo eſſentialiter connexam, & conſequenter cum odio incompoſſibilem.

121 Eſt igitur eadem omnino difficultas, ſiue prædeterminatio ſit applicatio virtutis, & potentiæ, ſiue ſit virtus aut potentia, ſiue ſit quid medium inter actum primum, & ſecundum, ſiue quid ad actum primum ſpectans, de quo cum Thomiſtis contendendum non eſt, cum ſit certum requiri, vt potentia ſit proximè expedita ad operationem iuxta ſententiam, quæ illam defendit, & prærequirit ad operationem, & ita dicendum eſt prærequiri ad operationem, & requiri ad poſſe proximè expeditum operationis, quod includit virtutem effectus, & conditiones, & negationem omnium impedimentorum incompoſſibilium cum effectu producendo, vt virtus poſſit in ſuum effectum erumpere.

122 Rem confirmet materiale exemplum : Pone hominem cum potentia ad ambulandum fortiſſimis catenis deuinctum, nemo culpæ dabit huic homini, ſi non ambulet, & Eccleſiam non petat, quantumuis illi poſitum ſit præceptum petendi Eccleſiam. Non quia non habeat potentiam ambulandi, hanc enim habere ſupponimus, ſed quia illam impeditam habet, nec ſic impeditus, & impotens impedimentum auferre liber ad ambulandum ab homine ſanæ mentis dicetur. Sic ſe habet prædeterminatus ad odium, qui etſi potentiam habeat ad amorem, quia illam impeditam phyſica prædeterminatione incompoſſibili cum amore, & eſſentialiter connexa cum odio liber dicendus non erit ad amorem.

123 Dicunt nonnulli diſparem eſſe rationem ex eo, quod voluntas ſit potentia præciſiua, & virtus loco motiua in homine, ſeu potentia progreſſiua præciſiua non ſit. Diſparitas non eſt ad rem: voluntas eatenus eſt præciſiua, quatenus poteſt reſpicere vnum obiectum, & vnum motiuum, & non aliud, quod potentiæ progreſſiuæ non conuenire fateor, ſed hoc quid ad rem ; cum omnia, quæ ad hanc difficultatem ſpectant ſint paria, ſicuti enim homo catenis deuinctus ambulare non poteſt, ſic voluntas prædeterminata ad odium, nec cum præciſione, nec ſine illa poteſt amare, & ſicuti voluntas prædeterminata ad odium retinet virtutem ad amorem, ſic homo catenis vinctus retinet virtutem progreſſiuam, & ſicuti ſi homo à catenis ſit abſolutus, eſt liber ad ambulandum, ſic voluntas ablata prædeterminatione ad odium, poterit amare, imo in hoc eſt diſparitas, quæ magis argumentum contra aduerſarios vrget, quod non ſufficiet voluntatem abſolui à phyſica prædeterminatione ad odium, vt poſſit amare, ſed requiritur poſt ablatam prædeterminationem ad odium illam inſtrui prædeterminatione ad amorem vt poſſit amare, implicat enim amorem procedere à voluntate non prædeterminata ad illum.

124 Stat igitur potentiam liberam eſſe, quæ poſitis omnibus requiſitis, ſiue per medium virtutis, ſiue per medium applicationis, ſeu conditionis ad operandum, vel per modum complementi ad actum primum poteſt operari, & non operari. Sic enim omnes Theologi illam definiunt abſque vlla reſtrictione, nec dicunt potentiam liberam eſſe, quæ poſita virtute, ſeu illa poſita poteſt operari, & non operari, ſed quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, & non operari. Alij dicunt potentiam liberam eſſe, quæ omnibus eodem modo ſe habentibus poteſt operari, & non operari. Recole definitiones adductas ex Authoribus citatis quos ad verbum refert Ripalda loco citato, & vniuerſalem illam *in omnibus requiſitis*, vel quid æquiualens in quacumque illarum reperies.

125 Sit vltima ſolutio nihilo præſtantior aliis, quam tradit Aluarez diſp. 22. de auxiliis n. 39. Suppoſitionem antecedentem tenentem ſe ex parte cauſæ vniuerſaliſſimæ nempe Dei primæ cauſæ omnium effectuum bene poſſe neceſſario connecti cum effectu, & hunc liberum eſſe reſpectu voluntatis, ſecus autem quando ſuppoſitio ſe tenet ex parte cauſæ creatæ. Diſparitatem aſſignat ex eo quod Deus propter ſuam infinitatem, & omnipotentiam, qua eſt author voluntatis creatæ, poteſt illam immutare conformiter ad ſuam naturam, & mouere efficaciter, atque applicare ad producendum actum in particulari non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum modum libertatis, quod non poteſt aliqua cauſa creata, quia finita eſt, & limitata, atque inferior ipſa voluntate.

126 Non nego : Deum ita poſſe mouere, & applicare voluntatem ad actum infallibiliter eliciendum, quod non poteſt alia cauſa creata ; verumtamen hoc præſtare poteſt Deus per media indifferentia data ex præuiſione conſenſus conditionati, quæ proportionata ſunt ad finem à Deo intentum infallibiliter obtinendum, non vero per media improportionata eſſentialiter deſtructiua finis à Deo intenti, nempe libertatis in actu humano reperiendæ, ſicuti eſſe intendimus phyſicam prædeterminationem eſſentialiter connexam cum actu. Dicere autem phyſicam prædeterminationem eſſentialiter connecti cum actu libero aſſertio eſt inuoluens duplex contradictorium, nam eo ipſo, quod prædeterminatio talem connexionem habeat actus ab illa procedens non poteſt non eſſe, & vt ſit liber in ratione liberi dici eſſentialiter poſſe non eſſe.

127 Impugnatur etiam ſolutio, qua dum id quod antecedit voluntatem, intrinſecè eſt connexum cum actu, & cum eo non poteſt actus eſſe, eadem prorſus ratione ſe habet in ordine ad libertatem impediendam, ſiue ſe teneat ex parte cauſæ increatæ, ſiue ex parte cauſæ creatæ, vt conſtat ex diſcurſibus adductis. Conſtat etiam ex definitione libertatis in qua habetur *poſitis omnibus requiſitis* abſque vlla diſtinctione eorum, quæ requiruntur ex parte cauſæ increatæ, vel creatæ.

128 Adducit Aluarez in confirmationem doctrinæ ſuæ diſtinctionis reuelationem actus liberi futuri quæ eſſentialiter connectitur cum obiecto reuelato, illudque antecedit, & nihilominus libertatem non deſtruit, vt contigit in reuelatione facta à Deo de trina negatione Diui Petri. Reſp. facilè hanc reuelationem tantum tempore antecedere, non natura, ideo enim reuelauit Chriſtus peccatum Petri, quia futurum erat, non vero Petri peccatum fuit prius futurum, & poſtea exiſtens, quia Deus reuelauit ; ex ſuppoſitione autem quod Petrus eſſet peccaturus, præuidit Chriſtus peccatum Petri futurum, & ex hac præuiſione illud reuelauit. Neque aſſerimus id, quod ſequitur per neceſſariam conſequentiam ex præcedenti ſucceſſiuæ durationis neceſſarium, & inimpedibile eſſe, quod merito Louanienſes damnarunt in Petro de Riuo, cuius hiſtoriam diligenter inquiſitam refert Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo diſp. 26. de Incarnatione ſect. 6. n. 7. & ex illo Paulus Leonardus parte 3. ſect. 8. n. 38. Hoc notaui pro Magiſtro Ioanne à Sancto Thoma qui 1. part. tom. 1. diſt. 20. art. 6. prope finem refert ex Fratre Thoma de Lemos Sixtum quartum damnaſſe Petrum quendam de Riuo Louanienſem propter propoſitionem, qua adſtruebat, *Præſuppoſita aliqua ſuppoſitione antecedenti, ex qua infallibile eſt hominem operari, tolli liberum hominis arbitrium*, quod alienum à veritate eſt, vt legenti Cardinalem de Lugo loco citato manifeſtè conſtabit. Lege Paulum Leonardum loco citato & Ripaldam tom. 2. diſp. 113. qui ſimiles fabellas, & narratiunculas inter vulgus ſparſas caſtigant.

PVNCTVM IV.

De concurſu cauſæ primæ cum principio creato liberè operante.

STatuimus omnem cauſam creatam dependere à prima in operando ; ita, vt nullam poſſit exercere actionem principium 1

Digitized by Google

principium creatum cauſa increatâ illud non comitante. Occurrit modò grauiſſima difficultas: quomodo ſcilicet poſſit hæc dependentia cum libertate componi? quam ex profeſſo aperiam, & ex viribus ſoluam.

§. I.

Difficultas expenditur.

2 CAuſam primam non operari neceſſariò, neque cæco modo cum ſecunda; ſed liberè ſupponendum eſt, non probandum: libertatem ſine actu voluntatis incedere non poſſe tota teſtatur philoſophia. Ex quibus principiis hæc in præſenti ſuboritur difficultas: cauſa prima liberè operatur cum ſecunda: ergo ad operationem cauſæ primæ ſecunda ſupponitur actus voluntatis, quo velit operari: ergo ad concurſum voluntatis identificatum cum concurſu cauſæ primæ ſupponitur decretum Dei volentis ad illum concurrere: ergo actus voluntatis non procedit à principio indifferenti. Probo hanc conſequentiam: procedit à decreto volentis ad illum concurrere: hoc decretum neceſſariam habet connexionem cum concurſu: ergo procedit actus à principio neceſſario cum illo connexo: ergo non à principio indifferenti: ergo non procedit liberè.

3 Nec poteris ad neceſſitatem conſequentem recurrere: quia neceſſitas orta ex principio nullo modo ſupponens effectum, non eſt conſequens; ſed antecedens; ſed hæc neceſſitas oritur ab actu voluntatis, quo Deus vult cum voluntate concurrere; qui neceſſariò ſupponitur ex parte principij ad actum: ergo hæc neceſſitas non eſt conſequens; ſed antecedens. Si dixeris decretum hoc, quod ex parte Dei ſupponitur ad actum non habere connexionem neceſſariam cum illo, difficile erit hoc explicare decretum. Quia decretum efficax, quo Deus dicit, volo concurrere non poteſt non effectum ſortiri: alias Deus non faceret id, quod efficaciter decerneret. Voluntas verò inefficax concurrendi ſufficiens non eſt, vt Deus determinetur ad concurſum; quia talis voluntas non reſpicit obiectum, vt exercendum, & illa poſita manet Deus æquè indifferens, & indeterminatus ad concurrendum, & non concurrendum, ac ſi illam non habuiſſet.

4 Alio modo difficultatem huius concurſus expendo: Voluntas creata non poteſt ſuum elicere actum ſine concurſu Dei liberè ſe determinantis ad concurrendū; ergo Deo, non ſe determinante non poteſt actum elicere; ſed quando voluntas non operatur, Deus non ſe determinat ad concurrendum cum illa; ergo quando non operatur, non poteſt operari. Maior eſt certa; Minorem probo; quando voluntas non operatur, Deus non operatur cum voluntate; ergo non determinatur ad operandum. Patet conſequentia; implicat Deum determinari ad operandum, & non operari; ergo ſi non operatur, ſignum eſt euidens, non ſe determinare ad operandum. Maiori, & minori primi ſyllogiſmi conceſſis, conſequentiam corroboro; voluntas operari non poteſt deficienti aliquo neceſſario requiſito ex parte actus primi ad operationem; ſed quando non operatur, defuit determinatio Dei volentis concurrere, neceſſariò requiſita ad operationem; ergo quando non operatur, non poteſt operari.

§. II.

Solutio P. Vaſquez expenditur.

5 PAter Vaſquez 1. part. diſp 99. cap. 7. n. 43. ſic rem componit. Docet decretum Dei concurrendi ſupponere ſcientiam Dei, non quidem obiecti, vt abſolutè futurum eſt, hoc enim Dei prædefinitionem ſupponit: ſed eius, quod ſub conditione cognoſcitur, cuius præſcientia omnem prædefinitionem antecedit. Cognoſcit enim Deus: *ſi Petrus tali vocatione præueniatur, & illi non deſit meus concurſus, actum eliciet.* Poſtea illum tali vocatione præuenit: & hac poſita decernit cum illo concurrere. Quod decretum, etiamſi neceſſariam habeat connexionem cum effectu, tantùm includit neceſſitatem conſequentem, quia ſupponit iam ipſum conſenſum ſub conditione futurum. Similiter agnoſcit Deus: *ſi Petrus tali cogitatione vocaretur, ille mihi deeſſet, & ideo non deberem illi cooperari;* quâ cognitione poſitâ poteſt Deus non velle operari cum illo. Ex quo tantùm infertur negatio actus neceſſitate conſequenti; quia ipſa ſupponitur ſub conditione futura ante negationem concurſus Dei. Sic docet, hac ſcientia præmiſſa, iura libertatis illæſa manere; ſine qua nullo modo poſſe ſubſiſtere teſtatur, quia neceſſitas determinationis eſſet antecedens, cum libertate incompoſſibilis.

Primò mihi difficultatem ingerit obiectum illud ſcientiæ conditionatæ. Si Petrus tali cognitione præueniatur, & illi non deſit meus concurſus, quia non deeſſe concurſum idem eſt, ac eſſe concurſum: ergo obiectum ſcientiæ erit, ſi Petrus vocetur, & fuerit meus concurſus, operabitur: ergo eſt idem, ac dicere. Si Petrus vocetur, & fuerit illius concurſus, operabitur. Probo conſequentiam; Concurſus Dei, & concurſus Petri eſt idemmet indiuiſibilis; ergo idem eſt dicere ſi fuerit concurſus Dei, erit concurſus Petri; ac dicere, ſi fuerit concurſus Petri, erit concurſus Petri; ergo hæc ſcientia Dei in Deo ponenda non eſt, neque vtilis eſſe poteſt. Secundò obiectum illud, quod aſſignat Vaſquez hominis non conſentientis, ſcilicet, *ſi tali vocatione vocaretur, ille mihi deeſſet*, vel includit ex parte conditionis concurſum Dei, vel non includit? ſi includit: ergo illo poſito Deus deeſſe non poteſt: ſi non includit: ergo non æqualis ponitur conditio ſecundùm requiſita ad operandum, in conſenſuro, & in non conſenſuro; ergo quod alius præuideatur conſenſurus, & hic non conſenſurus, non debet tribui illorum libero arbitrio; ſed diuerſitati conditionum, quæ ſupponuntur; in vno enim ſupponitur ex parte conditionis, cogitatio, & concurſus; in altero verò cogitatio ſine concurſu. 6

Mitiùs grauiſſimum Patrem interpretor, & obiectum ſcientiæ ab illo aſſignatum ſic intelligo; ſi Petrus tali vocatione alliciatur, & non deſit meus concurſus per modum actus primi, hoc eſt, quod ex me neceſſarium eſt per modum actus primi ad concurſum, Petrus liberè conſentiet. Quæ conditio, ſic explicata, eodem modo poteſt poni in homine non conſenſuro; & tunc negatio conſenſus non conditioni, ſed homini liberè ſe non determinanti imputabitur. Sic Vaſquium intelligendum puto: aliàs ſcientia ab illo aſſignata, ſcientia non eſſet, ſed nugatoria quædam terminorum repetitio, non ſolùm in Deo non admittenda, ſed à quocumque non fatuò releganda. 7

Contra ſententiam Vaſquez ſic explicatam, adhuc ſunt nonnulla obiicienda. Vt videatur conſenſus ſub conditione futurus ex parte conditionis, debent ſupponi omnia illa, quæ neceſſario ſupponit in ſtatu abſoluto, & ſine quibus in illo eſſe non poteſt, quod per ſe patet: quia conſequens non eſſet abſolutè ſi deficeret aliquid ex neceſſariò requiſitis, vt ſit: ergo ſi non eſſent omnia requiſita, conſenſus non eſſet: ergo vt conſenſus eſſet neceſſariò eſſent futura omnia requiſita ad illum: ergo, vt cognoſcatur ſub conditione futurus, neceſſariò debent cognoſci ex parte conditionis omnia, quæ ad illum requiruntur: quia non poteſt cognoſci ſub conditione futurus, ſine aliquo, ſine quo futurus non eſſet. Qua ratione rectè docent Theologi, eaſdem cauſas requiri in ſtatu conditionato ad effectum conditionatum, ac requiruntur in ſtatu abſoluto ad abſolutum effectum. His poſitis ſic argumentor. 8

Vt videatur conſenſus ſub conditione futurus, debet videri ſub conditione dependens à decreto Dei, à quo in ſtatu abſoluto neceſſariam habet connexionem: ergo non poteſt videri liberè, ſed neceſſariò futurus in illo ſtatu conditionato. Probo conſequentiam: in illo ſtatu videtur dependens à conditione, quæ neceſſariam connexionem habet cum illo: ergo ſub illa conditione non poteſt videri contingenter, ſed neceſſariò futurus. Probo antecedens, in illo ſtatu videtur dependens à decreto efficaci; ſed decretum efficax Dei habet neceſſariam connexionem cum effectu: ergo videtur dependens à conditione habente cum illo neceſſariam connexionem. Vltima conſequentia eſt legitima, quia quod dependet à principio ad vnum determinato, neceſſariò procedit ab illo; & non liberè, neque contingenter. Neque poteſt dicere, decretum non habere neceſſariam connexionem in ſtatu conditionato cum cauſa: quia P. Vaſquez fatetur decretum in ſtatu abſoluto habere connexionem cum effectu, quem vult ſupponi conditionatè, ne connexio decreti cum effectu inducat neceſſitatem antecedentem cum voluntate: ergo eamdem connexionem habet in ſtatu conditionato, eodem enim modo, quo effectus dependet in ſtatu abſoluto à cauſa abſolutè exiſtente, eodem dependet in ſtatu conditionato à cauſa conditionatè exiſtente: & ideò eſt neceſſaria hæc conditionalis: *ſi ignis eſt applicatus, calefacit*; quia hæc abſoluta eſt neceſſaria: *ignis eſt applicatus: ergo calefacit.* 9

Deinum

Digitized by Google

Demum, ſi dicas decretum concurrendi non habere in ſtatu abſoluto neceſſariam connexionem cum effectu, ad quid recurrit Vaſquez ad ſtatum conditionatum, & cognitionem illius? hæc enim erit impertinens, vt voluntas poſito hoc decreto maneat libera, cum ex poſitione illius nihil ponatur inducens neceſſitatem effectus, ex principio enim indifferenti nunquam poteſt oriri effectus antecedenter neceſſarius.

10 Vlteriùs vrgeo: Videatur conſenſus ſub conditione liberè futurus, quin decretum videatur ex parte conditionis: adhuc ita præuiſum decretum in ſtatu abſoluto in illum influens, neceſſitatem inducet; quia ex eo, quod conſenſus præuiſus fuerit liber in ſtatu conditionato ſub his conditionibus, non infertur liberè futurum in ſtatu abſoluto, variatis in hoc ſtatu ex parte actus primi illis, quæ ſupponebantur in ſtatu conditionato ex parte actus primi, ſeu ex parte conditionis: ergo ſi conſenſus in ſtatu conditionato non fuit dependens à decreto liberè præuiſus, poſtea cùm in ſtatu abſoluto ab hoc dependeat, poterit neceſſariò dependere. Rem explico: noſcit Deus, me liberè conſenſurum, ſi tali cogitatione præueniar, & omnipotentia ſit parata ad concurrendum mecum: ſuppoſita hac cognitione poſtea producit phyſicam prædeterminatione, vnionem hypoſtaticam, vel viſionem beatificam compellentem ad actum, & incompoſſibilem locum negatione illius, ideò, ergo his poſitis liberè conſentiam, quod præuiſus fui illis deficientibus liberè conſenſurus? Minimè: quia non tenet conſequentia ab ſtatu conditionato ad abſolutum rebus diuerſo modo ſe habentibus, & poſitis diuerſis principiis in vtroque ſtatu.

11 Clarius patet eadem ratio in negatione concurſus: ſcit Deus me liberè non conſenſurum, ſi habeam omnia requiſita ab conſenſum. Si poſita hac ſcientia in ſtatu abſoluto, Deus non purificat conditionem, & mihi non tribuit omnia neceſſaria ad conſenſum, non dicar ego liberè non conſentire; aliàs poſſem dicere liberè non amare Deum, quando nullam habeo cogitationem inclinantem ad amorem, quia præuidet Deus, quod ſi illam haberem, liberè non conſentirem: ergo ſi in ſtatu abſoluto Deus non habet decretum ſufficiens ad concurſum mihi præſtandum, quidquid viderit in ſtatu conditionato, non liberè omittam conſenſum, æquè enim neceſſarium eſt ad meum conſenſum decretum Dei, quo velit mihi concurrere, ac cogitatio, qua obiectum cognoſcam: ergo ſi Deus non habet decretum, ſine quo meus actus eſſe non poteſt, illius omiſſio non eſt libera; ſed in opinione Vaſquez ex præuiſione illius conditionati Deus non habet decretum neceſſarium ad meum concurſum, quando de facto non concurro; ergo non liberè, ſed neceſſariò omitto.

12 Nonnulli Vaſquium intendunt defendere, aſſerentes Deum cognoſcere independenter à ſuo decreto hoc obiectum: *ſi hac voluntate haberet hanc vocationem, & non dependeret à me in operando de facto operaretur*; qua poſita ſcientia, & purificata conditione, Deus abſolutè decernet concurrere; quia iam vidit conſenſum, quatenus eſt ex parte voluntatis præcedentem decretum abſolutum concurrendi. Diſplicet hæc doctrina: quia conſenſus per eandemmet indiuiſibilem entitatem dependet à voluntate, & à Deo: ergo non poteſt videri futurus in aliquo ſtatu quatenus dependet à voluntate, quin videatur in eodem quatenus dependet à Deo. Deinde: quia data illa conditionali, quod voluntas cum hac cognitione liberè operaretur, ſi non dependeret à Deo, non ſequitur modò cum dependet, liberè operari; non enim valet conſequentia: voluntas independens à Deo liberè operaretur cum hac vocatione, ſine decreto Dei concurrente: ergo voluntas dependens à Deo, cum eadem vocatione liberè operabitur cum decreto Dei concurrente. Quia rebus diuerſo modo ſe habentibus diuerſum modum operandi habebit voluntas.

13 Vltimò: non acquieſco doctrinæ Vaſquez aſſerentis, decretum hoc abſolutum circa opera noſtra, illa non præcedere ſuppoſita ſcientia conditionata, quæ hac ablata neceſſariò præcederet. Quod ſic impugno: decretum noſtra opera præcedere, nihil aliud eſt, quàm eſſe natura prius illis, & veram cauſam illorum; ſed hoc decretum ſuppoſita ſcientia eſt cauſa, & prius natura conſenſu abſoluto: ergo illum præcedit omni præcedentia, quam haberet ablata ſcientia, quia hæc nulla alia eſſet, quàm præcedentia cauſæ ad effectum. Ex hoc aliud deſumo argumentum. Poſita ſcientia, & ablata ſcientia eodem modo præcedit decretum conſenſum abſolutum, & eandem connexionem habet cum illo; ergo poſita ſcientia, & ablata ſcientia eandem connexionem infert in voluntate, vel illam cum eadem indifferentia relinquit. Eandem rationem expendo; cognitio Dei per ſe formaliter loquendo tantum poteſt inducere neceſſitatem voluntati, vel illius libertatem arguere, quatenus ex illa ſequitur, vel non ſequitur tale auxilium, vel tale decretum, vel tale comprincipium, ſeu talis influxus reſpectu effectus; ipſa enim per ſe formaliter, neque poteſt neceſſitatem inducere, neque liberam voluntatem conſtituere; ergo ſi poneretur idem decretum cum eiſdem principiis reſpectus effectus, eadem eſſet neceſſitas, ſeu libertas reſpectus illius, poſita in Deo ſcientia conditionata, vel negata; ergo decretum illud ablata ſcientia neceſſitatem non induceret, ſi illam non inferret ſcientia poſita.

14 Dices decretum illud ſemper præcedere actum voluntatis poſita tamen ſcientia non præcedere voluntatem; ſed ipſam ad actum comitari; ac proinde dici comitans reſpectu voluntaris. Hic modus loquendi, licèt non terminis adeò expreſſis, multis eſt familiaris, & paucis vtilis; quia id quod deſtruit libertatem, non eſt quod antecedit voluntatem determinatè; ſed quod antecedit determinationem illius: ergo ſi hoc decretum eſt antecedens reſpectu actus, & neceſſariam connexionem habet cum illo, antecedit determinationem voluntatis, cum qua habet connexionem: & ita determinatio eſt neceſſaria in cauſa, quæ neceſſitas opponitur cum libertate. Neque poteſt dari aliquod principium reſpectu actus, quantumuis prædefinitiuum, quod non ſit comitans reſpectu voluntatis: quodcumque enim ſit, voluntatem comitabitur ad producendum illius actum qui à nullo principio, voluntate non concurrente produci poteſt.

15 Vltimò: ſi propter aliquam rationem decretum illud induceret neceſſitatem conſequentem, & non antecedentem, eſſet, quia ante illud ſupponebatur conſenſus ſub conditione futurus; ſed eodem modo ſupponeretur, etiamſi Deus illud non cognoſceret in omnibus caſibus in quibus illum cognoſcit: ergo ſi modò non tollit libertatem, neque tunc illam auferret. Maiorem admittunt aduerſarij: minor probatur, quia ablata ſcientia Dei illius obiectiua veritas permaneret: ergo permaneret conſenſus ſub conditione futurus: ergo ſupponeretur ad decretum eodem modo, ac ſi à Deo cognoſceretur.

16 Reſpondebis conſenſum ſub conditione futurum ſupponendum eſſe in omnibus caſibus, in quibus poſita ſcientia ſupponitur: fore tamen illa ablata plures caſus, qui poſitâ non ſunt in quibus ille conſenſus ſupponeretur; quia ſæpe haberet decretum concurrendi, quando voluntas ex ſe non eſſet conſenſura. Contrà: ex hoc ſequitur decretum nociturum libertati in caſibus, in quibus conſenſus non ſupponitur; non verò in illis quibus ſupponitur, & in quibus eſſet ſcientia.

17 Alio modo poſſet reſponderi, ablata ſcientia, nunquam ſupponi conſenſum ſub conditione ad decretum abſolutum; quia ſupponi ad hoc dicit eſſe aliquo modo cauſam illius; quod habet media ſcientia, ad quam conſenſus ſupponitur tanquam obiectum; & quæ ſupponitur ad decretum tanquam proponens obiectum, ex cuius præuiſione mouetur Deus ad tale decretum ponendum quod ablata tali ſcientia ex vi præſentis motiui non poneretur. Caſu autem, quo Deus poneret decretum concurrendi ſine hac ſcientia; etiamſi tunc eſſet conſenſus ſub conditione futurus, tantùm eſſet concomitanter reſpectu decreti, & nullo modo ſupponeretur ad illud, neque aliqua prioritas intercederet inter conſenſum conditionatum, & abſolutum decretum.

18 Fateor, in hoc ſenſu ſcientiam conducere, vt conſenſus conditionatus præcedat decretum abſolutum concurrendi; ſed nihil longius à mente Vaſquez, quàm hic philoſophandi modus; neque ſufficiens eſt, vt dicamus decretum voluntatem liberam relinquere, ſi independenter ab hac præcedentia illi violentiam inferret; quia hæc cauſalitas, quam haberet conſenſus conditionatus, neque hæc præcedentia naturæ, non tolleret præcedentia & prioritatem, quam habet decretum abſolutum reſpectu conſenſus conditionati, neque connexionem inter decretum & conſenſum, ex quibus neceſſitas conſenſus neceſſariò oritur.

Digitized by Google

§. III.

Sententiam P. Didaci de Alarcon expono, & explodo.

19 PAter Alarcon tract. 2. de ſcientia Dei, diſp. 5. cap. 8. refert ſententiam Suar. Molin. Leſſ. & Her. qui componunt concurſum generalem Dei cum cauſa prima, per decretum quoddam antecedens, quo efficaciter decernit Deus concurrere cum cauſis ſecundis, iuxta vniuſcuiuſque naturam: cum Sole ad illuminandum: cum libero arbitrio ad amandum, vel odio habendum. Aſſerítque Suarium explicare hanc ſententiam, per decretum quoddam conditionatum, quo Deus non abſolutè decernit amorem, vel odium; ſed amorem, & odium conditionatè, & dependenter à voluntatè. Hanc ſententiam ſic explicatam impugnat, quia decreta conditionata in Deo reperiri nequeunt. Deinde, quia nullum poteſt reperiri connotatum externum talis decreti conſtitutiuum; neque decretum aliquod poteſt eſſe ſine conſtitutiuo ſpeciali.

20 Non leue fundamentum dedit Suarius, vt Alarcon putaret ipſum conſtituere decretum hoc conditionatum, & non abſolutum, quia in opuſculis lib. 1. de concutſu Dei cum voluntate, cap. 15. num. 3. dixit Deum decernere concurrere cum voluntate, non abſolutè, ſed dependenter ab illa includendo in decreto implicitam conditionem, ſi ipſa conſentire voluerit. Et in Met diſp. 22. ſect. 4. n. 14. dixit, pèr illud decretum Deum non abſolutè velle, vt cauſa libera actum eliciat; ſed quaſi ſubintellecta conditione velle illum actum, quatenus eſt ex ſe. Si tamen attentè Suar. legatur numquam docuit tale decretum eſſe conditionatum; ſed illud per modum decreti conditionati explicuit. Quod denotant illa verba: *quaſi ſubintellecta conditione.* Et Herice tom. de ſcientia, diſp. 6. c. 4. n. 49. docuit, decretum hoc conditionatum falsò aduerſarios impegiſſe noſtris Auctoribus; qui bene norunt non poſſe conditionatum conſtitui. Impugnationem aliam, quam adducit Alarcon contra hoc decretum ex defectu connotati, quod non poteſt eſſe reſpectu decreti indifferentis ad amorem, vel ad odium, non opponere, ſed ſoluere debebat, ipſe enim in ſua ſententia explicanda incidit in decretum, quod impugnauerat; neque Suarium poſſet hoc telo impetere, negantem nouum decretum Dei nouo indigere extrinſeco connotato.

21 Venio iam ad explicandam Alarconij ſententiam. Docet, cauſam creatam indigere extrinſeca aſſiſtentia omnipotentiæ, qua conſtituatur potens completè elicere ſuos actus; & hanc aſſiſtentiam non eſſe entitatem intrinſecam Dei. Quas concluſiones efficaciter probat §. 2. Addit §. 3. num. 32. hanc aſſiſtentiam non eſſe decretum conditionatum, neque decretum aliquod efficax concurrendi cum cauſis ſecundis, ſi non adſit impedimentum. Rurſus non eſſe decretum aliquod efficax abſolutè prædefiniens actus liberos, vel neceſſarios: neq; decretum aliquod, quo indifferenter velit concurrere ad vtrumque extremum: neque decretũ, quo prius natura velit concurrere cum cauſa ſecũda ad effectum ab vtraque indiuiſibiliter producendum. Tandem docet n. 33. hanc aſſiſtentiam eſſe obligationem quamdam moralem ortam ex aliquo decreto, quo Deus ſe voluit obligare ad concurrendũ cum cauſis ſecundis, iuxta illarum propenſionem, inclinationem, vel libertatem. Quod decretum nobis conſtat ex reuelatione Dei; & efficax dici poteſt reſpectu effectus, quatenus ex illo oritur aliud decretum, quo Deus hic, & nunc concurrit cum qualibet cauſa ad ſuos effectus, iuxta illius inclinationem, vel libertatem.

22 Decretum ſecundum ortum ex primo explicat n. 40. vbi aſſerit incluſum eſſe in promiſſione, qua Deus ſe obligauit concurrere, & eſſe quaſi indifferens, *quo* (illius ſunt verba) *in actu primo applicatur, & aſſiſtit proximè virtus diuina indifferenter ad amorem, & odium, cum ſubordinatione ad voluntatem creatam, in cuius poteſtate, & non iam in Dei, eſt amor, vel odium & propterea ipſi, & non Deo tribuitur negatio amoris, vel odij.* Hoc explicat exemplo habitus muſicæ concurrentis ad illos actus, ad quos voluntas illius determinat.

23 Nonnihil in hac ſententia reperio, neſcio an ſatis conſequenter dictum. Negauerat enim §. 3. n. 32. aſſiſtentiam conſiſtere in decreto indifferenti concurrendi ad amorem, vel ad odium, & poſtea docet hoc decreto orto ex illo priori immediatè applicari omnipotentiam cauſæ ſecundæ. Inſuper §. 1. n. 9. dixerat nullum eſſe connotatum extrinſecum reſpectu decreti indifferentis ad amorem, vel ad odium, quia omne connotatum vel eſt amor; & tunc erit connotatum decreti amoris: vel odium, & connotabit decretum odij: Odium autem, vel amor vagè non dantur in rerum natura; ac proinde non poſſe dari connotatum talis decreti: ſed ſic eſt, quod modò aſſignat ipſe decretum aliquod, per quod omnipotentia immediatè aſſiſtit voluntati indifferens ad amorem, vel odium: ergo debet ipſe aſſignare connotatum, quod dixerat inueniri non poſſe.

Deinde aſſerit, poſito hoc ſecundo decreto, iam non eſſe in voluntate Dei, vt ſit amor, vel odium; ſed totum hoc à voluntate dependere: ergo docet ex eodem decreto Dei poſſe oriri amorem vel odium, & antecedenter eſſe indifferens ad vtrumque effectum; quod ipſe eodem cap. n. 12. contra Herice impugnauerat. Alarconis accipe verba; *Hæc tamen ſententia ſupra impugnata eſt. Quia actus amoris non elicitur determinatè per decretum illud indifferens ad amorem, & odium; ſed per decretum aliud ad amorem determinatum, & non ad odium: quis enim dicet actum, quo B. Petrus dilexit Deum ſupra omnia, proceſſiſſe à Deo per decretum, quo decreuit non magis amorem ſui, quàm odium fieri à B. Petro?* 34

Redeo ad primum illud decretum, quo Deus ex promiſſione ſe obligauit ad habendum aliud, quo immediatè aſſiſtit cauſis ſecundis. Refert pro concluſione, qua tale decretum ſtatuit, Suar. diſp. 22. Metaph. ſect. 4. n. 3. & Herice diſp. 6. citata, n. 49. & 50. & Ruiſium de ſcientia Dei, diſp. 25. ſect. 10. immeritò tamen; Quia Suarez nullum decretum aſſignauit, ex quo aliud oriatur; ſed expreſsè docuit, per decretum illud indifferens immediatè applicari omnipotentiam, & nulla alia motione indigere ad effectum producendum: neque dari decretum aliud, quod ſit cauſa effectus producti: ita n. 5. 14. & 30. quod fatetur ipſe Alarcon §. 1. n. 5. vbi refert Suarez, aſſerentem ad concurſum determinatum amoris non requiri aliud decretum, prçter illud indifferens, ex vi cuius ponitur amor dependenter à voluntate. Eandem concluſionem refert ex Herice, quem impugnat n. 12. ergo non conſequenter, neque ad mentem illorum refert hos auctores pro illo decreto, quo Deus ſe obligat ad aliud poſtea habendum, quo immediatè applicet ſuam omnipotentiam. Neque apud Ruicium verbum inuenies de decreto, quo Deus ad aliud habeudum ſe obligat; ſed tantùm aſſerit Deum parare ſuam omnipotentiam, per decretum indifferens, ad amandum, vel non amandũ, & odio habendum. 25

Tandem decretum hoc, quo Deus ſe obligat ad concurrendum cum cauſis ſecundis, tanquam ſuperfluum ad concurſum cauſæ primæ & ad libertatem cauſæ ſecundæ relegandum eſt. Quod ſic probo: Decretum, quo immediatè omnipotentia applicatur, non eſt decretum hoc, quo Deus ſe obligauit ad concurſum præbendum; ſed aliud ortum ex iſto, immediatè producens effectum dependenter à voluntate: ergo hoc decretum tantùm conducit ad aſſiſtentiam omnipotentiæ, quatenus obligat Deum, vt illi immediatè aſſiſtat per ſecundum decretum, quod infert, & quod eſt formalis, & immediata applicatio. Sed poteſt Deus habere decretum liberè ſe ad illud determinans, ſine vlla obligatione præcedenti: ergo neceſſaria non eſt præcedeos obligatio, & ſuperfluit decretvm illam inducens, vt Deus immediatè aſſiſtat cauſæ ſecundæ. Poſſe Deum babere ſecundum hoc decretum independenter à priori, exiſtimo à nullo poſſe negari, quia quidquid Deus liberè promittit, poteſt liberè ſine promiſſione præſtare. Neque poteſt aſſignari ratio, propter quam decretum Dei circa effectum producendum, connexionem habeat neceſſariam cum promiſſione illud præcedente.

Reſpondet Alarcon num. 42. caſu, quo Deus haberet ſecundum decretum ſine primo, ita cum voluntate tali caſu concurſurum, vt poſſet non concurrere; quia nullo decreto antecedenti ſuam fidem obſtrinxerat, ne à concurſu abſtineret. Fateor ego, tunc Deum poſſe concurſum ſuſpendere, & creaturis non aſſiſtere, quod nequit ſuppoſita promiſſione infallibili. Verumtamen hoc nihil refert; dum de facto concurrat: ſi enim Deus habet decretum concurrendi mecum dependenter à mea libertate, dum illud habeat, quid mea, ſi hoc decretum immediatè in ſe formaliter ſit liberum, vel tantùm in promiſſione? vel quid refert antecedenter potuiſſe non eſſe, quando eſt de facto ad effectum, quem præſtat per ſuammet entitatem, quæ eadem eſt promiſſione illud præcedente, vel non præcedente? Ex quo argumentum deſumo contra priorem partem ſolutionis, videlicet illo decreto non fore omnipotentiam applicatam: quod ſic efformo. In ſententia Alarcon. 26

applicatio

Digitized by Google

applicatio immediata omnipotentiæ conſiſtit in hoc ſecundo decreto concurrendi dependenter à voluntate, & non in illo primo ad hoc determinatè: ergo permanente hoc ſecundo decreto, permanet eademmet immediata, & formalis applicatio, etiamſi deficiat primum illud, obligationem ad applicationem inducens.

28 Vrgeo: applicatio in actu ſecundo omnipotentiæ ad voluntatem, eſt Deum mecum concurrere ad amorem dependenter à mea voluntate, & applicatio in actu primo eſt decretum, quo Deus ita mecum concurrit, vel non concurrit, vt pro me ſtet concurſus, & negatio illius; ita vt ego poſſim concurrere, vel non concurrere: ſed poſito hoc ſecundo decreto, & me conſentiente erit actus amoris, ita vt potuerit non eſſe: & non conſentiente, ita erit negatio conſenſus, vt ego potuerim conſenſum elicere: ergo poſito hoc decreto erit applicatio cauſæ primæ in actu primo; & addito meo conſenſu; erit applicatio cauſæ primæ in actu ſecundo, quocumque alio ſecluſo. Sola minor indiget probatione, quam exhibeo; decretum eſt de concurſu dependenter à mea voluntate: ergo illo poſito, concurſus dependet à mea voluntate: ergo me volente, erit concurſus, & cauſa prima erit applicata in actu ſecundo, & renuente non erit, & potui facere, vt eſſet, & erit applicata omnipotentia in actu primo.

§. IV.

Explicatur propria ſententia.

29 DIcendum eſt primò, voluntatem indigere extrinſeca applicatione omnipotentiæ, promptæ ad concurrendum cum illa. Hanc concluſionem docent omnes Theologi: & ratio illius facilis eſt, omnibuſque communis. Voluntas non poteſt operari independenter à cauſa prima & neceſſariò indiget concurſu Dei ſimul cum illa concurrentis ad effectum, quem concurſum poteſt Deus denegare, ſicut illam denegauit igni Babylonico: ergo, vt voluntas poſſit operari, neceſſum eſt omnipotentiam applicari ad concurſum præſtandum.

30 Dicendum eſt ſecundò, hanc applicationem non conſiſtere in infinitate, neque in immenſitate, neque intima præſentia Dei cum creaturis. Probo clarè: Hæc omnia ſunt ſunt in Deo ſummè neceſſaria, & deficere nequeunt; ſed applicatio omnipotentiæ ad operandum cum cauſa ſecunda eſt libera, & poteſt deficere: ergo applicatio omnipotentiæ diſtinguitur ab his omnibus.

31 Dicendum eſt tertiò, hanc applicationem non conſiſtere in eo præciſè, quod Deus nullum habeat decretum prædefinitiuum concurrendi, vel non concurrendi independenter à voluntate; ſed neceſſariò importare actum poſitiuum voluntatis Dei. Moueor ad hoc; quia licet ſufficienter conſultum eſſet voluntati, ſi Deus ex natura ſua eo ipſo, quod ſit auctor naturæ, conſideretur determinatus ad coucurrendum cum voluntate dependenter ab illa, quotieſcumque oppoſitum non decreuerit, & concurſus hoc modo editus eſſet libertati humanæ attemperatus, & liber reſpectu Dei potentis actu poſitiuo voluntatis illum impedire: nihilominus talis modus concurrendi in Deo ponendus non eſt, quia ad Dei prouidentiam ſpectat, vt omnis effectus productus fiat, non tantùm non repugnante voluntate diuina ſed illa poſitiuè determinante, & volente productionem effectus. Ratio eſt: quia omnis effectus debet eſſe poſitiuè dependens à voluntate diuina, & non tantùm negatiuè, tanquam à non impediente. Quia hæc dependentia non eſt propria, & per ſe; ſed per accidens; neque effectus ita dependens eſt voluntarius reſpectu Dei neque in ſe, neque in cauſa; ſpectat autem ad diuinam, & perfectiſſimam prouidentiam, vt nihil producatur in rerum natura, quod non dependeat ab actu voluntario Dei, volentis ita fieri.

32 Dicendum eſt quartò: aſſiſtentiam omnipotentiæ diuinæ, qua voluntas conſtituitur potens liberè amare libertate contradictionis, vel contrarietatis, nullo modo dicere decretum aliquod conditionatum ex parte obiecti, quo Deus dicat, *volo concurrere cum voluntate, ſi ipſa voluerit.* Probo hanc concluſionem: Deum cum voluntate concurrere, & voluntatem velle elicere actum, ſunt eademmet indiuiſibilis entitas; quia concurſus Dei, & voluntatis non diſtinguuntur: ergo idem erit dicere: *volo concurſum meum, ſi voluntas voluerit concurrere*, ac dicere: *volo concurſum voluntatis, ſi fuerit concurſus voluntatis*; ſeu; *volo meum concurſum, ſi fuerit meus concurſus*: & idemmet indiuiſibilis concurſus poneretur ex parte conditionis antecedentis, & ex parte conſequentis: ergo tale decretum erit nugatorium, & ineptum, & à quocumque cordato relegandum.

Dicendum eſt quintò, aſſiſtentiam omnipotentiæ qua voluntas conſtituitur potens liberè elicere actum amoris 33
libertate contradictionis, non importare decretum aliquod indifferens, ad amorem, & odium; ſed decretũ quoddam terminatum ad amorem producendum dependenter à voluntate, indifferens ad amorem, & negationem illius; Quo decreto Deus dicat, *volo quatenus eſt ex me, vt ſit actus amoris: ita tamen illum decerno, vt voluntas poſſit ab illo ceſſare. Quia licet ex me vellem eſſe talem actum; non illum efficaciter decerno, independenter à voluntate, ne illius lædam libertatem.* Priorem partem huius concluſionis admittent omnes quia ad hoc, vt voluntas poſſit liberè amare libertate contradictionis, neceſſum non eſt, imò omnino impertinens aſſiſtentia omnipotentiæ ad actum odij; quia libertas contradictionis ad amandum, ſolùm dicit poſſe amare, & non amare, non verò poſſe odio habere.

Secundam partem concluſionis probo; quia adhoc, vt 34
voluntas ſit potens amare, requiritur applicatio omnipotentiæ per actum poſitiuum voluntatis Dei; ſed nullus poteſt excogitari ſufficiens ad conſtituendam voluntatem completè potentem, ita attemperatus illius libertati, & conformis diuinæ prouidentiæ: ergo in hoc, & non in illo conſtituenda eſt extrinſeca aſſiſtentia omnipotentiæ ad voluntatem. Minorem probo per ſingulas illius partes: tale decretum conſtituit omnipotentiam ita addictam, & determinatam ad concurrendum cum voluntate, vt illo poſito non potuerit non concurrere: ergo conſtituit voluntatem completè potentem actum producere. Secundò; decretum nullo modo nocet libertati; quia per illud non Deus decernit actum voluntatis independenter à voluntate, neque ex vi illius neceſſariò ponetur actus voluntate abſolutè non determinante; ſed talis eſt naturæ, vt adhuc in ſenſu compoſito componi poſſit cum negatione actus; neque enim ex ſe eſt determinatus ad efficiendum actum, ſed indifferens, vt illum eliciat, vel non eliciat, licet determinatè actum reſpiciat, ſicut cogitatio determinatè reſpicit obiectum amandum, & inclinat ad amorem, & componi poteſt ex natura ſua cum negatione talis amoris. Idem poſtea dandus explicuit Leſſius ab omnibus laudatus exemplo habitus charitatis concurrentis ad actum ſecundum determinationemque voluntatis, illam ſemper indifferentem relinquentis ad actum, & negationem illius: ita omnipotentiam per hoc decretum, quod dicimus applicari voluntati, illi ſubditur inſtar habitus cum indifferentia ad actum, & negationem eiuſdem.

Tertiò: decretum hoc eſſe conſonum ſummæ Dei opti- 35
mi maximi prouidentiæ, ſic oſtendo. Hoc decreto ita fertur Deus in actum bonum, vt quatenus eſt ex ſe, vellet illum abſolutè futurum, & non illum vult ita abſolutè independenter à voluntate, ne illi neceſſitatem inferat: ergo ex vna parte Deus ſuam libertatem illæſam voluntati relinquit; & ex alia ſalua libertate, quaſi bonum actum procurat, & ponit id, quod neceſſum eſt, vt talis eliciatur actus, & oſtendit ſuam infinitam bonitatem, qua in hominibus quidquid honeſtum, & ſanctum eſt, intendit, atque procurat.

Dicendum eſt ſextò, decretum hoc, quo Deus aſſiſtit 36
creaturæ, ad actum amoris (idem intellige de quocumque actu bono) habere in ſe imbibitum affectum quemdam, per modum deſiderij illius actus; qui rectè explicatur per hæc verba: *vtinam ſit talis actus*, quod ſic probo. Deus per hoc decretum fertur in bonitatem actus, quam ipſe ex intentione noſtræ ſalutis ardentiſſimè deſiderat, iuxta illud: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; in qua voluntate virtualiter includitur voluntas bonorum operum, quibus ſalus eſt acquirenda, & quam Deus non abſolutè prædefinit, vt integrum ſit voluntati poſſe liberè conſentire; quod neceſſariò requiritur ad meritum: ergo fertur in bonitatem illius actus quatenus ſibi placentem, quem ipſe à voluntate elici deſiderat: ergo ex vi talis actus habet Deus prædictum affectum bonitatis, in quam fertur decretum, quo voluntati ad illam eliciendam aſſiſtit.

Dicendum eſt ſeptimò, aſſiſtentiam, qua omnipotentia 37
aſſiſtit voluntati, vt poſſit odio habere Deum libertate contradictionis (idem dico de aſſiſtentia ad quemcumque

Digitized by Google

actum malum)eſt decretnm quoddam, *quo Deus dicit, volo vt quatenus eſt ex me non deficiat actus odij, vt iura voluntatis non infringam: quem actum vellem ego non produci à voluntate, quia malus eſt, & inhoneſtus.* Et hac de cauſa Trid. ſeſſ.6.c.6. definiẹ circa actus malos Deum tantùm ſe habere permiſſiuè. Per hoc decretum voluntatem conſtitui potentem liberè actum elicere, probatur eodem modo, ac probatum fuit in decreto antecedenti. Deinde hoc decretum congruum eſſe diuinæ prouidentiæ, patet, quia per illud fertur Deus in actum malum, non propter ipſam malitiam ſed propter adimplendum munus cauſæ primæ, cui incumbit cum omnibus cauſis ſecundis præſto adeſſe, vt ipſæ iuxta ſuam propenſionem natiuam effectus producere valeant; & propter libertatem voluntatis conſeruandam: quod motiuum eſt iuſtum, & honeſtum Deo: ergo valde conforme diuinæ prouidentiæ.

38 Dicendum eſt octauò, decretum, quo omnipotentia conſtituitur aſſiſtens ad actum malum, habere in ſe imbibitam, vel concomitantem diſplicentiam circa talem actũ, propter malitiam, quæ eſt in ipſo, & inhoneſtatem, quam habet reſpectu voluntatis, quæ diſplicentia rectè explicatur per hanc particulam: *vtinam non ſit talis actus, cui faciendo liberum concurſum paro voluntati:* Ratio huius diſplicentiæ aſſignandæ eſt eadem, ac complacentiæ conſtitæ reſpectu actus boni. Quia Deus ex ſe odit peccatum, & ardentiſſimè deſiderat ne committatur à voluntate, & quaſi coactus ad materiale illius concurrit, vt libertatem voluntatis obſeruet indemnem: ergo talis actus ex tali motiuo factus, virtualiter includit diſplicentiam obiecti; ſicut actus, quo mercator merces in mare proiicit neceſſitate coactus, vt ſaltem propriæ vitæ ſit ſuperſtes, annexam habet diſplicentiam proiectionis mercium in mare.

39 Probatur hæc concluſio ſimul cum præcedenti: quia ad diuinam prouidẽtiam ſpectat, vt adhuc, vt cauſa prima diuerſo modo, & ex diuerſo affectu concurrat ad actum virtutis, verbi gratia ad actum amoris, quo Beatiſſima Virgo ardentiſſimè Deum diligebat, quàm ad actum peccaminoſum ſcilicet, quo Iudas vendidit Saluatorem. Hoc enim modo magis elucet amor Dei erga creaturas, & actui, quo cum illis concurrit, tribuitur ſpecialis honeſtas, quam non haberet, ſi non reſpiceret obiecta prædicto modo, ſed tantùm bonum actum, & malum ex in intentione faciendi id, quod tenetur ex vi auctoris naturæ. Hac ratione impugno Soar. & Herice, & Doctores communiter aſſerentes, per eundem actum parare Deum concurſum voluntati ad actum amoris, vel odij, decreto amorem, vel odium indiuiſibiliter reſpiciente; eodem modo concurrere Deum, vt cauſam primam ad actum virtutis, & vitij.

40 Dicendum eſt nonò nullum dari decretum indifferens ad amorem, vel odium eliciendum ſeu ad voluntatem liberè conſtituendam libertate contrarietatis. Probo hanc concluſionem: libertas contrarietatis nihil aliud dicit, quàm libertatem ad duos actus contrarios: ergo eo ipſo, quod voluntas ſit libera ad duos actus contrarios, ad quemlibet libertate contradictionis, eſt libera libertate contrarietatis; ſed per duo decreta à ma aſſignata conſtituitur voluntas libera libertate contradictionis, ad duos actus contrarios: ergo conſtituitur libera libertate contrarietatis: ergo non eſt neceſſarium decretum aliud indifferens, idem indiuiſibiliter terminatum ad vtrumque actum.

41 Dices neceſſarium non eſſe aliud decretum indifferens, ſuppoſitis his duobus à me aſſignatis: poſſe tamen vnum indifferẽs poni his duobus ablatis. Contrà: amor, & odium ſunt duo obiecta, quodlibet ex ſe ſufficiens terminare actũ diuinæ voluntatis, & Deus diuerſo modo, ſaltem inadæquato, fertur in illa: ergo non eodemmet actu formaliter: ſed diuerſo. Probatur antecedens: actus amoris habet ex ſe ſufficientem bonitatem, vt independenter ab actu odij terminet voluntatem diuinam, etiamſi ſimul cum illa reſpiciat ad impletionem muneris auctoris naturæ: & in illum fertur Deus, quatenus eſt ex ſe, vt illum efficaciter decerneret, ni libertas eſſet voluntati ſeruanda. In actum odij fertur Deus, non propter bonitatem aliquam, quam in illo inueniat, ſed propter munus cauſæ primæ ad complendum tali modo, vt ſi tale munus Deo non incumberet, concurſum ad odium deteſtaretur: ergo diuerſo modo fertur in actibus amoris, & odij: ergo diuerſis formaliter actibus.

42 Dicendum eſt decimò, quodlibet ex decretis à me aſſignatis per ſe formaliter conſtituere potentiam completè potentem ſuum effectum producere; quod ab illis ſeparari non poteſt. Quia illis poſitis, iam eſt ex parte Dei quidquid requiritur, vt voluntas operetur, & hæc conſtitutio potentiæ adæquatè potentis, eſt quaſi primarius effectus talium decretorum neceſſariò illis competens: effectus verò productus ab illis ſimul cum voluntate liberè cooperante, eſt ſecundarius, qui pro libertate voluntatis deficere, vel ſubſiſtere poteſt. Docet hanc concluſionem Herice diſp.6.de ſcient.c.3.iam cit. & ex dictis euidenter infertur.

43 Dicendum eſt vndecimò; ad hoc, vt hæc decreta, quibus omnipotentia aſſiſtit cauſis creatis, libertatem illæſam relinquant, impertinenter ſe habere ſcientiam conditionatam; plurimùm tamen hanc conducere, vt Deus excellentiori prouidentia hæc habeat decreta, & voluntatem liberè potentem operari conſtituat. Priorem partem huius concluſionis probaui contra Vaſquez §. 2. ſecundam modò probo: quia ad perfectam prouidentiam ſpectat cognoſcere, quid euenturum ſit ex mediis, quæ applicantur ad aliquem finem, vt præuideatur quid mali, boniue ex applicatione talium mediorum ſequatur, ne poſtea præter intentionem aliquid inopinatè contingat. Et ideo prudens quiſque, antequàm ad aliquid faciendum determinetur, attentè meditatur, quid poſtea poſita ſua determinatione ſit euenturum: ergo ad perfectam prouidentiam Dei ſpectat cognoſcere, antequam ſuam applicet omnipotentiam, quid ex illa applicatione poſtea ſit futurum, vt poſſit præuiſo damno, vel commodo inferendo illam ponere, vel non ponere.

44 Contra hunc modum arguendi aſſiſtentiam omnipotentiæ cauſis liberis, poteſt aliquid obiici, quod difficultatem contineat, quæ ex dictis facilè non poſſit ſolui. Ex illo enim non ſequitur, Deum confusè ferri in omnem effectum: ſed diſtinctè in ſingulos; dependenter tamen à voluntate liberè operatura. Neque poteſt dici, Deum voluntati violentiam inferre: cum decretum determinationem voluntatis antecedens, indifferens ſit, vt coniungatur cum actu, vel cum negatione illius. Neque eſt inconueniens aſſerere, decretum Dei hoc modo aſſignatum non habere effectum, quia Deus non abſolutè, & efficaciter decernit effectum producendum: ſed dependenter à voluntate. Neque poteſt obiici: Deum adhuc vt cauſam primam eodem modo concurrere ad actum virtutis, & vitij. Quia iam aſſignaui diuerſum modum, quo decreta cauſæ primæ tendant in hæc obiecta actu eſſentialiter ad illa requiſito, per modum cauſæ antecedentis: & poſtea de illis ex vi horum decretorum productis diuerſam prouidentiam habet Deus, quia virtutis actum reſpicit tanquam obiectum complacentiæ, & in ordine ad præmium: actum verò vitij tanquam obiectum diſplicentiæ, in ordine ad ſupplicium inferendum.

45 Vna tantùm in hac re ſupereſt difficultas. Quomodo poſſit Deus determinare indiuiduationem actus voluntatis determinantis ſe quoad ſpecificationem, quam §. ſeq. explicabo. Circa materiam hoc puncto definitam legendi ſunt Soar in Opuſc.l.1.de cõcurſu Dei cum voluntate, & in Metaph.diſp.22.ſect.4.vbi eruditè, & doctè hanc rem pertractat, & Ruiſius tom. de ſcientia diſp.25.ſect.10. Mol. in concordia quæſt.14.art.15 diſp.26. §. *vt melius*, & §. *vt neuter*, & diſp.32.§. *primum, & ſecundùm*, 1.part.quæſt.19.art.3. diſp.3.§. *boni conſulat*: Leſſius de gratia efficaci, cap.4. n.12. & 15. Qui omnes nobiſcum ſentiunt, decretum præcedens actum non habere neceſſariam connexionem cum obiecto: ſed eſſe indifferens ad aſſenſum, & negationem illius. Quam doctrinam apud Soar. docent quàm plurimi ex antiquis, Greg. Gabr. Marſ. Adam. Alm. Alenſ. Capr. Conrr. & Sotus. Quos omnes apud Soar. citatos reperies, ſuprà num. 14. & 16. Differt tamen noſtra ſententia ab his quas docent doctiſſimi Auctores: quia nos non idem decretum conſtituimus indifferens ad amorem, & odium: ſed duo diuerſa. Plerique autem ex relatis expreſsè affirmant, dari vnum decretum indifferens ad actus oppoſitos: & alij id non explicant: Deinde nos diuerſum modum tendendi damus per decretum cauſæ primæ in actum virtutis, & vitium, per diuerſa motiua.

§. V.

Quomodo Deus indiuiduationem actus liberi determinet.

46 NOn leuem difficultatem leuiter ferè omnes attingunt: quomodo ſcilicet volũtas determinet ſe quoad ſpeci

ſpecificationem actuum, & Deus indiuiduationem horum determinet. Communis eſt dicendi modus, voluntatem determinare ſe quoad ſpecificationem, hoc eſt, non quoad rationem aliquam communem; hæc enim incomprehenſibilis eſt à ſingularibus diſtincta; ſed ad hunc vel illum actum amoris, ſub horum tantùm diſiunctione, quatenus diſtinguuntur ab actibus odij, ad quos non producendos voluntas eſt iam determinata, & hac determinatione præuiſa Deum decernere inter illos actus amoris, ad quos voluntas erat indifferens, hanc præ aliis & in hoc ſenſu dici, Deum determinare indiuiduationem, & voluntati tribui ſpeciei determinationem.

47 Hic philoſophandi modus grauiſſimam, ac penè inſolubilem continet difficultatem; quam expendo. Antequam Deus videat voluntatem determinatam per productionem huius numero actus amoris, nihil poteſt videre, in quo cognoſcat eſſe determinatam ad hos actus indiuiduos amoris ſub diſiunctione, potius quam ad actus odij; ſed omnino Deus illam videt indifferentem ad actus amoris, & odij: ergo non poteſt præuideri determinatio voluntatis quoad ſpeciem, & ex hac præuiſione determinare Deum indiuiduationem actus. Conſequentia eſt legitima, antecedens probo. Deus non poteſt videre determinationem quoad ſpecificationem voluntatis in ipſamet voluntate, neque aliquo comprincipio præcedentem ipſam determinationem actuum; neque in ipſis actibus: ergo nullo modo. Probo priorem partem antecedentis; quidquid præcedit actum, eſt indifferens ad actus amoris & odij, & ad actus omnes amoris; & ad omiſſionem omnium; ergo in nullo præcedente tales actus, poteſt determinatio ad illos cognoſci. Antecedens latè probatum eſt, & admittunt omnes non prædeterminantes, & adhuc illud iſti negare abſolutè non audent. Conſequentia eſt legitima; quidquid enim æquè eſt indifferens ad diuerſa extrema, non magis ex ſe inclinat ad vnum, quàm ad aliud. Secundam partem antecedentis probo: determinatio non poteſt videri in ipſis actibus amoris, vt iam productis; quia non poſſunt videri, vt producti, niſi determinati, nihil enim eſt vagè, neque ſub diſiunctione productum. Neque omnes vmquam poſſunt videri producti; quia in illo priori præcedente determinationem indiuidui, nullus eſt productus, & in ſigno poſteriori vnus tantùm eſt producendus. Non in illis, vt poſſibilibus, quia æquè ſunt poſſibiles actus amoris, & actus odij; nullus enim illorum ex ſe repugnat, & voluntas ex ſe potens eſt omnes producere: ergo neque in ipſis actibus, neque in principio illorum poteſt Deus videre determinationem voluntatis, quoad ſpecificationem, quouſque illam videat quoad indiuiduationem per productionem huius numero actus determinatam.

48 Hæc difficultatis quemcumque ſupradictam tenentem viam, maximoperè anget. Quapropter laxiorem aliam, & faciliorem tento, quam apud Soar reperio ſect. 4. citata n. 35. Aſſero, non prouidere Deum voluntatem determinatam quoad ſpecificationem, antequam illam quoad indiuiduationem determinet: neque illam determinare quoad indiuiduationem hanc huius tantùm ſpeciei, exercendam independenter à ſua voluntate; ſed ante omnem determinationem voluntatis per præparationem concurſus ad hunc numero actum amoris, & non alium, & ad hunc numero actum odij, & non alium, illam determinari, vt ex ſuppoſitione, quod ſit amatura hunc numero actum amoris, quem tantùm intra hanc ſpeciem elicere poteſt, eliciat; & ex ſuppoſitione, quod ſit odio habitura, hoc tantùm eliciat numero odium, quod tantùm producere valet. An verò amorem, vel odium productura ſit, penès illius voluntatem remanet, Deus enim per aſſiſtentiam ſuæ omnipotentiæ reliquit illam indifferentiam ad actum amoris A, & actum odij B, producendos vel omittendos, ad alios verò neque potentem completè illam conſtituit.

49 Hac ratione rectè intelligitur quomodo Deus adhuc non ſit cauſa per ſe, vt ſit potius hoc numero peccatum, quam illud: ſed tantùm per accidens, quatenus non conſtituit voluntatem liberam ad producendum illud ab iſto diſtinctum. Quomodo Deus determinat quoad indiuiduationem, & non quoad ſpecificationem, etiamſi, quando Deus determinat quoad indiuiduationem, non ſupponatur determinatio, quoad ſpecificationem, quia non determinat quoad vnam indiuiduationem; ſed ad duas diuerſarum ſpecierum; inter quas voluntas per productionem actus ſecundi, ſe determinat ad hanc huius ſpeciei: & dicimus, ſe quoad ſpeciem determinare.

Ex hac doctrina infertur iuxta dicta, non prius ſe determinare voluntatem quoad ſpeciem, & poſtea illam Deum determinare quoad indiuiduationem; ſed è contra, prius determinari quoad indiuiduationem non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quod velit actum talis ſpeciei elicere, & ad indiuiduum illius ſpeciei, non abſolutè, ſed ex prædicta ſuppoſitione. Infertur ſimiliter, hanc determinationem quoad indiuiduationem, quam Deus exhibet, eſſe antecedentem ad omnem determinationem voluntatis. Siquidem nullam ſupponit, & nullo modo lædere libertatem; quia non eſt abſoluta; ſed ex ſuppoſitione, quod voluntas velit operari, intra hanc ſpeciem, & illam relinquit indifferentem, vt amet, vel non amet, ſeu odio habeat. Infero vltimò, prædicto modo non per ſe, ſed per accidens Deum poſſe determinare quoad ſpeciem, & quoad indiuiduum, ſemper dependenter à voluntate liberè volente illud producere, non ſolùm inter ſpecies diuerſas peccati ad grauiorem ſpeciem peccati, ſed etiam inter duplicem ſpeciem alteram peccati, alteram virtutis, ad ſpeciem peccati. Ratio eſt clara; quia poſita cogitatione alliciente ad amorem Dei, & poſita alia cogitatione inclinante ad odium Dei, ex vi quarum voluntas poteſt amare, vel odio habere, ſeu ab vtroque actu ceſſare: poteſt Deus pro ſua libertate negare generalem concurſum cauſæ primæ ad amorem, & illum offerre ad odium: quo voluntas erit libera ad odio habendum, vel non habendum; & impotens amorem elicere, & conſequenter ex vi concurſus cauſæ primæ, licet ſit indifferens inter odium, & non odium, determinata erit inter odium, & amorem. Nam ex ſuppoſitione, quòd ſit elicitura amorem, vel odium, cum non poſſit amorem producere, neceſſariò tenetur in odium prorumpere, neque ideò Deus illam determinat ad peccandum, cum illi relinquat indifferentiam, vt poſſit elicere, & non elicere actum odij. 50

CONTROVERSIA XI.

De cauſa finali, & exemplari.

NVLLVM eſt agens, quamtumuis rationis expers, cuius operationibus non ſit à natura finis præfixus, in quem tendunt, & ordinantur; lapis enim ſemper grauitat, vt deſtinatum finem, proprium videlicet centrum acquirat: leuia corpora eodem impetu ſurſum euolant, nulliſque patiuntur obſtaculis detineri, ne proprio careant centro, in quod ſuum rapidiſſimum motum dirigunt. Si in hunc ſenſum finalis cauſa vſurpetur, nullos habet ſuæ latitudinis terminos. Ideò non de fine ſecundùm hanc acceptionem nobis eſt diſputatio conſtituenda; ſed de fine, ſeu cauſa finali, quæ per ſui repræſentationem mouet principium cognoſcitiuum, & appetitiuum, illúdque ad ſui amorem rapit, & ad ſui proſequutionem inclinat, atque determinat.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid, & quotuplex ſit finis?

Definita fuit à Philoſopho cauſa finalis, deſumpta in ſenſu à nobis explicato, in 2. lib. cap. 3. text. 39. his verbis, *id cuius gratia, vt deambulandi ſanitas.* Clariùs 2. Metaph. text. 8. inquit idem Ariſt. *Finis eſt, cuius gratia cætera fiunt.* Sibi ſemper conſtans, lib. 1. de generat. text. 55. poſtquam dixerat agens ad cauſam efficientem ſpectare, de fine annectit. *Cuius autem gratia cætera fiunt, actiua non eſt*: ac ſi diceret: finalis cauſa vtens definitione loco definiti, non eſt actiua. Eodem modo loquitur text. 80. & lib. 1. & hic cap. 7. quibus locis innuitur finem propter ſe amari, & omnia propter ipſum. Ex his Philoſophi locis deſumpta eſt definitio, quæ vulgo circumfertur: *Finis eſt, cuius gratia cætera fiunt: ipſe verò nullius gratia.* Poſterioris definitionis pars prioris eſt explicatio: ſi enim omnia fiunt propter finem, certum eſt ipſum

ipſum non fieri propter aliud, alias finis ipſe, & omnia quæ propter finem fiunt, fierent propter illud aliud, cuius gratia fieret finis. Ad hanc definitionem percipiendam ſcire debes, dupliciter poſſe aliquid amari. Primò propter bonitatem, quam in ſe habet, quia in ſe eſt honeſta, vel delectabilis amanti, in cuius amorem, ſeu proſequutionem tendit voluntas; neque hanc bonitatem propter aliam; ſed propter ſe ipſam amat. Secundò poteſt aliud amari, non propter bonitatem, quam in ſe habet ibi ſiſtendo; ſed propter quam habet ad aliam bonitatem acquirendam: ita vt non quieſcat voluntas in proſequutione illius: ſed ex illa gradum faciat ad aliam bonitatem obtinendam. Vulgare, aptumque exemplum huius doctrinæ eſt ſanitas, & venæ ſciſſio: ſanitas propter ſe ipſam amatur, quia ipſa propter ſe grata eſt, & iucunda illam intendenti: ſciſſio venæ non propter ſe ipſam amatur, ipſa enim in ſe plurimum difficultatis, & horroris habet, & in ſe potius eſt inuiſa voluntati: amatur tamen propter ſanitatem acquirendam, ad quam ordinatur, & in qua ſiſtit vountatis deſiderium, & non in venæ ſciſſione. Sanitas ergo, quæ propter ſe amatur, & in cuius proſequutione quieſcit animus, dicitur finis, ſeu finalis cauſa: ſciſſio venæ, & reliqua, quæ propter ſanitatem acquirendam amantur, non habent rationem finis: ſed ſunt media ad finem obtinendum. Finis amor intentio dicitur, mediorumque appellatur electio: de quibus actibus, & de eorum obiectis formalibus, de eorumdem diſtinctione, vel identitate latè diſputo Cont. 10. de anima, vbi plura de hac re inuenies.

2 Finis diuiditur in finem, *cuius*, & finem *cui*: Finis *cuius* eſt illud bonum, quod amatur: finis *cui* eſt ſuppoſitum illud, cui bonum amamus. Amo ego pecunias Petro, pecuniæ dicuntur finis *cuius*, & Petrus dicitur finis, *cui*: quia illi ego pecunias amo. Ex his intulit Gabr. in 2. diſt. 1. quæſt. 5. art. 1. not. 1. Finem *cuius* propriè non ſubire rationem finis, quia non amatur propter ipſum: ſed propter finem *cui*: quod autem amatur vt alij conueniens, videtur, non propter ſe amari, ſed propter illud aliud, quod habet rationem finis. Ideò enim media, non habent finis naturam, quia non propter ipſa, ſed propter finem amantur. Gabrielem impugnat alter noſter Gabr. Vaſquez quæſt. 12. diſp. 2. & P. Soar. tom. 1. Metaph. diſp. 23. & ferè omnes, qui de hac re agunt. Quia, licet finis *cuius* ametur, vt conueniens alij, non amatur propter aliud bonum acquirendum: ille enim eſt vltimum bonum, quod intendit amans, non enim reſpicitur, vt conducens ad aliud acquirendum: ſed vt id, quod vltimò acquiri intenditur, & illud vt acquirendum fini *cui* mouet ad ſui amorem, & ad electionem mediorum. Media verò non reſpiciuntur tanquam id, in cuius acquiſitione quieſcit amans. Poſtquam enim finis *cui* media obtinuerit, reſtat aliud principalius amatum obtinendum, quod propriè eſt finis, & dicitur finis *cuius* Hac ratione doctè aſſeruit Soar, neque finem *cuius*, neque finem *cui*, ſeorſim ſumptum integrum conſtituere finem: ſed hunc conflari ex vtroque, quod egregiè ſanè dictum eſt: non enim moueor ego ad venæ ſciſſionem, & potionem amaram ſumendam propter me tantùm, quia ſi mihi ſciſſionem venæ, & potionem amaram non eligerem, ſanitate carenti illam non concupirem ex mei amore, neque moueor tantum ſanitate: quorſum enim propter ſanitatem præcisè, & non vt mihi formaliter acquirendam, proprium ſanguinem effunderem, & pharmaci amore me totum angerem? Moueor ergo propter me, tanquam propter finem *cui*, & propter ſanitatem tanquam propter finem *cuius*, & propter ſanitatem mihi acquirendam (in quo complexo includitur finis *cuius*, & finis *cui*) tanquam propter finem adæquatum.

3 Finis *cuius*, ſæpè ſæpius eſt res ſuppoſito diſtincta à fine *cui*, per aliquam actionem illi coniungendam. Exempli gratia: amo ego pecunias Petro, à quo realiter diſtinguor, & ad quem nullum ex ſe ordinem habent: ac proinde aliqua actione ab illo comparandæ ſunt, vt ad ipſum pertineant. Hinc ortum duxit alia diſtinctio finis *cuius* in finem *qui*, & finem *quo*: finis *qui* dicitur bonum comparandum, ſicuti pecunia: finis *quo* eſt actio; qua tale bonum comparatur, ſicuti poſſeſſio pecuniarum. Volunt nonnulli totam rationem formalem in fine *quo* conſtituere, quia id, quod ego intendo eſt coniunctio boni mecum, verbi gratia, coniungere mihi pecunias, mediâ poſſeſſione, vel coniungere mihi Deum media viſione: non verò pecunias, neque Deum. Quia cum ego Deum, ſeu pecunias mihi concupiſco, non intendo Deum, aut pecunias efficere. Meliùs tamen communis ſententia docet, finem adæquatum includere finem *cui*, *qui*, & *quo*. Non enim id tantùm quod efficere intendo finis eſt: ſed id, quod intendo poſſidere, & cuius bonitate moueor. Cum autem intendo Deum mihi coniungere, moueor non bonitate poſſeſſionis præcisè, vt diſtinctæ à bonitate boni poſſidendi, ſed bonitate ipſa formali ex qua refunditur bonitas in ipſam poſſeſſionem. Ideo enim poſſeſſio Dei bona eſt, quia Deus bonus eſt: Moueor ergo bonitate Dei, ad Deum poſſidendum, & ita bonitas ipſa Dei, quæ eſt finis *qui*, propriiſſimè rationem formalem finis habet, quia, id quod mouet formaliter ad intentionem, formaliter ad finem ſpectat: ſed finis *qui* mouet formaliter ad intentionem: ergo non ſolùm finis *quo*, ſed etiam finis *qui* ad rationem cauſæ finalis ſpectat.

Vltimò ſolet finis diuidi in finem vltimum, & non vltimum, ſeu intermedium. Finis vltimus eſt ille, qui propriè dicitur finis, cuius gratia cætera fiunt, ipſe verò nullius gratia. Finis non vltimus; ſed intermedius eſt ille, qui licet fiat gratia alterius, alia tamen fiunt propter ipſum. Exemplum rem explicat: intendo ego alloqui amicum, quia illius alloqutio mihi eſt grata, & iucunda: ex hoc fine decerno conducere equum; poſtea ex voluntate conducendi equum pecunias mutuas peto, vt equi domino ſoluam: alloqutio amici eſt finis vltimus, quia omnia propter ipſam intenduntur, & ipſa non propter aliud: Conductio equi eſt finis non vltimus reſpectu petitionis pecuniarum: finis, quia pecuniæ petuntur propter conductionem equi, non vltimus, quia conductio amatur propter alloquutionem amici. Hæc finis diuiſio vniuoca non eſt. Finis enim intermedius propriè non eſt finis, de cuius eſſentia eſt non intendi propter aliud, & omnia vltimò amari propter ipſum: Conductio verò equi amatur propter alloquutionem amici: & pecuniarum petitio non vltimò propter conductionem equi, ſed propter amici alloquutionem intenditur. 4

Vltimò nota, eandem entitatem eſſe poſſe finem vltimum reſpectu huius intentionis, & reſpectu illius rationem medij habere. Poſſum enim alloquutionem amici efficaciter amare propter bonitatem ipſius: reſpectu cuius actus alloqutio amici rationem finis habet. Poſſum item per alium actum amare alloquutionem amici, vt illius voluntatem alliciam, ad munus aliquod mihi conferendum: reſpectu cuius alloquutio amici, non rationem finis: ſed medij induent. 5

PVNCTVM II.

An cognitio finis ſit formalis ratio finis, vel tantùm conditio?

VVlgare proloquium eſt inter Philoſophos: *nihil volitum, quin præcognitum*, & voluntatem non ferri in incognitum; quia ex ſe eſt potentia cæca, indigens illuminatione intellectus, qua præuia poſſit tendere in obiectum, quod ex vi illuminationis repræſentatur. Habemus ergo ex communi ſententia, voluntatem non poſſe naturaliter amare obiectum, quod prius intellectus non cognouit: & cognitionem requiri naturaliter ad amorem: an verò ſupernaturaliter poſſit hic exerceri ſine illa, diſputo Contr. 7. de anima Punct. 3. vbi affirmatiuè concludo. Hoc poſito difficultas eſt: quomodo voluntas pertineat ad finem: an vt formalis ratio finis, in qua ſita ſit virtus cauſatiua finalis? an vt conditio applicans bonitatem finis, illiuſque virtutem cauſatiuam, vt ſuam exerceat cauſalitatem? 1

Dicendum eſt, cognitionem non eſſe rationem formalem cauſæ finalis, ſed tantùm conditionem, & applicationem virtutis cauſatiuæ in genere cauſæ formalis. Ita P. Vaſquez 1. 2. cap. 2. P. Soar. in Met. diſ. 23. ſect. 9. à quibus in hac re nullus non abſurdè diſcedet. Ratio à priori perſpicua eſt. Ratio formalis eſt, quæ trahit, & mouet voluntatem ad ſui amorem, & ad electionem mediorum: ſed id, quod trahit ad ſui amorem eſt bonitas, quæ ex vi cognitionis apparet, & non cognitio: ergo ratio formalis finis eſt bonitas, quæ attingitur per cognitionem, & non cognitio. Confirmatur: id mouet voluntatem ad ſui amorem, quod ego intendo acquirere: ſed quod intendo acquirere, non eſt cognitio obiecti, ſed ipſum obiectum: 2

Digitized by Google

obiectum : ergo id quod mouet voluntatem , non eſt cognitio obiecti;ſed ipſum obiectum cognitum:ergo id,quod habet virtutem mouendi voluntatem,eſt bonitas obiecti; & non cognitiò : ergo non hæc , ſed illa habet virtutem cauſandi in genere cauſæ formalis ; quæ non diſtinguitur à virtute mouendi voluntatem ad amorem obiecti , quod intendo acquirere. Me non intendere cognitionem obiecti cogniti , ſed ipſum obiectum cognitum bonum , patet in ægro, qui morbo oppreſſus , nuſquam ambit cognitionem ſanitatis , quàm iam habet , neque ex illius deſiderio pharmacum felle plenum exhauſit ; ſed ex intentione ſanitatis, quam auidiſſimè exoptat, illius cognitione contempta.

3 Cæterùm , cognitionem ipſam reflexè cognitam per aliam cognitionem poſſe habere rationem formalem finis intenti , & tanquam finem hanc de facto ſæpè obtineri , nemo dubitat. Quia ipſa cognitio in ſe bonitatem habet,ratione cuius poteſt intendi à voluntate , ſi ex vi alius cognitionis repræſentetur. In quo caſu cognitio reflexa, quæ eſt propoſitio alius directæ cognitionis, ſe habebit vt conditio , & cognitio directa erit ratio formaliter amata, quæ virtutem habebit mouendi voluntatem ad ſui amorē, & ad exequutionem mediorum conducentium ad illam cognitionem obtinendam. Exempli gratia : cognoſco in via viſionem beatam mihi bonam eſſe, & eam mihi concupiſco , & ex illius amore piè religioſeque viuo ad illam obtinendam. Viſio beata tunc ſe habet reſpectu huius intentionis , & amoris illam obtinendi , vt cauſa finalis , & vt formalis virtus cauſandi in genere cauſæ finalis : & cognitio reflexa ſe habet , vt conditio , reſpectu huius intentionis,ſicuti eadem viſio ſe habet reſpectu amoris , quo Beatus Deum amat cognitum per ipſam viſionem beatificam.

4 Ex hoc infero , propoſitionem hanc : *obiectum bonum, vt cognitum eſt cauſa finalis*, non ſine diſtinctione concedendam eſſe. Illud enim *vt*,duplicem ſenſum habet : aliquando reduplicat rationem formalem , & virtutem formaliter cauſatiuam ; vt cum dicimus *homo , vt intellectiuus demonſtrationem efficit*,in quo ſenſu propoſitio prædicta falſa eſt : aliquando eadem particula tantùm reduplicat conditionem ſuper virtutem cauſatiuam , vt cum dicimus *igni, vt applicatus calefacit* , & in hoc ſenſu propoſitio prædicta abſque formidine concedenda eſt. Neque refert , quod dicatur intellectus mouere , aut impellere voluntatem , quia loquutio hæc non ſignificat intellectum propriè cauſam impellentem mouentem , aut cauſantem finaliter actum voluntatis , ſed eſſe cauſam applicantem virtutem , à qua tanquam à cauſa finali, procedit amor;ſicuti dicitur homo domum comburere ex eo tantùm , quod applicet ignem domum comburentem.

5 Obiic. Cognitio finis ſe habet veluti exiſtentia bonitatis finis , ſeu cauſæ finalis ; ſed exiſtentia cauſæ,& virtutis cauſatiuæ ſe tenent ex parte virtutis formalis , & non ſolum ſe habet vt conditio,vt patet in exiſtentia ignis , quæ non eſt conditio ; ſed virtus formalis , à qua procedit calefactio : ergo cognitio finalis cauſæ ſe habet , tanquam virtus formalis reſpectu cauſalitatis procedentis à fine ; & non ſolùm vt conditio. Reſpondent ferè omnes, cognitionem non eſſe exiſtentiam virtutis cauſatiuæ in genere cauſæ finalis : ſed tantùm conditionem,quæ ſolutio non omnino difficultate caret ; quia finis , vt cauſet debet habere exiſtentiam,non phyſicam, ſed obiectiuam Exiſtentia autem obiectiua eſt cognitio, per quam formaliter bonitas eſt obiectiuè in intellectu. Aliter ego reſpondeo , admittendo maiorem propoſitionem , videlicet cognitionem ſe habere inſtar exiſtentiæ reſpectu cauſæ finalis , ex vi cuius exiſtentiæ finis exiſtit eo modo , quo debet exiſtere ad cauſandum,& hac maiori omiſſa, diſtinguo minorē,exiſtentia cauſæ ſe tenet ex parte virtutis cauſatiuæ quando exiſtentia identificatur cum virtute, concedo:quando exiſtentia realiter diſtinguitur ab illa , nego. Ideò enim dico ego exiſtentiam ignis eſſe rationem formaliter productiuam caloris ; quia non diſtinguo realiter exiſtentiam ignis ab ipſo igne,quam ſi diſtinguerem, dicerem eſſe tantùm conditionem. Deinde nego conſequentiam, quia cognitio bonitatis,ſeu cauſæ finalis , etiamſi illius exiſtentia intentionalis ſit , non identificatur cum ipſa bonitate : cognitio enim,quæ bonitatem finis attingit , non ſuprà ſeipſam reflectit ; ſed in aliud obiectum à ſe ſaltem negatiuè diſtinctum fertur.

PVNCTVM III.

De cauſa exemplari.

EXemplaris cauſa finali affinis eſt valdè , vtraque enim intentionaliter , & media ſui cognitione influit in effectum. Diſputat de exemplari ſatis eruditè noſter Soar in Metaph. diſp. 25. ſect. 1. ex illo breuiter ſelectiora dabo, & omnia , quæ ſpectant ad huius cauſæ perfectam notitiam , attingam : quæ non longiorem diſputationem expoſcunt. 1

Ariſt. 7. Metaph. cap. 2. text. 32. cauſam exemplarem his verbis definit , *illud , in quod reſpiciens agens operatur* Ex qua definitione conſtat non poſſe dari exemplar , niſi reſpectu effectus prouenientis à cognoſcente , quia tantùm cognoſcens poteſt reſpicere aliud , quod imitetur. Neque huius cauſæ effectus dicitur illud,quod non prouenit à cognoſcentē , & intendente tale exemplar imitari, quia ſi agenti inſit exemplaris cognitio , & caſu ab illo fiat effectus , quin per cognitionem exemplaris dirigatur actio, cauſa exemplaris carebit : quia cognitio operationem non dirigens,reſpectu illius ſe habet,ac ſi non eſſet. 2

Duplex exemplar diſtinguunt Doctores : vnum internum,& externum aliud : externum exemplar vocant quod ante oculos externè ſibi proponit artifex , vt inſtar illius effectum efformet , verbi gratia,pictor imaginem Regis ſibi ante oculos ſtatuit, vt ex illius deſcriptione Regem depingat ; & imaginem aliam ſimilem illi , quam ſibi coram oculis obiecit , efficiat. Exemplar internum dicunt actores, eſſe ſimilitudinem quandam , quam ſibi artifex fingit in intellectu poſtquam imaginem ad extra poſitam videt, ad cuius imitationem effectus dirigitur , quæ ſimilitudo, ſeu idolum manet in mente,poſtquam exemplar externum ablatum eſt. Diuiſionem hanc apud omnes inuenio,in qua ego maiorem explicationem deſidero. Quod enim exemplar illud internum,ſeu idolum,quod artifex intendit imitari ? an cognitio ? an obiectum ? non cognitio tantùm, quia omnes exemplar internum diuidunt in obiectiuum, & formale. Si obiectum , hoc videtur eſſe obiectum externum , dices eſſe obiectum externum , non vt externè exiſtens : ſe vt exiſtens in intellectu , quod conſtat , ex eo , quod remaneat in intellectu , etiamſi externè auferatur,vel corrumpatur. Eſto obiectum externum,vt exiſtens in intellectu : Si illud *vt* reduplicet exiſtentiam in intellectu , dicit cognitionem , & conceptum formalem , ex vi cuius exiſtit obiectum in intellectu : ſi reduplicet rationes formales tenentes ſe ex parte intellectus , & terminantes cognitionem ; hæ ſunt ipſiſſimum obiectum externum, quod per ſe ipſum formaliter cognitionem terminat. Neque refert manere in cognitione , ſeu illam terminare, etiamſi non exiſtat , quia vt aliquod obiectum externum quodcumque illud ſit terminet cognitionem, non requiritur illud phyſicè exiſtere. Exiſtentia enim , quæ modò non eſt , modò poteſt cognitionem terminare , & ita obiectum externum dum non exiſtit , exiſtimo poſſe terminare cognitionem , & eſſe exemplar , neque aliud ego cognoſco exemplar internum à cognitione diſtinctum. Quapropter diuiſionem illam exemplaris obiectiui in internum , & externum explico de eodem exemplari externo non extrinſecè denominato cognitione,ſine qua influere nequit,quod externum dicitur eidem obiecto externo cognitione denominato,ratione cuius internum dicitur,non quia ſecundùm ſe internum ſit,ſed quia per cognitionē denominatur exiſtens in intellectu, cuius hæc in intellectu illi extrinſeca exiſtentia eſt cognitio intellectui intrinſeca , ratione cuius obiectum per denominationem illi extrinſecam dicitur intellectui intrinſecum , ſeu exemplar internum intellectum.Hac ratione obiectum externum dicitur non eſſe intellectus exemplar , quia neque ſufficit exiſtentia intrinſeca obiecti in ſe , ſine exiſtentia in intellectu , neque hac poſita illum phyſicè dari neceſſum eſt ; ſed tota exemplaris ratio exemplari externo,ſeu exemplari quatenus cognito , ſeu in intellectu exiſtenti tribuitur. Cæterùm cum reſpiciens exemplar externum ex vi illius intendit effectū illi ſimilem producere , non ſolùm concipit imaginem illam,quam videt : ſed aliam ſibi ſimilem per intellectū proponit,quam ductus cognitione externæ,quam videt,illiuſque ſpeciebus adiutus ſibi confingit , & ideò ſemel , & iterum inſpicit externum exemplar ſibi propoſitum , vt aliud 3

Digitized by Google

inſtar illius omnino ſimile concipiat, quod intendit facere. Quia cum pictor intuens imaginem Cæſaris, iterum Cæſarem pingit, non intendit facere imaginem, quam videt, illa enim iam ſupponitur facta, & ab illo fieri nequit; ſed aliam: ergo aliam concipit, quam facere intendit, non enim intendit facere id, quod non concepit. Itaque artifex videns exemplar externum, ſeu imaginem, quam habet p æ oculis, concipit imaginem externè propoſitam iam factam & ſimul aliam faciendam. hæc facienda eſt, quam tantum intendit facere, & imitari, quia vult ſuam operationẽ conformari cum hac operatione, quam inſtar illius ipſe ſibi propoſuit: externam illam non facere propter rationẽ iam dictam; ſed imitari intendit. Quia cùm intendant facere, quam ipſe ſibi propoſuit; & hæc ſit ſimilis imagini externæ propoſitæ, & inſtar illius concepta: eo ipſo, quod hanc intendat facere, intendit facere imaginem ſimilẽ illi, quam ſibi propoſuit: quod eſt intendere illã imitari. Hæc in creaturis: Deus verò nullum externum exemplar reſpicit diſtinctum ab illo, quod intendit facere, quia, cùm Deus ad concipiendam perfectè creaturam, quam intendit producere, non mendicet ſpecies ab alia creatura ſimili præcognita, inſtar cuius illam ſibi proponat: ſed immediatè cognoſcat creaturas in ſe ipſis, vel in ſua eſſentia, tanquam in obiecto formali cognitionis terminatæ ad creaturas; ad faciendam hanc creaturam, neque mediatè, neque immediatè ducitur cognitione aliùs creaturæ, neque alicuius exemplaris creati diſtincti ab illo, quod intendit facere.

4 Difficultas eſt: an ratio exemplaris conſiſtat in conceptu obiectiuo, an in formali? P. Vaſquez 1. part. diſp. 71. c. 2 cenſet in creaturis exemplar eſſe conceptum obiectiuum. Conſentit Fonſeca 1. Metaph. c. 7. quæſt. 1. ſect. 5. Conimbr. lib. 2. Phyſic. c. 7. quæſt. 3. art. 2. Oppoſitum tenet P. Suarez, qui exemplar in conceptu formali conſtituit, loco cit. n. 1. Suarium ſequitur Rubius tom. 6. q. 2. leue inter vtroſque diſſidium, & forſan tantum de modo loquendi: rem breuiter compono.

5 Dico primò: Ipſa formalis cognitio eſt, quæ immediatè dirigit operationem, & potentiam executricem gubernat; & media illa influit exemplar, ſi hoc in conceptu obiectiuo conſiſtat. Concluſionem hanc nemo, qui rem attentè inſpiciat, negabit: quia id tantùm poteſt immediatè dirigere ſubiectum, quod illi formaliter, & intrinſecè inhæret, ſed hoc tantùm eſt cognitio & non obiectum: ergo cognitio eſt, quæ immediatè gubernat potentiam exequutricem ad opus efficiendum, & æquè eſt regula ab intellectu præſcripta, vt iuxta illam fiat effectus.

6 Dico ſecundò: Id, quod agens intendit imitari, eſt conceptus obiectiuus. Probatur concluſio: opus efficiendum, vt ſit iuxta id, quod ex vi exemplaris intenditur, non debet eſſe ſimile cognitioni, neque artifex intendit imaginem depingere ſimilem cognitioni, ſed obiecto cognito: ergo id, quod intendit imitari eſt obiectum cognitum, & non cognitio. Quod experientia ipſa compertum eſt; quia cum pictura ſimilis eſt obiecto apprehenſo, ſeu prototypo, dicimus factam eſſe iuxta ideam artificis, & conformem cauſæ exemplari, & hoc tantùm examinamus: non verò, an ſit ſimilis cognitioni, ex vi cuius imago facienda, vel iam facta externè propoſita erat intellectui: vix enim aliqua ſimilitudo, & certè nulla reperiri poteſt inter cognitionem, & opus ex vi illius productum. Confirmatur artifex, cùm exemplari ductus externum efficit opus, vt plurimum ſuam cognitionem non cognoſcit: ergo non intendit imitari cognitionem; ſed obiectum cognitum, quia non poteſt intendere imitari id, quod nunquam nouit.

7 Dico tertiò; Cognitio, ſeu conceptus formalis poteſt aliquo modo dici exemplar, quatenus artifex illam imitatur, non ſecundùm entitatem, ſed ſecundũ repræſentationem ex eo enim, quod artifex ſua operatione attingat idẽ obiectum, quod intelligit intellectus ſua cognitione, & operatio artificis, intellectuſque cognitio eundem reſreſpiciant obiectum, ſeu terminum, poteſt dici operatio imitari cognitionem, ex vi cuius regitur, vt attingat eundem terminum phyſicè, quem intentionaliter attingit cognitio quod eſt conformari operationem cum cognitione. Sicuti dicimus operationem externam eſſe conformem legi, non quia ſit legi ſimilis, neque quia ſit exequutio ipſius formalis legis ſed quia exequutio exercita eſt obiectum, quod reſpicit lex, realiſque poſitio obiecti, quod lex poni præcipit. Secundùm hunc ſenſum rectè dici poteſt cognitionem, ſeu formale obiectum eſſe exemplar, quod artifex imitatur modo explicato, ratione cuius cognitio ab aliquibus dicitur exemplar *quo*, & obiectum exemplar *quod*. Qui loquendi modus nihil aliud ſignificat, quàm obiectum eſſe à parte rei eo modo, quo illud repræſentat cognitio quod nullus negat. Neque exiſtimo in alio ſenſu ab aliquo conceptum formalem exemplar dici poſſe. Quapropter re attentè inſpecta tantùm in hac quæſtione vocum poteſt eſſe contentio: omnes enim rem eandem ſignificant, ſiue dicant exemplar conſiſtere in conceptu obiectiuo, ſiue in conceptu formali, quia omnes debent fateri non alio modo conformari operationem cum formali conceptu, niſi quia eſt exercitium illius, quod cognitio præſcribit; quod negare poterit nemo. Neque damnandus eſt loquendi modus illorum, qui dicunt conceptum formalem eſſe exemplar, quod operatio externa imitatur: ſunt enim alij plures ſimiles in ſcholis. In eodem enim ſenſu dicimus opus lege præſcriptum eſſe legi conforme, & conceptum definitionis, & definiti conuerti. quibus dicendi modis non intendimus ſignificare, legem ſecundum ſe eſſe conformem operi, quod præſcribit, ſed opus præſcriptum à me exercitum, v. g. auditionem Miſſæ, conformem eſſe obiecto legis præcipientis Miſſam audiendam: & obiectum definitionis, & definiti eſſe idem in quo conuerti dicuntur conceptus formalis definitionis, & conceptus formalis definiti inter ſe valde differentes.

Dico quartò: Tunc perfectè operatur artifex, & perfectè influit exemplar eo modo, quo poteſt, cum idem omnino obiectum, quod mente percipit opere exercet. 7
Probatur concluſio tunc operatur perfectè artifex iuxta exemplar, quando operatur iuxta intentionem, quam conceptus formalis exemplaris gubernat, quod enim extra illius intentionem ſit, non prouenit ab exemplari: ergo tunc operatur artifex perfectè iuxta exemplar, quando exercet idem opus, quod intendit: ergo quando exercet idem opus, quod concepit per formalem conceptum exemplaris, qui intentioni obiectum miniſtrat, in quod ipſa fertur. Confirmatur; id procedit propriè ab exemplari, quod præſcribit conceptus; ergo id, quod non præſcribit, non procedit ab exemplari: ergo tantùm poteſt dari exemplar reſpectu operis præconcepti: ergo propriiſſimè operatur artifex exemplari ductus, quando exercet idem opus, quod præcognouit. Quod ſi non idem, ſed aliud ſimile conficiat opus, ſimile factum extra intentionem agentis, quaſi monſtroſè procedet ex illo conceptu, in quo conſiſtit exemplar: erit enim praxis quædam monſtroſa reſpectu illius, vt de cognitione Practica dicebam in Logica, Controuerſ. 1. Punct. 1. Tradidi hanc concluſionem contra P. Vaſquez aſſerentem non poſſe exemplar conſiſtere in conceptu eiuſdem obiecti apprehenſi. Cuius fundamentum erat non poſſe obiectum apprehenſum eſſe exemplar ſui ipſius, quia nihil in ſe ipſum influere poteſt. Sed non placet concluſio, propter rationem iam factam, neque argumentum premit. Quia exemplar eſt cauſa quædam intentionalis, & propria ſicuti finis: & ita ſecundum eſſe apprehenſum poteſt proprio illius influxu, qui improprius influxus eſt, in ſe ipſum vt exiſtens influere: ſicuti finis, vt intentus influit media intentione in ipſum, vt exercitum.

Dico quintò: In Deo exemplar eſt obiectiuus conceptus in ſe idem omnino cum re facta, & formalis cognitio Dei modo ſuprà explicato. 8
Conceptum formalem Dei eſſe exemplar defendit Vaſquez, quod tantùm in ſenſu à nobis explicato verum eſſe poteſt. De conceptu obiectiuo concluſionem traditam tenet Scotus 1. diſt. 35. q. 1. & alij apud Suarium, & Rubium ſuprà n. 67. vtraque pars probatur facilè: operatio Dei conformatur cum re, & modo, quem illius cognitio præſcribit: ergo operatio Dei eodem modo diuinam cognitionem imitatur, quo artificis creati operatio poteſt cognitionem artificis imitari. Iam de conceptu obiectiuo id oſtendo; ſi ex aliquo capite conceptus obiectiuus Dei non eſſet exemplar ſuæ operationis, eſſet quia idem non poteſt eſſe ſui ipſius exemplar, quam rationem reddit Vaſq. etiam nos impugnauimus, vel quia Dei operatio dependeret à conceptu obiectiuo, ſeu ab eadẽ, vt prius cognitã, quæ ratio nullius eſt momenti, certum enim eſt Dei operationem dependere à cognitione, qua Deus illam cognoſcit, vt poſſibilem; & hanc cognitionem ſupponere ſuum obiectum, ſcilicet ipſam poſſiblitatem rei faciendæ; quo deficiente obiecto, neque eſſet ſcientia, neque fieri poſſet. Et ita operatio Dei ſemper ſupponit poſſibilitatem ipſius, non phyſicè, ſed obiectiuè, vt dicebam Controuerſ.

Digitized by Google

Controu. 7. Punct. 2. in quo nullum eſt inconueniens, quia hæc dependentia non eſt propriè dependentia; neque quæcumque ſit, dependentia entitatis intrinſecæ Dei, ſed totum operationis creatæ adæquatè diſtinctæ à Deo.

10 Dubitari ſolet: an exemplar ſit propriè cauſa? & ad quod genus cauſæ illius cauſalitas ſiue propria, ſiue impropria reducenda ſit? Ad primam partem negatiuè reſpondi: ad ſecundam aliqui apud Patrem Suarium n. 7. putant ad genus cauſæ formalis pertinere. Melius P. Suarez cum aliis plurimis tenet pertinere ad genus cauſæ efficientis, quia influit dirigendo mediâ cognitione, qua actio exiſtit moraliter, tanquam à præſcribente ipſius exequutionem.

Circa illius cauſalitatem breuiter dicendum eſt, non conſiſtere in cognitione ipſâ ſecundùm ſe, quia hæc ſine effectu dari poteſt, neque in actione phyſica præciſè ſumpta, quia indifferens eſt, vt ab exemplari procedat, & non procedat, neque importare actionem aliquam intermediam, ſeu diſtinctam propter rationem immediatè dictam; ſed dicere ipſam actionem quatenus directam ex hac cognitione, & factam ex intentione ipſam exequendi illo modo, quo eam cognitio præſcribit. Quod importat actionem eſſe imperatam ab intentione, quam regit illa cognitio, quod dicit coëxiſtentiam actionis cum intentione potente imperare potentiæ exequutrici opus exequendum. 11

LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

DEFINIVIT Ariſtoteles lib. 2. naturam: *Principium, & cauſa motus*, & continuò in eodem lib. huius naturæ cauſas indagauit. Procedit in hoc tertio libro ad examinandum illud, cuius natura eſt cauſa, motum, videlicet, de quo hîc diſputat; & quia motus iuxta Ariſtotelis mentem partibus infinitis conſtat, agit in hoc lib. de infinito.

CONTROVERSIA XII.

De Actione, & Paſſione & Motu.

MOTVS, vt probabo, ab actione, & paſſione non diſtinguitur: neque Ariſtoteles actionem aliquam agnouit, quæ paſſio non eſſet, & ideo indifferenter his ſemper vtitur nominibus actio, & motus. Hac ratione placuit in hoc lib. ſimul agere de natura actionis, paſſionis, & motus; in quibus nulla intercedit realis diſtinctio. Cæterùm actio eſt duplex: vna eductiua; alia creatiua; hæc à motu ſemper diſtinguitur, cuius notitia Ariſtotelem ſubterfugit de qua agam Controu. ſequenti; vbi illa, quæ ſpecialia ſunt actioni creatiuæ, diſquiram. Modò ago de actione, quam nouit Ariſtoteles, in quâ multa ſunt communia creatiuæ actioni, quæ in præſenti explicabo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit actio, & paſſio, illarúmque diſtinctio ab agente, paſſo, & termino?

1 ARiſtoteles lib. 3. text. 22. definit actionem: *Actus huius in hoc*, hoc eſt actus actiui in paſſum. Particula *actus*, importat rationem genericam. Per particulam *actiui* differt definitum ab aliis formis, quæ actiones non ſunt; ſed adhuc conuenit cum creatione, à qua differet per illam particulam *in hoc*. Paſſionem definit: *Actus huius ab hoc*, hoc eſt paſſi ab agenti, dicitur actus paſſi, quia eſt, per quod illius exercetur virtus, & per quod ad actum reducitur illius paſſiua virtus. dicitur, *ab hoc*, quia omnis receptio ſemper eſt ab aliquo principio, ſicuti omnis actiua formæ inductio ſemper eſt in aliquod ſubiectum. Definiri etiam ſolet actio, *actus actiui, qua tale eſt*, & paſſio: *actus paſſiui, qua tale eſt*, nomen actus loco generis ponitur in definitione, reliqua propriam differentiam actionis, & paſſionis important, id enim, per quod actiuum ſuam virtutem exercet, dicitur actus actiui, qua actiuum eſt, id eſt, id quod actuat, ſeu ad actum ſecundum reducit ſuam actiuam virtutem, & ita rectè definitur actio, cuius formale eſt reducere ad actum ſecundum, actum primum potentiæ operatiuæ per actum actiui vt actiuum eſt, & ſimiliter paſſio, cuius formale conſtitutiuum eſt reducere ad actum ſecundum virtutem paſſiuam per actum illius, cuius eſt conſtituere in actuali exercitio potentiam, quam in actu primo ſupponit. Cæterum prædicta definitio non tantùm comprehendit actionem eductiuam, ſed etiam creatiuam, vtrique enim commune eſt eſſe actum actiui quatenus actiuum eſt, quapropter prior definitio adducenda eſt ad explicandam naturam actionis eductiuæ, vt diſtinctæ ab actione creatiua.

Ex hoc infero actionem, & paſſionem ex ſuo conceptu dicere diſtinctionem à principio effectiuo, & paſſiuo, quia vtraque dicit dimanare ab vno & eſſe in alio, ſed nihil poteſt realiter à ſe ipſo dimanare, neque eſſe in ſeipſo: ergo non poteſt actio, & paſſio eſſe idem cum illo à quo dimanat, & cum illo in quo recipiatur: ergo non poteſt non diſtingui à ſubiecto, & paſſo. Neque poteſt dici poſſe per intellectum concipi emanationem eiuſdem à ſe ipſo, & in ſe ipſum, hæc enim emanatio ſic concepta purum erit figmentum, quia realiter & à parte rei repugnat, & tantum habet eſſe obiectiuè in intellectu: formalitas verò actionis, ſeu id, per quod actio, ſeu paſſio formaliter conſtituitur, debet eſſe quid reale & non fictum, quia nulla entitas realis poteſt habere conſtitutiuum purè fictum, ſed illud reale debet habere, ac proinde hæc emanatio per intellectum concepta ſine diſtinctione eiuſdem à principio actiuo, & paſſiuo nullatenus poſſet pertinere ad conſtitutiuum formale actionis, aut paſſionis, neque ad rem eſt. 2

Specialiùs probo diſtinctionem actionis à principio: in primis probo diſtingui à principio increato, & poſtea ad creatum procedam. Omnipotentia, & omnia prædicata Dei, & quidquid eſt Deo intrinſecum, eſt ab æterno; ſed nulla actio, ex vi cuius effectus producitur, fuit ab æterno: ergo omnis actio diſtinguitur ab omni intrinſeco Dei. Maiorem ſancit fides; conſequentiam illationis vis: minorem probo: omnes effectus ad extra producti ſunt in tempore: ergo nulla actio fuit ab æterno: antecedens eſt fide firmum, conſequentiam oſtendo: implicat 3

Digitized by Google

eſſe actionem in aliqua menſura, in qua non ſit terminus: ergo implicat actionem eſſe ab æterno, quin terminus exiſtat ab æterno. Probo antecedens: actio eſt id, per quod cauſa in actu primo potens producere effectum, quem intra ſe virtualiter continet, illum actu cauſat, & ponit extra ſe exiſtentem in rerum natura, ſed implicat effectum poni extrà cauſas exiſtentem in rerum natura, quin talis effectus exiſtat, & verè ſit extra cauſas: ergo implicat eſſe hanc actionem, ſeu poſitionem effectus extra cauſas in aliqua menſura, in qua non ſit effectus: ergo implicat actionem fuiſſe ab æterno, & effectum non ita, ſed in tempore incipere.

4 Occurrit hic connotatorum ſolutio videlicet volitionem Dei eſſe ab æterno ſub ratione volitionis, non tamen ſub ratione actionis, quia etiamſi volitio intrinſecè ſit actio, non tamen exercet munus actionis, quouſque veniat connotatum extrinſecum videlicet effectus productus quo poſito, actio, quæ ſecundùm rationem intrinſecam fuit ab æterno, incipit in tempore exercere munus actionis, eo modo, quo relatio, quæ eſt idem cum ſubiecto, illud non refert formaliter quouſque adueniat illius connotatum extrinſecum, videlicet terminus. Hanc connotatorum doctrinam reijcio in Metaphyſic. Controu. 9. Punct. 4. §. 2. modò tamen in hac materia ſpecialiter impugno. Actio intrinſeca nempe volitio Dei, vel illa, quam tu fingis identificata cum Deo, eſt indifferens ad exercendum, & non exercendum munus actionis, vt ex vi illius ponatur, vel non ponatur effectus, & determinatur formaliter per connotatum extrinſecum, vt hic & tunc exerceat munus actionis, & vt ex vi illius ponatur effectus: ergo cum illa volitione, ſeu cum illa formalitate, quam tu actionem vocas, adhuc eſt indifferens ad ponendum, & non ponendum effectum, & phyſicè determinatur per illud, quod tu connotatum actionis appellas: ergo hoc connotatum habet totam rationem actionis, & non volitio, ſeu formalitas, quam tu actionem eſſe dicis. Probo conſequentiam: munus actionis, & ratio formalis conſtitutiua illius eſt determinare phyſicè & in actu ſecundo principiũ actiuum ad effectum hic & nunc producendum: ſed illud, quod tu connotatum eſſe dicis habet hanc formalitatem determinationis, & exercet hoc munus determinandi & non illa volitio, ſeu formalitas, quam tu actionem appellas: ergo hoc connotatum, & non alia volitio, ſeu formalitas identificata cum Deo habet totum formale conſtitutiuum actionis, & eſt formaliter actio. Dices volitionem Dei eſſe actionem, & determinare per ſe formaliter omnipotentiam, ſaltem moraliter, licet non phyſicè ad effectum præſtandum, quia poſita volitione Dei non poteſt non eſſe effectus. Contrà: eodem modo poſſet dici reuelationem, ſeu propoſitionem Dei de effectu futuro eſſe actiones, quia illis poſitis non poteſt non eſſe effectus, Deus enim ex vi promiſſionis, ſeu reuelationis determinatus manet ad exequendum illud, quod promittit, nihilominus non dicuntur actiones, promiſſio, aut reuelatio, quia non determinant Deum in actu ſecundo formaliter ponendo effectum, ſed tantùm quaſi obligando Deum ad effectum. Sic volitio Dei obligat omnipotentiam per modum actus primi vt actionem decretam ex vi volitionis in actu ſecundo exerceat tempore, quod volitio præſcribit, non tamen in actu ſecundo ipſa volitio formaliter phyſicè omnipotentiam determinat, neque formaliter illam conſtituit in actu ſecundo efficientem, aut eſt formalis exequutio effectus, quæ ſunt munera actionis, non verò principium per modum actus primi determinare, quod præcisè habet Dei volitio.

5 Eandem concluſionem reſpectu principij creati ſic oſtendo: Nullum eſt principium creatum ita per ſuam entitatem determinatum ad hanc numero actionem, quod Deus non poſſit coëxercere ab illa actione & ab effectu ex vi illius actionis producendo: ergo nullum eſt principium creatum identificatum cum hac numero actione. Conſequentia eſt legitima: quidquid enim realiter poteſt ab aliquo ſeparari, ab illo realiter diſtinguitur: ergo ſi quælibet actio ſingulariter ſumpta poteſt ab hoc principio ſeparari, nulla eſt cum illo identificata. Antecedens probo: omne agens creatum dependet in operando à Deo liberè concurrente cum illo ad effectum producendum: ergo poteſt Deus non concurrere cum illo ad quamcumque actionem ſingulariter ſumptam: ergo poteſt impedire quamcumque actionem. Dices: Deum liberè producere quemlibet effectum, nihilominus poſſe producere aliquod principium productiuum, quo poſito non poſſit Deus effectum alium non producere, ſicut poſita actione non poteſt Deus illius terminum impedire, quia ipſa actio eſt formaliter productio, eodémque modo poſſe dici ipſum productiuum eſſe formaliter productionem, ac proinde poſito productiuo non poſſe impedire Deum terminum producendum. Contrà: productio creata eſſentialiter eſt determinatio virtutis ad producendum, ac proinde eſſentialiter ſupponit productiuum à ſe diſtinctum. Secundò: illud productiuum, quod tu fingis eſſe productionem neceſſariò dependeret ab alio, quia non poteſt eſſe à ſe: illud ergo, à quo dependeret diceretur virtus productiua, quæ determinaretur per id, quod tu vocas productiuum, quod tantùm eſſet productiuo, quia eſſet determinatio virtutis, à qua dependebat ad producendum effectum per illam productum.

6 Aliter reſponderi poſſet Deum liberè omnia producere, eſſe tamen entitates ita inter ſe connexas, vt non poſſit vnam ſine alia, neque producere, neque conſeruare, ſicuti non poteſt conſeruare relationem prædicamentalem, ſi datur, ſine terminis, neque vnionem ſine extremis, neque modum aliquem ſine re, cuius eſt modus. Fateor eſſe aliquas entitates, quæ non poſſunt ſine aliis conſeruari, qui ab illis eſſentialiter dependent; cauſa tamen non eſſentialiter dependent ab effectu, ac proinde nullum erit caput, ex quo repugnet de potentia Dei abſoluta ſine effectu conſeruari, quia cauſa eſt prior effectu, & à qua non valet ſubſiſtendi conſequentia. Inſtabis: quantitatem non poſſe conſeruari ſine præſentia, quæ eſt illius effectus. Reſpondeo quantitatem poſſe conſeruari ſine hac præſentia determinata, & ſine quacumque alia, quam tu aſſignes, & poſſe conſeruari, quin aliquam præſentiam producat, quia poteſt eſſe præſens per præſentiam ab agente extrinſeco productam, quod fatentur omnes, & addam lib. 4. quod non hic expoſcit obiectio, poſſe quantitatem ab omni præſentia abſolui. Secundò hæc entitas, quam tu vocas principium productiuum, & productionem, ex vi cuius alia entitas producitur, vel dependet à Deo per ſe ipſam, vel per aliam actionem: ſi per aliam actionem, actio non eſt, quia actionis non datur actio: ſi per ſe ipſam, in quo non diſtinguitur ab influxu, quem aſſignat communis ſententia, cur vocas illam entitatem principium productiuum, & non puram productionem? Vltimò illa productio non eſſet creatio, quia iuxta probabiliorem ſententiam nullum ens creatum gaudet virtute creatiua: ergo eſſet eductio: ergo præſupponeret ſubiectum. Tunc ſic: aut illa entitas eſſet à Deo producta per creationem aut per eductionem: non per creationem, quia res creata eſt independens à ſubiecto, illa verò eductio per ſe ipſam à ſubiecto dependeret. Secundò, quia creatio, per quam fuiſſet producta à Deo, deberet à ſe ipſa diſtingui, & hæc fingi non poteſt, quia non poteſt dari creatio ad eductionem terminata: non per eductionem ſuperadditam, quod fieri nequit, quia eductionis non datur eductio: ergo deberet educi per ſe ipſam, & tunc redit argumentum ſuprà factum, in nihilo enim diſcreparet hæc entitas, quam tu dicis eſſe principium productiuum, & eductionem, ab illa, quam ego dico tantum eſſe eductionem. Debeo hanc rationem doctiſſimo Societatis Magiſtro, apud cuius ſcripta illam legi, quæ manifeſtè conuincit omnem actionem, & paſſionem eſſentialiter diſtingui à principio actiuo, & paſſiuo.

7 Excludo à conceptu quidditatiuo actionis diſtinctionem à termino, quia poteſt eadem entitas per ſe ipſam ab hoc principio dimanare nullo influxu interiecto, in qua ſita erit tota ratio conſtitutiua actionis: quod ſic probo: ratio formalis conſtitutiua actionis eſt determinare principium in actu primo productiuum continens virtualiter effectum, ad effectum producendum extra ſe ipſum: ſed entitas per ſeipſam fluens ab hoc principio illud determinaret in actu ſecundo ad illam producendam: ergo haberet totam rationem formalem conſtitutiuam actionis. Idem argumentum conficio in paſſione; quæ poteſt eſſe indiſtincta à termino, quia poteſt dari entitas per ſe ipſam dependens ab hoc ſubiecto, & illud formaliter determinans ad exercitium virtutis paſſiuæ, quam habet.

8 Concludo: de ratione actionis eductiuæ, & de ratione paſſionis eſſe ordinem ad principium & paſſum, non tamen

ad

Digitized by Google

ad terminum. Hanc partem negatiuam primò probo: de ratione actionis, & paſſionis non eſt diſtinctio à termino, ſed poteſt componi cum identitate reſpectu illius: ergo de ratione actionis, aut paſſionis non eſt reſpectus ad terminum, cum reſpectus eſſentialiter includat diſtinctionem inter extrema, & implicet hanc entitatem eſſentialiter illam reſpicere, quin eſſentialiter ab illa diſtinguatur, quia eiuſdem ad ſe ipſum realis reſpectus inueniri non poteſt: Actionem eductiuam dicere ordinem ad principium actiuum, & paſſiuum conſtat ex ipſa definitione *actus huius in hoc*, hoc eſt productiui in paſſiuum, & manifeſtè oſtenditur, quia implicat intelligi productio alicuius virtutis in aliquo ſubiecto, quin intelligatur virtus illa, à qua procedit talis productio, & illud ſubiectum, in quo effectus ex vi illius productionis producitur. Similiter paſſio ſimilem reſpectum dicit non ſolùm ad principium paſſiuum, ſed etiam ad actiuum, quia eſt *actus huius ab hoc*, ſcilicet à principio actiuo, & implicat intelligi ſubiectum recipere ab agente, ſeu receptio in paſſo à principio productiuo, quin intelligatur principium productiuum, imò prædicatum receptionis ſecundùm ſe ſemper dicit eſſe ab alio, quidquid enim aliquid recipit, illud ab aliquo, quaſi largiente ipſum recipit.

9 Vltimò affirmo; quòd etſi ratione actionis, aut paſſionis vt ſic non ſit diſtinctio à termino omnes actiones, quæ de facto procedunt à principiis creatis (vitales deme, de quibus libro de Anima) realiter à terminis diſtingui, quod ſic probo: omnis effectus non vitalis, qui de facto productus fuit ab hac cauſa potuit produci à Deo, cauſa poruit non concurrente, & de facto illorum quàm plurimi non conſeruantur à cauſa creata, à qua primò producuntur: ergo non dependent per ſe à cauſis creatis, ſed mediâ actione ſuperaddita. Probo conſequentiam: ſi effectus per ſe ipſum à cauſa creata dependeret, implicaret produci à Deo tanquam à principio adæquato independenter à cauſa ſecunda, quia nihil, quod entitati per ſe ipſam conuenit, poteſt illi non conuenire, ſed poteſt effectus productus à cauſa ſecunda non dependere ab illa, ſed tantùm à Deo, ergo non dependet per ſe ipſum à cauſa ſecunda: ergo per actionem ſuperadditam diſtinctam ab entitate effectus.

Pvnctvm II.

An actio, & paſſio realiter diſtinguantur?

1 Dixi Puncto præcedenti actionem eſſe cauſalitatem, per quam virtus effectiua reducitur ad actum ſecundum, & paſſionem eſſe cauſalitatem, per quam virtus paſſiua ſimiliter in actu ſecundo conſtituitur, procedit modò de eis entitatibus diſputatio, an videlicet inter ipſas realis aliqua diſtinctio intercedat, quæ noſtri intellectus operationem præcedat, & ab hac dependenter exiſtat. Scotus in 4. diſt. 13. quæſt. 1. & quolibet. 11. Antonius Andreàs lib. de 6. princip. q. 9. cenſent actionem, & paſſionem realiter diſtingui ante omnem intellectus operationem, his tenentur ſubſcribere, qui actionem etiam tranſeuntem in agente conſtituunt, & paſſionem in ſubiecto.

2 Contrariam ſententiam ſchola ferè tota amplexata: Doctorem vnum do Patrem Suarium diſp. 49. Metaphyſic. ſect. 1. plurimos alios omitto. His ſubſcribo, qui ad mentem Philoſophi: de qua in hac re dubitare fas non eſt opinantur: ſic Philoſophus cap. 3. huius libri, text. 18. *& eius, quod mouendi vim habet; mouendi quippe vim habet, quia poſſit, mouet autem eo, quod agat, ſed in id, quod moueri motu poteſt, actus eſt vnus, igitur (tene) amborum æquè eſt actus.* Præter morem ſuam mentem clariſſimè aperuit Philoſophus, quid enim clariùs illis verbis: *Vnus igitur amborum*, (hoc eſt illius, quod mouet, & illius, quod mouetur) *æquè eſt actus*, rursùſque ſententiam ſuam ſtatim explicat exemplo intercapedinis, quæ eſt inter duo extrema, quæ eadem eſt omnino realiter, etiamſi extrema diſtinguantur; nam eadem eſt via, quæ ducit Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Sententiam hanc Philoſophi auctoritate & communi ſcholæ plauſu ſtabilitam, hac vnica ratione probo. Neceſſaria non eſt duplex entitas, quarum vna ſit actio, & altera paſſio, & optimè, vtriuſque formalitas in eandem indiuiſibilem entitatem confluere poteſt, neque fundamentum eſt poſitiuum, quod hanc diſtinctionem ſuadeat: ergo non ſine magna animi leuitate diſcedet aliquis à communi ſententia, quæ actionem, & paſſionem ſine entitatum multiplicatione defendit. Conſequentia mihi ſemper eſt firma; puerile enim iudico ſingularem ſententiam defendere eo præcisè, quod nulla poſſit demonſtratione impugnari. Antecedens expendo, & probo. Paſſio illa, quæ fingitur diſtincta ab actione neceſſariò dependet à principio effectiuo, hanc enim dependentiam nihil creatum ſubterfugit: ergo ſi per ſuam entitatem, nulla alia actio diſtincta erit neceſſaria, vt effectus producatur, & dependeat ab agente, quia media illa paſſione quam dicis per ſe dependere à principio effectiuo, ab eodem terminus illius paſſionis dependebit, & efficiens denominabitur. Si dicas paſſionem dependere à principio effectiuo media actione, inquiro an actio dependeat per ſe, vel media alia entitate: ſi dicas dependere media alia entitate in infinitum procedes: ſi reſpondeas dependere per ſe, ſic arguo: Actio poteſt immediatè, & per ſe dependere ab agenti; ergo & paſſio poſſet eodem modo immediatè, & per ſe depédere; ſed data paſſione, quæ immediatè & per ſe dependeat ab agenti, non eſt neceſſaria alia diſtincta actio: ergo abſolutè neceſſaria non eſt, ſiquidem paſſio illa dari poteſt. Dices actionem poſſe immediatè, & per ſe dependere à principio actiuo, quia in illo ſubiectatur, paſſionem verò neceſſariò dependere medio alio, quia non ſubiectatur in principio actiuo, ſed in paſſo. Supponis falsè actionem ſubiectari in pincipio actiuo, quod Punct. 3. impugnabo: ſed eſto, ſic argumentor: Paſſio illa exiſtens in principio paſſiuo, quam tu dicis dependere à principio actiuo media actione exiſtente in actiuo principio, etſi mediatè ab hoc dependeat, tamen dependet immediatè, & per ſe ipſam ab actione, nulla enim alia inter actionem, & paſſionem cauſalitas fingi poteſt: ergo concedis paſſionem exiſtentem in paſſo per ſe ipſam dependentem ab actione exiſtente in alio ſubiecto, videlicet in principio effectiuo: ergo non repugnat, aliquam entitatem per ſe ipſam dependere ab alia entitate, in qua non ſit, tanquam in ſubiecto, & cum qua commune ſubiectum non habeat: ergo ex eo quod paſſio non ſubiectetur in agente non indiget dependentia ſuperaddita, vt ab illo poſſit dependere, ſed rectè per ſuammet entitatem poterit dependentiam habere.

Oſtendi iam præcipuam antecedentis partem, videlicet neceſſariam non eſſe duplicem entitatem diſtinctam, ſed in eandem rectè conſpirare formalitatem actionis, & paſſionis, alteram partem videlicet non eſſe fundamentum aliquod poſitiuum, quæ hanc diſtinctionem ſuadeat ſatis latè perſuaderem, ſi mihi oppoſitæ ſententiæ patroni ſuis argumentationibus materiam miniſtrarent, ſed vix in meam ſententiam obiectionem reperio, neque illam modò refero, quia ſi aliqua reperitor, orta eſt ex eo quod actio debeat ſubiectari in principio effectiuo, quod Punct. 3. falſum eſſe oſtendam. 3

Ne videar validioribus pepercisse rationibus ad hanc ſententiam ſtabiliendam, vel imprudens omiſiſſe alias, quibus alij Doctores vtuntur, placet nonnihil immorari in examinandis rationibus, quibus hanc ſententiam nonnulli propugnant. P. Hurtadus diſput. 26. Metaphyſic. ſect. 4. ſic argumentatur. Per eandem actionem, per quam principium efficiens efficit terminum, terminus dicitur factus: ergo actio, & paſſio realiter non diſtinguuntur. Antecedens multis probat, quia eadem actione, qua ego video Petrum, Petrus videtur à me, nam apud Latinos vox actiuo, & paſſiua tantùm terminatione differunt, & hæc eſt prima actiua notitia: *ego actione produco Petrum*, quæ paſſiua reducitur per hanc: *Petrus actione producitur à me.* Vrget paritate deſumpta ex actibus intentionalibus, qui ex eo quod terminetur ad obiectum illud conſtituunt viſum, intellectum, & amatum: ergo actio ex eo quod terminetur ad effectum conſtituit illum formaliter effectum. Porro Hurtadus eſt totus vt probet per eam actionem, per quam agens efficit terminum hunc dici effectum, quod negabit nemo; ſed vnde ſibi ſanctum putauit Hurtadus illam entitatem eſſe paſſionem, per quam terminus conſtituitur effectus. Nonne quia paſſiuè ſignificatur paſſio dicetur? Abſit à viro docto tam indecora illatio. Concedo per eamdem actionem, per quam agens producit calorem, calorem conſtitui productum, & factum, & adhuc mihi liberum eſt aſſerere illam entitatem non eſſe paſſionem; quia paſſio eſt id, per quod calor, ſeu terminus productus recipitur formaliter in ſubiecto, non verò id, per quod efficitur, 4

vt

vt videre eſt in actione creatiua, per quam Angelus conſtituitur effectus, & productus à Deo, & tamen non eſt paſſio; quia per illam Angelus non conſtituitur receptus, & ſicuti in Angelo formalitas, quæ illum factum conſtituit non illum receptum reddit, ſic ego de calore dicerem non conſtitui receptum per formam, per quam conſtituitur productus, ſed per aliam cum hac connexam, & ab illa diſtinctam, per quam in ſubiecto recipitur quæ formaliter eſt paſſio.

5 Argumentantur alij: Agens per eductionem producit calorem in ſubiecto: ergo per eductionem producit calorem receptum in ſubiecto, quia calor in ſubiecto, & calor receptus in ſubiecto idem ſunt, verbum enim in receptionem ſonat: ergo per eductionem calor eſt productus in ſubiecto, & in eodem receptus: ergo eductio formaliter eſt receptio, & paſſio. Non me premit argumentatio, reſpondeo enim: agens per eductionem producere calorem in ſubiecto, ſeu receptum in ſubiecto, quod fateor idem eſſe, dicereque duo ipſam eductionem tanquam cauſalitatem agentis, & receptionem tanquam terminum illius per quam formaliter calor recipiatur: itaque eductio eſt id, per quod formaliter producitur calor, & producitur receptio eiuſdem caloris in ſubiecto, per quam formaliter calor eſt receptus, non tamen eſt id, per quod formaliter calor recipitur. Secundùm hanc doctrinam diſtinguenpum eſt illud antecedens. Eductio caloris eſt, per quod calor formaliter producitur in ſubiecto diſtinguo; eſt id, per quod calor formaliter eſt productus, & per quod formaliter eſt in ſubiecto, nego: eſt id per quod formaliter producitur ſubſtantia caloris, & modus, quo dicitur receptus in ſubiecto, concedo: deinde conſequentiam nego. Inſtabis: actio creatiua & eductiua ex eo diſtinguuntur, quod hæc conſtituat terminum dependentem à ſubiecto, & illa illum independentem conſtituat: ergo ex vi actionis eductiuæ non ſolùm cauſaliter, ſed etiam formaliter dependet terminus à ſubiecto. Reſpondeo poſſe dici actionem creatiuam, & eductiuam differre ex eo, quod actio creatiua, neque per ſe ipſam formaliter, neque cauſaliter per alium modum, qui ex vi illius producatur, conſtituat terminum dependentem à ſubiecto & actio eductiua illum dependentem conſtituat, non formaliter per ſe ipſam, ſed per terminum, ex vi illius formaliter productum, qui calorem eductum, v.g. dependentem à ſubiecto conſtituit.

6 Arguunt alij: Paſſio eſſentialiter dependet ſaltem à Deo tanquam à principio effectiuo: ergo media illa dependet terminus illius ab eodem principio effectiuo: ergo eſt actio. Huic argumento exiſtimauit Arriaga diſp. 8. ſect. 3. num. 21. reſponderi poſſe paſſionem ſe ipſa poſſe dependere à Deo non vt viam, ſed vt terminum, & Deum habere aliam actionem, qua terminum producat. Neque inconueniens eſſe, vt quæ eſt actio reſpectu vnius cauſæ, ſit terminus reſpectu alterius, quod dicunt omnes, qui actionem creaturæ diſtinguunt ab actione Dei. Non acquieſco quia non percipio quomodo entitas, quæ eſſentialiter per ſe ipſam eſt via ad terminum, poſſit per ſuammet entitatem dependere ab aliquo principio non vt via, ſed vt terminus, non enim eſt aliud dependere actionem, ex vi cuius calor extra cauſas ponitur, vt via ad calorem ab aliquo quàm ſecundum ſe dependere, & implicat actionem hanc per ſe ipſam dependere ab hoc principio effectiuo, & ex vi illius terminum ab eodem non dependere. Ob quam rationem impugnaui aſſerentes effectum non dependere à Deo eadem actione qua dependet à creatura. Facilius reſponderem paſſionem illam dependere à principio effectiuo non immediatè per ſuam entitatem, ſed per actionem, ex vi cuius conſtituitur exiſtens ſimul cum termino, quem conſtituit dependentem, paſſio enim illa, quæ per ſe ipſam dependet à ſubiecto, per actionem ſuperadditam dependet à principio effectiuo, & dici poteſt indifferens vt ab hoc, vel illo principio effectiuo ex vi huius, vel illius cauſalitatis dependeat, licet eſſentialiter ſit affixa huic principio paſſiuo, & ideò huius cauſalitas dicitur, & non illius cauſatiui principij.

7 Rurſus argues: Actio eſt accidens: ergo recipitur in ſubiecto non enim poteſt recipi in termino, aut in principio: ergo per ſe ipſam, vel media alia actione; Si media alia actione, in infinitum proceditur; ſi per ſe ipſam: ergo eſt formaliter paſſio. Reſponderi poſſet, actionem non habere ſubiectum à quo dependeat tanquam à cauſa materiali, ſed tantum dependere à principio effectiuo à priori, & à termino, cum quo habet connexionem eſſentialem, & quia hic terminus ſecundùm hunc dicendi modum non ſolùm eſſet entitas formæ, ſed etiam paſſio per quam formaliter dependet forma à ſubiecto, quæ paſſio connexionem habet eſſentialem cum ſubiecto ſit actionem connexionem habere mediatam cum ipſo ſubiecto, non tanquam cum cauſa illius, ſed tanquam cum cauſa materiali, à qua eſſentialiter dependet modus ille efficiens formam productam, qui ſe tenet ex parte termini ipſius productionis. Neque refert actionem eſſe accidens, quia de ratione accidentis, vt in Met. Coutr. 6. punct. 1. oſtendam non eſt dependere à ſubiecto tanquam à cauſa materiali, quod indifferenter conuenit formis accidentalibus, & ſubſtantialibus materialibus, ſed eſſe propter aliud ſeu ordinari ad perfectionem aliûs adæquatè ab illo diſtincti quæ ratio poteſt conuenire accidenti nullum ſubiectum inhæſionis habenti, & de facto conuenit creationi, quam dicam eſſe accidens diſtinctum à pluribus terminis creatis, nullam cauſam materialem habentem. Quod ſi nullum accidens ab actione diſtinctum ſubiecto careat, non ideò eſt, quia de ratione accidentis eſt, ſubiectum habere, ſed quia nullum agens creatum, quod valeat producere illud per actionem creatiuam à ſubiecto independens, ſed neceſſariò illud producit per actionem eductiuam, quæ in mea ſententia formaliter eſt paſſio, vel quæ poſſet dici eſſentialiter terminari ad paſſionem. Ex his conſtat, nullum eſſe firmius fundamentum ad ſtabiliendam identitatem inter actionem, & paſſionem, quam illud, quod adhibui deſumptum ex poſſibilitate actionis identificatæ cum paſſione, & ex negatione fundamenti, quæ oppoſitam ſententiam ſuadeat quibus poſitis ſuperfluè conſtituetur duplex entitas, quarum vna ſit actio, & altera paſſio, & non ſine aliqua imprudenti audacia contra mentem expreſſam Ariſtotelis, & totius fere ſcholæ.

8 Rogabis an actio eductiua & paſſio diſtinguantur ſaltem formaliter per noſtrum intellectum. Negat Hurt. ibid. num. 29. Melius affirmat Arriag. ſuprà num. 26. Aſſentior Arriagæ, non tamen parco difficili obiectioni, quæ contra hanc ſententiam fieri poſſet. Actio eductiua formaliter vt actio eductiua eſt, vt ex Philoſopho dicebam, eſt *actus huius in hoc*, hoc eſt agentis in paſſum: ergo formaliter vt talis dicit ordinem ad principium actiuum, & ab ſubiectum, in quo eſt: paſſio eſt *actus huius ab hoc*, hoc eſt paſſiui ab actiuo: ergo dicit ordinem ad paſſum, & ad principium effectiuum: ergo tam actio, quam paſſio formaliter dicunt ordinem ad eadem extrema: ergo nullum habent diſtinctionis principium adhuc in ordine ad noſtrum intellectum. P. Soar ſuprà num. 15. vt ſe ab hac difficultate expediat aſſerit actionem, vt actionem nullum dicere reſpectum ad paſſum, neque paſſionem vt paſſionem dicere ordinem ad principium effectiuum. Additque actionem vt talem non eſſe in ſubiecto, ſed inhærere ſolùm media paſſione, quod confirmat, quia actio dicitur paſſionem inferre quaſi actiuè. Multa mihi difficilia ſunt in hoc loquendi modo, & nihil in re quod arrideat: difficilè percipitur actionem inhærere medio alio prædicato ſecum identificato, & actionem inferre paſſionem, à qua non diſtinguitur, illatio enim eſſentialiter dicit extrema realiter diſtincta, quod ſi concipiatur eiuſdem ad ſe ipſum ficta erit non realis, & in illa non conſiſtet conceptus obiectiuus actionis, aut paſſionis, qui realis debet eſſe realiter ſe tenens ex parte obiecti. Actionem eductiuam vt talem non dicere ordinem ad paſſum ſi impugno. Actio eductiua formaliter diſtinguitur à creatione per differentiam contrahentem rationem actionis communem creationi, ſed ratio per quam differunt creatio, & eductio eſt ordo ad ſubiectum, quem dicit eductio, & quo caret creatio: ergo formaliter eductio, vt eductio dicit ordinem ad ſubiectum. Hunc ordinem ipſa eductionis definitio, qua vt diſtincta à paſſione deſcribitur à Philoſopho oſtendit: iterum definitionem repeto: *Actus huius in hoc*, hoc eſt, in ſubiecto, neque poſſes dicere Ariſtotelem definiiſſe actionem materialiter ſumptam, ſubdit enim definitionem paſſionis *actus huius ab hoc* vt actionem à paſſione diſcriminaret. Paſſionem dicere ordinem ad principium actiuum oſtendit etiam Philoſophi definitio, & conceptus ipſe paſſionis, ſeu receptionis, quomodo enim poteſt concipi ſubiectum recipere formam, & non illam recipere ab aliquo; & quomodo valet apprehendi ſubiectum pati, & non pati ab

aliquo

Digitized by Google

aliquo infligente illud, quod patitur tanquam paſſionis principio, ſicuti enim dare importat principium, quod dat, ſubiectum, cui datur, & rem, quæ datur; ita recipere dicit ſubiectum, quod recipit, rem quæ recipitur, & principium, à quo ſubiectum rem accipit. Ita ipſa terminorum apprehenſio rem propalat.

9 Affirmo actionem, & paſſionem dicere ordinem ad ſubiectum, & ad principium actiuum, nihilominus formaliter diſtingui. Ita expreſsè teſtatus eſt Philoſophus text. 22. toties repetito, quem ita concludit: *Nam huius ab hoc, & huius in hoc actum eſſe ratione diuerſum eſt.* Diſtinctio ſumenda eſt ex diuerſo modo, quo actio, & paſſio vtrumque reſpicit extremum; actio dicit principium actiuum tanquam id, cuius eſt proprius actus, & paſſiuum non tanquam id, cuius ſit actus, ſed tanquam id, in quo eſt actus principij actiui, itaque tantùm actio ſubiectum tangit in obliquo tanquam aliquid requiſitum ad actum principij actiui: paſſio verò è contra ſubiectum reſpicit tanquam id, cuius eſt proprius actus & principium actiuum tanquam id, à quo procedit actus principij paſſiui, nulla habita ratione ad rationem actus, quam habet reſpectu principij actiui illamet entitas, quæ conſideratur tunc vt actus principij paſſiui. Doctrinam hanc opportunè ſatis explicuit Ariſtoteles exemplo accliuis, & decliuis, eadem enim via reſpectu eorum terminorum accliuis, & decliuis dicitur, & idem trames eſt à radice montis ad cacumen, & à cacumine ad radicem, ſi tamen à cacumine tanquam à termino à quo ad radicem tanquam ad terminum ad quem vias inſpicias, decliuem illam mediiaberis: ſi verò à radice tanquam à termino à quo ad cacumen tanquam ad terminum ad quem mente tendas, viam accliuem concipies. Sic in noſtro caſu ſi actum illum identificatum phyſicè cum actione, & paſſione conſideres tanquam actum principij actiui exercitum in paſſiuo, actionem mente inſpicis: ſi eundem conſideres tanquam actum principij paſſiui prouenientem à principio actiuo paſſionem agnoſcis, ſic ex diuerſis modis tendendi in eoſdem terminos diuerſæ inter eoſdem tendentiæ concipiuntur.

10 Idem telum, quo impetebat aſſerentes, actionem, & paſſionem realiter diſtingui, iterum ludit Hurtadus num. 29. contra diſtinguentes adhuc formaliter actionem eductiuam à paſſione. Sic arguit: idem eſt formaliter ignem calefacere lignum, & lignum calefieri ab igne: ergo actio & paſſio formaliter non diſtinguuntur. Oſtendi ſuprà hoc argumentum non oſtendere identitatem realem inter actionem, & paſſionem, non multùm modò nos premet identitatem formalem negantes. Reſpondeo ignem calefacere lignum eſſe idem, quod ignem producere calorem in ligno, qui conceptus paſſiuè ſignificatur per hunc: *calor producitur ab igne in ligno*, & vterque importat actionem, & eſt idem formaliter tantùm diuerſis verbis ſignificatus, non tamen conuertitur cum iſto: *lignum recipit calorem ab igne, ſeu calor recipitur, ſeu cauſatur à ligno*, qui conceptus ſignificant paſſionem, & non ſolùm terminatione grammatica vocis actiuæ ſeu paſſiuæ differunt, ſed etiam in ipſa habitudine extremorum.

PVNCTVM III.

De ſubiecto actionis eductiuæ.

1 RECte docuit P. Soar. diſput. 48. Metaphyſ. ſect. 4. num. 12. non eſſe de ratione communi actionis habere ſubiectum, cui inhæreat, quo actionem carere creatiuam oſtendam Controuerſ. ſequenti: Modò non inquirimus de ſubiecto actionis creatiuæ, ſed de ſubiecto, cui inhæret entitas, quæ eſt actio, & paſſio, ſiue formaliter vt actio ordinem dicat ad ſubiectum vt contendebam punct. præcedenti, ſiue tantùm formaliter vt paſſio, & non vt docet Soar. modò citatus. Triplex ſubiectum excogitari poteſt reſpectu actionis, principium effectiuum, ſubiectum termini, & ipſe terminus. Reperitur etiam duplex actio, tranſiens, & immanens: immanens dicitur, quæ remanet in eodem principio, à quo fluit, de hac leuis poteſt eſſe Controuerſia, quia ipſa vox *immanens* videtur ſignificare actionem à principio procedentem, in cuius ſinu manere ſine tranſitu ad aliud ſubiectum extraneum. Verumtamen ſi quis diceret actionem tranſeuntem recipi in termino facilè poſſet dicere actionem immanentem in eodem recipi, & differre à tranſeunte, ex eo quod actio immanens in termino recepta illum conſtituit in principio, à quo procedit actio; tranſiens verò in eodem termino recepta hunc collocat in ſubiecto diſtincto à principio effectiuo. Tranſiens actio vulgo dicitur illa, quæ recipitur in ſubiecto diſtincto à principio, verumtamen definitiones ſupradictæ rationem actionis immanentis non explicant iuxta ſententias differentes de ſubiecto actionis, ſunt enim Doctores aſſerentes actiones etiã tranſeuntes ſubiectari in principiis effectiuis; definiẽtur ergo prædictæ actiones aptè ad omnium ſententias his definitionibus, actio immanens eſt illa, *ex vi cuius formaliter terminus remanet in principio, à quo fluit*, & actio tranſiens eſt illa *ex vi cuius terminus formaliter non remanet in ſubiecto, à quo fluit.* Neque in definitione actionis tranſeuntis vtriuſque naturam per conptum poſitiuum, & negatiuum explicui, vterque enim neceſſarius non eſt, quia actio creatiua procedens à Deo non eſt in alio ſubiecto, & tamen non eſt immanens reſpectu Dei, & actio, quæ procedit ab anima, ex vi cuius terminus, & ipſa actio formaliter eſt in anima, & ſimul in materia etiamſi ſit in ſubiecto diſtincto à principio, videlicet in materia, immanens erit: ſuppono explicationis gratia; non ſufficere ad immanentiam ſubiectari in materia actionem procedentem à forma, ſed materiam ſe habere tanquam ſubiectum omnino extraneum reſpectu actionis procedentis à forma.

His adhibitis definitionibus integra manet quæſtio de ſubiecto actionis immanentis vel tranſeuntis, licet enim, qui aſſerunt actionem non poſſe conſtituere terminum in ſubiecto, in quo ipſa non ſit teneantur aſſerere, actionem immanentem ſubiectari in principio actiuo, & tranſeuntem in paſſo ab hoc diſtincto, qui tamen voluerint defendere actionem exiſtentem formaliter in hoc ſubiecto, poſſe terminum in alio collocare, ex eo, quod actio immanens ſit vel tranſiens, non tenentur illam potiùs in hoc, quàm in illo ſubiecto conſtituere. Inſurgit ex meis principiis contra has definitiones quædam difficultas, quam placet explicare, vt penitus viam aperiam quæſtioni interroganti de ſubiecto actionis. Dum in anima diſputo de immanentia actionis vitalis, affirmo, non requiri ad immanentiam formalem, receptionem paſſiuam in principio actiuo, ſed ſufficere vnionem: ergo ſi immanentia conuenit actioni ratione termini, actio immanens erit illa, ex vi cuius terminus vnitur principio: ergo omnis actio, ex vi cuius producitur forma cum vnione ad principium erit immanens, quia ex vi illius terminus manet ſubiecto vnitus. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia terminus non manet formaliter vnitus ex vi actionis producentis vnionem, ſed formaliter ex vi vnionis, & cauſaliter ex vi actionis, quia actio productiua vnionis non eſt formaliter vnio, ſed cauſalitas, per quam producitur vnio, & ad hanc immanentiam expoſcitur vt actio illa identificata cum termino; vel ſaltem quam ipſe expoſcat natura ſua, ex vi cuius talis terminus producitur, ſit formaliter vnio termini ad principium à procedit. His præmiſſis.

Dico primò, de ratione actionis non eſt ſubiectari in principio, à quo effectiuè procedit. Tradit hanc concluſionem P. Soar ſuprà contra Scotum, Caietanum, Fland. & alios. De actione procedente à cauſa prima tenentur concedere id omnes, quia aſſerunt diſtingui à Deo, qui nullum accidens ſuperadditum poteſt ſubiectari in Deo: aſſerentes actionem identificari cum aliquo intrinſeco Dei efficaciter impugnaui punct. 1. Ex cauſa prima increata ad cauſam ſecundam creatam gradum facio. Cauſa prima verè eſt cauſa, & in actu ſecundo conſtituitur cauſans, & efficiens per actionem non receptam in ipſa, ſed in extraneo ſubiecto: ergo cauſa ſecunda poterit eodem modo efficiens conſtitui, & in actu ſecundo cauſans per actionem non receptam in illa, ſed in alio ſubiecto. Dices ſpecialem eſſe rationem de cauſa prima, quia in illa non poteſt ſubiectari actio, cuius ſecunda eſt capax. Contrà: non infero ego cauſam ſecundam non recipere actionem ex eo immediatè, quod illam prima non recipiat, ſed poſſe cauſam ſecundam conſtitui actu cauſantem per actionem in ipſa non receptam, ſicut conſtituitur prima, quia ſi de ratione principij efficientis in actu ſecundo eſſet actionem recipi in principio, quod efficiens conſtituit, non poteſt actio conſtituere efficiens effectiuum illud, in quo non poſſet recipi: ergo actio, quæ non poſſet recipi in Deo, non poſſet

Deum efficientem conſtituere, atqui poteſt: ergo non eſt de ratione principij efficientis actionem in ſe habere: ergo ignis ex eo, quod calorem efficiat non in ſe calefactionem recipit. Rationem à priori pulchrè reddit P. Soar. ſuprà: agere præcisè non eſt perfectio intrinſeca agentis, neque aliquid dicit in illo, ſed tantùm dicit aliquid fluere, ſeu oriri ab illo, quod rectè intelligitur ex eo præcisè, quod operatio egrediatur à principio effectiuo, & ab illo eſſentialiter dependeat.

4 Obiiciunt aduerſarij: Actione denominari principium actiuum agens quem formalem effectum non poſſet præſtare, ſi non inhæreret principio actiuo. Secundò non poſſe eſſe in alio ſubiecto, quia illud denominaret efficiens, forma enim eſſentialiter dat effectum formalem ſubiecto, cui inhæret. Reſpondeo actionem non inhærentem principio. poſſe illud efficiens conſtituere, ſicuti viſio non inhærens obiecto, illud viſum denominat, & eadem actio in ipſorum ſententia conſtituit terminum effectum, & dependentem ab hoc principio, & illi non inhæret Ad illud, quod dicitur de effectu formali, dixi ſæpè effectum formalem nihil aliud eſſe, quam totum reſultans ex ſubiecto, & forma, quod conſtituit actio, non cum hac denominatione agentis, ſed paſſi, quia forma non ſubiicit ſubiecto, neque concreto, quod ſimul cum illa conſtituit denominationem illam, quam tribuit principio illius extrinſeco, ſic eadem entitas principio effectiuo, cui non inhæret agens denominat, & paſſiuo, cui ineſt, paſſi denominationem tribuit.

5 Dico ſecundò. Actio non ſubiectatur in termino. Probo hanc concluſionem: terminus eſſentialiter dependet ab actione tanquam ab aliquo tenente ſe ex parte principij effectiui, medio quo ab hoc recipit eſſe: ergo non poteſt intelligi prior natura ipſa actione: ergo non poteſt eſſe cauſa materialis. Si recurras ad mutuas prioritates in diuerſo genere cauſæ: iam doctrinam iſtam validis impugnationibus concuſſam inuenies, quæ ſi illas adhuc ſuſtinuiſſet, hic neceſſariò rueret. Etiamſi duplex entitas poſſit ſibi mutuo eſſe cauſa in diuerſo genere cauſæ, tamen eadem entitas non poteſt eſſe cauſa ſui ipſius: ergo nulla entitas poteſt eſſe principium cauſalitatis ſui ipſius: ergo non poteſt eſſe principium paſſiuum cauſalitatis ex vi cuius producitur. Antecedens negabit nemo; Conſequentiam probo: eſſe cauſam alicuius entitatis nihil aliud eſt, quàm eſſe principium cauſalitatis, ex vi cuius producitur, & ideò dicitur ignis cauſa efficiens huius caloris, quia eſt principium cauſalitatis, ex vi cuius calor producitur: ergo idem calor dicetur cauſa materialis, ſeu patiens ipſum calorem, ſi eſt principium paſſiuum cauſalitatis, ex vi cuius producitur calor. Dices, diſparem eſſe rationem, quia ignis diſtinguitur à calore, calor verò non diſtinguitur à ſe ipſo, & ideò ignis eſt cauſa caloris ex eo quod ſit principium ſuæ cauſalitatis, & calor non eſt principium ſuu ipſius. Contrà: Intendo ego in te probare eundem terminum eſſe cauſam ſui ipſius, & ad hoc te trahere abſurdum: ergo petis principium dum aſſeris terminum non eſſe cauſam ſui ipſius, etiamſi ſit principium ſuæ cauſalitatis. Vrgeo ſi actio productiua mei à me procederet tanquam à principio effectiuo, ego me ipſum actiuè producerem: ergo ſi eadem entitas procederet à me ipſo tanquam à principio paſſiuo, ego me ipſum paſſiuè cauſarem.

6 Difficile aliquibus viſum eſt explicare quomodo actio diſtincta à termino, & illi non inhærens illum exiſtentem conſtituat, quod difficilius reddit multorum loquutio aſſerentium actionem in genere cauſæ formalis conſtituere effectum: difficultatem propoſitam & loquutionem prædictam facilè explicabo. Duo habet actio, (vt rem explicem, loquor de actione productiua caloris, idem de quacumque alia dicturus) calorem extrahere à potentia cauſæ, & illum exiſtentem conſtituere: aliud ex calore exiſtente, & ipſa actione conſtituere complexum quoddam, quod dicitur dependens, quod pro materiali includit calorem, & pro formali dependentiam, quam habet calor. Primum illud officium exercet in genere cauſæ efficientis, & non in genere cauſæ formalis, quod ſic probo: cauſare in genere cauſæ formalis, eſt cauſare componendo, ſed actio productiua caloris non componit entitatem caloris ſecundum ſe: ergò non cauſat illam in genere cauſæ formalis. Confirmatur: effectus cauſæ formalis non diſtinguitur ſecundùm ſe totū à forma, quia forma eſt cauſa intrinſeca inadæquatè identificata cum effectu, ſed calor ſecundùm ſe totum diſtinguitur ab actione, ex vi cuius producitur: ergo non dependet ab illo in genere cauſæ formalis, ſeu tanquam à forma, ſed in genere cauſæ efficientis tanquam à cauſalitate adæquatè ab illa diſtincta: ergo rectè intelligitur cauſalitas actionis, ſeu actio vt cauſalitas ſine inhærentia actionis in termino, quia ſi ad aliquod cauſalitatis genus requiritur inhærentia tantùm eſt ad genus cauſæ formalis Secundum munus videlicet conſtituere hoc concretum *calor dependens*, ſeu *calor productus*, præſtat in genere cauſæ formalis, quia concretum hoc dicit duo, calorem & dependentiam, hanc tanquam formam, & illum veluti materiam, ex quibus coaleſcit, non tanquam compoſitum eſſentiale conſtans materia, & forma, ſtrictè ſumptis, quia actio non eſt propriè forma ſui termini, cùm neque ex illo educatur, neque vniatur illi, quia tamen illi denominationem tribuit dependentis, & verè illum dependentem conſtituit aliquo modo illius forma dicitur, ſicuti viſio dicitur forma concreti *viſum* quamuis ſubiecto, quod denominat ſit nimis extrinſeca.

Dico tertiò. Actio eductiua ſubiectatur in paſſo ſeu in ſubiecto, quod terminum ex vi illius productum recipit. 7
Id tradunt Ariſtotelis verba toties repetita: *Actus huius in hoc*: id colligitur ex concluſionibus præcedentibus à ſufficienti partium enumeratione, quia ſi actio non recipitur in principio effectiuo, neque in termino, tantùm illi reſtat ſubiectum in quo terminus recipitur. Efficacius eamdem concluſionem ſuadet identitas actionis cum paſſione; & ratio à priori quam expono, rem oſtendit. Actio eductiua conſtituit terminum dependentem à ſubiecto, & eſt id, medio quo ſubiectum recipit terminum: ergo debet ipſa recipi in eodem ſubiecto, non enim alio modo recipitur cauſalitas, ex vi cuius producitur. Confirmatur: implicat effectum dependere in genere cauſæ efficientis ab aliquo principio, quæ ab eodem principio in eodem genere non dependeat: ergo implicat dependere in genere cauſæ materialis ab aliqua cauſa media cauſalitate, quæ ab eadem cauſa in eodem genere cauſæ materialis non dependeat: ergo implicat calorem dependere à ligno tanquam à ſubiecto media paſſione identificata cum actione, quin paſſio, ſeu actio dependeat ab eodem ligno tanquam a cauſa materiali, & in illo ſubiectetur. Primum antecedens de cauſalitate principij effectiui nullus negat: conſequentia eſt optima deſumpta à paritate, quam fundat in vtraque cauſa ratio à priori, quam modò adduxi ad hanc concluſionem probandam.

PVNCTVM IV.

An actio primò productiua, & conſeruatiua ſit eadem numero?

NOnnulli apud Patrem Leſſium de perf. ctionibus diuinis lib. 10. cap. 4. quos ipſe non expreſſo nomine refert, ſenſère creaturas minori concurſu indigere vt conſeruentur, quam vt primò producantur, qui in ipſa entitate virtutem, quandam confingebant, qua ſe ipſas conſeruent cum ſolo concurſu generali cauſæ primæ, ſicuti cum eodem concurſu entitates alias eiuſdem rationis producunt. Contra hunc dicendi modum, doctè & eruditè agit Leſſius ſuprà: eumdem efficaciter impugnat Arriaga diſp. 9. ſect. 9. Ego tamen in illo refellendo non immoror, quia nihil in illo, neque impugnatione dignum inuenio, & illius falſitas ex dicendis pro communi ſententia clarè conſtabit, & per ſe omni probabilitate alienum apparet rem creatam habere virtutem aliquam conſeruandi ſe, neque in bonum ſenſum explicari poteſt hanc virtutem reduci ad actum concurſu generali cauſæ primæ. Quia ſi hoc ſignificet conſeruationem eſſe actionem prouenientem phyſicè ab entitate conſeruata & à Deo tanquam à cauſa prima omni probabilitate caret, quia dici nequit entitatem, eſſe principium actionis terminatæ ad ſe ipſam. Eadem enim eſt difficultas de actione conſeruatiua, & de prima productiua, ad vtramque enim debet ſupponi exiſtens principium, à quo fluit antequam intelligatur actio procedens ab illo quod fieri non poteſt, quia omne ens creatum principium habet à quo procedit in illo inſtanti, in quo exiſtit, ſiue in primo, in quo produci dicitur, ſiue in ſecundo, in quo conſeruatur. Si dicant concurſum 1

Digitized by Google

curſum illum generalem cauſæ primæ eſſe actionem prouenientem tantùm à Deo, illa actio non erit concurſus ille generalis, quem Deus exhibuit cum cauſa ſecunda ad primam rei productionem, quia concurſus, quem tunc Deus exhibvit per ſe ipſum dependebat à cauſa prima, & à cauſa ſecunda, & implicat (cauſa ſecunda amota) illum permanere. De his ſatis, pergo ad alia.

2 Statui Controu. 10. punct. 1. omnes effectus dependere in conſeruari à Deo, procedit modò difficultas an dependeant in conſeruari per eandem actionem, per quam in primo inſtanti ſuæ productionis fuerunt primò producti. Sunt aliqui effectus, quos dicimus dependere in conſeruari à cauſis ſecundis, quia illis ablatis illico deficit effectus, tales ſunt ſpecies impreſſæ, quas mittunt obiecta potentiæ viſiuæ, lux à Sole producta: Alij ſunt effectus, qui dicuntur non dependere à cauſis ſecundis in conſeruari, quia etiamſi cauſæ ſecundæ de medio tollantur adhuc effectus ſubſiſtentes perſeuerant. De omnibus quid dicendum ſit breuiter aperiam.

3 Dicendum eſt contra Henrr. Aur. & Greg. apud Soar in Met. diſp. 21. ſect. 1. cum eodem P. Soar. ibid. Vaſquez 1. part. diſp. 72. num. 1. Molin. 1. p. q. 10. art. 5. diſp. 1. Hurtad. diſp. 1. de generat. ſect. 6. num. 37. Arriag. diſp. 9. ſect. 6. ſubſect. 3. num. 88. & aliis plurimis apud eundem Soar actionem conſeruatiuam eſſe eandem numero cum primò productiua, quotieſcumque cauſa producens & conſeruans eſt eadem. Probo hanc concluſionem: actio, ex vi cuius producitur hæc entitas in primo inſtanti, quo incipit exiſtere, poteſt in ſecundo inſtanti permanere: ergo neceſſum non eſt actiones ſine fundamento multiplicari. Antecedens probo. Idem eſt principium ex parte actus primi (in hac enim ſuppoſitione procedit quæſtio) idem terminus, & reliquæ omnes conditiones requiſitæ ex parte cauſæ: ergo poterit eſſe & neceſſariò erit eadem actio, quia omnibus ex parte actus primi eodem modo ſe habentibus nihil prohibet actum ſecundum omnino eſſe eumdem. Confirmatur: actio conſeruatiua, etſi fingatur omnino diſtincta à primò productiua non ſolùm exiſtit in inſtanti immediato primæ productionis, in quo incipit eſſe, ſed etiam in vlterioribus: ergo eodem modo poteſt perſeuerare actio, ex vi cuius effectus exiſtit in primo inſtanti, in quo exiſtere incipit. Hæc concluſio ex poſtea tradenda n. 5. clarius conſtabit.

4 Dicendum eſt ſecundò, ablata cauſâ ſecunda adæquata, vel inadæquata effectum non poſſe conſeruari ex vi actionis, qua primò fuit productus: Probo facilè: actio qua fuit primò effectus productus dependebat per ſe & eſſentialiter à cauſa prima, & cauſa ſecunda: ergo implicat exiſtere illam actionem ſine cauſa prima ſecunda: ergo quacumque ablata neceſſariò deficit illa actio. Rem declaro: Ablato igne producente in hoc inſtanti calorem aufertur id, à quo dependet actio procedens ab igne: ergo aufertur actio, ex vi cuius procedebat calor ab igne, ſed actio, ex vi cuius procedebat calor ab igne, & ex vi cuius procedebat à Deo, erat eademmet indiuiſibilis cum actione, ex vi cuius procedebat ab igne vt probaui Contr. 10. ergo deficiente actione, ex vi cuius procedebat calor ab igne deficit actio ex vi cuius procedebat à Deo.

5 Dicendum eſt tertiò, cauſam conſeruantem in hoc ſecundo inſtanti effectum ab illa productum illum conſeruare ex vi eiuſdem actionis, qua eademmet cauſa eundem effectum produceret, ſi illum primò produxiſſet, & non poſſe minori influxu illum conſeruare, quàm eſſet ille, quo eundem primò produceret. Probo hanc concluſionem: effectum præceſſiſſe in inſtanti antecedenti, vel non præceſſiſſe phyſicè, in hoc inſtanti nihil poteſt influere, quia in ordine phyſico id, quod præceſſit perinde eſt ac, ſi nunquam fuiſſet: ergo idem influxus requiritur ex parte cauſæ ad effectum exiſtentem in hoc inſtanti, ſiue præceſſerit in inſtanti antecedenti, ſiue non præceſſerit: ergo idem influxus, qui modo dicitur conſeruatio, quia entitas in inſtanti antecedenti exiſtit, eſſet prima productio, ſi in inſtanti præcedenti idem effectus non extitiſſet. Confirmatur: dependentia oritur ex entitate effectus intrinſecè limitata, & indigente principio à quo habeat eſſe: ſed idem eſt effectus cum eadem limitatione in hoc inſtanti ſiue præceſſerit in inſtanti antecedenti, ſiue non præceſſerit: ergo eandem habet dependentiam influxus in vtroque inſtanti: ergo in vtroque erit illi neceſſarius influxus æquè validus, vt ex vi illius ſubſiſtere poſſit. Dixi æqualem influxum requiri ad producendum, & ad conſeruandum effectum, quod de influxu in actu ſecundo abſolutè abſque vlla limitatione intellige, de virtute verò in actu primo intelligendum eſt non abſolutè; ſed per ſe loquendo. Rationem prius huius poſterioris partis accipe. In inſtanti, in quo qualitas habens contrarium: verbi gratia, frigiditas in ſubiecto conſeruatur, conſeruatio fit abſque vlla reſiſtentia formali, nihil enim exiſtit in ſubiecto, in quo conſeruatur frigiditas, aut immediatè extiterit, ratione cuius qualitas illa contra reſiſtentiam formalem conſeruatur, quando verò primò producitur, & expellitur calor, productio illa eſt contra reſiſtentiam formalem caloris expulſi, qui immediatè extitit in inſtanti antecedenti, & in illo reſiſtit ne nunc introduceretur frigiditas, cuius reſiſtentia vincitur in inſtantia, in quo frigiditas producitur, & ita maior virtus, ſeu conatus ex parte actus primi requiritur ad eundem effectum ex vi eiuſdem actionis producendum ratione contrarij reſiſtentis, quam ad illum conſeruandum, quod ſi nullus calor expellendus præceſſiſſet ex parte ſubiecti, non maior virtus eſſet requiſita ad frigiditatem producendam quam ad illam conſeruandam. Hæc de virtute in actu primo, nunc de influxu in actu ſecundo. Influxus in actu ſecundo, ſeu actio ſiue abſit, ſiue adſit contraria forma, eiuſdem omnino rationis requiritur ad producendum, quam conſeruandum, ſicuti omnino eadem eſt actio, ex vi cuius producitur frigiditas, reſiſtente calore, & illo non reſiſtente. Ratio eſt, quia effectus producendus intrinſecè ſemper eſt idem ſiue abſit, ſiue adſit forma intrinſeca, & entitas actionis tantum reſpicit entitatem intrinſecam effectus ad quam primariò terminatur, & quælibet actio productiua octaui gradus frigiditatis æquè expellet primum caloris, ſi detur exiſtens, ad hoc autem vt detur, non requiritur ex parte actionis virtus aliqua operatiua, ſed tantùm pura illius non repugnantia, quâ poſitâ illam efficientis virtus exerceat, cui incumbit proprio conatu vincere qualitatem contrariam ponendo in rerum natura actionem, ex vi cuius producitur frigiditas, in qua non reſiſtentia: ſed victoria, ſeu effectus reſiſtentiæ conſiſtit. De hoc latè in Generatione Contr. 5. de reſiſtentia.

Dixi permanere eandem actionem quotieſcumque eſt eadem cauſa conſeruans & producens. Dicendum eſt modò quando ſit eadem cauſa, quæ conſeruat, & quæ producit: eandem eſſe cauſam conſeruantem, & producentem effectus, quos dicimus dependere in conſeruari à ſuis cauſis, ſicuti dependet lux à Sole & ſpecies impreſſa ab obiecto: conſentiunt omnes, & experientia ipſa demonſtrat, quia cum primò remouetur cauſa primò producens lucem, corrumpitur lux: ergo exiſtentia lucis etiam in conſeruari dependebat à cauſa primò producente, aliàs hac ſemota lux eadem conſeruaretur. In aſſignanda ratione, cur aliqui effectus dependeant in conſeruari à cauſa prima producente, & non alij, multus eſt Soar. ſuprà n. 11. apud quem nihil inuenio, quod rem, adæquatè explicet, & ita de qualitatibus ab actionibus diſtinctis nullam aliam rationem exiſtimo poſſe aſſignari præter experientiam, qua videmus aliquas entitates vt primum remouetur cauſa illarum productiua ſtatim perire. Bene tamen notat Soar. nullam ſubſtantiã huiuſmodi dependentiam in conſeruari habere à cauſa primò producente, neque qualitatem aliquam diſpoſitiuã ad formam, quod experientia monſtrat. Verumtamen ex qualitatibus, quæ ad formam non diſponunt inuenio lucem dependentem in conſeruari à ſua cauſa, & impulſum non dependentem, ſpecies impreſſas potentiæ viſiuæ dependentes in conſeruari ab obiecto, & ſpecies impreſſas intellectus productus ab actibus, qui modò non ſunt, quæ in conſeruari ab illis non dependent, inter quas qualitates nulla poterit diſparitatis ratio à priori reddi, ſed neceſſariò concurrendũ eſt ab intrinſecam illarum naturam nobis experientia notam. Docet etiam Soar. nullum effectum dependere in conſeruari à cauſa vniuoca, quod ſine exminare, non eſt omnino admittendum: dicam quid ſentio. Dependentia, quam in conſeruari habet effectus à cauſa ſecunda proximè vel remotè tendentem reducenda eſt ad cauſam æquiuocam, & nunquam poteſt eſſe determinata à cauſa vniuoca, quam neceſſariò exigat, ſed ſaltem debet eſſe exigentia effectus reſpectu cauſæ ſecundæ conſeruantis, vniuocæ, vel æquiuocæ ſub diſiunctione. Vtrumque clarè probo. Do lucem dependentem in conſeruari ab alia luce vniuoca, lux illa vniuoca conſeruans eo ipſo quod eſt vniuoca cum effectu debet

habere eadem prædicata eſſentialia, quæ habet effectus, ſed effectus dependet in conſeruari à cauſa creata: ergo & lux conſeruans: de hac ego luce conſeruante inquiro, an conſeruetur à cauſa vniuoca, vel æquiuoca: ſi ab æquiuoca habeo intentum, ſi ab vniuoca, hæc etiam dependebit ab alia cauſa ſecunda in conſeruari, & ſic in infinitum abibimus, ſi aliquam cauſam æquiuocam non aſſignemus: ergo vltimò veniendum eſt ad cauſam æquiuocam. Secunda pars concluſionis ex prima legitimè infertur: effectus ille immediatè conſeruatus à cauſa æquiuoca naturaliter conſeruatur ab alia: ergo non petit neceſſariò conſeruari à cauſa vniuoca, ſed maximum, quod poteſt exigere eſt conſeruari à cauſa vniuoca vel æquiuoca, effectus ille conſeruatus à cauſa æquiuoca, & conſeruans alium vniuocum eſt eiuſdem rationis cum hoc vniuoco, quem conſeruat: ergo effectus iſte conſeruatus à cauſa vniuoca habet eamdem naturam cum cauſa, ſed cauſa non petit determinatè conſeruari à cauſa vniuoca, ſed de facto conſeruatur ab æquiuoca: ergo neque hic effectus neceſſariò exigit conſeruari à cauſa vniuoca, ſed ſaltem poteſt conſeruari ab æquiuoca, etiamſi ab vniuoca æquè primò conſeruetur.

7 Reſtat modo inquirere an effectus, qui dependet in conſeruari à cauſa ſecunda neceſſariò immediatè conſeruationem exigat à cauſa æquiuoca, ita vt non poſſit immediatè adæquatè conſeruari à cauſa ſecunda. Sentio quæſtionem hanc certo definiri non poſſe, quia experientia, quæ harum rerum magiſtra eſt, nihil nos poteſt in hac re docere, quotieſcumque enim exiſtit lux, non ſolùm eſt applicata lux alia, à qua poſſit conſeruari, ſed etiam luminoſum conſeruans lucem aliam, media qua applicatur toti luci exiſtenti, & illam de facto conſeruat: ergo non poſſumus experientia doceri, an hæc lux ſufficienter poſſet conſeruari ab alia luce, ſi luminoſum præcipuum neutiquam ad illius conſeruationem conduceret. Nihilominus probabilius eſſe cenſeo qualitates dependentes in conſeruari à cauſis ſecundis ex ſua natura non exigere immediatam conſeruationem à cauſa æquiuoca, ſed ex ſe poſſe conſeruari adæquatè ab vniuoca, & ita de facto conſeruandam ſi poſſet vniuoca ſine æquiuoca applicari. Pono caſum, qui rem explicet. Affirmo caſu, quo Deus corrumperet luminoſum, & conſeruaret miraculosè ſex gradus lucis in hac parte aëris, hos naturaliter producturos, & conſeruaturos in parte immediata aëris gradus alios lucis, qui à cauſa vniuoca naturaliter conſeruarentur. Idem dico caſu, quo luminoſum conſeruaret lucem ſibi propinquam, & Deus illi concurſum ſubtraheret, vt remotiorem conſeruaret, quæ adæquatè conſeruaretur à luce conſeruata à luminoſo. Moueor ad hanc concluſionem, quia cum lux virtutem habeat producendi & conſeruandi lucem aliam, & lux producenda, & conſeruanda non ſit illa perfectior, ſed eſſentialiter æquè perfecta, & intenſiuè remiſſior, fundamentum non eſt ad aſſerendum virtutem lucis ex ſe ſufficientem non eſſe ad lucem aliam producendam, & dum videtur intenſiſſimam lucem à Deo miraculosè productam, neque minimum gradum lucis poſſe produci cum generali concurſu Dei, quem ſi poteſt producere, potiori iure conſeruare poterit. Fortiorem aliam rationem non inuenio, quam libenter à quocumque diſcerem.

8 De effectibus, quos dicimus non dependere in conſeruari à ſuis cauſis, ſicuti calor, frigiditas & aliæ huiuſmodi qualitates procedit dubium, an ab illis conſeruentur, dum cauſa, quæ illos produxit applicata perſeuerat, vel an tantùm dependeant à cauſa primò producente in primo inſtanti, in quo exiſtere incipiunt, & in ſecundo dependeant tantùm à Deo, etiamſi permaneat cauſa producens cum eadem applicatione, quam habuit in primo inſtanti. Parum philoſophicè exiſtimo, ſentire, qui dicunt hos effectus tantùm dependere à cauſis in primo inſtanti, in quo producuntur etiamſi hæ in ſecundo eandem applicationem habeant, contra quos pro oppoſita ſententia ſic argumentor. Si cauſa, verbi gratia, ignis ligno applicatus, in inſtanti præcedenti non produxiſſet calorem, illum produceret in hoc inſtanti, & actio terminata ad calorem in hoc inſtanti ab igne dimanaret: ergo eadem actio dimanat ab illo in hoc inſtanti, etiamſi in antecedenti calorem produxerit, quia id, quod in inſtanti præcedenti fuit, & modo iam non eſt reſpectu huius inſtantis perinde ſe habet ac ſi nunquam fuiſſet. Confirmatur: in ſecundo inſtanti eſt eadem virtus ex parte principij effectiui, & paſſiui, & eadem capacitas ex parte termini: ergo in primo inſtanti ac in ſecundo erit eadem actio: ergo erit in hoc inſtanti actio ab hoc igne, quæ in præcedenti fuit ab eodem principio: ergo idem ignis, qui antea calorem produxit, modo eumdem conſeruat. Dices virtutem ignis eſſe ad producendum, & non conſeruandum calorem. Contra: calor primò productus, & conſeruatus intrinſecè, & ſecundùm ſuam entitatem omnino eſt idem: ſed virtus productiua, quam habet ignis tantùm reſpicit entitatem intrinſecam caloris: ergo eadem eſt, & omnino eodem modo reſpicit effectum primò productum, & poſtea conſeruatum. Idem argumentum fit de actione. Productio & conſeruatio intrinſecè non differunt, ſed ex eo quod modo incipiat eſſe terminus, quem recipit dicitur productio, & ex eo quod terminus immediatè antea præceſſerit, etiamſi actio modo incipiat dicitur conſeruatio: ergo eadem eſt virtus reſpectu productionis, & conſeruationis: ergo principium, à quo poteſt fluere productio poteſt eſſe principium conſeruationis. Ex eo enim quod terminus immediatè præceſſerit non poteſt principium actiuum fieri impotens, vt modò incipiat exercere actionem terminatam ad eum terminum quam exerceret ſi terminus immediatè antea non præceſſiſſet.

Ex hoc infero ignem non tantùm conſeruare calorem, 9
quem primò produxit, ſed etiam calorem productum ab alio igne quem ipſe poſſet primò producere etiamſi præſens ſit ignis, alius qui talem calorem primò produxit, quia ſi duplex ille ignis ſimul applicaretur ligno vterque per modum vnius principij adæquati calorē illum produceret, & ab vtroque procederet eandem indiuidualis actio terminata ad calorem: ergo cum modo vterque ignis applicetur, eadem actio ab vtroque procedet, quæ procederet ſi primò applicarentur, alterum enim fuiſſe tempore antecedenti applicatum reſpectu huius inſtantis perinde eſt, ac ſi nunquam fuiſſet. Potiori ratione ignis incipiet conſeruare calorem, quem inuenit productum à Deo, quia Deus tantùm conſeruat in defectum cauſæ ſecundæ, & ideò cauſa ſecunda adueniente hæc effectum conſeruabit, & non Deus. Secundò; quia ignis intendens à ſe mittere actionem terminatam ad calorem ex ſe non magis petit actionem, quæ modo ab illo incipit exire, terminari ad calorem qui modo, incipiat quàm ad calorem, qui immediatè fuit: ergo ex ſe non magis petit calorem producere quam conſeruare, & aliàs calor ille præexiſtens petit conſeruari: ergo determinabit ignem ex ſe indifferentem ad conſeruandum, & ad producendum, & ad hos, vel illos gradus producendos, vt potius actionem exerceat circa illos, qui iam exiſtunt, & conſeruatione indigent, quam circa alios, qui nunquam fuerunt producti, & exigere non poſſunt ſuam productionem, eo modo, quo iſti ſuam conſeruationem expoſcunt. Neque contra hoc eſt quod tradidi Controu. 7. p. 7. n. 10. videlicet Deum non determinare principium effectiuum ad nouam actionem effectus iam producti, quia hoc intelligendum eſt reſpectu actionum quæ ſimul exiſterent, non verò reſpectu illarum, quarum vna, altera adueniente periret.

Obiic. Si applicentur duo calida vt quatuor, calor vt 10
quatuor exiſtens in hoc ſubiecto poſſet producere tres gradus caloris exiſtentes in alio ſubiecto: ergo illos conſeruabit. Rurſus alij quatuor gradus exiſtentes in alio ſubiecto poſſent etiam producere tres gradus exiſtentes in iſto: ergo illos conſeruabit: ergo gradus caloris exiſtentes in duplici ſubiecto mutuo conſeruabuntur. Reſpondeo quatuor gradus caloris exiſtentes in hoc ſubiecto potuiſſe producere gradus exiſtentes in alio, ſi ſupponeretur exiſtens, independenter ab illis: quod ſi non ita ſupponeretur, ſed dependens illos producere non poſſet, & ita poſſe illos conſeruare ſi ſupponatur cum independentia, ſecus ſi dependens ab illis ſupponatur. Caſu autem, quo calidum hoc conſeruaret tres gradus caloris exiſtentes in alio, illi tres gradus caloris in illo inſtanti, in quo conſeruarentur non ſupponerentur independentes à quatuor gradibus exiſtentibus in hoc ſubiecto, ſed cum dependentia ab illis, ac proinde non poſſent tres illi gradus caloris conſeruari ab hoc calido vt quatuor conſeruare aliquem gradum caloris exiſtentem in hoc ſubiecto. Ecce quomodo non mutuò conſeruarentur gradus exiſtentes in duplici ſubiecto. Sed adhuc reſtat difficultas cuius ſubiecti gradus conſeruarent gradus exiſtentes in alio, cum antecedenter æque benè poſſint quatuor gradus exiſtentes in hoc ſubiecto conſeruare tres gradus ex quatuor, quos habet aliud ſubiectum

Digitized by Google

iectum, & quatuor exiſtentes in alio ſubiecto conſeruare tres ex quatuor, qui ſunt in iſto. Si gradus inæqualiter intenſi conſtituerentur, facilè dicerem remiſſiores conſeruandos eſſe ab intenſioribus: caſu tamen, quo æquè intenſi, & eiuſdem virtutis ſupponantur, exiſtimo in actu primo hos gradus intendere conſeruare exiſtentes in alio ſubiecto, & eoſdem intendi conſeruari ab aliis, quæ duo coniungi non poſſunt, quia non poteſt dari mutua cauſalitas, ac proinde cum exigentiæ in actu primo æquales ſint Deus determinabit potius hos quàm illos vt alios conſeruent, vel ſi non determinet, cum æquum ſit vtriuſque partis ius, neque iſta cedet, neque vincetur illa, & ita mutuo impedientur hæc duo calida, ita vt neutrum alterum conſeruet.

11 Nota in opinione P. Lugo aſſerentis actionem non diſtingui à duratione quem referam Contr. 16. non poſſe dici eandem numero actionem poſſe dici modò primam productionem, & poſtea conſeruationem, quia ſecundùm hanc ſententiam non poteſt actio exiſtere in duplici inſtãti, non tamen infertur ex hac ſententia conſeruationem, & primam productionem intrinſecè diſtingui, quia iuxta principia huius Auctoris rectè dicetur eandem actionem, quæ in hoc inſtanti prima productio dicitur, potuiſſe dici conſeruationem, ſi immediatè antea non præceſſiſſet alia actio terminata ad eundem terminum, & ſimiliter rectè dicetur, actionem, quæ in hoc inſtanti conſeruatio dicitur potuiſſe antecedenter in eodem inſtanti dici primam productionem, ex eo præcisè quod non præceſſiſſet alia actio eundem terminum reſpiciens.

12 Nota ſimiliter productionem, & conſeruationem non diſtingui ex eo quod modo incipiat actio, ſed ex eo, quod incipiat terminus, quem reſpicit actio, quia poſtquam ignis produxit calorem in hoc inſtanti, etiamſi incipiat in ſequenti alia actio Dei terminata ad eundem ignem, conſeruatio dicetur & non prima productio: requiritur ergo ad rationem productionis vt diſtinctæ à conſeruatione terminum incipere, & conſequenter incipere actionem, quia non poteſt modo incipere terminus, ſi actio immediatè antea præceſſiſſet, cum in illo inſtanti potuerit eſſe actio ſine termino. Ad rationem conſeruationis vt diſtinctæ à prima productione ſufficit terminum præceſſiſſe, etiamſi incipiat actio: quod ſi actio præceſſit, neceſſariò cum illa præceſſit terminus, & ita non poterit non eſſe termini conſeruatio vt diſtincta à prima productione.

13 Obiicies non diſtingui effectus, qui dependent in conſeruari à ſuis cauſis, ab illis, qui dicuntur hanc dependentiam non habere, cum omnes à ſuis cauſis conſeruentur, dum hæ ſunt applicatæ, & omnes poſſint conſeruari à cauſa prima deficientibus cauſis ſecundis. Reſpondeo maximam intercedere inter vtroſque differentiam: quia effectus quid dicuntur dependere ab illis, ita dependent, vt cauſis deficientibus, etiamſi Deus poſſit illos miraculosè conſeruare, naturaliter tamen non conſeruantur à Deo, quia illi non expoſcunt conſeruationem illam, quam Deus poteſt illis præſtare, propriis cauſis abſentibus, effectus verò, qui dicuntur non dependere in conſeruari à ſuis cauſis etiamſi de facto ab illis conſeruentur, dum ſunt applicatæ, ita conſeruantur vt his cauſis deficientibus, non ſolùm potuerint ſupernaturaliter conſeruari à Deo, ſed ipſi hanc exigunt conſeruationem; quam Deus præſtare tenetur ſi velit attendere ad exigentiam ipſorum & iuxta illa munus Auctoris naturæ adimplere.

PVNCTVM V.

De reproductione.

1 EX eiſdem principiis quibus naturam conſeruationis explicuimus poſſibilitas reproductionis examinanda eſt. Doctores diſputant an poſſit naturaliter an ſupernaturaliter dari reproductio. Procedit difficultas de reproductione permanentium & ſpecialiter de reproductione ſucceſſiuorum, dicam de omnibus. Circa reproductionis quidditatem inter Doctores nullam inuenio diſſenſionem: definiri poteſt: *Actio terminata ad effectum, qui tempore mediato extitit.* Cæterum dupliciter poteſt contingere reproductio effectus eiuſdem. Primò per actiones diſtinctas terminatas ad eundem effectum: ſecundò per repetitionem eiuſdem actionis, quæ tempore mediata præceſſit, vtrumque reproductionis modum explicabo. 2

Qui ſentiunt accidentia indiuiduari à ſubiecto repugnanter defendunt adhuc ſucceſſiuè non poſſe duo accidentia eiuſdem ſpeciei in eodem recipi ſubiecto. Ex quo inferunt ſemper reproduci in eodem ſubiecto idem numero accidens, quod antea perierat. Huius doctrinæ fundamentum omnino à veritate eſt alienum, indiuiduatio enim cuiuſvis entitatis formaliter, & intrinſecè ab ipſa deſumitur, extrinſecè verò, & cauſaliter non poteſt in accidentibus à materia deſumi, eadem enim indifferens eſt ad recipienda accidentia non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie differentia. Ex diuerſo principio eandem doctrinam de reproductione Scotus eſt amplexus apud P. Soar. diſput. 5. Metaphyſ. ſect. 9. num. 1. aſſerit enim eaſdem cauſas eodem modo applicatas ſemper eundem producere effectum. Ex quo infert idem accidens toties reproducendum, quoties eædem cauſæ, à quibus primò fuit productum eodem modo applicentur. Ratio hæc facilem ſolutionem habet in cuiuſvis ſententiæ doctrina, qui enim aſſerunt cauſam determinari ad indiuiduationem à circunſtantiis; dicent his variatis eandem cauſam diuerſum producere effectum, & cum circunſtantia temporis diuerſa ſit, effectus diuerſus neceſſariò contingit. Qui tenent Deum determinare cauſas ad hoc indiuiduum potius quàm ad illud producendum, dicent ratione diuerſæ determinationis eandem cauſam diuerſum producere effectum, eadem enim cauſa diuerſo modo determinata diuerſum effectum producit, eundem productura, ſi eodem modo determinaretur. Durand. Marſ. & alij apud P. Soar. tom. 2. part. 3. diſp. 44. ſect. 1. tenent non poſſe idem accidens iterum reproduci adhuc de potentia Dei abſoluta, quia eadem non poteſt iterum repeti, & vbi intercedit noua actio, nouum etiam terminum intercedere oportet. Sententia hæc non benè audit apud omnes & omni fundamento eſt deſtituta, falſum enim eſt non poſſe diuina intercedente potentia eandem repeti actionem, quod etſi verum eſſet, non probaret, quia idem terminus plures actiones poteſt terminare vt patet in effectibus, qui producuntur à cauſis ſecundis, & conſeruantur tantùm à Deo, quod fieri nequit niſi per diuerſas actiones, quarum vna ſit productio dependens à Deo, & à creatura, & alia ſit conſeruatio dependens tantùm à Deo, quia actio, quæ modò dependet ab his principiis, per ſe ipſam dependet, & non poteſt eademmet in aliquo tempore exiſtens ab illorum aliquo non dependere.

Qui dicebant cauſas determinari quoad indiuiduationem effectus dicunt naturaliter non poſſe reproduci hunc 3 effectum, quia temporis diuerſitas ad diuerſos effectus producendos determinat. Impugnaui Controuerſia 10. adſcribentes extrinſecis circunſtantiis effectuum indiuiduationes, quo fundamento euerſo, alia in hac re quærenda via eſt. Sed adhuc illo ſtante neutiquam hanc tutam eſſe cenſeo. Do circunſtantias determinare effectuum indiuiduationem, ex quo infertur in hoc tempore non poſſe produci effectum huius ſpeciei ab iſto numero diſtinctum, non tamen infertur hunc numero non poſſe in hoc vel in illo tempore produci, quia etiamſi effectus ex ſe indifferentiam habeat, vt in diuerſis temporibus poſſit produci, dum tempus idem indifferens non ſit, vt in illo diuerſi effectus producantur optimè indiuiduatio effectuum his circunſtantiis abſcribitur. Deinde effectum hanc habere indifferentiam ſic probo. Hic effectus productus in hoc inſtanti (loquor de permanentibus) conſeruatur per integram horam ab eadem cauſa ex vi eiuſdem actionis: ergo actio, quæ modò incipit exiſtit in fine horæ: ergo in hoc vltimo inſtanti (transeo ad finem horæ) poſſet exiſtere, etiamſi in præcedentibus non extitiſſet. Probo conſequentiam: actioni ſecundum ſe non repugnat exiſtentia in hoc inſtanti, quia ſupponimus illam habere, & habuiſſe in præcedentibus, præceſſiſſe, vel non præceſſiſſe nihil poteſt phyſicè conducere ad exiſtentiam actionis in hoc inſtanti vltimo horæ: ergo ſicuti exiſtit in hoc inſtanti, quando in antecedentibus præceſſit, poſſet in eodem exiſtere, etiamſi in nullo præceſſiſſet: ergo ſicuti incipit in primo inſtanti horæ cuius modo eſt vltimum terminatiuum inſtans, potuit incipere in hoc inſtanti: ergo ratione temporis indifferens eſt vt incipiat eſſe in hoc vel in illo inſtanti: ergo ex hoc capite adhuc in ordine ad cauſas naturales non eſt repugnantia in reproductione eiuſdem effectus,

ſiue per repetitionem termini ex vi diuerſarum actionum, ſiue per repetitionem eiuſdem actionis. Mente repete, quæ dixi Puncto præcedenti de identitate productionis, & conſeruationis, & ex differentia conſeruationis ad diuerſa tempora eamdem indifferentiam productionis ad eadem tempora inferto.

4 Conimbr. PP. aſſerunt lib. 2. cap. 11. quæſt. 1. cauſam non poſſe producere effectum poſtquam ſemel illum produxit, quia manet veluti effœta, & exhauſta ex priori productione, & ita non poſſe iterum eumdem edere fœtum. Nec bene, nec ſufficienter: non bene, quia virtus productiua non minuitur per actiones ab illa procedétes, ſed eadē omnino intrinſecè manet, & ita cum eadem fœcunditate ad effectum producendum, quia fœcunditas cauſæ ab illius virtute non diſtinguitur: ſecundò etſi virtus exhauriretur exercitio ſuarum operationum, non minùs, imò magis exhauriretur, ſi conſeruaret effectum per duas horas continuas, quam ſi initio illarum effectum produxiſſet, & actione interrupta, iterum in fine illarum eumdem produceret, quia cum non requiratur maior virtus ad producendum, quàm ad conſeruandum, magis virtutis impenditur in conſeruatione effectus per duas horas, quam in conſeruatione repetita, quæ ſimul cum conſeruatione tantum durat per vnam horam diuiſam. Sufficiens ad rem ſolutio non eſſet, etiamſi veram contineret doctrinam, quia cum idem numero effectus poſſit diuiſim à duplici cauſa produci, ex eo quod hæc cauſa, quæ illum produxit effœta, maneret ad illum corruptum reproducendum non infertur non poſſe eumdem effectum ab alia cauſa produci.

5 Neque audiendus eſt modus, quem refert Suar. dicentium cauſas creatas natura ſua eſſe determinatas, vt creato ordine effectus producant, ratione cuius non poſſunt iterum ad effectum, qui iam pertranſit redire; inſtat enim immediatè venturus, vt effectuum proceſſio rectè ordinetur. Omni fundamento deſtituta eſt effectuum proceſſio, & gratis ficta quam ſic diſpergo: Conſeruat cauſa hunc effectum per integram horam non obſtante hoc effectuum ordine: ergo poteſt per eamdem horam cum aliqua interruptione conſeruare, ſicuti enim effectus proximè venturus horam integram expectat, vt per illam conſeruetur effectus præcedens, cur non per eamdem expectabit vt producatur, & reproducatur idem effectus? Secundò, vt ſæpe dixi, prætериſſe, vel non prætериſſe effectum, nihil refert ad illud, quod modò futurum eſt: ergo ex eo præcisè, quod hic vel ille effectus præceſſerit, nullum ius acquirit effectus aliquis ex poſſibilibus, vt potius ille ſuccedat, quam vt iam præteritus reproducatur. Vltimò, ſi talis daretur ordo, adhuc alia eſſet reddenda ratio propter quam effectus, qui ab hac cauſa ordine debito fuit productus, & iam eſt corruptus non poſſit idem ab alia cauſa ordine ſeruato inter alios effectus, quos hæc cauſa producere poteſt, iterum produci.

6 Sentio ex parte cauſarum nullam rationem reperiri poſſe, propter quam idem agens eidem paſſo applicatum non poſſit eundem effectum permanentem ex vi eiuſdem, ſiue diuerſæ actionis iterum producere, ſed totam variationem effectiuum oriri ex voluntate Dei determinante cauſas naturales ſemper ad nouos effectus producendos. Hic dicendi modus non placuerat noſtro Suar. 3. part. loco ſuprà citato, poſtea verò diſput. 5. Metaphyſic. ſect. 9. ait re attentiùs conſiderata ſibi valde probabilem videri: eumdem tenent Gregorius in 1. diſtinct. 17. quæſt. 4. art. 2. ad 7. & diſtinct. 35. quæſt. 1. art. 1. Tolet. lib. 2. de generat. quæſt. vltim. concluſ. 2. eidem fauet Fonſeca 1. Metaphyſic. c. 2. quæſt. 3. ſect. 8. & quatenus aſſerit hæc ſententia ex parte creaturarum nullam eſſe repugnantiam in reproductione eiuſdem effectus, non differt à ſententia, quam tenet Soncin. in 4. diſtinct. 43. quæſt. 3. & Richard. quæſt. 1. artic. 6. Probo hanc concluſionem ratione millies repetita. Præceſſiſſe effectum iam non exiſtentem modò nihil eſt: ergo hoc, quod eſt præceſſiſſe non poteſt impedire cauſam productiuam, ne modo hanc actionem exerceat reſpectu huius effectus, aliàs cauſa habet eandem virtutem, quam habebat antequam illum primo produxiſſet, quia virtus cauſæ ab illius entitate non diſtinguitur: ergo poterit eandem actionem exercere cum ex parte virtutis cauſa potens ſit ad illam, & nullum ſit impedimentum ratione cuius illius virtus poſſit impediri. Eadem ratione cenſeo poſſe, quatenus eſt ex ſe hanc cauſam reproducere ex vi aliùs actionis effectum corruptum, quem alia primo produxerat, quia cum idem effectus contineatur in virtute eiuſdem cauſæ, ſicut hæc poſſet modo hunc producere effectum, ſi alia eundem non produxiſſet, ita modò illum poterit producere cum eandem virtutem habeat, & ex nullo capite ſit impedita. Non poſſe hanc cauſam actionem ab illa exercitam repetere certum eſt, quia actio per ſe ipſam dependet à principio, & indifferens non eſt vt ab hoc vel ab illo dependeat.

Affirmo impoſſibilem eſſe reproductionem effectus ſiue permanentis, ſiue ſucceſſiui etiam ex vi diuerſæ actionis ſpectato decreto libero Dei determinante cauſas ſecundas ad indiuiduationem effectus, quia ex lege ordinaria ſemper determinantur ad effectus producendos diſtinctos ab illis, qui iam fuerunt producti. Hanc concluſionem ſuadet experientia in omnibus viuentibus, præcipuè in ſenſitiuis, in quibus accidentium diuerſitas, quam in omnibus intuemur formarum diuerſitatem portendit. Circa alias formas præcipuè accidentales non poſſumus experientia duci, cum enim inter ſe adeo ſimilia ſint, non valent ſenſus inter hanc, & illam formam ignis, vel auri, hunc, vel illum calorem, hanc, vel illam frigiditatem diſcernere: in his autem, in quibus experientiæ non eſt locus poſſumus iudicium ferre à varietate formarum, quarum diuerſitatem noſcimus in omnibus, quos poſſumus experiri. Secundò, id videtur naturæ conformius, quia cum cauſæ in ſe innumeros contineant effectus magis naturæ diuitias oſtendunt, dum ſemper nouis illam effectibus ornant, & magis conſentaneum ne ſæpe actum agant, ſed vt ſemper ad nouos partus determinentur. 7

De ſucceſſiuis nonnulli longam inſtituunt diſputationem, ego verò vix diſparitatis vmbram inuenio inter permanentia, & ſucceſſiua, illa inter ſe confero. Succeſſiua ſumi poſſunt quatenus dicunt hanc ſucceſſionem cum hac numero duratione ſucceſſiuè fluente: ſecundum hanc rationem extra controuerſiam eſt non poſſe reproduci, quia duratio, quæ eſt hodie, etiamſi non eſſet non poſſet craſtina die produci, quia implicat ipſam exiſtere die craſtina: ergo poſtquam fuit hodie non poteſt reproduci craſtina die, non quia producta fuit hodie, ſed quia ipſa ſecundùm ſe antecedenter ad omnem actionem, ſeu corruptionem circa illam repugnat craſtina die exiſtere, & ita reproductio motus cum duratione, quæ fuit hodie repugnat die craſtina non formaliter vt reproductio, quia, vt dixi, etiamſi hodie producta non eſſet craſtina repugnaret, ſed præcisè per ſuam entitatem, quæ affixa eſt diei hodierno, & extra illum exiſtere nequit. Hæc dixerim ſiue duratio ſit accidens ſuperadditum quia hoc debet conſtitui affixum huic tempori imaginario, ſicuti præſentia loco imaginario affigitur ſiue dicat connotationem ad tempus reale vel imaginarium, quia hæc debet eſſe cum hoc ordine prioris, & poſterioris, qui repugnat eſſe eumdem hodie, & cras. Hoc idem contingit in permanentibus, quia eodem modo repugnat Petrum, qui fuit heri, & modò non eſt, reproduci craſtina die cum duratione quam habuit heri non præcisè, quia heri fuit productus cum illa duratione, ſed quia duratio quæ fuit heri antecedenter ad omnem ſui productionem & corruptionem habet repugnantiam ad exiſtendum craſtina die. 8

De motu, qui ſucceſſiuè fit ſecundùm ſe ſumpto ſentio eodem modo poſſe ex natura rei reproduci, & tantùm illius reproductionem repugnare ex lege Dei, ſicuti de permanentibus dictum eſt. Ratio eſt, quia motus ſucceſſiuus etiamſi eſſentialiter ſit ſucceſſiuus ratione ſucceſſionis non eſt affixus huic, vel illi determinatæ durationi, ſed tantùm petit illius partes inter ſe non coëxiſtere, quæ ſecundùm ſe indifferentes ſunt ad exiſtendum die craſtina, vel hodierna, dummodo non omnes ſimul exiſtant, quia ſimultas opponitur ſucceſſioni, quam dicit motus: ergo poſtquam motus ſucceſſiuè extitit hodie ex vi huius durationis, poterit ex vi aliùs diſtinctæ iterum ſucceſſiue exiſtere craſtina die, Vrgeo eadē ratione, qua argumentabar in permanentibus. Hic motus ſucceſſiuus, qui fuit hodie, ſi de facto nō fuiſſet hodie poſſet craſtina die produci, cū duratione diſtincta ab illa, quam hodie habuit: ergo etiam poſtquā fuerit hodie, poterit eodē modo produci, quia hodie fuiſſe vel non fuiſſe nihil refert, neque aliquid poteſt cōducere reſpectu illius, quod eſt craſtina die futurum. Concludo ex his eamdem omnino eſſe rationem de productione permanentium, & ſucceſſiuorum, in qua concluſione ſequor Aureolum apud Capreolum in 4. diſtinct. 48. quæſt. 1. artic. 2. Maironium diſtinct. 44. quæſt. 3. & noſtrum Suar. ſuprà. 9

Argumenta,

Digitized by Google

10 Argumenta, quæ contra reproductionem ſucceſſiuorum fiunt quædam ſupponunt motum ſucceſſiuum per ſuam entitatem eſſe affixum huic ſpatio, quod falſum eſt. Alia petuntur ex duratione motus ſucceſſiui, qui reproducit non poteſt, quod nos concedimus, quia non contendimus poſſe motum reproduci craſtina die cum eadem duratione, quam habuit hodie, ſed cum diuerſa. Aliam inferunt repugnantiam reproductionis ex ſucceſſione, quæ eſſentialis eſt motui, quæ antecedenti omiſſo recta illatione non nituntur, ſi enim totum motum, quem ego habui proximè elapſum repeterem, poſtea venturum eodem ordine partium aduenientium perenni quodam fluxu quin vna alteri coëxiſteret, quid tunc fieret contra ſucceſſionem motus? Dixi omiſſo antecedenti, quia nullus eſt motus localis ita neceſſariò ſucceſſiuus, cuius partes de potentia Dei abſoluta coëxiſtere non poſſint, quia cùm ego poſſim ſimul de potentia Dei abſoluta retinere præſentiam, quam habui in inſtanti præcedenti, & aliam acquiſitam in hoc inſtanti, & in eodem indiuiſibili inſtanti duplicem præſentiam immediatè acquirere, quas ſucceſſiuè eram naturaliter acquiſiturus, poſſunt ſimul exiſtere actiones, ex vi quarum hæ præſentiæ producuntur, quæ ſunt eædem partes, quæ eumdem motum ſucceſſiuum componerent, ex quo deducitur motum localem, qui omnium eſt magis ſucceſſiuus non eſſe eſſentialiter ſucceſſiuum in actu ſecundo, licet eſſentialiter, hoc eſt per ſuam eſſentiam ſucceſſionem exigat. Infero, ex his poſſe Deum in inſtanti ſimul producere motum ſucceſſiuum iam corruptum non formaliter vt ſucceſſiuum, ſed nudè ſumptum ſecundùm ſuam entitatem, & ſecundùm omnes ſui partes.

PVNCTVM VI.

De natura motus.

1 INtegram diſputationem multis Punctis ſectam multi replent de natura motus, apud quos nihil inuenio, quod non poſſit paucis cingi, explicatâ enim naturâ actionis, & paſſionis, facilè quæ ſpecialia ſunt motui explicantur.

Duplex genus entis cognouit Ariſtoteles, vnum in actu, aliud in potentia, & hoc ens tam intra genus cauſæ efficientis, quàm materialis, ſeu patientis. Ens in potentia intra genus efficientis dicitur illud, quod poteſt agere, ſeu actiuè potens mouere paſſum, ens in actu dicitur principium actiuum non ſolùm potens mouere ſubiectum, ſed iam illud mouens. Ens in potentia intra genus cauſæ materialis dicitur ſubiectum, quod aptum eſt vt moueatur, quod mobile dicitur. Ens in actu dicitur ipſum mobile, non ſolùm quatenus eſt potens moueri: ſed quatenus iam actu mouetur, & motum denominatur. Vtrumque ens in actu addit ſupra ens in potentia rationem per quam vnum conſtituitur mouens, & aliud conſtituitur motum: hæc ratio eſt ipſa entitas motus, quæ quatenus procedit ab hoc principio illud mouens denominat, & quatenus in hoc recipitur illud conſtituit motum, ſicuti eadem actio quatenus procedit ac hoc principio illud denominat agens, & quatenus in hoc recipitur, illud paſſum conſtituit. Hæc diſertè tradit Philoſophus text. 6. illius do verba: *Cùm autem in vnoquoque genere* (hoc eſt in genere cauſæ efficientis, & in genere cauſæ materialis) *aliud quidem actu, aliud potentia eſſe diuiſerimus, eius, quod potentia eſt,* (hoc eſt, potentis actiuè mouere, & potentis moueri paſſiuè) *quatenus tale eſt* (id eſt quatenus habet potentiam vt moueat, & vt moueatur) *actus motus eſt*, hoc eſt motus, qui conſtituit actu mouens, & actum motum, & vtramque potentiam ad actum reducit: His conſonant verba Ariſt. text. 13. vbi motum vocat actum actiui, & paſſiui, id eſt potentis actiuè mouere, & paſſiuè moueri. *Quod igitur motus ſit*, &c. *Alteratio enim alterabilis, quatenus eſt alterabilis actus eſt. Amplius autem motus eſt eius, quod potentia actiui, & paſſiui*, &c. En expreſsè motum appellat Ariſtoteles actiui, & paſſiui quod eſt idem, ac dicere motum conſtituere formaliter agens, & patiens, ſiue mouens, & motum. Ariſtoteles enim nominibus agentis, aut mouentis, & paſſi aut moti, ſicuti nomine actionis, & motus diſcriminatim vtitur.

2 Ex his Ariſtotelis teſtimoniis vulgaris emanauit definitio motus, quæ ſic circumfertur: *Actus entis in potentia quatenus eſt in potentia* quam explicant Conimbr. de motu ſucceſſiuo, cuius priores partes relinquunt ſubiectum in potentia ad poſteriores, & ita dicitur actus in potentia quatenus eſt in potentia ad partes vlteriores motus. Expoſitionem hanc ferè omnes reiiciunt, quia hæc pars motus non eſt actus mobilis quatenus mobile poteſt recipere aliam partem, ſed quatenus eſt potens illam recipere, neque ad hoc vt hæc pars motus mobile conſtituat motum, quidquam ſpectat potentia, quam habet idem mobile ad aliam partem, quia etiamſi mobile hanc tantùm & non aliam poſſet recipere, ex vi huius moueretur, ſicuti mouetur ex vi vltimæ partis motus, quæ ſubiectum non relinquit in potentia ad aliam partem eiuſdem motus. Confirmatur: ad hoc vt motus calefactionis ſubiectum conſtituat motum impertinens eſt ſubiectum relinqui in potentia ad motum humectationis, quia calefactio nullo modo reſpicit potentiam ad humectationem: ergo impertinens eſt ad hoc vt hæc pars motus moueat ſubiectum hoc relinqui in potentia ad aliam partem motus. Reſpuenda etiam eſt hæc expoſitio, quia iuxta illam tantùm motus ſucceſſiuus definitione comprehenditur, quo nihil magis alienum à mente Philoſophi, qui exemplum motus, quem definiebat in generatione adhibuit, quæ ſucceſſiua non eſt.

Exiſtimauit P. Rubius hic definitionem hanc omni motui competere, quia ſic actuat ſubiectum, vt illud relinquat 3
in potentia ad terminum non quidem negatiuè ſicuti prima pars motus illud relinquit in potentia ad aliam, ſed poſitiuè tanquam via & ordinatio ad terminum, ad quem poſſet dici ſubiectum in via relinquere. Non placet expoſitio neque percipio quomodo actio relinquat ſubiectum in potentia ad terminum cum ipſa ſit formaliſſimè actuatio termini in ſubiecto: rogo ad quid actio ſubiectum relinquit in potentia reſpectu termini, nonne ad ſubſtantiam termini ſecundùm ſe, & non recipiendam, ſeu cauſandam ab ipſo ſubiecto? nullo modo, quia ſubiectum nullam habet potentiam reſpectu termini ita nudè ſumpti & abſoluti ab omni cauſalitate, inhæſione, ſeu receptione. Ad terminum recipiendum, ſeu cauſandum? nullo modo, quia actio eſt, per quod formaliter ſubiectum actu recipit, & actu terminum cauſat: ergo nullo modo actio relinquit ſubiectum in potentia ad terminum. Vrgeo: ex vi actionis terminus vel eſt actu receptus, & cauſatus à ſubiecto, vel non; ſi eſt receptus, & cauſatus? ergo iam poſita actione ſubiectum non eſt in potentia, ſed in actu ad terminum, quia tantùm potentia paſſiua ſubiecti terminum recipit vt recipiendum, & vt cauſandum: ergo cum reſpectu illius vt recipiendi ſeu cauſandi ex vi actionis ſit tam formaliter in actu, ſub nulla ratione poſita actione manet in potentia ad terminum.

Exiſtimo mentem Philoſophi luce eſſe clariorem, neque 4
ſcio quo fato difficultatem in hac definitione explicanda auctores affectent. Dico ex mente Philoſophi cum noſtro Toleto ad cap. 1. text. 6. particulam illam *prout in potentia* exprimere rationem formalem in ordine ad quam, ſeu reſpectu cuius motus dicitur actus, dicit enim Philoſophus, motum eſſe actum entis in potentia, ſeu mobilis, & ſubdit poſtea: *quatenus eſt in potentia*, hoc eſt quatenus mobile eſt, ac ſi diceret: motus eſt actus mobilis, non materialiter ſumpti quatenus eſt lignum vel aurum, ſed formaliter ſumpti quatenus eſt mobile: ac ſi dicerem ego: calefactio eſt actus ligni calefactibilis, non quatenus eſt lignum, ſed formaliter quatenus eſt calefactibile, ſeu quatenus eſt potens calefieri: ſic motum definit Ariſtoteles ſuprà per actum *eius quod potentia eſt, quatenus tale eſt*, hoc eſt, quatenus eſt potentia ad motum, quibus verbis clariùs natura motus explicatur, quam illis *quatenus eſt in potentia*, quæ apud Ariſtotelem non inueniuntur. Clariſſimè prædictæ explicationis ſenſum apud Ariſtotelem habemus text. 9. vbi eamdem ferè definitionem his verbis repetit; *eius quod potentia exiſtit quatenus mobile motus eſt* (id eſt actus) *& potentia*: illud *quatenus mobile* ſic explicat: *Dico autem quatenus ſic: eſt enim æs potentia ſtatuæ, attamen æris actus, quatenus æs motus non eſt.* Æs eſt potentia ad motum, ex vi cuius ſit forma ſtatuæ, & motus ille actus eſt æris, quod moueri poteſt, quatenus poteſt moueri, & in formam ſtatuæ recipere, non tamen æris materialiter ſumpti quatenus eſt æs, quia ſi æs moueri non poſſet, etiamſi formaliſſimè eſſet æs motus non eſſet actus illius. Conſtat clarè ex mente Ariſtoteles ſenſum definitionis eſſe, motum actum eſſe mobilis vt mobilis, ſeu potentis moueri quatenus potens moueri, qui propriiſſimus eſt verborum, quibus Ariſtoteles motum explicat, quarum reduplicatio in

Digitized by Google

aliis materiis crebrò in Philoſophia eodem modo explicatur. Si enim ego dicerem intellectionem eſſe actum potentis intelligere quatenus tale eſt nullus dubitaret ſenſum horum verborum eſſe, intellectionem eſſe actum intellectiui vt intellectiui, & me velle illis ſignificare intellectionem eſſe actum animæ quatenus hoc eſt potens intelligere, & non quatenus eſt potens amare.

6 Modum diſtingui realiter à ſubiecto, & principio actiuo, & ſæpè ab ipſo termino, licet ex conceptu vniuerſali motus non dicat diſtinctionem à termino, probandum eſt ex identitate, quam habet cum actione, & paſſione, à quibus neque formaliter differre per aliquam intrinſecam formalitatem modò oſtendam.

7 Dixi motum eſſe actum actiui, quod conſtituit mouens, & actum paſſiui, quod motum conſtituit, de quo actu in ordine ad ſuas potentias, & in ordine ad ſe hoc iudicium fero. Motus quatenus eſt actus mobilis, & illud motum conſtituit non diſtinguitur à paſſione per aliquam formalitatem intrinſecam, quæ ſit in cauſalitate, ſed tantum per priuationem omnis paſſionis in ordine ad eundem terminum in inſtanti immediato præcedentem in eodem ſubiecto, ita motus quatenus eſt actus mobilis formaliter dicit paſſionem termini in ſubiecto in hoc inſtanti, & præceſſiſſe in inſtanti antecedenti priuationem eiuſdem, aliúſve paſſionis in eodem ſubiecto reſpectu eiuſdem termini, quod eſt ſubiectum modò terminum recipere, quem immediatè antea non recipiebat. Probo nullam aliam formalitatem motui importari, ex eo præcisè quod ſubiectum intelligatur modò recipiens terminum, quem antea non recipiebat: ſe habet nunc diuerſo modo, ac antea ſe habebat, quia modò habet aliquid, quod antea non habebat: ergo eſt mutatum, quia eſſe mutatum nihil aliud eſt quàm habere aliquid, quod non habebat antea. Includere paſſionem, & priuationem in hoc inſtanti exiſtentem tempore præcedenti ſic probo. Mutari eſt rem ſe habere diuerſo modo nunc, & antea: ergo dicit modum, quo ſubiectum nunc ſe habet, & dicit ſubiectum antea non ſe habuiſſe hoc modo: ergo dicit aliquid quod actu dicit modo, & negationem eiuſdem præcedentem tempore immediato: eſſe paſſionem termini id, quod modo dicit in ſubiecto, probo ex Ariſt. aſſerente motum eſſe actum paſſiui: ſed paſſio eſt actus paſſiui: ergo paſſio eſt de conceptu motus: ergo motus dicit paſſionem ſecum identificatam: ergo per paſſionem exiſtentem nunc, & priuationem præcedentem in eodem ſubiecto reſpectu eiuſdem termini adæquatè conſtituitur actus, quo mobile in actu conſtituatur.

8 Motus quatenus eſt actus mouentis, qui conſtituit potens mouere actiuè actu formaliter mouens, dicit actionem in ſubiecto, quod præceſſit cum priuatione formæ ad quam terminatur. Itaque diſtinguitur motus actiuè ſumptus ab actione eductiua per priuationem præexiſtentem in inſtanti immediato, quam addit, non illo cuius eſt actus, ſed in ſubiecto, in quo exercetur talis actus. Probo hanc concluſionem, moueri ſubiectum dicit receptionem termini, quo antea carebat: ergo mouere actiuè idem ſubiectum erit in illud inducere terminum, quo antea carebat: ergo dicit incluſionem termini, quæ eſt actio ex vi cuius agens terminum in hoc ſubiecto producit, & priuationem præcedentem tempore immediato. Confirmatur: eo præcisè quod mobile habeat formam, quam antea non habebat dicitur actu paſſiuè motum: ergo eo ipſo, quod principium actiuum det ſubiecto, illud quod antea non habebat, illud actu mouet.

9 Motus actiuus ſeu quatenus eſt actus potentis actiuè mouere, & motus paſſiuus, ſeu quatenus eſt actus potentis moueri, differunt inter ſe eodem modo, quo differunt actio, & paſſio, motus enim paſſiuus ſeu conſtituens mobile actu motum eſt *actus huius ab hoc prius tempore præcedentis cum priuatione*, & motus actiuus ſeu conſtituens potens actiuè mouere actu mouens *eſt actus huius in hoc prius tempore præcedenti cum priuatione.* Vterque motus principium actiuum & paſſiuum reſpicit potens mouere, & potens moueri, ſed illud, quod motus actiuus reſpicit in recto, paſſiuus tangit, in obliquo & in illud, quod paſſiuus in recto attingit actiuus in obliquo tendit. Connotat etiam vterque motus priuationem, ſed non eodem modo, quia motus paſſiuus dicit priuationem præcedentem in principio, quod dicit in recto, & cuius eſt actus: motus verò actiuus connotat eandem priuationem non in principio, cuius eſt actus, ſed in ſubiecto, quod in obliquo reſpicit.

Ex hoc fit non poſſe aliquam entitatem moueri in primo inſtanti, in quo exiſtit, quia moueri dicit præceſſiſſe in inſtanti antecedenti cum priuatione, poſſe tamen aliquod principium in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ mouere actiuè aliud ſubiectum, in quo debet præceſſiſſe negatio, & non in principio mouente.

Ex his inferes, vnionem formaliter non conſtituere mutatum extremum vnitum, quia vnio non eſt actus actiui, neque paſſiui, neque ex vi illius aliquid inhæret ſubiecto alicui mobili quod poſſit dici motum, neque illa eſt actus, qui conſtituat principium actiuum potens mouere ſubiectum illud actu mouens, mouere enim eſt agere, & virtus actiua non conſtituitur formaliter agens per vnionem, ſed per paſſionem. Infertur etiam actionem per paſſionem tantùm dici motum in primo inſtanti, in quo exiſtunt, quia tantùm in hoc inſtanti poſſunt habere priuationem eiuſdem motus, & eiuſdem termini recepti in ſubiecto immediatè præcedentem, quæ eſt de ratione conſtitutiua motus, quia ſecundùm inſtans durationis paſſionis ſupponit ipſam paſſionem exiſtentem in inſtanti præcedenti, ac proinde excludit negationem eiuſdem in eodem inſtanti, quia implicat præceſſiſſe in illo motum, & priuationem eiuſdem motus. 10

CONTROVERSIA XIII.

De Creatione.

De creatione agere negotium eſt Metaphyſici, verumtamen ſemper vellem illa, quæ inter ſe connexionem, & affinitatem habent ſimul pertractare, ne cogar iterum bis eadem repetere, vel ne aliquid deſideretur ad perfectam rei notitiam, vbi de illa præcipua inſtituitur diſputatio.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit creatio?

Vna eſt ab omnibus Theologis, atque Philoſophis creationis his verbis adducta definitio: *creatio eſt productio rei ex nihilo*, quæ legitur apud D. Thomam 1. part. quæſt. 45. art. 1. verumtamen vnius definitionis non vna, ſed multiplex eſt explicatio. 1

Nonnulli, quorum clariùs ſententiam amplectitur VViclephus tenent apud P. Vaſquez 1. part. diſp. 172. cap. 2. creationem eſſe productionem rei de puro intelligibili, ad eſſe eſſentiale extra Deum. Sententiam hanc impugnat Vaſquez ex eo quod terminus, à quo, non poſſit componi cum termino ad quem, ſed eſſe intelligibile creaturarum, quod eſt illarum poſſibilitas componitur cum eſſe eſſentiali, quod creaturæ iam exiſtentes habent extra Deum, quia dum creatura exiſtit, poſſibilis eſt, & habet illud eſſe intelligibile, quod antea habebat; ergo creatio non poteſt reſpicere tanquam terminum à quo eſſe intelligibile creaturarum, & tanquam terminum ad quem eſſe quod creaturæ habent extra Deum. Reſponderi poſſet, terminum à quo non eſſe, illud eſſe obiectiuum præcisè ſumptum, ſed nudè, & purè ſumptum quatenus excludit exiſtentiam phyſicam ipſius, & dicit negationem eiuſdem vt exiſtentis, qua ratione non coniungitur cum termino ad quem, potius per illum deſtruitur, quia exiſtentia rei eſt deſtructio eiuſdem rei, vt purè poſſibilis, & purè intelligibilis, cuius eſſe dicitur terminus *à quo* creationis. Obiectionem factam dirimit prædicta ſolutio, verumtamen malè naturam explicat creationis, quod ſic probo. Creatio eſſe potuit ab æterno: ergo non dicit tanquà terminum *à quo* terminum vt purè poſſibilem, ſeu non exiſtentem, illius enim, quod ab æterno eſt creatum, nunquam præceſſit negatio. Secundo ſpecialis non eſt proprietas creationis, ſed cõmunis generationis extra, habere terminum à pura poſſibilitate, ſeu puro eſſe obiectiuo ad eſſe ipſius in ſe ipſo: ergo non rectè explicatur creationis natura per hunc modum reſpiciendi terminum *à quo*, & terminum *ad quem*. 2

P. Vaſquez

Digitized by Google

3 P. Vaſquez ſuprà cap. 2. ait rem creatam fieri ex nihilo, non quia nihilum ſit materia, vel conſtitutiuum termini creati, ſed quia eſt terminus, *à quo* creationis, quæ dicit nihil rei creatæ præceſſiſſe, & rem ex vi illius fieri ſecundùm ſe totam, ita vt ſi aliquid illius præceſſerit ſiue materia ſiue forma non poſſit dici creata. Explicantem illud *ex nihilo* tanquam terminum *à quo* non prius tempore exiſtentem, ſed prius natura, quod non intelligit de prioritate naturæ ſtrictè ſumptâ, quæ cauſalitatem importet, ſed ideò dicit præcedere negationem termini priùs naturâ, quia terminus talis eſt naturæ vt antecedenter ad creationem non exiſtat, & reuera non exiſteret ſi per creationem non dependeret: vtrumque diſertè his verbis tradidit doctiſſimus Vaſquez n. 11. in fine: *Sicut nunc intelligimus continuam rerum conſeruationem eſſe ex nihilo, non quia prius duratione, ſed quia ſecundùm totum ſuum eſſe res à Deo dependent: vt ex ſe nihil omnino eſſent ſi à Deo relinquerentur: ſic eodem modo poſſet intelligi creatio ab æterno, quæ eſſet productio ex nihilo.* Hæc verba retuli vt appareat abs re Vaſquium impugnari ab Hurtado diſput. 11. ſect. 1. quaſi diceret creationem recipere tanquam terminum negationem termini priùs tempore exiſtentem, ex eo quod creatura ab æterno potuerit creari nulla illius præexiſtente negatione.

4 Non omnino acquieſco huic explicationi, quia hic modus producendi ex nihilo communis eſt termino genito, & creato, terminus enim exiſtens ex vi generationis ita exiſtit, quod ſi hæc non intercederet generatio, vel actio aliqua loco illius ſubſtitueretur, non exiſteret, ſed eſſet nihilum, ſeu illius negatio. Dices deficiente generatione remanſurum aliquid termini geniti ſcilicet ſubiectum, ex quo educebatur per generationem; deficiente verò creatione nihil remanſurum termini creati, nullum enim habet ſubiectum terminus creatus quod remanere poſſit. Forſan huius ſolutionis doctrina veram explicationem definitionis continet, verumtamen illius verba ad rem non mihi ſonant: difficultatem propono. Subiectum, quod remanet, nihil eſt formæ antiquæ, ſeu nihil eſt quod pertineat ad conſtitutionem antiquæ formæ, ſed tantùm cauſa materialis illius ab ipſa forma adæquatè diſtincta: ergo nihil formæ remanet deficiente generatione, ex vi cuius fiebat. Quod ſi dicas permanere ſubiectum, in cuius virtute continetur, & in quo eſt quaſi virtualiter etiam deficiente quantitate creata remanent plura ſubiecta, in quorum virtute continetur, & ex quibus poſſet educi. Dices non remanere ſubiectum ex quo antea fuiſſet eductus terminus creatus deficiente creatione, quod remanet deficiente generatione. Hoc fateor, & hanc differentiam inter generationem, & creationem agnoſco, ſed non illam rectè exponit modus ille, quo illud *ex nihilo* explicatur, quam clarè tradet explicatio, quam eiuſdem particulæ poſtea adducam. Diſplicet etiam in hoc dicendi modo, aliud, quod traditur, videlicet nihil rei debere præcedere terminum creatum, quia vt probabo Punct. 5. totum ſubſtantiale creari poteſt, quod illius partes componentes, ex quibus fit præcedunt. Ex eodem capite reiicio quod docet Hurtadus ſuprà §. 1. videlicet terminum creatum debere fieri independenter à ſubiecto, & à quouis alio principio intrinſecè influente, quia totum fit ex partibus intrinſecè illud componentibus, quia principia influentia appellat Hurtadus, & tamen concedit ipſe poſſe totum creari.

5 *Creatio eſt productio rei ex nihilo*, hoc eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto, vt eleganter expendit Anſelmus in Monologio cap. 4. ita P. Suarez diſp. 20. cap. 1. & ferè omnes, qui de hac re his temporibus diſputant, à quibus parum, & tantùm in loquendi modo diſcedit Vaſquez ſuprà. Per hanc differentiam optimè ſecernitur creatio ab eductione, per eductionem enim fit terminus dependenter à ſubiecto, quod ſupponit eductio definita *actus huius in hoc*, videlicet in ſubiecto diſtincta à creatione, ex vi cuius fit terminus ſine aliqua dependentia à ſubiecto, quod creatio non ſupponit, eſt enim tantùm *actus huius* videlicet agentis, & non in paſſo, quod non ſupponitur ad actionem creatiuam.

Pvnctvm II.

De diſtinctione creationis à principio & termino?

1 Controuerſia præcedenti, punct. 1. egi de diſtinctione actionis à principio paſſo, & termino, & ex ibi dictis facilis eſt ſolutio earundem difficultatum, de quâ modò ſpecialis inſtituitur diſputatio.

Omnes qui ſentiunt actionem, quâ Deus influit in effectus dependentes à cauſis ſecundis non diſtingui ab ipſis, idem potiori iure dicunt de actione creatiua, cuius terminus tantùm à Deo dependet. Scotus in 2. diſt. 1. q. 5. §. *Ad quæſtionem iſtam*, docet creationem non diſtingui à principio creante, ſeu à voluntate Dei, & ab effectu creato. Scotum ſequutus eſt contra ſuum præceptorem Doctorem Angelicum Ferr. 2. contra Gentes c. 18. §. *Ad tertium dubium.* Conſentit P. Gregorius de Valentia 1. part. diſp. 3. quæſt. 2. Punct. 1. §. *Si autem creatio accipiatur*, vbi aſſerit creationem eſſe voluntatem Dei cum reſpectu ſeu habitudine rationis ad creaturas P. Vaſquez 1. part. diſput. 173. cap. 3. affirmat creationem tantùm per rationem diſtingui à termino creato P. Suarez in Metaph. diſp. 29. ſect. 5. & P. Molina 1. p. q. 45. art. 3. affirmant creationem eſſe modum realem diſtinctum modaliter à Deo, & à volitione Dei, & ab ipſo termino creato. Hurtadus diſp. 12. ſect. 3. aſſerit crationem diſtingui à termino, qui poteſt educi ex præexiſtenti ſubiecto, non tamen diſtingui à termino, qui neceſſariò debet per creationem procedere: hac ratione exiſtimat creationem quantitatis ab illa diſtingui, creationem verò animæ rationalis, & Angeli identitatem habere cum proprio termino. Partim conſentit Arriaga diſp. 9. ſect. 4. vbi aſſerit quod ſi eſſet creatura, quæ non poſſit niſi vnicè & ab eiſdem cauſis creari, ſiue hæ ſint ſolus Deus, ſiue Deus, & creatura creationem haberet ſecum identificatam; illam verò creaturam; quæ indifferens eſt vt creetur à Deo tantùm, vel à Deo, & à cauſa ſecunda ſaltem vt inſtrumento concurrente dependere per crationem diſtinctam modaliter à principio, & termino. Ex his infert creationem quantitatis diſtingui à quantitate, quia quantitas indifferens eſt vt creetur, & vt educatur, & creationem animi rationalis, & Angeli diſtingui ab vtroque, & à principio, quia vterque poteſt dependere à Deo tantùm creante, ſicuti de facto dependet vel à Deo, & ab aliqua creatura, quæ ſumatur vt inſtrumentum ad creandum.

Prima conclvsio. Nullius termini creatio adæquatè identificatur cum principio creatiuo, videlicet cum Deo creante. Conſtat concluſio ex dictis de omni actione, quam probaui Controuerſ. præcedenti, Punct. 1. diſtinguendam eſſe à Deo, & ab omni actu intrinſeco Dei, quia quidquid eſt intrinſecum Deo eſt ab æterno, & nulla actio eſt ab æterno, quia omnia in tempore Deus produxit. Nonnullas ſolutiones, quas aduerſarij adducunt ibi impugnatas inuenies. Quibus adde neque per diſtinctionem virtualem, quia Theologi decreta libera Dei, & multa difficilia in myſterio Trinitatis componunt, huius materiæ difficultatem exhauriri, quia licet Theologi hac diſtinctione ſuffulti dicant Deum potuiſſe ab æterno habere actum intrinſecum voluntatis, & illum non habere abſque illa mutatione intrinſecæ entitatis Dei, nullus tamen audebit aſſerere aliquem actum intrinſecum Dei ratione huius diſtinctionis in tempore incipere, ſed omnes aſſerunt Deum ab æterno amare, & cognoſcere obiectum ſcientiâ viſionis, quod potuit non amare, & non hac ſcientia cognoſcere. Vnde hæc inter Theologos eſt optima conſequentia. Hoc prædicatum, ſeu hic actus intellectus, ſeu voluntatis identificatur cum Deo: ergo ſi exiſtit, ab æterno exiſtit, ita vt non potuerit in tempore incipere, licet hæc non ſit legitima illatio: hic actus amoris Dei eſt intrinſecus Deo: ergo ita exiſtit vt non potuerit ab æterno non exiſtere, quia decretum liberum Dei eſt intrinſecum Deo, & potuit antecedenter non exiſtere, ſub illa formalitate decreti efficacis, aliàs non eſſet liberum Non ergo diſtinctio virtualis proficere poteſt his, qui creationem conſtituunt identificatam cum Deo, quia ego non infero diſtinctionem creationis à Deo ex eo, quod creatio libera ſit, & potuerit exiſtere, vel non exiſtere, ſed ex eo, quod in tempore incipiat, & nihil intrinſecum Deo ſiue liberum, ſiue neceſſarium in tempore incepit. Scio nonnullum inſinuaſſe decreta libera Dei formaliter vt efficax in tempore incipere, qui explicandus eſt de decretis non ſecundum rationem conſtituentem Deum amantem, neque ſecundum rationem, qua conſtituuntur actus Dei volentis, & amantis; ſed de illorum effectibus, qui in tempore incipiunt, quia per decretum ab æterno exiſtens decreuit rem in tempore creare, quod ſi effectus exiſtens in tempore pertineat aliquo modo ad conſtitutiuum decreti, quod hunc

hunc feſellit auctorem, illud conſtituet ab æterno, & ex eo præciſè, quod ſit futurus, ſicuti conſtituit ſcientiam viſionis, aliàs diceretur ſcientia viſionis Dei in tempore incipere, & ab æterno illa caruiſſe, quod abſurdiſſimum eſt.

4 Secvnda conclvsio. Creatio non identificatur, neque inadæquatè, cum principio creatiuo, ita vt conſiſtat in termino producto, & in principio producente. Hæc concluſio probari non poteſt, ex eo, quod creatio in tempore incipiat, & volitio Dei ſit ab æterno, quia ſi creatio indiuiſibiliter conſtituatur in volitione, & termino, cùm volitio, & terminus non ſint ab æterno. Alij concluſionem probant ex eo quod voluntas Dei ſit creandi terminum, in qua creatio ſe tenet ex parte obiecti: ergo diſtinguitur ab actu reſpiciente tale obiectum. Vrgent: decretum reſpicit terminum vt independentem: ergo independentia ſe tenet ex parte obiecti: ergo independentia diſtinguitur à volitione Dei, ſed independentia eſt creatio: ergo creatio diſtinguitur ab actu interno Dei. Non premit ratio, facilè enim quiſque dicet volitionem Dei terminari ad ſubſtantiam termini creati, & ad independentiam negatiuè, hoc eſt, ad negationem dependentiæ identificatæ cum inhæſione, & ad creationem paſſiuam, ſeu inadæquatam, & ad huiuſmodi paſſiuam, & inadæquatam independentiam, non vero ad creationem, & poſitiuam independentiam adæquatam quæ conſtituitur ex obiecto decreti, & ex ipſo decreto, & ſicuti de actione creatiuâ ſuperadditâ dicimus non terminari ad rem formaliter vt creatam, ſed ad rem nudè ſumptam, quam ipſa creatio formaliter conſtituit creatam, ſic de volitione adæquatè, vel inadæquatè identificata cum creatione dici poteſt reſpicere terminum, quam conſtituit formaliter adæquatè creatum non ſe tenente totâ creatione ex parte obiecti reſpectu volitionis, cum qua inadæquatè identificaretur creatio, ſed reſpicere terminum & creationem illius inadæquatam tenentem ſe ex parte obiecti reſpectu decreti, cum quo creatio inadæquatè identificatur. Moueor ad conſtituendam rationem adæquatam creationis diſtinctam à volitione Dei, quia illud, quod hi Auctores inadæquatam creationem vocant à volitione diſtinctam per ſe ipſum eſt connexum cum omnipotentia, & cum decreto terminato ad illud, ita vt implicet exiſtere in aliqua temporis menſura, in qua decretum non exiſtat; decretum verò etiamſi connexionem habeat cum obiecto, tamen poteſt per æternitatem exiſtere ſine obiecto illo, quod aduerſarij creationem inadæquatam appellant, decretum enim creandi Angelum in tempore ab æterno extitit, & Angelus in tempore incepit eſſe, ac proinde per æternitatem decretum præceſſit ſuum obiectum: ergo in hoc obiecto eſſentialiter in quacumque duratione, & pro quacumque duratione connexo cum decreto conſtituenda eſt adæquata creatio, & nihil illius in illo decreto, quod licet in omni duratione connexionem habeat cum obiecto, non tamen pro quacumque duratione, cum poſſit per æternitatem obiectum præcedere. Conſequentiam probo: in eductione, quæ nunquam ſeparatur à decreto efficaci Dei circa terminum educendum, in qua nulla eſt ratio, cur dicamus totam illam conſiſtere in cauſalitate creata diſtincta à decreto Dei, niſi quia per ſe dependet à Deo, & à decreto libero Dei, ita vt implicet exiſtere in aliquo inſtanti, in quo non exiſtat decretum Dei, quod per æternitatem illam præcedet: ſed idem contingit reſpectu termini creati: ergo eodem modo philoſophandum. Si non te conuincit hæc ratio, aſſigna aliquam propter quam dicendum ſit actionem, ex vi cuius Deus cum igne calorem produceret conſiſtere adæquatè in modo creato, & non inadæquatè in hoc modo, & inadæquatè in decreto, à quo modus iſte procedit: adæquatéque in modo ſuperaddito, & in decreto Dei; eandem tibi reddam vt dicas creationem adæquatè conſiſtere in obiecto decreti diuini, & non in obiecto, & decreto. Si dicas in diuinis generationem actiuam conſtitui ex parte principij producentis cum illo identificatam, & generationem paſſiuam ex parte termini producti cum eodem identificatam eadémque ratione in creatione procedendum eſt reſpectu termini creati, ſolutio praſto aderit petita ex ratione ſuprà tradita. In diuinis æqualem connexionem habet principium producens cum termino producto, quam habet terminus productus cum principio producente, & ſicuti per ſe coniungitur productum cum producente, ita ſimiliter coniungitur producens cum producto, & æquè eſſentiale eſt principio producere, quam termino produci, & ita iure optimo dicitur terminus per ſe ipſum produci, & habere ſecum identificatam productionem, ſeu generationem paſſiuam, & eodem iure dicitur principium per ſe ipſum producere, & generare, & habere ſecum identificatam productionem, ſeu generationem actiuam. Similiter conſtituo ego influxum actus imperantis voluntatis creatæ in actum imperatum, in coexiſtentia vtriuſque, quia imperans poteſt eſſe ſine imperato, & imperatus ſine imperante, vbi autem id, quod ſe tenet ex parte principij non habet connexionem cum illius termino, quam terminus habet cum illo, cauſalitatis ratio ponenda eſt ex parte obiecti ſeu termini connexi cum principio, & nihil illius ex parte principij à termino abſoluti. Ratio à priori huius doctrinæ petitur ex natura cauſalitatis, cuius eſt annectere terminum productum, & principium, quod illum producit, & ipſa ponenda eſt in illa entitate, quæ annectit hæc duo extrema, quapropter ſi æquè ſint abſoluta, vel æquê cauſalitas eſt ponenda: ſi autem connexio mutua non ſit ex parte illius extremi quod per ſe eſt connexum, cauſalitas ponenda eſt, ſi cauſalitas ab extremis non diſtinguatur, vel ſi diſtinguatur, in illa entitate, quæ per ſe ipſam connectitur cum principio producente, & termino producto.

Tertia conclvsio. Creatio diſtinguitur à termino, qui naturaliter educitur ex ſubiecto. Probo: terminus ille creatur, verbi gratia, quantitas Euchariſtica, poteſt educi, & non creari, & de facto fuit eductus antequam in conſecratione corrupta eſſet ſubſtantia panis: ergo non creatur per ſe ipſum, neque ſecum identificatam habet creationem. Probo conſequentiam: quidquid conuenit alicui entitati per ſe ipſam, & cum illa eſt identificatum, ab illa ſeparari nequit: ſed creatio ſeparatur à quantitate: ergo non conuenit quantitati per ſe ipſam, neque cum illa eſt identificata. Hoc argumentum multum premit, quotquot hanc ſententiam amplectuntur. Reſpondet P. Vaſquez ſuprà num. 18. in his entitatibus non diſtingui terminum à creatione, quia terminus creationis eſt entitas per ſe exiſtens, & ita ex parte termini quantitatis creatæ duo dicuntur, & entitas termini, & modus per ſe exiſtendi, à quibus ſimul ſumptis non diſtinguitur creatio, quia nunquam ab illis ſeparatur, quantitas enim per ſe exiſtens nunquam educitur aut eſt inhæſiuè in ſubiecto. Contrà: quantitas illa cum modo perſeitatis tenentis ſe ex parte termini vel dependet adæquatè à Deo per ſe ipſam, vel per illum modum perſeitatis, quem habet adiunctum: ſi per modum perſeitatis, modus iſte erit creatio, & cauſalitas, ex vi cuius dependet à Deo, ſi immediatè, & per ſe ipſam vt diſtinctam ab illo modo, eodem modo dependebit, cum ſit vnita ſubiecto, & illo careat modo, quia eadem remanet entitas: ergo ſuperfluit alia eductio, imò impoſſibilis eſt in doctrina Patris Vaſq. aſſerentis adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſe effectum dependere per duplicem cauſalitatem, ſed tantùm per illam, qua neceſſariò indiget, & ſine qua nequit ſubſiſtere. Secundò modus ille accidentalis eſt, vel ergo habet ſubiectum, vel non, ſi non habet iam concedis accidens ſine ſubiecto, quod ne concederes creationem negas, & ſicuti modum illum admittis facilius poteras creationem concedere. Si ſubiectum habet illud, erit terminus creatus, alius enim non ſupereſt: ergo terminus ille debet intelligi priùs exiſtens, quàm exiſtat modus, qui ab illo dependet: ergo actio, ex vi cuius terminus exiſtit priùs debet intelligi terminata ad terminum, qui exiſtit ex vi illius, quam intelligatur modus ille: ergo actio reſpicit terminum creatum, quantitatem videlicet vt diſtinctam à modo illo: ergo terminus creationis non eſt quantitas cum illo modo, ſed quantitas nudè ſumpta. 5

Hoc argumento conuictus doctus quidam magiſter è noſtris nobilis Patris Vaſquij diſcipulus illiuſque magnus aſſecla ſingularem conſtituit viam. Docuit res, quæ ſemel à cauſis ſecundis educuntur non poſſe à Deo creari, quia per ipſas non creantur, aliàs ſemper crearentur, neque per creationem ſuperadditam poſſunt creari, quia hæc repugnat. Ex hoc infert calorem, & frigiditatem, aliaſque formas ſubſtantiales, & accidentales non poſſe à Deo creari. De quantitate, de qua negare non poteſt à Deo creari in Euchariſtia, aſſerit nunquam ab efficiente creato fuiſſe productam, neque actionem eductiuam aut paſſionem terminaſſe, etiam quando inerat ſubſtantiæ panis, ſed per ſe ipſam ſemper adæquatè efficienter dependere à Deo, 6

Deo, à materia autem dependebat per modum ſuperadditum inhærentiæ, qui neque eſt paſſio, neque identificatur cum actione, ſicuti quando eſt in Euchariſtia ſit independens, & per ſe modo alio ſuperaddito perſeitatis. Multis ſe implicat hic auctor, vt ſententiam, quæ ſemel animo inſedit defendat, à quibus difficillimè ſe poterit expedire: breuiter expendo quantis ſumptibus hæc malè fixa machina conſtruatur. In primis tota hac doctrinâ admiſsâ infero ex illa quantitatem non generari, neque creari per influxum ſecum identificatum, ex vi cuius dependet à Deo, ſed pet modos illos, quibus conſtituitur materiæ inhęrens, vel ab illa independens, quod ſic probo. Quantitas eadem per ſe ipſam dependens à Deo cum eadem dependentia indifferens eſt vt educatur, & vt creetur, & ex materia educitur quando illi aduenit modus ille, ex vi cuius dependet à materia, & creatur quando illi adiungitus modus ille ſupperadditus, quem habet in Euchariſtia: ego per hunc modum ſuperadditum formaliter conſtituitur creata, & non per ſuam entitatem, quæ antea erar dependens à materia: ergo creatio in hoc modo ſuperaddito conſiſtit. & non in quantitate: ergo creatio ſaltem inadæquatè diſtinguitur à materia. Vrgeo: dependentia, quam per ſe ipſam habet quantitas, vel eſt ſufficiens vt ex vi illius exiſtat, vel non: ſi eſt ſufficiens ſuperfluè additur modus perſeitatis quando eſt in Euchariſtia, & modus alius, vt dependet à materia quando inhæret ſubſtantiæ panis, quia poſitâ dependentiâ, ex vi cuius entitas poteſt exiſtere quæcumq; alia ſuperfluit, & naturaliter dari nequit, neq; ſupernaturaliter in ſententia P. Vaſq & Magiſtri quem impugno.

7 Dices dependentiam identificatam cum quantitate ſufficientem eſſe vt exiſtat, & vt dependeat à Deo, non tamen ſufficientem vt dependeat à materia prima quando inhæret ſubſtantiæ panis neque vt ſit per ſe independens à ſubiecto, quando eſt in Euchariſtia. Dependentia, quam habet quantitas in Euchariſtia ſufficiens eſt vt exiſtat quantitas & ex alio capite non conſtituit quantitatẽ poſitiuè dependentem à materia: ergo ex vi illius poteſt exiſtere quantitas poſitiua, nullo reſpectu habito ad materiam: ergo non indiget modo alio, vt conſtituatur independens à materia, eſſe enim quantitatem independentem à materia nihil aliud eſt, quam entitatem exiſtere, ex vi cuiuſdam influxus nullo modo materiam reſpicientis. Dices hanc eſſe independentiam negatiuam, terminum autem cre-tum habere independentiam aliam poſitiuam. Contrà: deme independentiam aliam poſitiuam, & da mihi terminum exiſtentem ex vi poſitiui influxus ſine vllo reſpectu ad ſubiectum, & nihil in illo deſiderabis, vt ita exiſtat, vt deficiente, vel non deficiente ſubiecto, eodem modo perſeueret, quia illius exiſtentia vel negatio eiuſdem erit per accidens termino creato: quid ergo independentiæ præſtabit modus ille poſitiuus, quem tu fingis? id vnum aduerte, ne fruſtrà modos iſtos fingas, hoc quod eſt non dependere formaliter ſemper eſſe quid negatiuum, & illam entitatem dici independentiam poſitiuam, ex qua oritur negatio dependentię, in quo ſenſu neceſſariò independentia dicendum eſt, quicumque influxus qui nullum dicit reſpectum ad ſubiectum, & ex vi cuius adæquatè poteſt exiſtere effectus, quia eo ipſo, quod effectus exiſtens conſtituatur exiſtens ſine poſitiuo reſpectu ad ſubiectum, ſubiecto non indiget, ex quo oritur negatio poſitiuæ dependentiæ à ſubiecto. Illud quod dicebatur, videlicet influxum identificatum cum quantitate ſufficientem eſſe vt dependeat à Deo, non verò vt dependeat à materia, cui inhæret, dum quantitas eſt cum ſubſtantia panis, breuiorem, ſed non leuiorem habet impugnationem. Influxus ille, ex vi cuius quantitas ſufficienter dependet à Deo, vel eſt ſufficiens vt ex vi illius quantitas exiſtat, vel eſt non ſufficiens: ſi eſt ſufficiens eſt adæquatè productio quantitatis, quia poſita productione adæquata cuiuſuis effectus nihil poteſt deſiderari ad illius exiſtentiam: ſi non eſt ſufficiens, non erit productio adæquata: ergo productio adæquata quantitat. non erit identificata cum quantitate.

8 Peregrinum eſt etiam in ſcholis dici dari influxum quemdam ſeu dependentiam quantitatis à materia, qui non ſit actio, neque paſſio, neque ego ſcio quid in illo deſideretur vt paſſio, dici poſſet. Si dicas deſiderari identitatem cum actione faciliùs percipi poterit paſſio ab actione diſtincta, quam illa dependentia tenens ſe ex parte materiæ, quæ neque ſit actio, neque paſſio. Addo dependentiam illam formæ à materia non ſolùm paſſionem, quia ex vi ipſius forma à materia dependet, eſſe dicendam, ſed etiam actionem, quia ipſa dependentia à Deo procederet tanquam à principio effectiuo, media qua Deus diceretur principium efficiens termini, quem dependentia reſpiceret, quia eſſe principium efficiens nihil aliud eſt, quàm eſſe principium, à quo efficienter procedit cauſalitas, ex vi cuius terminus exiſtit. Demum contra modum perſeitatis, quem conſtituit hæc opinio in quantitate creata redeunt argumenta, quæ ſupra contra eandem faciebam, ſcilicet non habiturum ſubiectum, vel ſi illius ſubiectum eſt terminus creatus, hunc debere ſupponi prius natura ad modũ iſtum, & conſequenter actionem ex vi cuius producebatur.

9 Faciliùs defenderetur creationem identificatam cum quantitate ſi diceretur, quantitatem per ſe ipſam creari, & adhuc dum eſt vnita materiæ panis eſſe creatam eadem creatione, qua eſt dum exiſtit in Euchariſtia, quod poſſet componi cum miraculo Euchariſtico, quia etiamſi quantitas eſſet creata, non poſſet ſine miraculo extra ſubiectum conſtitui, quia illius ſubiectum videlicet materia prima à nullo agente naturali poſſet deſtrui, & ſubiecto permanente non poſſet naturaliter pelli ab illo, quia quantitas nullam habet formam incompoſſibilem, ex vi cuius poſſit expelli à ſubiecto, quod informat, quam ſi haberet melius expelleretur, vel ſaltẽ æquè benè modo quãdo eſt educta, & caſu, quo eſſet creata. Hãc ego tenerẽ viam ſi cogerer defendere non poſſe dari creationem à termino diſtinctã, verum non ad has trahor anguſtias, ideò affirmo cum cõmuni ſententia quantitatem educi ex materia, dum illi eſt vnita, & in Euchariſtia creari, per creationem illi ſuperadditã.

10 Qvarta conclvsio. Poſſibilis eſt terminus per ſe ipſum creatus, ita vt de potentia Dei abſoluta non poſſit non creari: poſſibilem eſſe creationem identificatam cum termino conſtat ex dictis Controuerſ. præcedenti, Punct. 1. vbi probaui non eſſe de conceptu actionis diſtinctionem à termino, ex quo infero, non eſſe de conceptu actionis creatiuæ, ſi enim aliqua actio poteſt identitatem habere cum termino, nihil in creatiua ſpeciale reperietur, per quod hæc illi identitas repugnet, neque in eductiua valebit aliquid ſpeciale excogitari, ratione cuius habet eapacitatem, quam non habeat creatiua ad habendum cum termino identitatem. Talem terminum non poſſe de potentia Dei abſoluta exiſtere non creatum conſtat ex rationibus, quibus probauimus in concluſione præcedenti non poſſe identificari creationem cum termino, qui poteſt non creari, quarum præcipua petitur ex ſeparatione creationis quæ ſignum eſt euidens diſtinctionis: ergo terminus identificatus cum creatione non poterit ab illa ſeperari: ergo non poterit non creari. Dixi terminum hunc non poſſe non creari, non tamẽ dixi termino huic eductionẽ repugnaturã, quia adhuc dubitant recẽtiores an entitas per ſe ipſã creata poſſit per aliquid ſuperadditũ educi, de quo Punct. 4.

11 Qvinta conclvsio. Omnis terminus, qui poteſt creari à Deo tantùm, & à Deo, & à creatura per actionem, ex vi cuius vnicè producitur non habet ſecum identificatam creationem. Probo clarè: terminus iſte poteſt dependere ex vi huius, vel illius creationis: ergo non dependet ex vi creationis ſecum identificatæ, quia creatio identificata cum termino ſemper eſſet eadem, dum eſſet idem terminus. Dixi per creationem, ex vi cuius vnicè producitur, quia qui ſentiunt terminum per ſe ipſum creatum à Deo poſſe per actionem aliam ſuperadditam ſimul educi, faciliùs dicent poſſe eundem retenta creatione ſeeum identificata creari à Deo & ab alia cauſa per aliam creationem ſuperadditam.

12 Sexta conclvsio. Poſſibilis eſt terminus, cui repugnet educi ex aliquo ſubiecto, & terminare actionem creatiuam procedentem ab aliquo principio etiam inadæquatè diſtincto à Deo, qui creetur per actionem ſuperadditam procedentem à Deo. Probo hanc concluſionem: aliud eſt entitatem non poſſe non dependere ab hac cauſa, & non poſſe dependere ab alia, aliud dependere ab iſta formaliter per ſuammet entitatem: ergo ex eo, quod non poſſit non dependere hic terminus à Deo creante, & quod non poſſit dependere ab alia entitate non infertur per ſe ipſam formaliter dependere. Antecedens probo: quælibet creatura eo ipſo, quod creata ſit, habet repugnantiam ad exiſtendum ſine dependentia à Deo, & tamen ſaltem illa, quæ producitur à Deo, & à cauſa ſecunda. & poſſet produci tantùm à Deo dependet ab illo per aliquid ſuperadditum: ergo non rectè infertur ex eo, quod non poſſit non dependere ab hoc, dependere ab illo per ſuammet entitatem. Neque ex eo, quod non poſſit dependere ab

alio

alio principio niſi vnicè ab iſto, poſſet hæc fieri illatio, quia ex eo præcisè, quod non habeat virtutem terminandi cauſalitates diſtinctas ab illis, quæ ab hoc principio procedunt, etiamſi ab hoc non dependeat per ſe ipſam non poterit ab alio procedere: ergo neque hoc, quod eſt non poſſe non dependere ab hoc principio, neque hoc, quod eſt non poſſe dependere ab alio arguit dependentiam identificatam huius termini cum hoc principio. Neque ex eo quod in his entitatibus non poſſit ſeparari creatio à termino licet inferri identitatem cum termino, licet enim hæc ſit optima conſequentia: ſeparātur: ergo non ſunt idem, hæc non eſt legitima: non ſeparantur: ſunt idem, poſſunt enim dari entitates ita inter ſe connexæ vt non obſtante illarum diſtinctione ſeparari non poſſint. Qua ſolutione ſubſiſtere poterit doctrina tradita etiam reſpectu entitatis, quæ tantùm poſſet ex vi vnius creationis produci à Deo, non tamen id neceſſum eſt concedi reſpectu entitatis, quæ non poteſt exiſtere niſi creata tantùm à Deo tanquam à principio adæquato, quia adhuc de hac entitate dici poteſt, poſſe ſeparari ab hac, & illa creatione determinatè ſumpta, licet non collectiuè ab omni creatione, ſicuti de præſentia quantitatis multi ſentiunt, aſſerentes non poſſe corpus adhuc de potentia abſoluta ſine præſentia exiſtere, tamen diſtinctionem inferunt inter corpus, & præſentiam ex eo, quod à quacumque præſentia poſſit ſeparari.

13 Obiic. Hurtad. Angelus per ſuam entitatem eſt independens à ſubiecto: ergo non indiget creatione diſtincta. Probat conſequentiam ex eo quod effectus formalis creationis eſt reddere terminum independentem à ſubiecto. Reſpondeo effectum formalem primarium creationis eſſe, vt ex vi illius exiſtat effectus, ex quo reſultat effectus ſecundarius, videlicet terminum illum non habere ſubiectum, ſeu repugnantia in termino vt dum exiſtit ex vi talis creationis à ſubiecto dependeat. Ex his duobus effectibus primarium præſtabit Angelo creatio ab illo diſtincta, item ſecundarium, quia ex eo, quod Angelus creationem terminet eſt impeditus & conſtituitur incapax dependendi à ſubiecto, licet ex ſe incapacitatem habeat ad talem dependentiam, quia effectus negatiuus poteſt à pluribus formis præſtari, poſſunt enim eſſe plura impedimenta adæquata ad vnam formam poſitiuam. Verum eſt creationem in Angelo non deſtruere in illo capacitatem dependendi à ſubiecto, quia illam non habebat, tamen illum iam ex ſe incapacem habendi dependentiam hanc, iterum incapacem conſtituit, taliter vt ſi ex ſua natura dependere poſſet à ſubiecto, ex vi creationis haberet non poſſe ab illo dependere.

14 Septima conclusio. Veriſimilius eſt, de facto creationem animæ rationalis, & creationem Angeli ab illis diſtingui. Trado hanc concluſionem magna cum formidine, quia nihil firmum pro altera parte contradictionis inuenio. Trado in iſtam à prioritate creationis, quam agnouimus in quantitate Euchariſtica, & reliquarum actionum, quas omnes (demptis vitalibus intentionalibus) diſtinctas agnouimus: ergo eodem modo poſſumus philoſophari de aliis actionibus exiſtentibus, quas non nouimus. Quod ſi in his ſpecialem habemus rationem, quia experimur poſſe ab hoc principio, & ab illo, ex vi huius, illiuſve actionis dependere ex eodem fundamento paritatem deſumo: termini, quos huc vſque potuimus experiri, dependere poſſunt ab eadem cauſa ex vi huius, vel illius actionis: ergo idem erit de aliis exiſtentibus creatis, qui de facto dantur, quorum notitiam non poſſumus experientiâ acquirere: ergo ſicuti termini producti, quos huc vſque experti ſumus à productione ipſorum diſtinguuntur, ſic erit de aliis creatis exiſtentibus, experientia enim non ſolum ducit in cognitionem illorum, quæ experimur, ſed aliorum ſimilium: ſi enim à paritate multa in Philoſophia non affirmemus, innumera nobis ſuperſunt omni fundamento deſtituta ad alteram contradictionis partem affirmandam. Ex quo fundamento dicis albedinem vniri media vnione ſuperaddita, & poſſe à ſubiecto ſeparari, niſi id in quantitate experiris? Ex quo capite affirmabis paſſiones ſuperadditas, intellectum & voluntatem, ſi ab animo diſtinguuntur, produci media actione, & poſſe ex vi huius, vel illius actionis produci, niſi à paritate illorum accidentium, in quibus diſtinctionem actionum potes experiri, quæ in his non niſi à paritate innoteſcere poteſt. Si non acquieſcit animus partem, quam malueris defendendam elige, quam faciliùs defendere, quàm ſtatuere poteris.

Pvnctvm III.

An creatio à termino diſtincta ſubiectum habeat?

Præcipua difficultas, quæ Doctores coëgit ad negandam actionem creatiuam diſtinctam à termino deſumitur ex natura accidentis, quæ neceſſario connotat ſubiectum, cui inhæret, ac proinde ſi daretur actio creatiua deberet eſſe accidens propriúmque ſubiectum reſpicere, quod repugnat conceptui quidditatiuo actionis creatiuæ vt iam probo. Actio creatiua ſi haberet ſubiectum, vel eſſet diſtinctum à termino, vel eſſet ipſe terminus: non diſtinctum, quia ſi ſubiectum diſtinctum à termino reſpiceret, eſſet actus huius in hoc & à paſſione non diſtingueretur. Deinde quia nullum apparet ſubiectum à termino diſtinctum, creatio enim quantitatis tantùm reſpicit quantitatem, ſi enim ſubiectum aliquod reſpiceret ab illo dependeret quantitas, ad quam terminaretur hæc actio, & ex vi illius non creata, ſed educta diceretur. Terminum non poteſt creatio tanquam ſubiectum reſpicere, probaui enim Controuerſia præcedenti puncto 3. actionem non poſſe ſubiectari in termino: ergo nullum ſubiectum poteſt habere creatio: ergo non poteſt eſſe accidens: ergo non poteſt eſſe actio diſtincta à termino. Neque dici poteſt creationem eſſe modum ſubſtantialem, quia omnis actio à termino diſtincta eſt propter illum, & eſſentialiter ad illum ordinatur tanquam ad id, propter quod actio intenta eſt in rerum natura: ergo non eſt ſubſtantia, cuius conceptus eſt, eſſe per ſe, & propter ſe intenta. Secundò ſi reſpectu termini ſubſtantialis actio poſſet excogitari, hanc reſpectu termini accidentalis concedi omni probabilitate alienum eſt. 1

Propter hanc rationem nonnulli dixerunt creationem reſpicere tanquam ſubiectum proprium terminum, à quo in genere cauſæ materialis dependet, & ſe protegunt mutua dependentia in diuerſo cauſarum genere, affirmantque creationem eſſe priorem termino in genere cauſæ efficientis, & poſteriorem in genere cauſæ materialis. Probaui hanc mutuam dependentiam in nullis entitatibus admitti poſſe, ſed adhuc admiſſa in aliis cauſis non poſſe reperiri inter cauſalitatem, & terminum, quia idem met terminus eſſet prior, & poſterior ſe ipſo, & à ſe ipſo dependeret. Melius reſpondetur actionem creatiuam eſſe accidens non tamen reſpicere ſubiectum, à quo in genere cauſæ materialis dependeat. Ad rationem deſumptam ex natura accidentis dico non eſſe de conceptu accidentis reſpicere ſubiectum, à quo in genere cauſæ materialis dependeat, vt probabo in Metaphyſica, Controuerſia 6. Punct. 1. ſed ordinari ad aliud propter quod intentum ſit à natura, vt latiùs explicabo loco citato. Tradunt doctrinam hanc Soar. diſput. 20. Metaphyſic. ſect. 5. n. 27. Hurtadus diſp. 12. ſect. 4. Arriaga diſp. 9. ſect. 3. ſubſect. 4. 2

Obiicies. Actio creatiua eſt modus termini: ergo ab illo dependet, non in alio genere cauſæ diſtincto à genere cauſæ materialis: ergo in hoc genere ab illo dependet. Reſpondeo, creationem eſſe modum termini, & ab illo dependere non tanquam à cauſa, ſed tanquam ab extremo, cum quo habet neceſſariam connexionem, licet illum non ſupponat prius natura in aliquo genere cauſæ, ſicuti vnio integralis partium quantitatis dependet ab extremis vnitis, cum quibus eſt connexa, non tamen in aliquo genere cauſæ ab illis dependentiam habet. Idem dico de modo vnionis eſſentialis educto ex materia reſpectu formæ. Rationes aliæ, quæ contra noſtram concluſionem adducuntur faciliìmè ex doctrina tradita ſolui poſſunt. 5

Pvnctvm IV.

An virtus creatiua creaturæ competere poſſit?

Lata ſe offerebat diſputationis materia, ſi vellemus rationes omnes, quæ pro negatiua parte quæſtionis præfixæ à multis adducuntur, quæ ideò plures quia inefficaces omnes, cum enim nulla illarum acquieſcat animus ad aliam inueſtigandam quacumque audita ſemper conuertitur. Adducam præcipuas, quas apud Doctores inuenio, & iuxta propriam ſententiam quæſtionem definiam, quæ procedit de virtute naturali, & obedientiali ad creandum. 1

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Aliorum placita ipſorumque fundamenta.

2 EX Doctoribus Scholaſticis vnus fuit Durand.in 2. diſt. 1. quæſt.4. qui negauit ad creandum requiri virtutem infinitam, & conſequenter repugnare creaturæ aliquid efficere abſque ſubiecti mutatione. Aliquantulum huic ſententiæ fauet Gabr. in 2. diſt. 1. quæſt 4. art. 2. vbi licet affirmet creaturam non poſſe creare, dicit huius rei rationem reddi non poſſe, niſi petitam ab experientia, qua conſtat hanc eſſe creaturarum conditionem, quæ tranſgredi non poteſt, Gabrielem rogarem quando, quomodoque expertus ſit vnum Angelum alium non creare. His non parum adhæret Arriaga, qui aſſerit diſput.11. ſect.5. ſubſect. 2. nulla ratione probari repugnantiam creationis procedentis à principio creato, & probabilius apparere poſſe à Deo produci creaturam aliquam habentem virtutem ad creandum, non ſolùm vt cauſam inſtrumentalem, ſed etiam vt cauſam principalem. Communis Scholaſticorum ſententia fert repugnare creaturam habentem virtutem, & cauſam principalem creatiuam, ita Mag.in 4. diſt. 5. & Din. Thom. 1. part. quæſt. 45. artic. 5. & apud hos plures Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 1. quem ſui ſequuntur. Ocham.in 2. quæſt.7. Henr.quodlib.4. quæſt. 37. & Ægid. quodlib. 5. quæſt. 1. Eandem ſententiam amplectuntur Pater Vaſquez, 1. part. diſput.175. c.2. P.Soar.in Metaph. diſp 2. ſect. 2. P. Hurtad. diſp.12. ſect.6. P. Albert.tom.1. coroll. quæſt. 17. Theolog. ex primo principio philoſophico, & alij innumeri. De potentia obedientiali creatiua negant D. Thom. ſuprà, Scot. ibi Caiet. 3. part. quæſt.62. Fonſ. 5. Metaph.cap. 2. Vaſquez ſuprà, P.Granad.1. part. ad quæſt. 44. & alij plurimi. Creaturam poſſe à Deo eleuari vt inſtrumentum ad creandum defendunt Soar. ibid. ſect.3. num.9. P. Albert. tom. 1. quæſt. 1. Theologica in 1. coroll. ex 2. princip.philoſoph.num.14. Pater Hurtadus ſuprà, & Arriaga ibidem.

3 Probat Angelicus Doctor nullam cauſam creatam poſſe virtutem habere creatiuam, hac ratione. Effectus vniuerſaliſſimi tribuendi ſunt cauſæ vniuerſaliſſimæ, ſcilicet Deo: ſed terminus creationis eſt vniuerſaliſſimus, quia eſt ratio entis: ergo tantùm poteſt tribui Deo cauſæ vniuerſaliſſimæ illius. Hanc rationem difficilem putant Hurtad. & Arriag. ſuprà: obiicit iſte vniuerſaliorem non eſſe terminum creationis, quàm generationis, quia non eſt vniuerſalior Angelus terminus creationis, quàm aquæ gutta generationis terminus. Additque obſcurum eſſe quid ſit creationem terminari ad rationem entis, cum tantùm differat creatio, & generatio ex eo, quod hæc ſubiectum reſpiciat, & non illa. Ibidem oſtendit ille: aſſerit creationem non terminari ad rationem entis abſtracti, ſed ad rationem entis contracti ad tale ens, qua ratione generatio similiter terminatur ad ens, quia terminatur ad tale ens. Neque vlla eſt actio generatiua, ſeu creatiua, quæ terminetur ad rationem entis abſtractam, ſed omnis actio terminatur ad terminum ſingularem, & contractum ad talem entis rationem. Aſſentior doctrinæ adductæ ab Hurtado, & Arriaga, ſed exiſtimo abs re adduci ad rationem Diu. Thom expendendam. Aſſerit Angelicus Doctor creationem terminari ad ens eo ſenſu, quo ſæpè dicit cauſam primam concurrere ad rationem communem entis, & non ad rationes ſpeciales, hoc eſt virtutem Dei ſe extendere ad omnia ſingularia, quibus ineſt prædicatum entis, & non circunſcribi aliqua ratione ſpeciali, ſicuti reliquæ cauſæ creatæ, quarum effectus non æquè ſe extendunt ad ens: ſed continentur intra certam ſpeciem: ſic ignis poteſt producere ſingularia, quibus ineſt hoc prædicatum ignis, non verò illa, quæ hoc prædicato non gaudent. Eodem ſenſu dicimus potentiam viſiuam ſeu viſionem ferri in colorem, non quia aliquando ratio abſtracta coloris aliquo percipiatur actu, ſed quia varij actus ſingulares, ſeu diuerſæ rationes poſſunt terminari ad omnia indiuidua contenta ſub ratione communi coloris. Sic exiſtimat Sanctus Thomas virtutem creatiuam terminari ad rationem entis, ita vt eo ipſo, quod hæc cauſa habeat virtutem creandi, illam poſſit exercere reſpectu omnium entium, & in eodem ſenſu aſſerit creationem reſpicere vniuerſaliſſimum terminum, non quia hæc numero creatio rationem communem reſpiciat, ſed quia creationes, quæ poſſunt à virtute creatiua procedere poſſunt attingere quidquid eſt creabile, quia virtus creatiua refertur ad creabile, vt creabile eſt, ſicuti potentia viſiua ad colorem, vt color eſt, & ſicuti hæc eo ipſo, quod reſpiciat colorem vt color eſt, poteſt quemcumque colorem ſingularem reſpicere, ita eo ipſo, quod reſpiciat creabile vt creabile, poteſt quodcumque obiectum creabile producere. Hac ratione docuit Sanctus Thomas Angelum non poſſe creare ſibi ſimilem, quia poſſet creare omnes Angelos. Id mihi in hac ratione difficile eſt, cur quæcumque virtus creatiua debeat reſpicere tanquam obiectum omne creabile vniuerſaliſſimè ſumptum, & non poſſit reſpicere aliquod ſpeciale genus creabilium, ſicuti virtus generatiua hominis non reſpicit omne generabile, ſed certam ſpeciem generabilem.

4 Secundam rationem ſic efformant Henr. & Ric. Inter ens, & nihil eſt diſtantia infinita: ergo requiritur infinita virtus vt aliquid ex nihilo extrahatur ad rationem entis. Antecedens probatur: maior diſtantia eſt inter ens, & non ens, quam inter ens poſitiuum & poſitiuum, ſed inter Deũ, & hominem eſt diſtantia infinita: ergo inter hominem, & non hominem erit etiam diſtantia infinita. Confirmatur: eſſe, & non eſſe diſtant contradictoriè: ergo ſummè: ergo non poteſt diſtare magis Creator à creatura, quam creatura à ſuo extremo contradictorio: ergo ſicuti Deus diſtat à creatura infinitè; ita creatura diſtabit infinitè à nihilo, quod eſt ſui contradictorium. Si diſcurſus iſte rectè inſpiciatur, eo tendit vt probet nihil poſſe produci à virtute finita, non ſolùm per actionem creatiuam, verum neque per generationem quod ſic oſtendo. Quicumque effectus producatur fit ex nihilo ſui, ſiue fiat ex ſubiecto, ſiue ex nullo præſuppoſito ſubiecto, quod fieri, ex nihilo dicitur reſpectu termini creati: ſed nulla entitas opponitur contradictoriè cum nihilo ſubiecti, ſed cum nihilo ſui, verbi gratia, calor non opponitur contradictoriè cum nihilo ſubiecti, in quo poteſt recipi, ſed cum nihilo eiuſdem caloris: ergo quando calor producitur ex aliquo ſubiecto & ex nihilo ſui, extrahitur in illa productione ex contradictoria diſtantia, quam intendit argumentum ſuprà factum: ergo non poteſt hoc fieri, neque calor extrahi ab extremo infinitè diſtanti niſi virtute infinita: ergo non poteſt calor produci adhuc dependenter à ſubiecto, niſi à Deo infinitè potente.

5 Huius rationis fundamentum acutè euertunt Scot. & Durand. hac ratione. Diſtantia inter extrema immediata, tanta poteſt eſſe præcisè quantum vnum extremum eſt maius altero, quia dum medium non eſt inter vtrumque extremum nulla poteſt eſſe diſtantia niſi exceſſus ſupra alterum: ſed vnum extremum tantùm poteſt aliud excedere ratione totius ſuæ entitatis: ergo ſi tota ſua entitas non ſit infinita, ſed finita, exceſſus non erit infinitus, ſed finitus. Secundò eatenus diſtat non eſſe hominis ab eſſe hominis quatenus deficit ab eſſe quod habet homo: ſed eſſe, quod habet homo eſt finitum: ergo tantùm deficit ab eſſe finito, quantum deficit finitè, nihil enim poteſt ab eſſe finito per purum non eſſe illius infinitè deficere. Vltimò impugnatur hæc ratio. Creatio termini ex nihilo tantùm attingit entitatem poſitiuam termini: hæc eſt finita & limitata: ergo tantùm attingit quid finitum, & limitatum, quidquid ſit de diſtantia ipſius termini à nihilo quia diſtantiam hanc non attingit creatio, ſed tantùm vnum extremum illius, diſtantia autem cum ſit interiacens inter extrema, debet vtrumque dicere, videlicet nihilum termini, & ipſum terminum, quorum creatio tantùm attingit extremum poſitiuum, non negatiuum, ſeu nihilum, ſeu negationem termini, quia negatio tantùm poteſt attingi per actionem tanquam terminum *à quo*, vt notum eſt, quia in ſe ipſa actionem non terminat vt terminus *ad quem*, neque illius eſt ſubiectum: vbi autem non eſt ſubiectum, quod tranſeat, terminus *à quo* eſſe non poteſt. Ex his facilè eſt argumentum diſſoluere, admiſſa enim diſtantia infinita inter nihilum termini creati, & ipſum terminum creatum non arguitur virtutem creatiuam fore infinitam, quia hæc tantùm attingit extremum finitum diſtantiæ, non vtrumque, in quo diſtantia conſiſtit vt dictum eſt. Secundò falſum eſt diſtantiam inter nihilum termini creati, & ipſum terminum eſſe infinitã, vt iam oſtendi. Ad confirmationes adductas dico extrema contradictoria habere tantum oppoſitionem, quæ poteſt eſſe inter ipſa, non tamen vnum extremum habere ſummam diſtantiam

ab altero, quam potoſt habere à quocumque alio, magis enim diſtat eſſe hominis ab eſſe Dei, quam eſſe hominis à non eſſe ipſins, quia à non eſſe hominis tantùm diſtat ſecundum ſuum eſſe hominis, & ab eſſe Dei ſecundùm infinitas creaturas poſſibiles perfectiores homine, & imperfectiores Deo, & ſecundum infinitum Dei eſſe.

6 Tertia ratio eſt Caietani, quam ſic format: Quando duo principia concurrunt ad eundem effectum, quo magis decreſcit virtus vnius magis debet accreſcere virtus alterius reſpectu eiuſdem effectus, ſed in actione creatiua cauſa materialis decreſcit in ſummum vſque ad non eſſe ſui: ergo virtus actiua debet creſcere in ſummum vſque ad ſui perfectiſſimum: ergo debet attingere perfectionem infinitá: ergo virtus finita, & limitata non poteſt eſſe principium creationis. Reſpondeo deficiente causâ materiali principium efficiens debere ſupplere virtutem illius, & influxum, quem cauſa materialis præſtaret, ex quo infertur virtutem effectiuam debere eſſe infinitam, quia ſi principio, quod cum cauſa materiali poterat producere effectum, totidem perfectionis accreſcat, quod haberet cauſa materialis, non ideò infinitè perfectum euadet, quia pefectiones duplicis cauſæ creatæ effectiuæ, & materialis ſimul ſumptæ non æquiualent ſimplici perfectioni infinitæ. Ad formam argumenti. Reſpondeo tantum perfectionem debere addi principio effectiuo, quanta deficit in materiali, in hoc autem non deficere perfectionem infinitam, cùm tota illius perfectio finita ſit, & ita non debere addi principio effectiuo infinitam perfectionem. Idem dico de influxu, cùm enim influxus cauſæ materialis, & effectiuæ vnus, & idem ſit finitus, & limitatus, influxus principij creantis, qui loco vtriuſque eſt abrogandus in influxum principij ſuppleturus non debet eſſe infinitus, ſed finitus eſſe debet ſicuti eſt de facto influxus, quem Deus præſtat reſpectu cuiuſuis effectus creati.

7 Quarta ratio eſt Scoti, quâ vtitur Vaſquez. Si aliqua virtus creatiua daretur, deberet eſſe ſpiritualis, materialis enim cùm à materia dependeat non poteſt non operari dependenter à materia, virtus autem ſpiritualis operatur media volitione, quæ cum accidens ſit improportionata eſt ad actionem creatiuam. Poſſet reſponderi non eſſe de ratione rei materialis dependere à materia, poteſt enim dari corpus ſimplex, quod à materia non dependeat, & forma materialis creata, quæ licet ordinem dicat ad materiam & ad illius diſpoſitiones, ſicuti rationalis anima, non dependeat ab aliqua materiali cauſa, à qua formâ poſſet alia ſimilis creari. Sed eſto, poſſibilis non ſit virtus creatiua, quæ ſpiritualis non ſit, & neceſſariò media volitione hæc ſit operatura. Volitio non eſt virtus, à qua phyſicè operatio procedit, ſed tantùm conditio applicans virtutem ad operandum: ergo quamuis accidens ſit, poteſt conducere ad creationem non tanquam formalis ratio cauſandi, ſed tanquam virtutis applicatio, ſeu determinatio, ſicuti conducit approximatio localis cauſæ ſubſtantialis, quæ conſiſtit in præſentia accidentali ad effectum ſubſtantialem producendum.

8 Quinta ratio eſt P. Soarij, qui ex eo quod nulla ex exiſtentibus creaturis virtutem habeat creandi, infert, non eſſe poſſibilem talem creaturam, quia ſi talis creatura poſſibilis eſſet conſtitueret alium gradum, & ordinem præter eos, qui nunc ſunt, quia haberet diſtinctum, & altiorem operandi modum: ergo pertineret ad perfectionem vniuerſi vt eſſet talis gradus: dicendum ergo poſſibilem non eſſe talem creaturam, ne dicamus vniuerſi ordinem eſſe imperfectum, & mancum. Confirmat hanc rationem auctoritas D. Thomæ, qui eadem probat 1.q. Deum Angelos creaſſe. Rationem hanc valde ſenſatam dicit eſſe N. Albertinus, quam inefficacem eſſe ſic oſtendo. Poſſibiles ſunt plures ſpecies creaturarum longè perfectiores his exiſtentibus: ergo non rectè infertur: non exiſtit creatura, quæ habeat hanc virtutem: ergo non eſt poſſibilis, alias non poſſet Deus creaturas diuerſi ordinis exiſtentibus perfectiores producere, quod admitti nequit, vt probabo Controuerſia ſequenti. Neque in principiis eiuſdem Soar. hæc conſequentia firma eſſe poteſt, cum ipſe concedat poſſibile eſſe corpus ſimplex carens compoſitione eſſentiali materiæ, & formæ, licet de facto non detur, & ſit diuerſi ordinis ab his, quæ exiſtentia cognoſcimus. Ad auctoritatem D. Thomæ qui hac ratione vtitur ad probandum dari in rerum natura Angelos exiſtentes, reſpondeo in materia, de qua agebat D. Thomas rationem hanc eſſe valde probabilem licet Metaphyſicè intentum non includat, quia multum perfectionis deeſſet vniuerſo, ſi Angeli non eſſent in illo creati, qui valde ſunt neceſſarij ad hominum cuſtodiam, cæterorum gubernationem, & alia plurima, creatura autem, quæ virtutem haberet creandi etſi perfectionem daret vniuerſo, non tamen ita neceſſariam, ſicuti eſt illa quæ mundo accreſcit ex Angelorum creatione. Inquires, an ſi talis creatura daretur, eſſet perfectior Angelis. Reſpondeo rem eſſe incertam, quia etſi illos ſuperaret in modo producendi effectus, forſan non poſſet producere effectus æquè perfectos, ac producit Angelus, neque haberet alia prædicata æquè perfecta ac Angelus, & ita exceſſus perfectionis in modo producendi poſſet compenſari, & excedi ex perfectione effectuū, & ex aliis prædicatis, ita vt omnibus penſatis perfectior eſſet Angelus non habens virtutem creatiuam illa creatura hac virtute gaudente.

9 Sexta ratio eſt P. Hurtadi, quam ſic expendit. Omnis actio eſt proportionata modo eſſendi, quam habet illius principium, ſed nulla eſt entitas creata, quæ non habeat aliquam compoſitionem, vel ex materia, & forma, vel ex ſubiecto, & accidenti, vel ex natura & ſuppoſito: ergo nulla creatura poteſt habere aliquam actionem, quæ non ſit pars alicuius compoſitionis, vel ſubiectum illius: ſed creatio nullam facit compoſitionem, neque tanquam forma neque tanquam ſubiectum: ergo non poteſt procedere à creatura. Hæc ratio nihilo magis aliis præſtat Do omnem virtutem productiuam habere aliquam compoſitionem, parco illationi, & primum conſequens admitto, nego tamen actionem creatiuam ad aliquam compoſitionem non pertinere, quia in primis ipſa in ſe poteſt habere compoſitionem integralem, ſi ad terminum integraliter compoſitum ordinetur. Secundò poteſt eſſe ſubiectum ſuæ præſentiæ. Item durationis, & relationis, in opinione, quæ admittit durationem, & relationem eſſe accidentia realiter à ſubiectis diſtincta.

§. II.

Propria ſententia.

10 AFfirmo nullam creaturam exiſtere neque poſſibilem eſſe, quæ virtutem habeat creatiuam, trahit me ad hanc concluſionem etſi non forti aliqua ratione ſuffultam auctoritas Patrum, & Scholaſticorum à quibus ſine grauiſſimo fundamento non licet recedere, in præſenti autem licet rationem nimis efficacem pro hac ſententia non inuenerim nullam vidi, quæ oppoſitam poſitiuè ſuadeat. Probo concluſionem ex D. Cyrillo Alexand. lib. 2. contra Iulianum: *Inacceſſa naturæ ſunt ea, quæ propria ſunt ſolius, & omnium ſummæ ſubſtantiæ. Quorum vnum eſſe dicimus efficaciter producere poſſe vt creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant.* Tradit eandem concluſionem Auguſtinus lib. 12. de ciuitate Dei cap. 24. & 3. de Trinit. cap. 8. *Nec boni* (verba ſunt Auguſtini,) *nec Angeli mali poſſunt eſſe creatores alicuius rei*, & cap. 15. lib. 9. de generatione ad litteram: *Creare naturam nullus Angelus poteſt neque ſeipſum.* Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos ſic habet: *Adminiſtrare creaturarum, & ſeruorum eſt, conducere autem, & creare ſolius Dei, eiuſque Verbi, & ſapientiæ.* Ad affirmandum creaturas quæ de facto dantur virtutem non habere creatiuam, negatio tantùm indigeo fundamēto, quod ſimul cum Doctorum, & Patrum auctoritate firmiſſimum eſt. Illud eſto, nullam eſſe rationem, vel leuem coniecturam quæ ſuadeat alicui enti creato virtutem ineſſe creandi: ergo non ſine magna temeritate poteſt dici dari de facto creaturam potentem creare, vt enim ſæpè dixi ad non concedendam de facto virtutem exiſtentem ſufficit nullam eſſe rationem, quæ illius exiſtentiam propugnet, præcipuè cum tanta Doctorum, & Patrum auctoritas illam impugnet.

11 Circa creaturas poſſibiles difficile admodum eſt rationem reddere, cur non poſſit dari aliqua hac virtute prædita. Vidimus rationes ſuprà adductas inefficaces eſſe, aliam propono. Non poteſt dari creatura, quæ operetur immanenter niſi per actionem receptam in ipſa: ergo non poteſt dari creatura, quæ operetur tranſeunter, niſi per actionem in alio ſubiecto receptam. Probo conſequentiam: ſicuti non eſt de ratione actionis tranſeuntis recipi in ſubiecto, ſi quidem Deus per actionem tranſeuntem in nullo ſubiecto receptam operatur, ita non eſt de conceptu operationis immanentis recipi in ſubiecto, à quo procedit, Deus enim immanenter operationes intelligendi, & amandi

amandi exercet, quæ non recipiuntur in Deo, ſed cum illo identificantur : ergo hoc quod eſt non poſſe creaturam operari immanenter, niſi per actionem, quæ ſubiectum recipiat non oritur ex prædicato immanentiæ abſtractè ſumpto, ſed ex eo quod talis actio à creatura procedat : ergo eo ipſo, quod actio procedat à creatura petit recipi in ſubiecto : ergo implicat procedere actionem aliquam à creatura, quæ non exigat recipi in ſubiecto : ergo implicat à creatura procedere creationem, cuius conceptus quidditatiuus eſt independentia à ſubiecto. A priori poteſt deſumi ratio ex natura agentis creati, quod ex ipſo quod creatum eſt, eſt capax receptionis paſſiuæ, & poteſt eſſe ſubiectum aliquorum accidentium, (quod intendunt, qui dicunt omne ens creatum eſſe immerſum potentialitate, ſeu habere aliquid potentialitatis, & non eſſe purum actum) eo ipſe quod in ſe ſit capax receptionis principium eſt actionum, quæ in ſe ſint receptiones, & ſubiectum exigant, in quo per ſe ipſas recipiantur. Ex quo prouenit actionem immanentem procedentem à creatura debere recipi in proprio ſubiecto, non præcisè quia immanens ſit, ſed quia ex eo, quod ſit actio procedens à principio receptionis capaci recipi poteſt, & eo ipſo, quod ſit immanens recipienda non eſt in ſubiecto diſtincto à principio quibus ſit in ipſo principio recipiendam eſſe. Non me latet plures ſolutiones, quæ poſſunt huic rationi adhiberi, quod attendas obſecro, ſi illam impugnes : verumtamen; illa vtor, quia nullam aliam cum maiori probabilitatis ſpecie inuenire potui, & me cogit Doctorum, Patrumque conſenſus concluſionem traditam non deſerere, quapropter dum aliam efficaciorem rationem non inuenio, licet non animus omnino huic acquieſcat, diſputationi ſuperſedeo, nolo enim aliâ deſtitutus hanc ſolutionibus, impugnationibuſve inquietare.

12 Creaturas exiſtentes non poſſe aſſumi vt inſtrumentum ad creandum mihi certum eſt. Non moueor ratione, qua alij vtuntur, videlicet inſtrumenta debere aliquid præuium ad actionem operari, quod putant eſſe contra rationem creationis, quia falſo dicunt quamcumque præuiam operationem eſſe contra rationem creationis, plures enim diſpoſitiones procedunt ex parte materiæ ad animi rationalis creationem, cum hac enim tantùm opponuntur diſpoſitiones, quæ ſubiectum ad receptionem paſſiuam termini præparant. Secundò : quidquid ſit de natura inſtrumenti inquiritur an poſſit dari creatura, quæ poſſit per modum principij inadæquati determinati à Deo concurrere ad creationem, addita à Deo non ſolùm tanquam à cauſa prima, ſed tanquam ab alio comprincipio inadæquato ſpecialiter concurrente. Cui difficultati non ſatisfit ex eo, quod inſtrumentum debeat aliquid præuiè operari, quia ſi hæc eſt inſtrumenti natura, non inquiro de inſtrumentali, ſed de cauſa inadæquata minus principali adiuta ab alia magis principali. Cenſeo creaturas de facto exiſtentes non ita concurrere poſſe, neque poſſe eleuari à Deo ad creationem, quia illis innata, ſeu obedientialis virtus non eſt ad creationem. Vide dicta Controuerſia 9. vbi probaui, non eſſe admittendas virtutes obedientiales in creaturis diſtinctas ab illis, quas à poſteriori nouimus, & ſine fundamento multiplicandas non eſſe, cum autem nullum ſit fundamentum, ex quo poſſimus has obedientiales potentias in creaturis ad creationem agnoſcere, illas negare tenemur. De creaturis poſſibilibus eſt difficultas an repugnet creatura cum potentia obedientiali ad creandum : in negatiuam partem feror, vix enim repugnantiam aliquam inuenimus reſpectu creaturæ naturaliter potentis creare, quod ſi velis adhuc repugnare potentiam obedientialem reſpectu creationis, dicito eſſe de conceptu actionis procedentis à quocumque principio creato etiam inadæquato, & obedientiali, exigere ſubiectum, in quo recipiatur, aliámve quære rationem, ego enim illam non inuenio.

PVNCTVM V.

De his, quæ poſſunt creari?

1 MAteriam primam, & Angelum creari, eſt per ſe notum, cum enim materia prima ſubiectum aliud non ſupponat, non poteſt fieri ex præſuppoſito ſubiecto, eadem eſt ratio de Angelo, qui eſt entitas ſimplex, & completa non ordinata ad componendum aliquod totum conſtituendum ex ipſo & ex præſuppoſito ſubiecto. Idem eadémque ratione dicendum eſt de toto corporeo ſimplici : quod dari poſſit probaui Controuerſ. 5. Rationalem animum creari probat efficaciter illius incorruptibilitas, & independentia, quam habet à materia; item illius natura ſpiritualis, quæ naturaliter à ſubiecto materiali dependere non poteſt ; reliquas formas tam ſubſtantiales, quam accidentales educi ex præſuppoſita materia, ſiue ſint res ſiue modi, eſt certum apud omnes, quod probaui Controuerſ. 3. Punct 4. Fatentur etiam omnes, formas ſubſtantiales & accidentales, quæ res ſunt & non modi poſſe creari. Probanda paritate ex quantitate, quam ſine materia credimus conſeruari in Euchariſtia, & conſequenter per creationem, quia actio, ex vi cuius conſeruatur nullum præſupponit ſubiectum, Huic rationi hanc à priori ferè omnes adiungunt. Formæ ſubſtantiales non educuntur per ſe & immediatè, ſed media actione ſuperaddita : ergo poteſt eductio ſeparari ab illis, & loco illius ſubſtitui creatio. Acquieſco priori rationi, non huic poſteriori, quam ſic impugno. Ad hoc vt entitas creetur non ſolùm requiritur vt non repugnet ex ratione eductionis cum illa non identificata, ſed etiam neceſſaria eſt capacitas ex parte termini ad terminandam creationem, ſed hæc non infertur ex eo quod eductio non ſit identificata cum termino : ergo ex diſtinctione eductionis à termino non infertur ipſum poſſe creari. Rem declaro, & confirmo; ex eo, quod calor per vnionem ſuperadditam vniatur ſubiecto, non infertur, poſſe cuicumque ſubiecto vniri, neque poſſe quamcumque vnionem terminare, & hæc eſt inepta conſequentia : calor non vnitur per ſe ipſum media vnione ligno: ergo poteſt vniri Angelo ; ergo non rectè infertur, hic terminus non producitur per ſe ipſum ab agente : ergo poteſt à quocumque produci, & quamcumque actionem terminare, quam enim repugnantiam inuenies in entitate potente terminare diuerſas eductiones ſuperadditas incapaci terminandi creationem. Fateor plurimùm conducere vt creari poſſit terminus, ipſum non eſſe eductum per ſuam entitatem, quia licet eductio diſtincta non inferat capacitatem terminandi creationem, eductio identificata, vel infert negationem capacitatis terminandi creationem, vt dicam poſtea, vel ſaltem illam difficiliorem reddit, ad hoc enim vt res per ſe ipſam educta creatur, requiritur poſſe ſimul educi, & creari, in quo multi repugnantiam eſſe defendunt, & ſimul requiritur poſſe actionem ad actionem terminari, & dari actionem actionis, quod implicare fert communis ſententia. Concludo ergo formas omnes, quæ ſunt res, & non modi poſſe creari, quia ex vna parte non repugnat ratione eductionis cum illis identificatæ, & ex alia parte capacitatem ex parte ipſarum ad terminandam creationem à paritate quantitatis colligere debemus, abſque fundamento enim diceretur in formis materialibus & accidentalibus ſpeciale eſſe quantitati poſſe actionem creatiuam terminare.

De formis modalibus poterat eſſe difficultas an poſſent creari, quæ ſi attentè inſpiciatur, leuiſſima eſt. Affirmo, 2
modos, ſicuti præſentiam, & vnionem aliáſve huiuſmodi poſſe terminare actionem creatiuam : ita tenet Hurtadus diſput. 12. ſect. 5. Moueor à paritate reliquarum formarum, quia in his non ſpecialem repugnantiam inuenio, vt poſſint actionem creatiuam terminare. Quod vt exprimam aduerto, creationem tantùm dicere independentiam ab aliquo tanquam à cauſa materiali, non verò negationem connexionis rei creatæ cum alia. Quo poſito ſic arguo : ſi aliqua eſſet ſpecialis repugnantia in formis modalibus, eſſet, quia per ſe ipſas dependent à re cuius ſunt modi : ſed dependentia, quam per ſe ipſas habent, non eſt tanquam à cauſa materiali : ergo non opponuntur cum creatione. Minorem probo, cætera patent : vnio integralis inter duas partes quantitatis tantùm per ſe ipſam dependet ab extremis, & media paſſione ſuperaddita à materia : ſed ab extremis non dependet tanquam à cauſa materiali, ſed à materia prima, cui inhæret : ergo dependentia identificata, quam habet illa vnio non opponitur cum creatione. Ex quo infero, vnionem integralem quantitatis Euchariſtiæ de facto creari, quia etſi dependeat ab extremis de facto non dependet ab aliquo præſuppoſito ſubiecto, quod exerceat cauſalitatem cauſæ materialis reſpectu illius, quæ tantùm opponitur cum creatione.

3 De modis aliis, qui per ſe ipſos afficiunt ſubiecta, ex quibus ducuntur, & illorum dicuntur modi, ſicuti præſentia, & vniuerſim de omnibus modis ſic probo. Præſentia, quam defacto habet hæc quantitas dependet ab illa in genere cauſæ materialis: non per ſe ipſam, ſed per paſſionem ſuperadditam: ergo non eſt aliqua ſpecialis ratio in præſentia, neque in aliis modis, quæ non reperiatur in formis, quæ ſunt res, propter quam non poſſit creari forma modalis. Antecedens probo: præſentia quantitatis potuit produci ab hoc, vel ab illo principio actiuo: ergo potuit dependere per hanc, vel per illam actionem à principio actiuo; forma enim indifferens vt dependeat à diuerſis principiis indifferens eſt, vt dependeat per diuerſas actiones, quia non poteſt eadem actio à diuerſis principiis procedere: ergo poteſt dependere per hanc, vel per illam paſſionem à quantitate: ergo non dependet per ſe ipſam à quantitate tanquam à cauſa materiali: ergo non eſt ſpecialis ratio in forma modali, quæ non ſit in formis realibus, propter quam non poſſit creari, cum non eo ipſo, quod modus ſit, per ſe educatur, licet per ſe dependeat dependentia connexionis diſtincta à dependentia, quæ eſt in genere cauſæ materialis, quæ non eſt dependentia propriæ cauſalitatis; modus enim non præciſè ex eo, quod ſit modus in aliquo genere cauſæ dependet à re, cuius eſt modus, ſed tantùm habet cùm illa connexionem ſtrictam, ratione cuius neque de potentia Dei abſoluta poſſunt ſeparari.

4 Confirmatur: Paſſio media qua vnio recipitur realiter diſtinguitur ab illius vnione, quia præſentia per ſe ipſam vnitur ſubiecto, & recipitur per paſſionem ſuperadditam identificatam cum actione, vt probat manifeſtè ratio adducta ex diuerſitate principiorum, à qnibus actio eiuſdem termini procedere poteſt: ergo non ex eo, quod non poſſit vnio modi ad rem, cuius eſt modus, ſeparari ab illo, infertur, non poſſe paſſionem ab eodem ſeparari.

5 Dices ad creationem termini requiri independentiam non ſolùm à ſubiecto, ſed etiam ab omni quocumque alio. Contrà: definitio creationis tantùm dicit terminum produci ex nihilo, hoc eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto: ergo dependentia à termino, ſeu ab alio, cum quo modus connexionem habeat creationi non obeſt. Confirmatur: in communi ſententia materia prima non poteſt conſeruari ſine forma, & nihilominus, quia ab illa non dependet per cauſalitatem cauſæ materialis, dependentia à poſteriori, quam à forma habere dicitur, non opponitur cum creatione materiæ: ergo creatio non dicit negationem cuiuſcumque dependentiæ. Vrgeo efficaciùs. Poſſibilis eſt actio terminata ad modum exiſtentem, ex vi cuius non dependeat ab aliquo ſubiecto in genere cauſæ materialis, etiamſi retineat connexionem eſſentialem, quam habet cum re, cuius eſt modus vel ſi neges eſſe poſſibilem, illam tibi mente fingito: hæc actio non eſſet eductio, quæ eſſentialiter dicit dependentiam termini à ſubiecto: ergo eſſet creatio: ergo de ratione creationis tantùm eſt conſtituere terminum independentem à ſubiecto, non verò illum conſtituere abſolutum à quacumque alia connexione.

6 Inquires, an creato modo vnionis compoſito diceretur totum compoſitum creatum. P. Vaſquez 1. part. diſput. 174. cap. 4. num. 18. negatiuam partem defendit, quia compoſitum illud fieret ex aliquo videlicet ex partibus. Feror in partem affirmantem, quia eatenus producitur totum, quatenus producitur vnio, & ex vi productionis vnionis dicimus totum eſſe productum. Sic homo, cuins partes creantur, & vnio gignitur, genitus dicitur: ergo ſi illius modus vnionis crearetur, totus homo diceretur creatus, etiamſi per impoſſibile materia & forma hominis gignerentur, quia vt bene Hurtadus, illa dicitur totius productio, quæ eſt productio modi vnionis, qui eſt ratio formalis compoſiti, quo poſito non poteſt non eſſe compoſitum. Poteſt etiam dici tunc compoſitum non creari, non quia fiat ex partibus, ſed quia ratione formæ dependet à materia, de quo iterum Controuerſ. 2. de generatione, Punct. 2. ad finem. Ad rationem Vaſquez reſpondeo, aliud eſſe totum conſtare ex materia & forma tanquam ex partibns componentibus, aliud fieri ex præſuppoſito ſubiecto, & illius actionem præſupponere ſubiectum tanquam cauſam materialem, & paſſionis ſubiectum. Primum competit eſſentialiter toti compoſito quod cum creatione non opponitur: ſecundum illi accidentaliter competit, quando vnio media paſſione producitur, quæ non intercedet, ſi creetur vnio, & ita verum non erit actionem totius eſſe ex præſuppoſito ſubiecto, neque totum conſtare ex ſubiecto quod in genere cauſæ materialis media paſſione influat in totum, quod requiritur ad generationem, & creationi opponitur.

Pvnctvm VI.

An illa, quæ naturaliter creantur educi poſſint de potentia Dei abſoluta?

Tota procedit quæſtio de anima rationali, & de aliis 1
formis, quæ naturaliter petunt per creationem produci, quia de materia prima, & de toto completo, Angelo, verbi gratia, certum eſt non poſſe educi ex ſubiecto, quia materia prima nullum poteſt ſupponere, neque totum adæquatum, quod non ordinatur ad aliud componendum. De formis ſubſtantialibus poſſibilibus, & de anima rationali exiſtenti inquiri poteſt. An poſſint formæ, quæ media creatione diſtincta naturaliter producuntur, ex potentia ſubiecta educi. Secundò an formæ quæ immediatè per ſe ipſas creantur poſſint educi per aliam actionem ſuperadditam. De omnibus abſolutè loquendo negat Hurtadus diſput. 12. ſect. 3. Oppoſitam ſententiam tenent recentiores affirmantes poſſe formam etiam per ſe ipſam creatam educi ſimul per paſſionem ſuperadditam, quia non opponuntur contradictoriè rem per ſe ipſam creari, & ſimul educi per aliquid ſuperadditum. Mediam teneo viam, quam iam explicabo,

Anima rationalis exiſtens de facto educi non poteſt de 2
potentia ſubiecti etiamſi creetur per actionem ſuperadditam. Ratio eſt: ad hoc vt anima rationalis poſſit educi, debet ſupponi ex parte ipſius animæ capacitas ad terminandam actionem eductiuam, & capacitas ex parte ſubiecti ad recipiendam talem formam media paſſione, ſed nullum eſt fundamentum ad ponendam talem capacitatem in anima rationali exiſtenti, neque in alioquo ſubiecto ex his, quæ exiſtunt: ergo non eſt ponenda iuxta regulam ſæpe repetitam, videlicet non eſſe concedendam aliquam potentiam, ſeu prædicatum aliquod poſitiuum rei exiſtenti ſine poſitiuo fundamento. Confirmatur ratione adducta Punct. præcedenti, vbi dicebam non inferri ex eo quod res educatur media actione ſuperaddita poſſe creari: ergo neque infertur ex eo quod media creatione ſuperaddita creetur poſſe generari

Cum hoc compono poſſibilem eſſe formam ſpiritualem 3
naturaliter exigentem creari media actione ſuperaddita, quæ poſſit ſupernaturaliter educi ex potentia ſubiecti ſpiritualis, vel marerialis, ſi non repugnat rem ſpiritualem ex ſubiecto materiali educi. Hanc concluſionem probo ex eo, quod nulla ſit repugnantia in eo, quod forma naturaliter exigens creationem poſſit eductionem ſupernaturaliter terminare, ſicuti non eſt repugnantia in eo, quod forma naturaliter exigens per generationem produci, poſſit per creationem ſupernaturaliter procedere.

Obiicit primò Hurtadus: Generatio eſt imperfectior 4
creatione, ſed quod eſt imperfectius non poteſt ſubſtitui loco perfectioris: ergo generatio non poteſt ſubſtitui loco creationis. Concedo maiorem, & nego minorem, quam gratis ſupponit Hurtadus.

Obiic. ſecundò: forma ſpiritualis per ſe ipſam eſt inde- 5
pendens à materia: ergo non poteſt ab illa dependere. Diſtinguo antecedens: per ſe ipſam petit eſſe independentem à materia, concedo antecedens: per ſe ipſam habet independentiam, nego, quia ſupponimus produci per creationem ſuperadditam, ex vi cuius ſupponitur independens.

Obiic. tertiò: Si illa forma educeretur ex potentia ma- 6
teriæ, viuens per illam conſtitutum non poſſet nutriri, quia indiuiſibiliter à tota materia dependeret. Ne nutriatur dum forma eſt educta contra propriam exigentiam, ex vi cuius creari debebat, quid tunc poſtea? Vel dicito poſſe nutriri per extenſionem formæ ad nouam partem materiæ, à qua non dependeret.

Obiic quartò: forma, quæ naturaliter creatur, eſt incor- 7
ruptibilis, ſed ſi dependeret à materia eſſet corruptibilis: ergo non poteſt ab illa dependere, aliàs eadem forma eſſet corruptibilis, & incorruptibilis. Reſpondeo negando minorem, quia forma illa, etiam quando eſſet educta peteret creari, & caſu quo deficeret actio ex vi cuius educebatur, ſemper illi eſſet debita creatio, ac proinde peteret non corrumpi.

Digitized by Google

7 De formis, quæ per ſe ipſas creantur ſentio non poſſe de potentia Dei abſoluta educi, quia cum ab illis non poſſit ſeparari creatio, eductio ſuperaddita ex natura ſua eſſet ſuperflua, neceſſariò enim reſpiceret terminum, qui in quocumque caſu æquè benè exiſteret illa deficiente. Hac ratione dixi non poſſe idem influere in ſe ipſum per ſecundam actionem, quia hæc eſſentialiter ſupponeret terminum independentem ab illa, & non poſſe actionem per ſe ipſam dependentem à principio ab eodem vel ab alio per aliam actionem ſuperadditam dependere, quod contingeret ſi generatio terminaretur ad terminum, qui per ſe ipſum crearetur, quia ille terminus eſſet creatio, ad quem generatio terminaretur. Eadem ratione dicendum eſt non poſſe terminum per ſe ipſum genitum, per creationem ſuperadditam à Deo produci.

8 Vltimò inquiri poteſt de formis, quæ poſſunt ſucceſſiuè educi, & creari, an poſſint ſimul terminare actionem creatiuam, & eductiuam? Supponimus poſſe eandem entitatem duplicem actionem totalem terminare, quod iam probaui Controuerſia 7. & in præſenti tantùm eſt specialis dubitandi ratio ratione peculiaris oppoſitionis, quam habet creatio cum eductione propter diuerſum modum reſpiciendi terminum. P. Soar. tom. 1. in 3. part. diſput. 14. ſect. 1. §. *Vltima ergo*, ait repugnare idem accidens eſſe per ſe, & inhærere, quod idem videtur eſſe ac creari & educi. Poſſe ſupernaturaliter eundem terminum educi, & creari per actiones diſtinctas plurimi recentiores docent, quibus ſubſcribo, nulla eſt enim ſpecialis ratio repagnantiæ inter eductionem, & creationem, quam Deus vincere non poſſit, quod ſic probo. Accidens eſſe independens ex vi creationis nihil aliud eſt, quàm actionem creatiuam non dependere à ſubiecto, quod propriùs ſignificaretur ſi diceretur accidens fieri independenter, ex quo faciendi modo fit accidens ex vi illius nullam trahere dependentiam, quod formaliter non dicit negationem abſolutam dependendiæ in accidenti, ſed negationem dependentiæ ortæ ex illa actione, ſeu per illam actionem non dependere. Similiter accidens eſſe dependens ex vi generationis dicit illam actionem eſſe dependentem, ex quo reſultat accidens ipſum dependere à ſubiecto quatenus habet eſſe per talem actionē, ita vt ſi ex vi aliùs actionis illud nō habet deficiente ſubiecto deficiet accidens, quia deficiet actio ex vi cuius vnicè exiſtebat. Sed eſſe dependentem à ſubiecto hanc actionem eductiuam, & illam creatiuam terminatam ad eandem entitatem non eſſe dependentem, non opponuntur contradictoriè: ergo accidens eſſe eductum, & creatum contradictoriè non opponuntur. Rem confirmo, & illuſtro. Pone calorem productum adæquatè ab igne & à Sole per duplicem actionem eductiuam, quam poſſe terminare ſupponimus in præſenti quæſtione. Ex vi actionis producentis à Sole calor recipit eſſe independenter ab igne, ita vt igne deficiente idem permanebit; ex vi actionis procedentis ab igne idem calor dependet ab igne per veram actionem, & dependentiam: ergo non repugnat idem accidens ex vi huius actionis eſſe independenter ab hac cauſa, & ex vi aliùs ab eadem dependere. Sic fit in termino creato, & genito, vt ex vi creationis non dependeat à ſubiecto, ſicuti calor, de quo dicebamus, ex vi actionis procedentis à Sole non dependebat ab igne, & ex vi generationis dependet à ſubiecto ſicuti idem calor ex vi alius actionis dependet ab igne.

9 Ex his ſolutio facilis eſt: ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondeo calorem eductum, & creatum eſſe dependentem, & independentem poſitiuè, quæ contradictoriè non opponuntur, ſicuti non opponuntur, Chriſtum eſſe extenſum in Cœlo, & inextenſum in Euchariſtia. Ad illud quod dicitur ſequi terminum dependere, & non dependere negandum eſt ſequi terminum non dependere, quia terminus, qui per vnam actionem dependet, etſi non dependeat per aliam, abſolutè dependet, tantùm dici poteſt terminum non dependere ex vi actionis creatiuæ ſeu non dependere ex vi huius actionis, ex quo non infertur abſolutè non dependere, non enim valet conſequentia à reſtricto ad non reſtrictum negatiuè. Neque idem ſonat, terminus eſt independens, ac terminus non dependet, quia terminū non depēdere dicit abſolutè non dependere ex vi alicuius actionis, ita vt neque per hanc, neq; per illam actionē dependeat, negatio enim omnia diſtribuit; terminum verò eſſe independentem, tantùm dicit terminū ex vi alicuius actionis non dependere, ſiue per aliam dependeat, ſiue non dependeat, cùm enim copula huius propoſitionis, terminus eſt independens, non ſit negata, ſufficit hanc vel illam independentiam termino ineſſe, vt verificetur, etſi alias idem terminus dependentiam habeat.

CONTROVERSIA XIV.

De Infinito.

AGGREDIMVR materiam meâ quidem ſententiâ difficillimam omnium, quas tota amplectitur Philoſophia, exiſtimo enim infiniti naturam longè explicatu difficiliorem eſſe continui compoſitione quam ingenui, acuti, doctique viri inſuperabilem putarunt: tota enim illius difficultas diſputationis hîc nos premit, ea enim eſt, finitâ noſtræ mentis acie infinitam molem euolui, quæ vix apprehenſione tangi poteſt, tantùm abeſt vt intellectus illam metiri valeat. Nihilominus ne videat mancum teliquiſſe hoc opus, de Infinito diſputo, cuius difficultates, etſi non penitus exhaurire præſumam, illas tamen explicare conabor.

PVNCTVM PRIMVM.

Infiniti definitio.

PRimo Infinitum diuiditur, in Infinitum ſecundùm eſſentiam, ſeu perfectionem, & in infinitum ſecundùm accidens. Infinitum *ſecundum eſſentiam* eſt illud, quod includit ſummam perfectionem poſſibilem, vltra quam non poteſt maior alia excogitari: hoc infinitum conſtat non quantitate molis ſed perfectionis, illa enim, quæ excellentiora ſunt maiora vocamus, vide Auguſt. libr. 6. de Trinitate capit. 8. ait: *In his quæ non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe.* Hæc infinitas tantùm competit Deo, qui vnicè habet perfectionem, ſupra quam non ſit alia: quæcumque enim perfectio à Deo diſtincta inferior eſt perfectione Dei, & defectibilis, & dependens, in quibus magna imperfectionis mixtura reperitur. Infinitum *ſecundum accidens* triplex eſt; ſecundum extenſionem, intenſionem, & multitudinem. Secundùm *extenſionem*, erit quantitas infinitè extenſa: ſecundum *intenſionem* qualitas erit, cuius gradus eidem ſubiecto inhærentes infiniti ſunt: Infinitum ſecundum *multitudinem* erit multitudo ex infinitis vnitatibus coagmentata. Non eſt diſputatio de infinito ſecundùm eſſentiam, ſed de infinito ſecundùm accidens, cuius definitiones iam expendo. 1

Antiqui definiebant infinitum: *cuius nihil eſt extra*: quos ſequuti ſunt Bacconius in 1. diſtinct. 44. quæſt. 1. art. 2. Durand. in 1. diſt. 43. quæſt. 2. & in 2. diſtinct. 1. q. 3. Aur. in 1. diſtinct. 44. quæſt. vnica art. 1. part. 1. §. *etſi quæratur*, vbi probat in continuo non eſſe infinitas partes: *Quia infinitæ partes* (inquit) *ſunt omnes partes, & infinita puncta ſunt omnia puncta.* Definitionem hanc impugnat Philoſophus 3. phyſic. text. 62. & 63. quia ſi intelligendum ſit illud: *cuius nihil eſt extra* pertinens ad id, quod infinitum dicitur, competit definitio omni toti perfecto, quod definiuit Ariſt. 5. Metaphyſicæ cap. 16. per eadem verba: *totum perfectum eſt, cuius nihil eſt extra.* Si intelligatur illud *cuius nihil eſt extra* etiam pertinens ad aliud compoſitum, non rectè definitur infinitum, quia poſito hic quodam infinito, poſſet aliud eſſe infinitum, imò alia infinita eiuſdem rationis extra illud reperiri, poteſt enim Deus cuicumque multitudini Angelorum etiam infinitæ, Angelum, & Angelum, infinitoſque Angelos ſuperaddere. Secundò eandem definitionem ſic impugno: detur infinitum hominum vel Angelorum & ab illius multitudine remoueat Deus vnum indiuiduum, quæ remanent neceſſariò erunt infinita, quia ſi eſſent finita per additionem vnius vnitatis non poſſent fieri infinita: ergo illa multitudo eſſet infinita, 2

Digitized by Google

& extra illam eſſet aliquid videlicet illud indiuiduum, quod Deus ex illa adimeret. Nec poterit dici illud indiuiduum non poſſe adimi, quia poſita infinita multitudine Angelorum Deus cognoſcit hunc indiuiduum Angelum, verbi gratia, Gabrielem diſtinctum realiter ab omnibus aliis: ergo cognoſcit illos Angelos à Gabriele diſtinctos eſſe finitos, aut infinitos: non finitos, quia etiamſi illis Gabriel adiungeretur non conſtituerent multitudinem infinitam: ergo infinitos: ergo cognoſcit multitudinem infinitam Angelorum diſtinctam ab aliquo Angelo in illa non incluſo: ergo cognoſcit extra illam multitudinem Angelorum eſſe aliquem Angelum: ergo non eſt de eſſentia infiniti vt extra illud nihil ſit.

3 Doctiſſimi Magiſtri hanc infiniti definitionem ſunt amplexati, qui negant infinitum adhuc poſſibile, ſeu rerum poſſibilium, quos ego ſic conuenio. In ſententia horum non datur infinitum adhuc poſſibile: ergo tenentur dicere conceptum explicatum, quem ipſi probant, non eſſe poſſibilem, vel eſſe conceptum rei finitæ: non dicent eſſe conceptum rei finitæ, aliàs vanè diceretur infiniti definitio: ergo tenentur dicere eſſe conceptum rei chymæricæ. Tunc ſic: Inquiro an conceptus ſignificatus per vulgarem definitionem ab Ariſt. traditam, quam poſtea exponam, ſit rei poſſibilis, vel incompoſſibilis: ſi rei impoſſibilis, & chimęrycæ: ergo vtraque definitio ad chymęram terminatur, cur ergo potius ſuam definitionem, quam Ariſtotelicam probant, cum vtraque ad chymæram terminetur. Si dicant definitionem formalem ab Ariſtotele traditam terminari ad obiectum poſſibile, & in ſe non repugnans, iam admittunt conceptum illum, quem tota Schola infinitum appellat, & quem ipſi latè impugnant: ergo admittunt infinitum. Neque dicere poſſunt illud, *cuius ſemper eſt vltra aliquid accipiendum*, eſſe non repugnans, finitum tamen, quia omnia argumenta quibus vtuntur ad hanc definitionem reiiciendam, oſtendunt vt probent illius obiectum eſſe repugnans, & fore finitum, & infinitum, quod etiam opponunt contra obiectum definitionis, quam tradunt, quod ſimilem repugnantiam habere dicunt: ergo omnia, quæ in noſtram definitionem accumulant, in ſuam aggerant: ergo eandem aleam apud ipſos vtraque definitio ſubire debet. Conceptum obiectiuum illius definitionis *cuius ſemper eſt vltra accipiendum*, fore infinitum, ſi in ſe repugnantiam non inuoluat, & rem finitam, & infinitam, non dicat, certum eſt quia omne ens reale finitum partes habet finitas, quæ ita accipi poſſunt, vt ad vltimam perueniatur, & alia non reſtet accipienda, poteſt enim illarum vna vltima aſſignari, vltra quam non ſit alia. Debent ergo, qui docent infinitum adhuc poſſibile chymæricum eſſe, nullam ſibi propriam definitionem confingere, neque aliquam approbare, ſed oſtendere conceptus obiectiuos ſignificatos per definitiones ab aliis traditas eſſe conceptus repugnantes, & fictitios, vel eſſe conceptus rei finitæ & limitatæ: quocumque enim ex his probent, rectè conuincent non dari infinitum: quo ſi ipſi illius definitionem conſtituant gratiæ illis habendæ non ſunt, ſi infinitum efficaciter impugnauerint: facile enim cuique erit infinitum ita conſtruere vt nulla opera ab ipſo deſtrui poſſit.

4 Secundò arguo contra hos recentiores. Affirmant infinitum eſſe cuius nihil eſt extra: ergo ſaltem tota collectio rerum poſſibilium erit infinita. Probo conſequentiam: extra totam illam collectionem nihil eſt: ergo illi conuenit infiniti definitio, quam ipſi probant: ergo eſt infinita, ergo non rectè componunt eſſe bonam definitionem infiniti *cuius nihil eſt extra*, & non dari infinitum adhuc rerum poſſibilium. Reſpondent vltra collectionem finitam rerum, verbi gratia, Angelorum poſſibilium non repugnare alium Angelum ex eo quod illa collectio ex ſe non ſit componibilis cum alio Angelo, vel quia ipſa repugnat accretioni aliùs Angeli, ſed quia non eſt Angelus alius, qui poſſit collectioni ex ſe augmenti capaci ſuperaddi, infinito autem eſſe repugnare aliam entitatem, quæ poſſet ſuperaddi, ita vt præcisè ex eo quod hæc Angelorum collectio eſſet infinita, illi repugnaret alium Angelum ſuperaddi, & aliquid illius generis eſſe extra illam, quod non habet tota collectio Angelorum poſſibilium, quæ de facto exiſtit, ac proinde infinita non eſt. Doctrinam huius ſolutionis falſam eſſe probabo Punct. 5. vbi oſtendam, poſſe collectioni infinitæ aliquid ſuperaddi, & non infinitæ collectioni repugnare augmentum eo ipſo quod ſit infinita. Sed eſto non repugnet ratione totius collectionis Angelorum, quæ de facto exiſtit, alium Angelum ſuperaddi, ſed quia in ſe repugnat alius Angelus ſuperaddens, ex quocumque capite oriatur repugnantia de facto repugnat dari alium Angelum extra hanc collectionem: ergo non eſt aliquid vltra accipiendum extra hanc collectionem: ergo huic collectioni conuenit definitio infiniti: ergo eſt infinita.

Tenenda eſt definitio tradita ab Ariſtotele, *cuius ſemper eſt vltra accipere*, id eſt, cuius partes accipienti ſemper aliæ & aliæ in infinitum reſtant accipiendæ. Quod intelligendum eſt vt intra ipſum infinitum, ea ſit partium multitudo, vt quantumuis ex illis ſucceſſiuè ſumantur ſemper aliæ reſtent accipiendæ quin poſſint ſucceſſiuè exhauriri incipiendo ab vna, quæ dicatur prima, & deſinendo in alia quæ vltima dicatur. Ex hac definitione deduxit Ariſtot. text. *65.* & *66.* infinitum potius habere rationem partis, quàm totius, quod intelligendum eſt reſpectu noſtri, quia ſi ab illo per partes incipiamus accipere ſemper quidquid acceptum habemus habet rationem partis, quod cum aliis compartibus, quæ reſtant accipiendæ totum infinitum componunt. Quando verò partes totius finiti accipimus, tandem ad vltimam peruenimus, qua accepta totum finitum comprehendimus, quod reſpectu totius infiniti præſtare non poſſumus. Eadem ratione dixit Philoſophus infinitum non eſſe totum actu, ſed potentia, quod ſimiliter reſpectu noſtri intelligendum eſt, cùm enim illius partes accipimus modo explicato nunquam totum apprehendimus, ſed partes, quibus aliæ, & aliæ reſpectu noſtri ſucceſſiuè accipientium ſuperadduntur, quin aliquando ſuperaddantur omnes illæ, quæ totum infinitum actuale conſtituunt. 5

PVNCTVM II.

Quid interſit inter infinitum categorematicum & ſyncategorematicum?

CElebris eſt diuiſio infiniti in categorematicum, & ſyncategorematicum, cuius membra diuidentia non omnibus nota, licet nulli non familiaria ſint. In primis in eo differunt hæc infinita, quod infinitum categorematicum componitur ex entitatibus actu exiſtentibus, quæ infinitum actu exiſtens ſecundùm ſe totum conſtituunt: infinitum verò ſyncategorematicum dicit entitates exiſtentes permixtas entitatibus poſſibilibus, itaque dicit aliquas entitates exiſtentes, alias verò poſſibiles. Entitates exiſtentes, quas includit infinitum ſyncategorematicum terminum poſſunt habere, non tamen terminum determinatum vltra quem augeri non poſſunt, quia eo ipſo quod detur infinitum ſyncategorematicum ex entitatibus exiſtentibus, & poſſibilibus conſtitutum, entitates exiſtentes licet terminum habeant ſemper poſſunt illum excedere, & magis ac magis augeri. Exempli gratiâ, numerus terminum habet, eo enim ipſo, quod ſit numerus, debet habere terminum, & aliquam habere vnitatem, quæ ſit vltima, non tamen eſt aliquis terminus, quo ita circumſcribatur, vt non poſſit alium habere, quo magis illius producatur extenſio, quantumuis enim millia milliaria millonum annumeres, nihil prohibet toti huic multitudini aliquem terminum ſuperaddere, ita vt dicat multitudo vnam vnitatem ſupra millia milliaria millionum. Itaque entitates exiſtentes infiniti ſyncategorematici ſemper poſſunt augeri, ſemper tamen in quocumque augmento aliquem terminum habebunt, quo multitudo finita circunſcribatur. Ratio eſt manifeſta, quotieſcumque additur illi infinito, ſi adhuc ſyncategorematicum remanet, adduntur vnitates finitæ, ſed vnitates, finitæ coniunctæ alis finitis vnitatibus non poſſunt multitudinem infinitam componere: ergo infinitum ſyncategorematicum ſemper dicit multitudinem finitam entitatum exiſtentium: differentiam hanc inter infinitum categorematicum, & ſyncategorematicum aſſignant ex Ariſtot. *3.* Phyſic. text. *33.* & *34.* Doctores omnes, qui de hac re diſputant. 1

Si naturam termini indeterminati quem habere diximus entitates exiſtentes, ex quibus infinitum ſyncategorematicum componitur percalleas, optimè noueris aliud eſſe rem poſſe in infinitum creſcere, aliud rem poſſe eſſe infinitam 2

Digitized by Google

infinitam. Poſſe in infinitum creſcere eſt nullam partem eſſe aſſignabilem, vltra quam non poſſit alia deſignari, quæ termino licet præcedenti maiori claudatur. Rem poſſe eſſe infinitam non dicit relicto hoc termino alio maiori definiri, ſed abſolutè carere omni termino, ita vt nullo res infinita cingatur. Ex his inferes non eſſe bonum arguendi modum: res poteſt infinitum augeri: ergo poteſt eſſe infinita, oſtendi enim numerum poſſe augeri in infinitum, vt notum eſt, quia quantumuis fingatur auctus, alia entitas poterit accreſcere, & tamen infinitus eſſe non poteſt. Similiter iuxta communem ſententiam continuum in infinitum poteſt diuidi, ita vt nunquam ad aliquam diuiſionem perueniamus, cui aliam ſuperaddere non poſſumus, tamen nunquam poterunt dari infinitæ diuiſionis continui. Loquor iuxta communem ſententiam. Similiter ab hoc die poterunt in infinitum dies pertranſire, non tamen poſſunt infiniti pertranſiſſe, quia ab hoc die vſque ad illum vltimum, qui pertranſiuerit, quemcumque aſſignes tantùm erunt dies finiti, cum omnes duobus diebus extremis hodierno videlicet, & illo vltimo aſſignato vtrinque claudantur.

3 Cæterum infinitum conſtitutum ex entitatibus actu exiſtentibus, vel præteritis, & aliis poſſibilibus, vel futuris, poteſt partes poſſibiles in duplici differentia continere. Quædam ſunt creaturæ poſſibiles, quas Deus poteſt omnes diſtributiuè, & collectiuè in actum reducere, ſic ſe habent infiniti Angeli poſſibiles, ſi non repugnat infinitum Angelorum actu exiſtens. Aliæ ſunt creaturæ poſſibiles, quæ ilcet illarum quælibet poſſibilis ſit; imò & futura, non tamen poterunt adhuc de potentia Dei abſoluta ad actum reduci omnia collectiuè, ita vt verum ſit dicere omnia illa poſſibilia actu exiſtunt. Sic ſe habent dies futuri per æternitatem à parte poſt, qui omnes collectiuè ſumpti numquam poterunt ſimul exiſtere, neque collectiuè extitiſſe. Ratio eſt manifeſta: ſi omnes dies ex quibus æternitas conſtat à parte poſt aliquando extitiſſent, iam nihil ſupereſſet æternitatis: ergo æternitas fuiſſet præterita, & finita, ſed implicat finiri æternitatem à parte poſt: ergo implicat extitiſſe omnes dies ex quibus æternitas à parte poſt componenda eſt. Dices: dies illi nunquam poſſunt exiſtere, neque poterunt coëxtitiſſe: ergo repugnat illorum exiſtentia: ergo non ſunt futuri, neque poſſibiles ſed tantùm chymærici. Reſpondeo diſtinguendo illud antecedens: dies illi non poſſunt exiſtere, neque extitiſſe collectiuè, concedo: diſtributiuè, nego. Hoc eſt datur aliquis dies ex his, qui æternitatem componant, qui non poſſit exiſtere, aut extitiſſe nego, quicumque enim dies quem tu aſſignes, ex his quæ æternitatem à parte poſt componunt aliquando exiſtet, & aliquàdo extiterit, ita vt ſit verum dicere in aliqua menſura, hic dies iam præteriit, collectiuè, concedo: ergo illi dies ſunt chymærici, diſtinguo conſequens: diſtributiuè ſumpti, hoc eſt datur aliquis illorum dies, qui ſit chymæricus, nego conſequentiam: collectiuè, ſubdiſtinguo: omnes dies æternitatis collectiuè ſumpti ſecundum ſe ſunt chymærici, nego; ſi conſiderentur vt iam præteriti, concedo, quia chymæra eſt dicere totam æternitatem à parte poſt iam præteriiſſe.

4 Inſtabis: Quidquid eſt futurum in hac menſura in aliqua erit præſens, & in aliqua erit præteritum, ſed æternitas à parte poſt eſt futura: ergo in aliqua menſura erit præterita. Diſtinguo antecedens: quidquid eſt futurum aliquando erit præſens, & aliquando erit præteritum ſecundùm quamlibet partem ſui ſeorſim ſumptam, concedo: ſecundùm ſe totum ſubdiſtinguo: quidquid eſt futurum in tempore aliquando erit præteritum, concedo: quidquid eſt futurum per æternitatem aliquando erit præteritum aut præſens ſecundùm ſe totum, nego. Eſt enim de ratione æternitatis ſucceſſiuæ, vt ſemper aliquid illius reſtet, neque id quod per æternitatem ſucceſſiuè futurum eſt in tempore eſſe poteſt, & ita neque in tempore poteſt eſſe præteritum. Itaque conſequentia illa: hæc entitas eſt modo futura: ergo aliquando verum erit dicere, eſt præſens: rectè infertur de re futura in tempore non de re futura per æternitatem ſucceſſiuè futurum eſt non eſt in tempore, ſed in æternitate futurum, & ita non erit verum dicere, aliquando, hoc eſt aliquo tempore eſt, ſed ſemper erit verum dicere, eſt ſecundùm aliquid ſui, & erit per totam æternitatem ſecundùm ſe totum.

5 De multitudine rerum, quæ diſtributiuè ſumptæ exiſtere poſſunt & non collectiuè exemplum præbet communis doctrina in collectione creaturarum poſſibilium, in qua nulla includitur, quam Deus non poſſit producere, non tamen poteſt omnes collectiuè producere, quia quacumque multitudine & quocumque infinito creaturarum producto rurſus poterit Deus aliam producere creaturam. Idem cernitur in diuiſionibus continui Ariſtotelici, quarum quælibet poteſt exhiberi à Deo, non tamen poteſt Deus omnes diuiſiones continui collectiuè exercere. In hoc ſenſu rectè dixit Durand. in 1. diſt. 39. quæſt. 2. ſingula poſſibilia eſſe quidem poſſibilia, non tamen omnia eſſe poſſibilia, hoc eſt poſſibilem non eſſe collectionem rerum exiſtentium, quarum quælibet exiſtere poteſt.

Dubitant nonnulli an infinitum ſyncategorematicum 6
eſſentialiter includat creaturas poſſibiles, quarum omnium collectio ſimul exiſtere, vel ſucceſſiuè extitiſſe repugnet, vel an ſufficienter conſtituatur per creaturas poſſibiles, ex quibus in infinitum exiſtentes augeri poſſint, etiamſi tota illa collectio poſſibilium de potentia Dei abſoluta exiſtere poſſit, ſicuti de multitudine infinita Angelorum multi ſentiunt. P. Albertinus tom. 2. de prædic. quantitatis diſp. 4. quæſt. 2. num. 8 aſſerit infinitum ſyncategorematicum eſſentialiter includere multitudinem poſſibilium, quæ collectiue exiſtere non poſſint. Probat ex eo, quod infinitum categorematicum, & ſyncategorematicum non diſtinguerentur. Sufficientem egò diſtinctionem inuenio inter vtrumque infinitum, ſi categorematicum componatur ex rebus exiſtentibus in eodem ſtatu. Verbi gratia, ex rebus actu exiſtentibus, & ſyncategorematicum ſit permixtum ex rebus finitis actu exiſtentibus, & ex aliis poſſibilibus quibus poſſit in infinitum augeri. Infinitum hoc modò conſtitutum infinitum dicitur cum addito, & finitum ſecundùm id, quod dicit exiſtens, quod infinitum ſyncategorematicum omnes appellamus: vtriuſque natura, atque differentia ſatis eſt nota, de nomine contendendum non eſt, quod ex libera tantùm hominum impoſitione dependet.

Grauior alia ſuboritur difficultas de differentia vtriuſ- 7
que infiniti. An videlicet differant non ſolùm in diuerſo ſtatu rerum, quas in ſe continent, ſed etiam in multitudine. An verò in multitudine rerum conueniant, & tantùm differant ex eo, quod infinitum categorematicum dicat multitudinem rerum in eodem ſtatu exiſtentium, & ſyncategorematicum dicat finitas entitates exiſtentes, & reliquas poſſibiles. P. Albert. ſupra num. 11. aſſerit infinitum differre ab infinito categorematico in numero partium, quia infinitum ſyncategorematicum non includit partes infinitas, neque intrinſecè includit infinitatem, ſed tendit in illam. Refert pro hac ſententia num. 2. Durand. & Gabr. oppoſitam ſententiam defendit P. Faſolus 1. p. tom. 1. quæſt. 7. art. 2. dub. 2. vbi clarè oſtendit à num. 12. neque Durandum, neque Gabrielem defendere Alberti ſententiam, ſed potius Durandum oppoſitam quam docet Faſolus tradidiſſe, eandemque Gabrielem indicaſſe, quam D. Thom. & Scot. apertè tradunt, verba Faſolus ipſe refert. Hanc exiſtimo eſſe communem Doctorum ſententiam: quod ſi aliqui dixerint infinitum ſyncategorematicum non eſſe ſimpliciter infinitum, ſed finitum ideò eſt, quia loquuntur præciſè de entitatibus actu exiſtentibus, quas includit infinitum ſyncategorematicum, vt diſtinctis ab illis poſſibilibus. Sic Hurt. diſp. 13. ſect. 1. §. aſſerit infinitum categorematicum ſecundum id, quod actu habet eſſe finitum, & hac ratione illud finitum appellat, addìque ſecundum ea, quæ non habet, ſed actu habere poteſt eſſe infinitum, quia poteſt illi fieri additio ſine termino. Itaque ne in æquiuocũ laboremus, aduerto nonnullos infinitum ſyncategorematicum appellare, vnitates, ſeu partes exiſtentes ex eo præciſè, quod poſſint addi per alias, & alias, quas ab infinito ſyncategorematico tantùm in exiſtentibus conſtituto diſtinguunt. Sic loquitur Hurt. nuper citatus. Alij infinitum ſyncategorematicum appellant multitudinem includentem partes exiſtentes, quæ poſſunt magis, & magis augeri per productionem actualium partium poſſibilium, & ſimul includentem partes poſſibiles, quarum productionibus poſſunt augeri iam productæ. Si infinitum ſyncategorematicum primo modo ſumatur tantùm pro partibus acceptis nullus eſt dubitandi locus, certum enim eſt tantùm dicere entitates finitas, & multitudine differre ab infinito categorematico includente entitates, ſeu partes finitas, ſi ſumatur poſteriori modo, hoc eſt non ſolùm pro partibus acceptis iam exiſtẽtibus, ſed pro his & pro acceptibilibus,

quæ ſunt tantùm poſſibiles, in quo ſenſu quæſtionem exagitant Faſolus, & Albertinus poteſt procedere diſputatio.

8 Affirmo cum Faſolo, & aliis, quos ipſe refert infinitum ſyncategorematicum deſumptum modo explicato pro partibus exiſtentibus, quæ poſſunt magis, & magis augeri, & pro poſſibilibus non differre multitudine ab infinito categorematico, ſed includere entitates infinitas ſimpliciter. Concluſionem hanc his verbis tradit Scotus in 1. diſt. 2. q. 2. §. *oſtenſo propoſito, Quæcumque ſunt infinita in potentia, ita quod accipiendo alterum, nullum poſſunt habere finem: illa omnia ſi ſimul actu ſunt, ſunt infinita actu*, Probat ſubtiliſſimus Doctor concluſionem prædictam his verbis: *Quia omnia talia acceptibilia quando ſunt ſimul exiſtentia, aut ſunt actu finita, aut actu infinita: ergo accipiendo alterum poſt alterum, tandem poſſunt omnia eſſe actu accepta: ergo ſi non poſſunt omnia eſſe actu accepta, ſi actu ſimul ſunt, ſunt actu infinita.* Hæc ratio robuſtiſſima eſt, & ad illam reducuntur plures aliæ, quæ contra ſententiam Albertini doctè expendit Faſol.

9 Aliter contra eamdem ſententiam argumentor: Infinitum categorematicum quantumuis augeatur ſecundum partes exiſtentes ex poſſibilibus, quas dicit, ſemper poteſt magis augeri: ergo quantumuis ſumantur partes ex poſſibilibus, ſemper reſtant aliæ & aliæ accipiendæ. Conſequentia eſt legitima, & conſequens tenentur non ſolùm ex vi illationis admittere, ſed ſupponere omnes, qui infinitum categorematicum admittũt, quia ſi non ſemper ex partibus poſſibilibus aliæ, & aliæ reſtarent accipiendæ, ſed omnes eſſent acceptæ, iam poſtquam illæ erant acceptæ partes exiſtentes poſſent augeri, quia nulla reſtat poſſibilis per quam augerentur, & tunc inquirerem: an partes exiſtentes erant finitæ: vel infinitæ ſimpliciter: ſi infinitæ, iam concedis fuiſſe acceptam multitudinem infinitam ex poſſibilibus, & conſequenter creaturas poſſibiles fuiſſe infinitas, in quo mecum conſentis, & in aliud incidis abſurdum, quia concedis multitudinem infinitam fuiſſe acceptam, & ſucceſſiuè tranſactam. Si dicas eſſe finitas: ergo das multitudinem finitam, quæ non poſſit augeri neque per ſimplicem vnitatem: ergo illa multitudo, neque categorematicè, neque ſyncategorematicè eſt infinita, debes ergo concedere ex partibus poſſibilibus ſemper reſtare alias, & alias accipiendas: Ex quo legitimè infero multitudinem illam eſſe infinitam. Probo hanc illationem. Illud eſt infinitum partium exiſtentium, ex quo, ſi partes exiſtentes ſumantur, ſemper reſtant aliæ, & aliæ accipiendæ: ergo illud eſt infinitum partium poſſibilium, ex quo ſi partes poſſibiles ſumantur ſemper reſtant aliæ, & aliæ accipiendæ: ſed ex partibus poſſibilibus, quæ ſunt in infinito ſyncategorematico quantumuis aliæ, & aliæ ſumantur ſemper aliæ reſtant: ergo illius partes poſſibiles ſunt infinitæ.

10 Confirmatur: ſi per impoſſibile reducerentur ad exiſtentiam omnes illæ partes poſſibiles eſſent infinitæ in ſtatu exiſtentiæ: ergo in ſtatu poſſibilitatis ſunt infinitæ, eædem enim eſſent quæ tunc exiſterent, quæ modò ſunt poſſibiles. Antecedens probo: ſi partes illæ reductæ ad exiſtentiam eſſent finitæ verum eſſet dicere, hæ partes finitæ exiſtentes non poſſunt vltra augeri, quia ſupponimus exiſtere omnes poſſibiles: ergo partes illæ non eſſent infinitæ adhuc ſyncategorematicè, quia de ratione infiniti ſyncategorematici eſt poſſe augeri partes exiſtentes ſupra quamcumque multitudinem finitam in particulari aſſignatam. Dices hæc indiuidua non poſſe ſimul produci. Eſto ne producantur, quod ego non contendo, ſed tantùm aſſero fore infinita ex ſuppoſitione, quod producerentur, ex qua conditionali impoſſibili rectè infero nunc actu eſſe infinita. Ne tamen adhuc hoc leue tibi effugium pateat illud præcludo.

11 Deus cognoſcit totam collectionem rerum poſſibilium ſecundum omnia illa indiuidua, ſeu ſecundum omnes partes, quæ includuntur in infinito ſyncategorematico, ita vt nihil ſit extra obiectum diuinæ cognitionis: de illo ergo obiecto adæquatè ſumpto inquiro an includat partes infinitas, aut finitas? ſi infinitas habeo intentum, ſi finitas: ergo cognoſcit Deus partes poſſibiles, quas includit infinitum ſyncategorematicum tot eſſe, & non plures, neque pauciores: ergo cognoſcit multitudinem illam non poſſe exercere tantùm numerum determinatum: ergo multitudo illa non conſtituit infinitum, adhuc ſyncategorematicum, quod eſſentialiter dicit poſſe exercere quamcumque multitudinem finitam aſſignatam quantumuis magnam. Dices Deum videre partes illas eſſe finitas, & habere terminum indeterminatum, non tamen determinatum, ſicuti nos dicimus de partibus exiſtentibus. Contrà: nulla multitudo neque rerum exiſtentium, aut poſſibilium poteſt eſſe in ſe determinata, neque partibus indeterminatis conſtans, quidquid enim eſt ſiue exiſtens, ſiue poſſibile in ſe ipſo determinatum eſt, nihil enim vacuum datur, neque dari poteſt in rerum natura: ergo cum multitudo illa, quæ eſt poſſibilis cognoſcatur à Deo vt in ſe eſt, debet cognoſci in ſe ipſa, & in partibus, quas includit determinata, vel ſine vllo termino, quo finiatur, vel cum termino determinato. Quod nos dicimus de creaturis exiſtentibus, quæ non habent terminum determinatum, alium longè diuerſum ſenſum habet, non enim dicimus creaturas de facto exiſtentes, non habere terminum de facto determinatum, ſed poſſe carere termino determinato, quem habent, & alium acquirere per additionem aliûs creaturæ, quod non eſt non habere terminum determinatum, ſed non exigere determinatè hunc potius, quam illum, quod eſt longè diuerſum, ſicut eſt diuerſum dicere me equitare ſine equo determinato, quod implicat, & dicere me non determinatè agere hoc equo ad equitandum, quod verum eſt. In creaturis poſſibilibus, quas Deus cognoſcit, non ita ſe res habere poteſt. Quia eo ipſo quod ſint finitæ debent habere aliquem terminum, vltra quem non poterit illis alius contingere, quia hic debebat accreſcere per augmentum aliûs creaturæ poſſibilis denuò aduenientis, quæ aduenire non poteſt, quia implicat omni collectioni poſſibilium creaturarum aliquam addi, quia extra collectionem omnium poſſibilium nulla reſtat creatura poſſibilis.

Ex his inferes ſemper dari infinitum poſſibilium ex quo modo res exiſtentes poſſunt in infinitum creſcere, & hanc eſſe legitimam conſequentiam: numerus in infinitum poteſt magis & magis augeri, licet ſemper cum termino: ergo vnitates ex quibus numerus augeri poteſt ſunt infinitæ: ſi enim finitæ eſſent vltra illum finitum numerum non poſſet augeri numerus creaturarum exiſtentium. Nota me non inferre: numerus poteſt magis, & magis augeri, ſeu poteſt in infinitum augeri: ergo poteſt eſſe infinitus, hæc eſt enim mala conſequentia. Sed infero: ergo vnitates, ex quibus poteſt augeri ſunt infinitæ, ſemper enim vnitates in numero acceptæ finitæ ſunt, & acceptibiles, quæ reſtant ſunt infinitæ. Eadem ratione hæc eſt legitima conſequentia. Continuum poteſt magis, ac magis in infinitum diuidi: ergo diuiſiones poſſibiles ſunt infinitæ: licet diuiſiones de facto exercitæ, ſeu quaſi iam acceptæ finitæ ſint, infinitas enim ſemper ſe tenet ex parte acceptibilium. Itaque in infinito ſyncategorematico duplex potentialitas partium reperitur: vna, qua partes ſecundùm ſe poſſibiles ſunt; alia, qua partes poſſibiles ſunt non ſolùm ſecundum ſe, ſed ſecundum ſimultaneam actualitatem. Poſſibilitas illa eſt partium infinitarum, hæc verò partium finitarum, quæ ex illis infinitis poſſunt in infinitum augeri, licet non poſſint eſſe infinitæ. Dixi infinitum categorematicum, & ſyncategorematicum non differre multitudine, vt loquerer cum Auctoribus, qui hanc quæſtionem exagitant, cum quibus tantùm intendo ſignificare infinitum ſyncategorematicum includere infinitas vnitates, has verò longè plures eſſe in ſyncategorematico, quàm in categorematico oſtendo, Punct. 5. num. 4. 12

Pvnctvm III.

An creaturæ poſſibiles ſint finitæ, vel infinitæ?

SApientiſſimi Magiſtri claritate ingenij, qua mire ful- 1
gent, ægrè ferunt tenebroſam caliginem partium infinitarum, multúmque propendent in ſententiam negantem creaturas poſſibiles eſſe infinitas. Vt rem attemperent, & ne videantur ſententiam auctoritate nudam tutari, notant Aureol. in 1. diſt. 44. quæſt. vnica art. 2. propoſ. 2. apertè conceſſiſſe terminum in extenſione, idémque inſinuaſſe Henr. quodl. 5. quæſt. 3. In intenſione terminum cognouiſſe dicunt Scot. in 3. diſt. 13. quæſt. 4. Bonauentur. in 1. diſt. 17. art. 2. Aureolum in 1. diſtinct. 17. 3. part. quæſt. 1. art. 3. Henr. quodl. 5. quæſt. 22. Durand. in 1. diſtinct. 17. quæſt. 9. Palud. in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 2. & in eandem partem inclinari Caietan. 3. part. ad quæſt. 7. art. 12. §. *ſiſte hoc in loco lector.* Longum eſſet teſtimonia adducere, quibus apertè conſtaret de horum Doctorum mente, vnum tantùm

aſſero

Digitized by Google

aſſero nullum illorum dixiſſe creaturas poſſibiles, quas Deus cognoſcit poſſe produci productione ſimultanea, & etiam ſucceſſiua, & quæ ſunt obiectum omnipotentiæ eſſe finitas: legatur Faſolus ſuprà num. 13. & 14. vbi expreſſa horum Doctorum verba refert, quibus ipſi creaturas, quæ poſſunt à Deo produci infinitas eſſe teſtantur. Præter hos Doctores, quorum teſtimonia habes apud Faſolum, eamdem ſententiam defendunt Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 14. art. 12. & tota illius Schola. Ex noſtris P. Molina 1. p. quæſtion. 14. artic. 12. P. Valent. tom. 1. diſput. 1. quæſtion. 14. Punct. 16. P. Vaſquez 1. part. tom. 1. diſtinct. 63. cap. 2. P. Faſolus ſuprà, P. Hurt. diſp. 13. ſect. 1. P. Arriag. diſp. 13. ſect. 2.

2 Contra ſententiam aſſerentem creaturas poſſibiles eſſe finitas adducitur auctoritas Concilij Conſtantienſis, vbi damnatur error Vvicleffi, quem ex illo didicit Ioannes Hus, his verbis relatus à Vvaldenſi ex ſectione 15. eiuſdem Concilij: *Deus nihil poteſt annihilare ne mundum maiorare, vel minorare, ſed animas vſque ad certum numerum creare, & non vltrà.* Sententiam relatam eſſe eandem cum errore Vvicleffi probatur. Dicebat Vvicleffus Deum non poſſe vltra certum numerum creaturas producere, dicit hæc opinio, creaturas, quæ poſſunt à Deo produci, non excedere certum numerum: ergo dicit Deum non poſſe vltra illum numerum creaturarum aliquam producere: ergo incidit hæc opinio in errorem Vvicleffi, & Huſſij, & Reſpondet Arriaga Concilium tantùm damnaſſe errorem hæreticorum aſſerentium Deum operari ex neceſſitate naturæ, & ita non potuiſſe plures paucioreſve creaturas producere, his, quas de facto creauit, à quo errore longè abeſt Catholicorum ſententia aſſerentium creaturas poſſibiles eſſe finitas, hi enim aſſerunt potuiſſe has quas de facto produxit non produxiſſe, & deſtruere illas, quas ſemel produxit, & alias, quas in ſtatu poſſibilitatis reliquit in lucem edere: ita cenſet Arriaga: errorum autem prædictum damnatum fuiſſe non ſecundum quamlibet truncatam illius propoſitionem, ſed ſecundum omnes ſui partes collectiuè ſumptas, ratione aliquarum, quæ peſſimam continebant doctrinam, & partem illam vltimam verborum, quibus error refertur, videlicet: *Deus non poteſt vltra determinatum numerum creaturas producere,* damnatam non fuiſſe, neque de hac propoſitione, ſicuti neque de aliis Philoſophicis Patres egiſſe. Addunt recentiores in fronte huius Concilij inueniri admonitionem ad lectorem, in qua notatur propoſitiones Ioannis Huſſij ibi relatas deſumptas eſſe ex facultate Theologiæ Colonienſi, & ob hanc rationem minuſculis characteribus eſſe notatas. Inſuper notat inter triginta propoſitiones, quas Concilium damnat in Huſſio hanc non reperiri, neque in Bulla, qua Martinus Papa hoc Concilium confirmat, & hunc hæreticum iterum damnat, illiuſque refert errores huius propoſitionis mentionem aliquam fieri, cuius tantùm meminit catalogus ille Colonienſis. Hoc nota pro opinione, quæ continuum ex indiuiſibili componit, quæ inter propoſitiones Huſſij illo catalogo recenſetur.

3 Secundò arguitur contra eandem ſententiam. Si entia poſſibilia ſunt finita, demus fuiſſe ſexcenta millia, poſitis his nulla erit repugnantia, ſi Deus creet aliud diſtinctum ab his: ergo nullus poteſt aſſignari numerus entium poſſibilium, vltrà quem non poſſit aliud produci: ergo non continentur aliquo finito, & determinato numero: ergo ſunt infinita. Retorquet argumentum Arriaga contra illos qui dicunt creaturas poſſibiles eſſe infinitas, & arguit in hunc modum. Dato illo infinito creaturarum poſſibilium, cur non poterit alia produci? non quia aggregatum illud includat infinitas creaturas, quia poteſt dari vnum infinitum maius alio. Si reſpondeas in alio infinito eſſe creaturas omnes poſſibiles, inquirit Arriaga cur in illo infinito ſint omnes poſſibiles, cùm non ſit de ratione infiniti omnes includi in illo, & poſſit infinitum augeri, & in argumento non ſupponitur in illo infinito includi omnes creaturas poſſibiles? Non conuincor: Auctores, qui aſſerunt creaturas poſſibiles eſſe infinitas, dicunt vltrà quodlibet infinitum aſſignatum creaturarum poſſibilium poſſe Deum non ſolùm aliam creaturam, ſed etiam aliud infinitum creaturarum producere. Quod ſi non aſſignetur infinitum aliquod creaturarum vtcumque, ſed infinitum, quod totam illarum collectionem contineat, facilis erit ratio, cur extra illam collectionem non ſit alia creatura poſſibilis, tota enim collectio creaturarum poſſibilium eſſentialiter dicit negationem alicuius creaturæ poſſibilis exiſtentis extra collectionem, quia ſi extra illam collectionem aliqua eſſet creatura poſſibilis, illa collectio non contineret omnes poſſibiles. Hi verò qui defendunt creaturas eſſe poſſibiles tenentur aſſignare numerum determinatum, quo poſito nulla alia facta ſuppoſitione non poſſit creatura aliqua poſſibilis extra illum reperiri.

Melius forſan reſponderes ſi diceres te non teneri, etiã ſi defendas creaturas poſſibiles eſſe finitas, rationem reddere, propter quam ſint mille, & non octo ſupra mille, quia tu non aſſeris eſſe mille, & non plures, ſed tantùm dicis creaturas poſſibiles habere aliquem terminum, quo claudantur, quem tu non agnoſcis, neque poteſt aſſignare, quia non annumeraſti creaturas poſſibiles. Huius concluſionis poterit reddi ratio petita ex impugnatione creaturarum poſſibilium infinitarum, ratio enim, quæ probat repugnare infinitas creaturas poſſibiles, probat omnes poſſibiles eſſe finitas, & habere aliquem terminum hunc, vel illum, cuius tantùm teneris rationem reddere, non verò cur potiùs detur hic, quam ille, cùm tu non defendas hunc eſſe terminum, quo finiuntur creaturæ poſſibiles, & non alium diſtinctum ab iſto. Inſtabis, ſi à nobis non aſſignetur terminus peculiaris, in re tamen ſingularis terminus datur, vltra quem non procedunt creaturæ poſſibiles: de illo ergo inquiritur cur ille ſit, & non alius, quo creaturæ poſſibiles circunſcribantur. Reſponde, te non poſſe reddere rationem concluſionis, quam omnino ignoras, ac proinde cum neſcias, quis ſit terminus creaturarum poſſibilium, mirum non eſt te ignorare, cur ille præ aliis ſit illarum terminus. Sicuti ſi ego modo ignorarem quis rempublicam regeret, ineptè à me peteretur ratio, cur potius ille qui de facto gubernat præ aliis gubernet. Vnum tantùm tibi conſtare rectè dices ſecundum hanc ſententiam videlicet creaturas eſſe finitas, cuius rationem reddes petitam ex repugnantia infinitarum poſſibilium. Ade repugnantiam illam, quam Deus cognoſceret, ſi verà eſſet opinio, quæ creaturas poſſibiles veras eſſe affirmat, non petendam eſſe ex numero præcisè, neque ex eo quod ratione illarum, quæ exiſtunt repugnaret alia creatura, qua numerus creaturarum augeretur. Quia præcisè ex ſimultate creaturarum tantùm repugnat illarum infinitas, & poſſet numerus ille quicumque eſſet, magis augeri, quin multitudo illius infinita euaderet: petenda ergo eſt repugnantia aliùs creaturæ poſſibilis non ex ſimultate illius cum præexiſtentibus, ſed ex ſua natura, ſicuti modò non petitur repugnantia hircocerui ex ſimultate cum aliis creaturis, ſed ex ſua natura. Itaque ſi creaturæ poſſibiles eſſent finitæ: verbi gratia, mille repugnaret vna ſupra mille, non quia non poſſet cum illis componi, ſeu quia ſimultas vnius ſupra mille diceret ſpecialem repugnantiam, ſed quia illa entitas ſecundùm ſe repugnaret. Ex eo autem quod repugnent infinitæ creaturæ ratione ſimultatis infertur eſſe certum illarum numerum, & repugnare augeri ſecundum vnam creaturam, non ratione ſimultatis, ſed quia illa vna creatura in ſe repugnaret. 4

Tertiò obiicitur contra eandem ſententiam Poſt diem iudicij poteſt Deus mouere Cœlum in infinitum: ergo ſunt poſſibiles infiniti Cœli motus. Reſpondent nonnulli, motus Cœlorum poſſe in infinitum procedere, nihilominus non eſſe infinitos, ſed finitos, non termino aliquo determinato, ſed indeterminato, & vago. Solutionem hanc latè impugnaui Puncto præcedenti, vbi probaui neceſſum eſſe entitates poſſibiles eſſe infinitas, vt exiſtentes poſſint in infinitum augeri. Aliter reſpondet Arriaga, qui aſſerit poſſe Auctores illius opinionis reſpondere Deũ non poſſe in infinitum Cœlos mouere ſemper diuerſis motibus, ſed eorumdem repetitionibus. Eodem modo docet reſponderi poſſe ad argumentum, quod peti poteſt ex cogitationibus animarum futuris per totam æternitatem quæ repeti debent, ne animus ad aliquod tempus perueniat, in quo cogitationes omnes inſumpſerit, ita vt non poſſit aliquid vltra cogitare. Contra hanc ſolutionem ſic argumentor. Vt animus per æternitatem duraturus per totam æternitatem vt ſe poſſit cogitationibus exercere, illas debet repetere. Inquiro an animus poſſit infinitas repetitiones cogitationum finitarum conficere, vel finitas. Si finitas, perueniet ad ſtatum, in quo, finitas illas repetitiones inſumpſerit, & iam vltra non poſſit, neque per repetitionem cogitationum, neque per nouas alias cogitationes intelligere. Si infinitas: ergo dantur infinitæ repetitiones cogitationum 5

Digitized by Google

cogitationum futuræ: ergo poterunt dari infinitæ aliæ entitates. Eadem enim eſt poſſibilitas, ſeu repugnantia infinitæ multitudinis in quacumque materia. Poſſet dici diſparem eſſe rationem quia infinitudo cogitationum ſimpliciter eſt infinitudo, quia diceret infinitas vnitates diſtinctas, ex quibus multitudo infinita accreſcit. Infinitudo autem repetitionum non eſſet ſimpliciter infinitudo, quia non diceret infinitas vnitates diſtinctas, quia repetitio cogitationum nihil dicet diſtinctum ab ipſa cogitatione cum qua identificatur, & ſicut entitas repetita identificatur, ſic repetitio identificata cum entitate, & vnitas repetitionis identificata eum eadem repetitione, & eadem entitas eandem habet identitatem, vnde id quod nos ſignificamus hoc conceptu: *hæc entitas fuit ter repetita*, tantùm dicit vnam ſimplicem entitatem cum vna ſimplici vnitate, quæ per connotationem ad negationem ſui ſemper immediatè præcedentem repetitio dicitur. Ex ſimplici autem vnitate non poteſt conſurgere infinita multitudo, imò neque finitus numerus, qui eſſentialiter dicit multitudinem vnitatum, à quibus non diſtinguitur, tantùm enim ſupra illas poteſt dicere quid extrinſecum, & intentionale actum videlicet numerantis. Dices per repetitiones cogitationum multiplicari actiones, & durationes. Reſpondeo non multiplicari actiones, quia hæ non diſtinguuntur à cogitationibus vt oſtendo Contr. 5. de anima punct. 1. Quod ſi diſtinguerentur propter eamdem rationem, propter quam repeterentur cogitationes eſſent etiam actiones repetendæ. Ad illud, quod dicitur de durationibus reſpondeo in mea ſententia durationem non eſſe accidens reale ſuperadditum rei duranti, & ita durationem repetendam eſſe ſecundùm totum id, quod diceret intrinſecum, tempus autem imaginarium extrinſecum non eſt quid reale, ac proinde de illo curandum non eſt, an ſit quid finitum vel an ſit quid infinitum.

6 Prædictam doctrinam non vulgarem eſſe exiſtimo, nihilominus recedendum non eſt à communi ſententia, quæ docet creaturas poſſibiles eſſe infinitas propter præcedens argumentum, quantumuis enim repetitio cogitationum dicat eandem entitatem, & eandem productionem, nihilominus ſi eadem cogitatio repetatur, poteſt Deus, & Angelus propriam cogitationem cognoſcens dicere, hæc cogitatio nunc primò producitur, & poſtea dicere: hæc cogitatio nunc ſecundò producitur, & primò repetitur, & poſtea: hæc cogitatio ter fuit producta, & bis repetita: ergo illæ repetitiones poterunt annumerari: ergo conſtituent numerum, & ſi per totam æternitatem exhibeantur, multitudinem complent infinitam. Secundò incongruè, eſſent præuiſæ cogitationes animo per æternitatem duraturo, ſi in eandem cogitationum inopiam incideret, vt illi neceſſum ſit ad cogitationes iam præteritas & exercitas recurrere vt poſſit per æternitatem de obiectis pro ſuo arbitrio cogitare, quod reſpectu Beatorum indecentiam quandam præ ſe fert.

7 Tandem communi ſententiæ adhæreo, quia multis durum videtur Deum non poſſe infinitas creaturas producere, & adeò exiguos terminos omnipotentiæ aſſignari, vt extra determinatum numerum creaturarum non poſſit aliam producere. Neque ignoro hoc argumentum Metaphyſicè loquendo non multùm vrgere, quia omnipotentia Dei etiamſi omnes creaturæ repugnarent, intrinſecè eadem eſſet, eademque potiretur infinitâ perfectione, quia tunc non poſſe Deum infinitas creaturas procedere, proueniret ex defectu poſſibilitatis creaturarum, non ex defectu omnipotentiæ, quod eodem modo contingeret in noſtro caſu, ſi Deus non poſſet infinitas creaturas producere, quod tribuendum eſſet ipſis creaturis repugnantibus, & nihil imperfectionis omnipotentiæ impingeret. Hæc ita ſe habent, nihilominus negari non poteſt dignius de Deo loqui, ſi dicamus ipſum poſſe infinitos effectus producere, & quibuſcumque infinitis conſideratis adhuc alios, & alios infinitos poſſe efficere, quam ſi illius omnipotentiæ exiguam quamdam materiam aſſignemus, vltrà quam non poſſit ſuam infinitam exercere virtutem. Demum quidquid ſit de mente Concilij Conſtantienſis, & de auctoritate illius Catalogi, plerique viri docti cenſuræ nota inurunt ſententiam aſſerentem Deum poſſe certum numerum creaturarum producere, quibus productis non valeat aliam efficere, quorum cenſura aliquando non ſine magna opera forſan excuteretur. His moueor ad deferendam prædictam ſententiam, etiamſi multis difficultatibus abſolutus abirem ſi illam amplecterer, itaque ex dictis concludo neque ratione ſimultatis ſeu collectionis, neque ratione ſingularium creaturarum repugnare infinitas creaturas poſſibiles.

Obiicit Arriag. ſect. 4. n. 45. Omnis multitudo finita poteſt ſucceſſiuè percurri: ergo ſi incipiamus annumerare 8
creaturas omnes poſſibiles percurremus omnem multitudinem finitam illarum: ergo perueniemus ad numerum quendam, vltrà quem non poſſimus procedere, cui ſi vna creatura addatur, iam multitudo illa erit infinita, finita enim eſſe non poteſt, cum multitudo, cui illa creatura ſuperadditur includat omnes creaturas finitas: ergo erit finita, & non erit finita: non erit finita propter rationem iam traditam: erit finita quia vnitas addita finitæ multitudini non poteſt illam infinitam conſtituere, ſed finitam multitudinem complet ſimplici vnitate excedentem priori, quam ſupponit. Reſpondent aliqui apud Arriag. poſſe attingi numerum quemdam finitum, cui Deus non poſſit ſimplicem addere vnitatem, neque finitas aliquas, ſed teneatur infinitas illi adiungere, ſi vellet multitudinem numeri augeri. Hæc ſolutio probabilitate caret, quia vt benè Arriag. in numero illo, demus eſſe hominum, eſſet numerus oculorum duplo maior: neque eſt quod liget manus Deo ad producendum vnum hominem ex infinitis poſſibilibus ſuprà quacumque multitudinem productam. Sed demus Deū non poſſe aliquem hominē producere ſupra numerum illum, Deus cognoſcit numerum illum, quem Aduerſarij maximum appellant, cur non poterit mente illi adiungere vnum hominem ex infinitis aliis, quos poſſibiles agnoſcit? Certè id non tantùm Deus, verum etiam quilibet Angelus præſtare poteſt, & eadem redit difficultas de numero maximo, quem confingit ſolutio, & de vnitate mente addita, ſequitur enim multitudinem ex vnitate & numero mente cognitis reſultare multitudinem finitam & infinitam.

Ait Arriaga ibid. n. 46. hoc argumentum apud neminem 9
vidiſſe, & ingenuè fatetur nullam illi ſolutionem occurrere, ac proinde malè apertè dicere, ſolutionem non occurrere, quam aliquam exhibere, quam neque ipſe, neque alius intelliger poſſit. Conabore ego ſolutionem adhibere, quam omnes facilè valeant percipere. Reſpondeo diſtinguendo illud primum antecedens: omnis multitudo finita, poteſt ſucceſſiuè percurri: quælibet multitudo finita hic & nunc aſſignata determinatè ſumpta poteſt percurri, concedo antecedens: multitudo vaga quæ poteſt infinitum aſſignari poteſt percurri, ita vt non maneat multitudo alia maior finita percurrenda, nego antecedens. Eſt enim de ratione infiniti, vt ſemper ſit vltra accipiendum, ita vt quod accipiatur ſit ſemper finitum, & quod acceptibile reſtat infinitum ſit. Neque in numero finito datur aliquis numerus determinatus, intra quem contineatur tota finita multitudo, ſed aſſignata qualibet multitudine finita poteſt aſſignari maior alia, & rurſus alia maior, & ſic in infinitum. Itaque neque Deus poteſt percurrrere omnes finitos homines contentos in multitudine finita, ita vt multitudini alicui finitæ non poſſet alium hominem addere, quo multitudo illa accreſcat, & finita maneat, quia cum numerus finitus non habeat terminum determinatum, ſed tantùm vagum, nullum habet vltimum, & ita Deus non poteſt terminum vltimum aſſignare, quia talis terminus non eſt.

Dices non dari multitudinem vagam in rerum natura, quam videtur ſolutio ſupponere. Reſpondeo omnem multitudinem finitam clauſam in multitudine infinita, & ipſam infinitam multitudinem eſſe certam, & determinatam. Dicitur autem vagus terminus requiſitus ad conſtituendam multitudinem finitam, vt ſic in abſtracto, ſicut dicitur vagus equus requiſitus ad equitandum, licet hic, & nunc equitatio neceſſariò facienda ſit equo determinato.

Obiicit rurſus Arriag. Cognoſcat Deus pyramidem in- 10
finitam ſaltem poſſibilē, tunc cognoſceret primam lineam poſt punctum, in quo conuenirent ambæ coſtæ tantùm conſtere duobus punctis, ſecundam tribus, &c. Deinde cognoſceret omnes lineas, quæ eſſent in pyramide illa, & cognoſceret, quæ eſſent finitæ, quæ infinitæ. Deinde neceſſariò cognoſceret inter finitas omnium maximam, quia aliqua illarum neceſſariò eſſet maxima, cum nulla eſſet alteri æqualis. Rurſus inquiritur: an linea illa, quæ ſuccedit poſt maximam ſit finita, vel infinita: non eſt finita, quia eſt maior maxima finitarum: non infinita, quia tantùm excedit lineam

Digitized by Google

lineam præcedentem finitam quantitate finitâ: ergo neque eſſet finita, neque infinita. Rurſus eſſet finita, quia excederet tantùm quantitate finita præcedentem lineam finitam: eſſet infinita, quia excederet maximam finitarum: ergo implicat linea illa, in qua tot contradictiones includuntur. Reſpondeo facilè: poſſibilem non eſſe pyramidem infinitam, neque adhuc diuina mente concipi poſſe, quia de ratione infiniti eſt non habere terminum, neque figuram, & de ratione eſſentiali conſtitutiua pyramidis eſt habere figuram, & terminum.

12 Occurrit Arriag. & idem argumentum conficit in multitudine infinita Angelorum, quam Deus poteſt in inſtanti percurrere annumerando duos, tres, quatuor, &c. quouſque perueniat ad multitudinem infinitam, tranſactis iam multitudinibus finitis, de illa ergo multitudine immediatâ multitudini maximæ omnium finitarum inquiritur an ſit finitâ, vel infinita? non finita, quia eſt maior maxima finitarum, non infinita, quia excedit tantùm vnitate finita multitudinem finitam, finita propter hanc rationem: infinita propter præcedentem: ergo incidimus in manifeſtas implicationes, ſi concedimus multitudinem infinitam adhuc rerum poſſibilium. Hoc argumentum eſt difficillimum omnium, quæ contra naturam infiniti fieri poſſunt, tamen difficultati cedendum non eſt. Reſpondeo, multitudinem infinitam Angelorum poſſibilium intuitiuè cognoſci à Deo vt eſt in ſe infinita, eodem modo cognoſcere vnitates ſingulas contentas in tali multitudine infinita, ſimiliter infinitos numeros, ſeu infinitas multitudines finitas contentas in multitudine illa infinita. Inſuper concedo poſſe Deum in infinitum annumerare finitos numeros inuicem ſe excedentes; nego tamen poſſe cum hac proportione infinitos percurrere numeros, & poſſe cum eadem proportione multitudinum ſe inuicem ſecundum vnitatem ſimplicem excedentium totam multitudinem infinitam percurrere, quia omnes illæ multitudines cum hac proportione ſe inuicem excedentes, licet in infinitum poſſint augeri, tamen ſunt finitæ, ac proinde vltra illa extant aliæ infinitæ vnitates in illa multitudine infinita. Ad argumentum in forma adductum reſpondendum eſt negando illud antecedens: Deus poteſt producere totum infinitum annumerando duo, tria, quatuor, &c. ita vt accedat ad aliquam multitudinem finitam infinitæ immediatam, quia Deus non poteſt reperire in multitudine infinita multitudinem finitam, quæ in illa non eſt, & cum non ſit in multitudine infinita aliqua multitudo, finita immediata infinitæ multitudini, ita vt inter ipſam, & multitudinem infinitam non ſit alia maior multitudo finita, mirum non eſt Deum non poſſe illam reperire: ſemper tamen concedendum eſt Deum poſſe in infinitum multitudines finitas inuicem ſe excedentes annumerare, quia exceſſus inter entitates finitas in infinitum poteſt augeri, nunquam tamen poteſt eſſe infinitus.

Pvnctvm IV.

An repugnet infinitum corporeum?

POteſt inquiri an repugnet aliquod corpus infinitè extenſum, & an repugnent infinita corpora extenſa, quorum quodlibet finitam habeat extenſionem, quæ vix inter ſe differunt, & ita vtrumque ſimul definiam.

§. I.

Propria ſententia.

1 SEntio repugnare corpus infinitum infinitè extenſum abſque vlla penetratione, & ſimiliter infinita corpora non penetrata. Fauent huic concluſioni, quotquot affirmant abſolutè repugnare infinitum corpus, & corpora infinita ſimul exiſtentia. Hi ſunt D. Thom. 1. part. quæſt. 7. art. 3. & 4. Vaſquez ibid. diſp. 26. n. 1. Conimbr. lib. 3. cap. 8. q. 2. art. 1. Pereira lib. 10. Phyſic. c. 11. Rub. 3. Phyſic. tract. 2. q. 3. n. 85. Albert. de prædicam. quantitatis diſp. 4. quæſt. 4. qui omnes abſolutè aſſerunt repugnare corpus infinitum & multitudinem infinitam corporum. Ex his, qui infinitum actu exiſtens non repugnare defendunt, noſtræ concluſioni partim fauet Faſolus 1. p. quæſt. 7. art. 3. & 4. dub. 8. n. 4. vbi aſſerit non poſſe dari infinita corpora non penetrata, licet concedat ibid. num. 3. poſſe dari vnum corpus infinitum abſque vlla penetratione, quæ ego non annecto; quia in illo corpore infinito infinitè extenſo, quod concedit Faſol. poſſet Deus infinitas diuiſiones efficere, quibus factis membra diuiſa idem poſſent occupare ſpatium ac antea: ergo ſi corpus infinitum poteſt occupare infinitum ſpatium abſque vlla penetratione, poterunt infinita corpora, in quæ diuidi poteſt exiſtere abſque vlla penetratione, negatio enim vnionis, ſeu diuiſio non exigeret penetrationem, ſine qua eadem corpora vnita poterant exiſtere.

Vulgare eſt argumentum ad probandum repugnare corpus infinitum deſumptum à duabus lineis in modum pyramidis ductis ab aliquo puncto profunditatis ad circumferentiam, quæ quo magis diſtarent à centro magis inter ſe diſtarent, ſed diſtant infinitè à centro, ergo inter ſe infinitè diſtant: ergo illarum intercapedo eſſet infinita vt probat argumentum, & alias eſſet finita, quia clauderetur duobus terminis: ergo eſſet finita, & infinita. Non fido huic rationi, tum dicebam puncto præcedenti non poſſe dari adhuc poſſibilem pyramidem infinitam, & conſequenter dicendum eſt non poſſe duci ab vno puncto duas lineas ſemper infinitas ductas per modum pyramidis, licet poſſint à puncto quolibet ad aliud in illo corpore aſſignatum in illam figuram duci, & in infinitum duci, hoc eſt longius, & longius illam figuram retinere non tamen infinitè diſtare à centro ſub illa figura, ita vt aliquod punctum lineæ pertinens ad pyramidum figuram poſſit à centro diſtare infinitè, hoc eſt infinita intercapedine interiecta. 2

Aliter concluſionem probo: Si daretur corpus infinitum infinitè extenſum, poſſet Deus corrumpere aliquam illius partem. Verbi gratia viginti vlnarum, qua parte corrupta partes contiguæ parti corruptæ manerent diuiſæ ab aliis. Demus ergo Deum illas partes diuiſas, & diſtantes vnire, & localiter approximare: tunc vt partes illæ approximarentur, deberet totum corpus moueri: ergo relinqueret aliquod ſpatium, quod antea occupabat: ergo aliquod ſpatium antea occupatum illo corpore infinito iam non illo occuparetur: ergo poſſet aſſignari illud ſpatium, & dici corpus non pertingit hoc ſpatium, quod antea tangebat: ergo poterit aſſignari terminus talis corporis, ſpatium enim relictum eſſet terminus extrinſecus taliſcorporis, & ſpatium non relictum immediatum ſpatio relicto, ſeu pars occupans tale ſpatium eſſet terminus extrinſecus illius: ergo tale corpus eſſet infinitum vt ſupponitur, & eſſet finitum vt probat obiecto: ergo eſſet finitum & infinitum. Reſpondet Hurtad. Deum non poſſe vnire partes diuiſas niſi per rarefactionem aliarum præcedentium, vel per nouam productionem partium ſupplentium ſpatium, quod occupabant partes corruptæ. Hoc tamen gratis & abſque fundamento dicitur: imò contra rationem, quia quælibet pars corporis infiniti poteſt moueri, ergo totum corpus. Secundò demus Deum creaſſe à principio illud infinitum abſque illis partibus, quas ſupponimus fuiſſe creatas, atque corruptas: certe tale infinitum non occuparet ſine illis partibus idem ſpatium adæquatum, quod cum illis occuparet: ergo daretur aliqua pars ſpatij non occupata infinito producto ſine illis partibus; quæ occuparentur, ſi cum illis produceretur: ergo talis pars ſpatij eſſet vltimus terminus corporis infiniti: ergo tale corpus eſſet finitum, & infinitum. Idem ſit argumentum de quocumque infinito: quod ſi cum illis vlnis quantitatis ſuper illas, quas habere ſupponitur, viginti vlnas ſpatij occupabit, quas modo non occupat, quæ partes ſpatij occupandi ſi producerentur illæ vlnæ, quæ modò non ſunt productæ, eſſent vltimus terminus ſpatij quod modò corpus illud occuparet: ergo illud ſpatium eſſet finitum, & infinitum: finitum, quia haberet terminum; infinitum, quia occuparetur corpore infinito non penetrato. 3

Reſpondet Arriaga non eſſe inconueniens infinitum claudi duabus vnitatibus vltra quas non progrediatur, dummodo partes contentæ intra illas duas vnitates, vel duo puncta ſint impertranſibiles. In hoc ſenſu Aſſerit Arriaga infinitum poſſe habere vltimum, quam doctrinam prius docuerat Hurtadus. Eandem amplexati ſunt plures recentiores aſſerentes illa duo puncta vltima non eſſe propriè terminos, ſed impropriè, quia terminus connotat rem terminatam pertranſibilem, quæ ſi impenetrabilis ſit, etiamſi vltimum habeat, non dicitur propriè terminos habere. Ego ſanè nunquam percipere valeo infinitum 4

habens

Digitized by Google

habens partem vltimam, neque hanc à propriiſſimo termino diſtinguo, quam non poſſe diſtingui ſic probo. De ratione infiniti non eſt, vt abſolutè non poſſit pertranſiri, quia æternitas, quæ fuit à parte antea fuit infinita & pertranſiit, & dicimus Deum hucvſque per æternitatem duraſſe: ergo de ratione infiniti eſt non poſſe ita pertranſiri, vt perueniatur ab aliquo primo ad aliquod vltimum, ex ea parte, quia infinitum eſt: item explico Æternitas, quæ hucvſque præceſſit fuit infinita, in qua non poteſt aliquod inſtans reperiri, quod ſit primum: quod ſi reperiretur quæcumque menſura præteriiſſet infinita non diceretur, quidquid enim confingas inter certos, & determinatos dies, eſt tempus finitum, & non æternitas, alias dicam ego ſpatium viginti annorum eſſe infinitum, quia licet habeat primum & vltimum hoc non eſt contra rationem infiniti, neque quod id, quod eſt inter primum & vltimum iam pertranſierit, erit contra eandem rationem, quia etiam tota æternitas, quæ fuit à parte antea pertranſiit. Dices in tota æternitate pertranſiſſe infinitas partes, & in ſpatio viginti annorum tantum finitas prætериiſſe. Contrà: aſſererem ego in ſpatio viginti annorum infinitas partes præteriiſſe, & ex nullo capite in tua ſententia conuince potero eſſe finitas, cùm aſſeras inter primum & vltimum poſſe dari infinitum. Neque tu probare poteris ex alio capite partes præteritas in æternitate eſſe infinitas, niſi quia nulla eſt illarum prima: ergo tota ratio infinitatis deſumenda eſt ex negatione primi, & vltimi, neque aliter docti & indocti infinitum concipiunt, niſi carens fine, & abſque vlla parte extrema, ſeu prima vel vltima versùs illam partem, qua eſt infinitè protractum.

5 Simili ratione probatur non poſſe Deum creare infinitam multitudinem corporum abſque vlla penetratione. Sic illam expendo: Nulla poteſt aſſignari multitudo infinita corporum quæ occupet totum ſpatium, quod poteſt occupari: ergo quælibet relinquit aliquod ſpatium, quod non occupet: ergo ſpatium ab illa occupatum circumdatur ſpatio illo, quod non occupat illa multitudo: ergo habet terminum: ergo eſt finitum: ergo multitudo illa corporum eſt finita, quia quidquid finitum ſpatium occupat neceſſariò eſt finitum. Antecedens probo: Demus multitudinem eſſe lapidum habentium extenſionem vnius palmi: potuit Deus eoſdem lapides producere cum extenſione duorum palmorum, ſed ſi haberent extenſionem duorum palmorum occuparent plus ſpatij, quam occupant cum extenſione vnius palmi: ergo cum hac extenſione non occupant totum ſpatium, quod cum illa occuparent: ergo non occupant totum ſpatium, quod poteſt occupari: ergo ſpatium illud, quod non occupant terminus erit ſpatij his corporibus occupati: ergo hoc ſpatium occupatum erit finitum. Simile argumentum fit ſi Deus crearet infinitos montes & in quolibet illorum crearet formicam, & poſtea deſtructis montibus relinqueret formicas, formicæ illæ immediatè applicatæ vel occuparent totum ſpatium, quod ipſis formicis & montibus occupabatur, vel non totum, ſed totidem ſpatij, quod antea occupabant. Si non totum, ergo ſpatium occupatum terminaretur ſpatio non occupato: ergo eſſet finitum: ergo formicæ non eſſent infinitæ: ergo ſi velis defendere eſſe infinitas, cogeris aſſerere eſſe finitas & infinitas: Si dicas occupare formicas ſolas totum illud ſpatium, quod ipſæ & montes occupabant, & ſingulos vngues infinitorum hominum, occupare totum ſpatium, quod occuparent infiniti homines, quorum erant vngues, quod dicit Maior in 1. diſt. 4. q. 3. in 3. quem nonnulli ſequuntur, rem dicis mirabiliorem, difficiliorémque intellectui hircoceruis, & hippocentauris, in quibus nullus repugnantiam adeò manifeſtam inueniet, ſicuti in tuo aſſerto reperitur. Mille modis eadem ratio expendi poteſt. Creet Deus infinitos montes, & in quolibet illorum infinitas formicas, vniat ex vna parte quantitatem formicarum, ex alia quantitatem montium, penetrentur hæ quantitates: quantitas formicarum, quæ infinita erit commenſurabitur adæquatè cum quantitate montium, ita vt nulla ſit pars montium cui quantitatis formicarum pars non reſpondeat, Si negatiuè reſpondeas: ergo pars illa quātitatis montium, cui non correſpondeat pars quantitatis formicarum erit terminus, cui non ſe extendet formicarum quantitas. Si affirmes quantitates has adæquatè commēſurari, miram animi magnitudinem oſtendes, minoribus difficultatibus ſemper mens cedet. Singulæ formicæ ſingulis montibus penetratæ dum erant diuiſæ vix minutulam partem montium occupabant, & poſtea ſine additione nouæ quantitatis, eo præcisè, quod vniantur, vel quod contiguæ ſint (non enim obiecto vnionem expoſcit, quę eodem modo procedet de his corporibus contiguis) ita turgeſcent vt totos repleant montes abſque noua quantitate, aut rarefactione?

Vltimò dico non repugnare infinitam multitudinem 6
corporum penetratorum, neque corpus infinitum, cuius partes ita ſint penetratæ, vt finitum tantùm occupent locum. Concluſio hæc probanda eſt ex ſolutione impugnationum, quas adducunt Auctores oppoſitæ ſententiæ, quarum plures procedunt contra multitudinem infinitam etiam rerum ſpiritualium, aliæ verò ſpecialiter contra corpus infinitum, & multitudinem infinitam corporum. De his §. ſeq. dicam vbi præcipua argumenta, quæ contra doctrinam traditam adduci ſolent referam, & ſoluam, aliis plurimis omiſſis, ſi enim omnia argumenta quæ contra infinitum Auctores ſunt meditati, referenda eſſent, infinitum hoc opus euaderet. Legatur P. Faſolus ſuprà, qui per otium rem hanc acutè, doctè, & eruditè tractat.

§. II.

Argumenta ſoluta.

EX S. Thoma q. 7. art. 3. hæc argumenta fieri ſolent: Om- 7
ne corpus ſuperficiem habet, ſed infinitum non poteſt habere ſuperficiem: ergo non poteſt dari corpus infinitum. Reſpondet Richard. in 1. diſt. 43. art. 3. q. 5. §. 3. *Non oportet vt in corpore ex hoc, quod corpus eſt, ſit ſuperficies, quia non oportet quod ſit ſuperficies, niſi ex hoc quod ſit finitum: finito enim accidentale eſt & comitans, & ideo imaginandum corpus non eſt neceſſe, imaginari corpus finitum.* Hæc Richardus.

Ego ſemper auctoritatem D. Thom. ex corde venerans 8
reſpondeo corpus infinitum ad ſpatium finitum redactum, vltimam poſſe habere ſuperficiem in ordine ad locum, licet illam non poſſit habere corpus infinitum non penetratum, ideo concedo poſſe dari corpus infinitum penetratum, quod figuram habebit non infinitam abſque vlla interpretatione, quod illa carebit. Eodem modo reſpondeo ad alia argumenta, videlicet eſſe de ratione corporis poſſe moueri & habere figuram, quæ non poſſunt conuenire corpori infinito, ex quo inferri intenditur implicare corpus infinitum, quidquid enim ſit de veritate maioris, & de bonitate illationis, corporis infinito ad finitum ſpatium redacto motus, & figura competere poſſunt.

Specialius contra noſtram ſententiam arguit Albertinus: 9
repugnat quantitas infinitè extenſa: ergo repugnat infinita quantitas. Probo conſequentiam: infinita quantitas exigit infinitam extenſionem, ſed implicante infinita extenſione implicat exigentia ad illam: ergo implicat quantitas, cui hæc exigentia intrinſeca eſt. Dicam in Metaphyſ. Controuerſ. 10. Punct. 2. poſſe dari relationem tranſcendentalem & virtutem productiuam realem, etiamſi illius terminus implicet, & eadem ratione poſſem concedere poſſe dari exigentiam infinitæ extenſionis, etiamſi extenſio infinita implicet. Volo tamen iuxta communiora principia argumentum diſſoluere, eſſentia quantitatis non conſiſtit primariò in exigentia extenſionis, ſed in exigentia impenetrationis, quæ conuenit toti quantitati ratione partium, quibus conſtat ex eo præcisè, quod quælibet illarum petit eſſe extra omnes, ſeu propriùs loquendo petit non penetrari cum alia à ſe diſtincta, ex quo fit poſitis quatuor partibus quantitatis, nullam eſſe intra aliam, & conſequenter eſſe extra tres alias exiſtentes, quod eſt per accidens reſpectu huius partis, quia cum hæc petat exiſtentiam aliarum trium non petit eſſe poſitiuè extra tres illas, ſed tantùm non eſſe intra illas, quæ exigentia eadem eſt, ſiue exiſtant tres partes ſiue mille, ſiue infinitæ, quia hæc pars tantùm petit non eſſe intra aliam. Ex hoc infero, quod ſicuti poſſibilis eſt terminus exigentiæ huius partis, quando exiſtunt tantum finitæ compartes, ſic poſſibilis eſt quando infinitæ partes eidem coexiſtunt cum ſemper ſit idem. Ex hoc infero, data quantitate infinita poſſibilem eſſe exigentiam quam habet quælibet pars illius, quod ſufficit vt poſſit dari exigentia in quacumque parte quantitatis, & conſequenter vt poſſit exiſtere tota exigentia, quam habet quantitas, quia hæc non eſt diſtincta ab illa, quam habent partes, & ſicuti reſpectu huius vlnæ quantitatis per accidens ſe habent aliæ vlnæ mediatè tantùm illi vnitæ, ſic reſpectu exigentiæ, quam habet hæc vlna quantitatis per accidens ſe habet exigentia, quam habent aliæ

vlnæ

Digitized by Google

mediatè, & ita, etſi repugnet coëxiſtentia terminorum, quos reſpiciunt exigentiæ diuerſarum vlnarum, cum non repugnet per ſe terminus huius, vel illius exigentiæ, neque repugnat hæc aut illa exigentia, neque vtriuſque coëxiſtentia, quæ per accidens ſe habet reſpectu vlnarum habentium exigentias,& reſpectu exigentiarum. Ad argumentum in forma propoſitiones has diſtingue. Quantitas exigit extenſionem immediatè, nego:exigit impenetrationem immediatè, & mediatè extenſionem,ſubdiſtinguo:indiuiſibiliter ratione totius quantitatis, nego, non enim petit tota quantitas eſſe extra ſe ipſam: ratione ſingularium partium, concedo. Propoſitionem aliam videlicet infinita quantitas petit infinitam extenſionem hac ratione diſtingue: infinita quantitas petit infinitam extenſionem immediatè ratione ſui, nego. Iam enim dixi corpus non exigere vnam partem eſſe extra aliam ratione totius, ſed ratione partium,quarum vna petit eſſe extra ali. m:ratione partium ſubdiſtinguo, ita vt aliqua illarum petat extenſionem infinitam, nego, ita vt quælibet petat extenſionem finitam, & per accidens, ex coëxiſtentia infinitarum partium, exigatur infinita extenſio, concedo:ergo repugnante infinita extenſione repugnat terminus, quem exigit infinita quantitas indiuiſibiliter ratione totius,nego ſuppoſitum quem exigit quantitas ratione partium, ſubdiſtinguo; quem exigit aliqua pars illarum, vel quem per ſe exigunt omnes, nego conſequentiam quem per accidens exigunt ex coëxiſtentia infinitarum partium, concedo conſequentiam:ergo repugnante infinita extenſione; repugnat infinita quantitas, nego conſequentiam.

10 Alter alij obiciunt: Multitudo illa corporum, quam nos dicimus poſſe creari à Deo, & eſſe infinitam, ſi poneretur in ſpatio abſque illa penetratione occuparet ſpatium finitum:ergo quando eſt penetrata eſt finita,corpora enim quæ ſine penetratione finitum ſpatium occuparent neceſſariò ſunt finita. Reſpondeo corpora illa infinita, quæ nos dicimus poſſe coëxiſtere penetrata abſque vlla penetratione poſita, occupatura ſpatium infinitum ex eo, quod infinita ſint, & ſpatium finitum vt intendit obiectio, quæ contradictio vt bene notat P. Faſolus non infertur ex eo quod dentur infinita corpora, ſed ex eo quod dentur abſque vlla penetratione. Alia argumenta, quæ non ſpecialiter pugnant contra multitudinem infinitam corporum,ſed contra omnem multitudinem etiam rerum ſpiritualium, ſoluam Puncto ſequenti.

PVNCTVM V.

An repugnet multitudo infinita rerum ſpiritualium & infinita intenſio?

1 SIt Concluſio. Non repugnat infinita multitudo Angelorum, neque infinita qualitatis intenſio. Ita P. Faſolus 1.p.art.3. & 4. Hurtadus diſput.13. ſect.2. Arriaga diſtinct. 13. ſect.4. & alij plures apud P. Faſolum, vnica concluſionis ratio eſto: non poſſe aſſignari aliquam repugnantiam his infinitis, hanc probat ſolutio argumentorum, quibus intendi oſtenditur repugnantia.

2 Obicit primò. Dentur infiniti Angeli, quorum ſinguli ſingulos habeant gradus gratiæ, ſi Deus vellet ex eiſdem gradibus gratiæ dare cuicumque Angelo duplicem gradum gratiæ, nullo facto additamento graduum, vel poſſet dare omnibus Angelos binos gradus gratiæ,vel non. Si dicas poſſe, manifeſtam dices implicationem, quia tot erant gradus gratiæ,quot Angeli, & non plures: ergo iidem gradus modo inter eoſdem Angelis ita diſtribuendi ſunt, vt quilibet Angelus duos ſortiatur gradus. Sanè ſi fieret vt in ſolutione traditur, nulla illuſtrior chymæra mente poterit fingi,quàm re conceditur. Si non poteſt Deus omnibus Angelis duos gradus gratiæ dare: ergo illi gradus finiuntur: ergo non ſunt infiniti. Reſpondeo Deum non poſſe dare ſingulis Angelis duplicem gradum gratiæ, ſed tot ſine aliquo eſſe futuros, quot eſſent qui duplicem gradum ſortirentur, & hos futuros eſſe infinitos, ſicut illos,nego tamen hinc inferri gradus gratiæ non eſſe infinitos,quia non eſt contra rationem infiniti totum ſumi, & finiri, ſi ex illo ſumantur ſimul infinitæ partes, ſed tantùm eſt contra illius rationem.finiri, ſi ſucceſſiuè ex illo ſumantur in quolibet inſtanti partes finitæ incipiendo ab hac parte temporis. Si enim Deus ab æterno Angelo creaſſet vſque ad hoc inſtans in ſinguli horis creationes infinitæ pertranſiſſent, quod ſi hos omnes Angelos infinitos in hoc cubiculo conſtituiſſet,etſi infiniti eſſent, Angelos non haberet vt in duplici cubiculo Angelos conſtitueret. Ita ſi Deus reſumeret ſingulos gradus gratiæ, quos infiniti Angeli haberent,& ab hoc inſtanti inciperet conferre duplicem gradum gratiæ huic Angelo in hoc inſtanti, & duplicem alium gradum alij Angelo in inſtanti ſequenti, & ſic in reliquis, nunquam inſumerentur illi gradus gratiæ, ita vt ad vltimum binarium perueniretur. Si tamen illos vellet Deus in inſtanti per binarios ſimul diſtribuere ſingulis Angelis, gradus non haberet in illa multitudine, vt omnes poſſent duplicem gradum diſtinctum ſortiri.

3 Inſtabis: In illa collectione graduum eſſent infinitæ veritates:ergo eſſent infiniti binarij, quia ex finitis binariis fieri non poſſunt infinitæ vnitates: nulla enim vnitatum finita multitudo bis repetita poteſt infinitam multitudinem conſtituere: ergo poſſent infiniti binarij inter infinitos Angelos diſtribui, ita, vt quilibet Angelus binos gradus reportaret.Rurſus ſi Deus ex illis binariis ſingulas vnitates corrumperet, manerent iterum infinitæ vnitates:ergo manerent ſimiliter infiniti binarij, ex quibus eadem multitudo Angelorum poſſet ita gradibus binis gratiæ donari, vt quilibet Angelus duobus potiretur gradibus,& ſic in infinitum poſſent infiniti binarij fieri,ex quibus ſingulæ vnitates corrumperentur, & iterum ex relictis vnitatibus alij binarij fierent, & ſic in infinitum procedi poteſt, quod quidem eximium videtur infiniti ſacramentum non fidem, ſed fictionem exuperans. Myſterium facilè aperiam. Ex illis gradibus infiniti fierent binarij,quos infiniti Angeli ferre poſſent ſinguli ſingulos gratiæ binarios, non tamen omnes Angeli, qui antea ſimplici gradu gratiæ gaudebant binos gradus gratiæ conſequenter, aliud enim eſt infinitos Angelos infinitis binariis donari: aliud omnes Angelos,qui vnum gradum habuerant, modò duplicem obtinere. Primum eſt verum:hoc ſecundum eſt falſum, multitudo enim Angelorum, qui habuerunt ſimplicem gratiæ gradum eſſet duplo maior multitudine illorum, qui modò duplicem habent, etſi vtraque ſit multitudo infinita, quia dari poteſt vnum infinitum maius alio.Ex hac doctrina facilè ſoluuntur reliqua quæ ſupra obiciebantur:dico enim in quacumque multitudine infinita eſſe infinitos binarios, quorum ſi ſingulæ vnitates corrumpantur remanebunt infinitæ vnitates,ex quibus fieri poterit alia multitudo binariorum, quæ ſi iterum per binarios diſtribuerentur inter Angelos,qui ex multitudine præcedenti corruptionem ſingularem vnitatum binos gradus habuerant, tunc ſufficeret, vt dimidia pars illorum binos gradus reportaret, quæ pars dimidia includeret infinitam multitudinem Angelorum vix repetendam, ne ſuperaretur multitudine præcedenti vnitatum corruptionem.

Obiic. ſecundò. Infinitum categorematicum includit in actu totum illud, quod ſyncategorematicum includit in potentia:ſed non poteſt dari in actu totum illud, quod infinitum ſyncategorematicum includit in potentia: ergo non poteſt dari infinitum categorematicum. Maior probatur, quia infinitum categorematicum, & ſyncategorematicum ex eo diſtinguuntur quod categorematicum dicit actu exiſtens, quod ſyncategorematicum dicit in potentia.Minorem probo: productâ quacumque multitudine poteſt rurſus produci aliud indiuiduum eiuſdem rationis: ergo illa multitudo producta non includit totum, quod includit infinitum ſyncategorematicum, in quo includebatur indiuiduum illud, quod remanet producibile, & hac multitudine producta nondum productum eſt. Reſpondeo infinitum categorematicum includere finitam multitudinem, quam ſyncategorematicum includebat, quia ſyncategorematicum non ſolùm dicit quamcumque multitudinem infinitam poſſibilium, ſed totam illorum collectionem & infinitas multitudines infinitas, & non ſolùm omnes infinitas multitudines, ſed omnia indiuidua poſſibilium. Categorematicum autem etſi dicat infinita indiuidua exiſtentia, non tamen dicit exiſtentia omnia exiſtibilia, vnde non ſolùm diſtinguuntur infinitum categorematicum, & ſyncategorematicum, ex eo, quod categorematicum dicat entitates exiſtentes, & ſyncategorematicum poſſibiles, ſed ex eo quod categorematicum tantùm dicit multitudinem infinitam, extra quam aliæ poſſunt ſupereſſe, & ſyncategorematicum autem dicit totam colle- 4

ctionem poſſibilium, extra quam neque ſingularis vnitas exiſtit.

5 Obiic. tertiò. Si qualitas poſſet eſſe infinitè intenſa, poſſet eſſe viſio Dei infinitè intenſa: ergo poſſet dari viſio comprehenſiua Dei. Concedo antecedens,& nego conſequentiam, non enim ex eo, quòd viſio eſſet infinita,eſſet comprehenſiua, quod conſtabit ex dicendis Controu.5.de anima,Punct.5.vbi naturam comprehenſionis explico.

6 Obiic. quartò. Si daretur grauitas infinitè intenſa motus localis eſſet infinitè velox: ergo eſſet in inſtanti: Antecedens probatur: quo intenſior eſt grauitas, velocior eſt motus: ergo ſi grauitas eſt infinitè intenſa motus erit infinitè velox. Reſpondeo negando primum antecedens, & diſtinguendo ſecundum, quod in confirmationem primi adducitur. Quo intenſior eſt grauitas velocior eſt motus intra certam latitudinem, vltra quam non poteſt motus velocitas creſcere, concedo: abſolutè, nego. Deinde nego conſequentiam. Ratio diſtinctionis adductæ eſt, quia in mea ſententia motus, quo indiuiſibile mobilis per quatuor indiuiſibilia temporis quatuor indiuiſibilia ſpatij percurrit eſt ſummè velox, & dependentia Dei abſoluta non poteſt dari velocior alius, niſi fiat ſine tranſitu per medium, vel præſentiam repetitam eiuſdem mobilis in duplici loco in eodem tempore, quod cùm non poſſit præſtare grauitas, non poteſt quantumuis intenſa ſit motum velociorem producere. Vnde cùm ad illum velocitatis gradum peruenerit motus, vt abſque vlla morula fiat, quantumuis accreſcat grauitas non accreſcet illius velocitas, quæ iam tetigit ſummum gradum, quem habere poteſt.

7 Obiic. quintò ex P.Valentia 1.part. quæſt.7.art.3.punct.3. §. *mihi verò*. Omnis multitudo eo ipſo quod exiſtat, habet vltimum: ergo non eſt infinita, eſt enim de conceptu infiniti vltimum non habere. Antecedens probatur: Vltimum eſt illud vltra quod ſimul cum reliquis omnibus non eſt aliud, ſed in omni multitudine exiſtente præter vnam aliquam eius partem ſimul cum reliquis omnibus collectiuè ſumptis non eſt alia pars eiuſdem magnitudinis: ergo illa eſt vltima. Rectè notauit Pater Faſolus ſecundùm hanc vltimi definitionem menſem Ianuarium vel Aprilem poſſe dici vltimum menſem anni, quia præter Aprilem ſimul cum reliquis menſibus non eſt alius menſis eiuſdem anni. Reſpondendum eſt, negando primum antecedens, & ſecundum, in quo adducitur definitio vltimi. Vltimum enim eſt, *quod exiſtens poſt omnes alias compartes illud præcedentes, non habet aliam poſteriorem ſe*. Et cùm poſſit dari multitudo, in qua nulla ſit pars quam reliquæ omnes præcedant, poteſt dari multitudo, quæ non habeat partem vltimam.

8 Obiic. ſextò. Si poſſet dari infinita gratia habitualis, poſſet homo conſtitui in ſtatu, in quo non poſſet vltra mereri, conſequens eſt falſum. Reſpondeo negando antecedens, quia poſtquam homo haberet finitam gratiam, poſſet hæc augeri per nouos gratiæ gradus: quod ſi fieri non poſſet, non eſſet ex defectu valoris meritorum, ſed ex impoſſibilitate augmenti. Adde, quod ſi ex hoc capite repugnaret gratia infinita, non ideo repugnaret infinitus calor, quia hæc repugnantia etiamſi in gratia reperiretur, in calore reperiri non poſſet.

9 Obiic. ſeptimò ex Albertino. Si darentur infiniti Angeli, hi omnes diſtinguendi eſſent in ſpecie, ſed omnes ſpecies inæquales in perfectione ſunt: ergo daretur ſpecies infinitè perfecta. Hæc obiectio impugnat infinitas ſpecies, non ſolùm exiſtentes, ſed etiam poſſibiles, cui ex profeſſo faciam ſatis Punct. 7. vbi probabo ex hoc exceſſu ſpecierum infinitarum non ſequi illarum aliquam eſſe infinitam. Eodem argumento vtuntur aliqui ad probandum repugnare infinitam intenſionem, ſi gradus qualitatis ſunt infiniti intenſi, & vnus perfectior alio, quod hic non expendo, quia idem eſt de his gradibus, ac de ſpeciebus diſtinctis. Reclamant illius Patroni aſſerentes hic ſpecialem habere difficultatem, quæ non eſt in ſpeciebus, quia ipſi non inferunt aliquem gradum intenſum habere infinitam perfectionem, ſed toti intenſioni infinitam perfectionem ineſſe, quia tota graduum perfectio ineſt vni qualitati intenſæ, & tota infinitarum ſpecierum perfectio non ineſt alicui compoſito ex illis ſpeciebus. Si ſemel concedatur gradus ſingulos finitam perfectionem habere, eadem eſt ipſiſſima ratio, ſiue gradus ſint æquales, & non ſubordinati, ſiue ſubordinati, & ſe inuicem excedentes. Eadem enim ratio, ſeu repugnantia eſt vt ex in finitis entitatibus æqualibus, quarumque quælibet finitam habet perfectionem, reſultet vna perfectio ſimpliciter infinita, ac vt reſultet ex finitis entitatibus inæqualibus, quarum quælibet habet finitam perfectionem. Ad illud quod dicitur de intenſione quæ includit perfectionem omnium graduum, Reſpondeo, non dari in intenſione aliquam perfectionem, quæ immediatè afficiat indiuiſibiliter totam intenſionem; ac proinde etiamſi intenſio includat totam perfectionem graduum, illam includit diſperſam per infinitos gradus & ſemper intra genus perfectionis creatæ, & ſecundùm quid cum dependentia à principio effectiuo, quæ opponitur cum ratione infiniti ſimpliciter, & per eſſentiam, quod dicit eſſentialiter independentiam ab omni cauſa.

10 Obiiciunt octauò docti & peracuti recentiores omnibus præcedentibus longè difficilius argumentum. Deſignet Deus Angelos mente ſua omnibus diebus, quos per æternitatem cognoſcit ſucceſſiuè eſſe futuros, ita vt cuilibet diei ſingularis Angelus correſpondeat, hi Angeli erunt infiniti, quia tot erunt, quot ſunt dies imaginarij per æternitatem futuri, & quot eſſent dies reales, ſi cœlum per æternitatem eſſet perpetuò mouendum; aliàs erunt finiti: ergo finiti, & infiniti: ergo implicat illa Angelorum multitudo. Illos Angelos futuros, eſſe finitos ſic probo. Si Deus ex hoc inſtanti in qualibet hora vnum Angelum ex illis produceret, nulla hora relicta in qua, non produceret Angelum, non poſſet ex illa multitudine in omnibus horis Angelum diſtinctum producere, quia horarum multitudo maior eſt multitudine dierum, & conſequenter maior multitudine Angelorum, quæ æqualis eſt dierum multitudini: ergo eſſent aliquæ horæ, quibus nullus Angelus producendus reſponderet: ergo cognoſceret Deus, ad has horas non perueniet productio Angelorum, quæ ab hac hora incipit: ergo illi Angeli correſpondebant horis, quæ haberent primam, & vltimam: ergo horis finitis: ergo eſſent finiti. Diceret aliquis ex Maiore, cuius doctrinam Conimbr. ſunt ſequuti multitudinem illam infinitam correſpondentem ſingulis diebus ſufficientem eſſe, vt correſponderet ſingulis horis, & ſingulis inſtantibus æternitatis, quia in infinito multitudinis non ſunt plures numeri centenarij, quàm millenarij, neque plures vnitates quàm centenarij numeri, & ita in infinito horarum plures non erunt dies, quæ viginti & quatuor horas includunt, quàm ſunt ſingulæ horæ. Quod ſi obiicias illud principium: totum eſt maius ſuâ parte, reſpondent Conimbr.3. Phyſic. cap.8.q.2. art.4.ad 2.intelligendum eſſe de toto finito, non de infinito, in quo locum non obtinet. Sanè huius conditionis naturam infiniti defendere non eſt, illud tueri, vt bene notauit P.Faſolus dubit. illâ 12.n. 40.ſed omnibus irridendum proponere, eſt enim lumine naturæ notum infinitam multitudinem plures vnitates, quàm numeros millenarios includere, ſiquidem quilibet numerus millenarius, mille dicit vnitates millenario numero reſpondentes.

11 Viderunt recentiores hoc argumentum ipſam æternitatem animorum à parte poſt futuram impugnare, in qua manifeſtam habet inſtantiam, & ita non illud proponunt vt animum conuincant, ſed vt illius difficultate ſeu fallaciâ, quam aſſerunt huc vſque deprehenſam non eſſe, intellectum cuiuſque vincant. Intendo prædictæ difficultati ſatis facere; ſic reſpondeo. Affirmo multitudinem illam Angelorum, quos Deus ſingulis diebus æternitatis deſignauit eſſe infinitam. Deinde nego, poſſe Deum ab hac hora per ſingulas horas perpetuò abſque vlla interruptione ſingulos Angelos producere, ita vt nullus reſtet producendus. Et ſimiliter nego, poſſe Deum mente deſignare ſingulos Angelos ſingulis horis incipiendo ab hac hora, ita vt nullus illi Angelus ſuperſit, cui hora non correſpódeat, neque vlla ſit hora intermiſſa ſine Angelo in toto illa ſerie horarum, quæ Angelos productos, vel mente diuina continet aſſignatos. Forſan rationis facilitas difficultatem concluſionis ſuperabit; ſupercilio depoſito, attendas obſecro: Vt Deus aſſumat horas, quibus illi Angeli, vel reali productione, vel mentali aſſignatione adæquatè correſpondeant, ita vt nulla hora ſine Angelo ſuperſit, ex his, quas deſumpſit, neque vllus Angelus ſuperſit ſine aliqua illarũ horarũ debet Deus ſumere infinitas horas, quia Angeli ſunt infiniti: ex alio capite non debet ſumere omnes horas, quæ ſunt ab hoc inſtanti per totam æternitatem, quia horũ multitudo ſuperat multitudinem Angelorum, vt per ſe notum eſt.

Digitized by Google

eſt. Sed incipiendo ab hac hora non poteſt ſumere infinitas horas nulla intercepta, quin totam æternitatem aſſumat, quia vbicumque ſiſtat horarum aſſumptio terminum habebit, & erit verum dicere, hæc eſt vltima hora aſſumpta, & illa fuit prima: ergo ab hac hora non poteſt Deus aſſumere horas non interruptas, quibus illa Angelorum multitudo correſpondeat, quælibet enim multitudo continua horarum, quæ ab vna incipit hora, & non replet totam æternitatem finita eſt, quæ non ſufficit vt infinitæ Angelorum multitudini infinitæ correſpondeant. Debet ergo Deus vt illi multitudini Angelorum horas aſſignet, quæ ab hac incipiet illas aſſignare cum aliqua interruptione, quia ex horis interruptis bene poteſt Deus infinitas aſſumere, quin totam aſſumat æternitatem: ſi enim Deus tertiam quamque horam ex his quas agnoſcit deſumat, alia intermedia ſemper relicta, tam horæ relictæ, quam aſſumptæ erunt infinitæ, quia neque multitudo horarum, quas Deus aſſumit, neque multitudo horarum, quas relinquit, aliquam vltimam habebit, neque vna multitudo erit poſt aliam, neque erit alterius terminus, & hac ratione incipiendo ab hac hora poterit Deus duplicem multitudinem horarum diſtinctarum aſſignare. Si verò ex hac hora velit duplicem multitudinem horarum non interruptarum mente deſignare, non poterit vtramque infinitam aſſignare, quia cùm horæ æternitatis ſint futuræ ſucceſſiuè, ſi horæ vtriuſque multitudinis non permiſcentur, vna multitudo erit adæquatè poſt aliam; cuius multitudinis prima hora erit terminus multitudinis præcedentis, & ita multitudo, quæ priùs præcedebat terminum habebit à parte poſt, & cùm ab hac inceperit hora, illum habebit à parte antea, & à parte pòſt, & ita vtrimque erit finita.

12 Ex hac doctrina infero pro ſolutione aliorum argumentorum, quæ eandem continent difficultatem, quod ſi Deus ex omnibus diebus quos videt per æternitatem futuros vellet certum numerum dierum v. g. viginti dies mente excludere, non poſſe reliquam multitudinem ab hac die abſque vlla dierum interruptione cognoſcere. Ratio eſt manifeſta quia vel cognoſceret multitudinem illam, à qua decem dies ſunt ablati ab hac die abſque vlla interruptione tendere per totam æternitatem, vel cognoſceret non peruenire ad totam æternitatem; ſi cognoſcit tendere ab hac die per totam æternitatem: ergo nullus dies ex illa fuit ablatus: ſi cognoſcit non tendere vſque ad totam æternitatem illud, quod reſtat, & hæc dierum ſeries non attingit, erit æternitas, quia poſt quemque diem æternitatis aſſignatum adhuc reſtat æternitas: ergo non ſolùm decem dies æternitatis ſunt ablati ab hac dierum multitudine, ſed quædam integra æternitas. Secundò ſi hæc ſeries dierum, quæ ab hoc die incipit, totam æternitatem non attingit, datur aliquis dies, quem non attingit: ergo ille erit terminus ſeriei dierum, quia cum tota illa ſit abſque vlla interruptione, ſi non includit hunc diem, neque includet alium, qui poſt hunc exiſtet. Rationem totius doctrinæ claram accipe: vt ego à diebus, quos includit annus decem demptis reliquos omnes abſque vlla interruptione aſſumam incipiens à prima die Ianuarij, neceſſariò debeo relinquere decem vltimos, & non alios, quia ſi relinquo aliquos exiſtentes ante decem vltimos, poſtea vel aſſumo dies illos, qui ſunt poſt decem relicti, vel non. Si non illos aſſumo iam non tantum relinquo decem dies, ſed decem & alios, qui ſunt poſt illos. Si illos aſſumo: ergo iam non aſſumo dies omnes diſtinctos à decem, quos relinquo abſque vlla diuiſione interceptos, ſed interruptos decem diebus relictis. Ex hoc infero, quod ſi eſſent aſſumendi dies omnes, qui ex hac die erunt in æternitate abſque vlla interruptione decem tantùm relictis, & aſſumptio dierum ex hac die eſſet inceptura, relinquendos eſſe decem dies vltimos, poſt quos nullus alius eſſet, & cum in æternitate non ſint aliqui dies vltimi, poſt quos alij non ſint, ſit non poſſe incipiendo ab hoc die recenſeri ſine vlla interruptione dies omnes ab hac die futuros per æternitatem decem tantùm demptis, ſed dies abſque hoc recenſendos abſque interruptione debere eſſe omnes, qui in æternitate erunt, vel debere relinqui infinitos non recenſitos, & recenſitos omnes eſſe finitos, quia haberent primum, & vltimum. Hanc obſerua doctrinam, pro pluribus argumentis, quæ fieri poſſunt, contra infinitum permanens & præcipuè ſucceſſiuum, quæ ex illa facilè ſoluentur, & non ſine maxima mei ſcribentis, & tui legentis moleſtia poſſent hic adduci. Deficiet enim æternitas argumentis, quæ contra æternitatem, & contra quodlibet infinitum poſſunt adduci.

Pvnctvm VI.

Nonnulla expediuntur de Infinito?

DEfiniendum eſt an vni infinito poſſit aliquid addi, vel detrahi, an ſit capax augmenti, an poſſit dici maius, vel minus, æquale vel inæquale reſpectu alterius. Plerique hæc diſputant antequam naturam infiniti, & poſſibilitatem, aut repugnantiam illius vt exiſtentis definierint, ex quo fit ipſos confundere repugnantias, quas includit ſubiecti exiſtentia, quam ſupponunt, illiſque vti ad probandum nullam ex his proprietatibus infinito competere poſſe. Statuendum eſt vt ordinatè procedat diſputatio, quodnam infinitum exiſtat, vel exiſtere poſſit, & de illo inquirendum an capax ſit proprietatum, de quibus procedit diſputatio. Vel ſi velimus diſputationem hypotheticam facere, debemus ſupponere infinitum exiſtere, etiamſi repugnet, & deuoratis repugnantiis, quas diceret illa exiſtentia, inquirere, an alia noua aſſurgeret ex proprietatibus quas inquirimus. 1

Dico primò. Infinitæ multitudi Angelorum poteſt addi & adimi alia multitudo finita, aut infinita. Probo clarè: In multitudine infinita Angelorum ſunt infiniti binarij: ergo ſi mente Deus adimat vnam vnitatem à quocumque binario permanebunt infinitæ vnitates: ergo illis ablatis adhuc maneret multitudo infinita. Neque dicere potes Deum non poſſe adhuc mente præſcindere ſingulas vnitates à ſingulis binariis, quia hoc non repugnat ex connexione entitatum inter ſe, quia quilibet Angelus, ex his, quos claudit hic binarius, eſt independens ab alio in eſſe & cognoſci, potuit enim Deus ſuppoſita creatione cuiuſcumque alterum non creare, neque repugnat ex natura infiniti, quia ex eo quod multitudini infiniti repugnaret illa ſeparatio, non fieret non poſſe Deum illam exhibere, ſed illa exhibita infinitam multitudinem eſſe extinguendam, ſicuti ex eo quod à numero binario non poſſit demi aliqua vnitas, non fit Deum non poſſe demere vnitatem ab illa multitudine, quæ denarium perficit, ſed dempta illa vnitate non permanere denarium, ac probaui dempta vnitate à quocumque binario incluſo in multitudine Angelorum manere vnitates infinitas & multitudinem infinitam: ergo non eſt contra rationem infiniti vt ſic, ab illo aliquid adimatur, neque conſequenter vt illi aliquid addatur, quia poteſt illi reſtitui, quod demptum fuit, vel potuit creari ſine illo, quod illi poſtea ablatum, illúdque acquirere in menſura, in qua fuit ablatum, aut in alia poſteriori, quod eſſet propria infiniti additis. 2

Addit P. Faſolus dub. 4. num. 3. infinitum eſſe capax multitudinis quatenus eſt finitum, non verò quatenus eſt infinitum. Id ego perciperem, ſi P. Faſolus loqueretur de infinito extenſionis, quod verſus vnam partem infinitam extenſionem haberet, & non verſus altam, in infinito vero multitudinis Angelorum, in quibus nullus eſt ordo, id ego non percipio, neque ſcio, quomodo poteſt addi illi multitudini, niſi quatenus eſt infinita, cum ipſa ſi tota ſumatur vnitates infinitas ſemper includat. Hanc diuerſam acceptionem infiniti quatenus eſt finitum, & quatenus infinitum eſt, explicat doctus Faſolus dub. 3. num. 8. his verbis: *Etenim cùm quodlibet infinitum nihil aliud ſit, quàm vnitas infinities replicata, & conſequenter quodlibet infinitum replicatum infinities eſt impoſſibile dari aliquod infinitum, in quo non ſint aſſignabiles partes finitæ, & partes infinitæ: vnde oritur, vt quodlibet infinitum conſiderari poſſit, aut debeat & quatenus finitum, & quatenus infinitum, quatenus conſtat partibus formaliter vt infinitis, eſt infinitum, quatenus conſtat partibus formaliter finitis eſt finitum.* Hæc ſunt Faſoli verba, quid rei habeant videamus. Continuum conſtat partibus finitis, & infinitis, & nihil aliud eſt, quàm vnitates infinities repetitæ, vt doctè docet Faſolus, ita tamen conſtat partibus finitis, & infinitis, vt finitæ partes includantur in infinitis, quibus conſtat infinita multitudo, & ita conſtat his partibus finitis incluſis in infinitis, vt partes finitæ per ſe ſolas quatenus diſtinguuntur ab aliis non poſſint conſtituere adæquatè multitudinem infinitam, neque illa multitudo infinita, ſeu illud infinitum poſſe 3

poſſit conſtare partibus tantùm finitis, vt per ſe notum eſt. Deinde certum eſt, partes illas, quæ in multitudine ſunt infinitæ, & totum infinitum quatenus infinitum componunt conſideratas diſtributiuè, & ſeorſim ſumptas eſſe finitas, hoc eſt, illarum quamlibet finitam eſſe. Ex his examino propoſitionem illam Faſoli infinitum conſideratum quatenus conſtat partibus, vt formaliter finitis finitum eſt. Illud vt formaliter finitis, dicit vt formaliter in multitudine finitis vel vt formaliter quælibet illarum partium eſt finita: ſi dicat vt formaliter quælibet illarum ſeorſim ſumpta eſt finita, falſa eſt propoſitio, quia infinitum vt formaliter infinitum conſtat vnitatibus infinities repetitis, quarum quælibet eſt finita, non enim poteſt aliter infinitum, vt infinitum conſtitui, niſi per partes quarum quælibet ſit finita. Si dicat quatenus conſtat partibus formaliter finitis in multitudine, vel dicit quatenus adæquatè conſtat partibus hoc modo finitis, vel quatenus inadæquatè conſtat ex illis, hoc eſt ex illis, & ex aliis infinitis. Si dicat quatenus adæquatè conſtat ex illis finitis præciſè ſumptis, nego ſuppoſitum, infinita enim multitudo non poteſt conſiderari ſub nullo reſpectu conſtans partibus finitis ſumptis præciſè, id enim, quod ex illis conſtat præciſè non eſt infinitum, ſed pars quædam finita incluſa in infinito. Si dicat quatenus conſtat partibus finitis, & aliis infinitis, ex quibus eſſentialiter conſtat multitudo infinita, & ſine quibus ſub nullo reſpectu poteſt cognoſci, nego ſub hac ratione multitudinem illam eſſe finitam, ſed infinitam, quia quæcumque multitudo infinita aſſignata formaliter conſtat ex hoc millenario finito in illa incluſo, & ex aliis vnitatibus infinitis, quæ ſimul cum millenario componunt hoc infinitum.

4 Infinitum ſecundùm extenſionem quantitatiuam dari nequit, vt ſuprà dixi: quod ſi daretur vel eſſet infinitum vndequaque, vel infinitum tantùm versùs vnam partem: ſi eſſet infinitum vndequaque addi non poſſet, quia additio debet fieri per extenſionem ad aliquod ſpatium, quod antea non attingebat: cùm autem nullum deberet eſſe ſpatium, quod infinitum non attingeret, aliàs illo terminaretur ſpatium, quod occupat, & infinitum non eſſet, nullum eſſet ſpatium, in quo poſſet fieri additio. Quod ſi intendas probare futurum eſſe ſpatium, quod illud infinitum non attingebat, in quo additio fieri poſſet, deſtruis ſuppoſitum, videlicet corpus illud occupare infinitum ſpatium; quia eo ipſo, quod probes dari aliud ſpatium vltra illud, quod occupabat corpus, probas ſpatium occupatum eſſe finitum: vel ergo non ſupponas exiſtere infinitum, vel illud iam ſuppoſitum non impugnes. Si corpus eſſet finitum versùs vnam partem, & infinitum versùs aliam: v. g. ſi daretur linea, quæ ab hoc puncto inciperet, & versùs Orientem in infinitum procederet, eſſet infinita, non poſſet addi versùs illam partem, quæ eſt infinita, nec incrementum recipere. Prior pars concluſionis in præcedenti continetur. Poſterior ſuadetur facilè: primus palmus lineæ, qui vnitur ſecundo, eodem modo ſe habet ſiue ſecundus vniatur tertio ſiue non vniatur, ſed ſi ſecundus non eſſet vnitus tertio, & tertius quarto, & ſic in infinitum poſſet vniri alij palmo versùs illam partem, quà terminum habet: ergo etiam quando talem vnionem mediatam habet cum aliis palmis poterit versùs illam partem, quà eſt finita alij palmo vniri. Secundò ſi à linea, quæ incipit ab hoc puncto ſpatij *A*, præcideretur primus palmus, maneret infinita: ergo non eſt contra rationem infiniti, vt ab illo aliquid detrahatur: ergo non erit contra illius rationem vt aliquid illi ſuperaddatur. Recognoſce dicta ſuprà de additione, & detractione infiniti ſecundùm numerum.

5 Obiic. recentiores: ſi lineæ, quæ incipit ab hoc puncto, & tendit verſus Orientem poſſet addi palmus quantitatis poſtquam haberet illum palmum poſſet incipere ab eodem puncto: tunc vel occuparet aliquod ſpatium versùs Orientem, quod antea non occupabat, vel idem indiuiſibiliter occuparet. Si dicas idem occupare, teneris componere quomodo eadem linea cum hoc palmo quantitas, & ſine illo idem ſpatium occupet: ſi occuparet maius ſpatium: ergo antea non occupabat ſpatium infinitum. Vt primum hanc obiectionem legi, decreui priùs tractare an poſſet dari infinitum, & poſtea an poſſet addi, ne difficultates confunderem. Hoc argumentum procedit contra infinitam extenſionem lineæ, non contra illius additionem, quod manifeſtè oſtenditur, quia idem omnino argumentum conficies ſi fingas, vel ſupponas eandem lineam ſine aliqua additione incepiſſe ab alio palmo magis immediato orienti, quàm iſte, à quo, incipit, & ob hanc rationem, aliáſque huiuſmodi nego lineam infinitam infinitè extenſam, quam non poſſe dari probat obiectio, non verò non poſſe addi ex ſuppoſitione, quod detur. Eodem modo philoſophandum eſt de infinito, ſecundum temporis extenſionem, ſeu de motu ſucceſſiuo infinito, qui ab æterno, vel in æternum procederet, qui addi non poſſet versùs partem, qua eſſet infinitus, bene tamen versùs illam, qua terminum haberet; quapropter ſi vtrimque eſſet infinitus, versùs nullam partem poſſet illi aliquid addi, neque detrahi portio aliqua finita, ſaluâ immediatâ à ſucceſſione partium, quæ ſupereſſet. Si roges cur infinitum ſecundùm multitudinem poſſit addi formaliter quatenus infinitum, & non poſſit additionem recipere infinitum ſecundùm extenſionem temporis, & loci, opportunum reddam diſcrimen. Nulla extenſio poteſt addi, neque in ordine ad ſpatium loci, vel temporis, niſi per acquiſitionem noui termini, & ratione vltimæ ſuperficiei, cui alia pars corporis adiungitur, vel quæ ad nouum ſe extendit ſpatium, quia cùm extenſiones dicant partes cum ſucceſſione & diuerſum ſpatium occupent, non poteſt dari noua pars extenſionis ſine nouo ſpatio acquiſito, quod antea non erat, quod eſſet immediatum ſpatio antiquo, & eſſet illius terminus, qui terminus infinito repugnat. Multitudo verò cùm vnitates coacertuatas dicat ſine ordine prioris, aut poſterioris, & non habeat aliquam partem versùs quam ſit augenda ex ſuppoſitione quod augeatur, non eo ipſo quod augeri poſſit terminum habet, & ideo ex eo quod illi terminus repugnet, eidem non repugnat augmentum.

Affirmo ſimiliter omne infinitum eo ipſo, quod augmentum recipiat, fieri maius non menſurabiliter, ita vt totum valeat menſurari, quod maius formaliter dici ſolet, ſed immenſurabiliter ſecundùm rationem totius quatenus includit augmentum, & illud, quod augmentum recipit. 6 Ratio Durandi quam refert Faſolus dub. 4. num. 4. eſt per ſe nota: omne illud, quod continet aliquid cum aliquo alio eſt plus illo; ſed infinito poteſt fieri additio: ergo fiet facta additione plus illo, cui fit additio ſecundùm totum illud, quod importat additio. Reſpondet Faſolus additum augere illud, quod eſt capax augmenti, non verò illud quod incapax eſt, vt augeatur: & ita additum non augere infinitum, quia hoc non poteſt augeri. Exemplum adducit de quantitate addita indiuiſibili, quæ illud non facit maius; de ſapientia finita, quæ addita infinitæ non facit maiorem ſapientiam. Exempla non probo, & ſolutionem impugno. Non probo exempla, quia ex ſapientia creata, & increata, non fit vna ſapientia, & ita augeri non poteſt vna ex vi alterius, augeri enim eſt acquirere partem vnitam ex vnione, quam dicit totum conſtitutum vnione phyſica, ſi totum ſit phyſicum, & vnione morali, ſeu aggregationis, ſi totum ſit morale, ſeu aggregatum. Et ita cùm nullo modo totum conſtituant ſapientia creata, & increata, niſi quatenus numerum dualem conſtituunt, ita ſapientia creata non augetur, niſi forſan dicas augeri ſecundum illam rationem extrinſecam numeri, quam conſtituit cum ſapientia creata, quod augmentum extrinſeciſſimum, & ſapientiam increatam omnino eandem relinquit, neque adhuc hoc modo augetur ſecundum rationem ſapientiæ increatæ, quia illa ſapientia, quæ illi adiungitur, & illi quaſi extrinſecè vnitur in ordine ad exiſtentiam tantum, non eſt ſapientia increata, ſed creata. Exemplum de quātitate extenſa addita puncto eiuſdem eſt rationis cum præcedenti, in opinione enim Ariſt. in qua procedit Faſolus, punctū neque extenſionem habet, neque illam poteſt fundare, cuicumque enim adhæreat penetratur. Vnde cum illi extenſio adiungitur non additur extenſioni extenſio, neque fundamentum extenſionis. Vnde mirū non eſt non fieri maiorem extenſionem, augmentum enim cuiuſcumque rei conſiſtit in additione partis eiuſdem rationis cum toto præcedenti, cui additur. In opinione Zenonis, quæ continuum componit ex indiuiſibilibus, quorū quodlibet aptum eſt fundare extenſionem, linea addita puncto quoddam totum maius conſtituit. Hæc de exemplis; venio ad ſolutionem. Rem eſſe capacem augmenti nihil aliud eſt, quam eſſe capacem coſtituendi totum, quod includat rem augendam, & partes alias eiuſdem rationis cum illis quibus ipſa conſtat ſed multitudo infinita eſt capax conſtituendi multitudinem, quæ includat eandem multitudinem quæ ſupponitur, & partes alias eiuſdem rationis cum illis,

illis,

Digitized by Google

illis, ex quibus componitur; videlicet alias vnitates eiuſdem rationis cum illis, ex quibus tanquam ex primis elementis conſtat prima multitudo infinita: ergo eſt augmenti capax. Si maiorem neges, dicito, quid ſit aquam, ignem, hominem, & equum augeri, niſi ſibi vniri partes alias eiuſdem rationis cum illis, quibus conſtabat totum illud, quod augeri dicimus, neque alio modo Philoſophi de augmentatione diſputantes illius naturam explicarunt.

7 Communiter Philoſophi negant æqualitatem inter duo infinita, quia æqualitas dicit menſurabilitatem, & cum infinita non poſſint menſurari, hinc eſt, quod æqualia eſſe non poſſint. Ita fert communis ſententia, veruntamen quis dicet in infinito hominum non eſſe tot oculos dextros, quot ſiniſtros, non eſſe tot manus quot pedes, tot capita, quot corpora in infinito Angelorum, quorum quilibet habet vnum gradum gratiæ, non eſſe tot Angelos, quot gratiæ gradus & alia huiuſmodi. Sentio æqualitatem definiendam eſſe: duorum menſurabilium commenſuratio, ita vt duo requirantur ad æqualitatem, & quod quolibet extremum in ſe ſit menſurabile, & quod vnum alteri cõmenſuretur. Hæc ſecunda æqualitatis proprietas poterit vni infinito reſpectu aliûs competere, vt exempla adducta conuincunt, non prior, quia quodlibet infinitum ſecundum ſe eſt incommenſurabile, & ita ex defectu huius non datur propria æqualitas inter extrema infinita, dicetur illa, commenſuratio ipſorum, quam æqualitatem negatiuam multi appellant. Multa argumenta vidi apud recentiores, quibus has infiniti proprietates impugnare intendunt, veruntamen omnia eò immediatè tendunt vt infiniti repugnantiã ſuadeant: pleraque illarum ſolui, & alia ex doctrina tradita facilè ſolui poterunt: huiuſmodi ſunt plura, quæ petuntur ex poſitione rerum infinitarum cum ordine prioris, & poſterioris in ordine ad locum, quam poſitionem dixi repugnare, quia repugnant corpora infinita non penetrata, & ex illorum extenſione abſque illa penetratione inferentur abſurda, quibus nos impetunt Aduerſarij. Eadem ratione reſpondendum, ſi Angeli in diuerſis ſpatiis collocentur, eadem enim ratione, propter quam repugnat poni infinita corpora in ſpatiis adæquatè diſtinctis, repugnat poni infinitos Angelos in eiſdem ſpatiis.

PVNCTVM VII.

An Deus poſſit producere creaturam omnium poſſibilium perfectiſſimam, item & imperfectiſſimam?

1 INquirit præfixus titulus, an Deus poſſit producere creaturam aliquam ita perfectam vt non poſſit aliam perfectiorem producere, & an poſſit creaturam ita imperfectam efficere, vt non valeat aliam imperfectiorem facere. Difficultatem trado de perfectione ſpecifica, & ſuppono ad præſentem quæſtionem, claritatis gratiâ, omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe perfectione æqualia; quod enim definitum fuerit de perfectione omnium ſpecierum poterit applicari perfectioni indiuiduorum vnius ſpeciei in opinione, quæ indiuidua inæqualia intra eandem ſpeciem conſtituit: loquor de creatura omnium perfectiſſima negatiuè, hoc eſt, quæ non poſſit ab alia excedi ſecundùm perfectionem, quod moneo propter eos, qui admittunt poſſe dari duas ſpecies diſtinctas æquè perfectas, ſecundùm quam ſententiam facilè defendi poterit, non poſſe dari aliquam ſpeciem omnium perfectiſſimam, quia non poterit dari ſpecies ita perfecta, quæ non poſſit habere aliam ſpeciem perfectione ſibi æqualem, licet nullâ perfectione excedi poſſit. Moneo inſuper eodem modo tractandam eſſe quæſtionem de ſpecie omnium perfectiſſima, & de ſpecie imperfectiſſima, ne tamen multiplicatione terminorum res confundatur, loquor tantum de ſpecie perfectiſſima, de qua communiter Doctores diſputant, & quod de illa definiam, tu ſpeciei imperfectiſſimæ applica.

2 Pater Arriaga diſp. 13. ſect. 3. ſequutus Aureolum in 1. diſt. 44. quæſt. vnica art. 4. & Durandum in 1. diſt. 44. q. 2. Baeconum in 1. diſt. 44. q. 1. art. 2. docuit Deum poſſe producere creaturam ita perfectam vt non poſſit aliam perfectiorem producere. Oppoſitam ſententiam, quam amplector defendit P. Faſolus diſput. 11. n. 4. ſequutus D. Thom. q. 1. de potentias art. 2. ad nonum, eandem defendunt plures Thomiſtæ apud eumdem Faſolum, pro qua eſt egregium teſtimonium D. Dionyſij de diuinis nominibus c. 8. circa princip. *Dicamus* (verba ſunt Dionyſij) *Deum infinitâ vi, ac potentia præditum non ſolùm quod vim omnem in lucem proferat, ſed etiam quod omnem quoque vim ipſam multum ſuperat: quodque poſſit etiam infinite infinitas alias potentias, præter eas, quæ ſunt in lucẽ proferre, neque vnquam potentiæ infinitæ, & infinita in lucem probato, effectionem potentiarum effectricẽ eius potentiæ, quæ omnem infinitatem ſuperat obſcurare, & obruere poſſint.* Ratio adducta à Sancto Thoma hæc eſt: Quæcumque creatura ſupponatur producta, quantumuis perfecta ſit, infinitè diſtat à Deo, ergo poterit alia perfectior excogitari media inter illam creaturam, & Deum, quæ creaturam iam productam perfectione exuperet, & maneat longè inferior Deo: ergo non repugnat creari illã creaturã. Hac creata idem argumentum fiet, & ſic in infinitum procedetur. Confirmatur eadem concluſio à paritate numeri, qui ſemper poteſt in infinitum creſcere, & quocũque dato reſtat alius poſſibilis maior, ita vt implicet aliquem numerum omnium maximum excogitari; & nihilominus totum hoc numerorum augmentum eſt intra lineam finitæ multitudinis: ergo eodem modo poterit de creaturarum perfectione philoſophari. Accedet his argumentorum ſolutio, quæ in ſimilibus quæſtionibus eſt omnium optima ratio.

Obiicit Arriaga: Non eſt repugnantia in eò quod Deus producat creaturam omnium perfectiſſimam: ergo poterit illam producere. Inſto ergo non eſt repugnantia, vt producta quacumque creatura, quantumuis perfectam illam cõſideres, Deus perfectiorem aliam producat: ergo poterit illam producere. Reſp. eſſe repugnantiam in eo quod creetur illud quod non eſt in ſtatu poſſibilitatis, & in ſtatu poſſibilitatis nullam eſſe creaturam omnium perfectiſſimam, ſicut in numeris poſſibilibus non eſt aliquis omnium maximus, & ita eſt repugnantia in eo, quod Deus producat creaturarum omnium perfectiſſimam. Addo argumentum ſumptum ex non repugnantia, non Arriagæ, ſed mihi fauere, qui omnipotentiam Dei propugno, & extenſionem poſſibilitatis defendo, quæ tantùm repugnantia terminatur; Eſt enim quæſtio an ſupra quamcumque creaturam quamtumuis perfectam poſſibilis ſit perfectior alia, quam Deus poſſit producere. 3

Obiicit ſecundò Arriag. In hac collectione omnium creaturarum poſſibilium non omnes ſpecies excedentur: ergo aliqua eſt, quæ non excedetur. Antecedens probat: ſi omnes excederentur eſſent plures exceſſæ, quam excedentes, hoc fieri nequit: ergo non omnes exceduntur. Antecedens ſuadet incipiendo ab homine: ſpecies hominis exceditur & non excedit, reliquæ omnes excedunt, & exceduntur: ergo incipiendo ab homine ſpecies exceſſæ ſunt vnâ amplius ſpeciebus excedẽtibus. Inſuper nõ eſt vna amplius quia quælibet, quæ exceditur habet aliam excedentem: ergò tot ſunt exceſſæ, quot excedentes. In flagranti fallacia deprego: quælibet exceſſa habet excedentem, diſtinguo: excedentem tantùm, nego: excedentẽ, & exceſſam, concedo: deinde nego conſequentiam, quia ſi incipio numerare ab homine & per Angelum (pono modo ſpeciem Angeli eſſe immediatam homini) ad alias ſpecies aſcendo, annumero duas ſpecies exceſſas Angelum & hominem, & vnam excedentem, videlicet Angelum, & eadem proportione procedo connumerando ſimul vnitatem aliam excedentem & exceſſam ſupra duas exceſſas, & vnam excedentem, & ita ſemper exceſſarum numerus vincit vnica vnitate exedentem numerum. Negandum ergo eſt illud Antecedens, videlicet non omnes ſpecies diſtributiuè ſumptas excedi, hoc eſt eſſe aliquam non exceſſam, & reſpondendum eſt prædicto modo ad contradictoria quæ intendebantur inferri. Idem omnino argumentum fit in numeris, poteſt enim inferri eadem fallacia ex eo quod omnes excedantur eſſe plures, & non eſſe plures exceſſos excedentibus. 4

Obiicit tertiò Arriaga. In collectione omnium creaturarum poſſibilium eſt ſumma propinquitas cum Deo, quia extra illam collectionem non poteſt excogitari aliqua creatura, quæ ſit vicinior Deo: ſed hæc propinquitas non poteſt conuenire collectioni ratione omnium ſpecierum, neq; ratione duarum, quia ex duabus imperfectior non habet ſummam propinquitatem cum Deo, quia perfectior altera propinquior eſt: ergo debet illi conuenire ratione vnius ſpeciei: ergo illa erit ſummè propinquior Deo, & perfectiſſima omnium poſſibilium. In numeris idem argumentum conficis prorſus eodem modo. In tota collectione numerorum poſſibiliũ eſt ſumma propinquitas cum multitudine 5

Digitized by Google

infinita hæc non poteſt conuenire collectioni ratione omnium numerorum, neque ratione duorum, quia minor altero non poteſt eſſe immediatus multitudini infinitæ: ergo datur aliquis numerus omnium maximus, cui conueniat hæc immediatio. Reſpondeo collectioni omnium creaturarum poſſibilium conuenire ſummam propinquitatem cum Deo, non ratione alicuius creaturæ in particulari, ſed ratione infinitarum incluſarum in illa collectione, quæ collectiuè ſumptæ dicunt negationem aliûs creaturæ poſſibilis mediantis inter Deum, & talem collectionem.

6 Obiicit quartò: Deus incipiendo ab homine cognoſcit, quæ ſpecies hominem excedat, & quæ excedat excedentem hominem, & ſic in inſtanti percurrit vſque ad aliquam, quæ non excedatur: ergo illa erit ſummè perfecta. Idem argumentum conficio in numeris. Deus incipiendo à binario procedit ad ternarium, deinde ad quaternarium, & ſic in inſtanti mente percurrit omnes numeros poſſibiles: ergo perueniet ad aliquem omnium maximum. Reſpondeo Deum ab æterno, & in quolibet inſtanti cognoſcere res eo modo, quo ſunt & cùm non ſit ſpecies, quæ non poſſit excedi ab alia, ſicuti neque numerus, qui non habeat alium maiorem poſſibilem excedentem, ita non poteſt Deus cognoſcere aliquam ſpeciem, quæ ab alia non excedatur, etiamſi omnes poſſibiles cognoſcat.

7 Obiicit quintò: Deus poteſt producere creaturam ſummè perfectam, quam poteſt producere, quæ propoſitio eſt identica, ac proinde videtur non poſſe negari: demus ergo illam produxiſſe: vel poteſt producere aliam perfectiorem, vel non poteſt producere: ſi non poteſt producere, illa producta erit omnium perfectiſſima: ſi poteſt producere: ergo antea produxerat perfectiſſimam, quam poterat producere, vt iam ſuppoſuimus, & non produxerat perfectiſſimam, ſiquidem modo perfectiorem aliam producit. Argumentum hoc fallaciam habet latentem valde, vno tamen verbo illam aperio, & argumentum diſſoluo. Nego ſuppoſitum, quia cum dicitur, Deus poteſt producere creaturam perfectiſſimam, quam poteſt producere, ſupponitur inter creaturas, quas poteſt Deus producere, eſſe aliquam perfectiſſimam, quæ dicitur poſſe à Deo produci. Hæc autem ſuppoſitio eſt falſa, quæ propoſitionem quantumuis identicam falſam reddit, propoſitio enim de ſubiecto non ſupponente affirmatiua, etiamſi ſit identica eſt falſa, vt patet in hac propoſitione *Antichriſtus iuſtus eſt Antichriſtus iuſtus*, quæ eſt identica, & falſa, ex eo quod non ſubſiſtat ſubiectum, quod ſupponitur, videlicet Antichriſtus iuſtus. Similis fallacia reperitur in aliis plurimis propoſitionibus, quæ neceſſariò hac ratione explicanda eſt. Hæ ſunt: Deus poteſt facere in hoc inſtanti omnes diuiſiones continui, quas poteſt facere. Deus poteſt in hoc inſtanti mente recenſere numerum maximum, quem poteſt recenſere. Deus poteſt producere in hoc inſtanti totam multitudinem poſſibilium, quam poteſt producere. Quæ propoſitiones omnes ſunt identicæ, & omnes falſæ ex defectu ſubſiſtentiæ ſubiecti, non enim eſt vltima diuiſio continui, vltra quam non ſit alia in opinione Ariſtotelis, iuxta quam procedit inſtantia, neque eſt numerus omnium maximus, neque aliqua collectio poſſibilium producibilis, ſupra quam non poſſit alia creatura produci.

Hac ratione doctè & ſubtiliter dixit Caietanus tom. 3. tract. 2. de infinitate Dei, §. *Sed quoniam*, aliquando Deum poſſe velle vti totâ ſuâ virtute infinitâ in aliquo effectu, vt in motu ſempiterno, quem poſſibilem putat, aliquando verò non poſſe, vt in velocitate motus localis, quam putat poſſe creſcere, poſitâ quacumque velocitate, ita vt nullus poſſit aſſignari motus, qui ſit ſummè velox, ita vt in poſſibilibus non ſit velocior alius. 8

LIBER

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

INTER motus omnium præcipuus lationis motus annumeratur, cuius terminus eſt præſentia, & locus, ideò poſtquam Ariſtoteles egerat de motu, & de illius affectione, videlicet infinitudine, modò agit de præcipuo illius termino, ſeu de termino præcipui motus loco, & vbi. Diſputationi de loco diſputationem de vacuo annectit Ariſtoteles quæ quaſi priuatiuè opponuntur, & his adiungit diſputationem de tempore propter affinitatem materierum, & quia ſicuti ens naturale eſt in loco, ſimiliter in tempore exiſtit.

CONTROVERSIA XV.

De loco, & vacuo.

DOCET nos oculata experientia corpora huc illucque moueri, & diuerſas acquirere diſtantias, diuerſaſque cum aliis approximationes ſortiri. In quocumque motu ſeu acquiſitâ præſentiâ apprehenditur corpus præſentiâ cauitatem quandam replere, quæ antea alio corpore occupabatur, & vacua eſſet, ſi nullum illi corpus adueniret, quàm cauitatem ſpatium imaginarium appellamus. Hinc triplex huius controuerſiæ materia. Quid locus extrinſecus? Quid ſpatium, ſeu illa cauitas apprehenſa ſit? Quid præſentia, ſeu vbi intrinſecum, & quomodo hæc omnia corpori conueniant.

PVNCTVM PRIMVM.

De loco extrinſeco reali.

1 NOnnulli locum extrinſecum ab *vbi* intrinſeco non diſtinguunt quorum aliqui *vbi* intrinſecum rei ſuperadditum negant, alij verò illud concedentes aſſerunt, non ab illo locum extrinſecum diſtingui. Antiqui alij, quos hic impugnat Philoſophus, aſſeruère locum eſſe interuallum reale, ſeu ſpatium interſtitium, & hoc quidem aſſerunt eſſe immobile, & indiuiſibile, non quia careat partibus extenſis, ſed quia nulla vi ſecari poſſit; ſententiam hanc ſequuti ſunt poſtea Galenus, & Philoſophus eodem 4. Phyſicorum. Alij mitius hoc interuallum explicant aſſerentes non eſſe reale, ſed capacitatem realem habentem hanc trinam dimenſionem, quam capacitatem ſpatium imaginarium appellant, non quia non ſit à parte rei, ſed quia neque habet, neque habere poteſt exiſtentiam realem. Locum intrinſecum in hac capacitate, ſeu in hoc imaginario ſpatio formaliter conſtitutum prædicti cognoſcebant.

2 Sententias has omnes confutat definitio loci extrinſeci ab Ariſt. tradita in hoc 4. Phyſic. cap. 4. n 42. *Vltima ſuperficies corporis continentis immobilis primo*, id eſt, concaua ſuperficies alicuius corporis, quod intra ſuum gremium aliud continet, quod contentum locatum dicitur, & continens locans appellatur. In hoc corpore continenti rationem loci extrinſeci ſitam eſſe probat communis omnium loquendi modus, & omnium apprehenſio, dicimus enim Petrum eſſe in cubiculo non alia ratione niſi quia cubiculi parietibus continetur, & aquam eſſe in vaſe, aliaque huiuſmodi, quorum nulla alia eſt ratio niſi quia corpora contenta in continentibus tanquam in locis apprehendimus. Hæc corpora continentia ſeu localia diſtingui ab vbi intrinſeco locatorum conſtabit punct. 3. vbi naturam *vbi* intrinſeci explicabo. Ex hoc reiecta manet prima ſententia: duplex alia ex eodem principio reiicitur, ſecundò quia ſpatia illa ſunt purè fictitia, & tantùm obiectiuè in intellectu exiſtentia, vt oſtendam puncto ſequenti. Deinde quia percipi nequit aliquid reale, quod exiſtentiam realem habere non poſſit.

Secundùm hanc definitionem locus extrinſecus corporis eſt ſuperficies illa corporis contigui, qua cingitur, vt ſuperficies aeris reſpectu turris, & ſuperficies aquæ reſpectu nauis ſecundum partes illas, quæ aquis ſubmerguntur. Difficultas eſt quomodo intellegenda ſit illa particula *immobilis*. Nominales, quibus adhærent Conimb. quæſt. 1. art. 2. dicunt locum extrinſecum eſſe immobilem motu locati, hoc eſt non moueri motu locati, quia ſi eodem motu locatum, & locans mouerentur, nunquam poſſent ſeparari, & ſemper locatum eodem loco contineretur. Fateor non eodem motu moueri motum & locatum, verumtamen ex hoc capite locus immobilis non dicetur, eadem enim ratione locatum immobile dici poteſt, ſicut enim locus non mouetur motu locati, ita neque locatum loci motu mouetur. Neque ex eo quod diuerſo motu moueantur infertur non poſſe ſimul moueri ſicuti de facto mouetur aqua in vaſe contenta, de qua inſurgit difficultas, an cum mouetur intra idem vas locum extrinſecum mutet, quam difficultatem vitare contendebat prædicta ſententia. Vera explicatio huius particulæ, quam apud Rubium lib. 4. tr. 2. de loco quæſt. 2. & apud Tolet. lib. 4. Phyſic. cap. 4. plurimi tradunt, ſubſiſtet, ſi dicamus locum eſſe immobilem, quia dicit continentiam locati cum hac diſtantia. Vnde ſi aqua in vaſe moueatur iam non retinet eundem locum, quia licet eadem ſit ſuperficies, in qua continetur, hæc tamen non continet aquam cum eadem diſtantia, ſeu æquè diſtantem ab aliis corporibus. Hac ratione locus immobilis eſt, quia tantùm in hoc ſpatio poteſt ſuperficies continere corpus hoc modo diſtans ab aliis. 3

Verumtamen adhuc reſtat explicandum, an locus dicat formaliter hanc ſuperficiem ambientem, & hanc locati præſentiam, ſecluſa præſentia ſuperficientis ambientis à ratione formali loci, licet ipſa neceſſaria ſit vt ſuperficies poſſit corpus exiſtens cum hac præſentia ambire. Multi ſentiunt locum dicere formaliter hanc ſuperficiem continentem, & hanc præſentiam corporis contenti, qui locum extrinſecum inadæquatè tantùm diſtinguunt ab vbi extrinſeco, & aſſerunt aquam in vaſe contentum ſimul cum illo motam mutare locum extrinſecum non formaliter ex 4

eo, quod vas præſentiam mutet, ſed quia ipſa aqua mutat præſentiam, & diſtantiam ab alijs corporibus, ratione cuius non continetur ab eadem ſuperficie cum eadem diſtantia in ordine ad alia corpora. Addunt inſuper locum extrinſecum ſupra intrinſecum vbi addere non hanc numero ſuperficiem ambientem, ſed hanc, vel illam ſub diſiunctione, ita vt dum corpus contentum ſit idem cum eadem præſentia exiſtens, & aliqua ſuperficie circundetur, ſiue hac, ſiue illa diſtincta ſemper eundem retineat locum, ſicuti erit idem homo cum ſit eadem natura cum aliqua ſubſiſtentia, etiamſi ſubſiſtentia, non ſit eadem, ſed modo hæc, modo illa. Hac ratione defenditur turrim in eodem ſpatio permanentem ſemper habere eundem locum, etiamſi modo hac aëris ſuperficie poſtea alia diſtincta ambiatur. Alij ſentiunt locum pro materiali dicere ſuperficiem ambientem, & pro formali præſentiam huius ſuperficiei ſecluſa præſentia locati à ratione formali loci. Ego ſentio locum dicere ſuperficiem ambientem pro materiali, & pro formali præſentiam huius ſuperficiei, ratione cuius locus immobilis dicitur, quia concretum, videlicet ſuperficies hic præſens, ſeu ſuperficies cum hac præſentia immobilis eſt. Addo locum in actu ſecundo formaliter locantem dicere formaliter præſentiam corporis locati, quia formaliter dicit continentiam locati, & hæc importat talem approximationem locantis ad locatum, quæ intelligi nequit ſine vtriuſque præſentia. Hoc de loco in actu ſecundo, ſeu de loco actu locante, & continente locatum certum puto. De loco in actu primo, ſeu quatenus dicit capacitatem continendi locatum cenſeo dicere ordinem ad præſentiam corporis locati, non tanquam ad aliquid, quod conſtituit actum primum potentis continere localiter, ſed tanquam ad ipſam locationem quæ dicit applicationem inter locantem, & locatum, quæ approximatio eſſentialiter includit præſentiam vtriuſque, quæ præſentiarum ſimultas ſe habet per modum actus ſecundi reſpectu loci, qui ſe tenet ex parte actus primi, locus enim dicit corpus potens continere, & continentia, quæ eſt actus ſecundus huius potentiæ conſiſtit in coëxiſtentia præſentiarum loci, & corporis locati.

5 Ex his infero idem corpus exiſtens in diuerſis ſpatiis non poſſe habere eundem locum, quia eo ipſo, quod corpus contentum ſit in diuerſo ſpatio, corpus continens, quod illi eſt approximatum eſt etiam in diuerſo ſpatio, & diuerſam habet præſentiam, quæ eſt forma conſtitutiua loci, ac proinde eſt diuerſus locus formaliter ſuperficies aëris continentis exiſtens in hoc ſpatio ab eadem ſuperficie in alio exiſtenti. Secundò infero diuerſam eſſe locationem reſpectu eiuſdem corporis ambientis cum eadem præſentia eo ipſo quod ſit diuerſa præſentia locati etiam in eodem ſpatio adæquato vel ratione diuerſi locati, vel quia idem locatum in eodem ſpatio adæquato ſecundum omnes ſui partes diuerſas acquiſiuit præſentias, ſicuti cum rota mouetur motu circulari. Infero tertiò motum localem per ſe, & primariò non terminari ad locum extrinſecum, neque ad locationem adæquatam, quia tantùm terminatur ad propriam præſentiam locati, quæ locum non conſtituit, neque per ſe ſolam eſt locatio, quia hæc conſiſtit in præſentia locati, & in præſentia loci. Dicitur motus localis ſecundariò terminari ad locum non ſecundum ſe, ſed vt acquirendum, hoc eſt ad locationem, quia terminatur ad præſentiam, quæ ex eo quod coniungatur per accidens cum præſentia loci conſtituit cum illa locationem, per quam locus in actu primo dicitur actu ſecundo locans, & corpus contentum dicitur actu locatum.

PVNCTVM II.

Quid ſit ſpatium imaginarium?

1 ANtequam corpus præſentiam acquirat concipimus ſemper præexiſtere capacitatem quamdam, quam corpus aduenienſ replet, ita vt illo poſito non poſſit in ſenſu compoſito corpus aliud illi aduenire, quam capacitatem ſpatium imaginarium Philoſophi appellant. Eſt quæſtio an hoc ſpatium verè detur à parte rei, vel an ſit ſolum, quod ipſa vox indicat aliquid tantùm imaginarium, ſeu mente confictum. P. Albert. tom. 2. diſp. vnica de prædic. Vbi, quæſt. 2. multum inclinat in ſententiam aſſerentem dari hoc ſpatium à parte rei, & argumenta, quæ oppoſitum ſuadent diſſoluere procurat. Fert communis ſententia ſpatium hoc eſſe purum figmentum tantùm habens exiſtentiam obiectiuè in intellectu. Ita P. Vaſquez, P. Faſolus, P. Moncæus, P. Hurtadus, P. Arriaga quos infrà dabo, & ferè omnes, qui de hac re accuratè tractant, quibus ego ſubſcribo. Ratio huius concluſionis omnibus præſto adeſt. Hoc ſpatium imaginarium concipitur exiſtens ab æterno, ſed nihil reale creatum fuit exiſtens ab æterno: ergo non eſt ens creatum: ſed non eſt aliquid increatum: ergo neque creatum, neque increatum: ergo nihil. Confirmatur: ſi ſpatium imaginarium eſſet aliquid creatum, dependeret à Deo: ergo Deus poſſet ſubtrahere concurſum, quo illud conſeruabat: ergo poſſet illud deſtruere, & in nihilum redigere, ſed non poteſt Deus deſtruere, ſeu annihilare ſpatium imaginarium: ergo non eſt aliquid dependens à Deo, ſed non poteſt eſſe aliquid independens, quia quidquid eſt à parte rei diſtinctum à Deo dependet ab illo: ergo neque aliquid dependens neque independens: ergo nihil, quia inter hæc extrema non datur medium.

Reſpondet P. Albert. num. 15. non eſſe abſurdum illud ſpatium ſecundum illam non repugnantiam, quam habet ſemper fuiſſe, & ſemper fore, nec fuiſſe efficienter factum à Deo, quia non eſt aliquid reale, licet aliquo modo dependeat à Deo, quia ſi non eſſet Deus, non eſſet corpus reale, neque conſequenter daretur tale ſpatium, quod eſt eſſentialiter capacitas receptiua corporis realis. Sæpè fatetur Pater Albert. ſpatium hoc non poſſe habere exiſtentiam realem, ita expreſsè num. 14. & iterum hoc num. 15. & 17. aſſerit tamen hoc ſpatium non eſſe negationem, ſeu capacitatem negatiuam, ſed capacitatem poſitiuam, ita num. 16. Affirmat ſimiliter dari à parte rei, ita num. 3. & n. 12. ſanè mens mea hæc conciliare non valet, neque concipere poteſt dari aliquid poſitiuum à parte rei, & hoc non habere, neque poſſe habere exiſtentiam; quid enim eſt aliud, eſſe à parte rei, quàm eſſe exiſtens? & quomodo illud quod exiſtentiam habere nequit, erit à parte rei? Vrgeo, non ex alio capite dicimus chymæram purum eſſe figmentum, & tantùm habere eſſe obiectiuè in intellectu, niſi quia non poteſt habere exiſtentiam à parte rei, ſed ſpatium imaginarium in ſententia Albertini non poteſt exiſtere à parte rei: ergo eſt purum figmentum. 2

Alij magis attemperatè reſpondent ſpatium imaginarium eſſe quid negatiuum, ita non indigere actione poſitiuâ vt exiſtat, & potuiſſe eſſe ab æterno. Solutionem hanc rectè impugnat Albertinus num. 16. & Moncæus quem poſtea referam, & alij plurimi in hunc modum: Si ſpatium imaginarium eſſet quid negatiuum, eſſet negatio repugnantiæ corpori ad exiſtendum in illo: ſed repugnantia eſt negatio: ergo eſſet negatio negationis: ſed negationis nulla datur negatio, quia non eſſe negationis eſt eſſe habitus cuius eſt negatio: ergo non repugnantia non poteſt conſiſtere in negatione, ſed neceſſariò ſita eſt in non eſſe negationis, quod eſt eſſe habitus poſitiui, cuius eſt negatio, cum qua priuatiuè opponitur oppoſitione mutua inter extrema, quorum quodlibet eſt non eſſe alterius. Secundò ſpatium, non conſiſtit in negatione corporis cum hac præſentia, quia hæc dicit negationem corporis cum hac præſentia, quæ deſtruitur per exiſtentiam corporis cum hac præſentia, ſed ſpatium imaginarium non deſtruitur per exiſtentiam corporis cum hac præſentia, ex vi cuius conſtituitur in hoc ſpatio: ergo ſpatium non conſiſtit in negatione corporis cum hac præſentia. Maior ex ipſis terminis patet: conſequentia eſt legitima: minorem probo, ſi corpus ex vi huius præſentiæ deſtrueret ſpatium, non poſſet ex vi illius conſtitui in ſpatio: ſed ſi datur hoc ſpatium corpus ex vi huius præſentiæ conſtituitur in hoc ſpatio, & illud occupat: ergo ex vi eiuſdem præſentiæ non poteſt illud deſtruere. Maiorem probo: cætera patent. Nihil poteſt occupare id, quod non eſt in rerum natura, neque eſſe in aliquo, quod non eſt: ergo ſi corpus occupat locum quando habet præſentiam hanc, & eſt in tali loco, tunc debet eſſe locus occupatus, in quo ſit. 3

Obiicit Albertinus: Deus poteſt extra Cœlum facere plures mundos, & vnũ diſtantem ab alio: ergo inter vnum, & aliud intercederet hoc ſpatium. Probat antecedens: poteſt Deus ſupra vltimam Cœli ſphæram ponere columnam quandam ſicuti de facto dicit Sanctus Thomas eſſe corpus Chriſti pedibus tangens vltimam partem Cœli reliquo corpore 4

corpore in vacuo conſtituto: ſed tunc vna pars columnæ diſtaret ab alia, ſeu clariùs in Chriſti corpore, tunc caput Chriſti diſtaret à pectore per ſpatium omnino vacuum: ergo ſecluſo alio quocumque corpore eſt diſtantia inter corpus & corpus: ergo ſecluſo alio quocumque corpore eſt ſpatium inter corpora diſtantia, ratione cuius diſtare corpora dicuntur. Secundò ſic antecedens confirmat, fingatur funis à pariete in parietem, ſeu, à primo Cœlo vſque ad vltimum, & per diuinam potentiam annihilentur reliqua corpora intermedia: tunc primum Cœlum ab vltimo diſtabit per tantam diſtantiam, quanta eſt diſtantia funis: ergo etiam illi mundi, qui eſſent extra Cœlum diſtarent, de quibus eadem eſt ratio.

5 Rationes Albertini antecedens non extorquent, non enim dat cauſam, in quo duo corpora diſtent inter ſe nullo alio termino poſito inter vtrumque, quia partes corporis Chriſti in illo caſu diſtarent ratione aliarum partium eiuſdem corporis interiacentium inter partes diſtinctas v. g. caput à pedibus diſtaret ratione corporis inter pedes & caput interiacentis, & primum cœlum ab vltimo diſtaret ratione funis protracti ab vno cœlo in aliud, cui eſſet in vtrumque cœlum, cui poſſet, & non ſpatio diſtantia tribui. Hæc de rationibus quibus Albertinus antecedens illud ſtabilit, quid de illius veritate paucis dicam. Corpora extra cœlum poſita non ſibi neque alij corpori contigua, & parietes huius cubiculi deſtructo aëre intermedio, præſentias haberent ex ſe capacitatem continendi alia corpora inter ſe tanta extenſione affecta, quod ex natura præſentiarum proueniret, poſſent enim iidem parietes aliis præſentiis affici, ratione quarum plura corpora, vel pauciora imò nullum corpus poſſent inter ſe continere: Capacitas hæc alia corpora continendi intra ſe ab ipſis præſentiis non diſtinguitur, & ſemper remanebit, etiamſi nullum corpus intra parietes his præſentiis affectos reperiatur. Continentia actualis addit ſupra capacitatem corpus interceptum ex vi talis præſentiæ ratione cuius dicitur contentum eſſe intra hos parietes & eſſe in cubiculo, quod ex illis conſurgit tanquam in loco. Hoc in re apud omnes firmum eſſe debet, ex quo diuerſitas in modo loquendi apud aliquos reperitur. Quidam diſtantiam appellant aptitudinem continendi alia corpora, & hi tenentur dicere parietes huius cubiculi retinentes has numero præſentias, quas modo habent inter ſe diſtare, etiamſi aer intermedius deſtruatur, & nullum aliud ſuccedat corpus, quæ diſtantia non ratione ſpatij quod dicimus non eſſe, ſed ratione præſentiarum parietibus huius cubiculi in hoc caſu conueniret. Alij capacitatem illam identificatam cum præſentiis alia corpora circunſcribendi vocant diſtantiam aptitudinalem, & diſtantiam formalem appellant ipſam locationem corporis interpoſiti, iuxta quorum loquendi modum dicendum eſt non eſſe diſtantiam formalem, ſed tantùm aptitudinalem intra corpora, quæ aliud tertium intra ſe non continent. Et ita caſu, quo Deus duo corpora extra Cœlum crearet, neque ſibi, neque aliis contigua, non eſſent iuxta hanc ſententiam formaliter diſtantia, ſed aptitudinaliter tantùm; in caſu autem, quo tracto fune ab hoc pariete in illum aër intermedius deſtrueretur diſtarent parietes ratione funis intermedij ſimiliter caput corporis exiſtentis extra Cœlum diſtaret à pedibus eiuſdem corporis ratione aliarum partium, quæ inter pedes, & caput interponerentur, non autem formaliter diſtarent, ſed tantùm aptitudinaliter per lineas alias, quas poſſumus concipere ab humeris ad pedes per diuerſum ſpatium ab illo, quod reliquæ partes corporis occupant. In his diuerſis loquendi modis fere nullam de re differentiam inuenio, quapropter parum refert iuxta vnum, vel alterum, loqui, nullum enim efficaci aliqua ratione impugnari, aut propugnari poterit.

PVNCTVM III.

An Deus ſit in ſpatio imaginario, etiam extra Cœlum, & quid de aliis entitatibus?

1 DE exiſtentia Dei in ſpatio imaginario diuerſo modo videntur Authores ſentire. Pater Vaſquez 1. part. diſp. 29. cap. 2. negat Deum eſſe in ſpatio imaginario, & Deum de facto eſſe extra cœlum in aliquo ſpatio. Oppoſitam ſententiam defendunt P. Molina 1. part. quæſt. 8. artic. 1. diſput. 3. §. *ſecunda, Deus ex infinitate.* Pater Soar. in Metaph. diſp. 30. ſect. 7. num. 3. & ſeqq. Hurtad. diſput. 14. ſect. 3. Arriag. diſp. 14. ſect. 4. In primis conuenio Hurtadum inconſequentiæ notam noſtro Vaſquio inurentem, poſtquam enim illum pro ſententia negatiua retulerat aſſerit oppoſitam docere eadem diſput. 19. num. 14. Profectò attentè non legit Hurt. Vaſq. expreſsè enim ſemel & iterum eodem loco conſtanter negat Deum eſſe in ſpatio imaginario, illius do verba. *Quare ſi corpus extra cœlum non dicitur eſſe in alio, quam in ſe ipſo, nulla ratione poteſt dici Deus, aut Angelus extra cœlum in alio, quam in ſe ipſo.* Sic ille, ſed ſequentibus verbis deceptus eſt Hurtadus. Sic ſe habent. *Quod ſi Doctores oppoſitæ ſententiæ contendant Deum in ſe ipſo exiſtere extra cœlum ſicut exiſteret corpus, ita vt dicatur in ſe habere ſpatium, & ſitum, & diſtantiam, & aduerbia loci ei conuenire: concedemus Deum eſſe in ſe ipſo* (ne decipiare cum Hurtado, in ſe ipſo dixit non in ſpatio) *cætera omnia, nempe ſitum, & diſtantiam, & aduerbia loci, & extra cœli eſſe ei tribui nullo modo poſſe ſubinde patebit.* Quid inconſequentiæ in his verbis inuenire potuit Hurtado? Certe nihil, omnia enim inter ſe ſummè conſonant vtpotè à tanto magiſtro tradita in quo nec lynceis oculis inconſequentiæ næuum inuenies.

Venio iam ad Arriagam, qui ſententiam Vaſquez dicit illi maximopere diſplicere, & oppoſitam eſſe communem ferè omnium antiquorum, quos apud Hurtadum legi vult diſp. 14. ſect. 3. legi Hurtadum apud quos tantùm, citatos inueni Soar. & Molinam, & per impoſturam noſtrum Vaſquium, vellem ego meminiſſe Arriagam, quas pro ſententia Vaſquez legerat apud ipſum, videlicet Altiſiodorenſem, Bonauent. Richard. Scotum, Durand. & Capreolum, qui ſententiam noſtri Vaſquez expreſsè defendunt, & Alex. Albert. & Ægid. Argent. Gabr. & ſanctum Thomam, qui illi maximopere fauent, & ex Patribus Aug. Bern. Theodor. & Tert. omnes apud Vaſquez ſuprà. Referuntur etiam iidem Auctores pro hac ſententia à Patre Faſolo 1. part. quæſt. 8. artic. 2. dub. 3. ſuprà quos addit eandem ſententiam tenentes Lychetum, Bartigium, Tartaretum, Vrgerium, Nicolaum de Orbellis, Abulenſem, Marſilium, Gallium, & Bañes, Radam, Nazarium, Nauarrete, Patrem Valentiam, & Patrem Becanum, quibus ſubſcribit idem Faſolus, his accedit Pater Moncæus diſp. 1. c. 2. qui poſtquàm initio capitis dixerat, illi ſemper placuiſſe ſententiam negantem Deum fuiſſe in ſpatio imaginario, hæc addit: *Cæterum Doctores Scholaſtici, qui noſtram ſententiam amplectuntur magno numero ſunt, imò hoc in genere de omnibus fere Ioanne Maiore antiquioribus, dici poteſt neminem illi eſſe contrarium,* & poſtea adducit expreſſa teſtimonia S. Bonauenturæ, Scoti, & Capreoli, quibus negant Deum eſſe in ſpatiis, & tandem refert Patres ſupra relatos Auguſtinum, Bernardum, & Tertull. Profectò ſi hos Auctores meminiſſet Arriaga, forſan non dixiſſet tantopere illi diſplicere ſententiam noſtri Vaſquez, neque oppoſitam eſſe communem omnium ferè Doctorum antiquorum. 2

Sed iam videamus quid contra hanc ſententiam excogitauerit Arriaga; ſic ille num. 70. *Quando ergo Deum in his ſpatiis conſtituo, ſolùm dico illum ex eſſentia ſua habere talem immenſitatem, ratione cuius ita exiſtit, vt nequeat produci aut concipi producta aliqua res cui Deus eo ipſo non ſit intimè præſens etiamſi Deus eam creaturam, neque produceret, neque cognoſceret, qui ſunt duo alij modi præſentiæ, quos hi Auctores præciſe videntur Deo concedere.* Nihil docet Arriaga, quod ex noſtro Vaſq. diſcere non potuerit; Deum enim neceſſariò eſſe intimè præſentem omni creaturæ veritatem eſſe Catholicam probat ſapientiſſimus Pater diſp. 27. & Deum nō poſſe non eſſe intimè præſentem creaturæ exiſtenti, neque illi eſſe liberū, eſſe in vna potiùs, quàm in alia ex ſuppoſitione, quod exiſtat, probat diſp. 28. c. 4. n. 13. & hanc intimam Dei præſentiam non probari efficaciter ex eo, quod ſit illarum cauſa, docet eadem diſp. 28. c. 5. & diſp. 29. cap. 1. n. 28. expreſſè docet hanc intimam præſentiam rebus creatis aduenire Deo ſine aliqua ſui mutatione, ex quibus conuincitur nihil dixiſſe Arriagam, quod prius Vaſquez non docuerit. Addit Arriaga num. 76. *Aduerte à me non dici Deum ante mundum vere, & realiter coëxtitiſſe, nam coëxiſtentia dicit duorum exiſtentiam, præter Deum nihil fuit ante mundum, non ergo coexiſtit proprie; exiſtit tamen, quia ad hoc non requiritur reale tempus nec realis creatura.* Hæc ille, quæ deſumpta ſunt ex Vaſquez diſp. 29. cap. 3. quapropter neſcio quoſnam alloquatur Arriaga, dum addit immediatè verbis ſcriptis: 3 *Et in hoc non recte diſcurrunt, qui vtrumque confundunt,* neque inuenio quid in ſententia Patris Vaſquez quam illi maximopere

mopere diſplicere dicit, eidem diſplicuerit, qui neque in modo loquendi, neque per exiguum vnguem ab illa diſcedit.

4 Videamus iam quomodo Hurtadus, & Arriaga rationibus Vaſquij reſpondeant? Arguit Vaſquez: ſpatium imaginarium non eſt quid reale, ſed fictitium, & chymæricum: ergo Deus non poteſt eſſe in illo, aliàs Deus eſſet in chymæra. Diſcurſum hunc prior Vaſquio confecerat Angelicus Doctor in 1. diſt. 37. art. 3. in argumento *ſed contrà*, vbi ſic ait: *In quocumque eſt aliquid, illud oportet eſſe, quia in nihilo nihil omnino eſt.* Reſpondet Hurtad. num. 20. latum eſſe diſcrimen inter ſpatium imaginarium, & chymæram, quia hæc non apprehenditur vt interuallum, & intercapedo ad explicandas vbicationum eſſentias, ſicut apprehenditur ſpatium imaginarium vt aptitudo ad recipienda corpora. Certè plurimùm caſus apprehenſioni tribuit Hurtadus, qui refert hoc, vel illo modo apprehendi, vt Deus ſit in ſpatio vel vt non ſit in chymæra: Conſtituitur ne Deus præſens per fingentem apprehenſionem? Quæſtio eſt de exiſtentia reali Dei in ſpatio, ad quam exiſtentiam impertinens eſt mea apprehenſio: ergo ſi ſecluſa apprehenſione ſpatium imaginarium, & chymæra non differunt, & ſunt æquè nihil, eadémque apprehenſione ſecluſa non Deus magis exiſtit in ſpatio imaginario, quàm in chymæra.

5 Concludo, neque Deum, neque Angelum, neque creaturam aliquam eſſe realiter in ſpatio imaginario propter prædictam rationem, quam hoc ſyllogiſmo cingo. Nihil poteſt eſſe realiter in illo, quod realiter non eſt, ſed ſpatium imaginarium realiter non eſt: ergo nihil poteſt eſſe realiter in illo. Secundò vt rectè ex Vaſquio dicebat Arriaga, coexiſtere eſt ſimul exiſtere, ſed ſpatium imaginarium non exiſtit: ergo non poteſt aliquid illi coexiſtere: ergo nulla entitas poteſt exiſtere in illo. Hæ rationes efficaciſſimæ ſunt, & æquè probant de ente creato exiſtenti, & poſſibili. De Deo, & Angelis concluſionem iſtam tradidit Vaſquez in cuius ſententia vnum difficile apparet videlicet aliter de ente corporeo, quàm de ſpirituali videri ipſum loquutum eſſe, cum illius rationes æquè probent de omni ente. Si tamen attentè legatur, idem in re docet de ente corporeo, & ſpirituali. Aſſerit corpus tantùm replere vltimam ſuperficiem ambientem, & ſine illa in nullo fore, ſed tantùm in ſe ipſo, & corpus extra cœlum productum non fore in ſpatio, ſed in ſe ipſo, quam doctrinam vniuerſaliter tradit, etiam de ente corporeo, additque modò concipi corpus eſſe in ſpatio, quia cùm reſiſtat penetrationi alterius, illud concipimus, quaſi occupans, & replens ſpatium, impediénſque, ne aliud corpus idem repleat, quod tantùm importat non poſſe duo corpora eſſe ſibi mutuò intimè præſentia, neque ſe attingere ſecundùm partes profundas, non verò realiter ſpatium occupare, quia cum ſpatium realiter non ſit, realiter occupari non poteſt. Entitates verò ſpirituales cum poſſint ad inuicem eſſe intimè præſentes, & ſimul cum alio corpore, non concipiuntur ſpatium occupantes, ac proinde non habemus fundamentum vt illas in ſpatio concipiamus, ſicut concipimus entitates corporeas, vel ſi fundamentum aliquod habemus ſaltem non æquale cum fundamento impenetrationis, quod in corpore reperimus.

6 Obiicit Hurtadus. Si Deus non eſt extra cœlum ſequitur Deum realiter poſſe mutari, quia poteſt creaturam aliquam extra cœlum producere, cui neceſſariò inciperet eſſe intimè præſens: ergo inciperet Deus eſſe in aliquo ſpatio in quo non erat: ergo mutaretur. Reſpondeo: producta in tempore aliqua creatura extra cœlum Deum in tempore incipere eſſe illi præſentem ſine aliqua mutatione ipſius Dei, quia Deus modo ab æterno habet ſecum identificatam immenſitatem, ratione cuius inuariatè exiſtentis eſt intimè præſens cuicumque creaturæ, ſiue intra cœlum, ſiue extra cœlum, quam intimam præſentiam in tempore incipit Deus habere, quia illam tota æternitate præcedenti non habuiſſe non proueniebat ex defectu immenſitatis, ſeu præſentiæ Dei, ſed ex defectu exiſtentiæ creaturæ, qua incipiente per coexiſtentiam ipſius, & immenſitatis Dei quæ fuit ab æternó, incipit Deus eſſe illi intimè præſens.

7 Obiicit Arriaga: Deus fuit in ſpatio imaginario temporis ante mundi creationem: ergo ſimiliter erit in ſpatio imaginario loci etiam extra cœlum. Reſpondeo: Deum fuiſſe ab æterno lumine naturæ cognitum eſſe, ac proinde verum eſſe Deum fuiſſe ante mundi conſtitutionem; falſum autem fuiſſe in ſpatio imaginario temporis, quia ſpatium imaginarium temporis nihil eſt, ac proinde in illo Deus eſſe non potuit, ſed tantùm fuit ab æterno in ſe ipſo. Ne tamen ex modo loquendi in re graui æquiuocatio aliqua oriatur ad illam propoſitionem, *Deus fuit ab æterno in ſpatio imaginario temporis.* Reſpondeo negando aſſumptum, videlicet fuiſſe ab æterno ſpatium imaginarium; cùm enim hoc tantùm ſit chymæricum, exiſtit tantùm dum mente fingitur, reſpectu cuius habet eſſe obiectiuum, & non aliud. Quapropter ideò ſolum nego Deum eſſe ab æterno in ſpatio imaginario temporis, quia nego ab æterno fuiſſe ſpatium imaginarium temporis, quod neque modo eſt, niſi per fictionem, quod non eſt eſſe: quod ſi ab æterno realiter fuiſſet ſpatium imaginarium temporis, negari non poſſet Deum ab æterno in illo fuiſſe, quia Deus habet intrinſecam immenſitatem, ratione cuius illi repugnat non coexiſtere, ſeu non condurare (liceat ſic loqui) omni enti, quandocumque duret.

Addit P. Faſolus Deum eſſe extra cœlos in ſe ipſo: etſi 8 verum ſit non eſſe in ſpatio, quod tantùm importat Deum eſſe in ſe ipſo, & non cœlorum ambitu circumſcribi, ſed tantam habere immenſitatem, vt ratione illius quamcumque præſentiam habeat creatura ſiue intra cœlos, ſiue extra illos, eo ipſo quod talis creatura exiſtat, Deus illi eſt actu intimè præſens, quod non tantùm vtcumque verum, ſed etiam Catholicum eſt: ob hanc rationem dixit P. Vaſquez verbis ſuprà adductis Deum ab æterno eſſe in ſe ipſo, quam exiſtentiam in ſe lumine naturæ notum eſt non poſſe aliquo corpore circumſcribi, & ideò exiſtente cœlo poteſt dici Deum eſſe extra cœlum, hoc eſt non definitum cœlorum terminis, ita vt indigeat noua extenſione, vt incipiat intimam habere præſentiam cum creatura extra cœlorum ambitum producta. Huc tendunt plura teſtimonia Scripturæ & Patrum, quæ contra noſtram ſententiam adduci ſolent, in quibus Deum non poſſe cœlis contineri, & alia huiuſmodi traduntur.

PVNCTVM IV.

Quid ſit vbi *intrinſecum?*

TRiplicem de hac re ſententiam inuenio. Primo do- 1 cet, *vbi* intrinſecum, ſeu præſentiam ex vi cuius corpus in loco conſtituitur non eſſe accidens phyſicum ſuperadditum, ſed tantùm quandam extrinſecam denominationem. Sententiam hanc defendit Pater Ægidius Coninck 3. p. q. 35. dub. 1. Secunda ſententia aſſerit hoc *vbi* eſſe formam intrinſecam, dicit tamen hanc formam reſultare in re vbicata ex circumſcriptione loci, & eſſe prædicamentalem relationem diſtantiæ à polis mundi: tribuitur hæc ſententia Alberto Magno lib. de ſex principiis tractat. 1. cap. 1. Tertia ſententia docet *vbi* eſſe formam realem, & accidens quoddam phyſicum ſuperadditum rei vbicatæ, ex vi cuius formaliter conſtituitur præſens. Ita ferè omnes noſtri Doctores P. Vaſquez 1. part. tom. 2. diſp. 180. cap. 7. n. 17. P. Suarez 2. Metaphyſic. diſp. 50. ſect. 1. num. 13. P. Hurtadus diſp. 16. ſect. 2. P. Albert. tom. 2. de prædicam. *vbi*, diſp. vnica, quæſt. 5.

Primò reiicienda eſt ſecunda ſententia quæ præſentiam, 2 ſeu *vbi* in relatione conſtituebat reſultante ex circumſcriptione loci quod ſine magna opera efficaciter præſtabo. Circumſcriptio loci, vt dicit formaliter præſentiam rei locatæ, & loci, vt probabo Punct. 1. dicit enim locatum contineri intra locum, & hæc duo eſſe inter ſe applicata: ergo præſentia non poteſt conſiſtere in aliquo, quod reſultet ex illa circumſcriptione. Secundo mente adime relationem illam reſultantem ex circumſcriptione loci, & da mihi corpus loco circumſcriptum: eo ipſo, quod ſit loco circumſcriptum locatum erit contentum intra locum, & illi approximatum: ergo ſuperfluit poſita circumſcriptione relatio illa reſultans, quæ eſſentialiter ſupponit iam corpus præſens, ſeu vbicatum. Tertiò vltima ſuperficies cœlorum nullo circumſcribitur, & tamen habet præſentiam: ergo præſentia non reſultat ex circumſcriptione.

Præferenda eſt omnibus tertia ſententia, quæ aſſerit 3 præſentiam, ſeu vbi eſſe accidens reale, & formam intrinſecè afficientem rei vbicatæ: eiſdem rationibus illam probo, & primam impugno. Sit prima ratio. Motus localis eſt actio: ergo aliquid ex vi illius producitur, aliàs dabitur

actio

Digitized by Google

actio ſine termino, quod repugnat. Si dicas motum localem non eſſe actionem, inquiram cur in nihilo agendo defatigeris cùm locum acquiris, & aliquod ſpatium percurris? Reſpondent alij motum localem eſſe actionem adductiuam mobilis ad locum extrinſecum, non verò alicuius termini productiuam. Hæc ſunt pura verba re vacua. Ex vi huius actionis, quam non vis productionem eſſe, ſed adductionem, mobile eſt adductum ad locum: Rogo quid eſt in termino eſſe adductum? non nuda termini entitas: ergo aliud diſtinctum, quod modò eſt & antea non erat: hoc ergo erit præſentia.

4 Secundò efficaciſſimè arguo. Corpus per ſuam entitatem non magis determinatum eſt ad hoc ſpatium, quàm ad aliud, videmus enim modò hoc, modò illud occupare (ſemper de ſpatio loquimur, ac ſi eſſet aliquid reale, intendentes tantùm ſignificare præſentias corporum, & eorumdem diſtantias, quæ ſemper in ordine ad ſpatium concipiuntur & explicantur) ergo datur aliquid ſuperadditum, per quod conſtituatur in hoc ſpatio, ſed hoc ſuperadditum non poteſt eſſe ſpatium, quia nullo ſpatio in rerum natura producto incipit corpus acquirere hoc ſpatium, ſeu hanc habere præſentiam: ergo eſt aliquid ſuperadditum corpori locato. Dices corpus habere hanc præſentiam non tantùm eſſe corpus, & ſpatium, ſed corpus provt in ſpatio. Bene eſt: Corpus provt in ſpatio, vel tantum dicit eſſe in rerum natura corpus, & ſpatium, vel dicit eſſe aliquid ſupra corpus, & ſpatium: non primum, quia exiſtente hoc corpore, & hoc ſpatio non eſt hoc corpus provt in hoc ſpatio: ergo eſt aliquid diſtinctum ſupra corpus, & ſpatium illud ergo quod dicit corpus vt in ſpatio ſupra corpus, & ſpatium erit præſentia. Indulgeo in modo loquendi hæc ſpatia admittentibus, quæ ſi negentur omnino, & adhuc illis non vtantur ad diuerſas præſentias explicandas idem robur meum ſeruabit argumentum, & in modo loquendi magis premet, ſpatio enim adhuc diſputatione relegato argumentabor. Idem corpus eſt indifferens ad habendam hanc vel illam præſentiam: ergo præſentia diſtinguitur ab illo, & adhuc ſolutionem iam impugnatam dare non poteris, videlicet diſtingui præſentias extrinſecè per diuerſas connotationes eiuſdem corporis ad diuerſa ſpatia.

5 Dices præſentiam conſiſtere non in aliqua forma ſuperaddita, ſed in hac vel illa diſtantia huius corporis ab illo. Contrà: ſecundùm hanc ſolutionem, eſſe corpora contigua erit eſſe inſtantia, quid ergo erit eſſe corpora penetrata? Dices corpora penetrari eſſe idem ſpatium vtrobique occupare. Non inficior, ſed adhuc vrgeo: idem ſpatium duobus corporibus penetrari non ſolùm dicit exiſtentiam corporum, & ſpatium, quia dato ſpatio, & exiſtentibus corporibus poſſunt non occupare idem ſpatium: ergo eſt aliquid diſtinctum à corporibus, & ſpatio: hoc ergo *vbi*, ſeu præſentiam eſſe dico. Secundò ad diſtantiam redeo. Duo corpora eſſe diſtantia non eſt tantùm corpora quæ diſtant, & ſpatium, quod interiacet, & corpora inter media, quia his omnibus exiſtentibus in rerum natura poſſunt eadem corpora diſtare, & non diſtare, & nullo corpore producto, nullóque ſpatio addito per motum localem fiunt diſtantia corpora, quæ non diſtabant: ergo eſſe corpora diſtantia includit aliquid diſtinctum à corporibus, quæ diſtant, & quæ interiacent, & ſpatio, hoc diſtinctum, ex vi cuius formaliter diſtant, importat præſentias corporum diſtantium, & interiacentium. Dices corpora intermedia non poſſe eſſe inter illa, quæ dicuntur diſtare, quin formaliter ſit illorum diſtantia. Fateor, ſed non explicabis quid ſit corpora hæc eſſe inter illa, quæ diſtare dicuntur, niſi præſentias ſuperadditas, admittas, eadem enim corpora quæ modò ſunt extrema reſpectu aliorum interiacentium, poſſent in eodem ſtatu eſſe intermedia reſpectu illorum, quæ modò interiacent, quæ eſſent extrema: ergo hæc corpora eſſe inter illa dicit præſentias ſuperadditas corporum, quas ego propugno.

6 Eandem diſtantiam aliter impugno: Deus potuit creare hunc mundum conſtantem eiſdem partibus, eodem ordine collocatis in alio ſpatio, & tunc mundus, & omnia illius elementa haberent alias præſentias: ergo occupare hoc ſpatium, ſeu corpora habere has præſentias, non tantùm eſt ordo, ſeu collocatio rerum, ex vi cuius hæc corpora mediant inter illa, hæc illa continent, & illa continentur. Antecedens probatur. Poteſt Deus extra hunc mundum alium creare: ergo potuit creaſſe hunc in illo ſpatio, in quo modò poteſt creare alium. Confirmatur: Deus poteſt modò totum mundum mouere, eo modo, quo mouetur nauis cum aliis corporibus intra illam contentis, ſed tunc mundus, & omnia illius elementa alias acquirerent præſentias, & tamen omnia corpora haberent inter ſe eandem collocationem, & eundem ordinem, eadémque eſſent continentia, & contenta reſpectu eorumdem ergo corpora has præſentias habere, non conſiſtit in hoc ordine corporum interiacentium reſpectu illorum, quæ diſtantia dicuntur.

7 Dicunt alij, me eſſe hîc, dicere negationem eſſendi alibi, quos ſic impugno. Quando ego ſum Matriti, habeo negationem eſſendi Toleti: ergo quando migro Toletum deſtruitur negatio eſſendi Toleti, quam antea habebam: ergo aliquid poſitiuum producitur, quia nullo alio modo poteſt deſtrui negatio, niſi per productionem habitus poſitiui, cum quo opponitur, & cuius eſt non eſſe. Secundò, quando deſino eſſe Matriti, incipit negatio eſſendi Matriti, ergo deſinit eſſe aliquid poſitiuum, quod antea erat, ergo eſſe Matriti erat aliquid poſitiuum, in qua præſentia Matritana ſita erat.

8 Connotatores dicunt præſentiam identificatam cum corpore aliquando ſuum effectum formalem tribuere, & aliquando non, ratione connotati exiſtentis, vel non exiſtentis. Doctrinam impugno in Metaphyſic. Controu. 4. Punct. 6. §. 2. diſputans de diſtinctione relationis prædicamentalis à fundamento, ſed adhuc illa admiſſa in hac materia locum inuenire non poteſt. Affirmant connotatores eandem formalitatem identificatam cum fundamento diuerſos tribuere formales effectus ratione diuerſorum connotatorum. Vnde ad hoc vt nouus effectus formalis reperiatur, requiritur noua productio connotati, etſi non requiratur productio nouæ formalitatis: ſed non poteſt nouum aliquod connotatum aſſignari, ratione cuius incipiat præſentia mecum ſemper identificata tribuere modò effectum formalem, quem antea non tribuebat, & me Matriti conſtituere, vbi antea non eram: ergo hæc connotatorum doctrina non poteſt in hac materia ſubſiſtere. Non poſſe dari aliquod connotatum denuò productum ſatis probatum eſt, dum illud connotatores non aſſignent, & facilè ſuadetur, nihil enim ſupponitur ad præſentiam denuo productum in mobili, aut in principio mouente, aut in alio ſubiecto: ergo nullum eſt nouum connotatum, cum nouam acquiro præſentiam, ratione cuius hæc, quæ antea fuerat quoad entitatem tantùm, modò incipiat, eſſe quoad formalitatem. Si dicas hoc connotatum eſſe motū inquiro an motus iſte qui eſſentialiter eſt actio terminum habeat, vel illos careat? hoc vltimum dici nequit, actio enim eſſentialiter dicit terminum. Si terminum habeat, hunc ego præſentiam eſſe dico, & non tantùm connotatum. Secundò præſentias ſuperadditas negas, ne multiplices entitates: ergo abs re cum loco præſentiæ, quam neges connotatum aliud admittis. Addo, quod ſi daretur motus localis, ſeu actio ſine termino in hac formaliter præſentiam eſſe conſtituendam, & dicendum motum habere ſecum terminum identificatum; qui enim affirmant actionem dari ſine termino, tantum in modo loquendi differunt ab his, qui dicunt terminum eſſe identificatum cum actione, vt in ſimili probabo Controuerſ. 5. de anima, Punct. 1. contra illos, qui dicunt intellectionem actionem eſſe termino carentem.

9 Obiic. primò. In primo inſtanti, in quo res producitur, eſt in loco, & in illo inſtanti non mouetur: ergo rem eſſe in loco non importat motum aliquem. Reſpondeo præſentiam acquiri ſemper per actionem productiuam illius, ſiue hæc actio proueniat à re præſente, ſiue à cauſa hanc producente, hanc tamen actionem non dici motum reſpectu ſubiecti, quod prius tempore non fuit exiſtens, quia actio ſupra motum dicit negationem termini præcedentem in ſubiecto tempore immediatè antea exiſtenti.

10 Obiic. ſecundò. Si motus conſiſtit in actione ſuperaddita, talis actio continua eſſe non poteſt, quia quando aduenit hæc pars, iam alia abiit, & non eſt, & ita nunquam poterunt partes motus vniri. Hæc obiecto compoſitionem ſucceſſiuorum non pæſentias ſuperadditas intendit euertere. Reſpondeo motum localem dici continuum ſucceſſiuè, quia illius partes ſunt ſucceſſione continuæ, id eſt nulla facta interruptione fluunt, vna immediata poſt aliam, & hoc tantum modo continuari præſentias, quas acquirit homo, cum per ſpatium diuiſibile mouetur, & per hanc vnionem ordinis, & ſucceſſionis, neque præſentias

tias

Digitized by Google

tias productas,neque actiones,ex vi quarum producuntur, vnionem aliam habere. Inſtabis: ſequi ex hac ſolutione dari infinitas præſentias, & infinitas actiones in motu,quo homo ex hac parte prima cubiculi in illam vltimam mouetur. Reſpondeo in opinione, quæ continuum componit ex infinitis partibus, & indiuiſibilibus concedendam eſſe ſequelam,in qua nullum eſt abſurdum ſuppoſita hac continui compoſitione: in opinione verò, quæ continuum ex indiuiſibilibus finitis ſtatuit,facilè ſequelam nego, quia in quocumque motu ſunt partes finitæ, quibus partes finitæ termini correſpondent.

11 Obiic. tertiò. Subiectum non poteſt ſupponi tanquam cauſa materialis præſentiæ: ergo præſentia non poteſt illi inhærere. Probatur antecedens: ad hoc vt ſubiectum formam recipiat, debet ſupponi approximatum agenti, ſed ſubiectum non poteſt ſupponi approximatum ad ipſam præſentiam, quia per iſtam formaliter approximatur: ergo nullum ſubiectum poteſt ſupponi vt principium recipiens præſentiam. Reſpondeo ſubiectum non debere ſupponi præſens ad cauſandam propriam præſentiam, ſicuti neque natura debet ſupponi ſubſiſtens ad producendam, ſeu recipiendam ſubſiſtentiam etiam in opinione, quæ aſſerit ſubſiſtentiam ſe tenere ex parte actus primi reſpectu actionum, quæ à ſubſtantia effectiuè procedunt. De hoc latiùs Contr.10.Punct.4.

12 Obiic. quartò. Antequàm corpus producat præſentiam ſuperadditam debet ſupponi approximatum ſpatio: ergo per hanc præſentiam ſuperadditam non poteſt conſtitui præſens. Probatur antecedens: ſi non deberet ſupponi approximatio ad ſpatium priuſquam produceretur præſentia, poſſem ego modò Compluti exiſtens producere præſentiam Romæ, ſed non poſſum illam producere: ergo ex eo eſt, quod non ſum Romæ approximatus: ergo ante productionem præſentiæ debet ſupponi approximatio ſubiecti ad ſpatium, in quo producenda eſt præſentia. Reſpondeo, me non poſſe ex hoc ſpatio immediatè producere præſentiam in alio non eſſe ex eo quod non poſſim agere in diſtans, quia ſi præſentiam diſtantem ab hac immediatè producerem, ſemper in me ipſum agerem, & non in aliud diſtans, quia quando produco præſentiam, ex vi cuius Romæ præſens fio, non ago in ſpatium Romanum, ſed in me ipſum & approximatio tantùm ſupponitur ad effectum producendum inter principium paſſiuum, & actiuum, quorum neutrum eſt ſpatium, & ita ad producendum præſentiam non debet ſupponi principium productiuum illius approximatum ſpatio, vt falsò concedit obiectio, quod ſi immediatè poſt præſentiam Complutenſem non poſſim producere præſentiam Romanam, non eſt defectu huius applicationis ſed ex natura præſentiarum, quæ petunt certo ordine produci, ita vt inter Romanam & Complutenſem aliæ præſentiæ producantur, quod aliqui tantùm intendunt cum dicunt ſubiectum debere ſupponi negatiuè ſpatio approximatum, hoc eſt, debere immediatè antea habuiſſe præſentiam non diſtantem, quia præſentiæ, quæ diſtant non poſſunt immediatè produci.

13 Obiic. quintò. Eo ipſo quod entitas intelligatur correſpondens ſpatio, eſt formaliter præſens: ergo non indiget præſentia ſuperaddita vt ſit præſens. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia ad hoc vt correſpondeat ſpatio indiget illo modo cum ex ſe indifferens ſit vt huic vel illi ſpatio correſpondeat. Alia huic argumento ſimilia fiunt, in quibus ex parte antecedentis ſupponitur ſuperadditus modus, quo poſito, formaliter corpus conſtituitur præſens, & poſtea infertur in conſequenti neceſſarium non eſſe talem modum: eorum ſunt, in quibus infertur non dari præſentiam ſuperadditam ex eo quod ſi res ſit conſtituta cum hac diſtantia, vel quod ſit contenta intra illud corpus,vel quod inter illam,& aliam, hoc,vel illud corpus ſit interpoſitum, quocumque alio ſecluſo ſit formaliter præſens, in quibus verum eſt antecedens, & falſum conſequens, & illatio peſſima, ſupponitur enim in antecedenti, quod negatur in conſequenti, quia rem intra aliam contineri, & hunc vel illum ordinem poſitionis ſeruare formaliter includit præſentiam ſuperadditam rei, quæ poterat non ita intra illam contineri,& talem poſitionis ordinem non ſeruare.

PVNCTVM V.

An in toto compoſito ſingulis entitatibus diſtinctæ præſentiæ correſpondeant?

EXiſtimarunt nonnulli recentiores non poſſe in quæſtionem vocari an in homine anima rationalis ſit præſens per præſentiam materiæ primæ, aut quantitatis ex eo quod anima rationalis definitiuè exiſtat, & materia prima, illiuſque quantitas circumſcriptiuè, quæ præſentiarum differentiæ videntur non poſſe in eandem confluere, alienus longè ſum ab hac mente, & ideo primum ſtatuo eodem modo philoſophandum eſſe de forma hominis, ac de quacumque alia forma materiali, rationem do. Ex eo quod hæc pars formæ equi vniatur huic parti materiæ exiſtenti in hoc ſpatio præciſâ aliâ præſentia tenente ſe ex parte formæ (id ſuppono de forma equi, vt conſequentiam faciam de forma hominis,) pars formæ eſt in eodem ſpatio,in quo eſt pars materiæ,cui vnitur, & ſi tota forma equi vniretur eidem parti materiæ, ex vi illius vnionis tota forma eſſet in ſpatio, in quo eſt illa pars materiæ: ergo ex eo quod tota anima rationalis vniatur huic parti materiæ tota debet eſſe in eodem ſpatio, in quo eſt pars cui vnitur, verbi gratia, ex eo quod tota anima rationalis vniatur huic indiuiſibili materiæ capitis debet eſſe in ſpatio,in quo eſt illud indiuiſibile: ergo ex eo quod eadem anima tota vniatur indiuiſibili materiæ pedis debet eſſe in eodem ſpatio, in quo eſt illud indiuiſibile: ergo ex eo quod tota anima rationalis vniatur ſingulis partibus, & ſingulis indiuiſibilibus huius materiæ diuiſibilis, præciſa quacumque alia præſentia tenente ſe ex parte formæ, debet tota eſſe in ſingulis partibus, & indiuiſibilibus ſpatij, in quibus ſunt ſingulæ partes, & ſingula indiuiſibilia materiæ, & anima rationalis ſecundùm ſe totam eſſe intimè præſentem ex vi vnionis ſingulis indiuiſibilibus,& partibus materiæ, ſiquidem ſingulis vnitur, & forma ex vi vnionis ad ſubiectum conſtituitur præſens in eodem ſpatio, in quo eſt ſubiectum. 1

Ad illud, quod adducebatur de differentia præſentiæ definitiuæ, & circumſcriptiuæ reſpondeo, poſſe eandem præſentiam diuiſibilem eſſe circumſcriptiuam reſpectu vnius ſubiecti, & definitiuam reſpectu alterius, ſi ſecundùm ſingulas ſui partes toti ſubiecto correſpondeat, reſpectu cuius definitiua dicitur, ita vt quælibet pars illius totum ſubiectum afficiat, & reſpectu alterius ita ſe habeat vt diuerſis ſubiecti partibus diuerſæ præſentiæ partes correſpondeant, ita vt nulla pars ſubiecti, duplici parte illius præſentiæ afficiatur. Hac ratione ſe haberet præſentia materiæ primæ reſpectu materiæ, & reſpectu animæ rationalis, ſi vtramque afficeret, quælibet pars diſtincta præſentiæ ſemper diſtinctam partem materiæ reſpiceret, diuerſæ tamen partes eiuſdem præſentiæ reſpicientes diuerſas partes materiæ reſpicerent omnes ſimul, & illarum quælibet totam eandem indiuiſibilem animam. De hoc iterum, Puncto immediatè venturo. Concludo ergo eodem modo philoſophandum eſſe de anima rationali, ac de reliquis formis, eademque probabilitate poſſe dici eſſe præſentem per præſentiam materiæ, aut quantitatis, dum eſt materiæ vnita, ac de quacumque alia forma materiali. Quid de omnibus tenendum ſit, iam dico. 2

Pater Vaſquez tom. 1. in 3. part. diſp. 199. n. 29. ait materiam primam, reliquas formas ſubſtantiales, & accidentales, quæ ſunt in compoſito, eſſe præſentes per præſentiam quantitatis. Vaſquium ſequutus eſt Albert. de prædicam. quantitatis diſp. vnica, q.6. Omnibus entitatibus diſtinctis à præſentia,& motu, ex vi cuius producitur, diſtinctas reſpondere præſentias defendunt P. Suarez in Metaph. diſp.41. ſect.5. P.Rub. tract. de loco, quæſt.6. contraria opinione relicta quam in prioribus commentariis fuerat amplexus. Eandem tenet Hurtadus diſp. 14. ſect. 4. Additque Hurtadus ſententiam noſtri Vaſquez non multum habere ponderis, neque rationis: ſed videamus quantum roboris, & ponderis habeant rationes quibus illam impugnat. 3

Arguit primò Hurtadus. Quantitas habet idem *vbi*, etiamſi pereant accidentia, quæ illi inhærent: ergo non habet præſentiam illis communem. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam,quia quantitas 4

habet

habet proprium *vbi* tantum illi eſſentialiter connexum, ex vi cuius erunt præſentia quæcumque alia vniantur quantitati, quæ ſi non vniantur, non illa deſiderabit præſentiá quantitatis, quæ proprio ſubiecto, quod eſſentialiter reſpicit quantitate videlicet, contenta eſt. Eadem ſolutione reſpondeo ad aliam Hurtadi obiectionem, quæ in eandem coincidit, videlicet permanere vbi quantitatis deſtructis accidentibus, ex quo inferebat non eſſe modum illorum, concedo enim non eſſe modum illis intrinſecum, aſſero tamen poſita vnione cum quantitate conſtituere in loco accidentia terminata ad talem vnionem, ſicut vnio materiæ primæ ad quantitatem denominat materiam vnitam remotè albedini, quando albebo eſt vnita proximè quantitati, & hanc denominationem non tribuit eadem permanens, quando albebo quantitati non eſt vnita. Ait Hurtadus, formas tantum communicare ſuum effectum formalem ſubiecto immediato, & non mediato, quia albebo non dicitur dulcis, etiamſi ſubiectetur in ſubiecto habente dulcedinem: addit tamen num. 37. effectus formales modorum poſſe adſcribi remotè ſubiectis formarum, quas afficiunt. Ex quo infero contra ipſam formas modales non tantùm communicare ſuum effectum formalem ſubiecto proximo, ſed etiam remoto, vt in exenplo vnionis ſupra adducto ipſe fatetur. Ad illud quod adducit de albedine, quæ non vocatur dulcis, etiamſi ſit in eodem ſubiecto, in quo eſt dulcedo reſpondeo id tantùm dici dulce, quod eſt radix dulcedinis, & ideo etiamſi dulcedo ſubiectetur in quantitate, & non in ſubſtantia ſacchari dicimus ſaccharum eſſe dulce, & non appellamus dulcem ſacchari quantitatem. Inſuper denominatio dulcis eſt denominatio obiecti potentis talem ſui ſenſationem producere, quæ potentia non conuenit formæ ex eo quod ſit vnita ſubiecto, cui talis vnitur potentia, ſicut quantitas non eſt potens videre ex eo quod ſit vnita materiæ animalis, cui eſt vnita potentia viſiua, quia hæc neque ipſam materiam, cui vnitur conſtituit potentem videre. Ex quo inferes manifeſtum diſcrimen inter has, ſimiléſque formas, & extenſionem & alia; potentia enim viſiua in homine ſiue diſtincta, ſiue identificata cum anima materiæ vnita, non illam conſtituit potentem videre, & extenſio, ſeu præſentia localis neceſſariò conſtituit præſens, & extenſum ſubiectum cui vnitur. Secundò, etiamſi albebo ex eo quod ſit vnita quantitati externæ, non ſit extenſa formaliter, in omnium opinione præcisè ex vi illius vnionis ſaltem exigit extenſionem ex vi cuius formaliter conſtituatur extenſa, & tamen ex eo quod vniatur quantitati habenti dulcedinem, neque conſtituitur dulcis, neque exigens dulcedinem, ex vi cuius dulcis conſtituatur: ergo longè diuerſa eſt ratio de his formis, ac de extenſione eſt.

5 Inſtat Hurtadus. Deus poteſt conſeruare accidentia in eodem loco, in quo erant quantitati vnita, deſtructa iam quantitate, ergo non erant præſentia per præſentiam quantitatis. Reſpondeo Deum poſſe conſeruare qualitates in eodem loco, ac modò ſut deſtructa quantitate tribuendo illis nouam præſentiam, ratione cuius de nouo producantur in eodem loco, non verò poſſe illa conſeruare præſentia in eodem loco ex vi præſentiæ, quam antea habebant, quæ deſtructa quantitate neceſſariò periit. Vide quam facilè ſoluantur argumenta, quæ contra Vaſquez adducit Hurtadus, & quàm leuia ſint illius fundamenta, quibus comparata non parum ponderis, neque rationis adducta à Vaſquio habere videbuntur.

6 Eandem ferè ſententiam cum Hurtado defendit Arriaga, qui aſſerit omnes formas, ſeu modos ſeparabiles à materia habere proprias, diſtinctáſque præſentias, & probabile eſſe materiam & quantitatem habere præſentiam communem, & indiſtinctam. Ad probandum formas ſeparabiles à quantitate habere proprias præſentias præter Hurtadi fundamenta hoc adducit. Poteſt albebo vnita quantitati non eſſe in eodem loco, vbi eſt quantitas: ergo præſentia albedinis diſtinguitur à præſentia quantitatis. Conſequutio euidens eſt. Antecedens probat: quantitas habens albedinem poteſt poni in duplici loco, & albedo tantum in vno: ergo poteſt quantitas præſens eſſe in aliquo loco, in quo non ſit albebo illi vnita. Antecedens aſſerit à nemine negandum eſſe, ſed fiducia vana fefellit Arriagam, migi enim illud negare placet iuxta opinionem Vaſques, quia cùm præſentia quantitatis formaliter conſtituat in loco omnia accidentia illi vnita, tot præſentias habebit accidens, quot quantitas; ac proinde ſi quantitas ſit in duplici loco, accidens illi vnitum non poterit non eſſe in eodem duplici loco. De hac doctrina dubitabit nemo, qui ſententiam Patris Vaſquez amplectatur.

7 Hæc dixi, vt probarem non grauis ponderis eſſe rationes hucuſque adductas contra Vaſquium, nihilominus ſto pro ſententia concedente omnibus entitatibus, quæ non ſunt eſſentialiter ſpatiis affixæ, ſicuti præſentia, & motus, ſeu actio, ex vi cuius hæc producitur, præſentias diſtinctas. Moueor hac ratione, quam acuti recentiores excogitarunt. Quando video albedinem non tantùm video nudam albedinis entitatem, ſed etiam illius præſentiam, vt probabo Controuerſ. 12. de anima, Punct. 1. §. 3. ergo præſentia albedinis diſtinguitur à præſentia quantitatis, & vnione ipſius albedinis ad quantitatem. Probo conſequentiam: quantitas viſibilis non eſt: ergo neque eſt viſibilis modus proprius quantitatis: ego præſentia quantitatis non videtur: ſed præſentia albedinis videtur: ergo diſtinguuntur. Secundò, etiamſi videretur præſentia quantitatis ex eo quod videatur hæc quantitatis præſentia, & videatur albedo, non videtur albedinem eſſe in eodem loco cum quantitate, quia eſſe in eodem loco non tantùm dicit præſentiam quantitatis, & albedinem, ſed etiam vnionem: ergo ad hoc vt videretur albedo præſens per præſentiam quantitatis debebat videri vnio albedinis ad quantitatem: ſed hæc vnio videri nequit: ergo neque albedo poteſt videri præſens per præſentiam quantitatis. Vnionem albedinis cum quantitate videri non poſſe ſic probo: ſi poneretur albedo intimè præſens cum quantitate ſine aliqua vnione eodem modo videretur, ac quando eſt vnita: ergo vnio non terminat actum videndi. Secundò, nemo audebit dicere ſe habere notitiam intuitiuam vnionis inter albedinem, & quantitatem, ergo non videtur talis vnio. Scio te poſſe reſpondere vnionem videri, non tamen poſſe diſcerni. Sed quo fundamento aſſeris te videre id, quod numquam diſcernis, neque probabilis aliqua ratio videri ſuadet? quod adhuc fortiùs vrget reſpectu præſentiæ quantitatis.

8 Præſentiam, & actionem ex vi cuius producitur non indigere aliis præſentis fatentur omnes, quia ſicuti actio non indiget actione, vt ab agente dependeat, quia ipſa eſt ratio dependendi, & per ipſam dependet, ita præſentia non indiget alia præſentia, vt præſentetur, quia eſt ratio formalis præſentandi alia corpora, & per ſe ipſam præſentatur. De actione productiua huius præſentiæ probatur ex eo quod eſſentialiter, & per ſe ipſam eſt termino affixa, & ita per ipſum terminum conſtituitur in eodem ſpatio cum illo. Secundo à poſteriori, quia actio productiua præſentiæ indigeret alia præſentia, rurſus illa præſentia per actionem produceretur, quæ alia præſentia indigeret & ſic in infinitum procederetur.

9 Obiicies primò pro ſententia P. Vaſquez. Eo ipſo, quod albedo ſit vnita quantitati, eſt determinata vt ſit in eodem loco cum quantitate: ergo non indiget alia præſentia vt determinetur ad exiſtendum in tali loco: ergo abſolutè non indiget alia præſentia. Probo conſequentiam: præſentia ſuperaddita datur, vt entitas indifferens ad hoc vel illud ſpatium occupandum determinetur ſpecialiter ad hoc determinatum, ſed albedo vnita quantitati non eſt indifferens, ſed determinata per vnionem ad quantitatem, & præſentiam huius: ergo non indiget alia præſentia. Reſpondeo diſtinguendo primum antecedens: albedo eo ipſo, quod ſit vnita quantitati eſt determinata, vt ſit in eodem ſpatio cum illa: eſt determinata in actu primo, concedo antecedens, eſt determinata in actu ſecundo, nego: eſt dicere: albedo eò ipſo quod ſit vnita quantitati exigit præſentiam, ex vi cuius ſit in eodem loco cum quantitate, non tamen formaliter ex eo præcisè eſt in eodem loco cum illa, ſicuti ignis eo ipſo quod ſit applicatus ligno cum reliquis prærequiſitis ad producendum calorem in illo, eſt in actu primo determinatus ad agendum in illud lignum, non tamen eſt in actu ſecundo, & formaliter determinatus quouſque adueniat actio, ſic ſimiliter albedo vnita quantitati præſenti eſt in actu primo determinata, vt ſit in eodem ſpatio cum quantitate, non tamen eſt determinata in actu ſecundo, & formaliter præſens, quouſque illi adueniat præſentia. Ad confirmationem dico præſentiam non ſolùm requiri, vt determinet ſubiectum in actu primo ad ſpatium, ſed vt illud in actu ſecundo determinet, & formaliter præſens conſtituat.

Obiic. ſecundò. Si ſingula accidentia haberent præſentias, ſequeretur materiam primam moueri tot motibus, quot haberet accidentia. Reſpondeo negando ſequelam, quia licèt cùm mouetur totum compoſitum tot dentur motus, quot accidentia, non omnes materiam primam afficiunt, ſed quilibet ſubiectum præſentiæ productæ ex vi illius.

PVNCTVM VI.

Quotuplex ſit præſentia, & quomodo differat circumſcriptiua à definitiua?

1 PRæſentia Dei, immenſitas dicitur, ex vi cuius ſine menſura eſt intimè præſens omnibus rebus exiſtentibus, ita neceſſariò, vt implicet exiſtere creaturam aliquam, cui Deus non ſit intimè præſens. Hæc immenſitas indiſtincta eſt ab ipſo Deo, in quo nulla accidentium compoſitio reperitur. Hanc ab omnibus quibuſcumque præſentis creatis ſpecie differre, per ſe notum eſt, quid enim magis differens quam increatum à creato, infinitum, & immenſum à finito, & limitato. Præſentia creata duplex eſt, quædam definitiua, alia circumſcriptiua. Præſentia circumſcriptiua dicitur, qua corpus præſens ſecundùm ſe totum toti ſpatio correſpondeat, & ſecundùm ſingulas ſui partes ſingulis partibus ſpatij, ita vt ex vi illius nulla pars ſpatium cum alia commune habeat. Præſentia definitiua eſt illa, ex vi cuius totum, ſiue diuiſibile ſiue indiuiſibile correſpondet ſecundùm ſe totum toti ſpatio diuiſibili, & ſecundùm ſe totum cuilibet parti; & cuilibet indiuiſibili ſpatij. Præſentiam circumſcriptiuam habent omnia corpora, quæ naturaliter exiſtunt. Definitiua gaudent Chriſti corpus in ſe diuiſibile hoc modo indiuiſibili præſens in Euchariſtia, & rationalis anima, & quilibet Angelus indiuiſibilis ſecundùm entitatem, & ſpatio diuiſibili præſens.

2 Audiendi non ſunt, qui apud Albert. de prædicam, *vbi* diſput. vnica, quæſt. 7. dicunt, præſentiam definitiuam, ſeu medium, quo res eſt indiuiſibiliter in ſpatio indiuiſibili eſſe tantum negationem extenſionis, contra quos eiſdem argumentis probatur præſentiam definitiuam eſſe accidens ſuperadditum, ac de reliquis præſentiis probatum eſt Punct. 4. quia Angelus, & anima rationalis definitiuè ſunt præſentes, modò in hoc ſpatio, modò in illo, & in maiori, aut minori ſpatio: ergo per aliquid poſitiuum determinantur, vt ſint potius in hoc ſpatio, quàm in illo, negatio enim extenſionis ſemper eſt eadem, & non poteſt hanc determinationem præſtare. Idem dico de Angelo, & de puncto quantitatis ſeparato (ſi poteſt dari) exiſtentibus in puncto indiuiſibilis ſpatij, propter indifferentiam, quam habent vt ſint in hoc vel in illo puncto ſpatij.

3 Præſentiam definitiuam, & circumſcriptiuam in vniuerſum ſpecie diſtingui docuit P. Suarez in Metaphyſic. diſput. 51. ſect. 6. num. 18. & cum illo te indiſcuſsà plures recentiores. Non id in dubium vero, ſi comparentur præſentia circumſcriptiua quantitatis, & præſentia definitiua Angeli, hæ enim ſpecie different ratione ſubiectorum, etiamſi vtraque eſſet definitiua, diuerſa enim eſt in ſpecie præſentia definitiua quantitatis Euchariſticæ à præſentia definitiua Angeli. Eſt dubitandi ratio; facta comparatione inter præſentiam definitiuam, & circumſcriptiuam reſpectu ſubiecti eiuſdem ſpeciei, vel numero. An videlicet præſentia definitiua, quam habet Chriſti quantitas in Euchariſtia ſpecie differat à præſentia circumſcriptiua, quam habet in cœlis eadem quantitas, & à præſentia circumſcriptiua, quam habet alia quantitas eiuſdem ſpeciei cum quantitate Euchariſtica. Arriaga diſp. 1. de anima, ſect. 4. ſubſect. 8. n. 113. in materia Euchariſtica probat has præſentias ſpecie non differre, quam ſententiam iam diu docuère perdocti magiſtri.

4 Sentio in ſententia conſtituente continuum ex puris indiuiſibilibus poſſe corpus eſſe definitiuè præſens per repetitionem præſentiarum circumſcriptiuarum, nulla addita præſentia diſtincta in ſpecie à circumſcriptiua. Explicatio concluſionis ſolida erit illius probatio. Eſſe corpus definitiuè nihil aliud eſt quàm omnia indiuiſibilia, quibus conſtat (procedo in ſententia, quæ continuum ex indiuiſibilibus componit eſſe in quocumque indiuiſibili ſpatio, quod dicit hoc indiuiſibile corporis eſſe repetitum in omnibus indiuiſibilibus ſpatij, & omnia indiuiſibilia corporis eſſe penetrata in hoc indiuiſibili ſpatij, & ſic de omnibus indiuiſibilibus tam corporis, quàm ſpatij: ſed totum hoc poteſt fieri per præſentias circumſcriptiuas repetitas: ergo ad hoc vt corpus ſit definitiuè præſens non indiget præſentia aliqua ſpecie diſtincta circumſcriptiua. Maior certa eſt apud omnes, minorem probo. Penetratio eorundem indiuiſibilium, & repetitio eiuſdem indiuiſibilis in eodem ſpatio tantùm dicit multitudinem præſentiarum in eodem ſpatio, quia ſi corpori modò exiſtenti circumſcriptiuè alia præſentia circumſcriptiua addatur, ex vi cuius indiuiſibile capitis conſtituatur in ſpatio, in quo eſt indiuiſibile pedis, & indiuiſibile pedis in ſpatio, in quo eſt indiuiſibile capitis, & rurſus alia, ex vi cuius indiuiſibile brachij conſtituatur in ſpatio, in quo eſt indiuiſibile pedis, & indiuiſibile pectoris in ſpatio in quo eſt indiuiſibile pedis, & ſemel & iterum replicentur præſentiæ, fiet, vt nullum ſit indiuiſibile ſpatij, in quo non ſint omnia indiuiſibilia corporis, & conſequenter totum corpus ex illis indiuiſibilibus compoſitum erit in toto ſpatio, & totum in quolibet indiuiſibili illius ſpatij, quod eſt eſſe definitiuè, eodem omnino modo poteſt eſſe in hoc ſpatio, ac ſi eſſet circumſcriptiuè totum corpus, & ſic de omnibus aliis: ergo præſentia, quam habent omnia indiuiſibilia corporis exiſtentis definitiuè poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum præſentia, quam haberent, ſi corpus exiſteret circumſcriptiuè: ergo & præſentia totius compoſiti, quia præſentia compoſiti non diſtinguitur à præſentiis, quas habent partes, ex quibus componitur. Antecedens probo ex eo quod corpus ſit præſens definitiuè tantum, infertur indiuiſibilè corporis exiſtens in hoc indiuiſibili ſpatij extiturum ſimul in aliis indiuiſibilibus ſpatij, & omnia indiuiſibilia corporis extitura in eodem indiuiſibili ſpatij. Sed ex eo quod hoc indiuiſibile ſit futurum in aliis ſpatiis non variatur præſentia, quam habet in iſto, quia hac perſeuerante poſſunt aliæ aduenire, neque ex eo quod alia indiuiſibilia ſint extitura in eodem ſpatio, quia indiuiſibile penetratum cum alio, ſicuti quodlibet aliud corpus poteſt habere eandem præſentiam, quam haberet ſi non eſſet penetratum: ergo ex eo quod corpus ſit definitiuè non variantur præſentiæ, quas haberent ſingula illius indiuiſibilia in ſingulis ſpatiis, ſed tantum multiplicantur: ergo non varia præſentia totius, ſed tantum multiplicatur.

Ex hoc infero, quod ſi corpus aliquod prædicto modo definitiuè poneretur in ſpatio aliquo, quod poſſet correſpondere adæquatæ præſentiæ circumſcriptiuæ illius v. g. ſi conſecraretur corpus Chriſti in quantitate panis correſpondente quantitati hominis, poſſe ex vi præſentiæ incluſæ in definitiua ſolum per ablationem aliarum præſentiarum manere corpus circumſcriptiuè præſens, quia indiuiſibilia capitis poſſent retinere præſentiam, qua indigerent vt totum eſſet circumſcriptiuè, & reliquas amittere, & ſic de reliquis indiuiſibilibus, ita vt nullum maneret cum alio penetratum, neque in duplici ſpatio repetitum, & omnia ac ſingula debitam poſitionem, & proportionem ſeruarent, vt totum quantitatiuum cum debita partium inter ſe diſtantia eſſet in toto ſpatio, & ſingulæ partes illius ſingulis partibus ſpatij reſponderent. Præſentia definitiua ſic explicata à circumſcriptiua differt, ex eo quod hæc dicit negationem multitudinis repetitæ præſentiæ, ratione quarum omnia indiuiſibilia corporis inter ſe penetrata repetantur in ſingulis indiuiſibilibus ſpatij, præſentia verò definitiua dicit harum præſentiarum multiplicitatem. 5

Rem ita compoſui in opinione, quæ continuum ex indiuiſibilibus componit, in opinione verò, quæ illud ex partibus ſemper diuiſibilibus, & indiuiſibilibus componit, exiſtimo præſentiam definitiuam diſtinguendam eſſe ſpecie à circumſcriptiua, quod ſic probo. In præſentia definitiua debet dari pars aliqua præſentiæ afficiens partem diuiſibilem ſubiecti quæ illam adæquatè conſtituat in indiuiſibili ſpatio, ſeu in quocumque indiuiſibili illius ſpatij, ſed in præſentia circumſcriptiua nulla datur pars præſentiæ, ex vi cuius pars diuiſibilis corporis conſtituatur adæquatè præſens & in indiuiſibili ſpatij: ergo datur in præſentia definitiua pars, cui non correſpondeat alia eiuſdem ſpeciei in præſentia circumſcriptiua: ergo præſentia circumſcriptiua, & definitiua ſpecie differunt, quia eo ipſo quod totum partem aliquam eſſentialem contineat eſſentialiter diſtinctam à partibus aliùs totiùs, eſſentialiter ab illo toto diſtingui neceſſum eſt. 6

Sentio

Digitized by Google

7 Sentio inſuper adhuc in opinione, quæ continuum ex indiuiſibilibus componit, poſſe dari reſpectu eiuſdem quantitatis præſentiam definitiuam ſpecie diſtinctam à circunſcriptiua, quod facilè ſuadeo. Poteſt corpus exiſtere definitiuè in hoc ſpatio diuiſibili non per repetitionem præſentiarum circunſcriptiuarum, ſed ex vi vnius præſentiæ ſecundùm ſuam entitatem indiuiſibilis, quæ indiuiſibiliter reſpiciat totum ſubiectū indiuiſibile, & totum hoc diuiſibile ſpatium, ita vt ſecundum eandem entitatem conſtituat hoc indiuiſibile quantitatis in ſingulis indiuiſibilibus ſpatij diuiſibilis, vt de præſentia Angeli multi affirmant & eadē, quæ hoc præſtat reſpectu huius indiuiſibilis quantitatis, poteſt idem præſtare per ſe ipſam reſpectu aliûs & aliûs indiuiſibilis, ita vt ab omnibus ſeorſim, & ſimul ſumptis dependeat eo modo, vt quocumque deficiente tota præſentia deficeret. Sed hæc præſentia eſſentialiter differet à circunſcriptiua, ergo præſentia definitiua & circunſcriptiua reſpectu eiuſdem corporis in quacunque opinione de continui compoſitione poſſunt ſpecie differre. Secundò, Poteſt etiam dari præſentia definitiua diuiſibilis ex parte ſubiecti, & indiuiſibiliter reſpiciens ſpatium diuiſibile, ita vt diuerſa pars præſentiæ eſſet, quæ reſpiceret hoc indiuiſibile, ſeu hanc partē quantitatis ab illa, quæ aliam partem reſpiceret, non tamen eſſet diuerſa pars præſentiæ, ex vi cuius hæc quantitatis pars conſtitueretur in hac parte ſpatij, & in alia diſtincta ab hac, ſed per eamdemmet præſentiam indiuiſibiliter ſumptam hæc quantitatis pars conſtitueretur in hac, & in illa parte, & in toto ſpatio indiuiſibili, & per idem indiuiſibile præſentiæ hoc indiuiſibile quantitatis conſtitueretur in omnibus indiuiſibilibus ſpatij contentis in ſpatio diuiſibili. Hæc præſentia diuiſibiliter ſubiectum reſpiciens, & ſpatium indiuiſibiliter ſpecie diſtingueretur ab alia, quæ tam ſubiectum diuiſibile, quam ſpatium indiuiſibiliter reſpiceret, vt per ſe notum eſt ſe haberet enim prædicatum notabiliter differens à prædicatis aliûs præſentiæ, quod poſſet eſſe multis commune, quod neceſſariò eſſentiam diſtinctam conſtituit.

8 Dixi punct.3. num.2. eandem præſentiam poſſe eſſe circunſcriptiuam reſpectu vnius entitatis, & definitiuam reſpectu alterius, quod iterum confirmo, & explico de præſentia etiam reſpiciente vtramque entitatem diuiſibilem ſecundum ſe. Ratio eſt illa, quam ibi reddidi. Poteſt dari præſentia, quarum partes ſingulæ reſpiciant ſingulas partes vnius ſubiecti, ita vt pars præſentiæ, quæ reſpicit hanc partem ſubiecti non reſpiciat aliam eiuſdem, & ſimiliter reſpiciat eodem modo diuiſibiliter partes ſpatij, ita vt pars quæ reſpicit hanc partem ſpatij, non reſpiciat aliam quæ partes præſentiæ indiuiſibiliter reſpiciant totum aliud ſubiectum diuiſibiliter, ita vt quælibet pars præſentiæ, quæ tantùm reſpicit partem ſubiecti, quod conſtituit circunſcriptiuè præſens reſpiciat omnes partes ſubiecti, quod conſtituit definitiuè præſens, & eſſentialiter dependeat ab omnibus partibus ſubiecti, quod definitiuè præſentat, & tantùm ab vna parte ſubiecti, quod circunſcriptiuè præſens conſtituit, & tota illa præſentia diuiſibiliter ſpatium, & ſubiectum circunſcriptiuè exiſtens reſpiciet, & indiuiſibiliter ſecundùm quamlibet ſui partem totum ſubiectum ex vi illius definitiuè exiſtens: ergo poteſt dari præſentia quædam, ex vi cuius totum hoc corpus ſit in toto ſpatio cum correſpondentia partis corporis ad partem ſpatij, ita vt nulla pars ſit cum alia comparte penetrata, quod eſt eſſe circunſcriptiuè, & ex vi cuius totum corpus aliud diuiſibile ſit in quolibet indiuiſibili ſpatij diuiſibilis, quod eſt eſſe definitiuè præſens: ergo eademmet præſentia poteſt eſſe definitiua reſpectu huius corporis, & circunſcriptiua reſpectu illius. Veritatem primi antecedentis commendat illius explicatio ideò tam fusè illud propoſui, neque repugnantia aliqua poterit aſſignari in natura modi, quam explicui; poteſt enim dari modus, qui indiuiſibiliter afficiat plura ſubiecta, ac proinde poterit dari pars præſentiæ, quæ indiuiſibiliter afficiat partem quandam huius ſubiecti, & omnes partes illius, quæ ſimul cum alijs partibus, quarū quælibet reſpiciat diuerſam partem huius ſubiecti, & eadem omnes illius, conſtituet præſentiam huius ſubiecti circunſcriptiuam, illiuſque definitiuam.

9 Vltimò noto: Præſentiam hanc circunſcriptiuam reſpectu vnius ſubiecti, & definitiuam reſpectu aliûs ſpecie diſtinguendam eſſe à præſentia purè definitiua, & ab alia purè circunſcriptiua, ex eo quod eſſet penetratiua reſpectu ſubiecti, quod definitiuè præſentaret, & extenſiua reſpectu alius, quod circunſcriptiuè præſens conſtitueret. Neq; in ſe contineret differentias eſſentialiter oppoſitas, quia differentiæ, quæ eſſentialiter opponuntur in præſentiis ſunt ratio præſentiæ purè circunſcriptiuæ, quarum neutra tali præſentiæ competeret, non verò ratio definitiuæ præſentiæ non excludentis rationem circunſcriptiuæ, ſed cum illa identificatæ, & ratio præſentiæ circumſcriptiuæ non excludentis rationem definitiuæ ſed identificatæ cum illa ſicuti opponuntur in viuentibus purum ſenſitiuum competens bruto, & purum rationale competens Angelo, & non opponuntur in homine, ſenſitiuum, & rationale formaliter diſtincta, & realiter identifica.

PUNCTUM VII.

An creatura poſſit ab omni præſentia abſolui?

CReaturam adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſe conſeruari ſine aliqua præſentia, ex vi cuius in aliquo ſit ſpatio, affirmat Pater Soar. lib 4. de Angelis cap.3. & Arriaga diſp. 14. ſect. 4. Oppoſitam ſententiam defendunt Pater Vaſquez tom. 2. in 1.part.diſput. 195. cap 3. & 4. & Pater Moneræus diſp.1.c.2. & 8. qui ſentiunt poſſe creaturam de potentia Dei abſoluta abſque vlla præſentia conſeruari, quibus habens aſſentior. 1

Sententiam, quam defendendam ſuſcepi, ſic probo: Præſentia eſt accidens quoddam ſuperadditum creaturæ, productum per actionem diſtinctam ab ipſa creatura: ergo poterit Deus, poſita actione productiua creaturæ ſuſpendere actionem, qua producenda erat præſentia. Probo conſequentiam: actio ex vi cuius producitur creatura, prior eſt actione, ex vi cuius producitur præſentia illi inhærens: ergo illa prior actio non dependet à priori ab hac actione poſteriori: ergo tantùm dependet à poſteriori (ſi talis dependentia reperiri poteſt) quatenus hæc poſterior, ex vi cuius præſentiæ producitur priorem conſequitur, ſed hæc dependentia à poſteriori, quæcumque ſit, poterit ſuppleri à Deo, nulla enim ratio poteſt reperiri, propter quam cauſa tantum connexionem habeat cum effectu, vt non poſſit Deus producta cauſa non producere effectum: ergo poterit Deus quamcumque creaturam ſine præſentia conſeruare. Deinde probatur concluſio in ſimilibus difficultatibus omnium potiſſima ratione. Nulla eſt repugnantia, neque inferuntur duo contradictoria ex eo, quod conſeruetur creatura ſine præſentia: ergo poterit conſeruari. Antecedens probabit argumentorum ſolutio. 2

Obiic. primò Soar. & Arriaga, nos non poſſe concipere creaturam niſi alicubi exiſtentem, ex quo intendunt inferri non poſſe non alicubi eſſe. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, multa enim ſunt, quæ non vt ſunt, ſed aliter, ſæpe apprehendit intellectus, & ne ex alia materia exempla trahamus, cuius rei in quacumque abundant, nos non poſſumus concipere præſentiam, niſi eſſentialiter relatam ad imaginarium ſpatium, & tamen nullum reſpectū dicit ad illud, ſed in ſe eſt entitas quædam æquè abſoluta, ac albedo, vt docet idem Arriaga, ſect.3.n.36. 3

Obiic. ſecundò Soar: Creet Deus Angelum: vel eſt diſtans à mundo vel indiſtans, ſi eſt diſtans: ergo habet vbicationem alibi. Si eſt indiſtans: ergo eſt approximatus, ergo habet præſentiam, quia approximatio conſtituitur formaliter per præſentiam. Reſpondeo Angelum creatum ſine præſentia fore indiſtantem negatiuè, hoc eſt non fore diſtantem, non verò indiſtantem poſitiuè, neque approximatum, ex indiſtantia enim negatiua, hoc eſt, ex non diſtantia non infertur approximatio, quæ eſt forma poſitiua non neceſſariò connexa cum negatione diſtantiæ. 4

Obiic. tertiò Arriaga: Implicat de potentia Dei abſoluta quantitatē non eſſe extenſam, aut inextenſam, quia hæc duo priuatiuè opponuntur; ſi eſt extenſa: ergo habet præſentiam, ex vi cuius extenditur; ſi eſt inextenſa: ergo partes illius ſunt penetratæ: ergo ſunt in eodem loco: ergo habent præſentiam, in qua formaliter penetrantur. Reſpond. eodem modo partes quantitatis ſine præſentia fore inextenſas negatiuè, hoc eſt habere negationem extenſionis, ex quo non infertur eſſe penetratas, aut eſſe in eodem loco, penetratio enim non eſt formaliter pura extenſionis negatio, ſed dicit præſentias poſitiuas reſpondentes eidem ſpatio, quibus carerent partes quantitatis non habentes 5

præſentiam, quas præſentias reſpectu eiuſdem ſpatij vt plurimum ſignificamus, cum dicimus corpus eſſe inextenſum, intendentes modo negatiuo rem poſitiuam explicare, in quo ſenſu negandum eſt corpus ſine præſentia eſſe inextenſum, quia ſecundum hanc acceptionem huius termini *inextenſum* pro re poſitiua, extenſum, & inextenſum non priuatiuè opponuntur.

6 Obiicit quartò: Partes quantitatis omni præſentia carentes vel eſſent intra alias, vel extra: ſi intra: ergo in eodem ſpatio: ſi extra: ergo in alio ſpatio: ergo quocumque modo erunt in ſpatio, & præſentiã habebunt. Similiter ſolet argui: corpus ſine præſentia vel eſt intra cœlum, vel extra cœlum: neutrum poteſt habere ſine præſentia. Reſpondeo de corpore abſolutò ab omni præſentia in ordine ad ſpatium, philoſophandum eſſe, ac ſi in rerum natura non exiſteret, & ſicuti corpus non exiſtens non habet partes intra partes, neque extra partes, neque totum eſt intra cœlum, ſic dicendum eſt de partibus illius corporis, & de corpore, de quorum partibus tantùm poſſet dici non eſſe intra alias, & de illo non eſſe intra cœlum, quod ſolet dici extra negatiuè, non tamen abſolutè poſſet dici de partibus eſſe extra partes, aut de toto eſſe extra cœlum, quia eſſe extra dicit eſſe in ſpatio, quod neque partibus illius corporis, neque corpori conueniret.

PVNCTVM VIII.

An corpus omni præſentiâ abſolutum eſſet intimè præſens Deo?

1 STatui puncto præcedenti poſſe aliquam creaturam, Angelum, verbi gratia, exiſtere ſine aliqua præſentia nulli ſpatio reſpondentem, neque alicui approximatum, aut diſtantem. Inquiro modò de Angelo ſic conſtituto: An eſſet intimè præſens Deo, & penetratus cum illo ſecundum ſuam entitatem eodem modo, ac ſi haberet præſentiam? quam quæſtionem ſine duce aggredior, nullum enim legi, neque audiui, qui rem hanc in quæſtionem vocaret, quapropter me vtriuſque partis affirmatiuæ videlicet, & negatiuæ patronum ſingam, & arbiter poſtea alteri primas dabo.

2 Pro parte negatiua ſuppono non ſequi per locum intrinſecum ex eo quod Deus ſit cauſa rerum, eſſe illis intimè præſentem, vt doctè probat Vaſquez 1. part. diſp. 28. cap. 4. & 5. quia non eſt de ratione cauſæ intima præſentia cum effectu, & licet in cauſis creatis requiratur approximatio inter agens, & paſſum, non ita neceſſariò requiritur vt de potentia abſoluta ſuppleri non poſſit. Secundò etiamſi requiratur approximatio inter agens, & paſſum non requiritur ex parte actus primi approximatio inter agens & effectum, creatio enim Angeli non poteſt ſupponere Angelum approximatum, aliàs iam illum exiſtentem ſupponeret. Ex hoc infero non probari ex eo, quod creatura nullibi exiſtens dependeret à Deo illam fore intimè Deo præſentem. Deinde poſitiuè probo illam creaturam ſic conſtitutam non poſſe intimè Deo eſſe præſentem. Talis creatura ſupponitur ſine præſentia: ergo non eſſet præſens: ergo non eſſet præſens Deo. Probo priorem conſequentiam: effectus formalis non poteſt eſſe ſine forma: ergo non poteſt eſſe præſens ſine præſentia: poſteriorem confirmo. Hæc illatio, non eſt præſens: ergo non eſt præſens Deo, eſt à non reſtricto ad reſtrictum negatiuè, quæ ſemper tenet: benè enim valet, Petrus non loquitur: ergo Petrus non loquitur Ioanni: Petrus non eſt præſens: ergo non eſt præſens Romæ.

3 Pro affirmatiua parte efficaciores inuenio rationes, ob quas placet illam defendere, donec ab aliis de hac realiter docear. Aſſero creaturam omni præſentia ſuperaddita nudam fore Deo præſentem ac ſi præſentiam ſuperadditam haberet. In hanc partem traho Patrem Vaſquez, quam ex ſuis principiis clarè infero. Docet ſapientiſſimus P. 1. p. diſp. 28. c. 4. num. 13. veritatem eſſe Catholicam Deum eſſe intimè præſentem omni creaturæ, neque illi eſſe liberum eſſe in vna potius quàm in alia ex ſuppoſitione, quod illam creauerit, & inſuper loco citato, Puncto præcedenti docet poſſe Deum creaturam ſine omni præſentia producere: ergo creatura ſine præſentia eſſet præſens Deo, cum poſſit non habere præſentiam, & non poſſit non eſſe intimè Deo præſens. Ratio à priori huius concluſionis eſto, creaturam non conſtitui Deo præſentem per præſentiam ſuperadditam, ſed per ſuammet entitatem, & per immenſitatem Dei. Vnde repugnat eſſe in rerum natura entitatem aliquam, quæ non ſit intimè Deo præſens, quia immenſitas Dei talis eſt vt ipſum conſtituat intimè præſentem, cuicumque creaturæ, eo ipſo quod exiſtat, nullo alio modo deſiderato, neque ex parte creaturæ. Eodem modo creatura per ſuammet entitatem ſuppoſita immenſitate Dei, quæ non poteſt non ſupponi vt potè ſummè neceſſaria conſtituitur præſens Deo: quod ſi probem, meam concluſionem manifeſtè oſtendo: ad id accingor.

4 Tota ratio, propter quam ponimus præſentias ſuperadditas creaturis eſt, quia videmus illas modò cum hac diſtantia, modò cum illa creaturis ſecundùm ſuam entitatem inuariatis, vnde inferimus eſſe quid ſuperadditum modum illum, per quem formaliter diſtantes conſtituuntur. Vnde ſi creaturæ eſſent affixæ certo ſpatio, in quo ſemper eandem diſtantiam ſeruarent nullum eſſet fundamentum ad dandas præſentias ſuperadditas, ſed diceremus creaturas per ſe ipſas diſtare, ſed nunquam videmus creaturas diſtare à Deo, aut nouimus indifferentiam vt diſtent, & non diſtent, neque vt habeant hanc approximationem potiùs quàm illam, ſed ſemper illas eodem modo approximatas per ſuaſmet entitates independenter ab omni alia præſentia ſuperaddita: ergo hac ablata creatura creatori approximata permanebit & illi intimè præſens, quia quidquid conuenit entitati per ſe ipſam, non poteſt non quocumque alio ſecluſo illi conuenire. Secundò eandem intimam præſentiam habet Deus cum Petro exiſtenti Matriti, & cum eodem exiſtenti Toleti: ergo Petrus exiſtens Toleti, & exiſtens Matriti habet eandem approximationem cum Deo, quia approximatio Petri cum Deo non dicit aliquid realiter diſtinctum ab illo quod dicit approximatio Dei cum Petro: ergo ſi approximatio Dei cum Petro exiſtenti Matriti & Toleti eſt eadem, approximatio Petri exiſtentis Matriti, aut Toleti erit eadem: ergo approximatio, quam habet Petrus cum Deo quando exiſtit Matriti, non dicit præſentiam ſuperadditam, quam tunc habet Petrus, quia ſi hanc diceret approximatio cum Deo non poſſet eadem approximatio eſſe Toleti, quia præſentia; quam Petrus habet Matriti eſſentialiter dependet ab illo ſpatio, & non poteſt non eſſe in illo, ſed ſic eſt quod approximatio, quam Petrus habet cum Deo poteſt eſſe in alio ſpatio, & non in illo: ergo approximatio Petri cum Deo non dicit præſentiam ſuperadditam Petro.

Fundamentum, quod pro parte negatiua propoſui facilimè ex dictis diſſoluo, Concedo non poſſe dari effectum formalem ſine forma, neque præſens ſine præſentia, dico tamen quamlibet creaturam eſſe præſentiam ſui ipſius, ex vi cuius conſtituitur præſens in ordine ad Deum, non verò in ordine ad aliud ens creatum. Ad illationem factam ex non reſtricto ad reſtrictum negatiuè, dico creaturam ſine præſentia ſuperaddita dici non eſſe præſentem abſolutè, quia intelligimus propoſitionem illam de præſentia in ordine ad ſpatium, & ad alia entia creata: quæ ſi tacitè hanc reſtrictionem non inuoluat, falſa erit, & abſtrahendo ab omni præſentia in ordine ad ens creatum & increatum dici non poteſt, creatura ſine præſentia ſuperaddita non eſt præſens, quia adhuc tunc eſt præſens Deo, & præſentiam habet ſecum identificatam. 5

Obiicies primò. Etiamſi repugnet creaturam aliquam non dependere à Deo, dependet per actionem ſuperadditam: ergo etiamſi repugnet non eſſe Deo præſentem, erit præſens per modum ſuperadditum. Reſpondeo, diſparem eſſe rationem, quia licet repugnet creaturam non dependere à Deo, noſcimus eandem creaturam poſſe diuerſo modo dependere, & indifferentiam habere ad dependendum per eductionem aut per creationem, ex quo inferimus in actu ſecundo non dependere per ſuam entitatem, ſed per aliquid ſuperadditum, nunquam autem nouimus creaturam habere indifferentiam ad habendam diuerſam approximationem cum Deo. Secundò quod valdè notatu dignum eſt. Dependentia ſuperaddita, quam damus creaturæ reſpectu, Dei, non ſupponit exiſtentiam creaturæ, & ita non poſſumus arguere: dependentia eſt ſuperaddita: ergo poteſt creaturæ iam exiſtenti aduenire, non enim eſt creatura iam exiſtens ante dependentiam. Approximatio autem ſi conſtitueretur in præſentia ſuperaddita, conſtitueretur in aliquo, quod ſupponit creaturam iam exiſtentem, ex qua ſuppoſitione licet inferri illam 6

approxima

approximationem poſſe creaturæ non aduenire, & illam poſſe non eſſe intimæ Deo præſentem, ac proinde vt dicatur repugnare creaturæ non eſſe intimè præſentem Deo, ponenda eſt hæc intima præſentia non in aliquo poſteriori ipſa creatura, quod illi poteſt non aduenire, arguimus enim ex eo quod præſentia ſit ſuperaddita creaturæ, poſſe creaturam exiſtere abſque omni præſentia, & non poſſemus arguere: actio eſt diſtincta ab effectu: ergo effectus poteſt eſſe ſine omni actione, quia eo ipſo, quod ſit effectus ſupponit actionem, & non ſupponitur ad illam; entitas verò, quæ præſens conſtituitur non ſupponit præſentiam ad ſuam exiſtentiam, potiùs ſua exiſtentia ad præſentiam ſupponitur.

7 Obiicies ſecundò. Creaturam eſſe præſentem Deo nihil aliud eſt quam eſſe in eodem ſpatio cum Deo: ſed creatura ſine præſentia non eſt in ſpatio: ergo non eſt in eodem ſpatio cum Deo. Reſpondeo negãdo primum antecedens, iam enim probaui Punct.3. Deum non eſſe in ſpatio. Fateor ſemper nos concipere intimam præſentiam per ordinem ad ſpatium, & vix poſſe hoc ordine ſecluſo de illa loqui, conſtat tamen rationibus, quibus ſpatium imaginarium impugnauimus non dari talem ordinem, quapropter in re admittendus non eſt, licet ſine illo rem concipere non poſſimus.

PVNCTVM IX.

An corpus poſſit eſſe circunſcriptiuè in duplici loco.

1 COrpus eſſe in duplici loco definitiuè, & in vno circunſcriptiuè, & definitiuè in altero, ſanctum eſt fide, quia docemur Chriſtum eſſe in Cœlo circunſcriptiuè, & definitiuè ſub ſpeciebus panis in omnibus locis, in quibus celebratur ſacramentum Euchariſticum. Procedit quæſtio de duplici præſentia circunſcriptiua. Defendunt partem negatiuam Sanctus Thomas, D. Bonauentura, Capreolus cum aliis Thomiſtis, quos refert Pater Soar tom.3. in 3. part. diſp.48.ſect.4.quibus conſentit Pater Vaſquez 3.part. diſput.169.cap.5. Affirmatiuam partem, quam veriſſimam eſſe cenſeo, defendit Pater Soar cum Scoto & aliis plurimis, quos ipſe refert ibid. quibus adde Patrem Vaſquium tom.4.diſput.6. quæſt.3. part.1.§.23.qui ait oppoſitam ſententiam à Catholicis reiici, vt minùs congruentem veritati fidei; Conimbr.lib.4. Phyſic. cap.5.q.5.art.2.Rub. lib.4. Phyſic. Ægid.Conink ad quæſt.75.3.part.art.4.diſt.3. Hurt. diſput.14. ſect.5. Arriag. diſput.14. ſect.8. ſubſectione 2.

2 Concluſionem ſuprà traditam probo. Repugnantia eiuſdem corporis in duplici ſpatio tantùm oritur ex incompoſſibilitate formarum, quarum vna petit vt Deus ſubtrahat concurſum, quo conſeruabat alterã: ergo poterit Deus vincere hanc incompoſſibilitatem praſtando concurſum, quem ſubtrahi altera forma petebat, exigentia enim formæ non cogit Deum, ita vt non poſſit contra talem exigentiam operari. Secundò probatur à paritate præſentiæ definitiuæ: ſicut enim corpus poteſt habere vnam præſentiam definitiuam, & aliam circunſcriptiuam, & duplicem definitiuam, & duplicem circunſcriptiuam habere poterit, quia non eſt maior oppoſitio præſentiæ circunſcriptiuæ cum alia circunſcriptiua, quàm definitiuæ cum definitiua, & cum alia circunſcriptiua. Vltimò confirmanda eſt concluſio ex eo quod nullam inuoluat repugnantiam corpus in duplici loco circunſcriptiuè exiſtens, quod ſolutiones argumentorum euincent.

3 Obiic. primò. De ratione præſentiæ circunſcriptiuæ eſt conſtituere corpus intra hoc ſpatium, ita vt non poſſit eſſe extra illud: ergo poſito corpore circunſcriptiuè in hoc ſpatio non poteſt eſſe extra illud: ergo non poteſt eſſe in alio. Hæc obiectio videtur impugnare Euchariſtiæ myſterium, quia ſi de ratione corporis præſentis circunſcriptiuè eſt, vt corpus non ſit in alio ſpatio, de ratione præſentiæ circunſcriptiuæ, quam Chriſtus habet in Cœlo erit ita conſtituere corpus Chriſti in ſpatio cœleſti, ità vt non poſſit eſſe in alio: ergo non poterit eſſe in Euchariſtia: peſſimum conſequens, & illatio ad homines facta contemnenda. Dices de ratione præſentiæ circunſcriptiuæ eſſe vt corpus non ſit in alio ſpatio circunſcriptiuè, non verò vt non ſit in alio definitiuè. Catholicè dictum non tamen philoſophicè. Vnde hanc differentiam colligis? præſentiæ enim primarius effectus totus eſt poſitiuus, videlicet conſtituere corpus in hoc ſpatio, hoc autem quod eſt non eſſe in alio eſt quid negatiuum extra formalem rationem poſitiuæ præſentiæ, licèt hæc poſitiua præſentia illam exigat negationem eo modo, quo calor exigit negationem frigiditatis quæ omninò eſt extra conſtitutiuum caloris, & præſentia circunſcriptiua æquè exigit negationem aliûs præſentiæ definitiuæ, & aliûs circunſcriptiuæ in eodem ſubiecto, quia naturaliter cum vtraque incompoſſibilis eſt. Ad argumentum in forma negandum eſt primum antecedens, vel diſtinguendum maioris claritatis gratia: de conceptu præſentiæ circunſcriptiuæ eſt conſtituere corpus in hoc loco, ita vt non ſit in alio, diſtinguo: de conceptu primario inſeparabili, nego antecedens, de hoc enim tantùm eſt conſtituere corpus in hoc ſpatio, adde ſi placet, & exigere vt non ſit in alio, quod totum eſt quid poſitiuum: de conceptu ſecundario & ſeparabili à primario tanquam effectus à cauſa, ſicuti ſeparari poteſt expulſio caloris ab informatione frigiditatis, concedo antecedens: deinde nego conſequentiam.

Obiicies ſecundò. Si corpus poneretur in duplici loco diuideretur & ſepararetur à ſe ipſo, hoc implicat: ergo implicat poni in duplici loco. Quam ſeparationem potes inuenire in duplici præſentia circunſcriptiua, quam meditari non poſſis in duplici definitiua reſpectu eiuſdem corporis? Non vacat hæc latiùs expendere. Reſpondeo: corpus non diuidi per repetitionem præſentiarum, neque à ſe ipſo ſeparari, ſi ſeparatio dicat aliquid negatiuum, ſeu negationem alicuius approximationis, quia totum corpus, quod erat in hoc ſpatio, ſeruatâ totâ approximatione, quam ſecum ipſo, & cum aliis corporibus habebat, ponitur in alio loco per repetitionem, & multiplicationem præſentiarum, & non entitatis corporis ſecundùm ſe. 4

Obiicies tertiò. Non poteſt corpus occupare ſpatium maius illo, ſed ſi haberet duplicem præſentiam occuparet ſpatium maius illo: ergo non poteſt illam habere. Confirmatur: Corpus ex vi huius præſentiæ circunſcriptiuæ commenſuratur cum ſpatio, ita vt totum correſpondeat toti ſpatio, & pars corporis parti ſpatij, & non vltrà: ergo poſita hac commenſuratione corpus non poſſet vltra hoc ſpatium. Vltrà: corpus per præſentiam circunſcriptiuam conſtituitur intra hoc ſpatium: ergo non poteſt eſſe extra illud: ergo non poteſt eſſe in alio permanente hac præſentia. Reſpond. corpus non poſſe occupare per vnam tantùm præſentiam ſpatium maius illo, poſſe tamen per duplicem præſentiam occupare ſpatium duplo maius illo, quia ex vi cuiuſcumque præſentiæ occupat ſpatium ſibi æquale, & duo ſpatia, quorum quodlibet eſt æquale corpori, ſimul ſumpta illud excedunt. Alio modo dicito corpus cum duplici præſentia non occupare ſpatium aliquod maius illo, ſed duo ſpatia, quorum quodlibet eſt æquale, quæ non vnum conſtituunt, quia ſpatia per ordinem ad præſentiam diſtinguimus, & ſicuti duplex præſentia circunſcriptiua non vnam maiorem conſtituit, ita neque duplex ſpatium his præſentiis reſpondens non conſtituit vnum maius, ſed eſt duplex, illorumque quodlibet æquale locato. Ad confirmationem dico corpus ex vi præſentiæ circunſcriptiuæ commenſurari huic ſpatio, ita vt non correſpondeat alij ſpatio per eandem præſentiam, quod verò per aliam præſentiam alij ſpatio correſpondeat, vel non correſpondeat, non pertinet ad rationem formalem conſtitutiuam huius præſentiæ. Ad illud, quod vltimò additur, dico corpus per præſentiam circunſcriptiuam conſtitui intra hoc ſpatium, qua permanente non poteſt eſſe extra, ſi illud *extra* importet negationem, hoc eſt corpus non exiſtere in hoc ſpatio, poſſe tamen eſſe extrà, ſi dicat aliquid poſitiuum, videlicet eſſe in ſpatio diſtincto ab iſto. 5

Obiicies quartò. Si corpus poſſet eſſe in duplici loco, poſſet eſſe vbique: ergo poſſet eſſe immenſum, quod eſt abſurdum, quia immenſitas eſt propria Dei. Qui rationibus his fidunt, exiſtimarent illarum non fugere difficultatem, ſi illas omitteremus: hac de cauſa illas refero, etſi nihil difficultatis in illis inueniam, quod quiſque malè terminis philoſophicis cinctus non diſſoluet. Argumentum non retorqueo in præſentiis definitiuis, quia me vellem ad difficiliora ſeruare. Reſpondeo dato corpore poſſe eſſe vbique, adhuc non inferri eſſe immenſum, quia eſſet vbique per repetitionem præſentiarum diſtinctarum, immenſitas autem Dei eſt vna ſimplex entitas. Secundò immenſitas Dei eſt identificata cum ipſo Deo infinita & 6

indefectibilis, præſentiæ autem, ex vi quarum creatura eſſet vbique eſſent diſtinctæ à creatura finitæ & defectibiles. Dedi corpus poſſe vbique poni, quia difficultatem propoſitam ſoluendam nihil referebat, ne modò difficiliores mouerem quæſtiones, licèt ita contingere non poſſit, quia non poteſt dari corpus infinitè extenſum, neque ita extenſum vt non poſſit magis extendi, vt probaui Contronerſia 14. Puncto 4.

7 Vidit Pater Vaſquez fundamenta Thomiſtarum, cum quibus in hac ſententia fœdus interat, ſolida non eſſe, quapropter aliud ſibi quæſiuit, neſcio an efficacius aliis. Sic arguit: ſi corpus poſſet poni in duplici loco, poſſet in vtroque naturaliter moueri: ſed implicat corpus naturaliter moueri duplici motu: ergo implicat poni in duplici loco. Antecedens probatur: corpus poſitum in duplici loco vtrobique haberet grauitatem: ergo vtrobique grauitaret, vt moueretur: ergo moueretur vtrobique: ergo duplici motu, non enim poteſt corpus in duplici ſpatio diſtanti ſimplici motu moueri. Reſpondent nonnulli corpus poſſe naturaliter duplici motu moueri ex ſuppoſitione quod fuerit in duplici ſpatio conſtitutum. Non aſſentior, quia duæ præſentiæ acquirendæ eſſent per duplicem motum, & vna peteret negationem alterius, etiamſi duæ aliæ præceſſiſſent, quod per accidens ſe habet reſpectu harum præſentiarum, non enim ex eo quod illæ præceſſerint amittent iſtæ incompoſſibilitatem, quam habent ex natura ſua: ergo etiamſi aliæ præceſſerint non poterunt iſtæ naturaliter in eodem ſubiecto componi: ergo non poterunt ſimul ab agenti naturali in eodem ſubiecto produci. Reſpondent alij corpus nullibi mouendum eſſe, quia non poteſt vtrobique moueri, & non eſt maior ratio vt moueatur in hoc loco quàm in illo. Diſplicet etiam hic dicendi modus, quia ſi non ſit maior ratio vt moueatur corpus in hoc ſpatio, quàm in illo, Dei erit decernere ſpatium per quod ſit mouendum, & præſentiam producendam in corpore ſe mouente, quia ſicuti cùm tantùm eſt applicatum vt moueatur per hoc ſpatium, decernit Deus præſentiam producendam ex pluribus, quas poteſt producere in eodem ſpatio, inter quas non eſt maior ratio, vt potius hæc quàm illa producatur: Sic quando eſt corpus applicatum ad producendas præſentias in duplici ſpatio decernet Deus vnam præſentiam producendam, ex illis, quas poteſt in vtroque ſpatio producere.

8 Reſpondeo Deum conſeruantem ſeu producentem duplicem præſentiam in eodem corpore vtramque ſimul conſeruare contra exigentiam alterius, quia vtraque mutuò petit alterius corruptionem, quod ſi Deus non tantùm decreuit conſeruare has præſentias contra exigentiam mutuam, quam habet quælibet vt deſtruatur altera, ſed etiam contra exigentiam cuiuſcumque aliûs agentis naturalis, tunc corpus non poſſe moueri ab aliquo agenti naturali, quia corpus non poteſt nouam præſentiam acquirere, niſi deſtruendo præcedentes: ergo ſi præcedentes deſtrui non poſſunt ab aliquo agẽti, non poteſt ab aliquo noua alia produci. Idem contingeret ſi Deus decreuiſſet independenter à quocumque agente naturali oppoſitum exigente conſeruare præſentiam vnicam, quam modò habeo, tunc enim à nullo agenti naturali poſſet moueri, quia non poteſt fieri motus, aut acquiſitio nouæ præſentiæ niſi per deſtructionem præcedentis in eodem ſubiecto. Si verò Deus conſeruaret duplicem illam præſentiam, etſi independenter ab exigentia mutua, quam quælibet haberet ne conſeruaretur altera, dependenter tamen ab aliis cauſis naturalibus, quæ ex ſe haberent virtutem ad illas præſentias producendas, tunc corpus naturaliter moueretur, & acquireret nouam præſentiam, ex vi cuius corrumperentur duæ, quas antea habuerat. Corpus eſſe mouendum probatur ex eo quod grauitaret, & ex ſe haberet virtutem ad producendam præſentiam, & duplex præſentia præcedens illius productionem non impediret, quia ſi ob aliquam rationem duplex præſentia impediret productionem aliûs, maximè quia alia producenda eſſet incompoſſibilis cum illis: hæc tamen ratio ſufficiens non eſt, quia etiam quando corpus habet vnicam præſentiam, illa eſt incompoſſibilis cum alia ventura, & tamen non impedit illius productionem, ſed deſinit eſſe ad aduentum aliûs, ſic contingeret duplici illi præſentiæ, quia formæ incompoſſibiles non ex eo quod incompoſſibiles ſunt, impediunt efficaciter productionem, aliàs nunquam expellerentur, ſed tantùm infertur ex incompoſſibilitate non conſeruari ſimul omnes, ſed corrumpi antiquas adueniente alia incompoſſibili. Corrumpendam eſſe vtramque præſentiam antiquam aliâ adueniente, facilè probatur, quia cùm noua adueniens non poſſit naturaliter componi cum aliqua alia præſentia exiſtenti in eodem ſubiecto, petit nullam conſeruari in eodem ſubiecto, ac proinde omnem præexiſtentem corrumpi.

Ad argumentum adductum ad probandum corpus vtrobique eſſe mouendum, Reſpondeo, corpus vtrobique petere moueri in altero ſpatio, non tamen vtrobique petere moueri vtrobique, hoc eſt habere in vtroque loco exigentiam mouendi ſe in altero, non verò habere in aliquo exigentiam ſe mouendi in vtroque, quia tantùm exigit id, quo indiget ad ſui conſeruationem, & quod naturaliter poteſt habere; cùm autem tantùm exigat ad ſui conſeruationem acquirere proprium centrum, quod per motum in vnico tantùm ſpatio exercito poteſt acquirere, & cùm tantùm poſſit naturaliter vnicum habere motum, ſit tantùm exigere moueri in vnico ſpatio, licet hæc exigentia ſit in omni loco in quo eſt corpus. Si roges in quo ſpatio moueretur? Reſpondeo cæteris paribus mouendum eſſe in ſpatio centro viciniori, quia corpus ſemper tendit in centrum per lineam breuiſſimam; ſi autem in vno ſpatio ſit minor reſiſtentia medij quàm in alio, hæc minor reſiſtentia ad motum conducet vt potiùs in hoc ſpatio fiat, quàm in illo, exempli gratiâ: ſi lapidem ponas Romæ in medio aëris, & Matriti ſupra ſaxum ingens, etiamſi breuior ſit via in centrum per ſpatium Matritanum quàm per Romanum, per hoc fiet motus, & non per illud, quia lapis valens vincere reſiſtentiam aëris Romæ non valet Matriti vincere reſiſtentiam ſaxi impedientis motum. Si verò omnia ſint paria, decernet Deus in quo ſpatio ſit corpus mouendum. Hæc de motu grauium, & leuium; viuentia autem poterunt ſe determinare vt moueantur potiùs in hoc ſpatio, quàm in illo, ſicut ego modò indifferens vt mouear verſus Orientem, vel Occidentem, liberè motum verſùs Orientẽ dirigo. 9

PVNCTVM X.

De accidentibus corporis exiſtentis in duplici loco.

VAria ſunt accidentia de quibus in quæſtionem vertitur, an poſſint, & debeant comitari vtrobique corpus exiſtens in duplici loco: quædam dependentia à loco ſicuti præſentia, & motus, ex vi cuius hæc producitur: alia independentia à loco ſicuti calor, & frigiditas: quædam dependentia in conſeruari à cauſis primò producentibus, ſicuti lux & ſpecies miſſæ ab obiectis externis ſenſibus; alia quæ hanc dependentiam ignorant. De his omnibus quid tenendum ſit diſtinctè explicabo. 1

§. I.

De accidentibus dependentibus à loco.

NIhil hucuſque certius fuerat in Philoſophia, quàm præſentias eſſe omnino immobiles, ita eſſentialiter affixas huic ſpatio, vt illis repugnaret in alio exiſtere, ac proinde implicare corpus Romæ habere præſentiam, ex vi cuius Matriti conſtituitur. Eo tamen ingenio pollent Noſtri Magiſtri vt nouas quotidie ſolidis fundamentis quæſtiones excitent, quæ priſcos latuère Doctores. 2

Affirmant doctiſſimi recentiores corpus poſſe habere Romæ eandem præſentiam, quam habet Matriti, non quia ex vi vnius præſentiæ Matriti, & Romæ conſtituatur, ſed quia poſtquam ex vi vnius præſentiæ eſt Romæ conſtitutum, & ex vi aliûs Matriti conſtituitur, poteſt fieri præſens Romæ, & ſimiliter præſentia ex vi cuius Romæ exiſtit poteſt Matriti fieri præſens. Fundamentum recentiorum hoc vnicè eſt: Ex eo quod præſentia per ſe ipſam eſſentialiter reſpiciat hoc ſpatium tantùm infertur non poſſe non illud reſpicere, hoc tamẽ non impedit poſſe aliud reſpicere per modum ſibi ſuperadditum, ita vt duplex ſpatium ſimul reſpiciat, vnum per ſe ipſam eſſentialiter, quod non poteſt non reſpicere, aliud accidentaliter per modum ſuperadditum, quod poteſt non reſpicere deficiente modo illo ſuperaddito. Exemplum non incongruum huic materiæ miniſtrat vnio integralis partium quantitatis quæ per ſe ipſam reſpicit extrema, quæ vnit partes videlicet quãtitatis, & per modũ ſuperadditũ materiæ primæ vnitur. 3

Sic

Sic volunt iſti recentiores in præſentiis contingere per ſe ipſas reſpicientibus hoc ſpatium,& potentibus per modum ſuperadditum aliud ſpatium reſpicere. Eandem doctrinã inuenio apud Arriaga.diſp.4. Metaph.ſect.13. ſubſect.2. vbi ait probabiliter dici poſſe ſubſtantiam creatam, etiamſi ſit modus propriæ naturæ, poſſe naturam alienam terminare per modum alium ſuperadditum, ita vt terminet duplicem naturam : propriam per ſe ipſam eſſentialiter, alienam accidentaliter per modum ſuperadditum. Negat autem Arriaga id poſſe in præſentiis contingere,& tanquam certum ſtatuit diſp.14. Phyſicæ ſect.9. non poſſe corpus habere in hoc loco præſentiam , quam habet in alio , in quo conſequentiam ego deſidero,eadem enim eſt ratio de præſentiis reſpicientibus eſſentialiter hoc ſpatium , & de ſubſiſtentiis reſpicientibus eſſentialiter hoc ſubiectum,etſi hæ poſſint per modum ſuperadditum extraneum ſubiectum reſpicere retento reſpectu ad proprium ipſis identificato. Similiter præſentiæ poterunt reſpicere per modum ſuperadditum ſpatium alienum retento reſpectu ad proprium cum illis identificato. Conſequentius philoſophati ſunt alij Magiſtri, qui eodem modo de omnibus hanc doctrinam tradunt & affirmant actionem per ſe ipſam dependentem ab hoc principio , hac dependentia retenta poſſe per modum ſuperadditum ab alio dependere.

3 Affirmo cum communi ſententia præſentiam reſpicientem hoc ſpatium non poſſe neque de potentia Dei abſoluta aliud reſpicere per modum ſuperadditum , & ita non poſſe corpus habere Romæ præſentiam,quam habet Matriti. Mouet me ad hanc ſententiam defendendam conſenſus omnium Doctorum in hac re , & debile fundamentum, cui oppoſita innititur , ea enim quæ contra communem ſententiam traduntur ſingulari ratione debent probari, non pura argumentorum euaſione,præter quam nihil inuenio,quod hanc ſingularem propugnet ſententiam.Secundò illa quæ conſequenter ſatis ad hanc doctrinam dicuntur de actione terminante aliam actionem , illam nihil difficiliorem reddunt,& pluribus abſurdam eſſe ſuaderent,actionis enim actionem dari nullus hucuſque probatus Philoſophus non abſurdum eſſe putauit. Inſuper quis non rideret hominem dicentem poſſe præſentiam quam modò hic habeo fieri Romæ præſentem me tantùm Compluti exiſtente ? quod inferri ex hac ſententia ſic ſuadeo : Si modò præſentiam hanc quam habeo Compluti poneretur Romæ per modum ſuperadditum , illa eſſet Romæ,vt ſupponimus & ego non eſſem Romæ per præſentiam,quam hìc habeo, & denuo Romæ eſt poſita , quia licet ipſa modò ſit Romæ, & antea non fuiſſet , tamen intrinſecè eadem eſt, & non poteſt per ſe ipſam præſtare effectum,quem antea non præſtabat , quidquid enim entitas præſtabat per ſe ipſam quocumque alio adueniente,vel deficiente ſemper præſtat , ſed antequam haberet illum modum non me Romæ conſtituebat:ergo neque modo per ſe ipſam me Romæ conſtituet. Neque ego caſu poſito eſſem Romæ per modum ſuperadditum meæ præſentiæ,quia ille modus non eſt modus mei, ſed meæ præſentiæ : ergo non me , ſed meam præſentiam præſentem conſtituet : ergo ex eo quod mea præſentia ſit Romæ per modum ſuperadditum , ego ex nullo capite ero Romæ : ergo ſecundum hanc ſententiam poteſt mea præſentia eſſe Compluti & Romæ & ego tantùm Compluti. Quod ſi quis hoc velit deuorare,audacia non ingenio vinceret eos, qui à communi Philoſophorum conſenſu ſine fundamento recedere nolunt.

4 A priori impugnanda eſt hæc ſententia ex incapacitate præſentiæ ad recipiendam aliam,& ad determinandam vnionem cum alia præſentia , quam incapacitatem infero ex eo quod nullum ſit fundamentum ad affirmandum præſentias talem capacitatem habere , quod ſaltem reſpectu exiſtentium mihi firmum eſt , non enim debemus ſine poſitiuo fundamento virtutes ignotas entitatibus concedere. Secundò quia præſentia ex ſua natura eſſentialiter ordinatur vt ſubiectum præſens conſtituat , & ſpatium reſpicit propter ſubiectum vt illud in tali ſpatio conſtituat : ergo tantùm poteſt reſpicere ſpatium,in quo poteſt ſubiectum conſtituere:ſed præſentia quam habeo Compluti non poteſt me conſtituere in ſpatio Romano , quod per ſe non reſpicit , quia præſentia tantùm conſtituit corpus in ſpatio, quod per ſe reſpicit : ergo non poteſt reſpicere ſpatium Romanũ , adhuc per modum alium ſuperadditum. Vltimò impugnatur hæc ratio,ratione , qua ſæpè vſus ſum ad probandum non poſſe vnam actionem aliam tanquam terminum reſpicere , quia ex natura ſua eſſet ſuperflua , ſemper enim terminũ reſpiceret,quia illa ablata eſſet per ſe ipſam exiſtens , quod etiam contingeret in præſentia afficiente aliam quæ ſubiectum efficeret per ſe ipſum in ſpatio conſtitutum independenter à præſentia ſuperaddita.Hæ rationes non ita rem demonſtrant,vt non poſſit quis facilè reſpondere , veruntamen nullam adducunt , qui oppoſitam ſententiam defendunt,quæ cum illarum aliqua poſſit comparari , illiſque accedit totius ſcholæ conſenſus circa concluſionem, quam propugno , quibus inconcuſſa debet ſtare ſententia ab omnibus admiſſas.

5 Ad exemplum adductum de vnione integrali quantitatis, quæ per ſe ipſam reſpiciens partes quantitatis per aliam vnionem reſpicit materiam , Reſpondeo,ſpeciale eſſe fundamentum ad hanc doctrinam admittendam in omnibus, quâ caremus in actionibus , & præſentiis , conſtat enim vnionem integralem quantitatis vniri materiæ & ſeparari ab illa : ex quo rectè inferimus terminare aliam vnionem ſuperadditam , nunquam autem experti ſumus præſentiam aliquando reſpicere , & aliquando non reſpicere ſpatium diſtinctum ab illo , quod ſemper per ſe ipſam reſpicit , ſicuti neque experti ſumus actionem aliquando dependere, & aliquando non dependere à diſtincto principio ab illo, à quo ſemper per ſe ipſam dependet : vbi autem diuerſum eſt fundamentum , diuerſa eſt philoſophandi ratio ſeruanda. Ratio huius diuerſitatis hæc eſto : Præſentia huius ſubiecti tantùm ordinatur ad ſubiectum præſens conſtituendum,& ita tantùm poteſt reſpicere ſpatium , in quo ſubiectum conſtituit vt ſuprà dicebam. Vnio verò integralis quantitatis non tantùm eſt propter vniẽdas partes quantitatis,quas afficit,ſed propter cõſtituendum quantum ſubiectum , ac proinde præter partes quantitatis,quas per ſe ipſam reſpicit , poteſt reſpicere ſubiectum , quod quantum conſtituit , quia materia prima non tantùm quanta conſtituitur partibus integralibus quantitatis, ſed etiam vnionibus earundem partium , tota enim quantitas ſecundùm partes,& vniones,quas includit materiam quantificat.

§. II.

Quæ accidentia poſſit corpus bilocatum habere vtrobique.

6 PRIMA CONCLVSIO. Omnia accidentia , quæ propter ipſorum incompoſſibilitatem formalem , aut propter incapacitatem ſubiecti non poteſt corpus habere ſimul naturaliter , aut ſupernaturaliter in eodem loco , eodem modo illa habere non poterit , etiamſi in duplici loco conſtituatur. Exempli gratia : non poteſt corpus naturaliter in vno loco eſſe calidum vt octo , & frigidum vt octo , neque conſtitutum in duplici loco poterit naturaliter eſſe in vno calidum vt octo, & frigidum vt octo. Similiter in probabili ſententia non poteſt homo etiam ſupernaturaliter in vno loco conſtitutus habere aſſenſum , & diſſenſum circa idem obiectum , neque ſupernaturaliter poterit poſtquam fuerit in duplici loco conſtitutus , in vno aſſentiri , & diſſentiri in alio circa idem obiectum. Ratio facilis eſt:incompoſſibilitas formarũ non eſt in ordine ad ſpatium commune, ſed in ordine ad ſubiectum commune : ergo quantumuis loco ſeparentur,ſi ſubiectum commune maneat , habebunt eandem incompoſſibilitatem , & eandem repugnantiam inter ſe , quia calor introductus in hoc ſubiectum non petit præcisè ne frigiditas informet ſubiectum in hoc loco , ſed abſolutè petit ne frigiditas informet ſubiectum , ſeu negationem frigiditatis informantis hoc ſubiectum , quod eſt petere ne frigiditas in hoc loco, neque in aliquo alio ſubiectum informet. Similiter quando ſubiectum ex defectu capacitatis non poteſt dum extitit in vno loco duplicem formam recipere , etiamſi in duplici loco conſtituatur manet cum eadem incapacitate : quia nóua præſentia non addit nouam capacitatem ſubiecto : ergo ſi non poterat duplicem illam formam in vno loco recipere ex defectu capacitatis , neque in duplici loco poterit formas illas recipere. Quod ſi non poſſe duplicem formam recipere ſubiectum exiſtens in vno loco , non ex defectu capacitatis, ſed ex defectu applicationis proueniret , illas poſſet recipere exiſtens in duplici loco , quia iam noua applicatio per nouam præſentiam illi adueniret,ex defectu cuius non poterat formas illas recipere. Rem declaret exemplum : non poteſt idem ignis calefacere duo corpora, quorum vnum Romæ,alterum exiſtit

Digitized by Google

Matriti, non ex defectu virtutis quia ſi vtrumque corpus Matriti exiſteret, poſſet calefieri ab igne, quem ſuppono Matriti exiſtere, ſi autem illi igni noua addatur præſentia, ex vi cuius Romæ conſtituatur, poterit vtrumque calefacere.

7 Ex hac concluſione infero, quod ſi corpus exiſtens Matriti, & Romæ vtrobique calidum, vel tantùm Romæ, frigefieret, calorem à ſubiecto eſſe expellendum non tantùm Matriti, ſed etiam Romæ. Rationem dedi: frigiditas petit negationem caloris in hoc ſubiecto: ergo petit ne calor Matriti, neque Romæ ſubiectum informet. Secundò frigiditas petit corruptionem caloris: ergo petit calorem nullibi manere, quod enim alicubi manet corruptum non eſt. Obiicies ſequi ex hac doctrina agens naturale naturaliter agere in diſtans. Reſpondeo agens naturale poſſe naturaliter agere in paſſum diſtans, quando paſſum non tantùm eſt diſtans, ſed etiam propinquum vt contingeret in noſtro caſu. Secundò, reſpondeo frigiditatem corrumpentem calorem non agere phyſicè ſed moraliter, quia corruptio caloris non phyſicè, ſed tantùm moraliter ab informatione frigiditatis procedit, & inconueniens non eſſet agens naturale moraliter agere in paſſum diſtans.

8 Secvnda conclvsio. Omnia accidentia abſoluta à loco, quæ non dependent in conſeruari à ſuis cauſis poſſunt naturaliter corpus vtrobique comitari (dico naturaliter ſecluſo miraculo ponendi eandem entitatem in duplici loco, quod in hac materia ſupponitur.) Ratio eſt perſpicua; accidentia illa non ſunt affixa loco: ergo poſſunt in quocumque loco conſtitui, aliàs ſunt capacia duplicis præſentiæ: ergo poſſunt eſſe in duplici ſpatio, in quo corpus cui inhæret fuerit conſtitutum: ergo poſſunt corpus bilocatum vtrobique comitari.

9 Tertia conclvsio: Etiamſi accidentia dependeant in conſeruari à cauſa in vno tantum loco applicata corpori bilocato poſſunt vtrobique naturaliter corpus comitari. v.g. potentia viſiua exiſtens Matriti, & Romæ poteſt vtroque habere ſpeciem impreſſam dependentem in conſeruari à colore Romæ tantum exiſtenti: Hæc concluſio poteſt duobus modis defendi. Primò dici poteſt ſpeciem impreſſam productam à calore exiſtente Romæ non egere actione exiſtente Matriti terminata ad ipſam exiſtentem Matriti, ſed ſufficere actionem eſſe Romæ tantum intimè præſentem ſpeciei, vt ipſa ſpecies poſſit eſſe Romæ & Matriti. Secundò dici poſſet actionem, & terminum eſſe Matriti, & Romæ, etiamſi principium effectiuum talis actionis tantùm ſit Romæ, quia actio vt ſit in duplici lono non indiget vtroque eſſe principio applicatam, ſed ſufficit in vno loco hanc habere applicationem, vt in multiplici eſſe poſſit. Vtroque modo concluſionem defendam. Aſſero actionem tantùm indigere eſſe applicatam principio in vno ſpatio, vt poſſit eſſe in multiplici, quod ſic probo. Vt actio dependeat à ſuo principio tantùm indiget eſſe illi approximatam: ergo modò ſit illi approximata poterit ab illo dependere etiamſi ſit diſtans. Confirmatur: eatenus diſtantia poteſt eſſe impedimentum vt actio dependeat ab agente, quatenus impedit approximationem, ſed caſu quo actio in vno ſpatio eſſet approximata de facto, diſtantia non impediret approximationem hanc dependere ab agenti, ſeu non eſſet impedimentum, ne exiſteret actio, quæ per ſe ipſam ab agente dependet. Confirmatur: approximatio actionis ad ſuum principium tantum eſt conditio ad ſubſtantiam actionis: ſed ſubſtantia actionis intrinſecè eſt omnino eadem, ſiue ſit in duplici loco, ſiue in vno: ergo eaſdem omnino conditiones requirit ad ſubſtantiam ſuæ exiſtentiæ, ſiue ſit in vno loco, ſiue in multiplici: ſed quando eſt in loco vno tantùm petit eſſe approximatam in vno loco: ergo quando eſt in duplici præciſè ad ſubſtantiam actionis tantùm petit eſſe approximatam in vno loco principio, à quo procedit: ergo ſubſtantia eadem actionis exiſtens in duplici loco contenta erit ad ſui exiſtentiam, modo in vno loco ſit approximata agenti.

10 Dices actionem indigere duplici approximatione cum ſuo principio, non præciſè ſed ad exiſtendum in duplici loco. Contrà; indigere duplici approximatione non ad exiſtendum, ſed ad exiſtendum in duplici loco eſt indigere duplici approximatione, non actionē ipſam, ſed duplicem illam præſentiam, ex vi cuius actio ponitur in duplici loco: ſed duplex illa præſentia non indiget duplici approximatione actionis ad ſuum principium: ergo neque actio ratione ſui, neque ratione præſentiarum indiget duplici approximatione ad ſuum principium vt poſſit eſſe in duplici loco. Minorem probo: cætera patent: præſentiæ afficientes actionem tantùm exigunt approximationem cum principiis à quibus procedunt, non cum principio actionis, quam afficiunt: ergo præſentiæ afficientes actionem cum producantur à Deo, & non à principio producente actionem, non exigent approximationem cum principio producente actionem: ergo actio ratione præſentiarum quas recipit à Deo productas, & non à principio, à qua ipſa procedit, non indiget aliqua approximatione cum ſuo principio: ergo ſi ratione ſui contenta erat vnica approximatione, eadem contenta erit, etiamſi habeat duplicem præſentiam à Deo productam.

Eodem modo defendo poſſe effectum exiſtere in dupli- 11
ci loco, etiamſi in vno tantùm ſit approximatus actioni. Probatur à paritate actionis vnica tantùm applicatione indigentis cum ſuo principio, vt ſit in multiplici loco. Non magis dependet terminus ab actione, quàm actio à principio, neque maiori indiget applicatione terminus cū actione, quàm actio cum principio: ſed actio poteſt eſſe in duplici loco, etiamſi principium tantùm ſit in vno: ergo terminus poterit eſſe in duplici loco, etiamſi actio tantùm ſit in vno. Redeunt etiam rationes ſuprà factæ, quia approximatio inter actionem, & terminum tantum eſt conditio ad exiſtentiam ſubſtantiæ termini ſecundùm ſe, ſed ſubſtantia termini eſt eadem in duplici loco, & in vno: ergo eadem applicatione erit contenta in duplici loco, ac in vno, ſed terminus exiſtens in vno loco vnam applicationem tantùm expoſcit: ergo eandem, & non aliam exiget, etiamſi exiſtat in duplici loco. Secundò, diſtantia eatenus tantùm obeſt, quatenus impedit approximationem, ſed dum terminus ſit approximatus actioni in hoc ſpatio nulla diſtantia oberit termino, vt per actionem eſſe recipiat: ergo poterit eſſe ex vi actionis hic approximatæ, etiamſi eadem actio ex vi alius præſentiæ diſtet ab agente.

Obiicies: Actio exiſtens Matriti, & Toleti prout exi- 12
ſtens Matriti & Toleti dependet à ſuo principio: ergo prout exiſtens Matriti, & Toleti debet eſſe approximata ſuo principio: ergo non ſufficiet vt exiſtat Matriti, & Toleti, eſſe approximatam ſuo principio tantum Matriti. Eodem modo ſit argumentum de actione reſpectu termini: terminus exiſtens Matriti, & Toleti, prout exiſtens Matriti, & prout exiſtens Toleti dependet ab actione, ſeu per actionem, ex vi cuius producitur: ergo vt ſi Matriti, & Toleti vtrobique debet eſſe actioni approximatus, & non ſufficiet eſſe approximatum tantum Matriti. Reſpondeo actionem dependere à ſuo principio, ſeu per ſe ipſam, ac proinde vbicumque ſit habet ſecum identificatam dependentiam, & eſt eſſentialiter dependens, ad quam dependentiam exiſtentem in quibuſcumque locis ſufficiens eſt conditio, approximatio in vno loco. Ad formam argumenti Reſpondeo, Actio prout exiſtens Matriti dependet à ſuo principio, ſi illud *prout* reduplicet tantùm formalitatem actionis, concedo: ſi illud *prout* reduplicet ſupra actionem præſentiam, ex vi cuius eſt Matriti, ſicuti reduplicate videtur, nego; quia ſecundùm hanc rationem ab illo dependet, à quo dependet præſentia, ex vi cuius conſtituitur talis actio Matriti, hæc autem præſentia poteſt produci à Deo, & non dependere proximè à principio à quo procedit actio, ſed tantùm remotè, ſeu media actione, non tanquam cauſalitate, ſed tanquam cauſa materiali huius præſentiæ quæ dependet à ſuo principio. Eodem modo reſpondendum eſt eidem argumento in termino reſpectu actionis facto, terminus enim formaliter vt exiſtens Matriti reduplicando ly *vt* ſupra præſentiam, non dependet ab actione, ex vi cuius ipſe producitur, ſed ex vi cuius producitur præſentia per quam Matriti conſtituitur: quod ſi reduplicatio cadat ſupra terminum, per ipſam actionem quantumuis diſtantem dependebit vbicumque ſit.

Ex his infertur, poſita approximatione in hoc ſpatio in- 13
ter vnionem, & extrema, ſeu inter quemcumque alium modum, & ſuum ſubiectum, poſſe modum (loquor de entitatibus non affixis loco eſſentialiter) exiſtere in quocumque alio ſpatio, etiamſi non ibi ſubiectum comitetur, quia quantumuis ſtrictam approximationem exigat cum ſubiecto, dum in vno loco ſit approximatus illam obtinet, & nihil prohibet in alio eſſe diſtantem. Recognoſce rationes ſuprà factas de actione reſpectu principij, quæ eodem modo procedunt de termino reſpectu actionum.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De his, quæ neceſſariò vtrobique corpus comitantur.

14 DIxi iam quæ accidentia poſſint corpus exiſtens in duplici loco comitari in vtroque, dicam modò, quæ neceſſariò illud comitentur.

15 QVARTA CONCLVSIO. Quotieſcumque ſubiectum patitur aliquam corruptionem partis vel formæ inhærentis cuiuſuis modi, aut entitatis, eandem patietur vbicumque erit entitas illa corrupta, verbi gratia, erat corpus ſecundùm omnes ſui partes infinitas, & ſecundùm omnia accidentia ſibi debita Matriti, & Toleti, eo ipſo quod Toleti diuidatur brachium, Matriti continget eadem diuiſio, & eo ipſo quod Matriti corrumpatur pars aliqua ſubiecti, vel aliquod accidens illi inhærens, vt ſi Matriti moriatur, ſimiliter Toleti mori neceſſe erit, quæ omnia ita ſunt neceſſariò connexa, vt aliter de potentia Dei abſoluta contingere non poſſint. Ratio eſt facilis: brachium diuidi, ſeu corrumpi vnionem inter brachium & corpus, quod eſt idem, & corrumpi partem aliquam corporis vel accidens illi inhærens, ſeu viuens mori, non dicit tantùm negationem præſentiæ entitatis corruptæ in hoc loco, ſeu entitatem corruptam non eſſe in hoc loco, ſed entitatem non exiſtere in rerum naturæ: vnde vt dicatur hoc accidens alicubi corruptum, neceſſe eſt non eſſe illius entitatem in rerum natura, & conſequenter nullibi eſſe, quia quod non eſt exiſtens, alicubi eſſe non poteſt: ergo eo ipſo quod corrumpatur entitas exiſtens Matriti deſinit eſſe in rerum natura: ergo deſinit eſſe in omnibus locis, in quibus antea erat: ergo ſi erat Matriti, & Toleti deſinit eſſe, deſinit eſſe Matriti & Toleti: ergo implicat corrumpi entitaté exiſtentem in duplici loco, & non corrũpi in vtroque, cùm deſinat eſſe in vtroque, & in illo loco dicatur entitas corrumpi, quando incipit non exiſtere, in quo immediatè antea erat. Confirmatur: ſi exiſtente homine Matriti & Toleti, illius vnio deſineret eſſe Matriti, & Toleti permaneret, tantùm fuiſſet corrupta præſentia, quam habebat vnio Matriti, & non entitas vnionis, quæ Toleti permanebat: ergo ad hoc vt corrumpatur requiritur nullibi eſſe, ſeu permanere, & implicat vnionem corrumpi, & alicubi exiſtere.

16 Ex hoc inferes, quod ſi viuens ponatur Matriti, & Romæ, & poſtea deſinat eſſe Romæ illius forma, & tantùm ibi permaneat materia; Matriti verò perſeueret materia & forma, tunc dici non poſſe, viuens Romæ eſſe mortuum, bene tamen Romæ non viuere, quia Romæ non erat illius vita, quod ſufficit vt dicatur Romæ non viuere, non tamen vt dicatur mortuum eſſe, quia Romæ mortuum eſſe dicit immediatè antea Romæ extitiſſe, & modo non exiſtere in rerum natura. Sic de Petro modò Compluti tantùm exiſtente verè dicitur Romæ non viuere, & dici nequit Romæ eſſe mortuum, aliud enim eſt Romæ non viuere, aliud Romæ mori, vt ſæpe dixi. Hæc ſi attentè inſpiciantur, per ſe nota ſunt.

17 QVINTA CONCLVSIO. Naturaliter loquendo omnia accidentia independentia à loco, etiamſi dependeant in conſeruari à cauſis applicatis in vno tantùm loco, & omnes actiones, ex vi quarum accidentia producuntur, comitantur corpus vbicumque fuerit. Dico, naturaliter loquendo, non quia naturaliter poſſit poni aliquod accidens in duplici loco, ſed quia ex ſuppoſitione, quod Deus de potentia abſoluta corpus in duplici loco conſtituat, congruum eſt, vt eadem potentia ibidem ſimul accidentia conſtituat. De accidentibus, quæ non dependent in conſeruari ab aliqua ſpeciali cauſa applicata tantùm in vno loco. Probatur noſtra concluſio ex ſacro ſancto Euchariſtiæ myſterio, in quo ex vi verborum ſub ſpeciebus panis tantùm ponitur corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini tantùm ponitur ſanguis, quia tamen naturale eſt vt corpus ſanguinem comitetur, & ſanguis corpus, inferunt Theologi, patres, & tota Eccleſia ſub vtraque ſpecie eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti: ergo naturale eſt vt vbicumque ſit corpus illud comitentur omnia, quæ in vno loco naturaliter illud comitantur. Doctrinam hanc ſpecialem non habere difficultatem in accidentibus, quæ in conſeruari dependent à cauſa applicata in vno tantùm ſpatio, neque in actionibus per ſe ipſas dependentibus à cauſis in vno tantùm loco applicatis conſtat ex concluſ. 3. in qua probaui ſufficere applicationem factam in vno loco, vt hæc accidentia, & actiones per ſe ipſas dependentes à ſuis principiis poſſint eſſe in pluribus locis.

SEXTA CONCLVSIO. Non ita neceſſarium eſt hæc accidentia in omni loco corpus comitari, vt non poſſit Deus corpus Matriti album conſeruare, & Toleti non album. 18
Ratio eſt albedo conſtituitur præſens per præſentiam diſtinctam à præſentia corporis, quod afficit: ergo poteſt Deus duplicem præſentiam corpori præſtare, & vnicam albedini: ergo poteſt corpus eſſe Matriti, & Toleti per duplicem præſentiam, & albedo Matriti tantùm per vnicam præſentiam: ergo poteſt corpus eſſe album Matriti, & non eſſe album Toleti, quia non eſſe album Toleti, nihil aliud eſt, quàm non habere præſentiam Toleti. Secundò, quando corpus exiſtit album Matriti & Toleti, præſentia, quam habet albedo Matriti eſt diſtincta à præſentia, quam habet Toleti, & à præſentiis quas habet corpus Matriti, & Toleti: ergo poterit deficere præſentia, quam habet Matriti, reliquis aliis permanentibus: ergo poterit corpus permanere Matriti, & Toleti, & eſſe album Toleti, & non eſſe album Matriti, non ex eo quod corpus non habet albedinem, ſed ex eo quod non habeat albedinem præſentem Matriti, quia corpus Matriti eſſe album non ſolùm dicit corpus Matriti exiſtere, & habere albedinem, ſed Matriti exiſtere, & habere albedinem præſentem Matriti.

Ex hac doctrina friget ratio, quia intendit probare P. Rub. tractat. de loco, quæſt. 8. quem plures recentiores 19
ſequuntur, implicare corpus eſſe album in vno loco, & non in alio, quia ſequeretur idem corpus eſſe album & non eſſe album, quæ ſunt contradictoria, quia albedo & non albedo corpori conueniunt independenter à loco, ex quo inferri intendit hanc eſſe legitimam conſequentiam: Corpus eſt album Matriti, & non eſt album Toleti: ergo abſolutè corpus eſt album, & non eſt album. Ex dictis patet quam inefficax ſit hæc argumentatio, & male inferatur ex eo quod corpus non ſit album in hoc loco, verbi gratia, Toleti, abſolutè non eſſe album, quia non eſſe album Toleti non dicit negationem albedinis, ſed dicit negationem albedinis habentis præſentiam Toletanam, ſeu negationem præſentiæ, ex vi cuius albedo Toleti conſtituatur: & ſicuti hæc eſt mala conſequentia: albedo non eſt præſens Toleti: ergo albedo non eſt: ita hæc eſt mala illatio: corpus non eſt album Toleti: ergo non eſt album, arguitur enim à non amplo ad amplum negatiuè. Ad rationem dubij reſpondeo corpus eſſe album, & non eſſe album eſſe independens à loco, ac proinde ſi corpus ſit album ſiue exiſtat in hoc loco ſiue in illo poterit dici *corpus eſt album*, eſſe tamen album Matriti, aut Toleti non eſſe independenter à loco, quia eſſe album Matriti dicit formaliter albedinem, & præſentiam ex vi cuius Matriti conſtituitur, & eſſe album Toleti formaliter dicit præſentiam albedinis. Hæc dixerim in mea ſententia, quæ accidentibus proprias concedit præſentias, in opinione verò, quæ illa per ſubiecti, cui ſunt vnita, præſentiam in loco conſtituit, exiſtimo implicationem inuoluere eſſe accidens vnitum ſubiecto exiſtenti in duplici loco, & ipſum accidens in vtroque loco non exiſtere.

SEPTIMA CONCLVSIO. Quotieſcumque paſſum exiſtens Matriti, & Romæ immutatur ab aliquo agente ex- 20
trinſeco per receptionem alicuius accidentis, caloris, verbi gratia, eundem calorem acquirit in vtroque loco, & eandem receptionem vtrobique præſentem habet, poterit tamen, diuina interueniente potentia calorem in hoc loco recipere, & non in alio. Hæc concluſio ex duplici præcedenti infertur, quia ſicut naturale eſt poni corpus cum omnibus ſuis accidentibus vbicumque ponatur, ita naturale eſt vt corpus, quod aliquod accidens in hoc loco recipit, illud recipiat vbicumque exiſtat. Concluſio hæc neque propugnari, aut impugnari poteſt ex aliquo principio naturali, aut ratione metaphyſica, ſed tantùm nititur morali quadam congruentia, ex vi cuius Deus tenetur ex ſuppoſitione, quod corpus conſeruet in duplici loco omnia accidentia, quæ illi ſuperueniunt, in duplici loco conſtituere, quam ſi quis neget, & aſſerat ex hoc capite tantùm teneri Deum corpus primo collocare cum eiſdem accidentibus in omni loco, in quo velit illud conſtituere, poſtea verò non teneri noua illa accidentia, quæ corpori in hoc loco contingunt, in alio conſtituere, nulla ratione conuinci poterit.

Obiicies contra concluſionem traditam: Poſito paſſo 21
Matriti

Digitized by Google

Matriti & Romæ, ſi agens tantùm ſit Matriti applicatum, tantùm poterit agere Matriti: ergo paſſum tantùm poterit Matriti recipere, quia actio, & receptio ſunt idem: ergo non poterit Romæ effectum recipere. Multa latet æquiuocatio in primo antecedenti, illam aperio. Agens exiſtens tantùm Matriti applicatum paſſo exiſtenti Matriti, & Romæ tantùm poſſe agere Matriti, poteſt hunc ſenſum habere, tantùm poteſt agere per actionem præſentem tantùm Matriti: vel poteſt alium reddere: tantùm poteſt agere per actionem procedentem à principio exiſtenti tantùm Matriti, ſiue actio exiſtat Matriti tantùm, ſiue in pluribus aliis locis. In hoc ſenſu vltimo propoſitio vera eſt, in primo eſt diſtinguenda. Actio exiſtens Matriti tantùm poteſt agere per actionem exiſtentem tantùm Matriti ex vi agentis à quo procedit, ſeu quæ tantùm petit Matriti exiſtere ex eo quod procedat ab agenti exiſtenti Matriti, concedo: tantùm poteſt agere per actionem Matriti tantùm præſentem abſolutè, ita vt ex eo quod hæc actio procedat ab hoc agenti exiſtenti tantùm in hoc loco repugnantiam habeat ad exiſtendum in alio loco, ſi fuerit principium aliquod, ex quo in alio loco ponatur, nego; itaque in caſu dato agens applicatum tantùm Matriti ageret per actionem exiſtentem Matriti, & conſequenter per actionem exiſtentem Romæ, quæ eſt eadé, non tamen ageret per actionem vt exiſtentem Romæ formaliter, quia ita formaliter ſumpta actio reduplicat præſentiam Romanam, quæ non eſt ratio agendi reſpectu principij exiſtentis Matriti, & ſtrictè loquendo, neque ageret per actionem vt præſentem Matriti, quia præſentia Matritana, quam habet actio non eſt ratio agendi, imò probabile eſt non dependere à principio actionis, tantùm eſt verum dicere, ex vi principij hoc modo applicati, debere actioni hanc præſentiam Matritanam, & non Romanam, quia principium Matriti præſens exigit ſubiectum præſens Matriti, & cum actioni debeatur præſentia in loco, in quo eſt ſubiectum, remotè debetur actioni præſentia Matritana, ex eo quod principium ſit Matriti applicatum.

22 Octava conclvsio: Omnes actiones vitales amandi, intelligendi, videndi, & audiendi comitantur viuens vbicumque ſit. De actionibus vitalibus intelligendi, & amandi ferè omnes fatentur, quia actiones hæ non dependent à principiis obiectorum; & anima quæ eſt illarum principium cum ſpeciebus, & habitibus ſupponitur in omni loco cum eiſdem comprincipiis ad operandum. De ſenſationibus externis negant nonnulli hanc concluſionem, contra quos tradidi concluſ.3. accidentia, & actiones dependentes in fieri & conſeruari à ſuis principiis tantùm indigere eſſe applicata in vnico ſpatio, vt poſſint eſſe in pluribus.

23 Obiiciunt recentiores contra hanc repetitionem ſenſationum externarum: viſio exiſtens Toleti repræſentat arcem Regiam cum tanta diſtantia: ergo exiſtens Romæ debet repræſentare eandem arcem cum eadem diſtantia, ſed non poteſt Romæ illam cum eadem diſtantia repræſentare, quia illam Romæ non habet, ſed aliam longè maiorem: ergo talis viſio Romæ eſſe non poteſt. Reſpondeo viſionem exiſtentem Toleti repræſentare arcem Regiam cum tanta diſtantia viginti paſſuum, verbi gratia, ab alio corpore exiſtente Toleti à Cathedrali templo, v.g. & à me exiſtente Toleti, quam diſtantiam inter eademmet extrema repræſentaret viſio Romæ poſita, ita vt viſio exiſtens Romæ repræſentaret arcem Toletanam non vt diſtantem à templo Romano S. Petri, neque à vidente vt exiſtente Romæ, ſed vt diſtantem à vidente vt exiſtente Toleti & ab Eccleſia Toletana in qua nulla eſt repugnantia, quia tunc viſio Romæ exiſtens non repræſentaret diſtantiam, quæ eſſet Romæ, ſed quæ eſſet Toleti. Eodem modo viſio, qua Romæ videretur templum D. Petri diſtans à Capitolio, per tot paſſus, ſi Toleti poneretur repræſentaret idem templum diſtans ab eodem Capitolio, non verò diſtans ab arce Toletana. Itaque Toleti eſſet viſio repræſentans diſtantiam inter corpora Romana, quæ non repræſentaret diſtantia à Toletanis, & Romæ eſſet viſio, quæ repræſentaret diſtantiam inter corpora Toletana, non verò inter corpus Toletanum, & Romanum, quia hæc diſtantia neque per viſionem exiſtentem tantùm Romæ, neque per viſionem exiſtentem Toleti tantùm videretur, & repetitio præſentiarum Matriti & Toleti non conſtituit obiectum aliquod viſum, quod non videbatur, dum quælibet viſio ſimplicem præſentiam habeat. Si dubites an corpus exiſtens Romæ & Toleti videns templum Capitolium Romæ exiſtens, & arcem Regiam Toleti videat diſtantiam inter Capitolium, & arcem Regiam, negatiuè reſpondeo, quia diſtantia non videtur corporibus intermediis inter vtrumque obiectum non viſis, cùm autem illud videns non videret corpora intermedia inter Capitolium, & arcem, non videret vtriuſque diſtantiam.

Pvnctvm XI.

An duplex corpus poſſit eſſe in eodem loco?

Non poſſe naturaliter duplex corpus eodem contineri ſpatio negare non poterit, qui non audeat manifeſtæ ſenſuum experientiæ contradicere. Cur enim ſi corpus poſſet corpus intra ſe recipere, glans ærea murum quateret, & toto illius impetu confracto reſiliret. Quomodo ſi terra nobis penetrationis repugnantiâ aditum non occluderet, propria grauitate non præcipites ad centrum vſque rueremus, poſſemúſque pedem tutè ſolo figere? Quomodo nos nauis ſuſtinet ne aquis demergamur, niſi quia dum nos in proprium non admittit ſpatium, nos continet ne ad aquarum ſpatium perueniamus? Eſt ergo inter Philoſophos omnino certum non poſſe corpus corpore penetrari. 1

Duo contra hanc veritatem leuis momenti ſolent obiici. Primum, vas plenum aqua nummos in ſe continere, retenta tota aqua, quam antequam nummi iniicerentur continebat. Secundum vas cinere plenum tantàm in ſe aquam continere, quantam reciperet omnino vacuum cinere. Neutrum credo. Forſan tamen nummulum aliquem continere valebit aquæ vas, cuius labra ſiccitate aquam coërceant, ne diffluat, ſed vt rurſum attollatur ad occupandum nouum ſpatium, loco illius, quod nummus occupabat. Ad ſecundam experientiam dico cinerem aquæ pondere, vt humectatione comprimi, & multum aëris intra ſe contentum expellere, quo expulſo plus ſpatij aquæ relinquitur, tum etiam ratione aliarum partium, quæ in ſubtiliſſimos ſpiritus euaneſcunt, nunquam tamen tantum ſpatium aquæ permittitur, quantum daretur ſi vas omnino cinere vacuum eſſet. 2

Difficultas eſt quomodo corpus vnum loco pellat aliud. P. Rub. tractat. de loco, quæſt. 6. num. 71. ait corpus vnum formaliter aliud à loco expellere, & penetratione reſiſtere. Difficilis mihi hic reſiſtendi modus eſt, quia corpus intendens ingredi ſpatium alterius non intendit ſubiectum commune informare, quia penetrata corpora non mutuo informantur, neque illorum præſentiæ idem reſpiciunt ſubiectum illius realiter neque quiddam eſt commune, ſpatium enim vt ſæpe dixi eſt quid chymæricum, & corpora non realiter ſunt in ſpatio: ergo nihil eſt in ordine ad quod hæc corpora penetrata formalem poſſint habere reſiſtentiam, quam ſemper cognoſcimus in ordine ad aliquod commune, à quo ſe expellunt, ſic calor, & frigus quæ formaliter opponuntur, reſiſtentiam habent non præcisè ſecundùm ſuas entitates, ſed in ordine ad idem ſubiectum. Poſſet aliquis dicere præſentias illas ex vi quarum duo corpora eſſent penetrata opponi præcisè ſecundùm ſuas entitates ſine aliquo reſpectu ad aliquid illis commune, ita vt præſentia huius corporis eo ipſo quod exiſtat in rerum natura exigat, ne exiſtat præſentia, ex vi cuius ſubiectum illius præſentiæ, & huius ſubiectum penetrarentur. Hoc reſiſtentiæ genus non ex alio capite poteſt impugnari, niſi quia gratis, abſque vllo fundamento fingitur, abſque vllo exemplari in rerum natura inuento, nullas enim entitates agnouimus, quæ repugnantiam habeant inter ſe nudè ſumptas, niſi in ordine ad aliquod ſubiectum, principium, vel terminum cõmunem. An talis præſentiarum incompoſſibilitas formalis reſiſtentia dicenda eſſet, caſu quo daretur, quæſtio poſſet eſſe de nomine, cum enim non eſſet per informationem ſubiecti communis, ſicuti eſt reſiſtentia, quam habent calor & frigus, non ita propriè formalis reſiſtentia diceretur, bene tamen ad hoc reſiſtentiæ genus reduceretur, quia non eſſet per aliquem actiuum influxum, ſed præcisè per exigentiam, quam per ſe ipſas haberent præſentiæ, vt vna poſita Deus aliam præexiſtentem deſtrueret, vel non antea exiſtentem ne produceret. 3

Facilius percipio hanc corporum reſiſtentiam in genere 4
cauſæ

cauſæ efficientis per impreſſionem impulſus, ex vi cuius corpus adquirit præſentiam in ſpatio diſtincto ab illo, quod corpus imprimens talem impulſum intendit occupare, vel per immediatam productionem præſentiæ in ſpatio diſtincto ab illo, quod intendit occupare corpus ſe mouens, quod non ſolùm facit, ne corpus aliud quod loco pellit illud ſpatium occupet, ſed illi nouam aliam præſentiam producit, quæ formaliter antiquam expellit, qua corrupta ſuccedit corpus aliud in ſpatio quod antea hoc occupabat, abſque penetratione aliqua.

5 Obiicies: Quantitas actiuè tantùm reſiſtit penetrationi: ergo poterit illius reſiſtentia vi Angelica vinci. Maiorem enim impulſum poterit imprimere Angelus vt corpora penetrentur, quam corpora ne penetrentur. Reſpondeo, nullum impulſum poſſe imprimere Angelum ex vi cuius corpora penetrentur, quia vel illum imprimi vni tantum corpori, vel maiorem huic & minorem alteri, vel vtrique corpori æqualem impulſum imprimit. Si vtrique æqualem, cum quodlibet corpus intendat alterum proprio pellere loco versùs partem oppoſitam, versùs quam corpus impulſu ſibi impreſſo ſe intendit mouere & æqualis ſit virtus & reſiſtentia vtriuſque, nullum vincet, & ita vtrumque proprium locum ſeruabit, nulla penetratione facta. Si inæqualiter impellantur, corpus, quod maiorem habet impulſum remouebit alterum à proprio loco, & illi abſque vlla penetratione ſuccedet.

6 Poſſe duo corpora ſupernaturaliter penetrari omnium ſcholaſticorum conſenſus tanquam omnino certum ſtabilit, ſi ab his Durandum excipias, qui in 4. diſt. 44. quæſt. 6. vtramque partem problematicè defendit; ſeutiunt multi ſacris literis veritatem hanc ſtabilitam eſſe, ex quibus habes illæſo puriſſimo Virginis vtero Chriſtum Dominum in lucem editum eſſe, & clauſis ianuis cœnaculum introiſſe, & apud Paulum ad Hebræos 4. legitur: *Habentes Pontificem, qui penetrauit cœlos Ieſum*, &c. Quæ abſque penetratione corporum in eodem loco fieri non potuerunt. Cæterum non multum hæc teſtimonia vrgere videntur, quia poſſet quis dicere Chriſtum Dominum ſine tranſitu per medium intemerato Virginis clauſtro ex vtero fuiſſe egreſſum, & ſimili modo cœnaculum introiſſe relicta vna præſentia, & immediatè alia diſtante producta. Ad illud Pauli dici poteſt verbum *Penetro* diuerſo modo ſumi inter Latinos, ac inter Philoſophos, apud illos enim idem ſonat corpus penetrare, ac ad illius intimas partes peruenire, ſic dicitur materia penetraſſe, qui ſummo ſe mari credidit.

7 Efficaciùs probo hanc ſententiam ex Euchariſtia myſterio, in quo omnes partes corporis Chriſti in quocumque indiuiſibili ſpatij, ſunt inuicem inter ſe penetratæ, & cum quantitate panis. Dices in Euchariſtia corpus Chriſti habere præſentiam definitiuam, cui non repugnat penetratio partium, potius illam eſſentialiter inuoluit, corpus autem circumſcriptiuè præſens ex vi huius præſentiæ fieri impenetrabile. Si hæc ſolutio poſſet ſubſiſtere ex illa poſſet reſponderi teſtimoniis ſcripturæ adductis potuiſſe Chriſtum præſentiam aſſumpſiſſe definitiuam circumſcriptiua relicta, dum percurrebat ſpatium occupatum Beatiſſimæ Virginis corpore, & cœnaculi ianuis vt poſſet ſe penetrare. Admitto præſentiam definitiuam diſtinctam eſſe à circunſcriptiua, & arguo à paritate vtriuſque, non eſt enim de ratione præſentiæ definitiuæ penetrare corpus definitiuè exiſtens cum alio corpore exiſtenti circunſcriptiuè, & tamen quantitas Chriſti exiſtens definitiuè in Euchariſtia penetratur cum quantitate panis exiſtente circunſcriptiuè: ergo eodem modo poterunt duæ quantitates circunſcriptiuè exiſtentes idem ſpatium occupare.

8 Ratione prædicta ſententia probatur: nullum eſt caput, ex quo in ordine ad potentiam diuinam penetratio corporum circunſcriptiuè exiſtentium repugnet: ergo poterunt penetrari. Antecedens probo: repugnantia capacitatis non oritur ex incapacitate ſubiecti, aut ſpatij vt probaui, ſed tantum ex influxu actiuo, quo vnum corpus aliud remouet à loco quem intendit occupare, vel ex eo quod vna præſentia exigat non eſſe alterius. Sed poteſt non concurrere actiuè cum quantitate vt moueat aliud corpus, & concurrere vt producat præſentiam. & ſimiliter poteſt contra exigentiam huius præſentiæ aliam conſeruare: ergo poteſt Deus non obſtante natiua impenetrabilitate duorum corporum, illa contra propriam exigentiam atque virtutem penetrare, in quo nulla poteſt excogitari repugnantia.

Maior eſt difficultas, an duplex corpus graue penetratum moueretur naturaliter. Negat Pater Vaſquez, quia ſequeretur naturaliter denuò penetrari, quia vel mouerentur ſimul, & ſic acquirerent aliud nouum ſpatium vtrique commune, & naturaliter daretur alia penetratio, vel moueretur vnum, & non aliud, & ſic ſimiliter daretur noua penetratio, quia partes profundæ corporis acquirerent ſpatium quod habebant partes aliæ alius corporis, cum quo facta fuerat penetratio, & ita pars quæ antea fuerat penetrata cum hac parte per motum cum aliis penetraretur. Cenſeo propter hanc rationem non poſſe ex duobus corporibus diuiſibilibus inter ſe penetratis vnum moueri immoto alio. Affirmo tamē duo illa corpora naturaliter ſimul eſſe mouenda, rationem accipe. Corpus tantùm reſiſtit penetrationi per impreſſionem impulſus, quo ſemel deuicto naturaliter durat penetratio; quæ non niſi ſupernaturaliter poteſt diſſolui, quia diſſoluenda erat per motum vnius quantitatis altera immota, vel ſe versùs aliam partem mouente, quod contingere non poteſt, vt ſuprà dicebam, aut per deſtructionem ſubiecti: quantitas verò, cui penetratio contingit corrumpi non poteſt ſecundùm aliquam partem ſui ab aliquo agenti naturali. Quod ſi ſuppoſita hac penetratione miraculosè facta naturaliter durat, quia non eſt agens naturale, à quo poſſit deſtrui, ſic poſita penetratione corporum poterit alia eiſdem corporibus contingere naturaliter propter eandem rationem, nulla enim erit cauſa, quæ illam impediat, quia nullum corpus poterit aliud impedire, ne acquirat ſpatium, quod intendit, & cum vtrumque corpus penetratum idem ſpatium intendant acquirere, illud naturaliter acquirent. Non poſſe hæc corpora impediri mutuo, ne quodlibet acquirat ſpatium, quod intendit, ſic probo. Vnum corpus impedit aliud ne hoc ſpatium acquirat impedimento illi impulſum, ex vi cuius ab illo remouetur, & in alio ſpatio conſtituitur: Corpus graue penetratum cum altero ſi illi impulſum aliquem imprimeret eſſet vt illum ſecum traheret versùs illam partem, versùs quam ſe mouere intendebat cùm ſe non poſſet mouere, niſi corpus aliud ſecū traheret: ergo potius vnum corpus alterum penetratum iuuaret, vt moueretur, quam illud impediret per impulſum, ſed nullo alio modo poteſt corpus impedire motum alterius: ergo nullo modo poterit corpus penetratum ſecum penetrati motum impedire: ergo vtrumque ſimul mouebitur. 9

Ex his ſoluta manet obiectio, quæ ſeſe præ oculis offert. Idem corpus poſitum ſupernaturaliter in duplici ſpatio non poteſt naturaliter duplex aliud ſpatium acquirere: ergo duplex corpus poſitum ſupernaturaliter in eodem ſpatio non poteſt aliud ſpatium vtrique commune acquirere. Cuius diſparitatem ex doctrina tradita facilè reddo. Corpus ſupernaturaliter poſitum in duplici loco non niſi ſupernaturaliter in eodem conſeruari poteſt, quia præſentiæ, ex vi quarum eſt in duplici loco per ſe ipſas repugnant, & ita ſemper remanent cum eadem repugnantia, & ſimilē aliam haberent, quæcumque aliæ duæ, quæ denuò producerentur, & ita naturaliter produci non poterunt, penetratio verò ſemel ſupernaturaliter facta naturaliter poteſt conſeruari, & alia loco illius ſuccedere, quia repugnantia penetrationis non eſt per reſiſtentiam præſentiarū, quæ ſemper remanet, ſed per implulſum, quem vnum corpus imprimit alteri, ne cum illo penetretur, & cum hunc non poſſit imprimere, niſi ſupponatur non penetratum cum illo, & in diuerſo loco conſtitutum, poſtquam ſemel eſt penetratum ceſſat reſiſtentia penetrationis quouſque iterum conſtituantur duo illa corpora poſitiuè vnum extra aliud. Hæc ita compoſui in ſententia aſſerente corpora actiuè tantùm penetrationi reſiſtere, quam veriorem puto; ſi autem dicatur præſentias ipſas, ex vi quarum ſit penetratio per ſuaſmet entitates opponi, & quaſi formaliter reſiſtere, dicendum eſt corpora penetrata non poſſe naturaliter moueri, etiam versùs eandem partem, quia præſentiæ acquirendæ inter ſe eſſent repugnantes, & ita non poſſent naturaliter produci. 10

PVNCTVM XII.

De vacuo.

Vacuum vulgò definitur: *Locus non repletus corporibus, aptus tamen repleri*. In qua definitione redundare videtur illud *aptus repleri*, quia eo ipſo quod ſit locus, & non ſit repletus 1

repletus habet aptitudinem vt repleatur. Differt ab inani ſeu vacuitate illa, quam extra cœlos concipimus, quia illa nullis terminis circunſcribitur, vacuum autem dici ſuperficiem concauam corporis terminantem ſpatium, quod replere poſſunt corpora intra illam contenta. Vacuum naturaliter dari non poſſe eruditè probant noſtri Luſitani lib. 4. q. 1. quod ſatis monſtrant nouiſſimæ experientiæ; videmus enim attracto aëre per fiſtulam aquam ſurſus aſcendere vt repleat ſpatium relictum ab aëre ne detur vacuum, & aquam detineri in cucurbita, etiamſi ore aperto illa effundere conemur, quouſque via pandatur aëri occupaturo ſpatium ab aqua relictum. Ex his conſtat hanc eſſe rerum naturam, vt vacuum abhorreant, quam, vt poſtea oſtendam, neque Angelus inuertere poteſt, vt non bene docuere plures recentiores.

2 Receptiſſima omnium ratio, propter quam corpora intendunt vacuum vitare, eſt ne priuentur ſublunaria corpora cæleſti influxu. Non illi acquieuit Arriag. diſp. 14. ſect. 11. qui ſic arguit. Etiamſi corpora ſublunaria nullum ſupra ſe haberent, poſſent per corpora lateralia cœleſtes ſurgere influxus: ergo non indigent corpora eſſe contigua aliis corporibus ſupra ſe poſitis ad hos influxus habendos: ergo ex hoc capite non repugnabunt ſeparationi locali omnium corporum, quæ ſuprà poni poſſunt. Inermis ratio vt contra communem ſententiam omnium ferè Philoſophorum poſſit præualere. Reſpondeo corpora recipere influxus cæleſtes non ſolùm per alia corpora lateralia, ſed per illa, quæ ſupra ſe habent, imò præcipuè per hæc, quàm per illa, & ideo omnium contiguitatem appetunt, quia omnium contiguitas illis eſt proficua. Eandem rationem eneruare intendit Arriaga ex eo quod non continenter cæleſtia corpora influant in ſublunaria, vnde per breue tempus ex hoc capite vacuum permittere poterant. Reſpondeo corpore ſublunaria ſemper appetere perpetuam contiguitatem vt opportuno tempore influentias à cœleſtibus recipiant, quia ſi per breue aliquod tempus, quo illis indigerent, vacuum paterentur, & diſtantiam corporum permitterent, poſtea cum contiguitas deperdita illis eſſet neceſſaria, non poſſent eandem recuperare, neque diſtantia corpora ad ſe vocare.

3 De cauſa actiua, qua corpora mouentur ad ſupplendum vacuum diſſident Doctores. Aſſerit Arriaga non aliam ob cauſam non poſſe dari vacuum, & moueri corpora ad illud replendum, niſi penetrationis vitandæ cauſa, quia Deus illa corpora intra concauum Lunæ creauit, quæ illius ſpatium iuſtè replerent, ac proinde ſi daretur aliquod ſpatium vacuum, alicui corpori deeſſet ſpatium, quod neceſſariò in nihilum eſſet redigendum, vel cum alio penetrandum. Iuxta hanc Philoſophandi rationem aſſerit cauſam mouentem corpus ad replendum vacuum eſſe ipſum corpus attractum, quod impulſum imprimit in corpus immediatum vt illi locum præſtet, & illud in aliud in cuius ſpatium eſt ſucceſſurum quouſque mediis aliis corporibus impellit corpus quod aſcendit, & hoc vacuum ſupplet, vt locum præſtet corpori impulſum imprimenti quod ſuum ſpatium relinquit corpori primo attracto, ſeu moto. Hic dicendi modus difficilè poterit efficaciter impugnari, verumtamen non ſine difficultate apprehenditur, quomodo poſſit aër qui eſt intra fiſtulam mouere aërem qui eſt in ore hominis, & hic alium aërem, & hic alium quouſque vnus aquam contentam in vaſe à parte inferiori moueat vt aſcendat ad replendum ſpatium relictum ab aere.

4 Aſſero cum Patre Vaſquez & communi plurimorum ſententia, quodlibet corpus virtutem habere attractiuam attrahendi corpus aliud ſibi contiguum, qua efficienter aliud mouet per impulſum illi impreſſum, quem talis eſſe naturæ affirmo, vt non valeat mouere corpus quod aliud ſibi contiguum nequit attrahere. Hac ratione explicatur quomodo neque vi Angelica poſſint folles contigui clauſo foramine aërem recipiente inter ſe ſeparari niſi rumpantur, quia ſi Angelus alteri follium tabulæ maiorem impulſum imprimit quàm alteri, illa ſecum rapiet integros folles nullâ tabularum factâ ſeparatione; ſi verò vtrique æqualem impulſum imprimit vtraque tabula impulſa verſus partes diuerſas intendet aërem ſecum trahere, qui æquè verſus partes oppoſitas impulſus verſus nullam mouebitur, & ita neque aliqua follium tabula poterit moueri ex vi impulſus, quem patitur, quia hic, vt dicebam, non habet virtutem mouendi corpus, quod non poteſt aliud contiguum attrahere, & cùm nulla tabularum poſſit aerem contiguum ſecum trahere, illorum nulla poteſt dimoueri.

Inquiritur hic, an in vacuo poſſit dari motus localis. Reſpondeo: grauia, & leuia poſita in medio aëre mouenda eſſe verſus proprium cuiuſque centrum quia defectus corporis occupantis ſpatium motum non retardaret, imò ratione illius, motus velocior fieret, quia corpus ſe mouens nullum haberet impedimentum remouendum, quod haberet ſi ſpatium illud vacuum non eſſet, quia corpora illud occupantia donec remoueantur impulſu corporis ſe mouentis illius motum retardant. Si tamen ſemel grauia, & leuia contigua ſint ſuperficiei continenti ſpatium non repletum corpore, nullatenus poſſent moueri, niſi tantus eſſet illorum impetus, vt poſſent ſecum habere illam ſuperficiem; quia, vt dicebam modo, nullum corpus poteſt ſe mouere, quod ſecum contiguum trahere non poſſit: ergo ſi modò conſtituas intra totum hoc Lunæ concauum tantùm lapidem vnum contiguum parti ſuperiori huius ſuperficiei, moueri non poterit, ſi non valet Cœli ſuperficiem ſecum trahere: quod ſi hoc præſtare non poteſt neque ſe mouere valebit. Motus progreſſiuus nullus poſſet dari in vacuo, quia in medio illius animal non ſe poſſet ſuſtinere, & vt primum ſuperficiem aliquam pede attingeret, hunc non poſſet ab illa remouere. Poſſet homo brachium ſurſum leuare, dum, nunquam corpori contiguum poneretur, quod ſi ſemel contiguitatem cum corpore haberet, nunquam poſſet moueri non moto toto corpore, & omnibus partibus illi contiguis. Deſtructis Cœlis in omnino inani grauia, & leuia non mouerentur, quia nullum haberent centrum, quod peterent, neque hoc ſpatium eſſet illis magis naturale, quam quodcumque aliud. Viuentia vix poſſent motu progreſſiuo moueri, quia cum primum pede pedem tangerent non poſſent iterum ſeparari, & partium ſeparatio motui progreſſiuo neceſſaria eſt. Poſſent eadem viuentia ſaltare & alios ſimiles motus edere verſus quamcumque partem, qui iuxta menſuram impulſus extenderentur, & non vltra, quia corpora propria grauitate deorſum non deſcenderent: in omnino enim inani deorſum non eſt, neque grauia & leuia mouentur, tantùm intenſione aut remiſſione impulſus poſſet taxari motus. 5

6 Vltimò inquiri ſolet, an motus factus in vacuo vel in inani eſſet inſtantaneus, vel ſucceſſiuus. Reſpondeo fore ſucceſſiuum, quia ſpatium percurrendum à quolibet indiuiſibili corporis diuiſibile eſſet, & ita non poſſet in inſtanti percurri, quia in illo inſtanti non poterat totum illud occcupare, quod neceſſariò occupandum erat relicta hac præſentia, & alia acquiſita, & rurſus illa alia relicta, & alia acquiſita, quod in inſtanti fieri non poteſt.

CONTROVERSIA XVI.
De duratione.

SICVTI res dicitur eſſe in loco, & correſpondere ſpatio imaginario loci, ſic in tempore eſſe dicitur & ſpatio imaginario temporis reſpondere. Diximus iam quid ſit rem eſſe in loco, dicendum modo quid ſit eſſe in tempore, & in quo conſiſtat duratio, quæ rei correſpondentia ad tempus reale & imaginarium dicitur. In hac re vna nos tantùm premit difficultas, videlicet; in quo conſiſtat ratio formalis durationis, ſeu correſpondentiæ ad ſpatium imaginarium temporis, adeò tamen grauis, vt eos tantùm non oppreſſerit, qui illam non tetigere, exiſtimo enim quodque maximum augendum ingenium, ſi rem hanc radicitus euoluat, illamque velit reipſa, & dicendi modo iuſtè componere.

PVNCTVM PRIMVM.
Quid ſit duratio?

§. I.
Doctorum placita.

LEuis poterit in ipſo materiæ limine inſurgere difficultas, an videlicet prima temporis correſpondentia, quam

Digitized by Google

quam nulla alia præceſſit, duratio diceretur, & an res in primò inſtanti temporis in quo exiſtit poſſet dici durans: in qua quæſtione veluti tota de loquendi modo modus loquendi præualeret debet, iuxta quem res non dicitur durare, ſed incipere in primo inſtanti, in quo exiſtit, duratio enim dicit rei perſeuerantiam, in primo autem inſtanti exiſtentiæ rei non poteſt dici perſeuerans, & ita neque durans, quia perſeuerantia, & duratio connotant rei exiſtentiam in tempore præcedenti. Itaque duratio, & inceptio differunt accidentaliter eo modo, quo prima productio, & conſeruatio, eadem enim correſpondentia ad tempus, quæ inceptio dicitur, potuit eſſe duratio, illam enim potuit alia correſpondentia præcedere, quia illius ſubiectum primò productum in hoc inſtanti *B*, potuit produci in inſtanti *A*, ſeu in inſtanti *B*, eandem correſpondentiam ad tempus haberet in inſtanti *B*: Iuxta hunc dicendi modum res ſucceſſiuæ non deberent dici durare, quia nihil illarum perſeuerat, neque aliquid illarum eſt in hoc inſtanti, quod fuerit in præcedenti, nihilominus præualuit vſus vt motus diceretur durans quandovna pars alij præcedenti ſucceſſit, quia motus, qui fuit in inſtanti præcedenti, & qui modo eſt, idem moraliter dicitur, ſicuti dicitur idem fluuius, qui modò abluit hæc littora, & qui eadem multis retro annis abluebat, licet nulla pars aquæ quæ antea fuit perſeueret modò.

2 Pater Soar. in Metaph diſp. 59. ſect. 2. varias refert ſententias de natura durationis, quarum primo loco reiicienda eſt relata num. 3. quæ durationem in negatione ſuperaddita conſtituit, quia aſſignari nequit cuius habitus ſit illa negatio, quia negatio deſtructionis eſt conſeruatio poſitiua rei, ſicuti deſtructio eſt negatio conſeruationis, neque huius negationis alia datur negatio. Neque maiori negotio reiicienda eſt Thomiſtarum opinio, quam refert idem Soar. num. 7. aſſerentem rationem durationis conſiſtere in ratione menſuræ quam ſic impugno. Ratio menſuræ accidentalis eſt entitati adhuc formaliter vt duranti: ergo non conſtituitur durans ex vi illius. Probo antecedens: ratio menſuræ eſt extrinſeca dependens ab alio extremo & ab intellectu menſurante: ſed entitati adhuc vt duranti extrinſecè nimis contingit intellectus menſurans vnum extremum cum alio: ergo ratio menſuræ rei duranti formaliter vt duranti extrinſeca eſt: ergo ex vi illius non conſtituitur res formaliter durans. Dices durationem tantùm importare menſurabilitatem, ſeu fundamentum menſuræ actualis, ex vi cuius res conſtituitur apta, vt poſſit cum alia commenſurari, & eſſe menſura alius entitatis. Benè eſt, ſed de hac menſurabilitate inquiro, quidnam ſit? an modus ſuperadditus, an ipſa entitas? æquè enim nobis eſt ignota ratio conſtitutiua durationis.

3 D. Bonauentura in 2. diſt. 2. in 1. p. art. 2. quæſt. 3. PP. Conimbr. hic cap. 14. quæſt. 3. & 4. P. Rub. ibid. quæſt. 4. & apud hunc Ric. May. Arg. Henr. Iacob. & Scotus, quibus conſentit Arriaga diſp. 15. docent durationem dicere modum quemdam ſuperadditum rei duranti. Ex his Auctoribus quidam putant durationem rerum permanentium eſſe ſecundum ſuam entitatem eſſentialiter ſucceſſiuam, ita vt diſtinctus ſit modus durationis, ex vi cuius Angelus durat in hoc inſtanti à modo, ex vi cuius durabit in inſtanti immediatè venturo, & ſic in omnibus. Ita Arriaga, & omnes recentiores qui hanc ſententiam tuentur. Alij cum Rubio, & plurimi ex antiquis docent durationem rei permanentis eſſe intrinſecè permanentem, & per eundem modum durationis ſuperadditum Angelum durare hodie, duraſſe heri, & cras duraturum.

4 Doctiſſimus noſter Lugo qui ſemper doctrina ſolidus nihil difficile ſine nouitate tangit, tom. de Incarnat. diſp. 19. ſect. 1. num. 20. durationem diſtinctam à re durante eſſe affirmat, non tamen illam conſtituit in modo aliquo ſuperueniente rei iam exiſtenti, ſed in actione, ex vi cuius entitas conſtituitur exiſtens. Itaque ait Lugo res omnes produci, & conſeruari per actiones eſſentialiter ſucceſſiuas, ex vi quarum conſtituitur in diuerſis temporis inſtantibus, ſecundum diuerſas actiones, quæ rei contingunt, ita vt hæc actio formaliter rem conſtituat durantem in hoc inſtanti temporis, quæ ſicuti non poteſt rem in alio inſtanti temporis conſtituere, ita neque ipſa poteſt in aliquo ab hoc diſtincto exiſtere, ſed tranſacto hoc inſtanti neceſſariò tranſit actio, ita vt non poſſit Deus de potentia abſoluta actionem, quæ in hoc inſtanti exiſtit in inſtanti venturo exiſtentem conſtituere, neque adhuc antecedenter potuit illam conſtituere in aliquo inſtanti diſtincto ab hoc, cui eſt eſſentialiter affixa, ſicuti præſentia ſpatio imaginario loci, quæ ex ſuppoſitione quod exiſtat determinato tantùm ſpatio, & non alij poteſt reſpondere.

Durationem non diſtingui realiter à re durante, ſed eandem entitatem durare per ſe ipſam nullo alio extrinſeco ſuperaddito defendunt Pater Soar ſuprà num. 9. P. Vaſquez 1. part. diſp. 33. cap. 3. P. Mol. 1. part. quæſt. 3. P. Val. tom. 1. diſp. 1. quæſt. 10. p. 3. P. Pereira lib. 1. cap. 1. & 5. P. Hurt. diſp. 17. ſect. 3. ſubſect. 4. & ex antiquis Scotus, Gabr. Greg. & Ocham cum alijs plurimis. 5

§. II.

Omnis duratio rei duranti intrinſecè ſuperaddita reijcitur.

VEnio primò ad Rubium, & alios, qui durationem rei permanentis totam ſimul eſſe, & me eadem duratione heri, & hodie durare defendunt, contra quos efficaciter arguo. Duratio ab his Auctoribus conſtituta indifferens eſt vt ſit in hoc tempore, vel in illo: ergo non eſt in hoc tempore per ſe ipſam, neque per ipſam poteſt ſubiectum in hoc tempore conſtituere. Conſequentia eſt eadem, quam Aduerſarij conſtituunt ad concedendam durationem ſuperadditam. Antecedens probo: Hæc duratio heri me conſtituebat in diuerſo tempore ac me conſtituit hodie: ergo eſt indifferens ad hoc vt me conſtituat in die hodierno, vel heſterno, quia ſi per ſuammet entitatem me in die hodierno conſtitueret, non poſſet non me ſemper in hoc hodierno die conſtituere, quidquid enim entitati per ſe ipſam conuenit, non poteſt eidem exiſtenti non conuenire in quocumque tempore. Dices hanc durationem eſſe determinatam vt me ſucceſſiuè conſtituat in die heſterno, hodierno, craſtino heri in heſterno, hodie in hodierno, cras in die craſtino, ac proinde licet me in diuerſis diebus conſtituat ſecundum diuerſum diem actu exiſtentem, non ideò eſſe indifferentem, vt me in illis conſtituat prædicto modo. Contrà: hæc determinatio, quam habet modus iſte non eſt determinatio in actu ſecundo ad me in hodierno die actu conſtituendum, ſed tantùm in actu primo, ac proinde indiget die hodierno modus ille vt determinetur in actu ſecundo ad me conſtituendum durantem die hodierna: ergo actu me eſſe die hodierno aliquid aliud diſtinctum dicit ſupra modum illum: ergo modus ille non eſt formaliter duratio. Dices modum illum connotare tempus, ſeu quidquam aliud extrinſecum, ex vi cuius determinatur in actu ſecundo ad me conſtituendum actu durantem in die hodierno. Contrà: ergo illud extrinſecum, quod tu dicis determinare modum ſuperadditum vt me conſtituat exiſtentem die hodierno, & vt ipſe actu exiſtam hodierno die poterit immediatè meam entitatem determinare ad exiſtendum die hodierno modo illo ſecluſo: ergo modus omnino eſt ſuperfluus. 6

Secundò difficillimè modum iſtum impugno: Me hodie exiſtentem potuit Deus antecedenter heri corrumpere, ſuppoſitis etiam omnibus accidentibus, quæ heri habebam: ergo ſi modus ille, ex vi cuius duro hodie eſt idem cum modo, ex vi cuius heri duraui, modus ille antecedenter potuit heri corrumpi à Deo: ergo potuit non exiſtere hodie: ergo eandem indifferentiam habet ac mea entitas ad exiſtendum, vel non exiſtendum die hodierno, ſiquidem potuit exiſtere heri, & non exiſtere hodie: ergo vel modus ille indiget aliquo modo extrinſeco vt determinetur ad exiſtendum die hodierno, vel illo non indiget mea entitas, ſed poterit determinari ad exiſtendum die hodierno, vel illo extrinſeco, à quo determinandus eſt modus ille: ergo ſuperfluè ponitur talis modus, & adhuc poſitus non poteſt me determinare ad exiſtendum die hodierno, quia heri indifferens erat ad exiſtendum, vel non exiſtendum die hodierno, ſed heri, & hodie eſt idemmet modus intrinſecè ſumptus: ergo hodie præciſè ſi attendatur ad nudam illius naturam intrinſecam, modus ille eandem indifferentiam habet. Deum potuiſſe meam entitatem heri deſtruere ſuppoſitis etiam omnibus accidentibus, quæ heri habebam, non poteſt abſque ingenti temeritate negari: an verò poſſit eſſe aliqua entitas quæ ex ſuppoſitione, quod ſit producta non poſſit per tantùm tempus determinatum corrumpi dicam Contr. 6. de anima, Puncto 1. §. 4. 7

Digitized by Google

8 **Venio iam ad P. Arriagam qui durationem permanentium cum recentioribus conſtituit in modo eſſentialiter ſucceſſiuo rei iam productæ ſuperueniente,& ad P.Lugum,** qui modum iſtum ſucceſſiuum ab actione, ex vi cuius entitas producitur non diſtinguit, contra quos ſic argumentor. Deus durat per ſuam eſſentiam ſine aliquo intrinſeco ſuperaddito, & præciſè per tempus extrinſecum dicitur modò durare in hoc tempore,& craſtino die dicitur in alio tempore durare: ergo creatura ſine aliqua mutatione intrinſeca poterit ſimiliter dici durans in hoc die per aduentum extrinſecum diei hodiernæ, & poſtea poterit dici durans die craſtina per aduentum extrinſecum diei craſtinæ, eadem ſemper intrinſecè inuariata. Reſpondet P. Arriaga Deum per ſuam entitatem determinatum eſſe ad exiſtendum in omni tempore, ac proinde non indigere modo ſuperaddito, vt conſtituatur durans in hoc tempore, quo indiget creatura, quia indifferens eſt vt duret,vel non duret die hodierno. Admitto diſcrimen aſſignatum inter Deum,& creaturã,& adhuc vrgeo: etiamſi Deus per ſuammet entitatem intrinſecè ſit æternus, & illi repugnet ex vi ſuæ intrinſecæ entitatis non eſſe in aliquo tempore, tamen in actu ſecundo modò non eſt in die craſtina, neque dies craſtina erit in die hodierna, quia eſſe in die hodierna dicit coexiſtere hodiernæ diei,& licet Deus ſemper exiſtat, & intrinſecè ſemper idem ſit, cum dies hodiernus tantùm hodie exiſtat, tantùm hodie Deus illi coexiſtit, quia coexiſtere dicit exiſtentiam vtriuſque coexiſtentis: ergo Deum exiſtere die hodierna, quod eſt idem, aliquid dicit extrinſecum Deo, per quod æternitas intrinſeca, quam Deus habet ſecum identificatam determinatur extrinſecè ad exiſtendum modò in actu ſecundo in die hodierna, potiùs quam in craſtina. Hoc poſito, ſic argumentor: Etiamſi Deus ſit intrinſecè determinatus ad exiſtendum in omni tempore, & implicet in aliquo tempore, non exiſtere, hic & nunc per aliquid extrinſecum determinatur, vt exiſtat modò die hodierna potiùs quàm in craſtina, & die craſtinâ determinatur vt exiſtat potiùs in die craſtina,quam in hodierna:ergò creatura, quæ omnino indifferens eſt ad exiſtendum in hoc tempore, vel non exiſtendum poterit ſuppoſita illius exiſtentia per tempus extrinſecum determinari, vt potius ſit in hoc tempore,quam in illo. Probo conſequentiam:determinatio intrinſeca non conducit ad extrinſecam determinationem, potiùs illam impedit, & intrinſeca indifferentia non impedit determinationem extrinſecam,ſed ad illam conducit: ergo potiori ratione poterit creatura indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum die hodierna, determinari per aliquid extrinſecum ad exiſtentiam hodiernam, quàm Deus intrinſecè & ex natura ſua determinatus ad exiſtendum in omni tempore: ſed Deus non obſtante ſua determinatione intrinſeca ad exiſtendum in omni tempore, modò exiſtit in die hodierna, & non actu in die craſtina determinatus ab aliquo extrinſeco: ergo potiori ratione poterit creatura ab eodem extrinſeco determinata exiſtere eadem die hodierna:ergo eademmet creatura, & eadem phyſica actio poterunt determinari per aliquid extrinſecum ad habendam exiſtentiam hodiernam,vel craſtinam, & ad habendam durationem, quam poſſet non habere.

9 Idem argumentum conficio contra P. Arriagam in creatura,quam ipſe ait n.64. poſſibilem eſſe,quæ per ſuam entitatem duret tempore aliquo diuiſibili, ita vt ex ſuppoſitione quod ſit extitura non poſſit non exiſtere toto illo tempore: illa creatura, quæ per ſuam entitatem duraret per integrum annum menſe Ianuario non eſſet præſens menſi Iulio, neque menſe Iulio eſſet præſens menſi Ianuario,& menſe Ianuario,& Iulio eſſet eademmet indiuiſibilis entitas: ergo non per ſuammet entitatem conſtitueretur præſens menſi Iulio, neque menſi Ianuario, quia ſi hæ præſentiæ conuenirent illi entitati per ſe ipſam ſemper conuenirent,ac proinde toto anno,in quo eadem eſſet,omnibus menſibus eſſet præſens, & menſe Ianuario eſſet præſens menſi Iulio, & menſe Iulio præſens eſſet menſi Ianuario:ergo duratio adhuc in illa creatura, quantumuis fingatur per ſuammet entitatem durans, dicit aliquid extrinſecum, ex vi cuius creatura determinatur ad exiſtendum potiùs in hoc menſe,quam in illo, ex vi cuius formaliter eſt huic tempori præſens: ergo duratio intrinſeca entitati, ſiue ſuperaddita, ſiue identificata cum re durante ſemper eſt ſuperflua,& impertinens.

Alio modo efficaciſſimè P.Lugum, & P. Arriagam impugno: Creaturam eſſe in hoc tempore, & eſſe in alio eſt accidens quoddam phyſicum,ſiue idẽtificatum cum actione,vt ait P.Lugo,ſiue ſuperueniens rei iam productæ,vt tenet cõmunis ſentẽtia:ergo ex eo tantũ dicor durare hodie, quia actu habeo tale accidens:ergo poterit Deus modò facere vt ſtatim durem anno venturo. Probo conſequentiam; poterit Deus modò producere modum illum ex vi cuius anno venturo potero durare,vel me conſeruare ex vi eiuſdem actionis,qua me poterit conſeruare anno vẽturo, ſed eo ipſo quod producat talem modum, vel talem exhibeat actionem,me conſtituet durantem anno venturo:ergo poteſt modo me conſtituere actu durantem anno venturo ſimiliter poteſt producere modum illum, ex vi cuius anno præterito durabam, & me conſeruare ex vi actionis, qua me conſeruabat anno prӕterito:ergo modo me poteſt præſentem conſtituere anno præterito. Dices ipſis terminis implicationem inuolui, quia eo ipſo quod ſim hodie non ſum die craſtina, neque heſterna,ac proinde implicat hodie me Deum conſtituere durantem die craſtinã, aut heſterna. pauliſper operire & abſque vlla implicatione terminos explicabo. Exiſtere in hoc die eſt habere hoc accidens poſitiuũ,ſeu exiſtere ex vi huius actionis in tua ſententia, ex hac ego intendo in te inferre me poſſe ſimul exiſtere die hodierna,& die craſtina,quod ſic probo: Poteſt Deus mihi duo illa accidentia, ex vi quorum ſucceſſiuè poſſum per te exiſtere die craſtina, & die hodierna,ſimul infundere,vel me ſimul conſeruare ex vi duarum illarum actionum:ergo poterit me Deus cõſtituere ſimul durantem die hodierna, & die craſtina:ergo non bene reſpõdebis ſi dicas ex ſuppoſitione quod hodie durem,non poſſe ſimul durare cras,quia licet hoc in re verum ſit,intendo ego probare verum non eſſe in tua ſententia,& non inferri iuxta illius principia ex eo quod actu durem hodie, non actu cras durare. Sed eſto,implicẽt modi illi,ſeu illæ actiones inter ſe coexiſtentes,ex hoc capite implicabit me exiſtere ſimul in duabus mẽſuris temporis,& poſſe ſimul exiſtere die hodierna, & die craſtina: non tamen implicabit me non exiſtere die hodierna ſed craſtina, dum actu dies hodierna & non craſtina exiſtit, quod ego in te probare intendo tanquam abſurdum ex tua ſententia deductum, quodque hæc extorquet ratiocinatio:me exiſtere die hodierna,vel die craſtina tantùm dicit habere talem modum ſeu produci ex vi talis actionis: ergo dum exiſtit dies hodierna in illo priori naturæ, in quo indifferens fuit Deus ad me conſeruandum, vel non conſeruandum; ex vi talis actionis in qua conſiſtit duratio iuxta ſententiam Patris Lugi, ſeu in illo priori, in quo fuit indifferens ad producendum,vel non producendum modum durationis, quem de facto produxit, ex vi cuius duro hodierno die, potuit ſe Deus determinare ad producendum modum alium, ex vi cuius duro craſtina die, ſeu ad producendam actionem conſeruatiuam,ex vi cuius craſtina die me conſeruabit, vel ad producendum modum illum, ſeu repetendam actionem illam ex vi cuius heri duraui,ergo poterit Deus antecedenter facere,vt dum exiſtat dies hodierna, non exiſtam ego die hodierna, ſed die craſtina, vel heſterna, quarum nulla exiſtit. Confirmatur: Deus produxit in hac entitate hos modos, ſeu illam conſeruauit ex vi harum actionum quibus fuit anno 34.poſtea modos alios,ſeu alias actiones, quibus durauit anno 35.& poſtea alios modos,ſeu actiones alias, quibus durauit anno 36. Inquiro, cur non potuerit Deus immediatè poſt modos, ſeu actiones, quibus durauit entitas anno 34. producere modos, ſeu exhibere actiones, quibus durauit anno 36. difficilè poteris repugnantiam aſſignare, quam ſi non aſſignes in te inferam poſſe aliquam entitatem immediatè poſt anum 34. tranſire ad 36. & cum poſt annum 34. immediatè ſuccedat annus 35. infereturneceſſariò entitatem anno trigeſimo quinto durare anno trigeſimo ſexto. 10

Dices modum iſtum durationis, ſiue ſuperadditum rei productæ, ſiue identificatum cum productione ipſius rei eſſentialiter reſpicere hoc ſpatium,& ita non poſſe in alio produci hoc ſpatio tranſacto, & ita repugnare produci modum, ratione cuius hodie duro in alia menſura diſtincta ab iſta, & eadem ratione repugnare modò repeti durationem, quam heri habui, quia iam ſpatium, cui eſſentialiter ex natura ſua eſt affixa, tranſactum eſt, & modo anteponi durationem, quam habeo craſtina die quia nondum 11

illius

Digitized by Google

illius ſpatium aduenit. Hæc ſolutio deſtruxit potiſſimum fundamentum opinionis conſtituentis durationem ſuperadditam, quia ſi ad ſpatium imaginarium patet aditus, latiſſimus patet campus, quem tela propugnantium, durationes ſuperadditas attingere nequeunt: dicam enim me exiſtere in hoc tempore eſſe correſpondere huic ſpatio imaginario; & magis, minuſve durare eſſe correſpondere maiori, vel minori ſpatio imaginario temporis, quod acriter impugnant qui durationes ſuperadditas defendunt, ex eo quod ſpatium imaginarium non eſt aliquid reale adhuc negatiuum, ſed primum figmentum, quod tantùm habet eſſe obiectiuè in intellectu, quod reſpectu durationis, quæ ſecluſa omni fictione extrinſeceè, vel intrinſeceè rem afficit, perinde eſt, ac ſi non eſſet. Doctrinam hanc de ſpatio imaginario temporis veriſſimam cenſeo quam de ſpatio imaginario loci probaui controuerſ. 15. Puncto 2. & ita in omnium opinione ſecludendum eſt ſpatium imaginarium: illo ergo ſecluſo dicant qui durationes ponunt eſſe modos reales, & phyſicos, cur durationes quibus ſucceſſiuè duro hodie & cras non poterunt inuerſo ordine produci, ita vt priùs exiſteret modus, ex vi cuius conſtituor cras durans, & poſtea modus ex vi cuius duro hodie, ita vt priùs durarem cras, quam hodie, quod abſurdiſſimum eſſe, & naturis rerum repugnans eſſe non nego, ſed intendo hoc abſurdum, iſtúdque obiectum in ſe repugnans inferri legitimè ex ſententia, quæ durationem conſtituit in modo aliquo ex vi cuius rés producatur, vel qui rei iam productæ ſuperueniat.

12 Alio modo qui parum à præcedenti differt, poſſes dicere durationem, ex vi cuius hodie duro eſſe eſſentialiter affixam huic tempori, & ita non poſſe adhuc antecedenter in alio diſtincto ab iſto produci, & ſic de omnibus aliis durationibus. Contrà: deficiente hoc motu cœlorum & alio loco huius modò exiſtente, vel etiam deficiente omni motu, cuius duratio eſt tempus reale, poſſem ego habere eandem durationem, quam modò habeo: ergo hæc duratio nulli tempori reali eſt affixa: ergo ratione temporis realis potuit in quacumque menſura ſeu cum diuerſo ordine prioris, & poſterioris ab illo quē habet cum duratione heſterna, & craſtina produci. Deinde duratio motus non diſtinguitur ab ipſo tempore: ergo dici nequit durationem motus non poſſe produci cum alio ordine prioris, & poſterioris ex eo quod ſit tempori affixa. Inſtari ſolet exemplo præſentiæ localis, in quo facilè diſparitatem aſſigno: eſſe in hoc loco, vel in illo nihil aliud eſſe quam habere hanc vel illam præſentiã, ac proinde quotieſcumque Deus velit hanc in me præſentiam producere, dicar eſſe in hoc loco, quod ſi ſimul cum hac præſentia velit aliam in me præſentiam producere, duplici affectus præſentia dicar eſſe in duplici ſpatio, quod in re nihil aliud eſt, quàm duplex *vbi*, ſeu duplex accidens ſuperadditum eſſe in me productum, ac proinde [illegible] ſemper liberum eſt Deo duplicem, vel vnicam hanc, vel illam præſentiam in me producere, liberum eſt ſemper Deo me in duplici loco aut in hoc vel illo conſtituere: De duratione autem non poteſt ita philoſophari, quia ſi dicatur eſſe in hoc tempore, vel in illo nihil aliud eſſe quam habere hoc, vel illud accidens, ſeu produci ex vi huius, vel illius actionis non poteſt ſufficiens reddi ratio cur Deus non poſſit producere modò quamcumque durationem, & abſque vlla interruptione hanc duratione immediatè poſt illam & me conſtituere durantē anno trigeſimo octauo dum reliqua entia durãt anno 35.

13 Vltimò poſſet dici non poſſe modò produci durationem præteritam vel futuram, neque durationem craſtinam immediatè poſt heſternam hodierna non intercedēte, quia durationes eſſentialiter petunt hoc ordine produci, & hanc eſſe priorem, deinde ſubſequi aliam, & illam poſteriorem eſſe. Contra hanc ſolutionem inſurgo ſic. Hæc duratio, quam modò habeo, non petit aliam ſibi immediatè antea præceſſiſſe, neque aliam ſuccedere poſt iſtam, quia potuit eſſe prior, & poteſt eſſe poſterior omnium, quas habebam, potui enim incipere in hoc inſtanti; & tunc hæc duratio eſſet prior, & poſſum deſinere in inſtanti venturo & tunc eadem eſſet poſterior: ergo talis ordo prioris, & poſterioris eſſentialis non eſt huic durationi. Dices non eſſe eſſentialem abſolutè hunc ordinem durationi, ſed tantùm ex ſuppoſitione, quod producendæ ſint durationes aliæ, quæ ſi producantur non poterunt non hoc ordine produci. Contrà: do durationes petere hoc ordine produci, cur etiã ſi illum exigant non poterit Deus contra exigentiam illarum hunc ordinem inuertere? Secundò cur omnes hæ durationes, quæ cum hoc ordine inceperunt à die hodierno non potuerunt eodem ordine à die craſtina incipere: quod ſi poſſet contingere, durationes ipſæ indifferentiam haberent ad exiſtendum in hoc tempore potiùs, quam in illo. Hæc contra opinionem conſtituentem in modo intrinſecè ſuperaddito rei duranti, ſiue diſtincto, ſiue identificato cum actione, ex vi cuius producitur.

14 Contra opinionem Patris Lugo conſtituentis durationem in actione eſſentialiter ſucceſſiua præter difficultates, quas ſuprà expendi, obiici poteſt, non eſſe de conceptu eſſentiali actionis diſtingui à termino. & ita poſſe actionem identificari cum termino ex natura ſua immanenti vt abſolutè de omni actione dicebam Controu. 12. Punct. 1. Secundò difficilè in Theologia poterit componi meritum noſtrarũ operationum, quia cùm actus voluntatis qui meritorij ſint formaliter includant actionem, & in hac totum exercitium noſtræ libertatis conſiſtat, ſi actiones ſunt eſſentialiter ſucceſſiuæ & ſingulis inſtantibus ſingulæ actiones correſpondeant ſequitur hominem elicientem actum amoris durantem per octo temporis inſtantia elicere octo actiones numero adæquatè diſtinctas, & conſequenter octo amoris actus, quorum cuilibet diſtinctum præmium correſpondet, non ſolum ratione circunſtantiæ diſtinctæ, ſed etiam ratione ſubſtantiæ amoris, qui ſecundum ſubſtantiam diſtinctus eſt in quocumque inſtanti à reliquis, qui ſunt in aliis temporis inſtantibus, & in opinione Ariſtot. cum in quacumque menſura temporis exiſtant infinita inſtantia, infinitos amoris actus elicere homo, in quacumque parua temporis menſura, in qua amorem eliciat; & cum cuicumque ratione ſubſtantiæ actus, etſi illius duratio ſit inſtantanea, diſtinctum præmium aliquorum correſpondeat, infinitis actibus infinitæ partes aliquotæ gratiæ in primo reſpondebunt, & ita homo per quodcumque opus meritorium durans tempore valde exiguo infinitam gratiam conſequentur, quod abſurdum eſt.

15 Hæc in communi ſententia facilè componuntur, quia ille, qui per integram horam perſeuerat in eodem actu, eundem exercet ſecundum ſubſtantiam in omnibus inſtantibus, & ita cum in primo, & ſecundo inſtantis ſubſtantia actus non eſt diſtincta, non illi correſpondet diſtinctum præmium, neque eſt peccatum diſtinctum ſecundum ſubſtantiam, ſed tantùm illi accreſcit malitia aut bonitas ratione circunſtantiæ, & cum reſpectu cuiuſque inſtantis ſeu partis proportionalis circunſtantia aliquota non ſit, ita non illi præmium aliquorum correſpondet. Reiicienda ergo eſt ſententia P. Lugo, quia præter difficultates, quas patitur totam commouet Philoſophiam, ac Theologiam. Tandem vtramque ſententiam euertent rationes, quas iam exhibeo ad producendum durationem non eſſe aliquid intrinſecum ſuperadditum.

§. III.

Propria ſententia.

16 ASſero cum ſapientiſſimis Patribus Vaſq. Soar. Mol. Valen. à quibus ſine vrgentiſſima ratione nunquam recedere auderem, durationem non eſſe accidens intrinſecum rei ſuperadditum, ſed eandem entitatem per ſe ipſam, & per connotationem extrinſecam ad tempus actu, vel potentia exiſtens, durare & conſtitui in tempore, & in hoc præ alio. Priorem partem concluſionis videlicet durationem nihil reale intrinſecum importare ſic probo: eo ipſo præciſè quod intelligatur creatura exiſtens, & tempus extrinſecum conſtituitur creatura coexiſtens temporis extrinſeco: ergo conſtituitur in tempore: ergo cõſtituitur durans: ergo non indiget alio accidenti ſuperaddito. Antecedens probo: coexiſtentia nihil aliud eſt quàm vtraque exiſtentia extremorum coëxiſtentium: ergo eo ipſo quod intelligatur exiſtentia creaturæ, & exiſtentia temporis, ſeu illius poſſibilitas intelligitur coëxiſtentia rei & temporis actu, vel poſſibilis. Conſequentiam probo, eſſe in tempore nihil aliud eſt, quàm coëxiſtere tempori, ſed per exiſtentiam rei, & temporis intelligitur hæc coëxiſtentia quocumque alio ſecluſo: ergo quocumque alio ſecluſo intelligitur res in tempore exiſtens.

17 Confirmo eandem concluſionem: entitas ex ſe indifferens vt duret in hoc tempore vel in illo, in ſententia conſtituente

Digitized by Google

ſtituente durationem ſuperadditam determinatur per accidens illi intrinſece ſuperadditum, vt ſit potiùs in hoc tempore, quàm in illo: ergo poterit eadem ratione determinari per aliquid extrinſecum ſecluſo quocumque alio intrinſeco. Dices durare eſſe aliquid intrinſecum, ac proinde non poſſe creaturam per aliquid extrinſecum determinari ad durandum. Contrà: etſi creatura determinetur ad durandum per aliquid extrinſecum, illud extrinſecum non erit totum id, quod dicit creaturam durare, neque tota ratio durationis, quæ eſſentialiter includit rem durantem: ergo etiamſi duratio ſit aliquid intrinſecum poterit vltimò determinari per aliquid extrinſecum, dum dicat aliquid rei intrinſecum, quod in mea ſententia eſt ipſa entitas, quæ durare dicitur, qua nihil magis illi intrinſecum. Confirmatur: durare eſt coëxiſtere tempori actuali, vel poſſibili, coëxiſtere dicit exiſtentiam vtriuſque extremi: ergo dicit exiſtentiam rei durantis illi nimis intrinſecam, & dicit tempus reale actuale, vel poſſibile: ergo dicit aliquid intrinſecum rei duranti, & aliquid illi extrinſecum per quod determinatur entitas ad exiſtendum potius in hoc tempore, quam in illo, quod rei duranti nimis extrinſecum eſt: quid enim mea, dum eandem exiſtentiam habeo huic, vel illi tempori reſpondere?

18 Arguo iterum pro eadem parte. Si daretur duratio ſuperaddita ante ipſam ſupponeretur entitas in hoc tempore ergo talis duratio eſſet ſuperflua. Probo antecedens: ante durationem deberet ſupponi entitas in actu primo tanquā cauſa materialis illius, ſed in illo priori deberet ſupponi exiſtens in hoc tempore: ergo ante durationem ſupponeretur entitas durans. Probo minorem, entitas ante durationem prioritate naturæ debet ſupponi in aliquo tempore; non in præcedenti, neque in futuro, quæ non ſunt: ergo in præſenti. Dices ad durationē recipiendam, ex vi cuius entitas ſupponitur durans, non debere ſupponi rem durantem, ſicuti neque debet ſupponi præſens ad recipiendam præſentiam. Contrà: entitas ad hanc durationem non ſupponitur in aliquo tempore, ſed ſufficit ſupponi ſecundum ſuam nudam exiſtentiam: ergo ex eo quod futura ſit illius exiſtentia etiamſi modo non ſit, poterit modo ſuam recipere durationem, & modo durare. Dices ad productionem huius durationis in inſtanti *B*, requiri immediatè duraſſe in inſtanti *A*, quia durationes petunt hoc ordine produci. Reieci hanc ſolutionem num. 13. lege quæ ibi ſcripſi. Alij dicunt ad hanc durationem ſupponi entitatem priùs natura exiſtentem in hoc tempore, non poſitiuè, ſed negatiuè. Hos rogo; per quid conſtituatur entitas negatiuè exiſtens in hoc tempore: neceſſum eſt dici conſtitui per ſuam exiſtentiam & per exiſtentiam ſpatij (do tibi modò eſſe tale ſpatium) vel temporis actu, vel potentia fluentis: ergo hæc exiſtentia in tempore, quam tu negatiuam vocas, dicit ex parte ſubiecti entitatem poſitiuam rei durantis, & ex parte temporis, vel ſpatij entitatem ſpatij, vel temporis quæcumque illa ſit: ergo ex parte ſubiecti non eſt negatiua, ſed poſitiua: ergo nulla alia eſt neceſſaria, vt intelligatur entitas abſolutè durans per ſuammet poſitiuam entitatem, & aliud extrinſecum connotatum, quodcumque illud ſit.

19 Secundam partem concluſionis videlicet durationem dicere ſupra entitatem aliquod extrinſecum connotatum facilè ſuadetur, quia duratio hodierna & heſterna diſtinguuntur: entitas durans hodie, & heri eſt eadem: ergo aliquo modo diſtinguuntur entitas, & duratio, non per aliquid intrinſecum vt probaui: ergo per aliquid extrinſecum. Secundò magis duraui hodie, quam heri duraueram: ergo productior, & auctior eſt mea duratio hodie, quam heri non per meam entitatem præcisè ſumptam, quia heri, & hodie eſt eadem: ergo per aliquid diſtinctum: non intrinſecum: ergo extrinſecum. Hoc extrinſecum eſſe tempus reale fluens actu vel potentia probatur ex eo quod ſpatium imaginarium eſſe non poſſit, cum ſit quid chimæricum, & fictitium: ergo nihil aliud poteſt aſſignari, ratione cuius dicatur entitas potius durare in hoc tempore quam in illo, & maiorem vel minorem habuiſſe durationem. Hanc coëxiſtentiam, ſeu connotationem magis explico: tempus, vt conſtabit ex dicendis Puncto 3. nihil aliud eſt quam partes motus ſucceſſiuè fluentes cum hoc ordine prioris, & poſterioris, ita vt in eadem menſura, in qua vna corrumpitur, producatur altera, & ita perpetuò ſine intermiſſione, & ſine aliqua partium coëxiſtentia fluat. Vnde eo tempore res durare dicitur, cui coëxiſtit, & ita durare hodie nihil aliud eſt, quàm hanc entitatem exiſtere, & exiſtere fluxum partium motus cum hoc ordine prioris, & poſterioris, & durare magis vel minus eſt, coëxiſtere pluribus, vel paucioribus partibus motus. Dixi enim durare eſſe coëxiſtere partibus motus actu vel potentia fluentibus, quia vt ego durem hodie non requiritur tot partes motus actu fluere mihique actu coëxiſtere, ſed quod poſſint fluere, vel quod ſi fluerent mihi poſſent omnes coexiſtere, ſiue abſolutè poſſint ſiue non poſſint; vnde etiamſi implicaret omne tempus reale eodem modo durarem ego per hunc annum, quia ex parte mei omnes partes motus ſucceſſiuè fluentes, quibus annus conſtat, mihi poſſent coexiſtere, & de facto coexiſterent, ſi ipſæ de facto exiſterent cum ordine prioris, & poſterioris requiſito ad hunc annum conſtituēdum. Aduerte etiam hanc meam durationem hodiernam non dicere ordinem ad has numero partes motus, quæ de facto ſunt, quia ſi loco illarum aliæ producerentur, eadem permaneret, ſed tantùm dicit ordinem ad tot partes motus, has, vel illas cum hoc ordine prioris, & poſterioris reſpectu aliarum, quæ ſunt priores, & poſteriores illis, qua in hoc ordine conſiſtit tota ratio temporis, ad quod dicit ordinem duratio, ita vt ſi partes motus, quæ heri præceſſerunt partes hodierni motus inuerſo ordine eſſent productæ, & illæ quæ priùs fuerunt productæ poſteriùs producerentur, & è contra, partes motus, quibus conſtabat dies heſternus, diem hodiernum conſtituerent, & diceretur idem dies, & partes motus, quæ hodiernum diem componunt eumdem diem heſternum efficerent, quē aliæ conſtituerunt, & etiamſi partes motus, quæ heri præceſſerunt, hodie repeterentur, conſtituerent diem hodiernum diſtinctum ab heſterno per diuerſum ordinem prioris, & poſterioris, ex quo ſumitur tota temporis diuerſitas, non ex materiali indiuiduatione partium motus, quia per accidens eſt reſpectu huius diei conſtare his, vel illis partibus, & tantùm dicit conſtare tot partium numero cum hoc ordine prioris, & poſterioris. Eadem ratione hoc numero inſtans non dicit hanc numero partem motus, ſed vnam partem hanc, vel illam cum hoc tamen ordine prioris, & poſterioris. Doctrinam hanc mēti profundè affige, eſt enim potiſſimum fundamentum omnium, quæ in hac materia tractantur, ex qua difficillima ſoluuntur argumenta.

§. IV.

Difficilis obiectio expenditur, & ſoluitur.

OBiicies. Durare, eſt correſpondere partibus motus: ſed eiſdem partibus motus poſſunt reſpondere hodie, & cras, quia eadem partes motus, quæ ſunt hodie potuerunt produci cras & non hodie: ergo poſſum habere cras eandem durationem, quam habeo hodie: Vrgeo, durare eſt correſpondere partibus motus actu, vel potentia fluentibus, pono nullas fluxiſſe heri, neque hodie & argumentor ſic; eiſdem partibus motus, quibus heri potui coëxiſtere poſſem coëxiſtere hodie, omnes enim poſſibiles partes motus indifferentes erant vt producerentur heri, vel hodie: ergo per ordinem ad partes motus non poſſunt diſtingui duratio hodierna & heſterna, cum partes, quas vtraque duratio connotat ſint eædem, inſuper duratio ex parte ſubiecti eadem eſt: ergo ex nullo capite diſtinguitur duratio hodierna ab heſterna, caſu quo nullæ partes motus fluxerint heri & hodie: ergo etiamſi fluxerint, quia fluentibus & non fluentibus partibus motus mea duratio hodierna, & heſterna eadem eſt. 20

Ex doctrina tradita paucis poſſem huic difficultati ſatisfacere, quia tamen eſt omnium grauiſſima, quæ in hac materia poſſunt occurrere, in illa expendenda aliquantulum immorabor. Rem ita componunt Magiſtri doctiſſimi; aſſerunt diem hodiernum non conſtitui per hunc motum ſecundùm ſe conſideratum, ſed per motum denominatum extrinſecè à partibus, quæ ante illum fluere potuerunt. Vnde tempus hoc non eſt hæc pars motus, quæ modo contingit, vel contingere potuit, quia eadem potuit craſtina die aduenire, vt rectè probat obiectio, ſed eſt hæc pars motus cum denominatione extrinſeca, vt ante illam potuerint præcedere tot partes motus, non plures, neque pauciores. Vnde ſi eadem pars motus, quæ eſt hodie, ſit cras, non erit idem tempus, quia plures partes potuerunt illam craſtina die 21

Digitized by Google

die præceſſiſſe quam hodie præceſſiſſe poſſunt. Ex quo inferunt durationem eſſe correſpondentiam partibus motus, & maiorem vel minorem durationem, eſſe correſpondentiam pluribus vel paucioribus motus partibus; durationem verò hodiernam vel craſtinam, eſſe correſpondentiam partibus motus, quam tot partes motus præcedere potuerunt. Acuta ſatis, & ingenioſa ſolutio, nihilominus plus coloris, quam ſucci habere puto, ne me colore decipiat, illam premo, vt videam quid ſucci contineat. Iuxta opinionem, quæ negat motum potuiſſe ab æterno procedere, nulla multitudo finita partium motus poterit aſſignari potens præcedere diem craſtinum; quæ non potuerit diem hodiernum præcedere, & quia motus ſyncategorematicè infinitus potuit diem hodiernum præcedere, ita vt nullus detur adeò extenſus, vt non potuerit extenſior alius præcedere diem hodiernum: ergo ſecundùm hanc ſententiam non plures partes motus potuerunt præcedere durationem craſtinam, quam hodiernam: ergo ſecundùm hanc ſententiam non poteſt diſtingui duratio craſtina ab hodierna ex eo, quod plures motus potuerint craſtinam, quàm hodiernam præcedere: non bene ergo per ordinem ad plures paucioreſve partes motus, quæ potuerunt præcedere durationem hodiernam, & craſtinam diſtinguunt hi recentiores, qui negant non poſſe dari motum ab æterno, & affirmant nullam eſſe multitudinem finitam partium motus adeò magnam, qua maior alia non potuerit diem hodiernum præcedere, quod nullus negat. Reſpondebis forſan eiuſdem motus ab eodem inſtanti incipientis plures partes præcedere durationem craſtinam, quàm hodiernam, & per ordinem ad has durationes diſtingui. Solutio facilis nec minùs obuia menti, quàm impugnationi peruia. Incipere ab hoc inſtanti vel diuerſo, eſt habere hanc durationem, vel aliam diuerſam. Inquiro modo quid ſit incipere ab hoc inſtanti, vel diuerſo, quod eſt inquirere, quid ſit duratio, quod non poteris explicare prædicto modo, ſi enim recurras ad partes præcedentes ante hoc inſtans vel illud, redit iterum argumentum ſuprafactum: quod ſi de tempore dicis habere hanc durationem eſſe incipere ab hoc inſtanti, vel illo, nullo habito reſpectu ad partes præcedentes, idem dicito de mea duratione, & dicito me habere durationem craſtinam eſſe habere correſpondentiam tot partibus motus incipientem ab hoc inſtanti: quod ſi in hac re difficultatem non exhaurit, neque in illa.

22 Secundò iuxta omnium opinionem ſolutionem impugno. Potuiſſe præcedere plures partes motus ante durationem hodiernam, quàm ante craſtinam, nihil aliud eſt quam illam maiorem multitudinem partium eſſe ante durationem craſtinam, ita vt partes illæ exiſtant, neque exiſtat, neque extiterit duratio craſtina, ſed immediatè poſt illas ſit extitura, neque alio modo poteſt explicari quid ſit rem hanc præcedere: ergo neceſſum non eſt recurrere ad partes præcedentes durationem hodiernam, & craſtinam, vt has durationes diſtinguas, ſed poteris aſſerere durationem hodiernam diſtingui à craſtina, quia hodierna præcedit craſtinam, & quia partes motus, quibus duratio hodierna correſpondere poteſt, debent præcedere alias, quibus duratio craſtina correſpondeat, melius enim explicari poterunt durationes diſtinctæ per præcedentiam inter ipſas, & inter partes motus ad quas dicunt ordinem quàm per præcedentiam aliarum partium motus, quæ præceſſerint vel non præceſſerint, præcedentia enim reſpectu omnium eſt æquè facilis, vel difficilis explicatu, & propriùs diſtinguuntur durationes per id, quod in ſe includunt, quàm per aliud tertium ab ipſis diſtinctum: debebat ergo dici durationem hodiernam diſtingui à craſtina, quia hodierna craſtinam præcedit, & ſic ex ipſis durationibus illarum diſtinctionem aſſignares. Si inquiras quid ſit durationem hodiernam præcedere durationem craſtinam, inquiram, quid ſit illam minorem, aut maiorem multitudinem partium motus præcedere durationem craſtinam, vel hodiernam? & reſponſionem quam dederis, tibi reddam, quam apertè cognoſces per hunc ordinem ad partes motus præcedentes rem non explicari, ſed tantùm primo aſpectu eludi, & in re terminorum multitudine magis confundi.

23 Rem magis declaro: Dies hodiernus poteſt habere ante ſe pauciores partes motus, quàm dies craſtinus, & dies craſtinus plures quam hodiernus: exceſſus ille quem habet dies craſtinus plurium partium motus illum præcedentium, habet dies hodiernus plurium partium motus ipſum ſubſequentium, quia ſi ante diem craſtinam potuerunt præcedere plures partes motus, quàm ante hodiernum, poſt diem hodiernum poterunt plures ſubſequi, quàm poſt craſtinum: inquiro ergo, quomodo hi exceſſus diſtinguantur. Dices, quia dies hodiernus habet exceſſum à parte poſt, & dies craſtinus habet exceſſum à parte antea, dies hodiernus exceſſum ſubſequentem poſt illum, & dies craſtinus præcedentem ante illum, quod non poteris ampliùs explicare: ergo eodem modo poteris dicere durationem hodiernam, & craſtinam diſtingui ex eo quod hodierna craſtinam præcedat, & illa ſubſequatur, hodierna ſit ante craſtinam, craſtina poſt hodiernam, & quia dum exiſtit duratio *A*, quæ eſt hodierna, non eſt verum dicere, exiſtit aut extitit duratio *B*, quæ eſt craſtina, ſed tantùm dici poterit exiſtit duratio *B*: ergo recurrendum non eſt ad alias diſtantes partes motus, quæ præceſſerunt, in quibus, ſi alicui minor appareat difficultas, ex eo eſt, quia rem diſtantem non ita facilè videre poteſt, quàm ſi propè inſpiceret multitudine terminorum maiorem eſſe agnoſceret.

Ad obiectionem reſpondeo ex doctrina tradita in hoc §. & in fine præcedentis, durare eſſe correſpondere partibus motus actu, vel potentia ſucceſſiuè fluentibus, quæcumque ſint partes illæ, plus minùſve durare, eſſe correſpondere pluribus paucioribúſve partibus motus actu vel potentia fluentibus. Vnde durare per vnum annum eſt actu, vel potentia correſpondere mille partibus motus, non pluribus neque paucioribus, ex quo capite præcisè non differunt duratio, quam habui anno præterito à duratione, quam habeo hoc anno, differunt tamen hæ durationes inter ſe, per ordinem, quem habent prioris, & poſterioris, ex vi cuius hæc eſt poſterior, & illa prior, & partes motus, quibus actu, vel potentia correſpondeo hoc anno, debent eſſe poſteriores partibus motus, quibus anno præterito correſpondebam, vel correſpondere potero. Ad maiorem rei explicationem noto durationem hodiernam, & craſtinam reſpectu eiuſdem ſubiecti tantum extrinſecè differre per ordinem prioris, & poſterioris vnius ad aliam, quia hæc eſt prior & illa poſterior, id enim dicitur craſtinum reſpectu diei hodierni, quod nondum fuit, ſed erit immediatè poſt diem hodiernum, & dies ille, qui immediatè ante hunc præceſſit dies heſternus dicitur. Ex his ſolutio facilis eſt ad prædictam obiectionem, cui reſpondeo, meam durationem hodiernam differre à mea duratione craſtina per ordinem prioris, & poſterioris ipſarum, & partium motus, quibus actu vel potentia heri, & hodie correſpondeo per quas duratio hodierna, & heſterna conſtituuntur. 24

Ex his facile eſt durationes diſtinguere: duratio enim hodierna, & heſterna, quas ego habui, diſtinguuntur ratione prædicti ordinis prioris, & poſterioris, vt ſæpe dixi duratio mea hodierna diſtinguitur à duratione etiam hodierna Petri non per ordinem prioris & poſterioris: ſed ratione ſubiecti, ſeu rei durantis, quæ ſimul cum illo extrinſeco connotato durationem conſtituit, duratio mea hodierna diſtinguitur à duratione heſterna Petri extrinſecè per diuerſum ordinem prioris, & poſterioris, & intrinſecè ratione ſubiecti diſtincti. 25

§. V.

Aliæ obiectiones ſoluuntur.

OBiicies primò. Poteſt exiſtere mea entitas & exiſtere tempus reale, & tamen non coexiſtere mea entitas, & motus, ſed habere diuerſas durationes, ita vt ego exiſtam hodie, & tempus cras; ergo coëxiſtentia meæ entitatis & temporis aliquid dicit diſtinctum ab exiſtentia vtriuſque, ex vi cuius conſtituitur exiſtentiarum ſimultas. Multo feſellit hoc argumentum præcipuè Arriagam n. 12. vbi illud conficit contra ſpatium imaginarium in hunc modum; poteſt ſpatium imaginarium exiſtere hodie, & ego exiſtere cras, non coexiſtendo ſpatio imaginario: ergo coëxiſtere ſpatio imaginario aliquid addit ſupra meã exiſtentiam ſpatij. Si termini huius argumenti explicentur, euaneſcet omnino. Reſpondeo me non poſſe exiſtere & 26

& exiſtere hoc ſpatium, ſeu hoc tempus, quin coëxiſtamus ego & ſpatium, ſeu tempus, quia coexiſtentia nihil aliud eſt quàm duplex extremorum exiſtentia. Ad probationem antecedentis reſpondeo exiſtere modò tempus, & me exiſtere cras, non eſſe tempus exiſtere, & me exiſtere; ſed tempus exiſtere, & me extiturum eſſe, exiſtere enim cras non eſt ſimpliciter exiſtere donec veniat dies craſtinus, & ante illum tantùm eſt extiturum eſſe, cum verò cras adueniat, & verè exiſtat quod nunc tantùm eſt extiturum, iam tempus, quod nunc exiſtit, non poterit dici exiſtens, ſeu exiſtere: ſed tantùm extitiſſe, id enim tantùm ſimpliciter eſt exiſtens, quod actu exiſtit, reliqua verò, quæ exiſtent, vel extiterunt, non dicuntur ſimpliciter, & ſine addito exiſtere, quia extitiſſe, aut extiturum eſſe non eſt ſimpliciter exiſtere. Ex quo infertur hanc eſſe legitimam conſequentiam: tempus exiſtit, homo exiſtit: ergo coëxiſtunt tempus, & homo.

27 Obiicies ſecundò ex eodem Arriaga: Quælibet entitas eſt indifferens ad durandum, vel non durandum: ergo duratio diſtinguitur ab illa. Retorqueo argumentum: Quælibet entitas creata eſt indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum: ergo exiſtentia diſtinguitur ab entitate creata. Non admittet Arriaga hanc conſequentiam, & ita non illa nos permere poterit. Reſpondeo quamlibet entitatem poſſe durare, & non durare, ſicut poteſt exiſtere, & non exiſtere, non tamen eſſe indifferentem phyſicè, ad durandum, vel non durandum, ſicuti non eſt indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum, non enim datur ſubiectum commune vtrique extremo, res enim, quæ non durat vel non eſt in tempore, abſolutè non eſt. Secundò, entitas in inſtanti, in quo eſt, non eſt indifferens ad durandum, quia iam ſupponitur in illo inſtanti: in inſtanti in quo non eſt, non poteſt habere indifferentiam, quia quando non eſt, nullius indifferentiæ poteſt eſſe ſubiectum: ergo nunquam poteſt hanc indifferentiam habere. Poterit tamen dici in hoc inſtanti entitas aliquo modo indifferens ad exiſtendum vel non exiſtendum in inſtanti ſequenti, ſeu ad durandum, vel non durandum in illo quod eſt idem, ex quo tantùm infertur durationem diſtingui ſaltem extrinſecè à re durante, quod nos concedimus, non verò deducitur diſtingui intrinſecè.

28 Obiicies tertiò ex eodem: Potuit Deus decernere creare Adamum in hoc, vel in illo tempore: ergo quando decreuit creare Adamum in hoc tempore, aliquid aliud decreuit præter Adami entitatem. Reſpondeo Deum decernentem creare Adamum in hoc tempore decreuiſſe aliquid præter entitatem Adami non illi intrinſecum, ſed tantum extrinſecum, videlicet creare illum coëxiſtentem huic tempori, ſeu partibus motus ſucceſſiuè fluentibus cum hoc ordine prioris, & poſterioris, ſeu creare illum aptum coëxiſtere partibus motus hunc ordinem prioris, & poſterioris retinentibus.

29 Obiicies quartò, Ad præſentiam in hoc ſpatio loci requiritur modus ſuperadditus rei præſenti loci ſpatio: ergo ad præſentiam in ſpatio temporis requiritur modus ſuperadditus rei præſenti temporis ſpatio. Reſpondeo negando conſequentiam, quia poſito hoc loco, ſeu hoc ſpatio, & poſita hac entitate, poteſt hæc entitas non eſſe in hoc loco, modò enim exiſto ego & exiſtit locus Romanus, & ego non exiſto in loco Romano, poſito tamen hoc tempore, & hac entitate, non poteſt hæc entitas non eſſe in hoc tempore, & ita non indiget alia entitate ſuperadditâ, vt ponatur in tempore, & illa indiget vt ponatur in loco.

30 Vltimò poſſes obiicere, Quod homo coëxiſteret partibus motus habentibus talem ordinem prioris & poſterioris, caſu quo partes darentur, ſi de facto non dantur tales partes motus, nunc de facto nihil eſt: ergo non poteſt per ordinem ad hoc deſumi actualis duratio, quia denominatio actualis non poteſt deſumi à forma, quæ actu non eſt. Reſpondeo plures denominationes actuales in omnium opinione deſumi à formis, quæ actu non ſunt, ſed fuerunt, erunt, vel eſſent tali poſtea conditione: ſic ego dicor prior Antichriſto deſumpta denominatione à duratione Antichriſti, qui non eſt, ſed erit, & poſterior Adamo deſumpta denominatione à duratione Adami, quæ non eſt, ſed fuit, & propoſitio de obiecto conditionato dicitur vera vel falſa ab euentu, qui non eſt, ſed eſſet, quia denominationes, quæ non important aliquid phyſicum, ſed aliquid morale, deſumi poſſunt ab illo, quod phyſicè non eſt, ſed tantùm moraliter, poteſt autem dici moraliter eſſe, quod phyſicè fuit, erit, aut eſſet. Sic contingit in denominatione durationis diuiſibilis, v.g. vnius diei, quæ eſt totum quoddam morale, entitas enim phyſicè tantùm durat in vnico inſtanti, in reliquis autem, quæ dies importat, aut durauit, aut durabit.

31 Inſtabis: etiamſi duraſſe, aut duraturum eſſe ſit aliquid morale, tamen actu non durare eſt aliquid phyſicum: ergo debet dari aliqua forma phyſicâ, ex vi cuius entitas conſtituatur actu durans. Reſpondeo entitatem in hoc inſtanti durare dicere entitatem rei durantis ſecundùm ſe, & hanc eſſe quid phyſicum, hanc autem entitatem durare in hoc inſtanti ſecundùm id, quod dicit durare in hoc inſtanti diſtinctum ab hoc, quod eſt durare in alio inſtanti, non eſſe quid phyſicum in entitate, ſed quid morale, videlicet huic entitati accidere coëxiſtentiam cum parte motus habente hunc ordinem prioris, & poſterioris, & non alium, quod eſt nimis extrinſecum entitati, & nulla phyſica vnione illi connexum, ſed tantùm pura coëxiſtentia, quæ facit vnum coëxiſtens totum non phyſicum, ſed morale.

Pvnctvm II.

Nonnulla expediuntur de duratione.

1 DVratio diuiditur in creatam, & increatam. Duratio increata definitur à Boëtio: *Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.* Hæc tantùm Deo conuenit, & æternitas dicitur: differt à duratione ſucceſſiua, quia hæc non eſt tota ſimul, differt ab hac, & quibuſcumque aliis durationibus, quia æternitas, ſeu increata duratio eſt interminabilis, reliquæ verò durationes terminum habent, quia in tempore cœperunt, imo etiamſi ab æterno incæpiſſent, & in æternum permanerent ab illis ſummê differret æternitas Dei, quæ ita fuit ab æterno vt non potuerit non eſſe, neque poſſit non in æternum permanere, ſemperque independenter ab omni alio ſubſiſtit, reliquæ verò durationes defectibiles ſunt, & dependentes, & ita ſi contigiſſet aliquam ab æterno fuiſſe, & in æternum non defecturam eſſe, hanc perpetuam durationem haberet dependenter à voluntate Dei, qui antecedenter poſſet illam non produxiſſe, ſicuti de facto modò illam non producit. Hac ratione ſola Dei duratio, ſeu æternitas perfecta poſſeſſio dicitur, quia nunquam poteſt deperdi. De natura æternitatis latiſſimè Pater Soar. tom. 2. Metaph. diſput. 50.

2 Duratio creata alia eſt temporaria, alia perpetua. Duratio perpetua dicitur duratio Angeli, & animæ rationalis quæ licet habuerit principium in tempore finem non eſt habitura: hæc perpetua duratio dicitur æuum. Duratio temporaria eſt illa quæ tempore incipit, & tempore deſinit; diuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam: Duratio ſucceſſiua eſt illa, cuius partes inter ſe non coëxiſtunt, ſed perpetuò fluunt corrupta hac parte in eadem menſura, in qua illa producitur, & ſic de omnibus. Duratio permanens eſt illa cuius partes ſibi coëxiſtunt: hæc in animalibus præcipuè in rationali ætas dicitur, in reliquis verò entitatibus abſque vllo addito duratio appellatur.

3 Inquiri poſſet an poſſit entitas creata ab omni duratione abſolui: quæ difficultas in mea ſententia locum non inuenit, quia cum non diſtinguat durationem à re durante, ita implicat entitatem à duratione ſeparari, ſicut implicat à ſe ipſa ſecerni. Dices: ſaltem dicere adhuc in mea ſententia extrinſecum aliquod, quod poſſet à re durante ſeparari, & quo deficiente non eſſet duratio. Reſpondeo adhuc extrinſecam hanc connotationem non poſſe à re durante ſeparari, quia non importat exiſtentiam abſolutam alicuius entitatis, ſed tantùm, quod ſi exiſterent partes motus ſub tali ordine prioris, & poſterioris entitati coëxiſterent, quod ſuppoſita exiſtentia rei non poteſt ſeparari ab illa, eo enim ipſo, quod Deus entitatem producat verum erit dicere fore vt aliquæ partes motus cum aliquo ordine prioris, & poſterioris tali entitati coëxiſterent, ſi motus aliquis omni tempore, ſeu ab æterno fluxiſſet. In ſententia, quæ durationes ſuperadditas rebus attribuit concedet nemo, poſſe Deum conſeruare entitatem abſq; omni duratione ſuperaddita: ergo verò intēdo contra hanc ſententiā inferre rem ita poſſe contingere, quia actio

terminata

Digitized by Google

terminata ad ſubſtantiam rei eſt prior actione terminatâ ad illum durationis modum, & actio ab hac poſteriori eſt independens, & poterit ſine iſta ſubſiſtere: negabunt id huius ſententiæ patroni quos modò non impeto, abundè enim cum illis contendi Punct. præcedenti. Vnum eſt certum apud omnes, entitatem non poſſe de potentia Dei abſoluta à duratione omni abſolui, quod ſi oppoſitum ex ſententia conſtituente durationes ſuperadditas inferatur, illatio ex conſequentis falſitate antecedentis falſitatem euincet.

4 Similiter inquiri poteſt quibus rebus conueniat duratio: quæ difficultas locum non habet in noſtra ſententia, quia cum duratio à re durante non diſtinguatur, neceſſariò debent dari tot durationes, quot entitates. In opinione admittente durationes ſuperadditas eodem modo de durationibus ac de præſentiis philoſophandum eſt.

5 Tandem poſſet inquiri, quid ſit ſpatium imaginarium temporis. Reſpondeo eodem modo, ac de ſpatio imaginario loci, eſſe purum nihilum, & tantum habere eſſe fictitium, & chymæricum, quod eiſdem rationibus probandum eſt, quibus vſus ſum Controuerſia præcedenti, Puncto 3. contra ſpatium imaginarium loci.

PVNCTVM III.

Quid ſit tempus reale?

1 Tempus definit Ariſtoteles his verbis: *numerus motus ſecundum prius, & poſterius.* Vt definitionem percipias, primò aduerte aliquas partes motus inter ſe coëxiſtere, alias verò ſibi ſuccedere: coëxiſtunt ſibi partes motus inſidentes diuerſis partibus mobilis, quibus in eadem menſura mouetur totum mobile: ſibi ſuccedunt partes motus, quæ indiuiſibiliter idem mobile ſecundùm eaſdem omnino partes, ſeu eaſdem partes afficiunt. Rem clarè monſtrabit exemplum: Peto ego modò Eccleſiam, dum mouentur pedes, mouentur etiam brachia, & ſibi coëxiſtunt partes motus, quæ ſunt in pedibus, & quæ ſunt in brachiis: ſi tamen partes reſpectu ſubiecti indiuiſibiliter ſumpti, ſiue ſit diuiſibile, ſiue indiuiſibile inſpiciantur, nunquam ſibi poterunt coëxiſtere. Ratio eſt manifeſta, dum ego ab hoc loco ad Eccleſiam vſque peruenio, totum corpus, & ſingulæ partes illius plures præſentias acquirunt, ex vi quarum correſpondent toti intercapedini, quæ eſt intra hunc locum, & intra Eccleſiam: hæ præſentiæ diuerſæ diuerſis actionibus producuntur, quæ partes motus dicuntur: de his dicimus non poſſe ſibi coëxiſtere, quia præſentiæ illæ, quæ afficiunt eandem partem corporis; verbi gratiâ, eundem pedem, coexiſtere non poſſunt, non expelluntur enim mutuò ab eodem ſubiecto, quod in duplici loco eſſe nequit: quod ſi præſentiæ quæ ſunt termini partium motus non poſſunt coëxiſtere, neque partes motus, ex vi quarum præſentiæ producuntur, quæ non poſſunt à propriis terminis ſeparari. Itaque ex his concluditur partes motus reſpicientes diuerſa ſubiecta ſibi poſſe coëxiſtere, quia illarum termini videlicet præſentiæ diuerſæ poſſunt ſimul afficere diuerſa ſubiecta, quæ ſimul tempore poſſunt eſſe in diuerſis locis, partes verò motus reſpicientes idem ſubiectum coëxiſtere non poſſe, quia illorum termini videlicet præſentiæ diſtinctæ non poſſunt coëxiſtere in eodem ſubiecto.

2 Hanc partium ſucceſſionem extrinſecam eſſe partibus, rectè probat Soar. diſput. 50. ſect. 8. ratio præſto adeſt: partem hanc, pono partem B, eſſe priorem parte C, dicit duo, partem C non exiſtere dum exiſtit pars B, & immediatè poſtea exiſtere, vtrumque extrinſecum eſſe parti B, ſic probo: partem C non exiſtere dum exiſtit pars B, dicit negationem exiſtentiæ partis C coëxiſtentem parti B: ſed parti B extrinſecum eſt coëxiſtere negationi partis C: ergo illi extrinſecum eſt non exiſtere partem C dum illa exiſtit. Minorem probo: cætera patent: negatio partis C adæquatè diſtinguitur à parte B, & non eſt accidens illi ſuperadditum; neque aliquo modo afficit partem B: ergo exiſtentia huius negationis extrinſeca eſt parti B: ergo coexiſtentia cum tali negatione quatenus inuoluit exiſtentiam ipſius negationis valde extrinſeca eſt parti B. Extrinſecum eſſe eidem parti B, partem C illi immediatè ſuccedere, facillimè probo. Pars B quæ eſt in hoc inſtanti, nullo modo dependet à parte C quæ nondum eſt: ergo ſiue pars C ſit futura, ſiue non ſit futura, pars B eadem omnino permanebit, ergo extrinſecum eſt parti B partem C illi immediatè ſuccedere: ergo hæc ſucceſſio partium extrinſeca eſt omnibus partibus. Idem argumentum fit de parte C cui extrinſecum eſt immediatè antea partem B præceſſiſſe, quia ſicuti pars B non dependet à parte C futurâ, ita pars C non dependet à parte B præteritâ, & eadem eſſet, etiamſi pars B non præteriiſſet. Conſequens ex his illatum, antecedens explicabit. Infero, quod ſi Deus vellet actiones omnes, & omnes præſentias, quas ego ſucceſſiuè exerceo, & acquiro dum ab hoc loco Eccleſiam peto, in inſtanti producere, & me per repetitas præſentias conſtituere ſimul exiſtentem in toto illo ſpatio, quod percurro ab hoc loco vſque ad Eccleſiam, dum illam ſucceſſiuè peto, præſentias omnes, & actiones, ex vi quarum producuntur, quæ ſunt partes motus fore eaſdem, quas ſucceſſiuè acquirerem, ſi nulla præſentia, neque actio productiua illius præſentiæ, & actioni, ex vi cuius alia præſentia producitur coëxiſteret, id contingit in motu calefactionis, quia abſente contrario fit in inſtanti, & illo præſenti eædem partes motus, quæ in inſtanti ſibi coexiſtentes producuntur, retardantur, & ſucceſſiuè fluunt, donec contrarium reſiſtens deuincitur.

Ex his facilè definitionem temporis huiuſque naturam quiſque noſcet. Definit Ariſtoteles tempus: *numerus motus ſecundùm prius & poſterius*, vt ſignificet tempus conſtitui formaliter per partes, quæ ſibi ſuccedunt cum ordine prioris, & poſterioris, reliquæ enim, quæ ſibi coëxiſtunt, tantum ſe habent materialiter, & idemmet eſſe futurum tempus etiamſi nulla pars motus ſibi coëxiſteret, non enim tempus maius, vel minus, breuius, aut longius, quia motus plures partes ſibi coëxiſtentes habeat, ſed quia plures habet ſibi ſuccedentes, omnes enim partes motus, quæ ſibi coëxiſtunt inſtar vnius ſe habent reſpectu motus, imò etiamſi plures motus ſibi coëxiſtunt, ſicuti modò contingit in motibus diſtinctorum cœlorum iuxta vulgarem ſententiam, quæ cœlos diſtinctos conſtituit, omnes illi motus idem tempus conficiunt, idem omnino futurum ſi vnum tantùm indiuiſibile cœli ſeparatum perpetuò & ſucceſſiuè moueretur. Id opportunè ſatis inſinuat verbum illud *numerus*, ſicut enim quaternarius numerus idem eſt formaliter, quo quatuor vnitates, & quo quatuor milliaria recenſentur, quando quodlibet milliare ſumitur collectiuè & indiuiſibiliter, ſic idem eſt tempus quod includit quatuor partes motus ſucceſſiuè fluentes, & quod includit quatuor milliaria partium, quando quodlibet milliare dicit partes inter ſe coexiſtentes. 3

Secundùm definitionem ab Ariſtotele traditam, tempus dicit pro materiali partes motus, pro formali ordinem prioris, & poſterioris, per quem partes motus in ratione temporis conſtituuntur ex defectu cuius partes motus ſibi coexiſtentes non diuerſum tempus conſtituunt, quod conſtituerent, ſi talem ordinem habuiſſent, ex quo tota temporis diuerſitas ſumitur, ita vt ſi partes motus, quæ heri præceſſerunt, hodie reproducerentur, quia diuerſum ordinem haberent prioris, & poſterioris, diuerſum tempus efficerent, vt dicebam ſuprà, ſicuti eadem materia diuerſa compoſita conſtitueret, ſi diuerſas formas ſubſtantiales reciperet. 4

Concludo ex dictis tempus nihil reale intrinſecum ſupra motum dicere, ſed tantum extrinſecum. Ita P. Vaſq. P. Soar. & omnes, qui durationem à re durante per aliquid intrinſecum non diſtinguunt. Eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis, quam his verbis tradit text. 100. *Prius & poſterius in motu re quidem ipſa, & ſubiecto idem ſunt quod motus, ratione verò diuerſa ſunt & motus ſunt.* At ſi diceret prius & poſterius nihil addit ſupra motum, quia eædem partes motus intrinſecè inuariatæ, quæ priores, & poſteriores ſunt, poſſent hunc ordinem non habere, neque ſibi immediatè ſuccedere, ſed vnam exiſtere ſimul exiſtente alia. Ex quo infert tempus & motum re non diſtingui, quia tempus nihil aliud dicit, quàm motum & ordinem prioris, & poſterioris, ſed ordo non diſtinguitur intrinſecè à motu: ergo nihil eſt in tempore, quod à motu diſtinguatur. Hæc ratio concluſionem traditam euincit, in qua minoris tantum poſſet probatio deſiderari, quam dedi num. 2. & iterum reddo. Ante omnem durationem ſuperadditam intelligitur hæc ſucceſſio: ergo ſeclusâ omni duratione ſuperaddita motus habet partes ſuccedentes, 5

Digitized by Google

tes, quæ formaliter tempus conſtituunt. Antecedens probo: antequam pars *B*, durationem ſuperadditam recipiat, intelligitur in actu primo potens illam recipere, ſed non eſt in actu dum exiſtit pars *A*, ergo eſt in actu primo poſtquam præteriit pars *A*: ergo in illo actu primo eſt poſterior parte *A*: ergo in illo actu primo habet ſucceſſionem: non eſſe in actu primo dum exiſtit pars *A*, probo: quia partes motus localis non poſſunt coëxiſtere: ergo dum exiſtit vna non poteſt eſſe alia: ergo non eſt in actu primo ad exiſtendum prior. Conſequutio eſt legitima, quia tunc eſt in actu primo, pars, quando poteſt exiſtere, ſed tantùm poteſt exiſtere quando præceſſit alia: ergo tantùm eſt in actu primo quando præceſſit alia, poſterior illatio firma eſt, quia eſſe poſterius alio, nihil aliud eſt quàm eſſe poſtquam aliud exiſtit: ſed pars *B* eſt in actu primo ad durationem poſtquam exiſtit pars *A*: ergo pars *B* in illo actu primo eſt poſterior parte *A*.

6 Ex hac doctrina deprehendes quomodo poſſit conſtare, quod docuit Ariſtoteles hoc lib. videlicet tempus eſſe longum aut breue, non autem velox aut tardum, motum autem tardum dici, & velocem, quæ videntur inter ſe non cohærere, cum tempus & motus idem ſint. Rem tene: tempus dicit partes motus omnes ſibi immediatè ſuccedentes abſque aliqua coëxiſtentia vnius partis cum alia, illæ enim quæ ſibi coexiſtunt perinde ſe habent reſpectu temporis, ac ſi eſſent vnica tantum pars, in hoc autem quod eſt immediatè partem parti ſuccedere non poteſt eſſe maior, vel minor velocitas, ſed productior, ſeu diuturnior ſucceſſio, quæ tempus magis longum, non magis velox reddet, in motu autem annumerantur partes omnes illius, etiamſi ſibi coëxiſtunt, vnde cum poſſint plures, & pauciores ſibi coëxiſtere vel non ita ſibi immediatè ſuccedere, poteſt eſſe motus tardior aut velocior. Quomodo autem id fiat, labor eſt illorum, qui ſententiam Zenonis circa continui compoſitionem defendunt, quam omnes impugnant ex eo, quod non poſſet eſſe motus vnus velocior alio, de quo poſtea, dum continui compoſitionem examinabo.

7 Inter motus omnes præcipuè cœlorum motus tempus dicitur quia præ omnibus regularis eſt, & vniformis, certus, & fixus, ideo eo vtuntur homines ad alias res menſurandas, poſſent autem quolibet alio vti, ſi daretur certus, & fixus, & ita motu horologij, quia aliqualem certitudinem habet, res alias metimur, illúmque tempus appellamus, dum horam elapſam eſſe dicimus, quia tot partes motus horologij tranſierunt. Sic quilibet alius motus tempus dici poteſt, non diſtinctum à tempore, quod conſtituit cœlorum motus, quia cum hic ſit perpetuus omnibus motibus coëxiſtit, & cum illis idem tempus conſtituit; quia vt iam dixi motus omnes coëxiſtentes idem tempus efficiunt, & propter hanc rationem non poſſunt duo tempora ſibi coexiſtere. Tempora, ſeu durationes motuum ſibi ſuccedentium, quæ idem ſunt, diſtinguuntur inter ſe per ordinem prioris, & poſterioris, ſic dies hodiernus ab heſterno diſtinguitur, quia hodierna dies poſterior eſt heſterna, quia ordo per ordinem ad ipſas partes motus inter ſe comparatas rectè explicatur, & neceſſum non eſt ad alias extrinſecas menſuras recurrere, ſicuti in durationibus rerum permanentium, quarum ſubiectum cum ſit totum ſimul non poteſt niſi in ordine ad aliud extrinſecum dici prius, & poſterius. Hac ratione durationem rei permanentis in ordine ad aliud tempus extrinſecum, quod habeat hunc ordinem prioris, & poſterioris concipimus, & durationem motus per ordinem ad ipſum motum, qui ratione partium habet in ſe hunc ordinem prioris, & poſterioris explicamus, etſi vtraque duratio rei permanentis, & motus ſucceſſiui eſſentialiter dicat ordinem prioris, & poſterioris. Poteſt etiam hic ordo in motu ſucceſſiuo per ordinem ad alium motum conſtitui, quia vnus motus alterius poteſt eſſe menſura. Sic ad motum cœlorum horologij motum componimus, & huius illum menſuram conſtituimus. Hac ratione duratio huius motus poterit dici diſtingui à duratione illius, quia motus hic correſpondet partibus prioribus & motus ille correſpondet partibus poſterioribus aliûs motus, rectè enim dicimus durationem motus horologij, quæ horam octauam conſtituit diſtingui à duratione motus eiuſdem horologij, quæ conſtituit horam nouam, quia hæc partibus poſterioribus, & illa partibus prioribus motus cœlorum correſpondet, licet poſſemus has durationes diſtinguere per reſpectum prioris, & poſterioris, quem habent in ordine ad ſe omni cœli motu ſecluſo, &c.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

LIBRO quinto Phyſicorum agunt multi cum Ariſtotele de motu propriè dicto, de quo nihil lego, quod non ſit pura quæſtio de nomine, neque de re quidquam aliud poteſt deſiderari circa naturam motus præter illa, quæ ſcripſi Controuerſ. 12. Puncto 6. ideò lib. 5. omiſſo ad illa, quæ ad ſextum librum attinent gradum facio.

CONTROVERSIA XVII.

De continui compoſitione.

AGGREDIMVR continui compoſitionem cuius hucvſque non ſeparata difficultas omnium Doctorum malè ingenia vexauit, neque vllus fuit, qui illam non penè inſuperabilem agnoſcat. Hanc plerique terminorum obſcuritate, illorúmque replicatis, & implicatis diſtinctionibus, & ſubdiſtinctionibus obtenebrant, ne apertè capiantur deſperantes rem poſſe alio modo tractari, neque rationis lucem ſuſtinere, ſed neceſſariò confuſionis tenebris obtegendam, ne argumentorum euidentia detegatur. Ego id ſanè præſtabo, vt illa, quæ clarè non poſſim explicare aliis explicanda remittam, ſatiùs enim iudico apertè fateri, me rem non aſſequi, quàm dicere, quæ nec ipſe percipio. Inſanum enim eſt contendere aliis placere, quibus quiſque ſibi non placet. Vna tantùm in hac controuerſia non premit difficultas, cuius opiniones, rationes, argumenta, & ſolutiones, non ſolùm per paragraphos diſtribuam, ſed præter morem diſtinctis Punctis interſecabo.

PVNCTVM PRIMVM.

Reiectis nonnullis ſententiis circa continui compoſitionem duplex diſputanda proponitur.

1 PAter Vaſquez 1. *part. diſp.* 194. *&* *diſp.* 254. docuit ſubſtantiam non habere partes ratione ſui, ſed ratione quantitatis contra quem agam in Metaphyſica, modò tantùm diſputo, quomodo componatur continuum ſecundùm partes, quas includit, ſiue illas habeat ſubſtantia ratione ſui, ſiue ratione quantitatis, de partibus enim quantitatis, quæ ratione ſui quantitati competunt ſecundùm hanc ſententiam eodem modo procedet quæſtio, etiamſi ſubſtantiæ partes omnino negentur.

2 Alij apud Hurtadum vt rem facilius componant, dicunt in continuo non eſſe actu partes, ſed tantùm in potentia, hac ratione exiſtimant ictus eludere, qui in quacumque alia ſententia imminent. Vana mens. Rogo hos: an in arbore radices, & rami ſint omnino idem, & an in animali pes, & caput identitatem habeant? Negatiuè respondebunt, ni velint omnium ſenſuum euidentiæ aduerſari: ſi ergo pes, & caput animalis diſtinguuntur: ergo in animali eſt pes diſtinctus à capite, & caput diſtinctum à pede, ſed pes vt diſtinctus à capite non eſt totum animal: ergo eſt pars illius. Similiter caput, vt diſtinctum à pede non eſt totum animal: ergo eſt pars illius: ergo in animali de facto dantur partes. Sic argue in compoſito quocumque, in quo valebis diſtincta deſignare extrema.

Durandus *in 4. diſtinct. 2. quæſt.* 4. Ocham. *tractat. de Euchariſtia, cap. 1. & 2. & quodlibet. 1. quæſt. 9. & in Logica, cap. de quant.* & plures alij Nominales aſſerunt non dari in continuo puncta, lineas, aut ſuperficies, ſed tantùm eſſe puras negationes; punctum negationem vlterioris tendentiæ; lineam negationem latitudinis; & ſuperficiem negationem profunditatis. Non multum ab his diſcedit P. Fonſeca *lib. 3. Metaphyſic. cap.* 3. *quæſt. 6.* vbi docet in corpore tantùm dari vnam ſuperficiem phyſicam, extremam videlicet corpus cingentem, puncta verò & lineas non eſſe in corpore phyſicè, ſed tantùm mathematicè, non actu, ſed tantùm potentia Logica. 3

Sententias has Durandi, & Patris Fonſecæ hac vnica ratione impugno: Omnes partes continui ſunt inter ſe vnitæ media vnione ſuperaddita, vt probaui Controu. 4. Punct. 1. ſed illa vnio debet carere diuiſibilitate, quam habent extrema vnita: ergo ſi in continuo dantur partes longæ, danda eſt vnio, quæ nullam habeat longitudinem. Minorem probo: ſi vnio annectens extrema longa, longitudinem haberet, partes illius alia indigerent vnione, qua annecterentur, & de illa vnione inquirerem, an haberet longitudinem? ſi neges, iam das vnionem, quæ longa non ſit, quam paulò antea dediſſe poteras ſine vnius vnionis multiplicatione: ſi affirmes vnionem illam longam eſſe, partes habebit alia vnione annectendas, & ſic in infinitum procedemus: ergo danda eſt vnio, quæ careat illa diuiſibilitate, quam habent extrema vnita: ergo vnio partium lineæ diuiſibilium versùs longitudinem nequit longitudinem habere: ergo erit omnino indiuiſibilis, quia prima omnium diuiſibilitas, & dimenſio eſt longitudo, ſine qua alia dari nequit. Secundò quia vnió partium lineæ non poteſt habere diuiſibilitatem, qua caret ipſa linea, alias aliquid haberet vnio contenta in linea, quod non haberet linea continens; quod implicat, continens enim dicit totum, quod dicit contentum, & aliquid aliud: ſed linea non habet latitudinem, neque profunditatem: ergo neque vnio partium, quas continet: aliunde hæc vnio non poteſt habere longitudinem, vt probatum eſt: ergo nullam habet diuiſibilitatem: ergo eſt omnino indiuiſibilis. 4

Eadem ratione probatur dari ſuperficies, & lineas, quia partes profundæ debent vniri vnionibus, quæ carent profunditate: ergo ſunt indiuiſibiles ſecundùm profunditatem, ex alio capite debent eſſe longæ, & latæ, vt ſaltem poſſit quælibet eſſe immediata extremo vnito, quod habet longitudinem, & latitudinem: ergo debet dari vnio diuiſibilis ſecundùm longitudinem, & latitudinem, & indiuiſibilis ſecundùm profunditatem, & hæc eſt ſuperficies: ſuperficies iſta eo ipſo quòd habeat partes latas, vnione indiget carente hac diuiſibilitate, quæ aliàs longa eſſe debet, ſicuti vnio, quæ vnit partes profundas debet eſſe longa, & lata: ergo danda eſt vnio indiuiſibilis ſecundùm profunditatem, & latitudinem, & diuiſibilis ſecundùm longitudinem, quæ erit linea, hæc linea vnienda eſt alia vnione omnino indiuiſibili, vt ſuprà dicebam, quæ eſt punctum, 5

Digitized by Google

ergo in continuo dantur puncta, lineæ, & ſuperficies. Procedit totus hic diſcurſus ex ſuppoſitione, quod dentur in continuo partes eſſentialiter habentes hanc triplicem dimenſionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, quæ non poſſint reſolui in omnino indiuiſibilia, quod admittunt Auctores, contra quos agimus, quia ſi diceretur continuum conſtare puris indiuiſibilibus, hæ omnes vniones omnino indiuiſibiles,& diuiſibiles tantùm verſus longitudinem, & aliæ versùs longitudinem, & latitudinem in pura indiuiſibilia reſoluuntur, à quibus, & inter ſe penes magis,& minus, & hanc vel illam poſitionem differunt linea, ſuperficies, & corpus. An verò continuum ex puris indiuiſibilibus finitis conſtet, vel ex partibus in infinitum diuiſibilibus,hoc opus hic labor eſt.

6 Continuum conſtare ex infinitis partibus diuiſibilibus in ſemper diuiſibilia, ita vt ſi minimam aquæ guttulam Deus per totam æternitatem diuidat, & ſubdiuidat infinitè, & in infinitum diuidat, ſemper quælibet illius particula maneat infinitè diuiſibilis, mens fuit Ariſtotelis, in qua probanda multus fuit Philoſophus multis in locis, illam præcipuè tradit in hoc 6. lib. Eandem ſententiam defendit D. Thomas multis in locis præcipuè opuſcul. 36. cap. 2. ſubſcribunt innumeri Scholaſtici, quorum nullum refero, quia facilè poſſunt, qui ab hac ſententia diſceſſêre annumerari,quibus demptis ſchola tota Philoſophiæ Principem eſt ſequuta.Sunt alij quicontinuum ex puris indiuiſibilibus infinitis tamen componant, quorum ſententiam impugnabo Puncto 7.num.2.3.& 4.

7 Continuum ex partibus indiuiſibilibus conſtare contra Ariſtotelem conſtanter defendebat Zeno Stoicorum Princeps, quem ducem ſunt ſequuti ex Philoſophis Democritus, & Leucippus. Ex Theologis antiquis May. *in 2. diſt.2. quæſt.5.*Gerardus apud Tartaletum hoc lib.quæſt.1.& Ægidius diſcipulus D.Thom. lib.1.de generat. quæſt. 8. citatus à Veracrux 6. Phyſic. ſpeculat. 1. Pro eadem ſententia refero Gregorium *in 1.diſt.3.quæſt.1.in reſponſione ad ſeptimum, & in 2.diſt.2. quæſt.2.* vbi ait poſſe continuum vltimò diuidi in omnem ſui partem,ex quo neceſſariò infertur reſolui in partes omnino indiuiſibiles,ex quibus primò componitur. Tandem Eminentiſſimus Noſter Card. Toletus *lib.6. Phyſic.text.23.quæſt.11* poſt ſolutionem argumentorum pluresesſe eo tempore teſtatur, qui opinionem Zenonis veram eſſe exiſtiment. Et perdoctus Pater Valentinus de Herice *in 1.part.tract.4.diſp.43.cap.2.num.6.* ſententiam hanc tradit vt veram, quam in phyſic. defendiſſe dicit. Tenet eandem Ioachimus Doctor Valentinianus *lib.6.Phyſic.diſp.1. ſect.2.punct.1.*vbi affirmat ſibi conſtare in multis, & grauiſſimis Academiis,non ſine plauſu defendi. Doctiſſimi Magiſtri, & plerique ex politioribus, & ingenioſioribus recentioribus huius ætatis in hanc ſententiam conſpirant, in quam maximoperè propendet Pater Arriaga *diſp. 16.* licet enim verbis illam non apertè amplectatur, argumenta omnia quæ contra Ariſtotelem fiunt, integra, & abſque ſolutione relinquit, & priùs in manuſcriptis ſententiam Zenonis apertè docuerat. Dedi vtriuſque ſententiæ patronos,vtriuſque fundamenta modò dabo.

PVNCTVM II.

Difficile argumentum contra Ariſtotelis ſententiam extorquet infinitudinem partium: & natura partis aliquotæ, & proportionalis explicatur.

§. I.

Argumentum proponitur.

1 CONtra Ariſtotelis ſententiam hoc argumentum ferè omnes, qui de hac re agunt inſtaurant. Si continuum eſt diuiſibile in infinitum, & conſtat infinitis partibus, in quas diuidi poteſt, ſequitur continuum conſtare, non ſolùm infinitis partibus proportionalibus; ſed etiam infinitis aliquotis,quod Philoſophi negant, quia ſi infinitis partibus aliquotis conſtaret, eſſet ſimpliciter infinitum: ſequelam probo: continuum hoc eſt diuiſibile in duas medietates, quarum neutra includit aliam; quælibet medietas diuiſibilis eſt in alias duas medietates non ſe inuicem includentes, & reſultant ex duabus diuiſionibus quatuor partes quantitatis, quarum nulla aliam ex illis quatuor partibus includit. Quatuor illæ partes rurſus diuidi poſſunt, quælibet in duas medietates, quarum neutra includit aliam: ergo continuum poteſt diuidi in infinitum in partes, quarum nulla aliam in ſe includat: ergo poteſt diuidi in infinitas partes non ſe inuicem includentes: ergo non ſolùm eſt diuiſibilis in infinitas partes proportionales ſed in infinitas aliquotas: ergo non ſolùm includit infinitas aliquotas: ergo eſt ſimpliciter infinitum. Confirmatur, ideò continuum conſtat infinitis partibus,quia quamuis diuidatur, ſemper manet in infinitum diuiſibile: ſed quantumuis diuidatur ſemper manet diuiſibile in partes aliquotas: ergo conſtat infinitis partibus aliquotis. Probo Minorem: eo ipſo, quod diuidatur continuum; membra diuidentia, ſeu partes determinatæ, in quas totum diuiditur, ſunt omnino non communicantes, & illarum quælibet extra omnes alias: ergo hæ partes ſunt aliquotæ, & determinatæ: ergo continuum conſtat ex infinitis partibus aliquotis. Vltimò continuum vel includit finitas partes aliquotas non communicantes, vel infinitas: Si infinitas, habeo intentum: Si finitas, ergo poterit Deus aſſignare has partes finitas non communicantes vltra quarum numerum non poſſit alia augeri contenta in continuo, quam enim repugnantiam aſſignabis in eo quod Deus aſſignet mente partes illas, quas finitas eſſe concedis? imò implicat non cognoſci à Deo actu, quo dicat: partes aliquotæ omnino inter ſe non communicantes, quæ poſſunt ex hoc continuo extrahi,ſunt tot determinatæ,& non plures: ſed implicat Deum habere hoc iudicium, & dari certum numerum, vltra quem non poſſint augeri partes non communicantes: ergo implicat partes has non eſſe infinitas. Prima pars Minoris ex ſecunda dependet, quam ſic probo. Poſito illo numero partium quicumque ſit ille, quælibet pars eſt diuiſibilis in duas medietates non ſe inuicem includentes: ergo poteſt duplo augeri multitudo illa partium priùs aſſignata.

Proponit hoc argumentum Hurtado diſp. 15. §. 72. cui 2
reſpondiſſe dicit num. 66. Ego omnia, quæ ſub illo numero continentur lego,& nihil inuenio,quo poſſit verbis adhuc hoc argumentum eludi. Dicit Hurtadus, partes proportionales non eſſe dicendas ſimpliciter infinitas; ſed ſecundùm quid, & eodem modo puncta non eſſe dicenda ſimpliciter infinita, negátque continuum poſſe diuidi in omnes ſui partes. De his omnibus non curo; quid ad argumentum præcedens? continuum non poſſe diuidi in omnes ſui partes, id concedo, & affirmo eſſe in infinitum diuiſibile in partes aliquotas non communicantes, quarum quælibet rurſus in infinitum ſemper maneat diuiſibilis. Deinde nolo contendere de modo loquendi, an partes proportionales ſint dicendæ infinitæ ſimpliciter, vel ſecundùm quid, tantùm concedo poſſe eo modo, quo aſſeritur partes proportionales eſſe infinitas, eodem dici debere partes aliquotas infinitas eſſe.

Audiui nonnullos reſpondere, continuum poſſe à Deo 3
diuidi in partes adeò exiguas, vt non poſſit illarum aliqua iterum diuidi, niſi denuo alteri vniatur, licet in ſe diuiſibilis ſit. Solutio hæc faciliùs refellitur: quàm refertur. Duæ illæ medietates, in qua parua quantitas,& quæ ſimul aliis quantitatibus vniuntur vt diſtinctæ ab extremis, quibùs vniuntur, habent determinatam menſuram, & rationem medietatis illarum quælibet: ergo ſiue alij quantitati præexiſtenti vniantur,vel non vniantur partes, in quas diuiditur minutula illa quantitas, eadem ſemper remanet difficultas. Secundò pono hanc diuiſionem non fieri phyſicè, ſed tantum intentionaliter, videlicet Deum mente diuidere quantitatem quantumuis paruam in duas medietates, tunc Deus tales medietates agnoſceret diuiſas, neutram alteram includentem, & rurſus quamlibet harum medietatum in duas medietates non ſe inuicem includentes, & ſic in infinitum. Ex quo infero infinitas aliquotas,ſeu non communicantes includi in continuo.

§. II.

Multa euoluuntur de natura partium aliquotarum, & proportionalium, harúmque indefinitudine.

MAteria Controuerſiæ expoſcit vt explicemus termi- 4
nos hos frequenter repetitos, & neſcio an aliquando rectè explicatos partiũ proportionaliũ,& aliquotarum.

Partes

Digitized by Google

Partes *aliquotæ* dicuntur, quæ aliquoties repetitæ reddunt totum, & habent certam, & determinatam magnitudinem, & neutra includit magnitudinem alterius, ſicuti palmus qui quater repetitus reddit vlnam, & quantitas ſecundi palmi, quæ repetitur, non includit aliquid primi palmi, neque primus palmus repeti dicitur, quia idem bis ponatur, ſed quia ſuccedit alius eiuſdem menſuræ, & æqualitatis adæquatè diſtinctus à priori, & ſic alius, donec palmi illi diſtincti inter ſe adæquatè totum abſoluant. Partes proportionales inæquales, communicantes, & indeterminatas appellant communiter Philoſophi, quos terminos nunquam ſine magna difficultate percipio, ſigillatim omnes percurro. Partes *proportionales* dicuntur vt explicat Hurtadus, quia palmus ſeruata proportione in minores, atque minores partes ſecatur, vt in duos ſemipalmos, & hi in duas medietates; & ſic in infinitum, *Inæquales* dicuntur ſecundum eundem Hurtadum, quia nulla datur certa magnitudo, in qua partes illæ conueniant, quia partes illæ ſemper ſunt minores, & nulla datur adeò parua, vt non poſſit dari minor alia. *communicantes*, quia ſemper vna aliquid accipit de alia, vt ſemipalmus medietatem palmi, & ſic de reliquis. *Indeterminatas* vult dici Hurtadus, quia nulla poteſt determinari, qua accepta, non accipiatur alia: verbi gratia, inter duos palmos poſſumus accipere quatuor aut quinque palmos communicantes in aliquo, & in aliquo differentes acceptis ab vtroque illis, vel illis partibus: verbi gratia, poſſumus ex primo palmo accipere tres partes poſteriores, & priorem ſecundi, & palmum efficere, & poſſumus medietatem vtriuſque palmi accipere, & alium conſtituere palmum, & poſſumus vnam partem vltimam accipere ex primo palmo, & tres ex ſecũdo, & ſic in infinitum, non nihilo magis quantitatis accepto ex hoc palmo, & minus ex alio, vel è cõtrà, poſſumus in quãtitate bipalmari infinitos palmos proportionales & cõmunicãtes aſſignare.

5 Aduertit Hurtadus partes proportionales, & communicantes eſſe incluſas in partibus determinatis & aliquotiis, à quibus inadæquatè diſtinguuntur, vt ſemipalmus includitur in palmo. Partes determinatæ in toto communicant; non autem inter ſe, ſicuti duo ſemipalmi, qui palmum conſtituunt, adæquatè diſtinguuntur inter ſe, & inadæquatè à toto. Addit Hurtadus, partes has proportionales non eſſe diſtinctas ab aliquotis, & ita ſimpliciter non eſſe plures, neque pauciores, ſed ſecundum quid, & ita ſecundum quid eſſe infinitas, & non ſimpliciter, & ita, ait, committi apertam æquiuocationem cum dicitur, partes proportionales eſſe infinitas ſimpliciter, quatenus proportionales, ac ſi diceretur partes ſunt infinitæ ſimpliciter quatenus ſecundum quid ſunt infinitæ, vt ſi quis diceret, hominis brachium eſſe mille palmorum, quia continet mille palmos inter ſe communicantes, modo ſuprà explicato. Rationem reddit Hurtadus totius doctrinæ traditæ, quia termini ſimpliciter, & ſecundum quid implicationem inuoluunt, quam imbibunt termini *partes proportionales, & partes infinitæ ſimpliciter*, quia proportionales ſunt idem, quod ſecundum quid, & ita dicere, partes proportionales ſimpliciter infinitæ, eſt idem ac dicere, partes infinitæ ſimpliciter ſecundum quid.

6 Eadem ratione docet P. Hurtadus puncta non eſſe ſimpliciter infinita, ſed ſecundùm quid, ad quod aduertit, dari puncta proportionalia, & aliquota. Puncta aliquota vocat illa, quæ partem aliquotam conſtituunt, & puncta proportionalia, quæ ad partem proportionalem ſpectant: dicuntur proportionalia, non quia vnum punctum includatur in alio, ſed quia puncta hæc, quæ partem proportionalem conſtituunt, deſumpta ſunt ab illis punctis, quæ includit pars aliquota, ex eo enim quod pars proportionalis in aliquota continentur, debet contineri in eadem aliquota totum id, quod conſtituit partem proportionalem, & cum pars proportionalis dicat formaliter tanquam conſtitutiua illius puncta, quibus conſtat, debent contineri in parte aliquota, & ſpectare ad illam. Ex hoc infert, non poſſe dici puncta ſimpliciter infinita, ſed tantùm ſecundum quid, quia tantùm poſſunt dici infinita puncta proportionalia, quæ ex aliquotis ſumuntur, ita ſicuti aliquota non ſunt infinita, neque proportionalia, quæ ab illis non diſtinguuntur.

7 Plura ſunt in tota hac doctrina mihi difficillima, & nihil, quod non explicatione, & examine indigeat, attingam omnia, ab vltimo incipio, in quo maxima eſt æquiuocatio. Mitto loquendi modum de punctis proportionalibus, & aliquotis, qui modo explicato ab Hurtado nihil rei notatu dignum continet, ſi enim palmus in vlna includitur, certum eſt puncta palmi includi in punctis lineæ. At verò ex hoc capite puncta palmi proportionalia dici poſſint, res eſt ad modum loquendi purè attinens, ad rem venio. Cum ego contendo puncta, & partes proportionales habere infinitudinem ſimpliciter, non multitudinem iſtam infinitam coagmentari volo ex partibus aliquotis, & ex proportionalibus in aliquotis incluſis, idem dico de punctis, ſed ex partibus, quæ in aliis continebantur, vt inter ſe diſtinctis, ſiue illas aliquotas voces, quia inter ſe adæquatè diſtinguuntur, ſiue proportionales, quia in aliis præcontinebantur. Rem clarè monſtrabit exemplum: diuido vlnam in duas partes, poſtea duas ſemiulnas iterum diuido, quamlibet in duos palmos; factâ prima diuiſione, erant duæ partes; facta ſecunda, ſunt quatuor partes, in quas vlna diuiditur, non ego annumero vt tendam in multitudinem infinitam quatuor vltimas partes reſultantes ex ſecunda diuiſione ſupra alias duas, quæ reſultarunt ex prima, ita vt facta ſecunda diuiſione, annumerem iam ſex partes, quia partes hoc modo annumeratæ non conſtituunt ſimpliciter ſenarium numerum, ſed tantùm ſecundũ quid, quia eædem vnitates bis repetuntur, duæ enim partes recenſentur antequam ſubdiuidantur, & recenſentur ſubdiuiſæ, ſenarius autem numerus, ſi ſimpliciter ſit ſenarius, debet dicere ſupra quinarium numerum vnitatem aliam, quæ non ſit repetitio alicuius vnitatis contentæ in numero quinario, ſed additio aliûs vnitatis diſtinctæ à toto quinario, & à qualibet vnitate in illo contenta. Idem dico de aliis quibuſcumque numeris, binarius enim non dicit eandem vnitatem repetitam, ſed vnitatem ſuperadditam vnitati diſtinctæ ab ipſa, & ternarius vnitatem ſuperadditam binario ab illo, & ab vnitatibus, quas includit diſtinctam. Idem dico de quacumque multitudine infinita, ſicut enim numerus non conſtituitur, neque augetur niſi per vnitates diſtinctas, ſic non augetur multitudo infinita, niſi per vnitates inter ſe diſtinctas. Si in hunc ſenſum intelligatur doctrina Hurtadi rectè ſibi, & rationi cohæret, quia partes proportionales incluſæ in aliquotis identificantur cum aliquotis, & ita non poſſunt cum illis conſtituere ſimpliciter multitudinem, & conſequenter neque infinitudinem ſimpliciter, quæ eſſentialiter dicit multitudinem. Hac ratione rectè docet Hurtadus in quantitate bipalmari, in qua infiniti palmi proportionales, ſeu communicantes inueniuntur, non eſſe ſimpliciter infinitos palmos, quia qui dicit infinitos palmos proportionales, dicit infinitos palmos inadæquatè identificatos, qui non conſtituunt infinitudinem ſimpliciter palmorum, quæ debet dicere infinitos palmos adæquatè diſtinctos, ſicuti centenarius numerus non conſtituitur ex decem denariis inadæquatè diſtinctis: ſed eſſentialiter dicit vt ſit ſimpliciter centenarius numerus decem denarios adæquatè diſtinctos; ex duobus enim denariis inadæquatè diſtinctis conſtituam ego decem denarios inadæquatè diſtinctos, & non potero numerum ſimpliciter centenarium conſtituere.

Secundùm hanc doctrinam benignam interpretationem habet illatio quædam ab Hurtado facta quam carpit 8 Arriaga. Ait Hurtadus §. 54. ſicuti partes proportionales non ſunt aliæ à determinatis, ita neque ſimpliciter ſunt plures, neque pauciores, ſed ſecundum quid, & ita ſecundum quid ſunt infinitæ, & non ſimpliciter. Contra hanc illationem ſic inſtat Arriaga diſput. 16. ſect. 3. palmi non diſtinguuntur ab ſtatura: ergo quia ſtatura eſt vna, palmi, quos includit ſtatura non ſunt ſex, ſed vnus, Secundò materia, & forma ſunt idem cum toto; ergo quia totum eſt vna entitas, materia, & forma erunt vna entitas. Deinde contra doctrinam Hurtadi euidenter arguere ait Arriaga: partes porportionales ſunt minores aliquotis, & determinatis: ergo maior eſt numerus proportionalium, quàm aliquotarum, quæ in eodem toto continentur, plures enim palmi continentur in vlna quam in ſemiulna, vt per ſe notum eſt, vlna enim includit duas ſemiulnas tantùm, & continet quatuor palmos. Tota hæc auctorũ diſſenſio oritur ex eo, quod inter illos ſtantum non ſit, quid ſit pars proportionalis, & quid aliquota. Arriaga vocat partes proportionales illas, in quas aliquota diuiditur, quæ minores neceſſariò ſunt parte aliquota, nullum enim membrum diuidens poteſt eſſe æquale diuiſo, ſecundùm hanc acceptionem per ſe notum eſt eſſe plures partes proportionales, quàm aliquotæ, & eſſe plures palmos quam ſemiulnæ in

Digitized by Google

in quacumque quantitate. Hurtadus vocat partem proportionalem illam, quæ cum alia communicat, etiamſi non ſit minor illa, & ita infinitos palmos proportionales in quantitate ſemiulnari reperit, qui ſimpliciter non ſunt infiniti palmi propter rationem dictam, & ita ait ſimpliciter palmos aliquotos nō eſſe plures, ſed ſecundū quid, cuius ratio eſſe poteſt ſuprà data, videlicet non conſtitui multiplicitatem ſimpliciter ex his, quæ ſimpliciter non diſtinguūtur, & ſicuti palmi illi proportionales, & communicantes ſimpliciter non diſtinguuntur, ſimpliciter non conſtituunt pluralitatem, & ita non ſunt ſimpliciter plures palmi, quàm palmi duo aliquoti, cùm identificantur, ſicuti, materia, & forma, & vnio, quæ ſunt tres entitates diſtinctæ, non ſunt ſimpliciter plures quàm materia, forma, & vnio, & totum, neque totum dicit ſimpliciter pluſquam totum & materia, quia totum additum materiæ, formæ, & vnioni cum illis identificatur, ita neque aliquid toti affert materia, neque totum aliquid addit materiæ, formæ, & vnioni, & hac ratione non conſtituunt multiplicitatem. Eadem ratione infiniti palmi communicantes nihil addunt duobus palmis non communicantibus in aliqua parte, & ita non poſſunt cum illis multitudinem componere, neque ſimpliciter ſunt plures palmi quàm duo illi palmi non communicantes. Eadem ratione puncta, quæ ſunt in parte proportionali non addunt multiplicitatem punctorum ſupra puncta, quæ ſunt in parte aliquota continente proportionalem, quia puncta aliûs aliquota includant puncta proportionalis, & ita nullū accreſcit pūctum multitudini punctorū, quæ continet pars aliquota claudens proportionalē.

9 Cæterùm quamuis hæc ita ſint, exiſtimo nullo modo poſſe negari in ſententia Ariſtot. dari in continuo infinita puncta indiuiſibilia, & infinitas partes quantitatis, quas appellat proportionales Philoſophorum turba, an verò partes hæ, quæ abſolutè, & ſimpliciter ſunt infinitæ, aliquotæ dici poſſint, dicam puncto ſequenti, hoc vnum modò intendo, in continuo Ariſtotelico diuiſibili in ſemper diuiſibilia concedenda eſſe ſimpliciter infinita puncta, & infinitas partes, quod ſic oſtendo. Continuum hoc bipalmare includens infinitos palmos communicantes ideò abſolutè, & ſimpliciter non includit infinitos palmos, quia palmi illi, qui infiniti dicuntur, ſunt communicantes, & inter ſe habent identitatem: quod ſi palmi illi infiniti, qui ſunt communicantes, non eſſent communicantes, & quilibet illorum ſecundùm ſe totum ab illo diſtinguerentur abſolutè & ſimpliciter, dicerentur infiniti palmi ſine illo addito *communicantes* quod deſtruit abſolutam palmorum infinitatem, quæ propriè, & ſimpliciter infinitas ſit, ſed quilibet ex illis palmis habet aliquam partem non communicantem ſecundùm aliquid ſui cum partibus aliorum palmorum, quæ ita eſt propria huius palmi, vt nulli conueniat diſtincto ab hoc: ergo communicatio, ſeu identitas palmorum non eſt additum, ratione cuius partes illæ, in quibus palmi nullo modo communicant, non poſſint dici ſimpliciter infinitæ, ſed ſimpliciter infinitæ dicentur eo modo, quo infiniti ſimpliciter dicerentur palmi, ſi inter ſe nullam communicationem haberent. Maior propoſitio continet totam doctrinam ab Hurtado traditam. Minor facillimè oſtenditur: poſita quantitate bipalmari, præter hos palmos non communicantes poſſumus palmum alium conſtituere ex mediteate vltima primi palmi, & prima vltimi, qui palmus habebit partem aliquam, videlicet medietatem vltimam, quam primus palmus non communicabat, & inde poteſt alius componi palmus ex medietate medij palmi vltimi, & reliqua extenſione requiſita palmi præcedentis, qui palmus communicabit medietatem illam dimidij palmi vltimi, quam nullus palmus præcedens communicauit: Deinde illa medietas, quæ ſupereſt dimidij palmi vltimi poteſt diuidi, & prior illius medietas palmum alium claudere compoſitum ex illa, & ex requiſita extenſione palmi præcedentis, & ſic in infinitum, ita vt ſemper hi palmi ſemper nouam aliquam partem habeant, quam non habebat præcedens, & aliam admittant ex his, quas continebat præcedens palmus, in quibus palmi non communicent: ergo infiniti palmi communicantes, qui ſunt in quantitate bipalmari, habent aliquam partem, in qua nullus cum alio communicet, multiplicantur enim hi palmi per acquiſitionem nouæ partis, quam non habebat palmus præcedens, & amiſſionem antiquæ partis, qua præcedens gaudebat: ergo in palmis infinitis communicantibus ſunt infinitæ partes non communicantes: ergo licet palmi non ſint infiniti ſimpliciter; ſed cum addito ratione communicationis partes abſque vllo addito infinitæ dicentur.

Secundò efficaciſſimè argumentor: In hac quantitate poſſibiles ſunt infinitæ diuiſiones, ita vt ſi ab hoc inſtanti Deus illam diuideret in medietates, minores, & minores ſemper maneret adhuc diuiſibilis, & per totam æternitatem poſſet diuidi: ergo in hac qauntitate ſunt infinitæ vniones, quæ poſſunt corrumpi: ergo illius indiuiſibilia, quibus competit ratio vnionis infinita ſunt. Probo priorem conſequentiam: diuiſio fit per corruptionem vnionum, & noua diuiſio neceſſariò fit per nouam corruptionem nouæ vnionis: ergo ſi poſſibiles ſunt infinitæ diuiſiones, debent dati infinitæ vniones, quæ poſſunt corrumpi, quæ ſimpliciter erunt infinitæ, & non communicantes, quia nulla vnio cum alia vnione, neque vlla diuiſio cum alia diuiſione communicat, nihil enim vnionis corruptæ in vna diuiſione in alia corrumpitur, neque aliquid diuiſionis, quod hæc includat, includit alia: ergo diuiſiones, & vniones ſimpliciter, & ſine addito infinitæ debent appellari. Dices; diuiſiones has eſſe infinitas ſyncategorematicè, non verò categorematicè. Contrà: infinitum ſyncategorematicum eſſentialiter includit ſimpliciter infinitudinem rerum poſſibilium, quæ ſyncategorematicè augeri poſſunt, vt efficaciter probaui Controu. 14. puncto 2. ergo ſi poſſunt in infinitum augeri diuiſiones circa hanc quantitatem: diuiſiones poſſibiles debent eſſe infinitæ, ergo puncta, quæ includit debent eſſe infinita, quia non ſunt poſſibiles plures diuiſiones, quam ſunt puncta, quæ quantitas includit, diuiſio enim eſt corruptio vnionis, & benè valet, in hac quantitate poſſunt infinitæ corruptiones vnionum exerceri, nulla noua addita vnione: ergo habet infinitas vniones: ſicuti rectè infertur: ex hac burſa poſſunt extrahi infiniti nummi: ergo includit infinitos nummos. 10

11 Probat ratio facta immediatè de vnionibus, ſed de vnionibus, ſeu indiuiſibilibus infinitis facilis eſt conſequentia ad partes infinitas, nulla enim eſt vnio in linea, cui pars non correſpondeat, quod ſi eadem pars duplici reſpondeat vnioni, ſimiliter duplex vnio duplici parti reſpondet, & ita vt tutè negaret Hurtadus, partes eſſe infinitas, conſequenter negabit puncta eſſe infinita. Demum eadem ratio facillimè ad partes eadem efficacia hoc modo applicatur: poteſt Deus ex hac quantitate corrumpere dimidiam partem, & dimidiæ reſtantis medietatem corrumpere, & iterum quantitatis ſuperſtitis aliam medietatem corrumpere, & ſic in infinitum: ergo ſunt corruptibiles infinitæ partes in quantitate, quæ ſimpliciter infinitæ erunt, quia nullam communicationem inter ſe habebunt, medietas enim primò corrupta in nullo communicat cum medietate ſecundò corrupta, & ſic de reliquis: ergo portiones omnes quantitatis minores, quæ ex hac quantitate poſſunt corrumpi, in nullo communicant, & cum in infinitum poſſint augeri actu, poſſibiles ſunt infinitæ huiuſmodi corruptiones, & actu exiſtentes infinitæ partes, quæ poſſunt corrumpi, non enim poſſibilis eſt corruptio alicuius partis huius numero quantitatis, quâ actu in hac quantitate non ſit, quia ſi pars alia huic quantitati addita corrumperetur, illa non pertineret ad hanc numero quantitatem, ſed ad aliam compoſitam ex hac quantitate, & ex parte adueniente, hæc enim numero quantitas dicit has numero partes, & non alias. Eadem arguendi forma vtitur Hurtadus diſp. 13. ad probandum actus animorum per totam æternitatem eſſe infinitos, quod infert ex eo quod nunquam exhauriri poſſint, ſi ex illis ſucceſſiuè ſumatur. Do verba illius §. 58. *Quod ſi mihi concedas poſſe actus exiſtere magnitudinem, & multitudinem, quæ ſucceſſiuè non poſſit exhauriri, nec finiri, ego ſum contentus: id ego infinitum voco.* Sed omnes Ariſtotelici concedunt in hac quantitate eſſe partes, quæ ſi ſucceſſiuè ſumantur minores, & minores per diuiſiones, & ſubdiuiſiones illius, nunquam poterunt exhauriri: ergo contenti eſſe poſſumus, qui contendimus ſecundum hanc ſententiam partes ſimpliciter eſſe infinitas: illas ergo infinitas nobiſcum vocare debet Hurtadus. Statuo ergo quod mihi citra controuerſiam eſt, in ſententia Ariſtotelis conſtituenda eſſe puncta ſimpliciter infinita, & partes ſimpliciter infinitas, an verò hæ tantùm ſint proportionales, vel etiam aliquotæ dici poſſint, explicabo, poſtquam differentiam inter partes proportionales, & aliquotas aſſignauero. Argumenta, quæ adducit Hurtadus ad probandum in continuo non poſſe dari partes ſimpliciter infinitas, impugnant compoſitionem continui Ariſtotelici, & ideò etſi difficillima ſint, illis, aliiſque

difficilioribus

difficilioribus tenetur Hurtadus reſpondere, ideo enim militant contra infinitudinem partium, quia directè opponuntur cum toto, quod ex illis reſultat. Expendam ſingula contra continuum Ariſtotelicum in hac Controuerſia, & conſtabit hæc argumenta vnam partium infinitudinem, & continuum diuiſibile in ſemper diuiſibilia impugnare.

§. III.

Alia, quæ eandem materiam magis explicant.

12 VEnio ad explicationem partium aliquotarum, & proportionalium. Partes proportionales dicuntur, quia eadem proportione qua totum, in minores partes ſecantur, ſicut enim vlna ſecatur in duas ſemiulnas, ſic eâdem proportione quælibet ſemiulna ſecatur in duos palmos. Id ego non inficior; verumtamen moneo ex hoc capite in re, & intrinſecè, neque adæquatè, neque inadæquatè diſtingui partem aliquotam, & proportionalem, ſed tantùm per reſpectum, & connotationem ad alias compartes, quia eadem numero pars, quæ aliquota eſt, habet proportionem prædictam vt patet in palmo, quæ eſt pars aliquota vlnæ, quæ quater repetita, reddit vlnam, & ſimiliter eſt pars proportionalis, quia ſicuti vlna diuiditur in duas ſemiulnas, ita ſemivlna in duos palmos, & ſicuti ſe habet ſemiulna ad vlnam, ita palmus ad vlnam: differunt ergo ex hoc capite pars aliquota, & proportionalis extrinſecè per ordinem, ſeu connotationem explicatam ad alias compartes, quia palmus, vt pars aliquota vlnæ tantùm dicit quater repetitam vlnam reddere, non verò dicit formaliter. vt aliquota ſe habere eodem modo ad ſemiulnam, quo ſe habet ſemiulna ad illam, in quo reſpectu ſeu ſimili modo ſe habendi conſtituta eſt ratio proportionalis partis. Inæquales dicuntur, quia nulla datur certa magnitudo, in qua partes illæ conueniant, quia partes illæ ſunt ſemper minores atque minores, & nulla datur adeò parua, vt non poſſit dari minor alia. Hic hæreo. Concedit Hurtadus §. 54. in brachio trium palmorum eſſe infinitos palmos proportionales, ſed illi omnes ſunt inter ſe æquales: ergo non eſt de ratione partium proportionalium eſſe inæquales. Secundò ſicuti nulla datur certa magnitudo, in qua conueniant partes proportionales, ſed poteſt dari minor alia magnitudo, in qua ſit pars proportionalis, ita nulla poteſt dari certa magnitudo, in qua conueniant partes aliquotæ, & quæcumque aſſignata, poteſt reperiri minor alia, in qua pars aliquota reperiatur, quia ſi mihi aſſignes partem aliquotam quantitatis, quantumuis exiguam, duas habebit medietates, quamlibet ſeorſim minorem parte illa, & vtraque medietas pars erit aliquota: ergo ex hoc capite inæqualitas non magis conuenit partibus proportionalibus, quam aliquotis Cenſeo partes aliquotas dici æquales, quia ſemper æqualitatem ſeruant non reſpectu omnium, ſed reſpectu illarum, per quarum repetitionem reddunt totum, & aliquotæ dicuntur, v. g. palmus dicitur pars aliquota vlnæ, quia quater repetitus conſtituit vlnam, non autem dicitur quater repeti, quia idê indiuiſibiliter iterum ponitur in vlna, ſed quia quater ponitur palmus in vlna, & illi palmi, per quos dicimus primum repeti, & cum quibus primus palmus dicitur pars aliquota vlnæ per ordinem ad illos, & ad ipſam vlnam, ſunt æquales palmo, qui dicitur repetitus, & cum quilibet ex quatuor palmis per alios dicatur repeti, cuilibet ſunt æquales alij palmi, ſeu compartes, per quas repetitur, & per ordinem ad quas dicitur pars aliquota vlnæ: In partibus proportionalibus formaliter vt proportionales ſunt, non requiritur hæc æqualitas reſpectu aliarum comproportionalium in ordine ad totum, imò potius inæqualitas deſideratur in partibus quando ſumuntur in ordine ad tota inæqualia, ſeu ad tota, quorum vnum aliud includit. Exempli gratia, palmus pars proportionalis dicitur reſpectu ſemiulnæ, quia ſicut ſe habet ſemiulna ad vlnam, in ſe habet palmus ad ſemiulnam, quæ proportio non poſſet ſeruari inter palmum, & ſemivlnam reſpectu vlnæ, quia non poſſunt duæ quantitates æquales ſeruare proportionem medietatum reſpectu totorum inæqualium. Ex hac proportione, quæ præcipua eſt inter quantitates, & quæ præcipuè partes proportionales denominat, quæ inequalitatem, vt probatum eſt, deſiderat, partes proportionales dicuntur. Quod ſi palmi communicantes per hanc communicationem proportionales dicantur, & nullus illorum maior ſit alio, non ex eo eſt quia hoc proportionis genus hanc æqualitatem expoſcat, quia eodem modo dicentur partes proportionales hac proportionê communicationum palmus, & ſemipalmus, & tamen palmus, & ſemipalmus inæquales ſunt, ex quo inſertur, duos palmos communicantes materialiter, & per accidens eſſe æquales, non formaliter vt communicantes, quia poterant in eadem quantitate communicare & eſſe inæquales, ſi partes illæ, in qua non communicant eſſent inæquales, quod ſi vt communicantes formaliter, non ſunt æquales, ſed indifferentes ad æqualitatem vel inæqualitatem, neque vt proportionales æquales erunt, quia in his tota proportio ex communicatione deſumitur. Alio modo dici poſſunt partes proportionales in ordine ad ipſas v. g. in vlna poteſt dici primus palmus reſpectu ſecundi in ordine ad tertium, quia ſicuti ſe habet primus palmus ad ſecundum, ita ſe habet ſecundus ad tertium. Partibus hac ratione proportionalibus tantùm materialiter poteſt conuenire æqualitas, quia eadem formaliter proportio poteſt reperiri in partibus inæqualibus: poſſumus enim dicere, ſicuti ſe habet primus ſemipalmus huius quantitatis ad ſemiulnam illi immediatam, ita ſe habet primus, ſeu vltimus palmus eiuſdem quantitatis ad vlnam illi immediatam. Ex inæqualitate hac ratione explicata nondum diſtinguuntur intrinſecè adhuc inadæquatè pars proportionalis, & aliquota, quia pars aliquota eadem intrinſecè inuariata æqualis cum aliis coaliquotis reſpectu totius, quod componunt, poteſt habere hanc proportionem, & inæqualitatem reſpectu aliarum.

Communicantes vult dici Hurtadus, quia ſemper vna aliquid accipit de alia, & in aliquo communicat. Hanc communicationem non poſſe conuenire partibus aliquotis, per quarum repetitionem totum redditur, dixi ſuprà, & certum eſt, quia palmus, vt vlnam reddat, debet quater repeti per palmos adæquatè & inter ſe diſtinctos realiter, vlna enim intrinſecè dicit quatuor palmos in nullo communicantes. Eſt etiam certum partes proportionales poſſe habere hanc communicationem inter ſe vt patet in ſemiulna, & palmo, quæ dicuntur partes proportionales, ex eo quod palmus ſe habeat ad ſemiulnam ſicuti ſemiulna ad vlnam, & palmus ex ſemiulna ſecundum ſe totum cum ſemiulna communicat. Poteſt eſſe difficultas an hæc communicatio ſufficiat ad conſtituendam proportionem partium, ſeu partes proportionales, & an eſſentialiter requiratur, ita vt ſine illa poſſit intelligi proportio. Sentio communicationem ſufficere ad proportionem, quia quoties eſt communicatio partium, ſunt tres partes, vna communicans cum duabus aliis, reſpectu quarum ſe habet eodem modo, & verum eſt dicere, ſicut hæc pars habet aliquid commune cum illa, ita habet aliquid commune cum alia, quod eſt eodem modo ſe habere ad illam, quo ſe habet ad aliam, & eodem modo ſe haberet pars illa ad hanc quæ aliquid illius deſumit, ac ſe habet pars alia ad hanc, eademque ſimiliter aliquid ex alia deſumit, in quo formaliter conſiſtit proportio: verbi gratia detur quantitas duorum palmorum communicantium, ſume in hac quantitate palmum medium communicantem ex vtroque, tunc verum erit dicere, ſicut ſe habet palmus medius ad hunc palmum extremum, ita ſe habet ad alterum, quia ex vtroque aliquid deſumit, & ſicut ſe habet hic palmus extremus ad hunc palmum medium, ita ſe habet alter palmus extremus ad eundem palmum medium, quia vterque ſecundum aliquid ſui medium componit: ergo eo ipſo quod ſit pars quædam ex aliis communicans, datur proportio inter partes vnius communicantis cum duabus, à quibus aliquid ſumit, & duarum in vna media communicantium, cui quælibet aliquid ſui tribuit. Communicationem hanc non requiri eſſentialiter ad proportionem, certum exiſtimo, quia in quantitate quatuor vlnarum verum eſt dicere, ſicuti ſe habet primus palmus ad vlnam ſibi immediatam, ita ſe habet vltimus palmus ad vlnam ſibi, immediatam, quæ habitudines conſtituunt proportionem extremorum, in quibus nulla eſt communicatio. Ex hac proportione communicationis non conſtitui aliquam partem quantitatis, ita intrinſecè proportionatam, vt reſpectu nullius poſſit eſſe aliquota, eſt omnino certum, hęc enim proportio conuenit palmo quantitatis habentis duos palmos, & aliûs habentis quatuor vlnas, vt conſtat ex his, quæ modo dixi, & tamen reſpectu harum quantitatum palmus pars eſt aliquota. 13

Indeterminatas vocat Hurtadus partes proportionales, quia nullum habent terminum paruitatis, tum quia cum 14

accipiantur variæ partes,nulla poteſt aſſignari , qua accepta non alia accipiatur.Non aſſentior, quia ſi ſermo ſit de hac numero parte proportionata certum eſt determinatumterminum habere,ſupra quem augeri nequit,& à quo minui non poteſt,quia eo ipſo quod addatur, vel detrahatur aliquid iam non erit hæc numero pars proportionalis,ſi ſermo ſit de parte proportionali vt ſic, ſicuti pars proportionalis poteſt eſſe minor quâcumque aſſignata ; ſic quâcumque parte aliquota aſſignata,poteſt minor alia aſſignari. Eadem ratione licet poſſit hæc pars , & alia, & alia aſſumi ad proportionalem partem vt ſic componendam , ad hanc numero partem proportionalem hæc numero , & non alia poteſt deſumi ex alterâ comparte. Dicam ego partes aliquotas determinatas, quia hæc pars aliquota habens certam , & determinatam quantitatem determinat quantitatem aliis compartibus aliquotis , quarum repetitione totum eſt compoſitura , eo enim ipſo quod pars habeat extenſionem palmi aliæ compartes , quibus repetitis totum conſtituitur habens extenſionem ſibi æqualem , & hæc illis æqualis eſſe debet,vt cum illis,& in ordine ad illas reſpectu totius ſit aliquota.Partes verò proportionales cum in æqualitatem ſecum compatiantur,neutra alteri quantitatem determinat , neque determinatam exigit extenſionem , vt cum alia poſſit eſſe proportionalis , & hac ratione indeterminata dici poteſt. Neque in alio ſenſu partem ego indeterminatam concipio, eſt enim mihi ingens chymæra pars aliqua , ſeu entitas in rerum natura exiſtens quæ determinata non ſit, & diſtincta à quacumque alia , ita vt Deus illam intellectu cognoſcat conceptu correſpondente voci huius articuli *hoc*. Ratione huius indeterminationis nullam partem ita intrinſecè conſtitui proportionalem, vt ratione aliquotæ reſpectu aliarum partium gaudere non poſſit,perſpicuum eſt.

§. IV.

Definiuntur partes proportionales, & aliquotæ, totáque abſoluitur difficultas.

15 EXplicatis iam omnibus denominationibus partium aliquotarum , & proportionalium facile eſt vtrumque genus partium definire. *Pars aliquota eſt quæ aliquoties repetita in aliis eiuſdem menſuræ reddit totum.* Itaque pars aliquota dicit reſpectum ad totum , & alias compartes eiuſdem menſuræ,quæ cum illa totum componunt. Ex defectu huius compartis æqualis pars quantitatis includens quinque aut ſeptem palmos quantitatis , aliumve maiorem numerum reſpectu totius habentis duodecim palmos rationem aliquotæ partis non participat, quia quinque palmi ſi ſemel repetantur,reddunt totum decem palmorum, ſi bis, quindecim , & ita nunquam per repetitionem partium quinque palmorum poteſt conſtitui quantitas , cuius menſura ſint duodecim palmi : eadem ratione pars ſeptem palmorum , ſi ſemel repetatur conſtituet quantitatem quatuordecim palmorum,ſi bis maiorem , & ita nunquam poterit pars illa repetita conſtituere quantitatem duodecim palmis definitam. Erit ergo reſpectu quantitatis duodecim palmorum pars aliquota,quæ vnico palmo gaudeat,quæ ſupra ipſam vndecies repetita quantitatem duodecim palmorum reddet , & pars duorum palmorum, quæ quinquies ſupra ipſam repetita componet quantitatem duodecim palmorum. Similiter pars trium , quatuor, vel ſex palmorum quia pars trium palmorum ſi ter ſupra ipſam ; & pars quatuor palmorum , ſi bis ſupra ipſam;& ſex palmorum , ſi ſemel ſupra ipſam repetantur , quantitatem duodecim palmis circumſcriptam conſtituent. Si roges an pars quinque palmorum , & aliæ, quæ aliquotæ non ſunt , reſpectu quantitatis duodecim palmorum ſint proportionales , reſpondeo proportionem ſemper , & eſſentialiter ſumi in ordine ad illa extrema , cum quibus comparatur pars illa, quæ proportionalis eſt, poſſeque partem quinque palmorum comparari ad totum duodecim palmorum,quod componit,& aliæ partes aliùs totiùs,ex quibus comparationibus denominationem proportionalis ſortiatur. Comparatio autem in hunc modum fieri poteſt: ſicuti ſe habet pars quinque palmorum ad totum duodecim palmorum, quod componunt , ita ſe habet pars trium palmorum ad totum octo palmorum , quod componit , quia vtraque ratione vnius partis non attingit medietatem ſui totiùs qua comparatione facta,pars illa quinque palmorum proportionalis dicetur, non enim alia ratione pars aliqua proportionalis conſtituitur niſi per comparationem ad alia extrema , ſiue formalem,ſiue fundamentalem,quod parum refert.

16 Pars proportionalis eſt illa, *quæ ſimilem habitudinem, ſeu reſpectum dicit ad ſuum totum , ac dicit alia ad proprium totum , ſiue commune vtrique , ſiue diuerſum.* Ex quo inferes non poſſe dari proportionem , niſi intercedant tria extrema , & frequenter quatuor intercedere , cùm enim dico, ſicut ſe habet pars trium palmorum ad totum ſex palmorum , ita ſe habet pars quatuor palmorum ad totum octo palmorum , quia vtraque dicit medietatem ſui totius , quatuor intercedunt extrema: cùm verò dico, ſicut ſe habet primus palmus huius quantitatis ad illam,ita ſecundus,quia quilibet æquè quantitatem ad integrat, datur proportio inter duo extrema. Ex hoc inferes eandem partem reſpectu eiuſdem totius , & earundem compartium diuerſo modo conſideratam poſſe dici aliquotam , & proportionalem exempli gratia , in quantitate duodecim palmorum, palmus quantitatis eſt pars aliquota , quia per repetitionem vndecim partium illi æqualium totum reddit , & pars hæc per ordinem ad alias compartes , & ad ſuum totum, proportionalis conſtituitur , ſi dicamus : ſicut hic palmus quantitatis , primus videlicet , per repetitionem vndecim partium æqualium totum duodecim palmorum conſtituit; ſic ſecundus palmus per repetitionem aliorum vndecim idem totum conſtituit. Per hunc reſpectum proportionem conſtituimus inter primum palmum,& ſecundum,qui reſpectus eſt ad eadem extrema in ordine ad quæ quilibet palmus conſtituitur.Aliquando proportio partium non ſolet explicari per ordinem ad totum , ſed per ordinem ad partes inter ſe, vt cum dicimus , ſicut ſe habet primus palmus ad ſecundum , ita ſecundus ad tertium , quia vterque eandem ſeruat æqualitatem reſpectu immediati ; hæc tamen proportio non eſt partis formaliter,vt partis,quia pars vt pars ſemper ſumitur in ordine ad totum,ſed eſt proportio quantitatum , quam illæ partes haberent , etiamſi non eſſent vnitæ, & quam habent modo tria tota palmaria omnino diuiſa , de quibus dici poteſt,ſicuti ſe habet hoc ad illud,ita illud ad aliud.

17 Ex his infertur partem aliquotam & proportionalem tantùm extrinſecè differre , & nullam dari partem aliquotam , quæ non poſſit habere denominationem proportionalis , neque proportionalem quæ reſpectu alicuius totius aliquota eſſe non poſſit,licet non reſpectu omnis,quia pars quinque palmorum aliquota eſſe non poteſt reſpectu totius duodecim palmorum , hoc tamen non eſt ex eo quod proportionalis ſit , ſed quia non poteſt aliquoties repetita totum reddere. Vnde inter partem aliquotam, & proportionalem nulla datur oppoſitio intrinſeca quantitati , quæ pars proportionalis , ſeu aliquota denominatur, neque diſtinctio aliqua realis adhuc inadæquata , ſed tantùm diuerſus reſpectu extrinſecus, per quem differt proportionalis ab aliquota,& aliquota à proportionali.

18 Eſt tamen ante inſpiciendum in hac re , in quo plures offendunt , qui illam non percalluere , poſſe dici partes aliquotas tantùm finitas,& proportionales infinitas,etiamſi partes iſtæ non diſtinguantur , & etiam nulla pars eſſet proportionalis , quæ aliquota eſſe non poſſit , ex eo quod finitæ ſint partes , quæ reſpectu diuerſarum aliquotæ ſint , dantur enim infinitæ partes etiam in nullo communicantes , vt oſtendam Puncto ſequenti , & conſtat ex dictis ſuprà , quarum quælibet eſt aliquota, non reſpectu aliarum infinitarum , ſed quælibet reſpectu finitarum partium , ita vt hæc pars aliquota ſemper habeat finitas,& limitatas partes ſibi coaliquotas, in ordine ad quas aliquota conſtituitur , quia tantum dicitur aliquota in ordine ad partes ſibi æquales , & in nullo finito continuo dantur partes infinitæ æquales , & ita in quantitate duodecim palmorum , palmus tantum habet alias vndecim partes ſibi aliquotas. Quod ſi recurras ad ſemipalmum , & ad medietatem huius, plures , & plures habebit partes æquales , ſemper tamen finitas , & ita partes quæ inter ſe ſunt aliquotæ , finitæ dicuntur , & ita abſolutè dicimus partes aliquotas continui eſſe finitas , etiamſi in continuo ſint infinitæ partes aliquotæ non inter ſe , ſed quælibet aliquota cum aliis finitis ſibi æqualibus. In partibus proportionalibus non ſeruatur proportio inter partes æquales, & inæquales,& duæ partes inæquales,inter ſe proportionem habent in ordine ad aliquod , ſeu ad aliqua tota , & ita non ſolùm dantur infinitæ partes proportionales , ſed

etiam

Digitized by Google

etiam infinitæ partes inter ſe proportionales; & abſolutè dicuntur partes proportionales infinitæ. Hæc ita latè ſcripſi prolixius forſan, quam alicui par eſſe videbitur, quia terminos, quorum vſus eſt frequentiſſimus, parum explicatos hucuſque inter Philoſophos inuenio, & quia cuiuſque mentem de hac re cogitantem maximopere confundent, ſi penitus harum partium naturam non penetrauerit.

Pvnctvm III.

Expendo duo argumenta contra Ariſtotelis ſententiam.

1 Qvantitatem in infinitum diuiſibilem in partes ſemper diuiſibiles, & quæ in infinitum magis, & magis poteſt accreſcere, infinitam non poſſe euadere, defendunt cum Ariſtotele Mathematici omnes, quia ſemper hoc augmentum in infinitum procedit à proportione maioris ad proportionem minoris inæqualitatis, & ita quacumque additione factâ, ſemper quantitas terminata remanet, exempli gratia: datur duplex quantitas, palmaris hæc, & illa vlnaris: (& ſic in quacumque alia menſura conſtituantur:) quantitas palmaris ex vlnari poterit augeri in dimidia vlna, quæ ablata à quantitate vlnari vniatur palmari, poſtea ex illa dimidia vlna reſtante poterit augeri in vno palmo, poſtea ex palmo reſtante in dimidio, poſtea ex alio dimidio in medietate illius, & ex alia medietate ipſius medietatis, & ita in infinitum. quod augmentum, etſi in infinitum procedat, nunquam quantitatem infinitam reddet, quia nunquam perueniet, ſi ſic ſucceſſiuè fiat ad augmentum vnius vlnæ, & ſemper erit per partes proportionales, quarum quælibet proportionem ſeruabit medietatis cum ſuo toto, à quo diuiditur, non tamen per partes inter ſe aliquotas, quia partes illæ æqueles non erunt, ſemper enim fit augmentum per partes minores, & minores, quæ proportionales ſint, etiamſi inter ſe partes iſtæ, quibus augetur quantitas, non communicent, & vna ſit penitus extra aliam, non enim ex augmento partium, quarum vna ſit extra aliam in infinitum procedentem, & ex infinitis partibus quarum quælibet eſt extra aliam, infertur ſimpliciter quantitas infinita, quando hoc augmentum, ſeu partes iſtæ infinitæ inter ſe non ſunt æquales, & aliquotæ ſed tantùm proportionales, neque in quãtitate poſſunt aſſignari infinitæ partes æquales etiamſi poſſint aſſignari infinitæ vna minor alia, quæ proportionales dicuntur. Itaque differt quantitas finitè extenſa, à quantitate infinitam ſecundùm Ariſtotelicos, non ex eo præciſè quod in quantitate infinita ſint infinitæ partes inter ſe non communicantes, ſed ex eo quod in quantitate infinitâ ſunt infinitæ partes æquales, verbi gratia, infiniti palmi, vel infinitæ vlnæ, in quantitate verò finita non poſſunt aſſignari infinitæ partes æquales etiamſi contineat infinitas partes, quarum vna ſit minor alia; & adæquatè à reliquis diſtinguatur, & ſit extra omnes illas quod in ſententia Ariſtotelis negari nequit, quia quoties ab hac quantitate finita medietates ſumuntur, ſumitur noua medietas adæquatè diſtincta à præcedenti, & tamen in infinitum poſſunt ſumi, quod fieri non poſſet, ſi quantitas illa non includeret infinitas medietates minores, & minores, quamlibet ab aliis adæquatè diſtinctam.

2 Ex hac doctrina facilem ſolutionem accipit obiectio, quam contra continuum Ariſtotelicum adducit P. Arriaga num. 34. vbi ſic arguit: Si Deus diuidens chartam hanc, illius medietatem extra cœlum Empyreum proiiceret, & rurſus medietatem medietatis, & ſic in infinitum, ſemper poſſet alias, & alias medietates proiicere: ergo in hac quantitate ſunt infinitæ medietates proiicibiles: ergo ſunt infinitæ partes determinatæ & aliquotæ. Reſpondeo ex doctrina tradita, in hac quantitate eſſe infinitas medietates minores, atque minores proiicibiles extra cœlum, & coruptibiles, & has eſſe partes in ſe quamlibet determinatam, non enim in rerum natura datur pars in ſe indeterminata, non tamen eſſe omnes certæ, & determinatæ magnitudinis, neque inter ſe æquales & ita non eſſe partes inter ſe aliquotas, ſed eſſe partes, quarum quælibet habet finitas partes aliquotas, & æquales in illa quantitate, quæ non poſſunt quantitatem infinitam abſolutè reddere, quia vt dicebam in fine puncti præcedentis quantitas ſimpliciter infinita eſt illa: quæ includit infinitas partes inter ſe aliquotas, non illa, quæ includit infinitas partes inter ſe non aliquotas. ſed proportionales, quarum quælibet tantùm certas finitas, & determinatas ſibi æquales, & aliquotas habet.

Vrget fortiùs argumentum aliud ex eiſdem principiis petitum, quod ſic inſtituo. Continuum eſt diuiſibile in duas medietates, quarum quælibet eſt extra aliam, & æqualis alteri: rurſus medietates iſtæ poterunt diuidi, quælibet in duas medietates, ex quarum diuiſionibus reſultabunt quatuor quantitates inter ſe æquales, iterum eodem modo poterunt omnes diuidi, quælibet in duas medietates, & ſic in infinitum diuidi aliæ minores, & minores medietates, ex quibus omnibus reſultabunt infinitæ partes, & omnes inter ſe æquales. Confirmatur: ideo continuum conſtat infinitis partibus, in quas diuiſibile eſt, quia quacumque diuiſione facta, poteſt magis, & magis, ac magis in infinitum diuidi, ſed facta quacumque diuiſione huius quantitatis in partes inter ſe omnino æquales, rurſus manet diuiſibile in plures partes omnino æquales, quia quælibet pars diuiſa in duas medietates iterum poteſt diuidi: ergo quantitas in infinitum eſt diuiſibilis in partes inter ſe æquales: ergo continet infinitas partes inter ſe omnino æquales. Vrgeo: partes æquales, quæ ſunt in continuo, vel ſunt finitæ, vel infinitæ: ſi infinitæ, habeo intentum: ſi finitæ non excedunt determinatum numerum: Demus ergo Deum omnes illas partes diuiſiſſe, tunc quælibet pars diuiſa poſſet diuidi in duas alias partes æquales, quia nulla datur quantitas ſeperata ab aliis, quæ duas medietates non contineat, in quas diuidi poſſet: ergo partes illæ æquales poſſunt augeri, magis & magis ergo nullus datur certus numerus partium aliquotarum, & æqualium, vltra quem non ſit alius in quantitate: ergo poteſt illa multitudo partium æqualium quæ in hac quantitate continentur augeri in infinitum, ergo dantur infinitæ partes æquales in quantitate. Hoc argumentum multùm premit ſententiam Ariſtotelis, & vix illi apparentem ſolutionem inuenio. Reſpondent nonnulli partes illas æquales infinita, eſſe communicantes, quia partes reſultantes ex quacumque diuiſione in præcedenti diuiſione præcontinentur. Abs re omnino, quia ego non contendo multitudinem partium reſultantem ex multitudine partium, quæ reſultant ex diuerſis diuiſionibus eſſe infinitas, certum enim eſt partes reſultantes ex diuiſione quatuor palmorum iam diuiſorum, ex vi cuius quilibet in duas partes diuiditur, contentas eſſe in quatuor palmis, & ita non poſſe ex quatuor palmis præexiſtentibus, & ex partibus, quæ ex illorum diuiſione reſultant aſſurgere multitudinem quandam partium non communicantium, & aliquotarum, ſed contendo poſſe ita continuum diuidi, vt recenſitis tantum partibus, duæ ex vna diuiſione reſultant infinitæ partes æquales reperiantur. 3

Audiui nonnullos reſpondentes continuum poſſe diuidi à Deo in partes adeo exiguas, vt non poſſit illarum aliqua iterum diuidi, niſi denuo alteri vniatur, licet in ſe diuiſibilis ſit. Solutio hæc faciliùs refellitur, quam refertur. Duæ illæ quantitates, in quas parua quantitas diuiditur, & quæ ſimul cum aliis quantitatibus vniuntur, vt diſtinctæ ab extremis, quibus vniuntur, habent determinatam menſuram, & quælibet rationem medietatis reſpectu quantitatis, quæ in illas fuit diuiſa, & in ſe continet duas alias medietates, etiamſi hæ non poſſint inter ſe diuidi quin vniantur aliis quantitatibus: ergo etiamſi non poſſit fieri noua diuiſio ſine noua vnione, ſemper remanet eadem difficultas. Secundò pono hanc diuiſionem non fieri phyſicè, ſed tantùm intentionaliter, videlicet Deum mente diuidere quantitatem quantumuis paruam in duas medietates, tunc Deus quantitates illas mente diuiſas cognoſceret & vt diſtinctas neutram includentem in ſe alteram, & rurſus quamlibet medietatem in duas alias non ſe inuicem includentes. & ſic in infinitum. 4

Reſpondendum eſt, vltra quamlibet diuiſionem continui in partes æquales Deum poſſe facere aliam & aliam, ita vt ex qualibet reſultet maior partium numerus, & ita in infinitum poſſe procedere diuiſiones, & in infinitum partium multitudinem augeri, non tamen poſſe Deum infinitas diuiſiones hoc modo exhibere, aliud enim 5

eſt diuiſiones poſſe in infinitum augeri, & partes in infinitum creſcere, aliud diuiſiones eſſe infinitas, & partes æquales augeri vſque ad multitudinem infinitam, vt ſæpe dixi Controuerſ. 14. de numero qui poteſt in infinitum augeri, nunquam tamen poteſt eſſe infinitus. Ad confirmationem reſpondeo ex eo quod quantitatis poſſit in infinitum in partes diuidi æquales, inferri in quantitate reperiri infinitas partes, non tamen reperiri in quantitate infinitas partes æquales, quia ex infinitis inæqualibus vna minori alia poteſt quicumque numerus quantumuis maximus partium finitarum conſtitui, ſicuti contingit in numero, qui in infinitum poteſt augeri, ex eo quod poſſibiles ſint infinitæ vnitates, ex quibus numerus finitus finitè poſſit accreſcere, etiamſi non poſſint infinitæ vnitates annumerari.

6 Secundò obiicitur contra ſententiam Ariſtotelis. In continuo partes diſtinguuntur à punctis, quibus vniuntur tanquam res à modis: corrumpat Deus omnes modos, id eſt omnia puncta, quæ ſunt in continuo, partes, quæ remanent diſtinctæ à punctis non eſſent diuiſibiles, quod ſic probo: Omne id, quod diuiſibile eſt, debet includere vnionem, ex defectu cuius poſſit diuidi, ſed illæ partes nullam haberent vnionem: ergo non poſſent eſſe diuiſibiles. Secundò corruptis iam omnibus vnionibus, partes eſſent vltimò diuiſæ, quia cum nulla reſtaret vnio corrumpenda, nulla noua poſſet contingere diuiſio, quæ fit per corruptionem vnionis: ergo rurſus non poſſent diuidi partes illæ: ergo eſſent indiuiſibiles: ergo continuum vltimò reſoluitur in pura indiuiſibilia, quia partes illius indiuiſibiles eſſent, ſicuti modi, quibus partes vniuntur. Dices Deum non poſſe corrumpere omnia indiuiſibilia, ne continuum maneat vltimò diuiſum, quia eſſentialiter eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia. Egregia principij petitio: intendit argumentum extorquere vltimam continui diuiſionem, & antecedens illud negas, ne inferatur conſequens intentum. Vrgeo: indiuiſibilia diſtinguuntur realiter à partibus, & partes ab indiuiſibilibus: ergo cognoſcit Deus partes vt diſtinctas ab indiuiſibilibus? inquiro, id, quod Deus cognoſcit vt diſtinctum ab indiuiſibilibus formaliter vt ab illis diſtinctum, vel eſt diuiſibile, vel indiuiſibile: ſi indiuiſibile, habeo intentum, diuiſibile eſſe non poteſt, quia omne diuiſibile eſſentialiter includit indiuiſibile vnitiuum: ergo, id, quod præciſum eſt ab omni indiuiſibili vnitiuo, diuiſibile eſſe non poteſt.

7 Multum fidit huic argumento Arriaga ſect. 5. ſubſect. 2. & cum illo plures recentiores, ego tamen, qui nunquam vellem obſcuris, & terminorum multiplicatione impeditis acquieſcere ſolutionibus, quæ non ad difficultatem exhauriendam, ſed eludendam inuentæ ſunt, cenſeo attenta natura co ntinui, quod Ariſtotelici propugnant, ingenuam, & adæquatam ſolutionem nullo principio petito poſſe prædicto adhiberi argumento, quam iam expendo. Nego poſſe Deum corruptis omnibus indiuiſibilibus, partem aliquam continui conſeruare, quia pars quælibet eſſentialiter in ſuo conceptu quidditatiuo includit puncta, ac proinde illis deſtructis, non poteſt pars perſeuerare, ſicuti neque deſtructâ vnione inter materiam, & formam, poteſt homo ſubſiſtere. Idem dico de ſeparatione mentali, quia implicat Deum, adhuc mente, præſcindente hominem ab vnione. quia homo eſſentialiter dicit vnionem, ſine qua cognoſci nequit. Ad argumentum in forma reſpondeo: partes diſtinguuntur ab vnionibus, diſtinguo; tanquam includens ab incluſo, & inadæquatè, eo modo, quo diſtinguitur homo ab vnione, concedo: adæquatè, nego: ergo poſſunt ſeparari vnionibus, nego conſequentiam.

8 Reclamas, etiamſi non poſſit ſeparari homo ab vnione, quam includit, materia vnita, poteſt ab illa ſeparari, & adæquatè diſtinguitur ab vnione, quæ eſt modus illius: ergo pars quæ vnitur media vnione, poterit ab illa ſeparari, & adæquatè diſtinguitur ab illa, adæquatè enim diſtinguitur omne extremum vnitum ab vnione, ex vi cuius alteri extremo vnitur. Reſpondeo diſparem eſſe rationem in homine, & in quantitate, quia in homine vnio tantum eſt de conceptu hominis, & non de conceptu materiæ, aut formæ, & ita rectè poteſt materia ab vnione ſeparari, quod non poſſet, ſi vnio non tantùm eſſet de conceptu hominis, ſed de conceptu ipſius materiæ, ſicuti contingit in extremis vnitis per vnionem quantitatiuam, quia quælibet vnio quantitatiua terminatur ad extrema, quæ in ſuo conceptu eſſentiali, etiam vt præcedentia vnionem illam, quam terminant, includunt vnionem, ac proinde licet poſſint ſeparari ab illa vnione, quam terminant, ex vi cuius hæc duo extrema, ſeu hæ duæ partes quantitatis inter ſe vniuntur, quia talis vnio non eſt de illius ratione conſtitutiua, ſed iam ſupponit partes ſeu extrema conſtituta, non tamen poſſunt ſeparari ab illis vnionibus, ex vi quarum conſtituuntur, ac proinde implicat extrema illa ſeu partes quantitatis ſeparari ab omni vnione, quia in ſuo conceptu eſſentiali aliquam imbibunt. Itaque in hac parte quantitatiua duplex vnio poteſt conſiderari, & vnio, quam terminat, & aliæ vniones, quas in ſe habet, & per quas formaliter conſtituitur, ſicuti homo conſtituitur, per vnionem, vnio, quam terminat, eſt extra illius adæquatum conceptum, & ab illa poteſt ſeparari; vniones per quas conſtituitur, ſunt imbibitæ in ſua eſſentia, & ita non poteſt ab illis ſeparari. Ex hac doctrina facilè reſpondebis ad alias propoſitiones, quæ difficile argumentum præcedens reddebant, cum enim dicitur vniones ſunt modi ſuperadditi partibus, diſtinguenda eſt hæc propoſitio: vnio eſt modus ſuperadditus huic parti, & conſtitutiuus illius, concedo: vnio eſt tantùm modus ſuperadditus partibus, nego: ergo poteſt corrumpi, non corruptis partibus: diſtinguo: non corruptis partibus quarum eſt modus ſuperadditus, concedo conſequentiam quarum eſt modus conſtitutiuus: nego conſequentiam; nulla enim pars poteſt permanere ſine alio modo conſtitutiuo, etiamſi poſſit ſubſiſtere ſine terminatiuo, cùm verò corruptis omnibus, neque terminatiuus, neque conſtitutiuus alicuius permaneret, nulla pars ſubſiſtere poſſet.

PVNCTVM IV.

Alia argumenta contra eandem ſententiam expendo.

Tertiò obiicitur contra eandem ſententiam: Punctum 1
A, verbi gratia, vel vnit rem diuiſibilem, vel indiuiſibilem. Si indiuiſibilem: ergo vniones & extrema vnita ſunt indiuiſibilia: diuiſibilem vnire non poteſt, quod ſic oſtendo. Pars diuiſibilis habet in ſe vniones, quibus componitur, & formaliter vt diuiſibilis includit vniones, ſed quatenus formaliter dicit vniones, non poteſt vnionem terminare, quia vnio ad vnionem non terminatur: ergo non poteſt terminare vnionem formaliter, vt diuiſibilis. Secundò, id quod vnionem terminat, diſtinguitur adæquatè ab vnione: ergo terminus vnionis vt terminus vnionis non includit vnionem: ergo vt terminus vnionis formaliter eſt indiuiſibile illud, quod vnionem terminat, quia quidquid non includit vnionem eſſentialiter eſt indiuiſibile. Reſpondeo partem diuiſibilem formaliter, vt diuiſibilem terminare vnionem, non ſecundùm indiuiſibilia, quæ continet, quia indiuiſibile vnitiuum vnionem ad aliam partem quantitatis non terminat, ſed pars indiuiſibiliter ſumpta ſecundùm ſe totam, quia tota hæc pars alteri vnitur. Ad illud quod dicitur, terminum vnionis non includere vnionem, reſpondeo ex dictis ſupra terminum vnionis non includere vnionem, quam terminat, includere tamen vnionem ex vi cuius conſtituitur. Fateor difficillimè poſſe componi partem quatenus diuiſibilem formaliter includentem vnionem, ex vi cuius conſtituitur, terminare aliam vnionem, & hanc non terminare; ſaltem inadæquatè ratione vnionis, quia quidquid terminat ratione ſui, debet terminare ratione illius, ex vi cuius conſtituitur, ſtandum tamen eſt prædictæ ſolutioni, & dicendum partem diuiſibilem terminare ſecundùm rationem formalem partis indiuiſibiliter ſumptam, & non ſecundùm vniones, quas includit, ſicuti multi aſſerunt, actiones vitales prouenire à toto compoſito indiuiſibiliter ſumpto, qui negant adhuc inadæquatè has ab vnione procedere, ſeu à materia ſecundùm ſe ſumptas. Huic ſolutioni & ſtandum eſſe dico, non quia in illa meus quieſcat animus, ſed quia aliam non inuenio, quam ſi inueneris, libenter à te diſcam.

Quartò obiicitur. Vnio vel diſtinguitur ab ipſis punctis 2
vt vult Suar. diſp. 40. vel non diſtinguitur, vt docet Hurtadus ſuprà numer. 5. non primum, quia ſi puncta non ſunt

ſunt vnitiua in continuo, neceſſaria non ſunt, quia non vniunt, neque continuant partes vniendo vnam alteri, neque localiter, quia puncta neceſſariò ſunt penetrata cum partibus ſecundùm hanc ſententiam, quia punctum tangit partem ſecundùm ſe totum, quia eſt indiuiſibile: ergo penetratur. Conſequentia eſt legitima ex principiis huius ſententiæ iuxta quam continuum non poteſt componi ex indiuiſibilibus, quia hæc non poſſunt ſe tangere, quin penetrentur, & ideo indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius: ergo eodem modo punctum, quod ſecundùm ſe totum tangit partem cum illa penetratur: ergo non poteſt punctum continuare, neque terminare localiter partes, quibus eſt penetratum: ergo punctum ſi per ſe ipſum non vnit partes, nihil præſtat in continuo & omnino eſt ſuperfluum. Secundò contra hæc puncta ab vnione indiſtincta ſic arguo: Vnio neceſſariò tangit partem diuiſibilem, quam vnit, ſed non poteſt illam tangere ſecundùm aliquid diuiſibile: ergo tangit illam ſecundùm aliquid indiuiſibile: ergo pars, quam tangit vnio eſt indiuiſibilis. Minorem probo: ſi vnio tangit partem ſecundùm aliquid diuiſibile, debet illam tangere ſecundùm aliquid, quod habeat prius, & poſterius: ergo in parte tacta eſt prius, & poſterius: ergo vt tangat, id quod poſterius eſt debet penetrari cum illo, quod eſt prius, alias inter id, quod eſt poſterius, & inter punctum intercedet id, quod eſt prius. Dices indiuiſibile tantum tangere partes proximiores, non verò diſtantiores. Contra: hæ partes proximiores, habent prius, & poſterius, & de illis iterum redit idem argumentum.

3 Communis ſolutio eſt, indiuiſibile non tangere partem determinatam neque aſſignabilem, ſed indeterminatam, & non aſſignabilem. Profectò nunquam ego percipere valeo quomodo in contactu phyſico, & reali hi termini locum habere poſſint, quia contactus indiuiſibilis ad partem eſt realis, & phyſicus: ergo realiter, & phyſicè datur pars tacta: ergo eſt in ſe determinata, & exiſtens: nihil enim datur exiſtens in rerum natura, quod in ſua entitate determinatum non ſit. Quod ſi nos non poſſumus non aſſignare, neque monſtrare digito partem illam, quid ad rem? ipſa enim determinata eſt, quam Deus poterit determinare, & dicere hæc eſt pars tacta ab hoc vnitiuo indiuiſibili, & de illa procedet argumentum.

4 Dixère aliqui propter hoc argumentum, indiuiſibilia ſubiectari in partibus, quas vniunt, & cum illis penetrari, contra quos ſic arguo. Indiuiſibile non penetratur parte indiuiſibili, vt admittit hæc opinio: ergo cum parte diuiſibili: ergo penetratur cum parte habente prius, & poſterius: ergo correſpondet ſpatio habenti prius, & poſterius, quia debet correſpondere eidem ſpatio, cui correſpondet pars, cum qua eſt penetratum: ergo correſpondet ſpatio habenti prius, & poſterius: ergo indiuiſibile eſt in priori, & poſteriori partis: ergo totum in priori, & totum in poſteriori, quia indiuiſibile non habet aliquid ratione cuius ſit in poſteriori: ergo eſt in multiplici ſpatio adæquato. Recurres ad terminum determinatum, & dices indiuiſibile eſſe penetratum cum parte indeterminata, & non determinata, & ita non poſſe aſſignari partem, cui eſt penetratum, & conſequenter, neque aliquid prius, aut poſterius reſpectu eiuſdem partis. Hi termini non ad ſoluendas difficultates, ſed ad illudendas inuenti ſunt, quia vt ſuprà dicebam, correſpondentia realis, & phyſica ad partem occupantem ſpatium diuiſibile, non poteſt eſſe ad partem indeterminatam, neque ad ſpatium indeterminatum, ſed neceſſariò ad talem partem occupantem tale ſpatium, nulla enim pars requiritur phyſicè exiſtens, quæ in ſe ipſa determinata non ſit. Aliter reſpondent alij indiuiſibile penetrari cum parte inadæquatè, non verò adæquatè, qui terminus inadæquatè non ſe tenet ex parte indiuiſibilis, quia quidquid hoc in ſe continet eſt adæquatè totum illud, ſed ex parte penetratæ partis, quæ cum indiuiſibilis ſit habet rationem adæquatam & inadæquatam in ſe, cum quibus poteſt fieri penetratio. Contra hanc ſolutionem ſit argumentor: penetrari Punctum inadæquatè cum parte eſt non penetrari cum tota parte, ſed cum aliquo illius: de illo ergo aliquo iterum redit argumentum; Illud aliquod partis, ſeu illa ratio inadæquata partis habet in ſe prius & poſterius ergo punctum reſpondet priori, & poſteriori illius rationis inadæquatæ partis, quod erat inconueniens deductum contra correſpondentiam puncti rationi adæquatæ partis. Solet iterum reſponderi adhuc illi rationi inadæquatæ partis inadæquatè indiuiſibile reſpondere, & nihil poſſe aſſignari in parte diuiſibili quantumuis exiguum, & inadæquatum, quod ſecundùm ſe totum ſit penetratum cum parte. Hæc ita vulgo proferuntur, quæ planè non percipio, non enim valeo apprehendere penetrationem inadæquatam cum parte, quæ non ſit cum aliquo ſpectante ad illam partem, quod vt diſtinctum ab alia ratione inadæquata, cum qua parte, partem conſtituit, ſecundùm ſe totum non penetretur. Neque aliter ego apprehendo rationem inadæquatam cuiuſcumque partis, aut totius, quàm apprehendo rationem aliquam cum alia conſtituente id, reſpectu cuius inadæquata dicitur, quæ in ſe ipſa totam ſuam rationem contineat, & de illa tota multa prædicari poſſint, vt condiſtincta ab alia, ſicuti prædicantur de materia vt diſtincta à forma. Forſan dices punctum tantum occupare ſpatium indiuiſibile, nihilominus eſſe penetratum cum parte, & in eodem ſpatio cum illa. Contrà: ſi pars diuiſibilis habet ſpatium indiuiſibile commune cum puncto, non poteſt non pars penetrari, quia cum habeat in ſe diuerſas partes, ſi tota pars tantùm occupat ſpatium indiuiſibile, omnes illius partes idem indiuiſibile ſpatium debent occupare: ergo partibus inter ſe diſtinctis eſt ſpatium commune: ergo ſunt penetratæ. Neque ſatisfacies, ſi dicas cum Hurtado ſect. 2. hanc non eſſe penetrationem, quia non eſt contactus duorum corporum ſecundùm ſe tota, quia pars illa, quæ correſpondet indiuiſibili ſecundùm totam entitatem, & ſecundùm omnes partes, in quas diuidi poteſt, penetratur, ergo abſolutè eſt penetratio inter partes, in qua pars illa diuidi poteſt. Secundò ſi talis datur penetratio, infertur totam quantitatem ad idem indiuiſibile ſpatium fore reducendam, quod ſic probo: Pars *A* penetratur cum parte *B*, quia vniuntur eodem indiuiſibili, ſed pars *B* vnitur eodem indiuiſibili parti *C*: ergo pars *B* & pars *C* debent penetrari: ergo pars *B* eſt penetrata cum parte *A*, & cum parte *C*: ergo pars *C* & pars *A* ſunt penetratæ vni tertio: ergo ſunt penetratæ inter ſe, & ſic de omnibus aliis partibus argui poteſt.

Reſponderunt alij, ne talem penetrationem concederent, indiuiſibile correſpondere parti diuiſibili, & ſpatio diuiſibili per vnicam adæquatam præſentiam eo modo quo Angelus entitatiuè indiuiſibilis ſpatio diuiſibili correſpondet. Solutio hæc omni caret fundamento, quia entitati adeò macræ & exili præſentia adeò perfecta tribui nequit, & potiori ratione ſpatium repetitum partibus perfectioribus, quàm punctis imperfectioribus tribui deberet. Secundò infertur ex hac ſolutione vnum indiuiſibile correſpondere ſpatio aliorum indiuiſibilium & cum illis penetrari, quia correſponderet parti, quæ in ſe includeret infinita puncta, & ita omnibus punctis incluſis in tali parte deberet reſpondere. Tertiò admiſſa penetratione punctorum cum partibus iterum de partibus redit difficultas. Pars *A* eſt immediata parti *B*: ergo tangit partem *B*: ergo tangit illam ſecundùm aliquid indiuiſibile, vel diuiſibile: ſi ſecundùm aliquid indiuiſibile, ſequitur, partes in indiuiſibilia immediatè ſuccedentia reſolui. Si ſecundùm aliquid diuiſibile: ergo ſecundùm aliquid, quod habeat prius & poſterius: ergo vt tangat poſterius, debet eſſe penetrata cum priori: ergo partes inter ſe penetrantur. Dices vnam partem non tangere aliam, quia contactus partium dicit penetrationem, ſed tantùm partem vnam eſſe immediatam alteri. Contrà: pars *A* eſt immediata parti *B*: ergo vel eſt immediata parti *B*, ſecundùm quod pars *B* dicit aliquid diuiſibile, vel indiuiſibile, non ſecundùm aliquid indiuiſibile, aliàs partes in indiuiſibilia reſoluerentur: ergo ſecundùm aliquid quod habet prius & poſterius: ergo vt ſit immediata poſteriori illius partis debet eſſe penetrata cum priori eiuſdem. 5

Non præſumo prædicto argumento ſatisfacere, dedi iam ſolutiones, quas alij adducunt, omnes mihi ſatis difficiles, ſi tamen illarum aliqua tibi arriſerit illam elige, vel aliam deſume, quam tibi propono. Dicerem ego indiuiſibilia non eſſe penetrata cum partibus, ſed illis immediata, quas tangunt non per penetrationem, ſed præciſè per immediatam poſitionem. Contra hanc ſolutionem duo ſunt difficilia, primum eſt videri deſtruere fundamentum ſententiæ Ariſtotelis, quæ ſtatuit, illa, quæ ſe tangunt neceſſariò penetrari ſecundùm rationem attactam, & ita indiuiſibile tangens aliud, neceſſariò penetrari ſecundùm ſe totum 6

cum alio, quod tangit, qua ratione indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius, neque continuum ex indiuiſibilibus componi poteſt. Alia difficultas contra hanc ſolutionem, eſt illa, quam immediatè expendebam dè immediatione partium, quia indiuiſibile immediatum parti diuiſibili, eſt immediatum parti habenti prius, & poſterius, & ita deberet eſſe penetratum cum priori, vt ſit poſteriori immediatum. Vtrique difficultati reſpondere conabor: ad primam dico doctrinam illam de penetratione ſecundùm rationem attactam, veram eſſe in his, quæ inter ſe proportionem habent, vt penetrentur, quia ſunt eiuſdem rationis, & eiuſdem menſuræ, ſicuti ſunt duo puncta, vtrumque indiuiſibile, quibus optimè cohæret penetratio, non tamen habere locum in extremis improportionatis ad penetrationem, qualia ſunt punctum, & pars, quia nihil eſt in parte, quod diuiſibile non ſit, cum quo punctum penetrare nequit, quia entitas indiuiſibilis non poteſt ſpatium diuiſibile occupare. Hac ratione ſubſiſtit principium, ex quo hæc ſententia impugnat continuum ex punctis, quia hæc inter ſe penetrarentur, & defendi poteſt puncta non penetrari cum partibus. Ad illud de immediatione, dicendum eſt punctum eſſe immediatum toti parti diuiſibili indiuiſibiliter ſumptæ, non verò parti ſumptæ diuiſibiliter, ſecundùm quod alias partes inter ſe continet, quibus punctum debat eſſe immediatum, & ita immediationem puncti non eſſe conſiderandum reſpectu poſterioris partis, quod diceit pars ſeorſim ſumpta, ſecundum ſe, ſed reſpectu totius partis indiuiſibiliter ſumptæ, cui toti punctum eſt immediatum, quia inter ſpatium partis, & puncti nullum aliud interiacet.

7 Quintò obiicitur contra eandem ſententiam. In linea compoſita ex punctis infinitis vnum punctum eſt poſt aliud, & ſine penetratione punctorum inter ſe: ergo Deus cognoſcit punctum *A* & punctum *B*, inter quæ nullum aliud punctum mediat: ergo pars, quæ mediat inter illa eſt indiuiſibilis. Probo conſequentiam: pars illa nullum in ſe continet indiuiſibile, alias duo illa aſſignata non eſſent immediata, ſed id quod in ſe nullum continet indiuiſibile, nullam continet vnionem: quod nullam continet vnionem eſt indiuiſibile: ergo pars illa nullum in ſe indiuiſibile continens, nullàmque vnionem indiuiſibilis eſt: ergo inter punctum, & punctum mediat pars indiuiſibilis: ergo tota linea conſtat ex punctis indiuiſibilibus. Reſpondendum eſt: puncta non eſſe penetrata, & omnia eſſe ſucceſſiuè collocata in linea partibus interiectis, & non punctis inter ſe immediatis, non tamen dari duo puncta, inter quæ non ſint alia infinita puncta, quia cum inter punctum & punctum ſit pars conſtituenda, & hæc eſſentialiter includat infinita puncta, hæc omnia infinita puncta incluſa in parte interiacente interiacent inter quæcumque duo puncta aſſignata, quæcumque illa ſint, & ſicuti non ſunt puncta, neque poſſunt aſſignari à Deo: nam ea, quæ non ſunt, à Deo aſſignari nequeunt, inter quæ non ſit pars aliqua, ita non poſſunt aſſignari aliqua puncta, inter quæ non ſint alia infinita incluſa in parte interiacente. Itaque iuxta hanc ſententiam dicendum eſt poſt punctum immediatè partem venire, cuius nullum eſt primum punctum, ſed ante quodcumque poterit aliud aſſignari, & ita nullum eſt punctum, quod ſit immediatum puncto præcedenti partem iſtam, quia ſi aliquod daretur, eſſet primum punctum partis, & cum hoc non ſubſiſtat in parte, ita in illa nullum poteſt dari immediatum puncto præcedenti partem. Dixi partem immediatè ſuccedere puncto, quod intelligendum eſt de parte indiuiſibiliter ſumptà ſecundùm ſe totam, quia inter totam partem, punctum nihil mediat, vt dicebam ſuprà.

8 Hæc ſolutio adhibenda eſt iuxta hanc ſententiam, neque aliquid eſt in illa vi argumenti extortum, quod huius ſententiæ propugnatores, vt concluſionem defendendam explicant, non tradant, neque formá argumentorum, quæ ad illam impugnandam fiant premi poterit. Fateor tamen me non poſſe concipere lineam compoſitam ex partibus, & punctis non penetratis, ſed ſucceſſiuè, & in linea recta collocatis, quorum Deus non poſſit dicere, primum punctum, quod ſuccedit in hac linea poſt punctum *A* eſt punctum *B*: nihilominus mihi eſt omnino certum, hanc difficultatem non eſſe hic ſpecialem ratione argumenti facti, ſed quam inuoluit ſimplex propoſitio continui Ariſtotelici, in quo ſicuti nulla datur prima pars proportionalis, neque pars aliqua omnium minima, quod in hac opinione eſt præcipua illius concluſio, ita non poteſt dari poſt hoc punctum, aliquod, inter quæ non medient alia, quia ſi hæc puncta ita immediata darentur, pars interiacens eſſet minima, quæ poſſet eſſe, & vltimò diuiſa & prima, quæ immediatè ſuccederet poſt tale punctum. Hæc dixerim, quia inuitus lego recentiores aliás acutos, qui argumentum ſuprà factum ſemel & iterum euidens appellant, non perpendentes in hac re fuiſſe ab omnibus viſas difficultates, & non illarum euidentias, ſed ſolutiones deſiderati, nullámque ab ipſis reddi, qui tritis difficultatibus euidentias paſſim excitant.

Pvnctvm V.

Alia argumenta contra eandem ſententiam examino.

Sextò adduco argumentum, quod difficillimum contra hanc ſententiam appellat Arriaga. Deus videt omnes diuiſiones poſſibiles circa hanc chartam, non ſolùm illas, quæ ſimul fieri poſſunt, ſed quæ ſucceſſiuè, & diuiſiuè poſſunt contingere, ita vt præter has diuiſiones, quas Deus cognoſcit, nulla amplius ſit poſſibilis, alioquin Deus non cognoſceret omne poſſibile, ſed aliquid illi reſtaret cognoſcendum: ergo Deus ſcit per has diuiſiones chartam radactam ad indiuiſibilia. Conſequentiam euidenter probare, dicit Arriaga, quia ſi per illas diuiſiones non videret chartam redactam ad indiuiſibilia, videret adhuc reſtare nouas diuiſiones, nec vidiſſet omnes, quod iam ſupponimus. Vrget, Deus habet hoc iudicium, ſi hæ diuiſiones, quas ego hodie cognoſco, ſimul exiſterent, nihil amplius eſſet diuiſibile in hac charta, alioquin ego non cognouiſſem omnes: ergo per eas diuiſiones cognoſcitur charta reſoluta in indiuiſibilia: ergo à parte rei ipſa non conſtat niſi indiuiſibilibus, vnitis tamen inter ſe, & conſequenter actu conſtituentibus rem diuiſibilem. Hoc argumentum ait Arriaga alicui viſurum rem demonſtrare, forſan ita continget, ſed non ita mihi viſum fuit: facilè, & clarè totam illius difficultatem à me exhauriendam promitto, qui vix aliorum, quæ adduxi, vim minuere præſumpſi. Omitto modos reſpondendi huic argumento, quos refutat Arriaga, quia nec mihi placent, neque de illis curo, & ſolutionem cui aſſenſuros ſpero, qui rem attentè perpendant, adhibeo. 1

Fateor Deum cognoſcere omnes diuiſiones poſſibiles, & in hoc continuo, nego tamen cognoſcere diuiſiones illas omnes poſſibiles poſſe inter ſe cohærere, ſed tantùm noſcit ex poſſibilibus omnibus diuiſionibus poſſe produci quamcumque multitudinem finitam, do etiam ad præſentem quæſtionem cognoſcere poſſe multitudinem aliquam infinitarum diuiſionum poſſe exiſtere, nunquam tamen poſſe cognoſcere diuiſiones omnes poſſibiles poſſe exiſtere, & ita neque cognoſcit continuum eſſe vltimò diuiſum, quia non ex eo, quod omnes diuiſiones cognoſcat Deus continuum erit diuiſum, quia cognitio diuiſionis non eſt continui diuiſio, neque cognoſcit omnes diuiſiones poſſe inter ſe coexiſtere, & ita non cognoſcit poſſe vltimò diuidi. Ex hac doctrina patet ſub illa conditione, *ſi omnes diuiſiones, quas ego cognoſco modo exiſterent*, non poſſe videre Deu continuum permanere vltimò diuiſum, quia ſi nomine diuiſionis intelligatur præcisè corruptio vnionum ſine habitudine ad extrema permanentia, ita vt conditio ſit, *ſi corrumperentur ſimul omnes vniones, quas modo corruptibiles agnoſco*, ſub hac conditione videret Deus neceſſariò nihil continui, neque diuiſibile, neque indiuiſibile permanſurum, quia vt dicebam Punct. 3. num. 7. implicat corrumpi omnes vniones partibus permanentibus, & implicat aliquam partem permanere ſine aliquibus vnionibus, quas includit in ſuo conceptu eſſentiali, ac proinde per locum intrinſecum corruptio omnium partium neceſſariò infertur ex corruptione omnium vnionum, ſicut infertur corruptio hominis ex corruptione vnionis inter materiam, & formam Si conditio ſit, *ſi exiſterent omnes diuiſiones, quas cognoſco poſſibiles*, ſumptis diuiſionibus ſtrictè quatenus dicunt corruptionem vnionum, & permanentiam extremorum, quæ dicuntur diuiſa, conditio illa in ſe inuolueret apertam implicationem, quia diceret exiſtentiam, & corruptionem earumdem entitatum, quia diceret corruptionem omnium 2

vnionum

Digitized by Google

vnionum, quæ per locum intrinſecum, vt modò dicebam, & probaui loco citato, dicit deſtructionem totius continui, & inſuper diceret exiſtentiam extremorum diuiſionis ſeu partium, quæ dicebantur diuiſæ: ergo illa conditio in ſe intrinſecè dicit ex parte obiecti exiſtentiam, & corruptionem, ſeu negationem exiſtentiæ earumdem entitatum, quapropter ex illa inferretur eadem contradictio, quam in ſe continet, videlicet exiſtere omnes vniones partium, poſitis omnibus diuiſionibus, quia extrema diuiſa, quæ exiſtentia ſupponuntur, in ſuo conceptu eſſentiali vniones includunt, & non exiſtere aliquam vnionem, quæ ſupponuntur omnes corruptæ per poſitionem omnium diuiſionum, quæ formaliter dicunt corruptiones vnionum. Rurſus explico contradictionem in conditione imbibitam. Hæc diuiſio ſumpta non tantùm pro negatione vnionis, ſed poſitiuè pro negatione vnionis, & exiſtentia extremorum, quæ ante diuiſionem erant vnita, dicit extremorum exiſtentiam, & conſequenter id, per quod extrema conſtituuntur formaliter, quæ conſtituuntur, per vniones, quas in ſe includunt, quia vt ſæpe dixi, omnis pars continui eſſentialiter includit vniones, ratione quarum diuiſibilitas illi eſſentialis conuenit: ergo exiſtentia extremorum dicit exiſtentias vnionum, per quas conſtituitur: ergo hæc diuiſio importat negationem huius vnionis terminatæ ad extrema diuidenda, & exiſtentiam vnionum conſtituentium eadem extrema: ſed reliquæ omnes diuiſiones diſtinctæ ab iſta, dicunt negationem omnium vnionum diſtinctarum ab hac, quæ ex vi huius diuiſionis corrumpitur: ergo dicunt negationem vnionum, quarum exiſtentiam dicit hæc diuiſio: ergo omnes diuiſiones inter ſe coëxiſtentes dicunt obiecta contradicentia, hæc enim dicit negationem vnionis, cuius exiſtentiam importat illa diuiſio.

3 Reſtat modò explicare quomodo Deus poſſit intentionaliter quantitatem vltimò diuidere, & quomodo diuiſa ſit reſpectu diuini intellectus ex vi cognitionis, qua cognoſcit omnes diuiſiones poſſibiles, quæ ſimul, & ſucceſſiuè poſſunt quantitati contingere, quod ex doctrina tradita facilè poterit explicari. Deus cognoſcit poſſibiles diuiſiones, ex vi huius cognitionis cognoſcit hanc diuiſionem dicere corruptionem huius vnionis; verbi gratia, vnionis *A*, & exiſtentiam vnionis *B*. Cognoſcit ſimiliter illam diuiſionem dicere corruptionem vnionis *B*, & exiſtentiam vnionis *A*. Cognoſcit inſuper extrema huius diuiſionis, & extrema illius in aliquo communicare, quia ex vi huius diuiſionis cognoſcit vnionem hanc corruptam, & hæc duo extrema exiſtentia, quorum extremorum cognoſcit poſſe alterum diuidi in duplex aliud extremum vtrumque communicans cum extremo aliûs diuiſionis, & ita cognoſcit omnes diuiſiones poſſibiles, quarum infinitæ in extremis communicant, & dicunt inter ſe obiecta contradicentia, & ita cognitis his diuiſionibus adhuc non cognoſcit quantitatem diuiſam in partes omnino indiuiſibiles, ſed ſemper in partes diuiſibiles, quia nullum extremum alicuius diuiſionis eſt indiuiſibile, ſed quodlibet importat infinitas partes, in quas diuidi poteſt, & infinitas vniones. Quod ſi diuiſiones aliæ importent corruptionem harum vnionum, diuiſio, quæ importat corruptionem huius vnionis, cuius exiſtentiam importabat alia diuiſio, importat exiſtentiam vnionis, cuius negationem illa alia diuiſio importabat, & ita nunquam datur diuiſio, quæ non importet exiſtentiam vnionum ex parte extremorum, licet earumdem vnionum corruptionem importent aliæ diuiſiones; iam enim ſæpè dixi diuiſiones has importare obiecta contradicentia. Ratio doctrinæ traditæ hæc eſt: obiecta ſunt in mente diuina eo modo, quo ſunt in ſe, ea enim eſt infinita perfectio intellectus diuini, vt obiecta eodem prorſus modo, quo in ſe habent, attingantur mente diuina: ſed in ſe diuiſiones omnes collectiuè ſumptæ important obiecta contradicentia, & infinita membra diuidentia communicantia: ergo eodem modo ſunt in intellectu diuino per cognitionem, ex vi cuius iudicat ille obiecta inter ſe contradictionem inuoluere, & infinita illorum membra diuidentia eſſe communicantia. Quod ſi Deus poſſet mentaliter continuum diuidere per omnes diuiſiones collectiuè ſumptas in membra diuidentia nullo modo inter ſe communicantia, neque in ſe quatenus membra diuidentia implicantia, ſuppoſitis etiam omnibus diuiſionibus continui iam exercitis, tunc fateor quantitatem cognoſcendam eſſe à Deo vltimò diuiſam in partes omnino indiuiſibiles, cùm verò neque mentaliter poſſit ita continuum diuidere, quia continuum ita diuiſum dicit præciſionem omnium partium ab omnibus vnionibus, quæ inuoluit apertam implicationem, ſicut inuolueret præciſio hominis ab vnione inter materiam, & formam, ita non poteſt Deus cognoſcere continuum adhuc mente diuiſum in partes omnino diuiſibiles, neque illud mente vltimò diuidere in extrema non communicantia, & non contradicentia. Ex hac doctrina concludo, cognitis omnibus diuiſionibus poſſibilibus, non cognoſci continuum diuiſum in aliquod extremum, quod in ſe diuiſibile non ſit, licèt continuum diuiſibile non ſit aliquâ diuiſione exiſtente vltra collectionem diuiſionum, quas Deus cognoſcit, quia cognoſcit omnes, quæ poſſunt cognoſci, vltra quas non eſt alia diuiſio, non chymærica excogitabilis. Cenſeo nec minimum difficultatis propoſitæ ſcrupulum doctrinâ tradita penitus extingui non poſſe.

4 Ex eadem doctrina pulchra ratio redditur, cur non poſſit Deus, neque ſucceſſiuè, neque ſimul exercere omnes diuiſiones continui, quas poſſet diuiſiuè, id eſt, has illis non exhibitis, exhibere; illarum enim coëxiſtentia importat manifeſtam contradictionem ſæpè repetitam exiſtentiæ, & corruptionis earumdem vnionum. Ex quo etiam inferes frigidè arguere Arriagam ſect. 6. num. 66. ſi Deus vna vice diuideret continuum quantum diuiſibile eſt, illius partes manerent omnino diuiſæ, & indiuiſibiles, ergo continuum tantùm conſtat ex indiuiſibilibus. Non repugnantiam antecedentis contendit probare, ex eo, quod non repugnet ſimul infinitas entitates produci à Deo, ac proinde etiamſi diuiſiones continui ſint infinitæ, poterunt ſimul fieri a Deo, etiamſi ſucceſſiuè non poſſent omnes pertranſiri. Fruſtra laborat Arriaga in oſtendenda non repugnantia coëxiſtentiæ omnium diuiſionum, ex eo quod non repugnet infinitum in actu, quia nullus, qui rem attentè perpendat, dicet repugnare coëxiſtentiam omnium diuiſionum præcisè ex eo quod diuiſiones poſſibiles ſint infinitæ, quia in opinione, quæ aſſerit poſſe dari actu infinitum, poſſent exiſtere omnes illæ diuiſiones, & ſicuti Deus produxit infinitas vniones actu ſimul, poſſet ſimiliter actu ſimul omnes corrumpere. Rupugnantia aſſignanda eſt ex eo, quod quælibet pars continui eſſentialiter eſt diuiſibilis in infinitas partes, quamlibet illarum rurſus in alias infinitas diuiſibiles, & ſic in infinitum. In hoc enim differt opinio Peripatetica ab opinione illorum, qui continuum ex infinitis indiuiſibilibus componunt, vtraque enim conſtituit continuum, quod infinitis diuiſionibus poteſt ſecari: ſed his poſitis, membra diuidentia continui Ariſtotelici adhuc manerent per infinitas alias diuiſiones in infinitum diuiſibilia, membra verò diuidentia continui ex infinitis indiuiſibilibus conſtructa, tam vltimò diuiſa permanerent. Hæc iuxta repugnantiam, quam omnes aſſignant, ne continuum vltimò diuidatur, iuxta doctrinam verò à me explicatam in ſolutione præcedentis argumenti, facilè redditur implicatio coëxiſtentiæ omnium diuiſionum ex obiectis contradicentibus, quæ diuiſiones omnes collectiuè ſumptæ intrinſecè inuoluunt.

5 Inſtat Arriaga: Deus poteſt diuidere, quæ diuidere poteſt, quæ eſt propoſitio identica, & ſummè vera: faciat hoc actu, quia poſſibile poſitum in ſe nullum ſequitur inconueniens, tunc eſſet quantitas vltimò diuiſa: ergo poteſt vltimò diuidi: diſtinguo antecedens: Deus poteſt facere quamcumque diuiſionem quam poteſt facere, concedo: Deus poteſt facere omnes diuiſiones quas poteſt facere, nego propoſitionem, quam ſummè veram appellat Arriaga, quam prope ſummè falſam eſſe confeo, qua etiamſi identica ſit, illius ſubiectum non ſubſiſtit, & ſicut hæc propoſitio *Antichriſtus iuſtus eſt, Antichriſtus iuſtus*, eſt falſa, etiamſi ſit identica, ſic & illa, non enim datur collectio aliqua omnium diuiſionum quas Deus poſſit ſimul, ſimultate ſe tenente ex parte obiecti exercere, vltra quam non poſſit aliam addere. De fallacia harum propoſitionum dixi Controuerſia 14. Puncto 6. in fine. Sed eſto do Arriagæ ſubiectum illius propoſitionis ſubſiſtere, & propoſitionem veram eſſe, ex illa non inferetur, Deum poſſe diuidere continuum omnibus diuiſionibus poſſibilibus, quia Deus non poteſt omnes diuiſiones poſſibiles ſimul exercere, ſed diuiſiuè ex illis has, vel illas, quia omnes coëxiſtentes important obiecta contradicentia, vt probaui, & ita diſtinguenda eſſet illa propoſitio: Deus poteſt exercere ſimul omnes diuiſiones, quas poteſt exercere ſimul, traſeat:

poſſet exercere ſimul omnes diuiſiones: quas poteſt exercere diuiſiuè,nego; ſed Deus poteſt exercere omnes diuiſiones poſſibiles,diſtinguo:diuiſiuè,cócedo:collectiuè, nego: hoc eſt,ex omnibus quas ſimul poteſt ſimultate ſe tenente ex parte potentiæ, poteſt has,vel illas,quas ipſe præ aliis eligere maluerit exercere,concedo:omnes,quas ſimul poteſt ſimultate ſe tenente ex parte obiecti, nego conſequentiam, quia ſimultas omnium diuiſionum poſſibilium inuoluit manifeſtam implicationem. Vnum inferretur ex propoſitione iſta, quam ad præſentem quæſtionem dedi Arriagæ: *Deus poteſt exercere ſimul omnes diuiſiones ſimultate ſe tenente ex parte obiecti, quas poteſt ſimul exercere ſimultatè ſe tenente ex parte obiecti*, videlicet Deum poſſe hic, & nunc continuum tot diuiſionibus diuidere, vt non poſſet, his permanentibus diuiſionibus, Deus aliam eidem continuo ſupperaddere,etiamſi diuiſum non eſſet omnibus diuiſionibus poſſibilibus, quod falſum eſt: ideò propoſitionem illam falſam eſſe dixi, quam tantùm dedi Arriagæ ad id, quod ille intendebat, videlicet poſſe continuum diuidi omnibus diuiſionibus poſſibilibus, quod nullo modo ex prædicta propoſitione infertur.

6 Vltimò obiicitur: Omnia puncta, & omnes partes,quæ hoc continuo includuntur, habent terminos ſaltem extrinſecos,& poſſunt pertranſiri: ergo neque partes, neque puncta huius continui ſunt infinita. Reſpondeo partes, & puncta habere terminum in ordine ad ſpatium, & in ordine ad extenſionem, quia non conſtituunt extenſionem infinitam, & ita tota illorum extenſio poteſt finiri,& pertranſiri. Rationem, propter quam infinitam extenſionem partes infinitæ non conſtituant, dedi ex Philoſopho & ex omnibus Mathematicis punct. 3. num. 1. Videlicet, quia non dantur in continuo infinitæ partes inter ſe æquales, & coaliquotæ. Partes iſtè inæquales, & puncta iſta in continuo incluſa infinita ſimpliciter ſecundùm multitudinem, ſecundùm hanc rationem pertranſiri non poſſunt. Vnde ſi Deus ab hoc inſtanti in ſingulis æternitatis inſtantibus ſingula puncta,& ſingulas partes aſſumeret, nunquam partes, aut puncta huius continui exhauſiſſet, quia ſemper poſſet illud iterum,& iterum diuidere, & hac parte aſſumpta, relinquere partem diuiſibilem in infinitas alias aſſumptibiles.

Pvnctvm VI.

Argumenta contra continuum Ariſtotelicum in ſucceſſiuis expendo.

1 NVllus eſt, qui non præſentiat difficultates, quæ in ſucceſſiuis contra continuum Ariſtotelicum inſurgunt, ideò breuiter illas expendam, libens enim immoror in ſoluendis argumentis,quæ in hac materia fiunt, & inuitus ſcribo difficultates, quæ in hac re cæcorum etiam oculis patent. Duo ſunt ſucceſſiuorum genera, quædam ſucceſſiua dicuntur, quia ſucceſſiuè fiunt, licèt permanenter exiſtant, poſtquam primò producuntur, horum eſt alteratio, quæ ſucceſſiuè fit in ſubiecto, & ſimul perſeuerat in ſubiecto ſimul retinente eundem calorem, ex vi eiuſdem paſſionis,per quam illum ſucceſſiuè recipit, huiuſmodi ſucceſſiua, per accidens ſucceſſiua dicuntur. Alia ſunt ſucceſſiua,quorum natura ita fugax eſt, vt nunquam partes illius inter ſe coëxiſtant, ſed vna adueniente, in eadem menſura præcedens corrumpatur, huius generis eſt motus localis;& tempus,quorum partes nunquam inter ſe coëxiſtunt. In his,quæ ſucceſſiuè per ſe & eſſentialiter dicuntur contra ſententiam Ariſtotelis valdè vrgentia ſiunt argumenta,quæ iam conſtituo.

2 Partes temporis eſſentialiter ſunt ſucceſſiuæ: ergo nunquam ſunt duæ partes illius ſimul: ergo nunquam exiſtit diuiſibilis aliqua temporis pars. Prior illatio ex antecedenti infertur manifeſtè, illa enim ſucceſſiua ſunt, quorum vnum eſt poſt aliud, & non vtrumque ſimul:poſteriorem probo: Si exiſteret aliqua diuiſibilis pars temporis in illa menſura, in qua illa exiſteret, exiſterent partes, in quas ipſa diuidi poteſt, & quibus componitur: ſed nunquam poſſunt ſibi coexiſtere:ergo nunquam poteſt exiſtere aliquid compoſitum ex his partibus,quia implicat compoſitum exiſtere ſine coexiſtentia illorum, ex quibus componitur,& hæc eſt legitima conſequentia: non poſſunt coexiſtere materia & forma: ergo non poteſt exiſtere compoſitum ex materia & forma. Recuſant nonnulli obſcuros, & implexos difficultatis ſinus ingredi, & ita reſpondent partem temporis ſucceſſiue exiſtere, & non ſimul, & ita ſufficere exiſtentiam partium ſucceſſiuam,& non ſimul:talis enim debet eſſe partium exiſtentia, qualis eſt exiſtentia totius,& ita homo cum natura ſua ſit permanens, & totus exiſtat, requirit partes inter ſe coexiſtentes, tempus verò cùm ſit entitas ex natura ſua tranſiens, & ſucceſſiua, non requirit partes coëxiſtentes, ſed partibus ſucceſſiuè fluentibus contentum eſt. Fruſtrà nondum prælio inito fugam meditantur, qui prædictam ſolutionem exhibent, cogam illos propriùs argumentorũ impetum ſuſtinere, & illa penetrare, quæ nondum tacta terrent. Sic illos aggredior. Id, quod eſt ſucceſſiuè partium partim eſt actu partim fuit, & partim erit,& de omni illo, quod fuit,aliquando dictum eſt, actu exiſtit, idemque neceſſariò dicendum eſt aliquando de illo, quod futurum eſt, quidquid enim futurum eſt aliquando actu eſt. Inquiro ergo de parte illa diuiſibili quando actu ſit,cùm ſemper tantùm actu ſit inſtans indiuiſibile. Probo inſuper nihil partis diuiſibilis actu eſſe poſſe, quatenus eſſe actu diſtinguitur ab hoc quod eſt fuiſſe, aut futurum eſſe. Ad hoc vt aliquid ſit actu, vt eſſe actu diſtinguitur ab hoc, quod eſt fuiſſe, vel futurum eſſe,requiritur, vt id, ex vi cuius conſtituitur actu exiſtat:ſed pars diuiſibilis, ſiue adæquata,ſiue inadæquata,& quidquid non eſt inſtans temporis conſtituitur per aliquid prius, & poſterius: ergo vt actu exiſtat,actu debet exiſtere id,quod eſt prius, & poſterius: ſed implicat actu exiſtere(loquor ſemper de exiſtentia actuali, vt diſtincta à præterita, & futura) id, quod habet prius & poſterius, quia dum exiſtit prius, non exiſtit, ſed exiſtet,quod eſt poſterius,& dum exiſtit poſterius non exiſtit, ſed extitit quod eſt prius: ergo implicat actu exiſtere pars aliqua temporis conſtituta eſſentialiter per aliquid prius & poſterius. Ex repugnantia exiſtentiæ actualis partis diuiſibilis temporis infertur, repugnare partem diuiſibilem eiuſdem eſſe præteritam, aut futuram, quia præteritum eſt illud, quod habuit exiſtentiam, & de quo verum fuit dicere, actu exiſtit: ergo entitas cui repugnat actu exiſtere, nunquam poteſt eſſe præterita. Eâdem ratione non poteſt eſſe futura,quia futurum eſt illud, quod actu erit,& de quo verum erit dicere, non actu exiſtit. 3

Reſpondent Thomiſtæ, partes temporis exiſtere ratione inſtantium, & non ratione ſui. Contrà: exiſtere partes temporis ratione inſtantium, vel dicit tantùm exiſtere inſtantia, vel exiſtere partes exiſtentia inſtantium. Si primum dicat Thomiſta, dicet tantùm exiſtere inſtantia, & non exiſtere partes temporis. Secundum dici non poteſt, quia nihil poteſt exiſtere exiſtentiâ aliena, exiſtentia enim à propria entitate non diſtinguitur. Deinde etiamſi diſtingueretur, quid diuiſibile non poſſet exiſtere exiſtentia rei indiuiſibilis, quia exiſtentia rei diuiſibilis habet prius,& poſterius,& dicit eſſentialiter extenſionem, exiſtentia rei indiuiſibilis non habet prius, & poſterius: ergo non poteſt eſſe eadem exiſtentia communis rei diuiſibili, & indiuiſibili, quia in exiſtentia partis reperitur prius,& poſterius, quod in exiſtentia indiuiſibilis reperiri nequit. Secundò in hoc inſtanti temporis pars eſt futura: ergo vel ratione ſui, vel ratione huius inſtantis: ſi ratione ſui: ergo pars exiſtentiam habebit ratione ſui: ergo verum erit dicere,pars exiſtentiam habet ratione ſui: ergo pars non exiſtet ratione inſtantis, ſed ratione ſui. Si dicas partem eſſe futuram ratione inſtantis quod eſt, apertè conuinceris, quia inſtans eſt actu, & non eſt poſtea futurum, potius ratione inſtantis, ſi pars exiſtit exiſtentia inſtantis, diceretur præſens, quia per exiſtentiam actu præſentem non poteſt aliquid conſtitui futurum,dum ipſa exiſtentia formaliter actu eſt exiſtens, & non poteſt eſſe futura, quia non poteſt vltra hoc inſtans exiſtere in aliqua menſura, quæ nondum actu ſit. Si dicas eſſe futuram ratione inſtantis futuri, ſic argumentor: immediatè poſt hoc inſtans vel eſt futurum aliud inſtans, vel pars. Si inſtans: ergo tempus componitur ex inſtantibus immediatè ſuccedentibus: ſi immediatè eſt futura pars actu exiſtens, vel ergo erit exiſtens ratione huius inſtantis, vel ratione venturi, non ratione huius, quia per te non conſtituitur futura ratione illius, quod eſt præſens, & futurum non eſt: non ratione inſtantis venturi,quia quando illud adueniat iam pars erit præterita: ergo non poterit ratione inſtantis venturi conſtitui præſens, quia nihil poteſt conſtitui

Digitized by Google

conſtitui præſens ratione illius, quod tantùm eſt præſens quando illud eſt præteritum.

4 Vrgeo: quando exiſtit hoc inſtans, pars eſt futura: ergo ratione illius non poteſt conſtitui præſens, quando exiſtit aliud inſtans futurum, pars iam eſt præterita: ergo neque ratione huius inſtantis, neque venturi poteſt conſtitui actu præſens pars illa interiacens inter hoc inſtans, & aliud venturum. Deinde: Poſito hoc inſtanti, poteſt in parte ſequenti non exiſtere pars motus, ſeu temporis, ſed ſi non exiſtit, non erit futura: ergo ratione huius inſtantis præciſè pars illa non conſtituitur futura. Similiter poſito hoc inſtanti potuit antecedenter non præteriiſſe pars temporis, quia potuit motus, cuius duratio eſt tempus ab hoc inſtanti incipere: ſed ſi non præceſſiſſet, non fuiſſet in hoc inſtanti præterita: ergo ratione huius inſtantis pars temporis non conſtituitur præterita: ergo ratione huius inſtantis pars præcedens non conſtituitur præterita, neque pars ſubſequens conſtituitur futura. Reſpondent nonnulli ratione huius inſtantis conſtitui partem præcedentem, præteritam, quando eſt præterita, non verò quando præterita non eſt, & ratione eiuſdem conſtitui futuram quando pars temporis eſt futura, non verò quando non eſt futura. Contrà: ergo ad hoc, vt ratione huius inſtantis hæc pars temporis præterita, & illa futura conſtituatur, debet hæc ſupponi præterita, & illa futura: ergo ratione alicuius diſtincti ab hoc inſtanti: ergo partes ratione ſui, & non ſolùm ratione inſtantium debent eſſe præteritæ, & futuræ: ergo ratione ſui debent exiſtere, per illud enim conſtituitur aliquid præteritum, & futurum in tempore præcedenti, & ſubſequenti, per quod in iſto præſens conſtituitur. Secundò: ſi ad hoc vt per hoc inſtans pars præterita, vel futura conſtituatur, debet aliunde præterita, vel futura ſupponi, non poterit hoc inſtans præteritionem, & futuritionem, quæ iam in partibus ſupponitur, illis præſtare, neque partibus neceſſum erit ab hoc inſtanti talem præteritionem, aut futuritionem emendicare.

5 Reſpondet Hurtadus ſect. 5. ſubſect. 1. num. 80. nullam partem determinatam poſſe eſſe totam ſimul ratione ſucceſſionis, at verò partes indeterminatas poſſe inter ſe coexiſtere, & ſe tangere, & de partibus determinatis verum eſſe vnam eſſe præteritam, aliam eſſe præſentem, & aliam eſſe futuram, at verò de partibus proportionalibus, & indeterminatis poſſe dici actu exiſtere, & inter ſe coëxiſtere ratione cuius coëxiſtentiæ pars diuiſibilis poteſt exiſtere, & partes inter ſe coëxiſtentes poſſunt vniri, quæ aliter non poſſent vnionem terminare: quia id quod eſt, non poteſt vniri extremo non exiſtenti, ſed tantùm præterito, aut futuro. Multa hic inuoluuntur, quæ ſi explicentur, apertè repugnantiam inuoluere videbit quiſque. In primis me ratio deficit, quoties partem phyſicè exiſtentem ita indeterminatam conſtitui video, vt neque diuina mentis acie demonſtrari valeat, neque in ſe determinationem habeat, quid enim poteſt eſſe in rerum natura, quod differentiam indiuidualem non habeat, quæ dicit indiſtinctionem à ſe, & diſtinctionem à quolibet alio. Si ergo nihil poteſt eſſe, quod non ſit indiſtinctum à ſe, & diſtinctum à quolibet alio, nihil poteſt eſſe, quod in ſe determinatum non ſit, & poſſit demonſtrari à Deo, eo modo quo eſt indiſtinctum à ſe, & diſtinctum à quolibet alio, quod eſt demonſtrari rem eſſe hanc, & non eſſe illam, neque illam & cætera, in quo tota excogitabilis determinatio reperitur. Secundò: partes illæ indeterminatè coëxiſtentes, vel habent inter ſe ordinem prioris, poſterioris, vel non habent: ſi habent ordinem prioris, & poſterioris: ergo non coëxiſtunt, ſed vna eſt immediatè poſt aliam: ſi non habent: ergo non conſtituunt aliquid diuiſibile temporis, quia tempus tantùm conſtituitur per partes motus habentes hunc ordinem, eſt enim ſecundùm Ariſtotelem numerus motus ſecundùm prius, & poſterius: ergo ſi in parte illa non eſt ordo prioris, & poſterioris non ſunt diuerſæ partes temporis adhuc indeterminatæ: ergo tantùm eſt indiuiſibile temporis. Dices, non coëxiſtere ſecundùm ſe totam, ſed ſecundùm aliquid ſui. Contrà: illud aliquid ſecundùm quod pars temporis coëxiſtit diuiſibile eſt in opinione Hurtadi; licèt indeterminatum, quod ego contendo non poſſe eſſe diuiſibile ex eo, quod tempus tantùm diuidatur in partes, non ſibi coëxiſtentes & tantùm diuiſibile fiat, & extenſum per ſucceſſionem, ita vt durationes partium motus ſibi coëxiſtentium non conſtituunt diuerſas partes temporis, neque durationes motuum coëxiſtentium, diuerſa tempora efficiant, ſed omnes durationes, ſiue partium motus, ſiue motuum totalium, quæ inter ſe coëxiſtunt, etiamſi innumeræ ſint, tantùm conſtituant vnum tempus nullatenus diuiſibile in partes coëxiſtentes, quia omnes indiuiſibiliter idem tempus efficiunt, ſed diuiſibile tantùm in partes, quæ ſibi non coëxiſtunt vt dicebam Controuerſia 16. puncto 1. num. 19. & puncto 3. n. 1.

6 Deinde aſſignat Hurtadus hanc coëxiſtentiam partium, vt poſſint vniri, quia illa, quæ non coëxiſtunt, vniri nequeunt. Vnde ait §. 79. partes iſtas, quæ vniuntur ſe tangere, & coëxiſtere. Ex hoc infero omnes partes temporis exiſtentes à prima mundi, conditione eſſe ſibi coëxiſtentes abſque vlla ſucceſſione. Quia partes illæ indeterminatæ, quas coëxiſtentes conſtituit Hurtadus, vniuntur cum aliis partibus immediatis: ſed non poſſunt vniri extrema non exiſtentia: ergo debent coëxiſtere partes, quas aſſignat Hurtadus coëxiſtentes, & partes aliæ immediatæ, cui illi partes coëxiſtentes vniuntur, rurſus illæ vniuntur aliis: ergo debent etiam illis coëxiſtere, & ſic omnes partes neceſſariò coëxiſtent illis, quibus vniuntur, & conſequenter coëxiſtent inter ſe. Ait Hurtadus, neſcio an vt huic difficultati ſatisfaciat, exiſtenti inſtanti *A*, vniri illo partes proportionales, quæ tranſacto inſtanti *A*, cum illo tranſierunt, & denuo aduenit inſtans *B* cum aliis proportionalibus, quas vnit. Contrà: partes proportionales quæ tranſeunt cum inſtanti *A*, non coëxiſtunt cum inſtanti *B*, neque cum aliis proportionibus exiſtentibus in inſtanti *B*, quia in ſententia huius Auctoris nulla pars proportionalis ex his, quæ vniuntur inſtanti *A*, & cum illo tranſeunt, coëxiſtit alicui proportionali ex his, quæ vniuntur inſtanti *B*, & cum illo adueniunt. Sed in ſententia eiuſdem, partes, quæ non coëxiſtunt, vniri non poſſunt: ergo nulla pars proportionalis ex his, quæ vniuntur inſtanti *A*, & cum illo tranſeunt, poteſt vniri alicui parti ex his, quæ vniuntur inſtanti *B*, & cum illo adueniunt: ergo debit hic Auctor concedere tempus omnino diuiſum per partes proportionales vnitas inter ſe diſtinctis inſtantibus, quin illæ quæ alio vniuntur inſtanti aliis coëxiſtant: vel ſi hoc neget, quod ab omnibus negari neceſſum eſt, debet concedere partes vnitas inſtanti *A*, coëxiſtere partibus vnitis inſtanti *B*, & has coëxiſtere vnitis inſtanti *C*, & conſequenter partes vnitas inſtanti *C*, & vnitas inſtanti *A* coëxiſtere inter ſe, quia coëxiſtunt vni tertio, & hac ratione omnes partes temporis inter ſe coëxiſtentes conſtituet, & ad vnicum indiuiſibile rediget.

7 Ex motu locali eidem ferè argumentis, quibus ex tempore, premitur hæc ſententia. In quacumque menſura, in qua mouetur corpus, mouentur omnes partes: ſed in hoc inſtanti, ſeu in hac parte temporis mouetur totum corpus ergo mouentur omnes partes: ergo acquirunt nouas præſentias: ergo amittunt præſentias, quas habebant in menſura præcedenti, quia non poſſunt ſimul duplicem habere præſentiam: ergo nulla præſentia exiſtens in hoc inſtanti motus, coëxiſtit præſentiæ exiſtenti in menſura præcedenti: ergo præſentiæ acquiſitæ per hunc motum in diuerſis menſuris etiam inter ſe immediatis nullam habent vnionem; non enim vniri poſſunt illa, quæ inter ſe non coëxiſtunt: ergo termini partium motus, qui ſunt præſentiæ, nullam habent vnionem: ergo neque ipſæ partes motus, quæ ſunt actiones ex vi quarum præſentiæ producuntur, quorſum enim vnientur actiones, quorum termini vniti non ſunt? Secundò de ipſis partibus motus, ſeu de ipſis actionibus idem fit argumentum: actiones coëxiſtunt terminis indiuiſibiliter, & ſine terminis exiſtere non poſſunt: ergo non poſſunt coëxiſtere actiones, quorum termini non exiſtunt: ſed termini partium motus non coëxiſtunt: ergo neque partes motus coëxiſtunt: ergo non poſſunt vniri: implicat enim vniri ea, quæ non exiſtunt ſibi, & vnioni, quo ſic probo. Implicat extrema eſſe vnita in menſura, in qua non ſunt; ſed nulla eſt menſura, in qua ſint partes motus vniendæ, quia quando vna adeſt, abeſt altera: ergo nulla eſt menſura, in qua vniantur. Secundò extrema hæc vel vnirentur in menſura, in qua eſt vnio, vel in menſura in qua ſunt ipſa extrema: non in menſura in qua eſt vnio, quia tunc non ſunt extrema vnienda, & implicat, vnionem vnire extrema non exiſtentia; non in menſura, in qua ſunt extrema, quia in illa non eſt vnio, & implicat extrema eſſe vnita per vnionem non exiſtentem: ergo in nulla menſura poſſunt extrema eſſe vnita.

8 Dicunt nonnulli, partes motus eſſe vnitas more ſucceſſiuorum,

Digitized by Google

infinities infinita puncta coaceruentur, non poterit continuum diuiſibile conſurgere. Si facit maius ergo duplex punctum vnitum maius ſpatium occupat, quàm vnum punctum, & triplex maius quam duplex: ergo duplex punctum vnitum occupat ſpatium diuiſibile, & triplex aliud ſpatium magis diuiſibile: ergo ſufficienter conſtituetur continuum indiuiſibilibus finitis inter ſe vnitis. Tertiò ſi indiuiſibile additum indiuiſibili facit maius: ergo infinita indiuiſibilia conſtituent compoſitum infinitè extenſum, cùm per additionem cuiuſcumque creſcat continuè extenſio. Dices, quamlibet partem proportionalem alij additam conſtituere maius continuum, & tamen infinitæ partes proportionales adduntur in continuo iuxta ſententiam Ariſtotelis, & non reſultat continuum infinitè extenſum: ergo neque ex additione infinitorum punctorum reſultabit continuum habens infinitam extenſionem. Ex hac ſolutione vires reſumit prima ratio, quam contra hoc continuum ex infinitis punctis conſtitutis modò adduxi: vna ex præcipuis difficultatibus, quas patitur ſententia Ariſtotelis eſt non poſſe dari continuum conſtans infinitis partibus proportionalibus infinitè diuiſibile, quod non ſit ſimpliciter infinitè extenſum, & propter hanc rationem multi à ſententia Ariſtotelis diſcedunt: ergo dum defendis continuum conſtans infinitis punctis, quorum quodlibet illud magis diuiſibile reddit, non eſſe ſimpliciter infinitum, ſicuti non eſt infinitum conſtans infinitis partibus proportionalibus, incidis in præcipuam difficultatem, quæ adducitur contra continuum Ariſtotelicum. Deinde ideò Ariſtotelici continuum Zenonis compoſitum ex punctis finitis reiiciunt, qua indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius. Tu defendis indiuiſibile additum indiuiſibili facere maius, aliàs tuum continuum ex infinitis punctis compactum eſſet indiuiſibile: ergo ſuſtines impugnationes factas contra Ariſtot. & contra Zenonem, & in difficultates vtriuſque ſententiæ incidis.

3 Deinde multi Ariſtotelici protegunt ſe communicatione partium proportionalium, quas dicunt vnam eſſe intra alias, & ita non componere continuum infinitè extenſum: tu non potes hanc communicationem in punctis fingere, neque dicere, vnum punctum eſſe intra aliud: ergo opprimeris difficultate, quam Ariſtotelici ſaltem fugiunt licet non euincant. Demum vt dicebam ſuprà, Ariſtotelici aſſerunt, ſuum continuum non eſſe ſimpliciter infinitum, quia etſi poſſit diuidi in partes infinitas, quarum quælibet ſit extra aliam, hæ partes inter ſe coaliquotæ non ſunt, neque æquales, ſed ſemper vna minor aliâ, & hac ratione aſſerunt, continuum poſſe in infinitum, & per infinitas partes augeri à proportione maioris ad proportionem minoris inæqualitatis, & non poſſe in illo infinitas partes æquales non communicantes aſſignari, quæ ſi aſſignarentur continuum infinitum ſimpliciter redderent. Hac ſolutione vti non poteris in tuo continuo, imò ex illius principiis in te arguo. Infinitum continens infinita puncta, continet infinita quaternaria punctorum inter ſe non communicantia, ex finitis enim quaternariis non poteſt infinita multitudo conſurgere: ergo poteſt Deus in hoc continuo, quod tu conſtituis, aſſignare infinitas partes quantitatis, quarum quælibet conſtet quatuor punctis: ergo poteſt Deus aſſignare in hoc continuo infinitas partes æquales non communicantes: ergo adhuc iuxta principia Ariſtotelis continuum iſtud conſtans infinitis punctis inter ſe non penetratis, eſſet infinitum, & nulla ſupereſt ſolutio, ex his, quibus Ariſtotelici vtuntur ad defendendum, continuum hoc non fore infinitum: ergo eſſet ſimpliciter infinitum.

4 Vltimò rogo huius ſententiæ ſectatores, quomodo differat ſecundùm ſua principia quantitas ſimpliciter infinita, infinita gaudens extenſione, à quocumque alio continuo? Nullum caput differentiæ poterunt aſſignare, niſi quia quantitas infinita ſimpliciter continet maiorem multitudinem infinitam punctorum, & minorem, etſi ſimiliter infinitam quantitas finita; quia multitudo punctorum cuiuſcumque quantitatis ſecundùm hanc ſententiam eſt infinita, & in quocumque continuo poſſunt aſſignari infiniti numeri quaternarij punctorum, quæ efficient infinitas partes quantitatis inter ſe æquales. Hæc autem differentia aſſignari non poteſt, quia etſi hæc multitudo infinita punctorum habeat alias multitudines infinitas maiores, etiam habet alias, & alias minores, nulla eſt enim multitudo infinita, cui non poſſit aliquid addi, quo addito multitudo alia infinita maior aſſurget, & cui non poſſit aliquid detrahi, quo detracto, minor erit multitudo ſuperſtes, & ſimiliter infinita, quia per detractionem alicuius multitudinis finitæ, non poteſt infinita multitudo fieri finita: ergo non poteſt aſſignari ratio, propter quam dicamus hanc multitudinem infinitam punctorum ſufficere ad quantitatem infinitam ſimpliciter conſtituendam, & non illam minorem, quia plures minores hac, quam tu dicis componere quantitatem ſimpliciter infinitam, componere, poterunt quantitatem ſimpliciter infinitam: ſi enim ab hac multitudine infinita punctorum, quam tu aſſignas pro quantitate ſimpliciter infinita, aliqua puncta detraheres, multitudo ſuperſtes erit infinita, & quantitatem ſimpliciter infinitam reddet: aſſigna ergo ſtatum multitudinis infinitæ requiſitum ad quantitatem ſimpliciter infinitam conſtituendam, quod ſi nunquam illum aſſignare poteris, quod mihi certum eſt, fatere quamcumque multitudinem infinitam punctorum non penetratorum conſtituere continuum ſimpliciter infinitum, & cum Zenone ex punctis finitis continuum componere, vel cum Ariſtotele dicito indiuiſibile additum indiuiſibili non facere maiorem extenſionem, & infinitas partes proportionales amplectere.

5 Hæc puncta, quibus corpus longum, latum, atque profundum componitur, vniuntur, non immediatè, & per ſe; ſed per vniones ſuperadditas, vt probaui Controuerſia 3. Puncto 1. vbi poſtquam tradidi, dari vnionem ſuperadditam inter materiam, & formam, poſtea §. 5. eiuſdem puncti ſtatui idem dicendum eſſe de partibus totiùs integralis. Vniones iſtæ per ſe, & immediatè vniuntur, & non mediis aliis vnionibus, ne in infinitum procedamus. Itaque in continuo duo ſunt genera punctorum; quædam, quæ aliis vniuntur per puncta alia ſuperaddita; quædam, quæ per ſe ipſa vniuntur, & mediis quibus alia vniuntur. Hæ ſunt modi, & vniones illorum, ſine quibus ſubſiſtere nequeunt: illa ſunt res, quæ à ſuis modis poſſunt ſeparari. Fuerunt nonnulli, qui duplicem vnionem requirebant, vt vnirentur duo puncta, quandam tenentem ſe ex parte huius puncti vniendi, & aliam tenentem ſe ex parte illius, quia vnio eſt perfectio extremorum, & debet afficere vtrumque extremum vnitum. Contra hos egi Controuerſ. 3. Puncto. 2. vbi probaui, ſimplicem vnionem ſufficere ad duo extrema diſtincta inter ſe vnienda, & non requiri vnionem afficere inhæſiuè, ſeu media inhæſione, ſeu repetitione extremum, quod vnit. Quod ſi requireretur, facilius eſſet eandem indiuiſibilem vnionem in duplici extremo vniendo conſtitui, quam duplicem vnionem ad duo extrema inter ſe vnienda ſine fundamento multiplicari.

6 Difficultas eſt, in quo loco ſi vnio, ex vi cuius annectuntur indiuiſibilia diuerſum ſpatium occupantia. Nonnulli illam cum vtroque penetratam componunt, quod non probo, quia illa vnio indiuiſibilis eſſe debet, ſi enim eſſet diuiſibilis, haberet partes vnitas per vnionem, in qua eadem conſurgeret quæſtio, & in infinitum abiremus: ergo non poteſt eſſe in ſpatio diuiſibili: ergo non poteſt occupare ſpatium duorum punctorum, quæ cum non ſint penetrata, ſpatium diuiſibile neceſſariò occupant. Quod ſi dicas vnionem indiuiſibilem poſſe eſſe in ſpatio diuiſibili, ſine fundamento tribuis perfectionem puncto modo imperfectiori, quam negas puncto rei perfectiori, & quam tantùm in rebus ſpiritualibus agnouimus, neque ex eo quod videas, ſpatium ingens occupari copore aliquo, poteris inferre, corpus illud eſſe diuiſibile, quia forſan erit ſecundum ſuam entitatem indiuiſibile, & ratione præſentiæ in ſpatio diuiſibile conſtitutum.

7 Poſſes dicere, vt vnionem penetratam cum vtroque indiuiſibili vniendo conſtitueres, vnionem eſſe diuiſibilem in partes immediatè, & per ſe ipſas vnitas, quæ vnione alia ſuperaddita non indigerent. Contra hunc dicendi modum in primis obiicio, incongruè poni vnionem diuiſibilem pro extremis indiuiſibilibus vnionis. Secundò abſque neceſſitate comminiſci hanc vnionem, quia vt poſtea probabo, poſſunt extrema vniri vnione, quæ immediatè tangat vtrumque, & cum nullo ſit penetrata. Tertiò efficaciùs: pono vnionem cum duabus partibus, quarum vna penetratur cum indiuiſibili *A*, & altera cum indiuiſibili *B*. & inquiro an pars penetrata cum indiuiſibili *A*, illud vniat adæquatè indiuiſibili *B*? ſi affirmatiuè reſpondeas, inferam eandem partem vnionis vnire indiuiſibile *B* cum indiuiſibili *A*: quia, vt dicebam Controuerſia 3. puncto 2. idem eſt formaliter, hoc extremum eſſe alij vnitum, & illud vnitum eſſe huic, & implicat modum venientem hoc extremum,

Digitized by Google

extremum, illi, qui non eadem omnino ratione vniat formaliter illud huic: ergo præciſè per partem vnionis reſpondentem huic indiuiſibili, vtrumque formaliter eſt adæquatè vnitum: ergo ſuperfluit pars altera. Si dicas partem vnionis penetratam cum indiuiſibili *A*, non illud adæquatè vnire, ſed vniri inadæquatè parte penetrata vnionis, & ſimiliter inadæquatè altera parte non penetrata, & vtraque adæquatè, inferam ego vnionem inadæquatam, ſeu partem vnionis, ex vi cuius vnitur indiuiſibile *A*, non eſſe penetratam cum illo: ergo ſicuti pars vnionis poteſt vnire partialiter extremum, cum quo non eſt penetrata, ita vnio talis poterit totaliter vnire extremum, cum quo nullam habeat penetrationem.

8 Alij affirmant, vnionem eſſe penetratam cum altero tantum extremo, quia ex illo educitur, non quia hæc penetratio neceſſaria ſit, vt extremum ex vi illius vniatur. Ego cum his cenſeo, vnionem non debere eſſe penetratam cum aliquo extremo vnito, vt vtrumque vniat, ſed ſufficere eſſe vtrique immediatam, ſeu inter vtrumque. Quia nullum eſt caput, ex quo inferatur, vnionem integralem debere eſſe penetratam cum extremis, & aliàs difficile cum hac penetratione componi poteſt: ergo immeritò nos conijciemus in nouas difficultates ad defendendam penetrationem vnionis cum extremis, quàm nullo titulo tenemur defendere. Quod ſi penetratio requiratur vnionis eſſentialis cum extremis, longè alia ratio de vnione integrali, quia partes eſſentialiter vnitæ, debent eſſe penetratæ, & ita mirum non eſt vnionem eadem penetratione cum ipſis partibus indigere, partes verò integrales penetratione non indigent, vt vniantur, & ita neque vnioni ipſarum hæc penetratio neceſſaria eſt. Ex hac differentia argumentum deſumo pro mea ſententia ea approximatione indiget vnio cum partibus, qua partes inter ſe vnitæ indigent, ſed partes integrantes non debent eſſe penetratæ: ergo neque vnio cum illis. Dices, ex hoc inferri, vnionem poſſe eſſe non ſolùm non penetratam, ſed neque immediatam extremis vnitis, cùm extrema vnita immediata non ſint iuxta doctrinam traditam quæ vnionem inter vtrumque extremum conſtituit. Reſpondeo diſparem eſſe rationem circa immediationem partium inter ſe, & vnionis cum partibus, quia partes non vniuntur per ſe, ſed media vnione, & ita non debent eſſe per ſe approximatæ, ſed media vnione, vnio verò per ſe ipſam immediatè partes afficit, & ita per ſe ipſam debet eſſe illi approximata.

9 Puncta ex ſua natura intrinſecè terminatiua per ſe neceſſaria non ſunt, quia quodlibet punctum terminatiuum erit, ex eo, quod poſt ſe aliud non habeat, & ex eo quod linea vltra non progrediatur, erit terminata, & poterit aſſignari illius terminus intrinſecus, quem vltimò linea pertingat, & extrinſecus, quem primò non attingat, poterit enim dici, vſque ad hoc ſpatij punctum per hoc indiuiſibile quantitatis vltimo protenditur linea, qua ratione terminus illi intrinſecus deſignatur, & ſimiliter dici poterit, hoc indiuiſibile ſpatij eſt primum, quod linea non attingit, & magis immediatum indiuiſibilibus ſpatij, quod attingit, quod ſpatij indiuiſibile erit illius extrinſecus terminus. Confirmatur: præciſè ex eo, quod corrumpatur vnio ex vi cuius annectebatur hæc ſemiulna alteri ſemiulnæ, & conſtituebatur vlna nullo alio indiuiſibili terminatiuo producto permanebit vtraque ſemiulna intrinſecè, & extrinſecè terminata, modo ſupra explicato, quia vtriuſque indiuiſibilia ſucceſſiuè vnum poſt aliud ſpatium occupabunt, & illorum primum, & vltimum aſſignari poterit: per ſe ergo neceſſaria non ſunt in quantitate puncta intrinſecè terminatiua.

10 In continuis per ſe ſucceſſiuis ſecundùm hanc ſententiam nulla eſt vnio phyſica conſtituenda; ſed dicendum præciſè per immediatam ſucceſſionem vnius indiuiſibilis poſt aliud conſtitui vnum motum ſucceſſiuum, & vnum tempus, quæ ſicuti phyſicam vnionem non habent, non ſunt tota phyſica, ſed moralia, ſic motus, quo totum hoc gymnaſium percurro, dicit plures actiones, ex vi quarum plures præſentiæ producuntur, quarum quælibet eſt præſentia totalis, & adæquata eiuſdem omnino rationis cum illa, quam modo habeo, dum quieſco, quia illarum quælibet poſſet eſſe vltima motus, & cum illa diu quieſcere, & ſicuti præſentiæ per motum productæ adæquatæ ſunt, ſic actiones, per quas hæ præſentiæ producuntur, nihilominus dicuntur partes eiuſdem motus, quia moraliter eundem motum repetamus omnes acquiſitiones præſentiarum, quæ ſucceſſiuè, & abſque vlla temporis interruptione contingunt, licet phyſicè illarum quælibet ſit totalis motus præſentiam adæquatam mobilis vt terminum reſpiciens, & toties ego adæquatè mouear, ſeu tot motibus adæquatis phyſicè loquendo, cum percurro ſpatium huius gymnaſij, quot ſunt præſentiæ, quas ſucceſſiuè in toto illo ſpatio acquiro. Eadem ratione tempus dicit plures durationes ſucceſſiuè fluentes eiuſdem motus moraliter, & plurium phyſicè iuxta modò dicta de vnitate motus. Durationes hæ, quas dicit tempus, ſunt omnes phyſicè adæquatæ, & moraliter inadæquatæ, ſeu partes eiuſdem durationis, ſicuti ſunt illius ſubiecta, videlicet motus, quos afficiunt. Notandum tamen eſt, in motu quamlibet illius partem inſtantaneam poſſe dici durationem phyſicè adæquatam reſpectu ſui ſubiecti, & moraliter dici tantùm partem durationis ſucceſſiuæ, quæ tantùm habet moralem vnionem, non tamen poſſe dici inſtantaneam durationem motus; quæ eſt pars moraliter componens vnum tempus morale, vnum tempus phyſicè adæquatum, quia tempus eſſentialiter dicit multitudinem durationum cum ordine prioris, & poſterioris, & eſſentialiter dicit vnionem moralem plurium durationum ſuccedentium, eſt enim numerus motus ſecundùm prius, & poſterius. Quam ſucceſſionem non dicit eſſentialiter motus, neque illius duratio, quia ſi in hoc inſtanti tantùm mouerer ego, & acquirerem præſentiam immediatam huic, quam habeo, acquiſitio illius præſentiæ motus abſolutè diceretur, illiúſque correſpondentia ad tempus eſſet duratio, non tamen tempus, quod dicit eſſentialiter plures durationes ſucceſſiuè fluentes. In hac ſucceſſione partium motus, & temporis nulla poterit alicuius momenti excogitari difficultas.

PVNCTVM VIII.

Argumentum contra prædictam ſententiam petitum ex penetratione punctorum expendo.

PRimum telum, quo Ariſtotelici in Zenoniſtas iaculantur, petitum eſt ex penetratione punctorum, quam inter indiuiſibilia ſe tangentia vitari nullo modo poſſe exiſtimarunt, ex quo principio vetuſtum illud axioma dimanauit: *Indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius*, ſic Ariſtotelici argumentantur: Indiuiſibilia immediatè vnita debent ſe tangere, ſed non poſſunt ſe tangere quin penetrentur: ergo non poſſunt vniri quin penetrentur: ergo indiuiſibile immediatè alteri vnitum non facit maius: ergo continuum extenſum non poteſt ex indiuiſibilibus componi. Hoc argumento exiſtimant Ariſtotelici, actum eſſe de Zenone, & ex illius doctrina tãquam ex ſolidiſſimo fundamento totam partium infinitarum aſtruunt machinam, quæ ſi alio ſolidiori non innitatur, totam corruere deſtructo fundamento compertum erit. 1

In primis idem argumentum, eodem prorſus modo fit contra ſententiam Ariſtotelis, iuxta quam indiuiſibile vniens partes, vtramque tangit, & cum vtraque penetrari debet, ſi firmum ſit, illa, quæ ſe tangunt penetrare ſe ſecundùm rationem attactam, vel ergo vtraque pars penetrata eſt in ſpatio indiuiſibili, quod punctum occupat, vel punctum eſt in ſpatio vtriuſque partis: ſi primum diceres, inferrem efficaciter omnes quantitates vnitas reducendas eſſe ad vnicum indiuiſibile ſpatij, quia quælibet pars penetraretur cum immediata, & ſic omnes inter ſe penetrarentur. Si dicas ſecundum, quod magis rationi conſonum videtur, infero partes inter ſe eſſe immediatas, cum indiuiſibile ſit cum illis penetratum, & non mediet inter partem & partem: ergo partes ſe tangunt: ergo partes penetrantur inter ſe, ſi verum eſt illa, quæ ſe tangunt debere inter ſe penetrari. Vrget fortius hoc argumentum in attactu partium, quam in contactu indiuiſibilium: partes tanguntur ſecundùm aliquid diuiſibile, quod habet prius, & poſterius: ergo vt tangantur ſecundum prius, & poſterius, debent penetrari ſecundùm prius ipſarum: ergo non poteſt dari contactus partium ſine ipſarum penetratione: quod argumentum locum non habet in contactu indiuiſibilium quæ prius, & poſterius non habent. Tenentur ergo omnes reſpondere argumento petito ex penetratione illorum quæ ſe tangunt, quod in ſententia Ariſtotelis non facile ſit, & in Zenonis ſententia facillimè præſtabo. 2

Reſpondeo, vnum indiuiſibile tangere aliud ſecundùm ſe totum, & non eſſe penetratum cum illo, ſed immediatum, ſeu 3

Digitized by Google

ſeu in ſpatio immediato, quod ſufficit, vt duo indiuiſibilia tangantur, tangi enim non dicit neceſſariò eſſe vtrumque in eodem ſpatio, ſed eſſe vnum immediatum alteri, ſeu nullum intercedere ſpatium inter ſpatia diſtincta, quæ occupant illa, quæ ſe tangunt, quod valde diuerſum eſt; illa enim, quæ ſunt penetrata æquè diſtant à quocumque alio corpore, illa verò, quæ ſunt immediata ab eodem termino diuerſam habent diſtantiam, in hac enim linea quatuor punctorum .... primum punctum, & ſecundum immediata ſunt, tamen diuerſam habent diſtantiam reſpectu quarti, quia ſecundum punctum tantùm diſtat à quarto per vnicum punctum, tertium videlicet interiacens inter ſecundum & quartum, primum verò diſtat per duo puncta, ſecundum videlicet, & tertium interiacentia inter primum, & quartum. Si verò primum, & ſecundum penetrarentur, æquè diſtarent à quarto, & à quocumque alio termino. In hac doctrina nullam difficultatem percipio, quapropter miror, tot viros doctos huic argumento fidiſſe: exiſtimoque, in omnium opinione dicendum eſſe, rem vnam eſſe alteri immediatam, non dicere penetrationem vtriuſque, aliud enim eſt duas entitates eſſe in ſpatiis immediatis, aliud eſſe in eodem ſpatio, hoc dicit penetrationem, non illud, aliàs tota mundi machina penetrata eſſet, cum omnes illius partes ſint immediatè vna poſt aliam: hanc ergo immediationem diſtinctam à penetratione, quam omnes admittere debent, dico ego eſſe contactum indiuiſibilium, neque alio modo indiuiſibilia ſe tangere admitto.

4 Hanc ſolutionem refert Hurtadus §.92. illamque intendit impugnare, quia eadem eſt difficultas de locis immediatis, cùm enim hæc loca ſecundùm ſe tota ſe tangant, ſi illorum quilibet indiuiſibilis ſit, neceſſum eſt eadem loca penetrari, quod probat Hurtadus exemplo punctorum ipſius locati, quia eadem eſt difficultas de loco, & de locato, & illorum neutrum poteſt habere extenſionem diuiſibilem propter rationem dictam, ſi conſtent indiuiſibilibus immediatè ſe tangentibus. Reſpondeo de omni loco, ſiue reali, ſiue imaginario, & de corpore locato eodem omnino modo philoſophandum eſſe, dicimus enim indiuiſibilia loci ſe tangere, quia vnum eſt immediatè poſt aliud, non quia illa, quæ ſe tangunt penetrata ſint. Nihil aliud contra hanc ſolutionem adducit Hurtadus, ſed totus eſt in impugnandis quibuſdam indiuiſibilibus inflatis.

5 Inſtabis, ex his indiuiſibilibus .... primum, & tertium tangunt ſecundum: ergo tangunt illud ſecundùm eandem entitatem: ergo penetrantur inter ſe. Primum antecedens, & prima conſequentia negari non poſſunt. Conſequentiam ſecundam probo, ex eo quod non poſſunt duo indiuiſibilia non penetrata inter ſe ſimul immediatè tangere tertium illud ſecundùm eandem partem, quia ipſa inter ſe penetrantur. Reſpondeo, negando ſecundam conſequentiam, & confirmationem, quia licet duo indiuiſibilia tangant aliud tertium ſecundùm eandem entitatem, illud tamen tangunt per diuerſa latera eiuſdem tertij indiuiſibilis attacti, quæ latera non ſunt intrinſeca indiuiſibili, quod tangitur, ſed extrinſeca, quæ conſiderari poſſunt in quocumque indiuiſibili, quod habet diuerſa loca extrinſeca, dextrum videlicet, & ſiniſtrum, ſurſum, & deorſum, vt ex ipſa terminorum apprehenſione compertum eſt, & efficaciſſima ratione oſtendo. Ponatur quodcumque indiuiſibile quantitatis in ſpatio indiuiſibili, & vt in ſententia Ariſtotelis rem etiam oſtendam, ſume tibi indiuiſibile, quodcumque contentum in hoc corpore compoſito ex partibus, & indiuiſibilibus infinitis: hoc indiuiſibile *A*, v.g. & ſic de omnibus aliis, indifferens eſt, vt moueatur verſùs Orientem, vel verſùs Occidentem, & caſu, quo moueretur verſùs Orientem, nihil ſpatij percurreret, ſeu nullam præſentiam acquireret ex illo ſpatio, quod percurreret, ſeu ex illis præſentiis, quas acquireret ſi verſùs Occidentem moueretur, & in vtroque caſu illud indiuiſibile inciperet moueri per ſpatia immediata: ergo habet diuerſa ſpatia immediata, ſiquidem diuerſum eſſet ſpatium, per quod moueri inciperet verſùs Orientem ab illo, per quod moueri inciperet verſùs Occidentem, & vtrumque eſſet immediatum: ergo illud indiuiſibile habet latera immediata diuerſa, quæ poſſunt occupari duobus aliis indiuiſibilibus quæ immediata erunt eidem indiuiſibili *A*, & inter ſe non erunt penetrata, cùm ſint in diuerſis ſpatiis: ergo poſſunt dari duo indiuiſibilia immediata per diuerſa latera extrinſeca alteri tertio, quæ inter ſe penetrata non ſint, ſed in diuerſis ſpatiis immediatis indiuiſibili, quod tangunt per immediatam poſitionem. Vrgeo, quando indiuiſibile ſiue in continuo Zenonis, ſiue in Ariſtotelis continuo incluſum incipit moueri verſùs Orientem, ſuccedit in ſpatium, quod occupat corpus immediatum, quod ab illo loco pellit: ſi inciperet moueri verſùs Occidentem ſuccederet in ſpatium, quod occupabat aliud corpus eidem immediatum, ſiue diuiſibile, ſiue indiuiſibile, quod etiam loco pelleret: ergo indiuiſibile antequam moueretur habebat duo ſpatia immediata, & duo corpora immediata, quæ illa immediata ſpatia occupabant, non penetrata inter ſe, neque cum indiuiſibili immediato: ergo indiuiſibile habet latera extrinſeca diuerſa ab illo diſtincta, quæ poſſit tangere per immmediatam poſitionem abſque vlla penetratione. His conſtant pulchra verba Auguſt. lib. 2. de libero arbitr. cap. 8. *Quantulumcumque illud corpuſculum ſit, habet ſiniſtram, dextram inferiorem, ſuperiorem.*

6 Lego Hurtad. ſect. 5. ſubſect. 5. contendentem hæc latera impugnare, verumtamen nihil momenti apud illum inuenio. Arguit: Chriſtum penetratum fuiſſe cum cœlis, licet illos tantùm tetigerit per terræ latus. Hæc impugnatio, neque ſolutionem laterum penetrat, neque ſolutionis latera attingit, Chriſtus enim cum penetratus erat cum cœlis, non illos per aliquod latus tangebat, ſed erat intra illos, licet immediatè antea quam penetraretur, illos tetigerit per latus terræ ſicut immediatè poſt penetrationem illos tetigit per latus oppoſitum: tangere enim per latus aliquod dicit eſſe in ſpatio immediato corpori tacto, & ſicuti Chriſtus immediatè antequam penetrarentur, fuit in ſpatio immediato cœli exiſtenti inter cœlos & terram, tunc illos per latus terræ tangebat, & in inſtanti poſtquam fuit penetratus, per aliud latus cœlos tetigit, quia in illo occupauit ſpatium immediatum cœlis exiſtens non inter cœlos, & terram, ſed poſt ſuperficiē connexam cœlorum, cum quibus fuerat penetratus: in inſtanti verò penetrationis non tangebat partem cœli, cum qua erat penetratus per latus aliquod, ſed erat intra partem ipſam cœli, cum qua penetrationem habebat. Hæc iuxta omnium hominum apprehenſionem, & communem loquēdi modum certa ſunt, nullus enim dicit, ea quæ intra ipſum ſunt, eſſe ad ſuum latus, ſed illa, quæ ſunt extra ipſum immediatè exiſtentia. Sic Petrus, & Ioannes modò prope me ſedentes, inter quos ego ſedeo, dicuntur eſſe ad mea latera: quod ſi illorum aliquis mecum penetraretur, non diceretur eſſe ad meum latus, ſed intra me exiſtens. Arguit ſecundò poſſe vnum punctum cum alio penetrari, & ad hoc non requiri vt illud tangat per omnia latera extrinſeca. Hoc antecedens ponit, & probat, & conſequens ſubiicit, tantumque illationem *ergo* exprimit. Sed certè ego ignoro, quid poſſit ex illo antecedenti, quod verum eſſe fateor, Hurt. inferre; opinio enim, quæ latera aſſignat, non dicit indiuiſibile non eſſe penetratum cum alio, quia non illud attingit per omnia latera, ſed aſſerit indiuiſibilia inter ſe tangi per latus extrinſecum, non importare illorum penetrationem ſed immediatam poſitionem horum indiuiſibilium. Neque ſecundum hanc ſententiam indiuiſibile penetratum cum alio dum eſt penetratum cum alio debet illud tangere per aliquod, ſeu per aliqua latera, ſed eſſe in eodem ſpatio cum illo: imò ſi indiuiſibile hoc tangit illud per vnum, vel per plura latera, contactus iſte impedimētum eſt, vt cum illo penetretur in eodem inſtanti, in quo eſt contactus, quia indiuiſibile tangens aliud per aliquod latus eſt in ſpatio immediato, quod ſi per plura latera illud tangat, erit in pluribus ſpatiis immediatis diſtinctis ab ſpatio, quod indiuiſibile attactum occupat, penetrari autem cum illo dicit, eſſe in eodem ſpatio, & ſicuti eſſe in ſpatio, ſeu in ſpatiis immediatis diſtinctis ab illo, quod hoc indiuiſibile occupat impedimentum eſt, vt ſit in ſpatio, quod occupat hoc indiuiſibile, quia ſimul non poteſt eſſe in pluribus ſpatiis: ſic tactus huius indiuiſibilis cum alio per aliquod latus impedimentum eſt, vt cum illo penetretur, tantùm abeſt vt ad penetrationem requiratur contactus per omnia latera.

7 Vltimò arguit Hurtadus: Detur à Deo produci duo puncta immediatè ſe tangentia: deinde aliud punctum tractum per omnia latera illa tangere, aliud verò tractum per vnum ſolum latus: ſic rebus ſe habentibus rogat Hurtadus, vtrùm illa puncta ſimul producta ſe penetrent, vel non? ſi non ſe penetrant, rationem vult reddi: & petit quid vlterà potuit Deus facere, vt hæc puncta penetrarentur, niſi illa immediatè ſe tangentia producere? Eiſdem ferè verbis Hurtadi obiectionem retuli, cui paucis reſpondeo, in caſu poſito nullam dari punctorum penetrationem, quia

Digitized by Google

nullum conſtituitur in eodem ſpatio, in quo erat aliud, quod requiritur ad penetrationem, ad quam non ſufficit hæc indiuiſibilia ſe tangere per præſentias reſpondentes ſpatiis immediatis, quia illa tantùm, quæ ſunt in eodem ſpatio, & non illa, quæ ſunt in ſpatiis immediatis penetrata dicimus. Debuit ergo Deus, vt illa puncta penetrarentur, non tantùm puncta immediatè ſe tangentia per vnum, aut per plura latera penetrata producere, ſed vnum intra alterum, ita vt vtrumque idem indiuiſibile ſpatium occuparet, & non duo ſpatia immediata. Hæc ſolidè ſolutionem prædictam ſtabiliunt, neque pro libito excogitata ſunt, quorum non ſolùm apparentem rationem, quam nondum reddi, ait Hurtadus, ſed omnibus, qui rem attentè inſpiciant facilem, & perſpicuam reddidi, quæ clarè vim argumenti prædicti infringit, quod apertam demonſtrationem P. Hurtad. appellauit.

8 Obiic. Indiuiſibile non eſt extenſum: ergo non poteſt conſtituere quantitatem extenſam. Pulchrè: anima rationalis non eſt diuiſibilis in partes eſſentiales: ergo non poteſt conſtituere totum diuiſibile in partes eſſentiales. Inepta conſequentia, id enim quod in ſe diuiſibile non eſt, vnitum alij extremo etiam indiuiſibili, componit cum illo totum diuiſibile in vtrumque indiuiſibile extremum, eo enim ipſo, quod duo indiuiſibilia vniantur; eſt quoddam totum vnitum, cuius vnio corruptibilis eſt & eo ipſo totum diuiſibile, quia diuiſio nihil aliud eſt quàm corruptio vnionis & poſſe diuidi, quam poſſe vnionem totius corrumpi, ex quo fit totum compoſitum ex duobus indiuiſibilibus vnitis eſſe diuiſibile, quia habet vnionem corruptibilem, & extrema in quæ diuiditur totum non eſſe in ſe diuiſibilia, quia nullam in ſe vnionem habent, ſeu includunt.

9 Similiter obiicitur: Indiuiſibile non eſt quantum: ergo non poteſt quantitatem conſtituere. Reſpondent nonnulli indiuiſibile eſſe quantum vt quo, licet non ſit quantum vt quod. Hæc ſolutio honeſtam quandam petitionem principij operit, quam detectam vide. Eſſe quantum vt quo, eſt, eſſe conſtitutiuum quantitatis: ergo idem eſt, dicere, indiuiſibile eſſe quantum, vt quo, ac dicere, eſſe conſtitutiuum quantitatis: ergo dum dicis, eſſe conſtitutiuum quantitatis, quia eſt quantum vt quo, dicis eſſe conſtitutiuum quantitatis, quia eſt conſtitutiuum quantitatis. Dices te idem explicare expreſſiori conceptu. Contrà: Intendit obiectio repugnare indiuiſibile non quantum conſtituere quantitatem: ergo non ſatisfacis ſi explices conceptum conſtitutiui, ſeu conſtituentis quantitatem, de quo modò non eſt difficultas, ſed debes rationem reddere quomodo poſſit illi conuenire puncto quantitatis non quanto. Reſpondeo: punctum quantitatis habere totam eſſentiam quantitatis, quæ conſiſtit in impenetrabilitate, ſeu in repugnantia penetrationis, quæ cuicumque indiuiſibili quantitatis conuenit, quod eſt pars integralis quantitatis retinens totam eſſentiam in quantitate integra repertam. Extenſio, quæ proprietas eſt quantitatis conſequens impenetrationem puncto per ſe non conuenit, ſicut neque diuiſibilitas ſed illam fundat, ſeu componit, quia eo ipſo, quod hoc punctum alteri vniatur, & cum illo non penetretur neceſſariò reſultat totum conſtans partibus non penetratis, & conſequenter extenſum per diſtinctas ſpatij partes.

PVNCTVM IX.

De velocitate motus.

NEmo aſt adeò ingenio velox, qui velocitatem motus deprehendere valeat, cuiuſque enim doctiſſimi mentem prætervolat, ob hoc inter magis penetrantia tela, quæ ex illa deſumuntur, validiſſimum vnum Ariſtotelici in Zenoniſtas iaculantur, quod in ipſos contortum dabo, & poſtea à Zenoniſtis conabor excutere.

§. I.

Difficultatem expendo.

1 INferunt Ariſtotelici contra Zenonem, non poſſe dari motum velociorem alio, neque poſſe aquilam teſtitudine velocius moueri, quod ſic probant. Teſtudo in ſingulis inſtantibus ſingula puncta acquirit ſpatij: Aquila non poteſt in vnico inſtanti acquirere niſi vnicum indiuiſibile ſpatij, quia ſi duo acquireret, indiuiſibile aquilæ eſſet ſimul in duplici indiuiſibili ſpatij vel ſecundum acquireret ſine tranſitu per medium, primo non acquiſito, quorum neutrum fieri poteſt: ergo hoc indiuiſibile aquilæ in ſpatio octo inſtantium tantùm poteſt percurrere octo indiuiſibilia loci; ſed totidem acquitit in eodem tempore quodlibet indiuiſibile teſtudinis, quod non poteſt in quocumque inſtanti tẽporis, quo mouetur: non percurrere vnum indiuiſibile ſpatij: totidẽ ergo ſpatij percurrit, ac percurrit indiuiſibile aquilæ in eodem tẽpore: ergo tãtùm ſpatium percurret teſtudo, ac in eodẽ tempore percurrit aquila quod ſine riſu audiri nequit.

Idem telum Ariſtotelicis infigo: Moueatur teſtudo, & aquila per idem ſpatiũ, decurrat illud aquila horæ quadrã-ti teſtudo menſe integro. Ecce tot ſpatij partes percurrit teſtudo, & aquila, totidem partes habet motus teſtudinis, & motus aquilæ; ſed motus teſtudinis ita correſpondet partibus temporis, vt nulla ſit pars temporis diſtincta, cui non correſpondeat pars diſtincta motus, neque vlla pars motus cui non correſpondeat diſtincta pars temporis, quâ ergo ratione partes motus aquilæ, quæ pauciores non ſunt partibus motus teſtudinis, potuerunt reſpondere partibus quadrantis, ita vt illarum quælibet diſtinctam partem temporis in ſpatio reſpiciat? & quomodo partes æquales motus potuerunt iuſte commenſurari cum partibus temporis adeò inæqualibus, & ſe excedentibus. Aliter idem argumentum expenditur: moueantur teſtudo, & aquila per ſpatium vnius quadrantis; aquila percurret vnam leucam; teſtudo tres paſſus; partes temporis, quibus correſpondent partes motuum ſunt omnino eædem, partes motus aquilæ millies excedunt partes motus teſtitudinis: ergo ſi partes temporis commenſurantur cum partibus motus teſtudinis, ita vt cuilibet parti motus, pars diſtincta temporis correſpondeat, & cuilibet parti temporis diſtincta reſpondeat pars motus teſtudinis, non poterunt eædem partes temporis reſpondere partibus motus aquilæ, ita vt quælibet pars motus diſtinctam partem temporis reſpiciat, ſed neceſſariò debent plures motus eidem parti temporis reſpondere, eſt enim per ſe notum, non poſſe eandem multitudinem æqualem eſſe duabus inæqualibus, quia ſi ita fieret, duæ illæ menſuræ eſſent inæquales, vt ſupponitur, & eſſent æquales, quia quæ ſunt æqualia vni tertio ſunt æqualia inter ſe. 2

Reſpondent Ariſtotelici, in vno infinito non eſſe plures partes, quàm in alio, ac proinde quamcumque infinitam multitudinem poſſe cum quibuſcumque aliis infinitis commenſurari, & ita multitudinem infinitam partium vnius quadrantis poſſe commenſurari cum partibus motus teſtudinis extenſi per tres paſſus, & cum partibus motus aquilæ extenſi per integram leucam. Multitudinem infinitam non eſſe menſurabilem, & ita formaliter non eſſe maiorem alia, conceſſio Controu. 14. Punct. 5. verumtamen materialiter vnam eſſe maiorem alia ibi dixi, & per ſe notum eſt, quis enim negare poterit in ſemihora eſſe plura inſtantia, quam in quadranti, cum in ſemihora ſint omnia quæ ſunt in quadranti, & alia infinita in alio quadranti contenta? quiſve neget hominem percurrentem ſpatium vnius leucæ, percurrere plures partes ſpatij, quàm percurrit teſtudo, quæ per tres tantùm paſſus ſuum motum protendit? Neget hoc qui negare audeat, totum eſſe maius ſua parte, eſt enim æquæ certum, imò omnino idem, quod ipſis oculis cernitur. Nemo ergo, qui rem vocibus non confundat, ſed illam attentè inſpiciat, & ingenuè explicet, non fatebitur, difficultatem hanc communem eſſe in vtraque ſententia. 3

Recentiores, qui indiuiſibilia inflata occupantia diuiſibile ſpatium conſtituunt, rectè ex virtuali indiuiſibilium diuiſione difficultatem hanc componunt. Reſpondent: indiuiſibile ſe mouens poſſe in hoc inſtanti temporis relinquere totum ſpatium, quod in inſtanti præcedenti occupabat, & poſſe non relinquere totum ſpatium quod antea occupabat, ſed aliquid illius plus, minúſve, v.g. do indiuiſibile *A*, quantitatis occupare quatuor indiuiſibilia ſpatij *A*, *B*, *C*, *D*, in hoc inſtanti, quo ſe mouet, poteſt hæc omnia indiuiſibilia ſpatij relinquere, & acquirere indiuiſibilia *E*, *F*, *G*, *H*, vel poteſt relinquere tantùm vnum indiuiſibile, & aliud acquirere, retentis tribus, quæ habebat in inſtanti præcedenti, in quibus communicant præſentia producta in hoc inſtanti, & illa quam habuit in præcedenti, ita vt ex vi motus in hoc inſtanti exerciti indiuiſibile *A*, quantitatis, conſtituatur in indiuiſibilibus *B*, *C*, *D*, *E*, ſpatij, & ſic potuit in hoc inſtanti acquirere præſentiam tantùm communicantem cum præcedenti in duobus punctis ſpatij, in quibus permanet, duobus acquiſitis per præſentiam ex vi cuius conſtitueretur in indiuiſibilibus 4

ſpatij

Digitized by Google

ſpatij *C, D, E, F*, vel potuit acquirere præſentiam communicantem in vnico puncto, ex vi cuius exiſteret in indiuiſibilibus ſpatij *D, E, F, G*, Poſitis his diuerſis motibus in hoc indiuiſibili quantitatis, aſſerunt, tunc ſummè velociter moueri, quando præſentia in hoc inſtanti acquiſita in nullo indiuiſibili ſpatij communicat cum præcedenti, quia tunc ſimul acquirit quatuor noua ſpatij indiuiſibilia. Quando præſentia producta in hoc inſtāti communicat in tribus indiuiſibilibus, & tantum ad vnum nouum ſe extendit, motus eſt ſummè tardus, quia ex vi cuiuſcumque motus aliquod nouum ſpatium eſt acquirendum, & non poteſt aliud minus vnico indiuiſibili acquiri. Quando præſentia producta in hoc inſtanti communicat tantùm in duobus, vel in vnico indiuiſibili cum præterita, motus eſt medius, neque ſummè tardus, aut velox. Hac ratione componitur ſecundùm hanc ſententiam maior, & minor velocitas eiuſdem motus reſpectu duorum indiuiſibiliũ quantitatis perpetuò in eadē menſura temporis ſe mouentium, & eodem modo reſpectu cuiuſcũque aliûs corporis quantitatiui, quia quo velocius, aut tardius illius indiuiſibilia mouentur, tardius aut velocius mouetur totum, quod non diſtinguitur ab indiuiſibilibus ſimul ſumptis, ex quibus componitur, ita neq; motus totius à motu omnium indiuiſibiliũ. Nunquam illa quibus non aſſentior inefficacibus vellem rationibus impugnare: multa contra hanc ſententiam congerunt recētiores, in quibus neque vnum inuenio, quod difficultatem ingerat, neque contra hunc dicendi modũ admiſſis ſemel his indiuiſibilibus ſpatia diuiſibilia occupantibus efficax ratio aliqua inueniri poteſt, ideo illum ſolum reiicio, quia non dantur talia indiuiſibilia inflata, quæ ſpatium diuiſibile occupent, vt ſæpe dixi in Generatione diſputans de rarefactione, & condenſatione, iterum dicam Contr. 7. Punct. 3.

5 Nouam aliam oſtendit viam perdoctus recens, à qua poſtea prudens diceſſit, id tamen quod proprio auctori diſplicet, aliis adhuc placet, qui ab arrepta viâ duce recedente, recedere nolunt: Aſſerebat prædictus recens, indiuiſibilia corporis velociter ſe mouentis percurrere maius ſpatium, quâm indiuiſibilia corporis ſe tardè mouentis, quia ſaltant per aliqua indiuiſibilia ſpatij, ita vt mediatum acquirant, ſine eo quod immediata alia occupauerint, neque per medium tranſierint. Itaq; aſſerunt quatuor indiſiuibilia quátitatis, ita poſſe moueri vt in eodem inſtanti relinquant totum adæquatum ſpatium, quod occupabant, & acquirant ſpatium immediatum in nullo communicanti cum priori; quod eſt ſummè velociter moueri, poſſe etiam moueri ita vt in hoc inſtanti tantùm relinquant vnum indiuiſibile ſpatij, quod occupabant, & aliud nouum acquirant, ex vi cuius motus erunt in ſpatio quatuor punctorum communicante ſecundùm tria puncta cum ſpatio, quod in inſtanti præcedenti occupabant, & quodlibet indiuiſibile acquirere indiuiſibile ſpatij quod in inſtanti præcedenti illi erat immediatum, quod eſt moueri motu ſummè tardo, qui ſine interruptione fieri poteſt. Inſuper aſſerunt poſſe moueri hæc quatuor indiuiſibilia, ita vt in hoc inſtanti acquirant, duo noua indiuiſibilia, ſpatij & duo alia relinquant, conſtituantúrque in ſpatio quatuor indiuiſibilium communicante ſecundùm duo indiuiſibilia cum ſpatio quod antea occupabant, quod eſt moueri motu medio, nec ſummè veloci, nec ſummè tardo.

6 Ne tamen videantur prædicti recentes abſolutè concedere mobile moueri ſine tranſitu per medium, & immediatè acquirere ſpatium diſtans, ſic rem componunt. Aſſerunt ex quatuor indiuiſibilibus quantitatis quæ ſpatium adæquatum relinquunt, vltimum ſeu remotius ab ſpatio acquirendo applicatum eſſe primo indiuiſibili ſpatij acquirendi quod ab illo eſt occupandum mediis aliis tribus indiuiſibilibus interiacentibus, quam mediatam applicationem eſſe ſufficientem probant exemplo reliquarum cauſarum, in quibus partes remotiores agentis agunt in paſſum, cui tantùm applicantur mediis aliis proximioribus eiuſdem agentis in quas nihil agunt. Nec refert in inſtanti in quo fit motus illa indiuiſibilia non interiacere, cum omnia ſimul moueantur, & ſpatium relinquant, quia applicatio inter mobile, & ſpatiũ non debet ſupponi in inſtāti in quo fit motus: quia in illo mobile non poteſt ſupponi cũ præſentia quam acquirit, quia hæc non ſupponitur ad motum ex vi cuius producitur, neque cum præcedenti, quæ in illo inſtanti corrumpitur, ſed in inſtanti præcedenti, eo enim ipſo quod in hoc inſtanti ſim ego applicatus huic ſpatio poſſum illud acquirere in inſtanti ſequenti.

Hac ratione non difficile intelligitur, quomodo vltimum indiuiſibile mobilis ſit approximatum primo indiuiſibili ſpatij denuò acquirendi, à quo per tria indiuiſibilia diſtat, verumtamen difficile percipitur quomodo indiuiſibile penultimum mobilis, ſeu immediatum remotiori ſit applicatum ſecundo indiuiſibili ſpatij denuò acquirendi, cum in inſtanti præcedenti motum, primum indiuiſibile ſpatij acquirendi non fuerit occupatum aliquo indiuiſibili mobilis, ac proinde penultimum indiuiſibile mobilis non poterit applicari ſecundo indiuiſibili ſpatij denuò acquirendi, medio alio indiuiſibili eiuſdem corporis quod occupet primum indiuiſibile ſpatij denuò acquirendi, quod interiacet inter penultimum indiuiſibile mobilis, & ſecundum indiuiſibile ſpatij acquirendi. Difficultatem hanc ſic recentes componere procurant. Aſſerunt ex quatuor indiuiſibilibus mobilis, quæ acquirunt quatuor alia indiuiſibilia ſpatij adæquati diſtincta ab aliis, quæ antea occupabant, remotiora prius natura proximioribus cieri, & ita hæc proximiora toti ſpatio acquirendo mediis remotioribus, quæ prius natura mouentur, applicari indiuiſibilibus remotioribus ſpatij quæ debent acquirere. Exempli gratia: ex his quatuor indiuiſibilibus *A, B, C, D*, Indiuiſibile *A*, quod eſt applicatum primo indiuiſibili ſpatij acquirendi mediis indiuiſibilibus *B, C, D* prius natura tribus aliis mouetur & acquirit primum indiuiſibile ſpatij denuò acquirēdi, poſtea verò dum prioritate naturæ indiuiſibile *A* ſupponitur in primo indiuiſibili noui ſpatij, medio illo intelligitur indiuiſibile applicatum indiuiſibili noui ſpatij, quod acquirit prius natura quam moueantur indiuiſibilia *C* & *D*, & poſtquã illud acquiſiuit deſeruit vt medio illo indiuiſibile *C*, ſit applicatũ tertio indiuiſibili ſpatij & ſic de reliquis.

8 Ex hoc inferunt ſectatores huius dicendi modi, quò corpus maius eſt poſſe velocius moueri, quia cũ vnũ indiuiſibile corporis poſſit applicari mediis aliis eiuſdem corporis ad nouum ſpatium acquirendum, quò plura fuerint in eodem corpore, plura erunt mediis quibus applicetur ſpatio diſtanti, & conſequenter diſtātiori poterit applicari.

9 Grandem machinam architectati ſunt recentiores proprio totam ingenio conſtructam, omni alio in Philoſophia deſtitutam fundamento, quæ facile plurium difficultatum quaſſata pondere corruet. In primis nouum ſanè eſt & abſque omni fundamento dictum, partem hanc mobilis ſufficienter intelligi applicatam ſpatio acquirendo media alia comparte, cui vnitur, quia cum ipſa pars, & non alia, tale ſpatium ſit acquiſitura, ipſa, & non alia applicationem habere, vel habuiſſe debet: quorſum enim applicatio huius partis nullo modo in tali ſpatio conſtituenda poterit conducere, vt pars altera non applicata in eodem ſpatio conſtituatur? Exemplum quod de partibus agentis adducunt ſuam doctrinam non confirmat, ſed meam explicat, & probat: rem oſtendo. Hæc pars vltima agentis applicatur paſſo, media alia comparte eiuſdem agentis ad agendum in primam partem paſſi, quia pars vltima, quæ applicatur media alia, & alia, media qua ſit applicatio, agunt in eandem partem paſſi, in quam ſi non ageret pars proximior, non poſſet remotior media illa applicari ad agendum: ſed ſic eſt quod vna pars corporis non conſtituitur ſimul cum alia in eadem parte ſpatij, neque proximior conſtituitur in parte ſpatij, in qua remotior eſt conſtituenda: ergo non poteſt remotior applicari media proximiori, vt conſtituatur in ſpatio in quo proximior non eſt conſtituenda, ſi approximatio agentium ad paſſum inſpicienda eſt. Secundò approximatio mediata, vel immediata mobilis ad ſpatium acquirendum, vel debet eſſe in inſtanti, in quo mobile acquirit ſpatium, vel fuiſſe in inſtanti præcedenti: ſi in inſtanti in quo ſpatium acquiritur, in inſtanti in quo indiuiſibile *A* corporis acquirit primum indiuiſibile noui ſpatij, adhuc mediatè approximatum non ſupponitur, vt fatentur prædicti recentiores, quia indiuiſibilia corporis, mediis quibus facienda erat applicatio, in illo inſtanti mouentur, & relinquunt ſpatia intermedia. Si applicatio præceſſiſſe debuit in inſtanti antecedenti, non poteſt indiuiſibile *B* acquirere ſecundùm indiuiſibile ſpatij, quia in inſtanti antecedenti non fuit applicatum medio alio indiuiſibili eiuſdem quantitatis, quia primum indiuiſibile noui ſpatij, nunc primò occupatur indiuiſibili *A* ſpectante ad hoc corpus: quod etſi diſtantius ab hoc primo indiuiſibili noui ſpatij, dicunt recentiores prius natura moueri, vt indiuiſibile *B* corporis medio illo indiuiſibili ſecundo ſpatij applicetur. Iam recurrunt recentiores ad appli-

cationem in inſtanti in quo fit motus,& dicunt indiuiſibile B. eſſe applicatum indiuiſibili ſecundo ſpatij medio indiuiſibili *A* corporis quod in illo inſtanti conſtituitur in primo indiuiſibili non ſpatij.

10 Quanta mouentur ad applicationem hanc ſuſtentandam! iam illam in inſtanti præcedenti motum requirunt recentiores, iam eandem in ipſo inſtanti motus aſſignant, neque illam præteritam valent ſuſtinere, neque præſentem poſſunt inuenire. Argumentor ſic. Indiuiſibile B, corporis ſiue immediatum remotiori mobilis ab ſpatio acquirendo non tantùm applicatur ſecundo indiuiſibili noui ſpatij mediis duobus aliis indiuiſibilibus *C*, *D*, eiuſdem corporis proximioribus ſpatio acquirendo, ſed medio indiuiſibili *A* eiuſdem corporis, quod in inſtanti præcedenti motum, erat illo remotius & quia mouetur prius natura indiuiſibili B, poteſt hoc medio illo occupante primũ indiuiſibile ſpatij applicari ſecundo indiuiſibili noui ſpatij acquirendo. Tunc ſic, vel hæc applicatio facienda eſt in inſtanti in quo fit motus, vel in inſtanti præcedenti motum. Non in inſtanti præcedenti motum, quia in illo indiuiſibili *A*, mobilis nondum acquiſiuit primum indiuiſibile noui ſpatij, ac proinde medio iſto non poterit indiuiſibile applicari ſecundo indiuiſibili noui ſpatij. Non in inſtanti in quo fit motus, quia in hoc indiuiſibilia *C*, & *D* corporis relinquũt indiuiſibilia ſpatij quod occupabant, interiacentia inter indiuiſibile *B* mobilis & ſecundum indiuiſibile ſpatij ab hoc acquirendum: ergo in nullo temporis inſtanti poteſt dari talis applicatio: ergo eſt omnino commentitia. Si dicas ſufficienter fuiſſe applicatum indiuiſibile *B* corporis ſecundo indiuiſibili ſpatij, quia in inſtanti præcedenti motum duo indiuiſibilia *C*, *D* eiuſdem corporis occuparunt duo indiuiſibilia interiacentia, & in inſtanti motus prius naturâ intelligitur indiuiſibile *A* eiuſdem mobilis occupans aliud tertium indiuiſibile interiacens quod eſt primum noui ſpatij acquirendi: confingis quandam chymæricam applicationem partim præteritam, partim præſentem, & vnis in ordine ad vnam applicationem præſentias quæ fuerunt, & non ſunt, cum præſentia quæ eſt, & non fuit, quæ omnia è proprio cerebro, inſtans extorquet neceſſitas. Neque ſimilis applicatio adhuc in aliis agentibus ſufficiens eſt, non enim ignis poterit agere in paſſum diſtans per duas vlnas ex eo quod alius vlnaris ignis in hoc inſtanti occupet primam vlnam, & in altero alteram interiacentis ſpatij vlnam repleat.

11 Vltimò. Totus his naturæ ordo in approximatione in caſſum inuentus eſt; ratio enim propter quam corpus non poteſt poni in ſpatio diſtanti, non eſt quia ageret in diſtans, quia etſi ſpatium ſit diſtans corpus ſe mouens non agit in ſpatium; ſed in ſe ipſum, à quo repugnat diſtare, quia quælibet entitas per ſuammet entitatem ſibi eſt intimè præſens. Si autem petas cur non poſſit corpus moueri ſine trãſitu per medium, reſpondebo id nobis experientia certum eſſe, cuius rationem à priori nondum inuenit Philoſophia. Mitto alia, quibus ſectatores huius dicendi modi coguntur aſſerere idem corpus ſimul habere repetitas præſentias circumſcriptiuas, & quod multi adhuc diuinitùs fieri poſſe negant, & parum philoſophicè ad nouum commentum defendendum admittitur.

§. II.

Difficultati ſolutionem adhibeo.

12 MElius in re difficili dicendum eſſe puto cum Galeno lib. 1. de cognoſcendis pulſibus. Valleſio lib. 3. Contr. c. 8. Arriag. diſp. 16. ſect. 11. n. 223. vnum corpus velocius alio moueri, & maius percurrere ſpatium, quia illud, quod tradius mouetur quieſcit per aliqua temporis inſtantia, quibus motus morulis interrumpit pluribus, paucioribuſve, quo motus eſt minus, magiſve velox, eſſe enim motum ſummè velocem eſt nullis morulis eſſe interruptum. Nec ſine fundamento morulæ iſtæ in motu locali ponuntur; mobile enim duo præſtat, dum ſe mouet & impulſum imprimit corpori immediato, & illud à loco pellit, & præſentiam in ſe producit, nec hanc poteſt producere, quando non valet corpus aliud propinquum mouere, hac de cauſa non mouetur lapis in ſolo poſitus, & mouetur in medio aëre conſtitutus, quia aërem valet dimouere, & non terram vt illi pateat aditus ad mouendum, ſeu motum peragendum. Impulſus, medio quo vnum corpus mouet aliud, non ſine reſiſtentia formali aliûs contrariæ formæ, in multorum opinione producitur, iuxta quã nõ poteſt in inſtanti produci, quia omnis forma, quæ aliam contrariã habet, ſucceſſiuè producitur, vt latè dicam in generatione. Hinc fit quieſcere mobile toto illo tempore, quod inſumitur in producenda ſufficienti impulſus intentione ad producendum motum, & magis quieſcere, dum agens producens impulſum debilius eſt, vel minorem adhibet conatum in producendo impulſu, quia plus temporis inſumit in impulſu producendo, & ita magis quieſcit mobile expectans productionem impuſus ſufficientis ad remouendum aliud corpus. Verumtamen, quia impulſus in multorum ſententia quam amplector contrarium non habet, alia harum morularum cauſa aſſignanda eſt, qua poſſint vti, qui defendunt impulſum contrario carere. Hanc ego vtrique ſententiæ communem meditatus ſum ſummo modo, quod probabo Contr. 28. Punct. 4. num. 7. mobile impulſum recipiens, non moueri in inſtanti, in quo impulſum recipit, ex quo infero aërem recipientem impulſum impreſſum à corpore graui in centrum propendenti, non ſe mouere in inſtanti, in quo impulſum recipit, & conſequenter neque ipſum lapidem moueri, nam vt modò dicebam nullum corpus poteſt moueri, dum non moueatur aliud, in cuius ſpatium eſt ſucceſſurum: in his ergo inſtantibus, in quibus lapis deorſum deſcendens impulſum aër imprimit, aër quieſcit & conſequenter lapis, quorum quietibus motus interrumpitur.

Sed iam audire deſideras quibus inſtantibus mobile moueatur, & quibus dum impulſum producit, quieſcat. Rem 13
ego ſic compono. Corpus quod ſe mouere intendit, in primo inſtanti, in quo applicatur alij immediato, illi imprimit totam intenſionem impulſus, ad quam producendam virtutem habet, quia forma carens contrario, in inſtanti producitur. In ſecundo inſtanti mobile, ex vi impulſus incipit moueri, & tota illâ menſurâ, in qua durat impulſus ſufficiens, vt ex vi illius moueatur, durat motus aëris, v.g. quem lapis impellit, vt deorſum deſcẽdat, in qua menſura lapis non iterum impulſum imprimit aëri, quia illius motui deorſum non reſiſtit, & lapis tantùm aëri impulſum imprimit, dum reſiſtit, ne lapis moueatur. Poſtea verò cum impulſus ſit qualitas natura ſua citò tranſiens, vt probabo Contr. 20. Punct. 2. ita langueſcit, vt ex vi graduum qui ſuperſunt aëri, non poſſit moueri, & ita neceſſum eſt, lapidem nouum impulſum aëri imprimere, ne hic illius motum retardet, & in hoc inſtanti, in quo lapis nouum impulſum aëri imprimit, ex vi cuius aër mouendus eſt, aer neceſſariò quieſcit, quia non poteſt moueri in primo inſtanti, in quo recipit impulſum ex vi impulſus recepti, vt ſupra probandum, remiſi, & cum lapis immoto aëre, moueri non poſſit, neceſſum eſt in eadem menſura lapidem quieſcere, illiuſque motum interrumpi. Eſt etiam notandum, non ſolùm lapidis motum interrumpi ex eo, quod aër immediatus in hoc inſtanti impulſum, ex vi cuius mouendus eſt, primò recipiat, ſed etiam ex eo quod id contingat parti alij remotiori aëris, quia immota remotiori parte aëris propinquior moueri nõ poteſt, etiamſi ex ſufficientem impulſum habeat vt moueatur. Ex hoc fit poſſe lapidem in pluribus inſtantibus immediatis quieſcere in hoc inſtanti, quia pars propinquior aëris primò impulſum recipit, ex vi cuius mouenda eſt, & ita non poteſt in hoc inſtanti, ſed in ſequenti moueri, in ſequenti quia pars remotior aëris tunc primò recipit impulſum à propinquiori quem in inſtanti antecedenti non recipit, quia in illo ſufficientem habebat impulſum, vt moueretur, vel quia pars propinquior, quæ in inſtanti antecedenti non poterat ſe mouere, neque poterat impulſum producere, vt moueretur alia, & ſic ratione aliarum partium, quæ in inſtantibus immediatis impulſum primò recipiunt, ex vi cuius motus eſt edendus, poteſt detineri mobile, quod neceſſariò detinetur, ex eo quod non moueatur aliqua pars aëris exiſtentis in ſpatio, per quod motum dirigit, quia vna immota, quieſcunt omnes, & cum quælibet quieſcat in inſtanti, in quo impulſum neceſſarium ad motum recipit, & hunc ſucceſſiuè, & continuè recipere poſſunt, & ita ſucceſſiuè, & continuè valent motum lapidis retardare, quælibet aëris pars in illo *inſtanti*, in quo impulſum neceſſarium recipit ad motum, in quo per ſe quieſcit, & ratione illius omnes aliæ partes aëris, quæ illa immota moueri non poſſunt, quia nulla poteſt moueri, ſi pars illa immediata non moueatur, & propter eandem rationem quieſcit lapis in aëre detentus, donec pars aëris illi immediata ſimul cum aliis inferioribus moueatur.

Digitized by Google

14 Ex hoc diſcurſu facilè deprehendes, cur corpus magis graue, vel maiori impulſu proiectum minus detineatur, quam aliud minus graue, minorive proiectum impulſu. Quia corpus dum maiorem grauitatem, intenſioremve pulſum habet, vt moueatur, intenſiorem impulſum producit in corpore motum impediente, & ita diutius hoc poteſt moueri nouo impulſu non recepto, & ſine aliqua morula, quæ fit dum recipitur impulſus ad motum neceſſarius. Corpus verò minùs graue, vel minori impulſu proiectum remiſſiorem impulſum producit in corpore impediente, & ita citius deficit impulſus neceſſarius ad motum: & noua impulſus receptio neceſſaria eſt, quæ non ſine motus interruptione, & mobilis quiete contingit. Hæc ita ad rem valde difficilem componendam excogitaui, quibus non incongrua videtur reddi ratio harum morularum, ſine quibus modum non inuenio, qui intra communium principiorum philoſophiæ terminos maiorem, minoremve motus velocitatem explicet.

15 Aliam inſuper cauſam inuenio, cur in motu circulari velociùs circuli, ſuperiores inferiores inferioribus moueātur, in quibus recurri non poteſt ad corpus immediatum motum impediens, quia cnm omnes partes circuli ſe intendant mouere, & vna in locum aliûs immediatè ſucceſſura ſit, eodem impetu, quo pars hæc intendit ſe mouere, intendit ſpatium præcedenti relinquere, quod acquirat, dum ſimul cum illa mouetur. In his circulis affirmo, cauſam eſſe morularum vnionem, quam habent circuli ſuperiores cum inferioribus, quia ſi non aliquantulum quieſcerent inferiores, dum ſuperiores mouentur, corrumperetur vnio circuli ſuperioris cum inferiori, & ita hæc vnio, quæ reſiſtit, ne corrumpatur, & exigit durare, reſiſtit, ne circulus inferior perpetuò moueatur, dum ſuperior mouetur, & vt motn quietibus interrupto moueatur inferior cireulus, dum ſuperior perpetuò mouetur. Motum hunc circuli inferioris quietibus interruptum neceſſarium eſſe, dum circulus ſuperior perpetuo vel paucioribus morulis mouetur, ne deſtruatur circulorum vnio, oſtendam à num. 16.

16 Ex hoc capite plures motus, quos rectos vocamus, pluribus morulis interrumpuntur, quia multum in ſe motus circularis continent, eum enim auis per aëra volans vnam deprimit alam, & aliam eleuat, imperfectum circulum efficere incipit. Similiter eum corpus graue deſcendit, deorſum deſcendit, ſæpè circulariter medio aere mouetur, & pars illa mobilis quæ modò terram reſpiciebat, eodem durante motu, modò cœlum, modò hoc illudve reſpicit latus, quæ diuerſi mobilis poſitiones per motum circularem, licèt non omnino perfectum fiunt, qui nunquam ſine quiete circulorum inferiorum, dum ſuperiores mouentur, poſſunt contingere. Motus circuli ſuperioris omnibus aliis interrumpitur aere ambiente, quia nunquam eſt rota ita mathematicè perfecta, vt non habeat aliquas partes aliquantulum prominentes, quæ aërem à proprio loco debeant expellere, vt illius ſpatium occupent. Secundò rotæ omnes, quas mouert videmus, mouentur ad motum corporis aliûs non ita rotundi, & circulariter ſe mouentis, quod ratione aeris, aliûsve corporis remouendi ab ſpatio acquirendo impeditur, ne continuò moueatur, & ita rota, quæ ſimul cum illo mouetur, quieſcit quotieſcumque aliûs corporis motus interrumpitur, qua de cauſa rota vna velociùs aliâ ſecundùm ſe totam mouetur. Cœlorum motus interrumpi poſſunt ab Angelis, à quibus Cœli mouentur, ratione diuerſorum impulſuum, quos illi imprimunt, vt moueatur ea quietum viciſſitudine, quæ congruit corporibus ſublunaribus, & neceſſaria eſt, vt cœli debito modo applicentur ad influxus mittendos in ſublunaria corpora. In viuentibus etiam neceſſariæ ſunt hæ morulæ, vt illorum recreentur vires, quæ non valent ſine aliquibus morulis perpetuò moueri.

17 Aliqui volunt, has motuum morulas procedere ex reſiſtentia formali medij, ſeu corporis à proprio loco remouendi. Hanc ego reſiſtentiam non agnoſco, ſi in impulſus impreſſione non ponatur, quia ſi impulſus contrario careat, in inſtanti introducetur, ſemel autem impulſo, introducto, nihil poteſt ex parte paſſi reperiri, quod reſiſtat motui, ratione cuius motus interrumpendus ſit, quia grauitas mobilis ſemper eodem perſeuerat, & ita ſi in primo inſtanti, in quo eſt impulſus, non vincitur, nunquam vincetur. Præſentia mobilis intenſionem non habet, & ita tota ſimul eſt expellenda. illiuſque reſiſtentia ſimul, & non ſucceſſiuè vincenda eſt. & in primo congreſſu impulſus, quia ſi in illo, ſeu in primo inſtanti, in quo impulſus introducitnr non valet reſiſtentiam contrariæ præſentiæ vincere, neque in vlterioribus, in quibus virtus impulſui non accreſcit, neque decreſcit reſiſtentia antiquæ præſentiæ, valebit illius reſiſtentiam ſuperare. Quòd ſi in qualitatibus cõtrariis hæc ſucceſſio ex reſiſtentia oriatur, ideo eſt, quia qualitates contrariæ intenſionem habent, & poſſunt ſucceſſiuè modò ſecundùm hos gradus, & poſtea ſecundùm illos exiſtentes in eodem ſubiecto vinci, & gradus extenſi poſſunt etiam ſecundùm extenſionem ſucceſſiuè vinci, non enim eo ipſo quòd hæc pars ſubiecti moueatur motu alterationis, deuicta reſiſtentiâ formali, quæ erat in illa ratione qualitatis contrariæ, mouetur eodem motu pars alia: in motu autem locali ad motum vnius partis, vt plurimum, & ſemper in his corporibus quæ flecti nequeunt, omnes aliæ partes vnitæ mouentur.

§. III.

Duo argumenta contra morulas motus velocis expendo, & ſoluo.

Morulas has multi viri docti reiiciunt, ex eo quod videantur omnem fidem ſuperare & ſenſuum euidentiæ manifeſtè refragari Fidem omnem ſuperare ita ſuadetur. Demus hominem velociſſimè moueri, qui in vnius quadrantis ſpatio leucam integram percurrat, eodem tempore Sol ſpatium percurrit duplò maius quam terra, & nihilominus aliquas, imò multas morulas facit, quia in eodem tempore vltima ſphæra curſum quadruplo maiorem facit. Vnde neceſſariò Sol per quatuor inſtantia quieſcit, & in vno mouetur. Si ergo Sol in vno quadranti duodecim mille leucas, & amplius percurrit in quo vnius tantùm leucæ motum valet homo peragere, infertur neceſſariò cuilibet indiuiſibili motus hominis duodecim millia indiuiſibilia motus Solis correſpondere, in quibus omnibus vnico tantùm dempto, inter indiuiſibile, & indiuiſibile motus infertur, quieſcere hominem, comparatione facta motus hominis cum motu Solis, & rurſus quadruplo has morulas creſcere infertur, facta comparatione motus hominis cum motu vltimæ ſphæræ, quæ quadruplo velocius Sole mouetur. Quis ergo credet tot inſtantibus quieſcere hominem inter indiuiſibile, & indiuiſibile motus, cum ita velociter mouetur, vt vnius leucæ curſum quadrantis ſpatio conficiat? Secundò quis audebit dicere ſagittam glandemve velociſſimè aëra tranantem mille duplo detineri plus quam moueatur? quod negari non poterit comparatione facta motus ſagittæ, ſeu glandis cum motu Solis, & primæ ſphæræ. Quod ſi hæc deglutiantur, quæ cauſa poterit aſſignari harum morularum, cum aër reſiſtens contrarium ſit valde debile, cuius reſiſtentiam in quocumque inſtanti glandis impetus vincere valebit. 18

Has omnes morulas ſecundum hanc ſententiam admittendas eſſe inficiari non licet, non tamen ideo à ſuſcepta via diſcedendum, neque his terrendus eſt vir Philoſophus, quia plura alia naturæ ſacramenta longè difficiliora cognouit, neque vir prudens, qui diuturna experientia plura videt, quæ audita fidem cuiuſque ſuperarent. Quis crederet exiguam quantitatem accenſam tanto impetu poſſe glandem per aëra mittere? Quis crederet leues vapores igneos in ſubterraneis incluſos poſſe ingentem montem concutere, & immanibus illius ſaxis diſſectis, ſibi aditum pandere? ſed age mentem eleua, ad illa, quæ adhuc nouellus Philoſophus aſſequitur. Crederes totam hanc mundi machinam à proprio centro extractam, quam Deus tenui capillo in vacuo exiſtenti pendentem conſtitueret non valituram capillo diſrupto ad proprium redire centrum, nunquam capillum ſcindendum, neque ab illo mũdum ſeparandum eſſe, ne nouum daretur vacuum. Quem hæc non terrebunt, qui rem philoſophicè non contempletur? Concedo his omnibus quietis inſtantibus intercipi motum, quod in præcipuam cauſam harum morularum facilè poteſt reduci. Quia ad hoc vt moueatur ſagitta, non ſufficit impulſum imprimi parti aëris immediatæ ex ſe ſufficiẽtem ad illam aëris partem mouendam, ſed neceſſum eſt imprimi aliis, & aliis partibus diſtantioribus, quæ numero vincunt multitudinem illam inſtantium ſuprà recenſitam, in quibus quieſcit mobile, & ratione plurium illarum cuiuſlibet ſeorſim ſumptæ poteſt mobile per 19

vnicum inſtans quieſcere, quia quælibet pars poteſt indigere impulſu producendo in diuerſo inſtanti, in quo pars illa non mouetur, quia impulſus non mouet corpus in primo inſtanti, in quo, in illo producitur, & hac parte aëris, ſeu medij quieſcente, mobile quieſcere neceſſum eſt, quia non poteſt hoc moueri, ſi non moueatur pars immediata medij, quæ illi ſpatium relinquat, & pars alia mediata, quæ ſpatium relinquat parti immediatæ, & alia magis mediata, quæ minùs mediatæ ſpatium præſtet & ſic de aliis innumeris ferè partibus. Ex hac doctrina facilè reſpondebis recentioribus, qui dicunt ſagittam in quocumque inſtanti, mouendam eſſe, quia in quocumque vim habet, ad vincendam aëris reſiſtentiam. Quia etſi verum ſit, ſagittam in quocumque inſtanti vim habere per ſe loquendo, ad remouendum aërem immediatum, per accidens non poteſt illum remouere in pluribus inſtantibus, in quibus partes aliæ aëris valde diſtantes moueri non poſſunt, quia corrupta fuit intenſio neceſſaria impulſus, vt pars illa moueretur, ac proinde in hoc inſtanti debet illa intenſio compleri per productionem aliquorum graduū impulſus, quæ ſemper fit quieſcente mobili, quia impulſus non valet in primo inſtanti, in quo recipitur in ſubiecto, illud loco mouere. Quieſcit ergo mobile, non propriè propter aliquam reſiſtentiam formalem, ſed ex defectu principij apti vt in illo inſtanti partes medij remotiores moueantur.

20 Contra euidentiam ſenſuum has morulas defendi putant recentiores, ex eo quod morulas iſtas non videamus, & videamus motum, quod ſignum eſt, non dari tales morulas, quia ſi darentur, cum longè pluribus temporis inſtantibus morulæ intercedant, quàm detur motus, potiori ratione morulæ quam motus viderentur. Quomodo enim fieri Poteſt, me non videre mobile per mille inſtantia quieſcere, & videre per vnicum inſtans moueri. Rationem hanc magnifaciunt prudentes neoterici, quæ virum benè tinctum principiis Animaſticis, qui attentè perpendat quomodo quies, & motus percipiatur, à noſtra ſententia non dimouebit, neque mediocrem adhuc difficultatem ingeret. Suppono, de quo Controu. 12. de anima punct. 1. motum ſenſu externo non percipi, ſed tantùm per diſcurſum cognoſci ex cognitione ſenſationis præſentis, & memoria præteritæ deductum. Rem explico. Video modò hæc extrema cum hac diſtantia, recordor me immediatè antea vidiſſe eadem corpora cum diuerſa diſtantià. Ex quo infero corpus illud, quod reſpectu omnium diuerſam diſtantiam habet, fuiſſe motum & deduco corpus illud fuiſſe motum in inſtanti, in quo diuerſam acquiſiuit diſtantiam: quod ſi corpora omnia, etiam illa, quæ ſe mouent ſub eadem diſtantia ſemper appareant, non poterit intellectus motum inferre, neque inter præſentias diſcernere. Sic qui intra nauis chamaram vehitur, motum non percipit. Ex hoc infero ex eo eſſe magis, minuſve perceptibilem, quod maior minorve ſit diuerſitas diſtantiæ, quē modò habet reſpectu illius, quam antea habebat, quia ſi per impoſſibile per integrum annum duraret motus, quo indiuiſibilia corporis per vnicum tantùm indiuiſibile mouentur, motus ille non perciperetur. Si verò in vnico temporis inſtanti ego ex Compluto Romam migrarem, motus ille perciperetur etiamſi inſtantaneus eſſet. Deinde eſt etiam notandum in hoc inſtanti non percipi motum in hoc inſtanti exercitum, vt diſtinctum ab omnibus motibus factis in aliis inſtantibus, quia ſicuti non poſſum ego diſcernere inter diſtantiam, quam habet hoc mobile à reliquis corporibus in hoc inſtanti, & diſtantiam, quam habebat in inſtanti præcedenti, ita non poſſum adhuc intellectu diſcernere partem motus exercitam in hoc inſtanti à parte motus, qui in inſtanti præcedenti præceſſit, ſed in hoc inſtanti video maiorem eſſe diſtantiam, quam habet corpus omnibus aliis, quas ab hac valeo diſcernere. Ex quo infero corpus fuiſſe motum in eodem inſtanti, in quo illa maior accreuit diſtantia, quam indocti exiſtimant totam creuiſſe in illo inſtanti, in quo illam diſcernunt, & ita tantùm inferunt in illo inſtanti corpus moueri, docti verò ſciunt non percipi diſtantiam ſucceſſiuè acquiſitam in primo inſtanti, in quo incipit, ſed percipi incipere aliquo tempore poſtquam acquiri incepit, & ita ex diſtantia diuiſibili, quam modò percipiunt, inferunt corpus in inſtantibus motum fuiſſe.

21 Ex hoc modo percipiendi motum, facilè infertur, quomodo quies percipiatur, quæ ſi ſumatur pro negatione motus, ſenſibus percipi non valet, quia ſenſus negationes non percipiunt, ſi verò ſumatur pro permanentia, ſeu continua duratione eiuſdem actionis indiuiſibiliter ſumptæ terminatæ ad eandem præſentiam, percipi ſenſibus nullatenus poteſt, quia durationes rerum non poſſunt ſenſibus percipi, neque ſubſtantia actionis terminata ad præſentiam alicuius ſenſus obiectum eſt. Percipitur ergo quies ex eo quod intellectus cognoſcat modò hanc diſtantiam, & recordetur immediatè antea eandem præceſſiſſe, ex quo infert, corpus illud nullatenus fuiſſe motum. Eſt etiam apprimè notandū, longum diſcrimen inter medium, in quo quies interrupta & partes diuerſæ motus etiam interruptæ percipiuntur, quod media diuerſa ad cognoſcendas diuerſas partes motus continuantur inter ſe, & etiamſi interrumpantur, poſſunt continuari, quia interruptio non eſt deſtructio partis, quæ immediatè præceſſit, in fine enim motus mobile diſtat per octo partes ſpatij, etiamſi inter hanc, & illam partem diſtantiæ acquirendam quia interceſſerit, continuantur enim omnes diſtantiæ etiamſi non continuè, ſed diſcretè ſint acquiſitæ. Medium verò deſeruiens ad quietem cognoſcendam eo ipſo quod corrumpatur, deſtruitur pars interrupta, & ita non poſſunt media interrupta vnum medium efficere aptum ad quietem cognoſcendam. Ratio eſt, quia quies percipitur per permanentiam in eodem ſpatio, diuerſæ autem permanentiæ motibus interruptæ non poſſunt continuari, neque vnam permanentiam adæquatam efficere, quia poſtquam ego permanens fui per quadrantem in hoc ſpatio, cum primò moueor ab illo, illa permanentia deſtruitur per acquiſitionem aliūs ſpatij, in quo ſi iterum permaneam, permanentia hæc ſecunda cum prima non vnietur, neque per modum vnius poterunt deſeruire ad quietem percipiendam.

Ex his facilè diſparitatem reddo, cur in motu morulis 22 interruptis, poſſumus motum diſcernere, & non morulas. Dico enim motus percipi, quia etiamſi per innumera inſtantia interrumpantur, reſultat ex illis omnibus vna maior diſtantia, in qua cognoſcantur omnes partes motus, quæ ſucceſſiuè tranſierunt, & quietem non percipi, etiamſi pluribus inſtantibus exiſtat, quam motus, quia diuerſæ quietes, in diuerſis ſpatiis, partibus motus interruptæ, non faciunt vnam maiorem permanentiam in eodem ſpatio, ratione cuius poſſint quietes illæ interruptæ percipi, ſicut percipiuntur partes motus interruptæ per vnam maiorem diſtantiam mobilis ab alio corpore. Neque refert quietem plus tempore durare, quam durant partes motus, quia, vt dicebam, ad hoc vt percipiatur motus, neceſſum non eſt tempore diuiſibili eſſe factum, neque extenſio temporis, in quo eſt factum, aliquid conducit, ſed extenſio diſtantiæ, & hanc tempore diuiſibili durare, etiamſi motus in inſtanti contigerit, nam, vt ſupra dicebam, percipere quiſque, me motum eſſe, ſi in inſtanti ex Compluto Romam migraſſem, ſi tempore diuiſibili Romæ permanerem, vt noua diſtantia perciperetur, conducit enim plurimum ad ſenſationes, obiecta nonnullo notabili tempore eſſe applicata, vix enim ſentiuntur cum breuiſſimo aliquo tempore applicantur, vt patet in homine, qui ferè nihil, aut nihil ſentit prunam, quam breuiſſimo oculi ictu manu tangit.

§. IV.

Ex prædictis morulis non inferri diuiſionem continui, potius neceſſarias eſſe, ne diuidatur efficaciter oſtendo.

Circulum ſuperiorem rotæ circulariter ſe mouentis 23 velociùs moueri circulo inferiori, ſeu viciniori centro eiuſdem rotæ, apud omnes certum eſt, quia in eodem tempore vterque circulus percurrit totum ſpatium, ita vt quodlibet punctum relictū ſpatium iterum acquirat, poſtquam ſucceſſiuè occupauit omnia indiuiſibilia ſpatij correſpondentia omnibus punctis circuli, ſed quo circulus magis diſtat à centro, maius ſpatium occupat: ergo quodlibet punctum circuli diſtantioris maius ſpatium percurrit in eodem tempore, quocumque alio puncto circuli inferioris: ergo velocius mouetur quodlibet punctum circuli ſuperioris, puncto alio inferioris ſeu vicinioris centro, & conſequenter, velocius mouetur circulus ſuperior, circulo alio inferiori. Ex hoc infertur, aliquando moueri circulum ſuperiorem, circulo inferiori, ſeu viciniori quieſcente, quam ſequelam admittunt omnes, qui minorem velocitatem motus, ex morulis, quibus interrumpuntur, procedere defendunt. Ex his morulis neceſſariò videtur inferri vnionem

inter

inter circulum ſuperiorem,& inferiorem diſrumpi,& conſequenter diuidi lineam ductam à contro rotæ vſque ad illius circumferentiam, quod ſic oſtendo. Hoc punctum circuli ſuperioris eſt vnitum alij puncto circuli inferioris, cui eſt approximatum:ergo ſi immoto circulo inferiori,ſuperior mouetur, deperditur approximatio, quæ erat inter hoc punctum circuli ſuperioris cum inferiori:ergo deperditur vnio, quæ ſine approximatione ſubſiſtere non poteſt,illa enim,quæ localiter diſtát, naturaliter ſaltem vnionem habere non poſſunt: ergo diuiduntur omnia puncta lineæ ducta à centro ad circumferentiam, quæ componitur ex punctis pertinentibus ad diuerſos circulos. Quod ſi aliquo modo defendi poſſit, lineam hanc non corrumpi ſaltem neceſſariò inferri videtur notabiliter inflecti.

24 Hoc argumentum æquè pugnare contra Ariſtotelis ſententiam facile quiſque, ipſis oculis cernet, non tamen ex communi malo ſolatium ſumendum, ſed quomodo proprium declinari valeat inſpiciendum eſt. Hoc argumentum eſſe fallax, & inefficax efficaciter oſtendo. Si in omnibus inſtantibus, in quibus mouentur circuli ſuperiores, mouerentur etiam inferiores, dum indiuiſibile *A*, circuli ſuperioris percurreret viginti indiuiſibilia ſpatij, indiuiſibile *A*, aliûs circuli inferioris centro valde vicini percurreret alia viginti indiuiſibilia: ergo dum indiuiſibile *A*, circuli ſuperioris ſemel percurreret ſpatium, per quod mouetur indiuiſibilie *A*,aliûs circuli vicinioris centro bis percurreret totum ſpatium, per quod mouetur, & indiuiſibile *A*,aliûs circuli vtroque centro vicinioris, illique valde propinqui,ter percurreret ſpatium per quod mouetur. Probo conſequentiam, circulus ſuperior,verbi gratia, circulus pertinẽs ad vltimam ſuperficiem,eſt duplo maior, alio circulo, illi inferiori, centróque viciniori, & hic eſt duplo maior alio infimo, & centro magis vicino: ergo. Pono tres circulos, quorum ſuperior habet viginti puncta, inferior decem,& infimus quinque, dum tria indiuiſibilia *A*, *A*, *A*, horum trium circulorum percurrunt,quodlibet viginti indiuiſibilia ſpatij, indiuiſibile *A*, circuli ſuperioris ſemel percurrit totum ſpatium proprij circuli,& indiuiſibile *A*, circuli inferioris, dum alia viginti indiuiſibilia ſpatij pertranſit, bis pertranſit ſpatium proprij circuli, & dum indiuiſibile *A*, circuli infimi ſucceſſiuè occupat viginti indiuiſibilia ſpatij,quater omnia indiuiſibilia proprij circuli occupat:ergo ſi hæc omnia indiuiſibilia mouerentur ſemper in eiſdem inſtantibus temporis, ita vt nunquam aliquod illorum quieſceret, dum aliud moueretur in eadem menſura quodlibet illorum percurreret viginti indiuiſibilia ſpatij, & ita dum vnum percurreret ſemel ſpatium proprij circuli, aliud ſuum circulum bis percurreret, & quater aliud:ergo neceſſariò hæc puncta notabiliter inflecterentur,& localiter ſepararentur,illorumque corrumperetur vnio:quomodo enim poſſet punctum circuli inferioris retinere vnionem cum puncto circuli ſuperioris, & cum illo rectam conſtituere lineam, ſi dum punctum circuli ſuperioris ſemel tantum, punctum aliud circuli inferioris bis,quaterve totum ſpatium, per quod mouetur percurrit? ergo neceſſum eſt, puncta circulorum inferiorum aliquando quieſcere, dum mouentur puncta ſuperiorum, ne puncta ad diuerſos circulos ſpectantia,& conſequenter, ne circuli ipſi inter ſe diſcontinuentur.

25 Venio iam ad rationem, quæ diſcontinuationem ex ſeparatione locali intendit deducere. Ratio propter quam diſcontinuationem hanc ex morulis recentiores inferunt, eſt quia infertur ex illis, ſeparari localiter puncta, quæ antea erant vnita, quia eo ipſo, quod punctum vnum approximatum moueatur, altero approximato immoto, ab illo ſeparatur, & poſita ſeparatione locali, non poteſt vnio permanere, ſed rationem hanc nullius eſſe momenti, clarè oſtendo. Cùm virgula aliqua viridis, ſeu arundo inflectitur, mouetur vna pars illius altera immota, vt patet, cum non tota virgula inflectitur, ſed tantùm illius pars ſuperior, vt contingit in arbore aere agitata,& tamen tunc permanent omnes partes virgæ cum eadem vnione, quam antea habebant, ergo ex eo quod moueatur hæc pars immotâ aliâ,cui hæc eſt vnita,non infertur, partes illas ſeparari localiter, illarumque corrumpi vniones. Sunt etiam alia innumera exempla, in quibus ex partibus vnitis mouentur partes aliquæ, omnibus aliis, etiam immediatè vnitis,quieſcentibus, vt cum quis caput erigit, vel deprimit,immoto pectore,manum comprimit, vel explicat,immoto brachio,& cum quis partes aliquas chartæ, hoc,vel illo modo, plicat, partibus aliis quieſcentibus, in quibus omnibus caſibus admittendum eſt,ex partibus immediatè vnitis, his immotis,illa moueri:ergo eodem modo poterit admitti, ex circulis in tota immediatè vnitis, hos moueri illis immotis,retẽta omniũ vnione,eadem enim eſt ratio caſibus adductis,ac id rotæ motu,quod manifeſtè oſtẽdo. Arguunt aduerſarij, ex duobus punctis vnitis vnum mouetur altero immoto:ergo ſeparantur localiter:ergo diuiduntur quia vnio ſubſiſtere nequit inter extrema localiter ſeparata: quod argumentum eodem omnino modo fit in omnibus prædictis caſibus, quia quotieſcumque moueo manum, immoto brachio,dantur aliqua indiuiſibilia, ſeu aliquæ partes in manu, quæ mouentur,& vnionem habent immediatam cum aliis, quæ non mouentur: ergo eodem modo inferendum eſt, hæc indiuiſibilia ſeu has partes immediatè vnitas localiter ſeparari, illarumque corrumpi vnionem,quæ in extremis localiter diſtantibus reperiri nequit. Rem totam vnico enthymemate declaro, & probo. Omnes experiuntur, lineas arboris ductas a radicibus vſque ad ramorum extrema:moueri ſecũdùm aliquas partes, & non ſecundùm alias,quin localiter ſeparentur,neque illarum vnio corrumpatur:ergo ex ſimili motu in lineis ductis à centro globi ad illius circunferentiã, neque partium ſeparatio,neque illarum vnionum corruptio inferenda eſt.

Qui rem hanc plenè calleat, ſtatim manus dabit, fatebitúrque, argumentum ſuprà factum nullius eſſe momenti ad inferendam diſcontinuationem linearum, aut circulorum in rotæ circulari motu: qui verò illam non attentè inſpexerint,reſpondebunt,arbores, papyrum, & reliqua viuentia,eſſe corpora flexibilia, ferrum autem inflexibile eſſe, ac proinde etiamſi illa corpora non diuidantur in caſibus adductis, ferrum tamen, & alia corpora inflectibilia, neceſſariò diuidenda eſſe. Solutionem hanc breuiſſimè abigo. Argumentum intendit probare, inferri ſeparationem localem inter partes vnitas, ex eo quod vna pars corporis, ſeu lineæ rotæ moueatur,alia immota:ergo hæc ſeparatio eodem modo infertur in corpore ferreo, papyraceo,flexibili, vel inflexibili: ergo eodem modo infertur in omnibus diſcontinuatio. Probo clarè: nullum eſt corpus, quantumuis flexibile illud ſit,cuius partes localiter ſeparatæ,poſſint eſſe vnitæ:ergo argumentum, quod media ſeparatione infert diſcontinuationem, ex eo quod moueatur hæc pars immota alia huic vnita, eodem modo probat in quocumque corpore: ergo ſi ex huiuſmodi motu infertur diſcontinuatio ratione locali ſeparationis, in corporibus, quæ inflexibilia appellas, eadem inferenda eſt in corporibus aliis, quæ flexibilia ſunt.Exiſtimo neque verbis adhuc eludi poſſe redargutionem factam contra prædictum argumentum, quatenus illo intenditur deduci corruptionem vnionum, media ſeparatione locali, ex eo quod hæc pars moueatur, immota alia comparte, cui eſt vnita, quapropter miror tot acutos recentiores hoc argumento oppreſſos, hæc non inſpexiſſe, quæ luce clarius oculis parent. Quod in hoc argumento non ita facilè poterit redargui, eſt, dandam eſſe in lineis corporis rotundi maximam inflexionem,quæ admitti nequit, tum quia corpora dura illam non patiuntur, quæ faciliùs diuiduantur, quàm inflectuntur, tum quia eſt contra experientiam, quia videmus lineam rectam ductam à centro rotæ ad illius ſuperficiem ſemper cum eadem manere rectitudine, quantumuis circulariter moueatur rota. 26

§. V.

Quomodo alij præcedentem difficultatem diſſoluant?

OStendi, argumentum ſuprà factum inefficax eſſe, ad inferendam ſeparationem localem,& media hac, continui diuiſionem.explicandum eſt modò,quomodo in linea ducta à centro rotæ vſque ad illius ſuperficiem extimam, ſiue ſit corporis ferrei, ſiue aliorum, quæ flexibilia appellantur, poſſit punctum ſuperius,moueri,immoto inferiori, quin ſeparẽtur localiter,ſed ſemper maneant approximata, & cum eadem vnione,vt non ſolum oſtendatur,prædictum argumentum, non rectè procedere, ſed illius difficultati ſatisfiat. Reſtat etiam explicandum, an in motu circulari aliqua linearum inflexio concedenda ſit, adducam modò aliorum ſolutiones, & propriam aliam poſtea dabo. 27

Supponunt recẽtiores aliqui, quodlibet punctum circuli inferioris ſe habere per modum centri reſpectu aliquorum 28

punctorum circuli ſuperioris, & æquè ab omnibus diſtare, ſicuti centrum æquè diſtat ab omnibus punctis, quibus cingitur. Ratio eſt manifeſta. quia cum circuli ſuperiores plures partes habeant, quem inferiores, non poſſunt diſtincta puncta circuli inferioris reſpondere diſtinctis punctis circuli ſuperioris, ſed neceſſariò punctum vnum circuli inferioris pluribus punctis ſuperioris correſpondet, quibus eſt æquè approximatum, ſicuti centrum omnibus punctis circuli, quo immediatè circundatur. Ex hoc inferre volunt recentiores, punctum inferioris circuli non diſcontinuari, neque diuerſam habere poſitionem reſpectu puncti ſuperioris localiter ſe mouentis, etiamſi immotum perſeueret, ſicuti non diſcontinuatur, neque diuerſam habet poſitionem punctum centri reſpectu illorum quibus immediatè cingitur, etiamſi illa moueantur, & punctum centri immotum perſeueret.

29 Scio, hanc ſolutionem doctiſſimis placuiſſe recentioribus, mihi tamen maximoperè diſplicet, quam efficaciter impugnandam eſſe præſumo. Do his recentioribus punctum *E*, circuli inferioris, ſe habere per modum centri, reſpectu punctorum *B*, *C*, *D*, circuli ſuperioris, & æquè ab illis diſtare, tamen non æquè diſtabit punctum illud à puncto *E*, circuli ſuperioris, quod hi recentiores non negabunt, aliàs quodlibet punctum circuli inferioris æquèdiſtaret ab omnibus punctis circuli ſuperioris, quo poſito, ſic argumentor. Quando mouetur circulus ſuperior, immoto inferioris, punctum *D* circuli ſuperioris acquirit ſpatium, quod occupat punctum *E* eiuſdem circuli, & punctum *E* circuli inferioris permanet in eodem ſpatio: ergo hoc punctum *E* circuli inferioris ſe habet modo in ordine ad diſtantiam ſeu approximationem reſpectu puncti *D* circuli ſuperioris: eadem ratione, ac ſe habebat antea reſpectu puncti *E*, in cuius ſpatium ſucceſſit punctum D: ſed antea diſtabat à puncto *E*, quod non reſpiciebat, tanquam centrum: ergo modo ſit diſtans ab hoc puncto *D*, cui antea erat approximatum, & vnitum, ergo licet in hoc inſtanti, in quo ſit motus circuli ſuperioris immoto inferiori puncto *E* circuli inferioris, non amiſerit approximationem, & vnionem cum punctis *B*, *C*, circuli ſuperioris, illam amiſit cum puncto *D*, quod per motum factum in hoc inſtanti conſtitutum fuit in ſpatio diſtanti à puncto *E*, circuli inferioris, quod occupabat punctũ *E* ſuperioris circuli.

30 Secundò eandem ſolutionem impugno: Cùm tabella aliqua, vndique, eandem habens latitudinem clauo figitur in aliquo loco, & circulariter mouetur, ſicuti moueri videmus horologij indicem tunc lineæ latæ ſuperiores velocius inferioribus, ſeu clauo proximioribus, mouẽtur, quia in eodem temporis ſpatio maius loci ſpatium percurrunt: ergo mouentur lineæ ſuperiores immotis inferioribus, & datur duplex linea immediatè vnita quarum hæc mouetur, immota altera ſibi vnita: & tamen cuilibet puncto diſtincto lineæ ſuperioris, diſtinctum lineæ inferioris punctum correſpondet: ergo alia petenda eſt ſolutio ſiquidem illa, quam recentiores petunt ex correſpondentia vnius puncti circuli inferioris ad plura ſuperioris circuli reſpectu quorum ſe habeat, vt centrum in prædicto motu circuli alicuius tabellæ vndequaque æqualis, ſubſiſtere nequit.

31 Alij recentiores argumento oppreſſi, fatentur efficaciter conuinci prædicto argumento circulorum diſcontinuationem, & puncta inter ſe ſeparari, aſſerunt tamen, approximationem perditam recuperari, & cum illa vnionem. Huius dicendi modi fundamentum aliquod recentiores inuenire potuerunt apud Arriagam, qui numer. 241. ſuppreſſo nomine, refert aliquos, aſſerentes lineam diſcontinuari. His recentioribus concederem, approximationem perditam recuperari, quia, ſicuti ex eo quod æquè moueantur indiuiſibile circuli ſuperioris, & inferioris, indiuiſibile inferioris præibit indiuiſibili ſuperioris, & bis percurret ſuum circulum, dum indiuiſibile ſuperioris ſemel proprium percurrit, ſicuti §. præcedenti probabam, ſic etiam, ſi ex eo quod punctum inferioris circuli quieuerit. dum punctum ſuperioris ſe mouit, ſuperioris punctum aliquantulum præeat puncto inferioris, poſtea cum vtrumque ſimul moueatur, poterit inferioris circuli punctum, exceſſum recuperare, quem ferebat in motu indiuiſibile puncti ſuperioris & illud aſſequi, conſtituique approximatum cum illo idemque poſtea excedere, ſi continuo duret vtriuſque motus. Verumtamen difficile concipitur, quomodo leuis impulſus valeat diſrumpere duriſſimum ferrum, quod millies repetitis malleatorum ictibus ſcindi non valet. Secundò grauius hæc ſententia impugnatur, quia ſi ſemel concedatur, circulos diſrumpi nulla cauſa poterit aſſignari, à qua iterum vniantur, quia pars ferri non eo ipſo, quod alteri approximetur, illi vnitur, ſicuti vniuntur, inter ſe partes aquæ, ac proinde circuli ipſi non poſſunt ſuas producere vniones, neque motus, aut impulſus illas efficere valebunt, aliàs quotieſcumque duo corpora ferrea contigua, impulſu aliquo mouentur, mutuam producerent vnionem. Idem dicito de corpore rotundo ligneo, vel lapideo, cuius partes contiguæ ſuam vnionem non producunt. Impugnatur etiam hæc ſententia ex motu circulari, cuiuſuis virgæ, ſeu tabellæ, non rotundæ, de qua modò dicebam, cuius lineæ latæ ſuperiores velocius mouentur lineis inferioribus, & conſequenter mouentur, dum quieſcunt inferiores, quod ſi fieret cum vnionum corruptione, ſtatim partes ſuperiores diſcontinuæ in ſolum deciderent, non enim tabellæ clauus, qui partes illi proximiores affixas tenebat, poſſet nec breuiſſimo oculi ictu alias diſtantiores partes proximioribus non vnitas ſuſtinere.

P. Arriag. n. 241. ait, ſe nunquam hoc argumentũ ſolutum vidiſſe, neque illud ſoluere præſumere. Neque quidquam aliud relatu dignum, circa illud ſcriptum inuenio in opinione, quæ continuum ex indiuiſibilibus componit, in opinione verò quæ illud ex partibus infinitis conſtruit, quam eodem modo premit argumentum, neque aliud ſpecioſius illius propugnatores reſpondent: poſſunt tamen infinitudine partium ſe protegere, remque confundere, vimque formæ in prædicto argumento declinare, his non ego contentus nouam aliam ſolutionem ſum meditatus, quam iam expono.

§. VI.

Gordiani nodi noua ſolutio.

IN memoriam reuoco id, quod tradidi punct. 8. videlicet vnum indiuiſibile tangere aliud, tantum eſſe illi eſſe immediatum, ſeu nihil inter vtrumque mediare. Secũdò, quod probaui punct. 17. in indiuiſibilibus quædam eſſe res, alia verò modos mediis quibus, alia annectuntur, inſuper indiuiſibilia modos eſſe localiter extra indiuiſibilia res, ita vt quodlibet indiuiſibile diſtinctum, ſiue res ſiue modus, diſtinctum ſpatiũ occupet. Inſuper ſtatuo, quod ex ea doctrina compertum eſt, indiuiſibilia modos inter ſe immediatè non vniri, neque indiuiſibilia res eſſe immediatè vnita, ſed mediis indiuiſibilibus modis, quæ ſunt rationes vniendi indiuiſibilia res, & per ſe ipſa poſſunt dici vnita indiuiſibilibus rebus. 32


Suppono etiam, quod iuxta doctrinam traditam perſpicuum eſt, punctã vnita media vnione ſuperaddita, non debere eſſe inter ſe immediata, ſed inter ipſa poſſe vnionem intercedere, & de facto ſemper, per aliquod latus mediate, & tantùm requiri immediatam approximationem, illorum, quæ per ſe ipſa vniuntur, ſicuti res, & modus, quæ tantùm immediatè vnita vocabo, licet etiam dici ſoleant, immediatè vnita illa in quibus mediat vnio, ad diſtinctionem illorum, in quibus non ſolùm vnio ſed pars vnita mediat, ſic dicimus, albedinem vniri immediatè, quantitati, & mediatè materiæ primæ, etiamſi inter albedinem & quantitatem mediet vnio. 33


Ex his infero, quodlibet indiuiſibile, non tantùm eſſe immediatum indiuiſibilibus, quibus eſt. immediatè vnitum, ſed etiam aliis, cum quibus non habet immediatã vnionem, quia indiuiſibile res lineæ inferioris directè ſupra ſe habet indiuiſibile modum lineæ ſuperioris, ex vi cuius vnitũ alij indiuiſibili rei, & cui vnitur, nõ alia vnione interiecta, ſed per ipſum indiuiſibile modum: habet tamen immediata alia duo indiuiſibilia res lineæ etiã ſuperioris collaterialia indiuiſibili modo eiuſdem indiuiſibilis rei, cui eſt vnitũ, cum quibus nullã immediatam habet vnionẽ ſecluſo modo alio inter ipſa ſuperaddito, ex vi cuius vniantur, quia indiuiſibile lineæ inferioris, non tantùm eſt immediatum indiuiſibili ſuperioris lineæ, quod eſt ſupra illud, ſed etiam duobus collateralibus punctis lineæ ſuperioris, qnod ſupra ſe habet, quia inter indiuiſibile lineæ inferioris, ex vna parte, & ex alia indiuiſibile lineæ ſuperioris, quod ſupra ſe habet, & duo alia indiuiſibilia eiuſdem ſuperioris lineæ huic collateralia, nihil mediat, indiuiſibile autem lineæ inferioris, tantùm eſt immediatè vnitum indiuiſibili, quod eſt ſupra ſe non indiuiſibilibus collateralibus. Ratio eſt, quia indiuiſibile res habet ſupra ſe indiuiſibile modum, cui eſt 34

immediatè

Digitized by Google


immediatè vnitum, hoc autem indiuiſibile modus habet ſibi collateralia duo indiuiſibilia res, quibus non eſt vnitum immediatè indiuiſibile res lineæ inferioris, quod illis eſt immediatè applicatum, quia indiuiſibilia res non vniuntur immediatè. Dico non vniri immediatè, hoc eſt per ſe ipſa, quod hîc tantùm voco vniri immediatè. Totius doctrinæ exemplar accipe in his lineis, in quibus ſuppone litteram *A*, eſſe indiuiſibile, rem, & litteram *O*, eſſe indiuiſibile modum, & lineas ductas à primo ternario ab vno indiuiſibili ad aliud, ſignificare immediatam approximationem, itavt quodlibet indiuiſibile ſit immediatè approximatum omni alij ad quod immediatè ex ipſo linea ducitur. In ſecundo ternario linearum lineæ immediatè ductæ ab vno indiuiſibili ad aliud tibi monſtrant vnionem immediatam inter ipſa indiuiſibilia, ita vt illud, à quo ad aliud immediatè linea non ducitur non illi immediatè eſſe vnitum ſignificetur, etiamſi immediatè ſit approximatum.





36 En indiuiſibile *A*, lineæ inferioris, eſt immediatum tribus indiuiſibilibus lineæ ſuperioris, indiuiſibili *O*, cui eſt immediatè vnitum, & duobus indiuiſibilibus *A*, *A*, eiuſdem indiuiſibilis *O*, collateralibus, vt demonſtrat prima linearum figura. Ex tribus indiuiſibilibus lineæ ſuperioris, quibus indiuiſibile *A*, inferioris lineæ eſt immediatum, tantùm eſt vnitum immediatè indiuiſibili *O*, & aliis tantùm, medio iſto, vt ſecunda linearum figura notat. Similiter indiuiſibile *O*, lineæ inferioris eſt immediatum tribus indiuiſibilibus lineæ ſuperioris, indiuiſibili *A*, quod habet ſupra ſe & duobus indiuiſibilibus *O*, *O*, collateralibus eiuſdem indiuiſibilis *A*, ex quibus tantùm eſt immediatè vnitum indiuiſibili *A*, quia indiuiſibile modus non immediatè vnitur aliis indiuiſibilibus modis, quantumuis ſint illi approximata, ſed tantùm indiuiſibili rei.

37 Ex hoc infero manifeſtè, ſi per vnicum inſtans moueatur linea ſuperior immota inferiori, indiuiſibile *A*, lineæ inferioris, adhuc manere approximatum, & immediatum indiuiſibili *O* lineæ ſuperioris, quod ſupra ſe habebat, & tantùm fieri diſtans ab indiuiſibili *A*, collaterali ſuperiori, vel collaterali indiuiſibilis *O*, ſuperioris, verſus illam partem, verſus quam dirigitur motus, quia indiuiſibile *O*, ſuperius vnitum indiuiſibili *A*, inferiori acquirit per motum ſpatium, quod habebat indiuiſibile *A*, quod ad latus illius erat in eadem linea ſuperiori, & non immediatè ſeu per ſe vnitum indiuiſibili *A*, lineæ inferioris: ſed illud indiuiſibile *A* lineæ ſuperioris erat immediatum indiuiſibili, *A* inferioris lineæ: ergo indiuiſibile *O*, lineæ ſuperioris, quod ſucceſſit in ſpatium indiuiſibilis *A*, eiuſdem lineæ, manet cum approximatione, ſeu immediatione reſpectu indiuiſibilis *A*, lineæ inferioris, quam habebat aliud indiuiſibile *A*, lineæ ſuperioris, in cuius ſpatium ſucceſſit, & illam tantùm amiſit indiuiſibile *A*, lineæ ſuperioris cum indiuiſibili *A*, lineæ inferioris, quod illi non erat vnitum. Ex qua approximationis iactura nulla vnio deperditur, ſiquidem tantùm contingit inter extrema non immediatè per ſe ipſa vnita. Manebunt ergo mota linea ſuperiori, & inferiori immota, indiuiſibilia vnita approximata modo ſignificato in his duabus lineis, iuxta ea, quæ ſupra ſuppoſui de ſignificatione punctorum, & linearum ductarum inter ipſa.



Explicaui iam, quomodo ſi per vnum inſtans temporis, linea ſuperior, immota inferiori, moueatur, & indiuiſibilia lineæ ſuperioris per vnicum indiuiſibile ſpatij moueantur, nulla ipſorum corrumpatur vnio, reſtat modò explicandum, quomodo per plura indiuiſibilia ſpatij poſſit circulus inferior quieſcere, ſuperiori ſe mouente, quin aliqua diſcontinuatio indiuiſibilium contingat. Ad difficultatem hanc componendam in memoriam reuoco, quod ſupra contra hoc argumentum adduxi, videlicet ex eo quod circulus inferior eodem tempore cum ſuperiori moueatur, ſequi, circulum inferiorem præiturum ſuperiori, quia habet minus ſpatium percurrendum. Ex quo infero, quod ſi indiuiſibile ſuperioris circuli, dum ſe mouit immoto indiuiſibili circuli inferioris, illud per punctum ſpatij ſuperauit, ratione cuius fuit factum collaterale ſuperius, cum antea rectè eſſet ſupra illud, poſtea ſi per aliquod, ſeu per aliqua inſtantia, vtrumque indiuiſibile circuli ſuperioris, & inferioris ſimul moueantur, indiuiſibile circuli inferioris recuperaturum exceſſum, quod acquiſiuerat indiuiſibile lineæ ſuperioris, & iterum directè conſtituendum eſſe ſub illo, imò poſſe illud ſuperare per aliud indiuiſibile ſpatij, ita vt exceſſum, quem habebat punctum lineæ ſuperioris reſpectu puncti lineæ inferioris, habeat punctum lineæ inferioris reſpectu puncti lineæ ſuperioris, ita vt reſpectu puncti lineæ inferioris, punctum lineæ ſuperioris ſit collaterale ſuperius, non verſus partem anteriorem, in quam tendit motus, ſed verſus poſteriorem. Hoc facto poterit iterum quieſcere per aliud inſtans circulus inferior, & moueri ſuperior, in quo inſtanti, indiuiſibile puncti ſuperioris, ſi ex motu anteacto, directè manſerat ſupra indiuiſibile lineæ inferioris, cui immediatè erat vnitum, iterum acquirit eum exceſſum, quem primo acquiſierat. Si verò remanſerat, non directè ſupra indiuiſibile, cui erat vnitum, ſed collaterale ſuperius, verſus partem poſteriorem, in illo inſtanti conſtituetur directè ſupra indiuiſibile, cui eſt vnitum, & poterit per aliud inſtans moueri, inferiori immoto, in quo acquiret exceſſum vnius indiuiſibilis ſpatij, & fiet reſpectu puncti lineæ inferioris, cui eſt vnitum collaterale ſuperius verſus partem anteriorem, in quam tendit motus. Quo exceſſu acquiſito rurſus vtrumque indiuiſibile, ſeu vterque circulus ſuperior, & inferior ſimul mouendus eſt, vt indiuiſibile circuli inferioris iterum recuperet exceſſum indiuiſibilis, quo recuperato, poterit iterum quieſcere, & ſic interruptis quietibus circuli inferioris, dum mouetur ſuperior, motibus ſimultaneis vtriuſque, poterit ſæpe quieſcere circulus inferior, dum ſuperior mouetur, antequam totus circularis motus ab hoc puncto in idem punctum perficiatur. 38

39 Ex hoc infero, indiuiſibile lineæ, in quocumque motu circulari, tantùm inflecti, reſpectu indiuiſibilis ſibi vniti immediatè per vnicum indiuiſibile ſpatij, quia tantùm ſalua vnione ſe poſſunt excedere in motu, & vnum alteri præire indiuiſibilia circuli ſuperioris, & inferioris immediatè vnita: Infero ſimul inflexionem lineæ in corpore circulariter ſe mouente, ſemper eſſe leuiſſimam, etiamſi linea inſpiciatur ſecundùm ſe totam à centro ad circumferentiam, & prædicta linea creberrimè inflectatur. Quia quotieſcumque quieſcit in prædicto motu circulari aliquis circulus, quieſcunt omnes, quæ ſunt ſub illo centro immediatiores, & quotieſcumque mouetur mouentur omnes, quæ ſunt ſupra illum à centro diſtantiores. Vnde in primo inſtanti motus, in quo mouetur circulus extimus, ſeu omnium maximus, & quieſcit circulus inferior, quieſcunt reliqui omnes, & ita inflexio fit inter puncta circuli extremi, ſeu primi, & ſecundi, & à puncto ſecundi circuli vſque ad centrum linea manet omnino recta: poſtea verò dum mouetur ſecundus circulus cum primo, & quieſcunt tertius circulus, & reliqui vſque ad centrum, fit alia inflexio lineæ inter punctum ſecundi, & tertij circuli, illa tamen, quæ antea facta erat, deperditur, & punctum ſecundi circuli fit rectum reſpectu puncti primi circuli, in ordine ad

totam

Digitized by Google

totam lineam,& iterum cum linea per puncta circulorum inferiorum inflectitur, amittit inflexionem, quam habebat in circulis ſuperioribus, & ita quaſi ſucceſſiuè deſcendit inflexio à circumferentia ad centrum corrupta in parte ſuperiori lineæ dum denuo fit in parte inferiori, & innumeris inflexionibus tranſeunter ſuccedentibus, nunquam linea notabiliter manet inflexa. Aliter contingit quando virga, vel arundo ita inflectitur, vt oculis inflexio pateat, tunc enim inflexiones crebrò fiunt, & ſimul perſeuerant, quia non hoc ordine mouentur, & quieſcunt indiuiſibilia, vt dum inflexio fit per inferiores partes virgæ, amittatur inflexio in prioribus facta, quia minus quam par eſſet ad inflexionem partium ſuperiorum reſarciendam, inferiores partes mouentur, vel forſan nihil, vt patet quando virga ſolo affixa incipit moueri,& inflecti per partes ſuperiores, per quas notabili tempore mouetur, omnino partibus inferioribus quieſcentibus, & ita dimidia pars virgæ manet cum eadem rectitudine, & poſitione, quam habebat, & dimidia alia notabiliter inflexa.

40 Ex his facilè reſpondeo argumento prædicto, in motu circulari lineas ductas à centro ad circumferentiam nullo modo diſrumpi, & tantùm leuiſſimè inflecti, & ita illam inflexionem ſenſibus percipi non poſſe, neque laicis impugnationibus hæc inflexio in corpore ferreo,& quocumque alio quantumuis duro impugnanda eſt, ſæpius enim videmus duriſſima ferra funibus torto inflecti, & quotidie videmus enſem chalybe attemperatum à cuſpide in capulum inſinuari, in quibus omnibus motibus,partes quædam mouentur,immotis aliis, & nulla continui accidit diuiſio. Hæc ita cogitaueram, nondum tamen immane barathrum, ſuperbam Scyllam, ſalebroſam Charybdin, & monſtroſam Sphingem nullius inhærentem veſtigiis, nullius ratione ſuffultus,aliena ope deſtitutus,ſuperaſſe præſumebam, donec de hac re doctiſſimos conſului Mathematicos, & recentiores Philoſophos, ingenio acres, qui omnes vno ore mihi teſtati ſunt, totam difficultatem huius argumenti,doctrina tradita exhauriri, nullíque principio Philoſophico, aut Mathematico non eſſe conſonam, aliáque huiuſmodi, quibus parco, licet Mathematici ob alias rationes ſemper ægrè ferant continuum ex puris indiuiſibilibus componi. Quæ ſcripſiſſe placuit, ne viderer abſque longo examine, auſum fuiſſe argumento ſatisfacere, cui ingenia ſuccubuere magna. Aliud etiam mirificè doctrinam hanc commendat,videlicet nihil in ea traditum,quod à communi Philoſophia deliret, nihil violentum,neque vi argumenti extortum,nihil, quod non extra argumenti anguſtias ſponte dici poſſet,non enim indiuiſibilia inflata fingo,neque ſaltantia admitto, nullius corporis, neque indiuiſibilis penetrationem adhuc inadæquatam concedo, neque eiuſdem repetitam præſentiam expoſco, totam continui vnionem, nulla diuiſione admiſſa, illæſam ſeruo, omniáque communis Philoſophiæ cancellis contenta trado.

Pvnctvm X.

Alia argumenta Mathematica percurro.

MVltis Zenonis ſententiam Mathematici impetunt, illorum præcipua breuiter percurram.

1 Obiiciunt primò demonſtraſſe Euclidem, quamlibet lineam poſſe diuidi in duas alias æquales, quod tradit Problem.5.propoſ.50. ſed hoc non poteſt ſtare, ſi linea componatur ex punctis finitis, quia ſi ſeptem punctis rebus claudatur, pars altera diuiſa, tria puncta continebit, & altera quatuor ſortietur: ergo ſuſtinenda non Zenonis opinio. Multi hanc demonſtrationem referunt, vellem, vt aliquis Euclidis ſtudioſus illam in medium adduceret, ego illam à doctiſſimis Mathematicis petiui, & accepi nunquam, ſumunt enim ad conficienda plura principia, quæ facilè quiſque Philoſophus, iuxta doctrinam traditam negabit, & difficile, aut nunquam Mathematicus probabit, quibus negatis, ſiſtit longa ſeries demonſtrationum, qua vtuntur Mathematici ad illam propoſitionem probandam,dum autem illa non perficitur,& Euclidis propoſitio euidenter non oſtenditur, negandum eſt dari talem demonſtrationem,ſi Zenonis continuum defendendum eſt.

2 Addo tamen, omnem lineam per ſe loquendo, habere aliquod punctum æquè diſtans à duobus extremis, quia omnis linea conſtat, ſecundùm doctrinam traditam, numero impari indiuiſibilium, ſi enim puncta res paria ſunt,v.g. quatuor puncta modi, quibus hæc vniuntur,imparia ſunt, videlicet tria, quibus conficitur ſeptenarius punctorum numerus,ſi verò puncta res ſint imparia,v.g.quinque, puncta modi,quæ adduntur,vt illa vniantur ſunt paria,quatuor videlicet,quibus aſſurgit numerus nouenarius, & ita ſemper punctis rebus paribus, puncta modi imparia adduntur, & punctis rebus imparibus,adduntur puncta res paria, & ita ſemper collectio imparem punctorum numerum claudit, quorum vnum medium æquè diſtat à duobus extremis. Ex hoc fit, lineam, ſaltem mentaliter, poſſe ſemper diuidi in duas partes æquales, ſi diuiſio fiat per illud indiuiſibile medium æquè diſtans ab extremis, non tamen poteſt ſemper ita phyſicè diuidi, quia ſæpe contingit punctum illud medium eſſe punctum rem, quod ſi deſtruatur, ſimul deſtrui debent duo alia puncta modi, quibus illud vniebatur aliis duobus punctis immediatis, quia indiuiſibilia modi, adhuc de potentia Dei abſoluta, non poſſunt permanere, corruptis indiuiſibilibus rebus; rem declaret exemplum: Conſtabat linea quinque punctis rebus, & quatuor punctis modis, punctum medium lineæ habentis nouem puncta,quinque res,& quatuor modos,eſt punctum res,cuius ſunt modi duo alia puncta, illi immediata, corrupto illo puncto re, corrumpenda ſunt duo alia puncta modi, & ita non poteſt fieri phyſica diuiſio illius lineæ per corruptionem puncti medij rei, ſine iactura trium punctorum,vno re,& duobus modis.

Obiiciunt ſecundò, ſecundùm hanc ſententiam, lineam contentam intra latera pyramidis, fore maiorem ipſa vaſi pyramidis,quod falſum eſt: ſequela probatur: Demus quamlibet lineam lateralem pyramidis conſtare ſex punctis, & vaſim tantùm tribus; tunc ſic à quolibet puncto lineæ lateralis pyramidis ducetur linea ad aliud punctum oppoſitum alius lineæ: ergo poſſunt duci ſex lineæ à ſex punctis huius lineæ lateralis ad alia ſex puncta alterius lineæ lateralis: ſed harum linearum quælibet debet aliam, ſaltem vno puncto, excedere: ergo ſexta linea excedit minorem, ſeu ſuperiorem lineam quinque puncti: ergo habet ſeptem puncta,quia linea ſuperior, ſeu minor omnium immediata cuſpidi, neceſſariò habet duo puncta: ergo linea immediata vaſi, eſt maior ipſa vaſi, quæ tantùm conſtat tribus punctis. 3 Multà in hoc argumenta falſa ſupponuntur, multa moderamine indigent, & omnia explicatione. In primis ſupponitur eſſe poſſibilem pyramidem, cuius lineæ laterales maiorem habeant longitudinem ipſa vaſi, quod eſt falſum, quia ſupra vaſim trium punctorum, non poteſt aſſurgere pyramis, cuius lineæ laterales tria puncta excedant. Quia pyramis fit per poſitionem vnius lineæ ſupra aliam, & hæ lineæ, quæ ſuperponuntur, debent eſſe vna minor alia, & ita ſupra vaſim trium punctorum, ad ſummum, poſſet poni linea duorum punctorum, & ſupra hanc vnicum punctum, quod eſſet cuſpis pyramidis, & clauderet vtramque lineam lateralem, quæ in illo communicaret, & non excederent longitudinem trium punctorum,quorum primum non diſtingueretur ab ipſa vaſi,& ab vltimo,nulla poſſet duci linea ad oppoſitũ,quia nullum haberet oppoſitum,ſed eſſet cuſpis pyramidis, & commune vtrique lineæ. Ex quo concluditur, ſupra vaſim trium punctorum, ad ſummum, poſſe duci lineam vnicam duorum punctorum,& ſupra hanc poni aliud punctum, quod ſit cuſpis pyramidem claudens. Dixi ſuprà vaſim trium punctorum, ad ſummum, poſſe duci lineam duorum punctorum, quia adhuc iſtam exiſtimo duci non poſſe retinentem cum vaſi pyramidis figuram, quia vaſis pyramidis debet excedere lineam immediatam per vtrumque latus, & non poteſt per quodlibet latus, illam excedere minori exceſſu,quàm indiuiſibili, & ita per quodcumque latus debeat vaſis lineam immediatam, vno indiuiſibili excedere,& conſequenter, totam lineam duplici indiuiſibili, per duplex latus. Ex quo deducitur, ſupra vaſim trium punctorum nullam poſſe poni lineam ſpectantem ad conſtructionem pyramidis, non æqualem, qui eſt contra rationem pyramidis,aliquam lineam illius æqualem vaſi, non minorem,quia hæc tantùm poterat eſſe duorũ punctorum, quam vaſis non poſſet excedere per vtrumque latus,quia ſi illam per vtrumque latus excederet, ſaltem illa duplici indiuiſibili ſuperaret, vaſis autem trium punctorum vnico tantùm excedit lineam duorum,quæ eſt omnium minima.


Obiiciunt tertiò, ſequi ex ſententia Zenonis,ex duobus circulis, quorum vnus eſt intra alium, in rota contentum 4

circulum

circulum centro vicinum fore æqualem circulo ſuperiori, quod apertè falſum eſt. Sequela probatur: à quolibet puncto circuli ſuperioris poteſt duci linea ad centrum, ſed quælibet linea ducta à puncto circuli ſuperioris, debet tranſire per diſtinctum punctum circuli inferioris: ergo circulus inferior tot habet puncta, quot ſuperior. Aliqui vt prædicto argumento reſpondeant, docent non poſſe dari circulum perfectum, abs re tamé, quia ſiue circulus ſit perfectus, ſiue imperfectus, eadem eſt difficultas, imò in circulari quadrata, vel quauis alia figura eodem modo procedit argumentum. Alij dicunt, non ab omnibus punctis circuli ſuperioris poſſe duci lineam rectam ad centrum, quod non probo, quia non poſſunt aſſignari duo puncta diſtátia, à quibus non poſſit duci linea recta ex vno ad aliud, quia cùm poſſit aliqua duci, illa diceretur recta, quâ non poteſt duci breuior alia. Deinde in figura circulari, omnia puncta circuli ſuperioris æquè diſtant à centro: ergo ſi ab vno poteſt duci linea recta, poterit duci ab omnibus.

5 Si prædicto argumento ſuccumbendum non eſt, neceſſariò eſt dicendum, à quolibet puncto circuli ſuperioris, poſſe duci lineam ad centrum, non tamen poſſe ab omnibus duci lineas adæquatè diſtinctas, ſed aliquas lineas ductas punctis diſtinctis circuli ſuperioris, coincidere in aliquod púctum commune circuli vicinioris centro, à quo producitur reliquum lineæ vſque ad centrum commune diſtinctis lineis ductis à diſtinctis punctis circuli ſuperioris. Moneo tamen ſolutionem hanc eſſe contra Euclidem, qui inter notiones communes, ſeu dignitates hanc ordine decimamtertiam adducit: *Duæ lineæ rectæ non habent vnum, & idem ſegmentum commune.* Inſuper hæc ſolutio euertit totam Geometriam, cuius innumeræ demonſtrationes huic principio innituntur, quæ illo negato, corruent. Scio tamen Mathematicos nullam habere firmam demonſtrationem, quâ prædictam propoſitionem probent, ita ingenuè fatentur ex illis doctiſſimi à me conſulti, neque adeo eſt per ſe nota, vt de illa non poſſit quiſque dubitare, etiamſi Euclides inter prima principia, & dignitates illam annumerauerit, forſan, quia nulla ſupererat demonſtratio ad illam ſtabiliendam.

6 Obiiciunt quartò, ſequi lineam diametralem in quadrato ductam ab angulo ad angulum, fore duplo maiorem lineâ laterali, cuius oppoſitum demonſtrat Euclides lib. 3. propoſ. vlt. Sequela probatur: demus quadratum, cuius quælibet lateralis linea conſtet decem punctis, & educatur linea diametralis ab angulo in angulum, à quolibet puncto linearum duarum lateralium poteſt duci linea ad punctum oppoſitum oppoſitæ lateralis, cúmque hæ lineæ neceſſariò ſecent lineam diametralem, quæ ab angulo ad angulum eſt producta, ſingulæ lineæ ductæ à punctis linearum lateralium, attingent ſingula puncta lineæ diametralis: ergo tot ſunt puncta in linea diametrali, quot ſunt lineæ ductæ à lateralibus: ergo habet tot puncta diametralis, quot habet vtraque lateralis: ergo eſt duplo maior illarum qualibet. Rem declarat figura ſubſcripta, in qua intendit probare argumentum, lineam ductam ab angulo B, ad angulum C, eſſe duplo maiorem linea A, B, & linea B, D, & æqualem vtrique ſimul ſumptæ, quod ſuadet lineis ductis in ſuperiori parte circuli.



7 Adducam poſtea aliud argumentum, quod contra hanc doctrinam adduci ſolet, quo probare intenditur, lineam diametralem, non fore maiorem qualibet laterali ſeorſim ſumpta. Quod notare placet, vt vtriuſque efficaciam commendem, ſiquidem ex eiſdem principiis probare intenditur, lineam diametralem fore æqualem, & fore duplo maiorem eadem laterali. Deinde vellem, vt aliqua ex his argumentis, ſibi ſoluenda ſuſcepiſſent Ariſtotelici, ſiquidem omnia æquè omnes premunt, quod ſi perpendiſſent, non Zenoniſtas adorirentur telis, quæ in ipſos abſque vlla opera quiſque retorquet. Reſpondeo, has lineas non poſſe duci, quin inter ſe communicent lineæ ductæ à punctis linearum A B, & A C, in aliquo puncto lineæ diametralis, quæ eſt minor lineis A B, A C, ſimul ſumptis, quia ſi hæ non facerent hunc angulum B A C, ſed ita protenderentur vt ambæ efficerent vnam rectam lineam, certum eſt maiorem extenſionem habituras lineâ diametrali, nunc autem ratione anguli, non poſſunt tantùm amittere exceſſum.

Obiiciunt quintò ſequi lineam diametralem quadrati fore æqualem laterali. Ratio eſt, quia ſi lineæ ducantur 8 modo ſuprà aſſignato in inferiori parte quadrati, à punctis lineæ lateralis B D, poſſunt duci puncta ad diametralem, quæ ſi ducantur ab omnibus punctis lateralis, attingent omnia puncta diametralis: ergo in diametrali non ſunt plura puncta, quàm in laterali, quia hæc nullum habet púctum, quod non attingatur aliquâ lineâ ductâ à laterali. Deinde quia ſi lineæ ductæ à laterali B D, protendantur vſque ad lateralem A C, quælibet linea attingit vnum punctum diametralis, & nulla duo, neque aliquod punctū erit in diametrali, quod non attingatur aliqua linea ducta à laterali B D, ad lateralem A C: ergo diametralis tot habet puncta, & non plura quot ſunt lineæ ductæ à laterali ad lateralem: ergo quælibet lateralis eſt diametrali æqualis.

Reſpondeo, lineam diametralem non diſtingui à lineis ductis à laterali ad lateralem, ſed ex punctis in his contentis componi, communicando in aliquo puncto cum qualibet linea ducta à laterali ad lateralem, & cum aliquibus in duobus, & hac ratione fieri maiorem diametralem lateralibus, ſecundùm tot puncta, quot ſunt lineæ, in quibus duo communicant, ita vt ſi ſexta parte exceſſura ſit diametralis quamlibet lateralem, ſextâ quoque lineâ deſumat diametralis duo puncta ex linea ducta à laterali in lateralem, & vnum ex quinque aliis, & ſic proportione ſeruatâ in quocumque alio exceſſu, quem habeat diametralis, reſpectu alius lineæ ductæ à laterali ad lateralem, quæ ipſi laterali eſt æqualis.

Pvnctvm VI.

Explicato teſtimonio Concilij Conſtantienſis, tota hæc materia abſoluitur.

Aliqui arguere intendunt contra Zenonis opinionem, 1 auctoritate Concilij Conſtantienſis, quia ſeſſione 15. illius, inter propoſitiones VViclephi hæc habetur: *Linea aliqua componitur ex duobus, aut quatuor punctis immediatis, aut ſolùm ex punctis.* Poſt quam propoſitionem immediatè additur: *Prima pars eſt error in Philoſophia.* Vnde videtur inferri, Concilium damnaſſe, tanquam errorem in Philoſophia, opinionem aſſerentem lineam cóſtare finitis punctis.

Contra 14. Punct. 3. dixi de hac, & aliis propoſitionibus, 2 non referri in corpore Concilij, ſed deſumptas eſſe ex codice cuiuſdam Canonici Colonienſis, quem codicem mendoſum eſſe monet Typographus. Vide dicta ibi. Addo docere alios, prædictam cenſuram lectam fuiſſe in Concilio, & à Patribus approbatam non fuiſſe, quia non erat de illorum inſtituto, de opinionibus purè Philoſophicis diſputare. An verò in materia purè philoſophica poſſit aliquid definiri, vide apud P. Valentiam tom. 3. diſt. 1. punct. 7. §. 41. Vltimò alij docent, illam cenſuram datam eſſe ab VViclepho, & in Concilio referri inter illius errores, quapropter potius Concilium fauet opinioni Zenonis, & illam à cenſura liberat, quam illam cenſuræ nota inurat, quod licet certum non ſit, non tamen improbabile eſt.

Hæc de continui compoſitione, in cuius argumentis 3 proponendis, atque ſoluendis pro vtraque ſententia, me totum effudi, quòd ſi non omnia plenè ſoluerim, ideò fuit, quia neque apud Auctores alias reperi ſolutiones, neque illas proprio Marte aſſequi valui. Quid verò de vtraque opinione ſentiam ſua ſcire nihil refert, neque hoc aperire mihi facilè viſum eſt, ſatius enim iudico tanti ænigmatis me Dauum quàm Oedipum præſtare, ſi tamen cogar in

per

Digitized by Google

per obſcura lite munus arbitratoris obire, prima ſemper præcipuè in continuo permanenti Ariſtotelis opinioni dabo, tum propter Philoſophi auctoritatem, aliorúmque grauiſſimorum virorum, qui communi totius ſcholæ conſenſu, & plauſu in hanc ſententiam conſpirarunt: tum etiam, quia ſi rectè tractetur partium infinitudo, ſolutione probabili deſtituta non ſunt argumenta, quæ contra illam fiunt in continuo permanenti, quod defendi neceſſum eſt, ne tota Mathematica ſcientia corruat. Quæ omnia me, in continuo permanenti in Ariſtotelis ſententiam trahunt cui libens ſubſcribo, in ſucceſſiuis autem non inuitus abirem cum Zenone, quia me omnino latent ſolutiones ad argumenta facta Punct. 6. contra partes in infinitum diuiſibiles continui per ſe ſucceſſiui.

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

CONTROVERSIA XVIII.

De applicatione requiſita inter agens, & paſſum.

EANDEM ferè materiam apud Ariſtotelem continent Liber ſeptimus, & octauus, ideóque nonnulli Ariſtotelis interpretes hunc expungunt tanquam ſuppoſititium & ſuperuacaneum. Ariſtotelicum eſſe probant Simplicius, Auerroës, & D. Thomas apud Patres Conimbr. quibus ſimiles diſputationes libens committo. Multa, quæ in hoc Libro diſputari ſolent de ſphæra, & actiuitate qualitatis & de modo, quo hæ agunt in paſſum aliis in locis, præcipuè in Generatione diſputo, tantùm hîc diſputabo de approximatione requiſita inter agens, & paſſum, de qua in hoc Libro agit Ariſtoteles, & propriam apud illum huius rei diſputatio ſedem ſibi vendicat.

PVNCTVM PRIMVM.

An agens poſſit agere in diſtans, quin agat in propinquum?

1 PAter Suarez tom. 1. Metaphyſic. diſp. 18. ſect. 1. refert aliquos aſſerentes agens poſſe agere in diſtans quin agat in propinquum; in his adducitur Scotus, quem ſui ſequuntur; verumtamen cum ſubtilis Doctor aſſerat in cauſis phyſicis nullam poſſe agere in diſtans, quin agat in propinquum à communi ſententia in nihilo diſcedit. Vna ferè omnium ſententia eſt agens non poſſe agere in diſtans quin agat in propinquum, cuius Auctores refert P. Suarez ſuprà num. 20. & P. Hurtadus diſput. 9. ſect. 6. ſubſect. 1. quibus ipſi ſubſcribunt. Probat P. Hurtadus cum P. Soario hanc concluſionem ex ſolicitudine, qua natura vacuum horreſcit, cuius nulla alia poteſt dari ratio, niſi quia corpora inferiora indigent aliis interiacentibus mediis quibus cœleſtes ebibant influxus, quod ſi agens poſſet agere in diſtans, quin ageret in propinquum, non admodum inferiora corpora curarent ne vacuum daretur. Non placet hæc ratio P. Arriagæ, qui illam impugnare intendit diſpnt. 7. ſect. 6. ſubſect. 1. ex eo quod natura non ex hoc capite vacuum abhorreat: modum quo id probet Arriaga retuli, & retudi Controuerſ. 15. Punct. 12. ideo modo illi ſuperſedeo. Probanda eſt concluſio manifeſta experientia, qua videmus ſolem pariete interpoſito lucem non producere in aëre exiſtente poſt parietem, neque obiectum viſibile eodem pariete impeditum in eodem aëre ſpecies mittere, aliáque huiuſmodi, quorum nulla alia poteſt reddi ratio, niſi quia agens non valet agere in diſtans, quin agat in propinquum. Quia partes, ſeu quodcumque aliud corpus opacum non impedit lucem in aëre formaliter quia formalis reſiſtentia dicit informationem impedientis in ſubiecto impedito, paries autem neque informat aërem, & ita non poteſt illum impedire ne patiatur, neque luminoſum efficiat, neque impedit actionem imminuendo virtutem agentis, luminoſum enim eandem intrinſecè virtutem in ſe continet appoſito pariete interipſum, & aërem lucem recepturum, & pariete ablato: ergo præciſè corpus opacum productionem lucis in corpore à tergo exiſtentis impedit non recipiendo in ſe lucem: ergo receptio lucis neceſſaria eſt corpori proximiori, vt agens illam diffundat in corpus diſtans.

Rationem hanc adducit Arriaga ſupra, atque ex illa clarè reiici ſententiam illorum, qui in occultas agentium naturas rem deducunt, quia id fieri poteſt, quando ignoratur ratio à priori, at quando clariſſima experientiæ ratio reddi poteſt, quis vellet per latebras, & occultas qualitates, aut rerum naturas difficultates explicare? In præſenti autem Arriaga ait ſe claram reddere rationem, & ita ad tenebras confugiendum non eſſe. Ego ſemper tenebras totis viribus fugere procuro, & in diſputationibus lucem ardenter amo, & accuratè affecto, nullam tamen in hac re apud Arriagam inuenio, qua poſſim in obſcuras agentium naturas non incidere, ſi totam huius rei difficultatem percurro. Experientiam ab Arriaga adductam admitto, verum hæc à poſteriori nobis concluſionem notam facit, illius verò rationem à priori aſſignandam non patefacit. Conuincor experientia agens non poſſe agere in diſtans, quin agat in propinquum, quia prædicta experientia video non agere in diſtans, quando non agit in propinquum, ſed rationem peto. Dices experientiam oſtendere requiri actionem in parte proximiori vt detur in diſtantiori, quod eſt ratio à priori concluſionis traditæ, licèt à poſteriori nota, tota enim Philoſophia in experientiam, quæ illius mater eſt vltimò reducitur. Contra: requiri actionem in paſſo proximiori, vt in diſtantius protendatur formaliſſimè eſt non poſſe agens agere in diſtans, quin agat in propinquum: ergo ſi dicas agens non poſſe agere in diſtans, quin agat in propinquum, quia requiritur actio in proximiori paſſo, vt extendatur ad paſſum diſtantius, concluſionem reddis pro ratione: ergo nullam rationem poſſumus experientia venari pro concluſione, de qua diſputamus etiam vltimò in notitiam à poſteriori acquiſitam reducendam, ſed immediatè experientiam adducta concluſionem præ oculis ponit, & nos omnino ignaros rationis à priori, ſeu cauſæ rei experientia notæ relinquit. 2

Affirmo experientia conſtare agens non poſſe agere in diſtans, quin agat in propinquum, & nullam huius concluſionis rationem à priori hucvſque à Philoſophis inuentam eſſe, ſed in occultas agentium naturas recurrendum eſſe. Primam partem concluſionis probaui ſuprà, poſteriorem impugnatione rationum, quæ pro concluſione prædicta ſolent adduci perſuadebo. Non debet procedere difficultas caſu, quo ſubiectum propinquum capax ſit effectus recipiendi, quia tunc eadem virtute, qua agens acturum eſt in paſſum diſtans neceſſariò aget in propinquum, agens enim neceſſarium non poteſt non agere in paſſum capax illi applicatum 3

applicatum, ac proinde in hoc caſu abſolutè non poſſet non agere in propinquum, ac proinde non poſſet in diſtans, quin in propinquum ageret. Neque paſſum diſtans conſtituendum eſt extra ſphæram actiuitatis agentis, quia tunc etiamſi ageret in propinquum in illud agere non poteſt. Caſus difficultatis eſt, quando agens poteſt intra ſpatium duarum vlnarum agere & in prima vlna habet applicatum ſubiectum incapax effectus recipiendi, vel illius ſpatium vacuum eſt, & in ſecunda vlna applicatum eſt paſſum capax recipiendi effectum, quem agens produceret, ſi medium eſſet aptum: in hoc caſu dixere nonnulli agens nõ poſſe agere in diſtans, quin agat in propinquum, quia actio eſt modus agentis, & modus non poteſt ſeparari à re, cuius eſt modus: ergo actio debet eſſe propinqua agenti, inſuper debet eſſe propinqua & penetrata cum paſſo: ergo paſſum, & agens debent eſſe propinqua, neceſſariò enim paſſum eandem propinquitatem eſt habiturum cum agente, quam actio cum illo penetrata habere debet. Si aliquid probaret hæc ratio, non tantùm euinceret agens non poſſe agere in diſtans quin agat in propinquum, ſed abſolutè non poſſe in diſtans agere, etiamſi agat in propinquum. Ratio eſt manifeſta, quia ſi actio ex eo quod ſit modus agentis non poteſt ab illo ſeparari, nulla actio poterit eſſe paſſio ab agenti diſtanti, etiamſi inter ipſam & agens intercedat alia actio eiuſdem rationis, quia ſi ita daretur, eſſet ſeparata ab agenti quod eſt contra rationem modi. Dices actionem illam eſſe approximatam media alia comparte actionis, & totam adæquatam actionem eſſe approximatam. Contrà: modus ea ratione, qua eſt inſeparabilis ab agenti debet per ſuammet entitatem cum illo coniungi: ſed quælibet pars actionis eſt modus agentis: ergo quælibet pars actionis per ſuammet entitatem debet coniungi cum agente ea ratione, qua eſt inſeparabilis quatenus eſt modus illius: ergo ſi actio quatenus eſt modus agentis eſt inſeparabilis localiter ab agenti: per ſuammet entitatem & non per aliam compartem debet quælibet pars, actionis, quæ eſt modus illius, eſſe immediatè approximata agenti: ſecundò Sol producens lucem in diuerſa ſubiecta nulla vnione connexa agit in illa per actiones inter ſe non vnitas, quotieſcumque enim ſubiecta non vniuntur, formæ in illis receptæ nullam vnionem habent, & actiones terminorum vnionem non habentium vnitæ non ſunt: ergo actio ex vi cuius producitur à ſole lux in terra, vnita non eſt cum actione ex vi cuius producitur ab eodem ſole lux in äere: ergo non eſt approximata agenti ſoli, media alia comparte actionis, ſed media alia actione adæquatè diſtincta: ergo non eſt approximata localiter formàliter in ratione modi, quia modus non eſt approximatus rei, cuius eſt modus ea ratione, qua ab illa eſt inſeparabilis medio alio modo, ſed immediatè per ſuammet entitatem. Affirmo actionem, ex eo quod modus agentis ſit, tantum habere non poſſe exiſtere independenter ab agenti tanquam à principio effectiuo, non tamen non poſſe ſeparari localiter ab illo, neque ex conceptu modi habere inſeparabilitatem loci, ſed inſeparabilitatem dependentiæ, hanc enim habet per ſuammet entitatem, & illam per præſentiam ſuperadditam, quando illam de facto habet: inſeparabilitas autem modi formaliter vt modi, illi conuenit formaliter per ſuammet entitatem quocumque alio ſuperaddito ſecluſo.

4 Contra doctrinam hanc non contemnenda conſurgit difficultas, videtur enim inferri ex illa paſſionem poſſe à ſubiecto ſeparari, quia formaliter vt modus tantùm habet per ſuam entitatem reſpicere ſubiectum vt principium paſſiuum, non tamen formaliter eſſe paſſo approximatam, quia approximatio paſſioni conuenit non per ſuam entitatem, ſed per præſentiam ſuperadditam. Neque ad vnionem nos confugere tutum eſt, poteſt enim poni calor dependens à ſubiecto tanquam à cauſa materiali, & illi non vnitus, & tunc procedit difficultas cur non poſſit ſeparari paſſio à ſubiecto. Imò de vnione idem procedit argumentum, quia vnio per ſuam entitatem tantùm habet connectere vtrumque extremum non approximationem cum illis, quæ illi conuenit media præſentia ſuperaddita: ergo ex eo quod vnio ſit modus non eſt inſeparabilis localiter ab extremis: ergo poterit ab illis ſeparari, & ipſa extrema inter ſe ſeparata vnire, & poterit dari homo realiter exiſtens, cuius materia ſit Matriti, vnio Pariſiis, & forma Romę abſque vlla alia approximatione partium, & vnionis.

5 Antecedens, ex quo hæc omnia deducuntur commune eſt inter Doctores, illius doctrinam tradunt omnes, qui aſſerunt poſſe agens de potentia Dei abſoluta agere in diſtans, quin agat in propinquum, illationes has non omnes diſcutiunt, quæ grauem continent difficultatem, non ex antecedenti ortam, ſed ex ipſa materia, circa quam ſiunt vt ex his, quæ iam ſubiicio, conſtabit. Moneo in primis hanc illationem rectam non eſſe: *actio poteſt diſtare à principio actiuo: ergo à paſſiuo*, quia nemo tam arctam approximationem requirit inter actionem & principium actiuum, quam inter eandem actionem ſeu paſſionem, & principium paſſiuum, omnes enim aſſerunt paſſionem debere eſſe penetratam cum principio paſſiuo, & reſpectu actiui approximatione mediata ratione aliquius ſcompartis rationis, ſeu ratione alicuius actionis totalis eiuſdem rationis contenti ſunt. Idem dico de vnione, quam, ſi ſit inter materiam, & formam etiam accidentalem omnes penetratam requirunt cum vtroque extremo, etiamſi integralis ſit, ſaltem vtrique parti ſecundum ſuam entitatem, & non tantum media aliam immediatam expoſcunt. Diſcrimen inter actionem reſpectu principij actiui ex vna parte, & eandem ex altera reſpectu paſſiui, & vnionem reſpectu extremorũ poteſt ſumi ex eo quod actio eſt modus extrinſecus agentis, paſſio verò ſeu eadem actio reſpectu ſubiecti, & vnio reſpectu extremorum ſunt modi intrinſeci, quod caput ſufficiens eſt vt ſeparationem concedere poſſimus actioni reſpectu principij actiui, quam eidem reſpectu paſſiui, & vnioni reſpectu extremorum denegamus. Qua ratione actio ſit extrinſeca principio actiuo, & intrinſeca paſſo, & vnio intrinſeca ſit extremis explicui Controuerſ. 4. Punctum. 2. §. 4. Hac ratione ſatisfit conſequentiæ deductæ ex antecedenti, quod modo defendimus, quid verò dicendũ ſit de veritate conſequentis difficile eſt.

6 Non deſunt recentiores, qui concedant poſſe vnionem ſeparari localiter ab extremis nulla approximatione retenta, & totum ſubſtantiale ſubſiſtere, neque in hanc concluſionem nos parum trahit alia, quam defendimus Controuerſ. 15. Punct. 7. videlicet poſſe totum ab omni præſentia abſolui, ex quo infertur vnionem poſſe exiſtere non approximatam extremis, quia caſu, quo homo, & illius partes præſentiam non haberent, vnio non eſſet approximata partibus, neque partes inter ſe approximationem haberent. Inſuper dixi eadem Controuerſ. 15. Puncto 10. poſſe hos modos diſtare à ſubiectis, dum in vno loco ſint illis approximata, ex quo infertur diſtantiam ab extremis ſecundùm ſe non repugnare vnioni: ergo ſi ex vna parte poteſt exiſtere vnio non approximata extremis, quorum eſt vnio, & ex alia poteſt ab illis diſtare, ſaltem quando eſt approximata ex vi aliùs præſentiæ, neque diſtantia ſecundùm ſe, neque non approximatio ſecundùm ſe repugnat vnioni reſpectu extremorum: ergo de potentia Dei abſoluta poterit diſtare, & non eſſe approximata ſimul, in quo difficile poterit ratio repugnantiæ in ordine ad omnipotentiam reperiri. Scio nonnullos aſſeruiſſe præſentiæ vnionis modum eſſe præſentiarum extremorum, qui illas vnit, & conſtituit præſentiam quamdam totalem ex præſentiis partialibus materiæ, & formæ, & hac ratione præſentiam vnionis non poſſe ſepari à præſentia partium. Do his præſentiam, quam modo habet vnio, modum eſſe præſentiarum materiæ & formæ, cur vnio habere non poterit præſentiam aliam diſtinctam ab hac, quæ non ſit modus aliùs præſentiæ. Deinde etiamſi omnis præſentia vnionis modus eſſet præſentiæ partium diceret aliquis poſſe vnionem habere præſentiam modum præſentiarum partium diſtantium, à quibus diſtaret, quia illa præſentia modus non localiter vniret extrema, ſed tantùm in ordine ad conſtituendam quandam præſentiam totalem quam conſtitueret, etiamſi præſentiæ partiales, quarum eſſet vnio diſtarent, ſicuti vnio diſtans à materia, & forma conſtituit hominem, ſic alia præſentia modus diſtans à præſentiis, quarum eſt vnio illas annecteret, & conſtitueret præſentiam quandam totalem. Modus iſte dicendi difficilior eſt priori, quia dat modum quemdam vnionis, cui repugnat localiter cum extremis eſſe coniunctum, quia præſentia illa reſpiciens hoc ſpatium vnionis modus aliarum præſentiarum immobilis eſſet, & extrema haberet immobilia, ac proinde ſi ſemel ab illis diſtaret, eſſentialiter diſtaret, & non poſſet non diſtare:

Dari autem vnionem cui repugnat localis approximatio cum extremis mihi durum videtur, ſed ſi aliquis audacter dicat hoc non repugnare, difficile poterit à ſua ſententia remoueri. Quod dictum eſt de præſentia vnionis reſpectu præſentiarum partium, eadem ratione applicata præſentiæ actionis reſpectu præſentiæ ſubiecti. Rem hanc paſſim tetigiſſe ſufficiat, quam alij ex doctrina tradita facilè dirimere poterũ. Noto tamen hæc argumenta non procedere in opinione, quæ in compoſito tantùm vnam præſentiam quantitati, vel materiæ primæ conſtituit, ex vi cuius forma ſubſtantialis, modi, & accidentia reliqua præſentia ſint, quia cum actio, vnio, materia, & quantitas ſint præſentes ex vi eiuſdem indiuiſibilis modi ſuppoſita vnione ad ſubiectum, implicat modos, ſeu accidentia eſſe vnita ſubiecto, quin ſint præſentia in eodem loco in quo eſt ſubiectum.

7 Venio iam ad obiectiones, quæ contra præcipuam concluſionem fieri ſolent. Obiicies: Piſcem quemdam, cui nomen torpedo, qui brachium piſcatoris ligat nullo effectu in medio producto. Item magnetem ferrum attrahere, & faſcinantes pueros diſtantes lædere, & herbam quamdam, cui nomen eſt Aproxis, quæ, teſte Plinio lib. 2. cap. 108. ignem à longè accendit, idémque refertur apud eundem Plinium de Naphta quodam bituminis genere. Reſpondeo hæc omnia agentia agere non ſolùm in paſſum diſtans, ſed etiam in totum medium, magnes enim qualitatẽ in aëre producit, & ſimul in ferro, quæ aëris non eſt attractiua, ſed ferri, ideo ferrũ ad præſentiam magnetis mouetur, & non aër, aut aliud corpus. Similiter torpedo, & faſcinantes producunt eandem qualitatem in medio, quam producunt in viuenti, hoc tamen lædi illa qualitate, & non aërem, quia iſte non eſt capax damni, quod viuens patitur per receptionem illius qualitatis. Item illa herba calorem, & alias qualitates producet in medio, in quo ignis non producitur, quia non habet diſpoſitiones illas, quas habet paſſum diſtans, vt formam ignis recipiat.

8 Secundò obiicitur: Quando aqua in igne calefit, aqua in profundo lebetis eſt frigida, & quæ eſt in ſummo illius eſt valde calida: ergo agens agit in diſtans, quin agat in propinquum. Experientiam non credit Arriaga, neque modum inuenit, quo poſſit fieri, mihi tamen de illa dubitare non licet, vidi enim cacabum plenum aqua ſupra ingentem rogum appoſitum, & ferueſcente aqua ab igne ſeparari, illiúſque latera præ nimio calore à nemine tangi poſſe ſolúmque quod immediatè flammæ tetigerant ab omnibus tangi, in quo calor moderatus valde ſentiebatur, Id communiter tribuitur vaporibus terreis, & frigidis, qui deſcendunt ad fundum lebetis aſcendentibus partibus aliis tenuioribus, quæ in fundo lebetis calorem concepére. Ne tamen in his immoremur reſpondeo, experientiam non probare agens agere in diſtans, quin agat in propinquum, quia ignis agit in partes laterales cacabi, mediis quibus poteſt agere in diſtantiores, cur verò non agat in partes alias, quæ ſunt in fundo lebetis, vel ſi agit cur recedant partes, in quas agit, & adueniant aliæ frigidæ ad præſentem difficultatem non attinet, vt bene notauit Arriaga.

9 Ex eo quod dixerim agens non poſſe agere in diſtans, quin agat in propinquum à poſteriori conſtare, à priori tamen nullam huius concluſionis rationem à Philoſophis hucuſque traditam eſſe inuentam. Aſſerit me neminem legiſſe, aut audiuiſſe, vel legiſſe diſſimulaſſe. Additque me debuiſſe expendere rationes, quas ipſe adducit prius quam intrepide proferrem prædictam concluſionem ratione à priori non probari. Me neminem legiſſe, aut legiſſe diſſimulaſſe, mihique videri de omnibus Philoſophis triumphaſſe, cùm cum nullo pugnauerim, non pro occaſione, ſed pro conſuetudine ſolita dicendi ab hoc Authore proferuntur, ideo de eis non curo, expendam modò rationes, quas à me non prius fuiſſe libratas nouus iſte reprehendit.

Prad. 2. par. Controu. 113. art. 3. n. 77.

10 Refert ex Soto 7. Phyſicorum quæſt. 1. quod limitatio materiæ poſſet in cauſam afferri, vt forma, quæ eſt in materia, nequeat rem aliam mouere niſi tangendo. Auſus non eſt Sotus abſolute aſſerere, limitationem materiæ cauſam eſſe approximationis requiſitæ ad agendum, ſed tantum dixit, quod poſſet hæc cauſa deſignari, quo dicendi modo ſatis ſignificat inopiam rationis pro hac concluſione, & ipſum rationi adductæ fidere, cui nullatenus fidendum eſt, ex illa enim nemo prudenter poterit intendere intentum perſuadere, quod enim obſtaret limitatio materiæ, ad hoc vt agens limitatum ad agendum intra duas vlnas tantum ſpatij in poſteriori ageret, dum illius actio in priori impeditur. Vidit hæc Sotus, & non id pro ratione, ſed pro leui coniectura adduxit, & à Soto non diſſentiens, inter rationes annumerandum eſſe non cenſeo.

Refert Capreolum in 1. diſt. 27. quæſt. vnica art. 2. ad 8. dicentem agens quodam modo eſſe actum ipſius paſſi, & paſſum eſſe quodam modo in potentia ad agens: actus autem, & potentia de ſua ratione ſunt indiſtinctæ. In his, nec ratio, nec quodam modo ratio continetur, latiſſime enim principium actiuum principij paſſiui actus dicitur (etſi actio merito talis dicatur) & ita ex hoc ſolum metaphorico dicendi modo concluſio probanda nullatenus deducitur, neque illam videtur Capreolus intuliſſe, ſed tantùm ex antecedenti conijcere inter agens, & paſſum non eam debere eſſe diſtantiam, qua paſſum extrahatur ab agentis ſphæra. 11

Ex Nazario, & Carmelitanis rationem ab ipſis datam his verbis refert. Nam ſi actio, quæ eſt productio effectus, & ipſa datio & communicatio eſſe, & entitas reſpectu illius non poteſt non eſſe coniuncta cum eodem, ſiue per inhærentiam, ſiue per identitatem, ſiue per intimam aſſiſtentiam vel tandem per propinquitatem. Duo conſequentiam parum firmam ex incompto antecedenti, vt illius non inferunt eam formantis determinate approximationem, ſed coniunctionem aliquam, ſiue per identitatem ſiue per intimam præſentiam, ſeu approximationem, quapropter conceſſa propoſitione diſiunctiua, poterit negari pars illa *intimam præſentiam, & approximationem importans.* Deinde totum hoc omnino eſt extra rem, quia in prædicto diſcurſu non infertur coniunctio inter principium actiuum, & paſſiuum, de quorum approximatione agitur, ſeu coniunctio inter actionem, & effectum, de quorum approximatione hic non tractatur. 12

Rationem aliam adducit ex Ioanne à Sancto Thoma, quæ his clauditur, effectus exit ex concurſu paſſi, & agentis: oportet ergo, quod virtus ſit coniuncta paſſo. Ita nulla ratio concluſionis datur, inquirimus cur ad hoc vt actio exeat ab hoc agente in hoc paſſo requiratur approximatio? 13

Deinde ſubiungit rationem aliam à poſteriori videlicet, quia non eſſet vnde limitaretur ſphæra agentis. Rationem à poſteriori concluſionis prædictæ dari non negaui, ibi dixi intelligendam eſſe quæſtionem intra ſphæram agentis. 14

Quouſque alios legat, hic Author, apud quos rationem aliam inueniat, mihi credat dicenti hucuſque à priori in hac quæſtione deſignatam non eſſe, ſciat nullam non ſolum non legiſſe, ſed nec cogitaſſe nec illam reddere, valiturum eſſe, quo abſque cuiuſuis doctiſſimi iniuria de eo dicere poſtero, cum hucuſque nemo illam repererit. Animaduertatque rationes à priori, non merere quæcumque dicta, quæ nec leuis coniecturæ nomen merentur. 15

PVNCTVM II.

Quanta debeat eſſe approximatio inter agens & paſſum?

Dixi non poſſe agens agere in diſtans quin agat in propinquum, ex quo infertur ſemper in agente requiri approximationem ad paſſum, reſtat modò dicendum an hæc approximatio debeat eſſe immediata, vel mediata, & quale ſit medium ſufficiens ad illam? 1

Prima conclusio: Partes remotiores agentis ſufficienter applicantur mediis aliis partibus eiuſdem agentis proximioribus, & immediatis paſſo, in quibus nihil producunt. Quia calor in aëre vel in manu non tantum producitur à ſuperficie ignis, ſed à partibus prioribus, & poſterioribus ignis: ſed partes poſteriores, ſeu remotiores ignis non agunt in priores & paſſo proximiores eiuſdem ignis: ergo ſufficienter applicantur remotiores & mediis propinquioribus. Maior probatur: ſi ignis tantùm ageret ſecundum extimam ſuperficiem paſſo immediatam, non intenſior calor produceretur ab ingenti igne, imò neque à pluribus ignibus coniunctis, quàm ab indiuiſibili ſuperficie, ſed oppoſitum ſuadet experientia: ergo calor procedit à parti 2

Digitized by Google

à partibus prioribus & poſterioribus agentis. Minor non indiget probatione, cum enim omnes partes ignis ſint eiuſdem rationis, non poteſt vna agere in aliam. Ratio à priori eſt, quia partes priores, & poſteriores indiuiſibiliter concurrunt per eandem actionem per modum vnius principij, & ita ſufficit omnes ſimul ſumptas per modum vnius agentis eſſe paſſo approximatas.

3 SECVNDA CONCLVSIO: Agens poteſt per ſe ipſum immediatè agere in partes diſtantiores aëris ſi adiuuetur effectu eiuſdem rationis in medio producto. Concluſionem hanc multis experientiis probat Arriaga, quæ facilè poſſunt impugnari: ex his, quæ referuntur pro hac concluſione, efficaciorem adduco. Quando lux ingreditur per feneſtram partes collaterales aëris minorem recipiunt lucem, quam illæ, quæ directè ſolem reſpiciunt: ergo Sol producit lucem in partibus aëris, quas linea recta reſpicit, aliàs lux æquè intenſa produceretur in partibus aëris directè ſoli oppoſitis, & in aliis collateralibus, quia lux exiſtens in medio aëre æquè verſus omnem partem lucem produceret, ſi ipſa ſola, & non ſole adiuta aliquas partes aëris illuminaret. Ratio à priori huius concluſionis ex præcedenti facilè deſumitur, effectus productus in medio habet virtutem ad producendum alium eiuſdem rationis vt ſupponimus, præcipuum agens habet ſimilem virtutem, ſiquidem produxit hunc effectum eiuſdem rationis eum producendo: ergo effectus productus, & agens, quod illum produxit poſſunt per modum vnius principij totalis influere in effectum productum in parte alia paſſi, quæ ſemper erit immediata principio adæquato compoſito ex primo agente præcipuo, & ex effectu ab hoc producto concurrentibus per modum vnius principij totalis, atque adæquati.

4 TERTIA CONCLVSIO: Vt agens producat effectum in partibus remotioribus paſſi ſufficit produxiſſe in proximioribus effectum eiuſdem rationis, etiamſi non adiuuetur effectus in proximioribus producto ad alium ſimilem in diſtantioribus producendum. Exempli gratiâ: etiamſi lux non eſſet productiua aliùs lucis, Sol poſſet poſtquam in partibus proximioribus paſſi lucem produxit illa non adiutus lucem in remotioribus producere. Probo hanc concluſionem, nulla eſt ratio à priori neque à poſteriori, quæ ſuadeat agens indigere auxilio partium propinquarum paſſi ad agendum in remotiores: ergo dicendum eſt poſſe agere in partes remotiores paſſi proximioribus non adiutum. Secundò: partes remotiores agentis ſufficienter approximantur paſſo mediis propinquioribus, etiamſi hæ nihil patiantur; ergo partes remotiores paſſi ſufficienter erũt approximatæ agẽti mediis aliis proximioribus eiuſdem paſſi, etiamſi hæ nihil agant. Vltimò efficacius: Quando producitur fœtus in opinione omnium aſſerentium produci à ſubſtantia creata partes formæ ſubſtantialis, partes paſſi non ſunt omnes applicatæ immediatè per ſe principio producenti, neque partes formæ productæ in partibus ſubiecti immediatè applicatis conducunt ad producendas alias compartes in partibus ſubiecti remotioribus, quia forma ſubſtantialis, quæ tantùm quantitatem requirit vt ſit, eamdem requirit ad operandum, & non poteſt intelligi in minori alia apta vt operetur: ergo agens tantùm applicatur ad producendam partem formæ in partibus ſubiecti remotioribus media productione in proximioribus aliarum partium eiuſdem formæ, quæ in productionem aliarum actiuè non influunt: ergo agens poteſt agere in partes remotiores ſubiecti etiamſi effectu eiuſdem rationis in propinquiori producto non adiuuetur ad operandum.

5 QVARTA CONCLVSIO: Agens non poteſt producere in paſſo diſtanti effectum diuerſæ rationis ab illo, quem produxit in propinquo, ſi non adiuuetur effectus in propinquiori producto ad producendum effectum in remotiori. Probo hanc concluſionem: Sol producit calorem in pariete, manus enim applicata parieti caleſit, & aërem incluſum in cubiculo calidum experimur, ſi illius parietes ſoli obiiciantur, quantumuis illius feneſtræ clauſæ ſint, nihilominus non poteſt in eodem cubiculo feneſtris clauſis lucem producere: ergo non ſufficit produxiſſe effectum in ſubiecto propinquo ad alium diuerſæ rationis producendum in paſſo diſtanti, quãdo effectus in propinquo productus ad productionem effectus in ſubiecto diſtanti non conducit. Addo contra P. Hurtadum non ſufficere effectum productum in paſſo propinquo eſſe formam diſpoſitiuam, ad producendum in paſſo diſtanti, vt medio illo applicetur virtus agentis, quia effectus productus in medio etſi ex natura ſua diſpoſitio eſſe poſſet ad effectum producendum in paſſo diſtanti, de facto exiſtit in ſubiecto diſtincto ab illo, in quo effectus eſt producendus, & nulla forma exiſtens in hac parte ſubiecti, ſeu in hoc ſubiecto poteſt diſponere ad effectum producendum in alia parte ſubiecti; ſeu in alio ſubiecto adæquato, v.g. calor receptus in hac parte aëris non poteſt diſponere ad formam producendam, in materia aliùs partis aëris, ſeu in materia terræ, etiamſi forma producenda calorem exigat tanquam propriam diſpoſitionem: calor enim in aëre receptus perinde ſe habet, ac ſi non eſſet in ordine ad diſponendam materiam ligni ad formam ignis recipiendam: ergo calorem eſſe diſpoſitionem ad formam ignis nihil conducit, vt medio calore recepto in aere poſſit virtus ſolis ſufficienter applicari ad producendam formam ignis in ſubiecto, cui medio aëre localiter applicatur.

Ex his inferes iuxta noſtram ſententiam negantem accidentibus virtutem actiuam adhuc inadæquatam ad ſubſtantiam producendam, ſolem non poſſe actiuè concurrere ad metalla in viſceribus terræ producenda, quia non producit in medio effectum eiuſdem rationis, & effectus aliàs diuerſæ rationis, accidentia videlicet in aere producta non poſſunt actiuè concurrere adhuc inadæquatè ad formas ſubſtantias metallorum producendas, ac proinde media productione illorum non ſufficienter applicatur virtus actiua ſolis ad producenda metalla in ſubiectis diſtantioribus. In opinione verò, quæ virtutem actiuam, ſaltem inadæquatam reſpectu ſubſtantiæ tribuit accidentibus, dici poteſt ſolem adiutum calore, aliiſue qualitatibus in medio productis poſſe actiuè in formas metallorum influere. Neque inconueniens eſt in noſtra ſententia virtutem hanc ſoli, & aliis corporibus cœleſtibus negare, quia illam poſſumus aliis naturalibus cauſis, videlicet elementis tribuere, & aſſerere aurum, & alia metalla conuentu elementorum actiuè produci inadæquatè à quocumque elemento, & adæquatè ab omnibus ſimul ſumptis. Deinde neceſſariò recurrendum eſt ad Deum, vt aliquas viuentium formas producat, quæ non poſſunt principiis non viuentibus tribui, eademque ratione poſſumus pro aliarum formarum ſubſtantialium productione recurrere. 6

PVNCTVM III.

An agens poſſit de potentia abſoluta agere in diſtans, quin agat in propinquum?

AFfirmatiuam partem ſatis innui puncto I. quam ex ibi dictis breuiter hic propugnabo. P. Molina 1.p.q.8. art.1. diſp.2. P. Rub. lib.7. Phyſic. q.2. cap.2. & alij plurimi aſſerunt neque diuina intercedente potentia poſſe agens agere in diſtans, quin agat in propinquum. Eminentiſſimus admodumque venerandus N. Card. Berlarm lib de Sacrament. in genere cap.2. PP. Conimb. lib.7. cap.2. q.2. Pater Soar 3. part. quæſt. 18. diſp.3. ſect.2. quibus ego libenter ſubſcribo affirmant diuina intercedente potentia poſſe agens agere in diſtans, etiamſi nihil in propinquum agat. 1

Sententiam, quam defendendã ſuſcepi ſic probo. Agens ex eo quod ageret in diſtans, & non in propinquum nihil produceret neque quoad ſubſtantiam effectus, neque quoad modum aliquem tenentem ſe ex parte termini producti diſtinctum ab illo, quod produceret quando ageret ſimul in propinquum: ergo nihil produceret, quod ſit ſupra virtutem, & potentiam intrinſecam agentis. Conſequentia eſt per ſe nota, antecedens efficaciter probo: Inuariato quoad ſubſtantiam, & quoad modum effectu producto in paſſo diſtanti, quando agens agit ſimul in propinquum, & in diſtans, ex eo præciſè, quod intelligatur negatio effectus, & actionis in paſſo propinquo agens aget in paſſum diſtans, quin agat in propinquum: ergo ex eo quod agens agat in paſſum diſtans, quin agat in propinquum ex parte termini producti neque quoad ſubſtantiam, neque quoad modum aliquid eſt diſtinctum ab illo, quod eſſet, ſi agens ageret ſimul in propinquum, & in diſtans. Hoc ſtabilito argumentor ſic: effectus producendus in paſſo diſtanti nullo alio in propinquo producto non eſt quoad ſubſtantiam, neque quoad modum tenentem ſe ex parte termini formaliter producti ſupra virtutem agentis; quod 2

poteſt illum producere, quando producit affectum in paſſo propinquo: ergo poteſt Deus determinare virtutẽ agentis ad talem effectum producendum, etiamſi ratione diſtantiæ ſeu ex defectu conditionis non exigeret talem actionem. Probo conſequentiam: in eleuatione huius agentis Deus non conſtitueret virtutem agentis producentem effectum aliquem, quem ex ſe non poſſet producere, imò neque ſuppleret aliquam inadæquatam virtutem, quam Deus in aliis cauſis paſſim ſupplet, ſed tantùm conditionem quamdam requiſitam ad agendum: ergo poterit illam ſupplere, & talem eleuationem præſtare. Confirmatur approximatio requiſita ex parte virtutis ad agendum non phyſicè influit in effectum, ſed tantùm eſt id, quo poſito agens neceſſarium aliàs potens determinatur ad agendum: ergo deficiente approximatione inter agens, & paſſum nihil virtutis deficit ad effectum producendum, ſed tantùm conditio determinans ad agendum, ſed Deus poteſt virtutem agentis ad actionem determinare, etiamſi non ex ſe, neque ratione aliſis circunſtantiæ determinata ſit: ergo Deus poteſt ſupplere approximationem ad actionem requiſitam. Vrgeo: approximatio requiritur vt virtus ex ſe potens producere effectum ex vi approximationis, & aliarum circunſtantiarum: exigat Deum concurrere in actu ſecundo ad effectum producendum, & vt Deus determinetur ad concurrendum in actu ſecundo cum cauſa creata: ſed poteſt cauſa creata concurſum non exigente, neque ab illa determinatus, ex vi alicuius exigentiæ, à ſe determinari ad illum concurſum præſtandum, quia quidquid Deus poteſt facere ad exigentiam cauſarum poteſt facere pro ſua libertate: ergo poteſt Deus concurrere cum cauſa ſecunda ex ſe potente, etiamſi cauſa ſecunda hic, & nunc concurſum non exigat: ergo ſecluſa approximatione, ratione cuius cauſa ſecunda exigat concurſum poterit Deus cum illa concurrere ad producendum effectum in paſſo non approximato. Probat hæc ratio, agens poſſe agere in diſtans, quin agat in propinquum, non ſolum intra ſuam actiuitatis ſphæram, ſed etiam in quacumque alia diſtantia.

3 Obiicies: Agens non poteſt agere in tempore, in quo non eſt: ergo neque in loco in quo non eſt. Concedo antecedens, nego conſequentiam, & diſparitatem reddo. Agens, quod non habet exiſtentiam in hoc tempore non habet exiſtentiam in alio, ſed illam habuit, vel habebit in tempore, quod non eſt, ſed fuit, vel erit, cùm verò agens requirat exiſtentiam actualem ad operandum requirit durationem tempore, quo operatur, hæc eſt enim legitima conſequentia: agens non habet exiſtentiam in hoc tempore: ergo abſolutè non habet exiſtentiam: hæc autem mala: agens non habet exiſtentiam in hoc loco: ergo abſolutè non habet exiſtentiam, quia poteſt illam habere in alio loco huic coëxiſtente, ac proinde non ex eo quod agens requirat exiſtentiam ad operandum requirit præſentiam in eodem ſpatio in quo eſt paſſum vel effectus, requirit tamen durationem in eodem tempore, in quo effectus eſt producendus, ſine qua exiſtentia ſubſiſtere non poteſt. Inſtabis, ſicuti agens poteſt exiſtere in alio loco ita poteſt exiſtere in alio tempore diſtincto ab illo, in quo producitur, & exiſtit effectus. Nego illud *ſicut*, quia exiſtere in alio loco eſt abſolutè exiſtere, & æquè exiſtit, quod exiſtit in hoc loco, & in alio; exiſtere autem in alio tempore non eſt exiſtere, ſed extitiſſe, ſeu extiturum eſſe, vt latius expendebam Controu. 16. punct. 1

4 Obiicies ſecundò. Ad operandum hic requiritur præſentia hic: ergo agens non poteſt operari in hoc ſpatio, quin ſit in hoc ſpatio. Magna latet æquiuocatio in termino *hic*, qui vix repetitus poteſt ſumi ſemper ex parte eiuſdem termini, vel poteſt modo ex parte huius, modo ex parte illius. Si ſemper ſumatur ex parte eiuſdem termini hunc ſenſum præſtare poterit vt agens exiſtens hic, producat effectum debet exiſtere hic, & tunc vera erit propoſitio, ex qua tantum licebit inferri: ergo vt agens exiſtens in hoc loco producat effectum debet exiſtere in hoc loco. Secundò poteſt ex parte termini ſumi terminus *hic*, & tunc propoſitio hunc reddet ſenſum, vt agens producat effectum exiſtentem hic, debet effectus exiſtere hic, & tunc ſimiliter vera erit propoſitio, ex qua tantùm poterit inferri: ergo non poterit produci effectus non exiſtens in hoc loco. Si terminus ſumatur modo ex parte huius termini, modo ex parte illius faciet hunc ſenſum: ad hoc vt operetur agens exiſtens hic requiritur effectus præſens hic, in quo ſenſu neganda eſt propoſitio, quia agens exiſtens in hoc loco producit effectum exiſtentem in alio loco diſtincto, quod neceſſariò contingit omni agenti, quod in extraneo ſubiecto, cum quo nequit penetrari, effectum producit.

5 Obiicies tertiò. Agens non poteſt agere naturaliter in paſſum diſtans, neque extra ſuam ſphæram: ergo neque ſupernaturaliter: quia nulla cauſa poteſt eleuari ad id, quod eſt ſupra ſuam virtutem intrinſecam, vt patet in quacumque potentia vitali, quæ non poteſt eleuari à Deo vt verſetur extra ſuum obiectum. Reſpondeo diſtinguendo primum antecedens: agens non poteſt agere naturaliter in paſſum diſtans neque extra ſuam ſphæram ex defectu virtutis, nego antecedens: ex defectu conditionis, concedo antecedens: Deinde nego conſequentiam. Ad illud, quod dicitur de potentia non potente verſari extra ſuum obiectum reſpondeo: id prouenire non ex defectu conditionis requiſitæ ex parte virtutis, ſed ex defectu eiuſdem virtutis adhuc inchoatæ, ſeu inadæquatæ, qui defectus à Deo ſuppleri nequit in ipſa virtute, quia entitas intrinſecè impotens, non poteſt fieri intrinſecè potens, defectus autem agentis ad agendum in paſſum diſtans, & intra ſuam loci ſphæram tantùm eſt defectus cuiuſdam conditionis, quam Deus poteſt ſupplere.

6 Obiicies quartò. Hæc actio hic, & nunc dependet ab approximatione non media alia cauſalitate: ergo per ſemetipſam: ergo non poteſt non dependere ab approximatione, quia quidquid conuenit actioni per ſuammet entitatem, neque diuinitus poteſt ab illa ſeparari. Neque ſatisfit dicendo dependere ab approximatione non tanquam à virtute, ſed tanquam à conditione, redit enim iterum idem argumentum: actio hæc dependet ab approximatione tanquam à conditione per ſuammet intrinſecam entitatem: ergo non poteſt non dependere ab illa tanquam à conditione, quidquid enim per ſuammet entitatem alicui conuenit, eo modo, quo conuenit non poteſt ab illo ſeparari. Reſpondeo actionem hic & nunc dependentem ab hac approximatione non dependere ab illa adæquatè intrinſecè per ſuammet entitatem, aliàs neque de potentia Dei abſoluta poſſet hæc actio non dependere ab hac numero approximatione agentis, & paſſi quod in omnium opinione falſum eſt, ſed dependere per coëxiſtentiam actionis cum approximatione, & per decretum Dei, quo ex præuiſione approximationis, ſeu cauſæ approximatæ exigentis concurſum ex vi talis exigentiæ ſe determinauit ad concurrendum hic, & nunc. Quapropter ſi in inſtanti, in quo ſunt approximata agens, & paſſum Deus decerneret concurrere cum agenti ad producendum effectum in paſſo independenter ab illa approximatione, ita vt illa ſecluſa ex vi eiuſdem decreti eundem concurſum præſtaret agenti, quod illum non exigeret ex defectu applicationis, influxus, ſeu actio illa nullo modo ab approximatione dependeret, quia actio eatenus dependet ab approximatione, quatenus hæc moraliter Deum determinat ad illam præſtandam, qua morali determinatione ſecluſa nulla ſupereſt dependentia actionis ab approximatione. Solet obiici hic actionem eſſe modum agentis, ac proinde non poſſe ab illo ſeparari; ſed hoc latè puncto 1. Vbi probaui ex hoc capite neque naturaliter repugnare agens agere in diſtans nihil operando in paſſo propinquo.

PVNCTVM IV.

An approximatio cauſarum requiratur ex parte actus primi, ſeu ſit prior natura reſpectu operationis.

1 DIximus approximationem agentis ad paſſum requiri vt cauſa effectum producat: Eſt modo diſputatio quomodo hæc approximatio requiritur. Communis hucvſque ſententia docuit approximationem ſe tenere ex parte actus primi ad effectum producendum, neque de hoc ſpecialem diſputationem inſtituere Doctores. P. Arriaga modo quæſtionem hanc acutè mouit, in qua plus quam par eſſet ſuæ rationi tribuit forſan, quia nondum Lydio lapidi alienæ mentis examinandam propoſuerat.

2 Fundamentum communis ſententiæ breuiter, fideliterque ita refert Arriaga: Ignis non poteſt calefacere lignum niſi illi ſit approximatus: ergo approximatio eſt conditio ad

Digitized by Google

ad calefactionem : ergo eſt prior natura. Contra hunc diſcurſum ſic arguit Arriaga diſputatione 7. ſectione 6. ſubſect. 4. ſicuti ignis non poteſt calefacere lignum niſi illi ſit approximatus, ita animal non poteſt mouere corpus diſtans, niſi aliquid producat in medio, eadem enim eſt vtriuſque ratio vt experientia demonſtrat, ſed animal vt moueat corpus nõ requirit approximationem pro priori naturæ : ergo neque ignis vt calefaciat lignum. Maiorem & conſequentiam putat Arriaga euidentes eſſe, minorem probat: animal per motum producit præſentiam, quam habet mobile in inſtanti, in quo mouetur : ergo præſentia illa non eſt prior motu : ergo neque approximatio, hæc enim formaliter includit præſentiam agentis, & paſſi. Dicet quiſque rationem eſſe diuerſam, quia per motum localem producitur præſentia, in qua ſita eſt approximatio, & ita ad motum localem hæc ſupponi nequit : per motum verò calefactionis non producitur præſentia, neque mobile approximatum conſtituitur, & ita deberi aliunde ad motum hunc ſupponi ſubiectum approximatum. Sed contra hanc differentiam ſic arguit Arriaga, etiamſi per motum producatur præſentia, non poſſum ego mouete corpus exiſtens Romæ: ergo vt moueam corpus requiritur indiſtantia inter me, & corpus : ergo ſicuti hæc ſaluatur, etiamſi approximatio poſitiua non ſe teneat ex parte actus primi, ſic indiſtantia requiſita ad calefactionem ſaluari poterit etiamſi approximatio poſitiua ex parte actus primi non ſupponatur. Similiter arguit, & ſolutionem aliam præoccupat : ſi dicatur ad motum localem ſufficere ſupponi approximationem negatiuam, & poſitiuam non requiri, cur dici non poterit eamdem approximationem negatiuam ſufficere ad motum calefactionis, & non requiri aliam poſitiuam? Ex hoc fundamento concludit Arriaga ad operandum in paſſo requiri approximationem poſitiuam in inſtanti temporis, in quo eſt operatio, hanc tamen non requiri pro priori naturæ ante operationem, quod putat euidenter inferri ex fundamentis ob ipſo adductis, quidquid autem roboris habẽt iam retuli, alia enim, quæ adducit & poſtea referam, ad ſupra relatum reduci debent, vel nullius ſunt momenti. Multa inuoluuntur in hac re, quæ magna indigent diſtinctione quarum confuſio ſententiæ Arriagæ vim dedit, illa aliquibus concluſionibus diſſoluam, quibus rei obſcuræ nimis nonnihil lucis dabo.

3 Prima conclusio : Nulla entitas indiget præſentia ex parte actus primi vi propriam præſentiam in genere cauſæ efficientis efficiat, neque vt illam patiatur in in genere cauſæ materialis. Ratio eſt per ſe nota : ex vi talis actionis, ſeu paſſionis conſtituitur præſens principium, à quo procedit : ergo non poteſt ſupponi præſens. probo conſequentiam. Principium illud non poteſt ſupponi præſens per præſentiam ad quam terminatur talis actio, ſeu paſſio, quia implicat ſupponi præſentiam pro priori naturæ ad cauſalitatem, ex vi cuius producitur. Neque poteſt ſupponi præſens per aliam præſentiam, quia in inſtanti temporis, in quo eſt actio, ſeu paſſio terminata ad præſentiam huius ſubiecti, non poteſt ſubiectum habere aliam præſentiam, alias in eodem inſtanti temporis haberet duplicem præſentiam, quandam, quæ ſupponeretur ad motum, aliam, quæ ex vi motus produceretnr: ergo principium paſſiuum, aut actiunm propriæ præſentiæ non poteſt ſupponi præſens in priori naturæ ad actionem, ſeu paſſionem terminatam ad propriam præſentiam. Conuenio in hac concluſione cum Arriaga, quam fundamenta ab ipſo adducta efficaciſſimè conuincunt.

4 Secunda conclusio : Omne agens requirit ex parte actus primi propriam præſentiam, vt producat præſentiam in ſubiecto à ſe diſtincto, quod ſic probo : Præſentia principij producentis alienam præſentiam requiritur ſaltem in inſtanti temporis, in quo talem præſentiam producit : ergo requiritur tanquam quid conſequens illam actionem vel tanquam quid illam præcedens, non tanquam quid conſequens, quia ex vi illius actionis neque termini, quem ipſa actio reſpicit, principium non conſtituitur præſens: ergo requiritur tanquam quid præcedens ipſam actionem: ergo requiritur ex parte actus primi, quidquid enim requiritur ad actionem tanquam quid illam præcedens, requiritur ex parte actus primi, & ad illam in priori naturæ ſupponitur.

5 Dicere poſſes præſentiam agentis non requiri neque antecedenter, neque conſequenter, ſed tantùm comitanter. Contrà : requiri aliquid comitanter ad actionem eſt non requiri propriè & per ſe, ſed eſſe identificatum ſeu connexum cum aliquo, quod per ſe requiritur, à quo ſi poſſet ſeparari nullo modo requireretur, & æquè bene ſine illo fieret actio, quidquid enim per ſe requiritur, vel prærequiritur vt ſit actio, vel ex vi illius tanquam quid poſterius formaliter infertur, ſed præſentia agentis non requiritur ad præſentiam ſubiecti extranei producendam, tanquam quid identificatum ſeu connexum cum alio, quod per ſe requiratur, quo poſito ſine præſentia agentis extranea produceretur : ergo non requiritur comitanter : ergo antecedenter, vel conſequenter. Maior eſt omnino certa, neque alia ratione explicari poteſt quid ſit comitanter requiri. Minotem probo: ſi præſentia propria ad alienam producendam comitanter requireretur, tantùm eſſet requiſita tanquam quid conſequens, ſeu connexum cum ſubſtantia agentis alienam præſentiam producturi, quod eandem produceret eodem modo, ſi in inſtanti temporis ſubſiſteret ſine propria, ſed non requiritur hac ratione propria præſentia ad alienam producendam, alias ſi hoc agens exiſteret ſine illa omni præſentia nudum poſſet in ſubiecto extraneo præſentiam producere, & mouere corpus in quocumque loco exiſtens, quod eſt pluſquam falſum : ergo præſentia propria agentis per ſe ipſam requiritur ad alienam præſentiam producendam, non conſequenter, vt probaui : ergo antecedenter : ergo præſentia propria ſe tenet ex parte actus primi ad præſentiam alienam producendam.

Tertia conclusio : Nullum agens poteſt producere præſentiam alienam niſi reſpondentem ſpatio immediato agenti, ex vi cuius agens, & paſſum, quod illam recipit ſint approximata. Ratio eſt, quia ad producendum quemcumque effectum etiam præſentiam in ſubiecto extraneo requiritur approximatio in illo inſtanti temporis, in quo eſt productio : ergo in illo non poteſt ſubiectum diſtare : ergo non poteſt agens producere præſentiam in paſſo, vi cuius conſtituatur diſtans in illo inſtanti, in quo patitur ab agenti & neceſſariò debet eſſe illi approximatum. Secundo nullum agens poteſt agere in paſſum diſtans, quin agat in propinquum, ſed ſi agens produceret præſentiam in ſubiecto, ex vi cuius conſtitueretur diſtans ſecundum ſe totum ageret in paſſum, quod diſtaret in eodem inſtanti temporis, in quo pateretur ab agenti: ergo ageret in paſſum diſtans nihil agendo in propinquum, quia ſi ſecundum ſe totum diſtaret paſſum quod pateretur ab agente, medium interiacens propinquius agenti nihil ab iſto reciperet. 6

Ex hoc inferes nullum viuens poſſe immediatè & per ſe ſine impreſſione impulſus corpus aliud mouere niſi ſimul cum illo moueatur. Ratio eſt quia ſi paſſum moueretur à viuenti immoto ſequeretur viuens producere præſentiam mobilis in paſſo diſtanti, quia ante motum paſſum non erat penetratum, ſed tantùm immediatè approximatum : ergo ſi agens permanens in eodem loco paſſum contiguum in alio conſtitueret, illud à ſe remoueret, & produceret præſentiam diſtantem ab ſpatio, quod occupabat, quod fieri non poſſe probaui. Repuiritur ergo vt viuens moueat aliud corpus prius natura viuens moueri, & acquirere præſentiam in ſpatio, à quo aliud corpus mouetur, quæ noua viuentis præſentia ſimul cum illo ſe tenet ex parte actus primi ad motum, quem viuens in alio corpore producit. Ex eadem concluſione potiori ratione infertur mobile in hoc inſtanti recipiens impulſum ab hoc agenti, non poſſe ex vi eiuſdem impulſus in eodem inſtanti moueri, quod ſic probo. Si paſſum in hoc inſtanti ex vi impulſus moueretur, ſepararetur ab agenti, & conſtitueretur diſtans ab illo : ergo in inſtanti, in quo recipit impulſum ab agenti eſt diſtans ab illo : ergo agens agit in diſtans, & non in propinquum, eo enim ipſo quod ſeparetur totum corpus, quod recipit impulſum, aliud quod eſt interiacens impulſum non recipit, ac proinde agens in paſſo diſtanti, & non in propinquo impulſum produxit. 7

Obiicit Arriaga : impulſus productus eandem virtutem habet mouendi corpus in primo inſtanti, in quo producitur, & in vlterioribus : ergo illud mouebit in primo inſtanti aut in nullo alio. Neſcio an conſequenter dicat Arriagà corpus recipiens impulſum mouendum eſſe in illo inſtanti, in quo illum recipit, ex quo intendit probare non requiri approximationem ex parte actus primi, quia in 8

ſua ſententia etiamſi approximatio non requiratur in priori naturæ, ad motum alterationis requiritur in illo inſtanti temporis, in quo fit motus, ſed ſi mobile moueretur in inſtanti, in quo recipit impulſum, & diſtaret in inſtanti temporis in quo illum patitur ab agente: ergo non ſolum ſupponeretur approximatio pro priori naturæ, ſed neque daretur pro inſtanti temporis, in quo eſt motus alterationis cuius oppoſitum defendit Arriaga cum communi ſententia, ne concedat agens agere in paſſum diſtans, & non in propinquum. Ad argumentum reſpondeo impulſum eandem virtutem habere mouendi corpus in primo inſtanti, & in ſecundo, illud tamen moueri in ſecundo, & non in primo quia in primo inſtanti impulſus ſupponit approximationem paſſi cum agente, quam in illo inſtanti non poteſt deſtruere, quia nihil poteſt corrumpi in illo inſtanti, in quo ſupponitur, in ſecundo verò inſtanti non ſupponere impulſum ad ſui conſeruationem hanc approximationem, quia poteſt conſeruari à Deo, & ita poſſe illam deſtruere, & corpus mouere.

9 Qvarta conclvsio: Vt viuens immediatè, & per ſe moueat localiter corpus illud, non ſupponitur approximatio ex parte actus primi inter agens, & paſſum. Ratio eſt manifeſta: approximatio dicit præſentiam vtriuſque extremi approximati, agentis videlicet, & paſſi: ergo non poteſt ſupponi approximatio, quin ſupponatur vtraque præſentia, ſed præſentia mobilis non poteſt ſupponi ad receptionem ipſius præſentiæ, vt probaui concluſ. 1. ergo non poteſt ſupponi illius approximatio cum principio: requiritur ergo tantùm ex parte actus primi vt viuens localiter moueat corpus aliud, præſentia, ex parte principij mouentis, non verò ex parte mobilis, & conſequenter non requiritur ex parte actus primi, ſeu in priori naturæ ad ipſum motum approximatio inter mouens, & mobile, ſed tantùm hæc requiritur in inſtanti temporis, & conſequenter ad motum, ex vi cuius mobile tantùm poteſt conſtitui in ſpatio agenti immediato, vt dicebam concluſione tertia.

10 Qvinta conclvsio: Ex parte actus primi debet ſupponi approximatio inter agens & paſſum, ad quemcumque effectum diſtinctum à præſentia producendum. Probo hanc concluſionem. In omnium ſententia in inſtanti temporis, in quo agens agit in paſſum, requiritur approximatio poſitiua: ergo vel requiritur comitanter ad principium prærequiſitum ad motum, vel conſequenter vel antecedenter: non poteſt requiri conſequenter, ad motum non terminatum ad præſentiam, quia ex vi huius non ſequitur præſentia & conſequenter neque approximatio, quæ non alio modo producitur, quàm per productionem præſentiæ; non requiritur tantùm concomitanter, quia ſi ita requireretur, permanente virtute productiua, motus alterationis cum reliquis omnibus, & ſecluſa præſentia fieret motus, quia ex defectu præcisè illius, quod requiritur concomitanter, ſi hoc non eſt identificatum cum illo quod per ſe requiritur, non poteſt deficere motus: ergo alio modo requiritur: ergo antecedenter. Si dicas requiri tantùm concomitanter, & concedas reliquis permanentibus, ſecluſa præcisè approximatione, illo inſtanti temporis motum alterationis eodem modo præſtandum eſſe infertur neceſſariò ablata præcisè approximatione inter agens, & paſſum, præcisè per detractionem vtriuſque præſentiæ agens poſſe agere in paſſum, & conſequenter quòd ſi res omnes præſentiâ expoliarentur, poſſet hic ignis agere in omnia ſubiecta creata, quia nihil deficeret prærequiſitum antecedenter, aut conſequenter, ſed tantùm comitanter, ſine quo dummodo non deficiat illud, quod comitatur, & ratione cuius comitanter requiritur, æque benè fit actio, hoc autem admitti abſurdum eſt: quis enim concipiet ex eo præcisè quod careant approximatione, poſitiua præſentia, aliqua, ſeu omnia entia creata eſſe apta vt inter ſe agant, & reagant, & poſſe hunc ignem in quodcumque aliud ſubiectum creatum agere. Ratione etiam probatur à poſteriori, non poſſe dici, poſſe agens nudum omni præſentia agere in paſſum eadem abſolutum. Si poſſet eſſe influxus inter agens & paſſum non approximata, ſequeretur poſſe eſſe eundem influxum, etiamſi poſitiuè diſtarent, & nullam haberent approximationem. Conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Sequelam probo. Diſtantia ſecundùm ſe formaliter ſumpta non impedit influxum, ſed quatenus impedit approximationem poſitiuam: ergo ſi approximatio poſitiua neceſſaria non eſt, diſtantia nihil oberit. Conſequentia eſt neceſſaria: antecedens probo. Si paſſum duplicem præſentiam haberet, & ex vi vnius eſſet approximatum agenti, & ex vi alius ab eodem diſtaret, poſſet pati ab agente: ergo diſtantia dum non impedit approximationem inter agens, & paſſum, per ſeipſam non impedit actionem: ergo ſi approximatio poſitiua per ſe neceſſaria non eſt, etiamſi illam impediat, nihil impediret, requiſitum ad influxum; aliàs per ſeipſam formaliter influxum non impedit, vt modò probaui: ergo ſi poſitiua approximatio non requiritur inter agens, & paſſum, poterit paſſum pati ab agenti diſtanti, & non approximato: Conſequens eſt contra omnem experientiam: ergo antecedens falſum.

Sexta conclvsio: Vt agens recipiat aliquem effectum à Deo productum, vel à ſeipſo per actionem immanentem productum, non debet ſupponi præſentia ex parte paſſi, neque ad talem paſſionem ſupponitur concomitanter, tanquam quid neceſſariò ortum à ſubiecto, quo ablato, & ſubiecto permanente, eodem modo paſſio illa ſubſiſteret. 11 Hæc concluſio neceſſariò tenenda eſt, iuxta dict. Controuerſiam 15. puncto 7. vbi tradidi poſſe entitatem aliquam omni præſenti abſolui. Pono, verbi gratia, quum omni præſentia diſtitutum, tunc Deus conſeruaret formam equi dependenter à materia, & reliqua alia accidentia, ſiue educta ex quantitate, ſiue ex materia prima equi, ſiue ex toto compoſito, abſque aliqua præſentia ex parte ſubiecti: ergo ad hoc vt ſubiectum formam aliquam ſubſtantialem, ſiue accidentalem patiatur, à Deo non prærequiritur præſentia ex parte ſubiecti, ſed æquè bene poterit effectum conſeruari dependenter à ſubiecto, ſiue hoc præſentiam habeat, ſiue illa careat. Quòd ſi poteſt forma conſeruari à Deo in ſubiecto carente præſentia, eodem modo poſſet produci ab eodem agenti: conſeruatio enim, & prima productio reſpectu eorumdem principiorum intrinſecè in nullo differunt. Idem dicendum eſſe de effectu ab eodem ſubiecto immanenter producto, eadem ratione probatur. Si Deus conſeruaret equum abſque omni præſentia, illum naturaliter conſeruaret cum eiſdem paſſionibus, quæ naturaliter illum comitantur, ea ratione, qua illi naturaliter conueniunt, Sed equo naturaliter conueniunt paſſiones productæ, & conſeruatæ ab eadem ſubſtantia equi: ergo tunc conſeruaretur cum eiſdem paſſionibus conſeruatis ex vi eiuſdem actionis, quâ modò conſeruantur procedentis ab equo: ergo equus ſine præſentia naturaliter conſeruaret ſuas paſſiones, neque ablata præſentia naturaliter deficerent paſſiones, & proprietates, quæ naturaliter eſſentiam comitantur, neque actiones, ex vi quarum producuntur, quia quælibet eſſentia per ſimplicem emanationem dependenter ab omni alio eſt productiua ſuarum paſſionum. Ratio à priori vtriuſque partis concluſionis facilis eſt. Præſentia requiritur vt approximentur agens, & paſſum: ſed independenter à quacumque præſentia ſupperaddita per ſuammet entitatem quodcumque paſſum eſt approximatum Deo, vt probaui Controuerſia 15. puncto 8. ergo non requiritur præſentia vt paſſum approximetur Deo: ergo neque vt patiatur aliquem effectum ab illo, quia eo ipſo quòd Deus ſit approximatus, poteſt agere in paſſum: ſed per ſeipſum eſt approximatus: ergo ſecluſa præſentia paſſi poterit Deus naturaliter agere in paſſum. Idem dico de agente in ſe ipſum per actionem immanentem: nulla entitas indiget præſentia ſuperaddita, vt ſit ſibimetipſi approximata, quia entitas per ſe ipſam eſt ſibi ſummè præſens: ergo non indiget præſentia ad agendum in ſe ipſam, quia præſentia tantùm requiritur ad approximationem inter principium actiuum, & paſſiuum, quæ ſi ſubſiſtat ſine præſentia, nullo modo præſentia neceſſaria erit.

12 Eamdem doctrinam confirmat conſeruatio impulſus in inſtanti, in quo ex vi illius corpus mouetur: in illo enim impulſus eſt prior præſentia mobilis: ergo non poteſt eſſe poſterior illa: ergo receptio impulſus in inſtanti conſeruationis nullam ſupponit præſentiam ex parte paſſi. Ex hoc infero impulſum in inſtanti, in quo ex vi illius mouetur corpus, tantùm poſſe dependere efficienter à Deo, qui independenter à præſentia paſſi eſt illi approximatus, non verò ab alia cauſa creata diſtincta à mobili, quia requirit ex parte actus primi ad operandum approximationem cõſtitutam in præſentiis ſuperadditis agentis, & paſſi, & hæc ſupponi non poteſt ad productionem impulſus in inſtanti, in quo ex vi impulſus mouetur corpus, quia præſentia

quam

Digitized by Google

quam in illo habet corpus mobile eſt poſterior impulſu, & ab illo producta.

13 Ex tota doctrina tradita clarè conſtat non rectè inuliſſe Arriagam, ex eo quod viuens non indigeat approximatione ex parte actus primi ad mouendum localiter corpus, non illa indigere ignem ad calefaciendum lignum, quia approximatio requiſita inter viuens, & mobile in inſtanti temporis, in quo hoc mouetur ab illo localiter, eſt quid conſequens motum localem, & ita neque poteſt, neque neceſſum eſt illum antecedere: approximatio verò requiſita inter agens, & paſſum in inſtanti temporis, in quo eſt motus, non eſt quid conſequens motum, ac proinde poteſt, & neceſſum eſt illum antecedere, quia quidquid requiritur in aliquo inſtanti temporis, & non concomitanter, neque conſequenter, ſicuti approximatio reſpectu motus localis, debet neceſſariò antecedenter requiri.

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

CONTROVERSIA XIX.

De mundi inceptione.

DVo ſunt entium genera permanentium, & ſucceſſiuorum, de quibus non eadem eſt difficultas circa ipſorum inceptionem, an videlicet ab æterno eſſe potuerit. Dicam prius de permanentibus, in quibus minor eſt difficultas, & poſtea agam de ſucceſſiuis, & vltimò inquiram an ab æterno potuerint eſſe generationes.

PVNCTVM PRIMVM.

An creatura permanens potuerit eſſe ab æterno?

1 IN hac re fœdè errauit Philoſophorum Princeps, qui mundum fuiſſe ab æterno ſentiebat, vt teſtatur D. Bonauentura & plures antiqui Philoſophi ex illius diſcipuli, quos referunt Patres Conimbr. libr. 8. cap. 2. quæſt. 3. art. 1. error iſte ex inſaniſſimo delirio trahebat originem, putabat enim Deum non liberè, ſed neceſſariò operari, & ita non potuiſſe ſuam operationem cohibere, & ab æterno non produxiſſe mundum. Deo Optimo Maximo perfectiſſimam ineſſe libertatem circa omnia effecta ad extra producenda oſtendit naturæ lumen, creaturas omnes in tempore produxiſſe pluribus ſcripturæ teſtimoniis reuelatum eſt. Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, & Pſalm. 101. *Initio tu Domine terram fundaſti*, neque aliqua pro errore Philoſophi apparens poteſt adduci ratio, quam referri otioſum non eſſet. Contendendum eſt inter Catholicos an creatura aliqua ab æterno creari potuerit, quod modò de permanenti diſputo.

2 Nullam creaturam permanentem potuiſſe à Deo, produci ab æterno ſentiunt Henr. quodlib. 1. quæſt. 7. & quodlib. 9. quæſt. 19. & alij apud Patres Conimbr. infrà, quibus conſentire videtur N. Toletus 8. Phyſicor. q. 2. Oppoſitam ſententiam defendunt D. Thom. 1. part. quæſt. 46. art. 2. P. Suar. 1. Metaphyſic. diſp. 20. ſect. 6. num. 11. P. Vaſquez tom. 2. in 1. part. diſp. 177. cap. 5. P. Valent. tom. 1. diſput. 3. quæſt. 3. punct. 2. §. *Secunda aſſertio.* Patres Conimbr. 8. Phyſic. cap. 2. quæſt. 6. art. 2. Rub. tract. de æternitate mundi, q. 2. P. Hurtad. diſp. 16. ſect. 1. P. Arriaga diſp. 17. ſect. 2. ſubſect. 2. & alij plurimi apud iſtos, quibus ego ſubſcribo.

3 Probant Hurtadus, & Arriaga, aliique plurimi ſententiam hanc, ex eo quod cauſa non debeat tempore præcedere effectum, ex quo inferunt Deum ab æterno exiſtentem ab æterno poſſe creaturam aliquam producere. Cauſam non debere præcedere effectum prioritate temporis ſuadet experientia, qua videmus lucem in primo ſuæ durationis inſtanti medium illuminare, & ratio rem conuincit, quia in agentibus, quæ contrarium non habent, nullum caput reperiri poteſt, quo in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti impediantur, ne effectum producant, quem producent in ſecundo, neque ratio eſt aliqua, propter quam in hoc ſecundo, & non in illo primo operentur, cum eadem ſit virtus agenti in primo inſtanti, in quo exiſtit, & in ſecundo, in quo idemmet perſeuerat. Deinde vt virtus in hoc inſtanti ſe per actionem exerceat, requiritur illius exiſtentia in hoc inſtanti, & exiſtentia præterita per accidens ſe habet ad actionem nunc exercendam: ergo hæc virtus, à qua actu exiſtenti procedit actio, eadem modo principium erit huius actionis ſiue ante extiterit, ſiue non extiterit: ergo dum exiſtant in hoc inſtanti eodem modo operabitur, ſiue in hoc inſtanti exiſtere incipiat, ſiue extiterit. Idem dico de cauſa libera reſpectu effectus liberi futuri, qui poteſt eſſe coæuus ſuo principio, quia ad hoc vt voluntas in hoc inſtanti liberè ſe determinet: tantùm requiritur in hoc inſtanti eſſe indifferentem ad operandum, & non operandū & impertinenter ſe habet in inſtanti antecedenti indifferentiam præceſſiſſe. Quod ſi in inſtanti, in quo datur operatio ex ſuppoſitione quod detur, non poſſit non dari, neceſſitas hæc tantum eſt conſequens, quæ libertatem integram relinquit, quia in hoc inſtanti ita eſt actus liber, vt potuerit non eſſe. Hęc ratione Deus ab æterno liberè ſe determinauit ad producēdas in tempore creaturas, & omnia illius libera decreta ſunt æquè æterna cum ipſo Deo. Eodémque modo Angelus in primo ſuæ creationis inſtanti liberè potuit operari.

Cæterum etſi verum ſit cauſam non debere tempore effectum præcedere, non ex hoc capite ſoluta eſt præſens quæſtio, neque adæquata poteſt deſumi ratio ad noſtram concluſionem probandam, poſſet enim aliquis dicere creaturam ab æterno exiſtentem repugnare, non ex eo formaliter quod illam debeat præcedere cauſa, à qua producitur ſed quia ſecundùm ſe independenter à præſentia temporis quam cauſa debeat habere reſpectu effectus, repugnat effectum aliquem ab æterno exiſtere. Ex quo fit cauſam creatam exiſtentem in tempore non debere effectum tempore præcedere, debere tamen cauſam increatam exiſtentem ab æterno tempore præcedere effectum ab illa productum, non quia hæc præcedentia conducat ad cauſalitatem, ſed quia cauſa increata per ſe habet eſſe ab æterno, & effectus creatus per ſe petit eſſe in tempore, ex quo fit cauſam increatam neceſſariò habere temporis præcedentiam reſpectu effectus. Conducet tamen ratum eſſe cauſam non debere tempore præcedere effectum, ne ex hoc capite intendat aliquis probare creaturam non potuiſſe exiſtere ab æterno, quia illius cauſa debuit tempore præceſſiſſe, quod falſum eſſe tam in cauſis liberis, quàm in neceſſariis iam oſtendi. Huius concluſionis ſolida, & adæquata probatio ſumenda eſt ex ſolutionibus argumentorum, quæ fieri poſſunt contra creaturam permanentem ab æterno exiſtentem argumenta propono, & ſoluo. 4

Obijc. primò: *Creatio eſt productio rei ex nihilo*, ſed ſi effectus fieret ab æterno non fieret ex nihilo, quia non præceſſiſſet nihilum, ſeu negatio illius, ex quo fieret: ergo non 5

crearetur: ergo vt creetur debet prius tempore præcedere illius negatio: ergo non poteſt creari ab æterno, id enim quod fuit ante, aliud ab æterno eſſe non poſſe oſtendi Controu. 13. Punct. 1. Reſpondeo rem fieri ex nihilo non eſſe fieri ex negatione ſui, ſed fieri nullo præſuppoſito ſubiecto, ad quod non requiritur præceſſiſſe prius tempore negationem, nihil enim vetat ab æterno exiſtere actionem nullum ſubiectum reſpicientem.

6 Obiic. ſecundò: Si Deus ab æterno creaturam aliquam produxiſſet, non poſſet illam per æternitatem deſtruere, implicat enim aliquid ab æterno exiſtere, & non durare per æternitatem. Conſequens eſt abſurdum, quia Deus liberè in quocumque inſtanti creaturam conſeruat, & in quocumque poteſt illam corrumpere: ergo antecedens eſt falſum. Vrgetur, illa creatura non poſſet corrumpi per æternitatem: vt probatum eſt, quia per æternitatem erat neceſſariò duratura: inſuper poſſet corrumpi, quia omnis creatura ex ſe eſt corruptibilis, & poteſt in quocumque inſtanti deficere: ergo creatura illa poſſet per æternitatem corrumpi, & non poſſet corrumpi. Reſpondeo ex ſuppoſitione quod Deus creaturam ab æterno creauerit non poſſe non per æternitatem illam conſeruare, quod enim ab æterno exiſtit non poteſt ab æterno non exiſtere, ac proinde negatio illius, quod ab æterno eſt, in tempore debet incipere, quod præceſſit æternitas, in qua fuit res, cuius in tempore negatio incipit, vel quæ in tempore corrumpitur. Hoc autem nullum eſt abſurdum, neque aliquam neceſſitatem antecedentem ad decretum liberum Dei arguit in Deo conſeruandi creaturam, quia neceſſitas illa non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione quod Deus liberè voluit ab æterno creaturam illam producere, quod eſt idem formaliter, quod velle illam per æternitatem conſeruare, quia in his, quæ ab æterno producuntur, neque mente diuina poteſt ſecerni productio à conſeruatione, quia productio vt diſtincta à conſeruatione dicit primum inſtans, in quo exiſtit terminus, quod non eſt in termino ab æterno producto, quia nullum datur inſtans, quod ſit primum ſuæ durationis. Itaque tam ex parte actus, quam ex parte obiecti eſt idem decernere Deum creaturam ab æterno producere, & decernere per æternitatem conſeruare illam, & ſicuti nullus dicet eſſe contra libertatem Dei non poſſe per æternitatem creaturam corrumpere, quam decreuiſſet per æternitatem conſeruare, ita non eſt contra libertatem Dei non poſſe per æternitatem corrumpere creaturam quam decreuit per æternitatem producere, quia, vt dicebam, idem eſt decernere creaturam ab æterno producere, & decernere illam per æternitatem conſeruare. Ad confirmationem reſpondeo creaturam ab æterno productam intrinſecè eſſe corruptibilem, & in quocumque inſtanti ex natura rei poſſe corrumpi, etiamſi non poſſit per æternitatem non durare, eo ipſo quod fuerit ab æterno producta, quia ante quodlibet inſtans in quo illius corruptio eſſe contingat præceſſit æternitas, in qua res illa potuit per æternitatem duraſſe, & in qua extrinſecè eſt incorruptibilis conſequenter, ſeu ex ſuppoſitione ſicut lux conſeruata in hoc inſtanti non poteſt in illo corrumpi ex ſuppoſitione, quod ſit conſeruata in hoc inſtanti, quod non eſt rem eſſe extrinſecè incorruptibilem, ſed tantùm extrinſecè, & ex ſuppoſitione, ſicuti non eſt rem eſſe intrinſecè incorruptibilem non poſſe in hoc inſtanti corrumpi ex ſuppoſitione quod in illo conſeruetur, vel producatur.

7 Obiic. tertiò: Si Deus ab æterno crearet ignem & ſimul cum illo crearet ſtupam applicatam, ſtupa non poſſet ab æterno corrumpi propter rationem dictam præcedenti argumento: ergo corrumperetur in tẽpore: inſuper ignis cum eſſet agens neceſſarium illam corrumperet, vt primùm poſſet: ſuppono ergo illam corrumpere in inſtanti *A*: tunc ignis corrupiſſet ſtupam in primo in inſtanti, quo poſſet propter rationem dictam, & non illam corrumperet in primo inſtanti, quo poſſet, quæ ſunt contradictoria. Reſpondeo ignem non combuſturum ſtupam primo inſtanti, in quo poſſet, non quia poſſet in aliquo inſtanti illam comburere, & actionem ſubtraheret, ſed quia nullum daretur inſtans, in quo primo poſſet ſtupam comburere, ante quodlibet enim daretur aliud, in quo prius poſſet ſtupa comburi. Vnde claritatis gratia negandum eſt ſuppoſitum illius propoſitionis: *ignis combureret ſtupam primo inſtanti, quo poſſet*, non enim datur tale inſtans, neque poſſet aſſignari à Deo; ſimiliter dicendum eſt contra Arriagam Deum non poſſe decernere ab æterno producere creaturam in tempore, cùm primum poſſet in tempore, quia hoc eſſet decernere creaturam producere in inſtanti, quod non eſt, nullum enim eſt inſtans primum, in quo effectus poſſit produci à Deo, ita vt non potuerit in alio præcedenti produci.

8 Sed inquires, in quo inſtanti ignis ſtupam combureret, combuſtio enim eo ipſo, quod ſit futura, eſt futura in aliquo inſtanti determinato. Attentè ſubtilem ſolutionem accipe: eo ipſo quod Deus decernat ſtupam ab æterno producere, decernit independenter à quocumque contrario exigente ſtupæ corruptionem, ſtupam per æternitatem conſeruare, quæ æternitas à parte antea terminum non habet, neque recipit magis, aut minus, bene tamen à parte poſt, quia à parte poſt eſt finita, & terminum habet duratio, quæ à parte antea dicitur æternitas. Hic autem terminus poteſt eſſe aliquod ex finitis inſtantibus ſucceſſiuis, quæ Deus ab æterno cognouit poſtea futura, non tamen debet eſſe potius hoc quam illud, quia res æterna à parte antea poteſt hoc vel illo inſtanti finiri: debet ergo Deus: qui effectum ab æterno producere decernit, ſi non decernit illum in æternum à parte poſt conſeruare, decernere conſeruare illum independenter à quocumque contrario exigente illius conſeruationem vſque ad certum, & determinatum inſtans, quod ipſe maluerit. Suppono ergo Deum decreuiſſe ſtupam ab æterno productam conſeruare independenter ab exigentia contrarij vſque ad inſtans *B*: tunc ſtupa corrumperetur in inſtanti *C*, quia in præcedentibus ex vi decreti, quo Deus illam decreuerat ab æterno vſque ad inſtans *B*, conſeruare, ſtupa illa corrumpi non poterat. Quod ſi Deus per decretum, quo decreuit ſtupam ab æterno producere, decreuiſſet illam conſeruare independenter ab omni alia entitate vſque ad inſtans *C*: tunc combureretur in inſtanti *D*: ſemper enim ſtupa combureretur in inſtanti immediato à parte poſt terminatiuo æternitatis, per quam Deus decreuerat conſeruare ſtupam, etiamſi naturales cauſæ illius corruptionem exigerent. In hoc ſenſu verum exiſtimo ignem combuſturum ſtupam in inſtanti, quo primum poſſet, non abſolutè, & antecedenter, quia hoc non datur, ſed ex ſuppoſitione decreti, quo Deus voluit ſtupam ab æterno producere, quod decretum imbibit voluntatem conſeruandi creaturam illam independenter ab omni contrario, vſque ad determinatum inſtans, ſi non eſt decretum, quo Deus velit creaturam à parte antea, & à parte poſt perpetuo durare.

9 Obiic. quartò. Æternitas eſt propria Dei: ergo non poteſt conuenire creaturæ. Reſpondeo æternitatem intrinſecam ex vi cuius antecedenter ad quocumque decretum, & exiſtentiam rei repugnat ab æterno, & in æternum non exiſtere eſſe propriam Dei, quæ non poteſt conuenire creaturæ quæ in quacumque duratione exiſtit dependenter à Deo: æternitatem verò extrinſecam, & accidentalem, ex vi cuius ita exiſtit aliquod ens ab æterno, vt antecedenter potuerit non exiſtere, rectè poſſe competere creaturæ.

10 Obiic. quintò. Patres inferebant contra Arrium; Verbum non eſſe creaturam ex eo quod fuerit ab æterno: ergo eſſe ab æterno eſt contra rationem creaturæ; alias ineſſicax eſſet Patrum argumentatio. Reſpondeo: Patres arguere ad hominem contra Arrium, qui admittebat nullam creaturam fuiſſe ab æterno, quo admiſſo efficax eſt illorum argumentatio, quod ſi aliquando innuant æternitatem eſſe propriã Dei quæ non poteſt creaturæ cõpetere, loquuntur de æternitate per eſſentiã argumẽto præcedẽti explicatam.

11 Multi impugnant exiſtentiam creaturæ permanentis ab æterno ex duratione illius, quæ eſſet ſucceſſiua, & infinita, contra quam fiunt omnia argumenta, quæ puncto venturo expendam contra ſucceſſiuorum naturam, ſed hæc argumenta in mea ſententia, quæ non admittit durationes ſuperadditas locum non habent, & de illis iudicium feram punct. 3. vbi contra motũ ab æterno fluentẽ illa inſtituam

PVNCTVM II.

An generationum ſeries potuerit eſſe ab æterno?

1 NOn eſt quæſtio an ſubitò, vel ab æterno potuerint eſſe infiniti homines geniti, in qua difficultate duæ continentur: An repugnet infinita multitudo, & an repugnet entitas ab æterno exiſtens: vtraque iam definita, prior

Controu.

Digitized by Google

Controuerſ. 14. Punct. 4. vbi dixi non repugnare infinitam multitudinem; poſterior Punct. præcedenti, vbi probaui non repugnare creaturam permanentem ab æterno exiſtere, ex quibus conſtat non repugnare modò hic infinitos homines gigni, aut ab æterno genitos exiſtere. Tractanda eſt modo quæſtio an poſſit dari infinita ſeries hominum qui ſucceſſiuè gignantur immediatè vnus poſt alium, ita vt ab æterno ſeries illa generationum proceſſerit, & adhuc his terminis propoſita difficultas maiori diuiſione explicanda eſt. Poteſt inquiri an hi homines ſucceſſiuè geniti poſſint omnes procedere ab vno principio, videlicet à Deo omnes & ſingulos producente. Et poteſt inquiri an hi homines poſſint procedere per naturalem propagationem ſuo ordine deriuatam per atauos, abauos, proauos, patres, & filios. In priori ſenſu continet difficultatem, quam continent ſucceſſiua ab æterno exiſtentia, & eodem modo definiendum eſt an poſſint infiniti homines ſucceſſiuè produci à Deo, & an poſſint ab æterno fluere infinitæ partes motus, de quo Puncto ſequenti: in præſenti ergo tractanda eſt difficultas tantùm in poſteriori ſenſu, an videlicet ab æterno poſſint infiniti homines ſucceſſiuè procedere per naturalem propagationem vnius ab alio.

2 Generationes ab æterno procedentes per naturalem propagationem non repugnare tuentur Greg. Gabr. Okam & Caietan. apud P. Rubium hîc quæſt. 4. Oppoſitam ſententiam tuentur P. Vaſquez 1. part. diſp. 177. P. Rub. ſuprà PP. Conimbr. quæſt. 7. P. Hurtad. diſp. 18. ſect. 2. P. Arriaga diſp. 17. ſect. 1. Ratio eſt facilis: in illa hominum ſerie neceſſariò deueniendum eſt ad vnum hominem, qui immediatè tantum procedat à Deo, quia non poſſunt omnes non procedere ab vna prima cauſa, à qua tota illa ſeries tanquam à principio deriuetur. Inſuper homo immediatè ab iſto genitus, non fuiſſet genitus, neque exiſtens ab æterno, quia habuit progenitorem prius tempore exiſtentem, nihil autem, quod eſt ab æterno habet aliud tempore præcedens, neque prius illo, qui ante æternitatem nihil eſt. Vel ergo inter productionem primi hominis producti à Deo, & inter generationem alius ab hoc geniti interceſſit æternitas, vel finitum tempus: ſi æternitas: ergo ſeries illa hominum fuit interrupta per æternitatem, & tantùm homo productus à Deo ab æterno extitit. Si tantùm interceſſit tempus finitum: ergo primus homo tantùm præceſſit ſecundum in duratione finita: ſed ſecundus non fuit ab æterno: ergo neque prior, quia duratio finita addita durationi finitæ non facit durationem infinitam.

3 Argumenta alia, quæ pro eadem ſententia adducuntur ſolida non ſunt. Sic arguunt multi recentiores ex P. Vaſquez, & ex P. Rubio: Homo non poteſt alium hominem producere ſecundum ſe totum: ergo ſaltem materia eſt ab alio, ſed materia præſupponitur cuilibet homini: ergo materia ab alio, ſeu connotans aliud principium eſt prior tota collectione hominum: ergo Deus ſupponitur vt connotatus à materia ante totam collectionem hominum: ergo productio materiæ eſt prima omnium productionum, & prior omnibus generationibus hominum: ergo generationes hominum non potuerunt eſſe ab æterno. Non percipio vim illationis: concedo Deum ſupponi connotatum à materia ad omnium hominum generationes, & productionem materiæ priorem eſſe tota collectione hominum prioritate naturæ, ex qua prioritate non ſequitur generationes hominum non fuiſſe ab æterno, ſicuti ex eo quod omnis cauſa ſit prior natura effectu non ſequitur effectum poſteriorem natura non poſſe eſſe ab æterno coëxiſtentem cauſæ: ſic poſſet contingere in generationibus, quarum collectio poſterior natura productione materiæ poſſet eſſe ab æterno ſimul cum materia ratione diuerſarum generationum ſucceſſiuè fluentium, ſi ex alio capite generationes ab æterno repugnantiam non habeant, hæc enim non oritur ex eo quod debeat dari aliqua generatio, ſeu productio prior natura reliquis omnibus, ſed ex eo quod debeat dari vna quæ ſit prior tempore reliquis aliis, quam dari non infertur ex eo, quod productio materiæ ſit prior natura reliquis omnibus generationibus.

4 Confirmare intendunt eandem concluſionem. Hæ generationes ordine naturæ factæ diuiſim & collectiuè ſumptæ ſupponerent alterationem, & reliquas diſpoſitiones prius tempore exiſtentes: ergo hæ generationes ab æterno non ſunt, nam quod aliud prius tempore ſupponit, ab æterno eſſe nequit. Difficultas hæc non ſpecialiter inſtituitur de generationibus quatenus habent hunc, vel illum modum procedendi à ſuis principiis, neque generationes hominum adducuntur in diſputatione, quia ſpecialiter de illis procedat, ſed exemplum generationum hominum fuit adductum, ſicuti poſſit in aliis quibuſcumque generationibus ſubſtantialibus, vel accidentalibus adduci, quæ diſpoſitiones aliquas ſupponunt, quapropter ſi ſpecialem aliquam difficultatem haberet argumentum ratione diſpoſitionum, quæ prius tempore ſupponerentur ad generationes hominum, ad præſentem quæſtionem non ſpectarent, in qua inquirimus an poſſint infinitæ generationes ab æterno fluere cum dependentia vnius ab alia, quia hæc procederet à termino genito per generationem antecedentem, & antecedens à termino genito per aliam præcedentem, & ſic in infinitum, quæ difficultas tractanda eſt independenter à quibuſcumque diſpoſitionibus prærequiſitis, vt etiam in generationibus accidentalibus locum inueniat. Neque admiſſis diſpoſitionibus præcedentibus generationes hominum adhuc in his conuincit hoc argumentum non poſſe ab æterno procedere. Quia etſi quælibet generatio particulariter ſumpta ſupponat diſpoſitiones tempore præcedentes ipſam generationem, tota tamen generationum collectio non ſupponit diſpoſitiones tempore præcedentes, quia non infertur ex eo, quod quælibet generatio ſupponat prius tempore diſpoſitiones, collectionem illas ſupponere, neque aliud eſt caput, ex quo poſſit deduci totam collectionem diſpoſitionum ſupponere diſpoſitiones prius tempore exiſtentes, niſi quia quælibet generatio particulariter ſumptas illas ſupponit; ex hoc autem non deduci ſic probo. Hæc eſt vera propoſitio in ſententia Ariſtotelis: *Poſt quamlibet diuiſionem in partes quantumuis minimas poſſibilis eſt alia.* Et in ſententia eiuſdem Philoſophi ex illo antecedenti deduci non poteſt: *ergo poſt omnes diuiſiones huius continui poſſibilis eſt alia.* Similiter hæc eſt vera propoſitio: *quilibet numerus finitus habet alium finitum numerum excedentem*, & hæc non eſt recta illatio: *ergo omnes numeri collectiuè ſumpti habent numerum excedentem.* Eodem modo hæc eſt vera propoſitio: quælibet ſpecies ſeorſim ſumpta ex omnibus poſſibilibus habet aliam perfectiorem ſe, & hæc conſequentia eſt inepta: ergo tota collectio ſpecierum habet aliam ſpeciem perfectiorem: ergo eodem modo hæc erit mala conſequentia, quælibet generatio habet diſpoſitiones tempore præcedentes, ergo tota collectio generationum habet diſpoſitiones tempore præcedentes, maximè cum ad collectionem vt collectio eſt formaliter, nullæ dentur diſpoſitiones, ſed tantùm ad ſingulas generationes ſeorſim ſumptas. Aliæ rationes minoris momenti pro eadem concluſione adduci ſolent, quam tantum efficaciter probat ratio primo loco adducta.

PVNCTVM III.

An poſſit dari motus, tempus, aliúdve ſucceſſiuum ens ab æterno exiſtens?

QVi negant poſſe infinitum actu adhuc ſucceſſiuè produci, negabunt conſequenter, poſſe dari motum, tempus, aliúdve ſucceſſiuum ens ab æterno fluens. Sed ſpecialiùs de hac quæſtione diſputantes id negant Durand. in 2. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 3. Sotus lib. 3. Phyſic. quæſt. 3. P. Soar. in Metaphyſic. diſput. 20 ſect. 6. num. 13. P. Val. tom. 1. diſput. 3. noſter Tolet. lib. 8. Phyſic. quæſt. 2. P. Rub. hîc quæſt. 3. P. Hurtad. diſput. 18. ſect. 2. & 3. Motum, & aliud quoduis ens ſucceſſiuum ab æterno exiſtens non repugnare. Defendunt D. Thom. de potentia, quæſt. 3. art. 14. in 2. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 5. 2. contra Gentes, cap. 38. P. Vaſq. 1. part. diſput. 177. P. Pererius lib. 15. cap. 13. P. Arriag. diſp. 17. ſect. 2. Plures Thomiſtæ, & Nominales ferè omnes apud P. Rubium ſuprà. 1

Sentio motum aliúdve poſitiuum ens ab æterno exiſtere repugnantiam non inuoluere. Solida concluſionis probatio erit argumentorum ſolutio, quæ contra illam adducunt oppoſitæ ſententiæ propugnatores. Argumenta propono, & diluo. 2

Obiiciunt primò recentiores, inconſequenter concedi motum ab æterno, & negari infinitas generationes ab homine vno per naturalem propagationem deſcendentes, quia partes omnes motus proueniunt ab vno ſubiecto, ab vno Angelo cœlos mouente, & ab vno Deo primo motore, quæ 3

quæ omnia principia ſubiectum, Angelus, & Deus ſunt priora natura reliquis partibus motus, & ita eadem eſt repugnantia in partibus motus, & ſuccedentibus ab vno ex his principiis, ſubiecto Angelo, & Deo, ac eſt in generationibus infinitis procedentibus per naturalem propagationem. Reſpondeo rationem longè eſſe diuerſam, quia cum concedimus infinitas partes motus ab vno Angelo, non concedimus Angelum prius tempore exiſtentem reliquis omnibus partibus infinitis ſucceſſiuè fluentibus, in quo eſt manifeſta repugnantia, repugnat enim entitates ab æterno à parte antea exiſtentes habere aliquam aliam tempore præexiſtentem, à qua procedant reliquæ omnes, quod concedendum eſt, ſi admittantur infinitæ generationes per filios, nepotes, & pronepotes deſcendentes, propter quam rationem negauimus poſſe dari hanc generationum proceſſionem, in infinitis autem partibus motus immediatè procedentibus ab vno Angelo non debet concedi Angelus tempore præexiſtens infinitis partibus motus, ſed illis ab æterno coëxiſtens, in quo nulla eſt repugnantia, ſicuti non eſſet in infinitis generationibus immediatè ab vno homine ſucceſſiuè fluentibus, in quibus non debet reperiri vnus homo genitus prius tempore exiſtens reliquis aliis, ſicuti debet dari in his, qui procedunt per naturalem propugnationem parentum, auorum, proauorum, &c. quia ſemper deueniendum eſt ad vnum principium influens in quoſcumque alios effectus, non tamen neceſſum eſt deuenire ad vnum prius tempore exiſtens reliquis omnibus in his, quæ ſucceſſiuè fluunt immediatè ab alio diſtincto omnibus coexiſtente.

4 Obiic. ſecundò: Succeſſio dicit partes priores, & poſteriores, hanc aduenire, & abire illam: ſed nulla pars poteſt aduenire ab æterno, quæ ſi ab æterno aduenit per æternitatem durauit, & ſic in æternitate nulla eſt ſucceſſio partium, ſed exiſtentia eiuſdem, inter ipſam & partem aliam æternitas interceſſit: ergo non poſſunt dari partes ab æterno ſucceſſiuè fluentes. Vrgent aſſignatis duabus quibuſcumque partibus motus, duobúſve quibuſcumque indiuiſibilibus in ſententia Zenonis, in qua clarius omnia patent: vnum debet eſſe poſterius alio, hoc poſterius ab æterno eſſe non poteſt, illud prius, vel præcedit poſterius immediatè per æternitatem, vel per vnicum inſtans, ſi per æternitatem inter indiuiſibile, & indiuiſibile motus interceſſit æternitas, & ita motus non fuit ab æterno ſucceſſiuè continuè fluens: ſi per vnicum inſtans: ergo ſicuti indiuiſibile poſterius non fuit ab æterno, ſed in tempore, ſic & prius, qua quod tantùm præcedit per tempus finitum aliud in tempore exiſtens neceſſariò eſt in tempore, & non ab æterno. Hoc argumentum, & alia plurima, quæ ſiunt contra motum ab æterno fluentem ſupponunt dari in motu aliquam partem priorem omnibus, vel aliquam illius partem, quæ ab æterno fuerit, quod ego nego, implicat enim manifeſtè partem aliquam priorem omnibus aliis immediatè ſucceſſiuè fluentibus eſſe ab æterno, vt rectè probat obiectio, quia ſicuti pars immediata ab æterno non eſt, quia habet aliam priorem, ſic neque pars prior, quæ tantùm excedit aliam immediatè fluentem parte temporis finita. Secundò, vt rectè probat obiectio, quod ab æterno eſt per æternitatem durat, & ita ſi pars aliqua ab æterno eſſet per æternitatem duraſſet, & motus non habuiſſet partes ſucceſſiuè fluentes per æternitatem. Reſpondeo ergo argumentum tantùm probare nullam partem motus fuiſſe ab æterno, quod ego concedo, nego tamen motum non fuiſſe ab æterno, quia etſi quælibet illius pars fuerit in tempore, ante illam poteſt aſſignari alia prius tempore exiſtens, & ſic in infinitum alia, & alia prior, ratione quorum motus ab æterno dicitur eſſe.

5 Inſtant recentiores: Implicare motum eſſe ab æterno, & aliquid illius ab æterno non fuiſſe, quod ſic probant. Si motus fuit ab æterno verum erit dicere Deum non fuiſſe prius tempore, motu, vel ergo eſt verum dicere Deum non fuiſſe prius quàm omnes partes motus, ita vt nulla ſit poſterior Deo, vel eſt verum dicere aliqua parte priorem non fuiſſe: vtrumque manifeſtè implicat. Ergo. Implicare Deum non eſſe priorem omnibus partibus, ita vt nulla ſit illo poſterior manifeſtum eſt, quia hæc pars motus habet aliam partem priorem tempore, ſed Deus coëxiſtit omni parti temporis: ergo coëxiſtit parti priori alia: ergo eſt prior illa, quæ partem priorem habet coëxiſtentem Deo, implicat enim coëxiſtere alicui, quod eſt prius alio, & non habere eandem temporis prioritatem reſpectu illius. Secundò vtramque partem dilemmatis implicare nos ſupra conceſſimus, & probauimus, quia ſtatuimus implicare partem aliquam ab æterno: ergo implicat dari partem aliquam qua Deus non ſit prior, ſi ergo implicat dari vnam partem motus, quæ Deo non ſit poſterior, potiori ratione implicabit dari motum, cuius nulla pars ſit poſterior Deo: ergo implicat Deum non eſſe priorem aliqua parte motus, & implicat non eſſe priorem omnibus partibus motus, & conſequenter non eſſe priorem toto motu collectiuè ſumpto, & motum non eſſe poſteriorem Deo, quod componi non poteſt cum motu ab æterno exiſtente, quia ſi motus eſſet ab æterno, neque Deus prius duraſſet. Reſpondeo dato motu ab æterno verum eſſe Deum non fuiſſe priorem tempore motu, quod verificandum non eſt de aliqua parte, reſpectu cuius Deus non fuerit prior, neque de omnibus partibus: ita vt nulla pars ſit poſterior Deo vt intendit argumentum, ſed verificandum eſt de omnibus partibus collectiuè ſumptis, quibus omnibus hoc modo ſumptis Deus non eſſet prior, licet fuiſſet prior quacumque illarum, quia in quacumque menſura durationis Deus conſideretur habet partem motus ſibi coëxiſtentem, quod ſi Deus prior fuit illa parte motus ratione aliûs menſuræ extrinſecæ, in qua extitit, in illa menſura habuit aliam partem coëxiſtentem, qua ſimiliter Deus fuit prior in alia menſura, ſed in illa alia habuit aliam partem motus coëxiſtentem, & ſic in infinitum, ſi motus fuiſſet ab æterno, Deus haberet alias, & alias partes motus ſibi coëxiſtentes, quarum ſingulis ſeorſim ſumptis Deus prior eſſet, non tamen prior omnibus illis collectiuè ſumptis, quia non poſſet aliqua menſura aſſignari, in qua Deus non haberet partem motus ſibi coëxiſtentem. Idem contingit in diebus imaginariis, quæ in æternitate contemplamur, quibus omnibus ſimul ſumptis Deus non fuit prior, quia Deus non fuit prior tota æternitate collectiuè ſumpta, tamen prior fuit quolibet die æternitatis, quia ante quemlibet diem fuit prior alius, cui Deus coexiſtebat. Id, in quo multi offendunt, videlicet implicare motum ab æterno, & nihil illius ab æterno fuiſſe, neque habere partem aliquam ab æterno exiſtentem falſum eſt, neque poteſt obiici, ſi natura motus ab æterno exiſtentis ſit inſpecta, potius enim de conceptu eſſentiali, & quidditatiuo motus ab æterno exiſtentis eſt non habere aliquid ſui, neque determinatum, neque indeterminatum ab æterno exiſtens, quod ſic probo. De conceptu motus ab æterno exiſtentis eſt nullam habere partem determinatam, aut indeterminatam proportionalem vel aliquotam, qua non ſit alia prior, ſed omnis pars quæ habet priorem aliam eſt in tempore, & non ab æterno: ergo de conceptu motus ab æterno eſt non habere partem, quæ ſit ab æterno, & quæ non ſit in tempore. Ex hoc inferes omnem partem motus ab æterno exiſtentis diſtributiuè ſumptam eſſentialiter eſſe in tempore, quod ſyllogiſmus iſte demonſtrat: Omnis pars motus exiſtentis ab æterno habet aliquid prius exiſtens videlicet aliam partem, ſed omne, quod habet aliquid prius exiſtens eſt in tempore: ergo omnis pars motus exiſtentis ab æterno eſt in tempore. Maior eſt certiſſima, quia de ratione motus ab æterno exiſtentis eſt non habere partem priorem omnibus, ſed ante quamlibet aſſignatam dari aliam, & aliam: minor eſt inconcuſſa apud omnes, nihil enim ab æterno exiſtens poteſt eſſe poſterius aliquo. Conſequentia eſt deducta in ſyllogiſmo perfectè in Barbara conſtructo. Ex his inferes quam malè communiter arguatur: motus eſt ab æterno: ergo aliqua pars illius eſt ab æterno, cum potius inferatur, motus eſt ab æterno: ergo nulla eſt pars illius, quæ non habeat aliam priorem: ergo nulla eſt pars illius, quæ ſit ab æterno: ergo omnis pars illius eſt in tempore.

Hoc argumentum, quod in partibus motus confecimus 6
adducit Arriaga in durationibus infinitis ſucceſſiuè fluentibus, quas haberet entitas permanens ab æterno exiſtens in opinione, quæ durationes has admittit, quarum vna prior alia videtur eſſe concedenda, quæ ſi concedatur, durationes ab æterno non fluxiſſe neceſſariò inferetur, quod argumentum ait ſe ſcire fallax eſſe, quia idem ſit contra æternitatem à parte poſt durationum beatorum, & contra cogitationes animorum, quæ per totam æternitatem durabunt, in quibus eodem modo videtur inferri concedendam eſſe vnam durationem, & vnam

cogitationem

Digitized by Google

cogitationem poſteriorem omnibus, & conſequenter finiendas eſſe, quod eſt falſum, huius tamen argumenti fallaciam ipſum latere dicit, ſolutionemque penitus ignorare, & ita perfectam huius argumenti notitiam in alteram vitam, ſicuti plurium aliarum rerum reſeruari nobis credendum eſſe. Ego tamen exiſtimo diuina fauente gratia in hac vita illius ſolutionem aſſequutum fuiſſe, quam iam dedi in partibus motus ab æterno exiſtentis, in quibus ſicuti non eſt concedenda pars aliqua ab æterno exiſtens, ſic in durationibus rei ab æterno exiſtentis, quarum collectio ab æterno extitiſſet & illarum quælibet in tempore fuiſſet, quia aliam habuiſſet priorem ipſa.

7 Vrget Arriaga num. 17. & 18. ex omnibus durationibus quas habuiſſet entitas ab æterno exiſtens debet dari aliqua prima omnium: ergo durationes illæ non fuerunt ab æterno. Probat antecedens: non omnis duratio habet aliquam priorem ſe: ergo datur aliqua, quæ ſit prima. Hoc antecedens eandem habet difficultatem cum poſito in primo enthymemate, & adhuc formaliter ab illo non differt, ideo illud iterum probat Arriaga: Impoſſibile eſt, vt omnes durationes habeant aliquam priorem ſe, quæ ſit è numero omnium, quia ſicuti non poſſunt omnes homines dependere ab vno homine, quin detur mutua cauſalitas, ita non poſſunt omnes durationes antecedi ab aliqua in ſe ipſis incluſa, cum repugnet mutua anteceſſio durationum: ergo debet eſſe aliqua, quæ non antecedatur ab aliis, & illa erit omnium prima. In hoc vltimo diſcurſu ſubiectum argumentationis variat Arriaga, quia intendebat probare dari aliquam durationem omnium primam, & non quamlibet diſtributiuè ſumptam habere priorem aliam, & modò probat omnem collectionem durationum, ſeu omnes durationes collectiuè ſumptas non habere aliam priorem ipſis, quod verum eſt, & efficaciter probat ratio facta, quia ante omnem collectionē durationum non poteſt dari alia prior, etſi daretur collectio illa ab æterno non fuiſſet, danda tamen eſt ante omnem durationem diſtributiuè ſumptam aliqua duratio, quam non dari argumentum adductum non probat, & probandum eſſet: vt probaretur dari aliquam durationem omnium primam. Iterum ad ſubiectum quæſtionis redit Arriaga, intenditque probare non quamlibet durationem habere aliam priorem ſe, ſumptis omnibus durationibus, quas habuiſſet vſque ad hoc inſtans entitas ab æterno exiſtens. Sic arguit: Ex his durationibus plures ſunt, quæ ſubſequuntur, quam quæ antecedunt, quia hæc vltima ſubſequitur, & non antecedit: ergo non quælibet ſubſequens poteſt habere aliam antecedentem, ſed aliqua ſubſequens debet remanere ſine antecedenti, quod eſt intentum argumenti, vel vna duratio debet immediatè duas antecedere, quod eſt impoſſibile, quia poſt vnam durationem non poſſunt duæ immediatè ſuccedere, alias hæ duæ ſibi coëxiſterent. Hoc eodem argumento vſus eſt Arriaga ad probandum dandam eſſe in ſpeciebus rerum poſſibilium aliquam omnium perfectiſſimam, quia annumerando ab ſpecie hominis omnes alias perfectiores ſunt plures exceſſæ, quàm excedentes, quia ſpecies hominis exceditur, & non excedit, & reliquæ exceduntur, & excedunt. Ex quo inferebat dandam eſſe aliquam ſpeciem, quæ nullam haberet excedentem ſibi, quod argumentum adduxi, & ſolui Controu. 14. Punct. 7. num. 4. vbi claram illius ſolutionem inuenies, quam iterum repetere otioſum eſſet. Notaui iam hoc argumentum eodem modo procedere in durationibus infinitis rei permanentis ab æterno ſuccedentibus, & in partibus infinitis motus ab æterno fluentibus.

8 Obiicit P. Rubius, & ex illo recentiores plures, Cœlum vel creatum fuit in hoc hemiſphærio, vel in alio: in quocumque fuerit creatum debuit per æternitatem in illo durare, quia præſentia illa cum qua creatum fuit in hoc hemiſphærio (demus in illo fuiſſe creatum) debuit per æternitatem durare, nihil enim productum ab æterno potuit ab æterno corrumpi, vt admittunt omnes, & probatum eſt Puncto præcedenti: ergo antequam cœlum in hoc hemiſphærio creatum ad aliud perueniret, tranſiret æternitas, in qua in hoc permanſiſſet. Reſpondeo antecedens poſſe inquirere de prima creatione cœli vt diſtincta à conſeruatione, an facta fuerit in hoc hemiſphærio, vel in alio, vel de creatione, vt inuoluente conſeruationem. Si inquirat de prima creatione vt diſtincta à conſeruatione, negandum eſt illius ſuppoſitum, quia ſi cœlum ab æterno creatum eſſet nullam haberet primam creationem, neque Deus creationem à conſeruatione poſſet diſcernere, vt dicebam Punct. 1. ſi inquirat de creatione inuoluente conſeruationem, reſpondeo cœlum creatum fuiſſe in hoc hemiſphærio, & in alio, quia in menſura creationis ab æterno, quæ inuoluit conſeruationem, & eſt infinitè diuiſibilis, infinities fuit cœlum in iſto hemiſphærio, & in illo & in nullo abſolutè priuſquam in alio, quia ante hanc præſentiam, quam habuit in hoc hemiſphærio, habuit aliam in alio hemiſphærio, & ante aliam hab[...]am in alio habuit aliam in iſto, & ſic in infinitum, & ſicuti non poteſt reperiri neque aſſignari prima præſentia, quam habuit cœlum quia nullam habuit omnium primam, ita non poteſt dici in quo hemiſphærio priùs fuerit quàm in alio, neque priùs fuit in aliquo illorum.

Obiiciunt alij: Creet Deus duo corpora grauia ab 9
æterno, quorum vnum ita excedat alterum in grauitate, vt duplo velocius illo moueatur, ſi vtrumque corpus ab æterno vſque ad inſtans fuiſſet motum, illud, quod motum duplo velociorem habuiſſet, ſpatium duplo maius percurriſſet, & tantum eſſet ſpatium, in quo alterum excederet, quantum illud, per quod vtrumque fuiſſet motum: ſed corpus quod ſegnius fuit motum percurriſſet ſpatium infinitum; ergo ſpatium, quo vinceretur motu alterius corporis eſſet infinitum, deinde eſſet finitum, quia inciperet vbi deſineret ſpatium corporis, quod ſegnius fuit motum, & deſineret in illo, quod nunc occupabat: ergo ſpatium illud haberet primum initiatiuum, & terminatiuum vltimum: ergo non fuiſſet infinitum: ergo eſſet finitum, & infinitum. Similiter arguitur: ſpatium, quo corpus velocius motum ſuperaret aliud corpus, eſſet finitum, quia haberet primum & vltimum, vt modo probabam: ergo ſpatium, quod percurrerat corpus illud quod minus velociter fuit motum, eſſet finitum, quia cum hoc corpus duplo velocius fuiſſet motum, tantùm eſſet ſpatium quo aliud ſuperaret, quantum eſſet illud quod aliud percurriſſet. Inſuper eſſet infinitum, quia fuiſſet ab æterno: ergo eſſet finitum, & infinitum. Iuxta noſtra principia argumentum hoc & alia, quæ fiunt ex inæqualitate velocitatis motuum ab æterno facile ſoluuntur, ex quibus reſpondeo; omnem motum ab æterno fluentem per æternitatem eſſe ſummè velocem, quia omnis motus nulla mora interruptus eſt ſummè velox, vt dicebam Controuerſ. 17. Puncto 9. §. 3. motus autem ab æterno productus per æternitatem interrumpi non poteſt, quia, quidquid eſt ab æterno per æternitatem debet durare, vt ſæpe dixi, & conſequenter non interrumpi, quia interruptio eſt ceſſatio motus, & non eſſe illius. Ex hoc infero omnes motus ab æterno exiſtentes neceſſariò fore æquè veloces per æternitatem, quia omnes eſſent ſummè veloces per æternitatem, & in motibus ſummè velocibus non poteſt eſſe maior, aut minor velocitas. Poſſent autem motus, qui ab æternitate duraſſent à quocumque tempore aſſignabili habere maiorem, aut minorem velocitatem; quia ab illo vſque ad hoc inſtans poſſent morulis interrumpi, in æternitate autem præcedente quodcumque aſſignabile tempus, ſemper eſſent ſummè veloces, & vnus alio velocior eſſe nequiret.

Vltimò obiiciunt recentiores: ſi Deus infinitos dies 10
produxiſſet, ſingulæ horæ, ex ſingulis diebus deſumptæ eſſent infinitæ, & finitæ: conſequens inuoluit contradictionem: ergo & antecedens: Conſequentiam probant. Deſignet Deus ex ſingulis diebus ſingulas horas, quas ab hoc inſtanti continuas, & ſucceſſiuè mente conſideret verſus æternitatem elapſam: hæ horæ non poterunt æquare dierum æternitatem præteritam, quia tot eſſent horæ, quot dies, & quælibet dies longè excedit horam ſibi reſpondentem: ergo cognoſceret Deus dies aliquos in æternitate prætеritos, quibus nulla hora reſponderet, ſi abſque vlla interruptione vſque ad hoc inſtans continuè fluxiſſent illæ horæ duratione requiſita, vt omnes illæ horæ continuè & ſucceſſiuè vſque ad hoc inſtans pertingerent: ergo omnes horæ eſſent finitæ, quia haberent dies priores ipſis, quibus nulla correſpondebat hora: ergo à parte antea eſſent finitæ, ſimiliter eſſent finitæ à parte poſt: ergo eſſent finitæ hæ horæ tum à parte ante, tum à parte poſt, & conſequenter illarum multitudo non excederet numerum finitum. Deinde eſſent infinitæ, quia tot eſſent horæ, quot dies in tota æternitate

nitate præceſſerant, ſed præceſſerunt infiniti dies: ergo horæ eſſent infinitæ, ſicuti infinita eſſent capita, quæ eſſent in multitudine infinita hominum, quorum quilibet ſuum haberet caput: ergo dies illi eſſent finiti, & infiniti. Hoc argumentum expendi Controuerſ. 14. punct. 5. num. 11. vbi illud adduxi contra multitudinem infinitam Angelorum, ad inferendum fore finitos, & infinitos Angelos creatos per totam æternitatem per ſingulos dies, quia ſi poſtea hi Angeli horis continuis ab hac hora per horas immediatè præcedentes reſponderent ſingulis horis, ſinguli Angeli reſponderent horis finitis, & infinitis, quod eadem omnino infertur ratione, quam modo adducebam, ibique reſpondi Angelos ita per æternitatem in ſingulis diebus creatis non poſſe adhuc mente ſingulis horis continuis hanc immediatè præcedentibus affigi. Eadem ratione dico modo ſingulas horas ex ſingulis diebus elapſis non poſſe adhuc mente cognoſci immediatè & continuè ante hanc horam fluentes, quia ita præceſſiſſe repugnat. Huius doctrinæ expeditam rationem inuenies loco citato.

CONTROVERSIA XX.

De impulſu, ſeu proiectorum motu.

DE motu locali in communi egi lib. 4. de motu progreſſiuo nonnihil dicendum eſt in Anima; de motu grauium & leuium in Generatione; de proiectorum motu, hîc agendum eſt, vt opus hoc integrum vndequaque euadat. Inquirendum eſt an impulſu impreſſo proiecta moueantur, eademque inſtituitur Controuerſia de natura impulſus, & de proiectorum motu.

PVNCTVM PRIMVM.

A quo moueantur proiecta?

1 CORpora proiecta à ſe non moueri nullus ambigit, mouentur enim contra internum impetum motu violento, nullus autem motus violentus poteſt à principio intrinſeco dimanare: omnia enim, quæ à principio intrinſeco procedunt naturalia ſunt, & non violenta, neque vllus inuenietur adeo amens, vt feriò affirmet glandem æream à bombarda dimiſſam propria virtute per aëra tranare, & parietes euertere. Cum igitur extrema vi proiecta moueantur dubium eſt, qua vi illorum motus peragatur.

2 Pater Pereira lib. 54. Phyſicæ, cap. 5. conſequenter defendit cum Simplicio, Auerroë, Maiore, & Mairone, apud P. Rubium poſtea citandum, proiecta primo moueri à proiiciente immediato, & poſtea à medio ſiue hoc ſit aër, ſiue aqua, ſiue quoduis aliud corpus, nulla alia qualitate in corpore proiecto producta. Oppoſita ſententia communis eſt valdè inter Philoſophos, & Theologos, illam defendunt P. Vaſquez 1. part. diſp. 92. cap. 2. P. Soar. tom. 2. Metaph. diſp. 35. ſect. 4. P. Rub. tract. de impulſu quæſt. 1. & alij quam plurimi aſſerentes proiecta moueri media qualitate ſuperaddita impreſſa à proiiciente, quæ impulſus dicitur. Probandum eſt dari hanc qualitatem ex illius neceſſitate, quam conuincit impotentia aliorum agentium ad mouenda proiecta, hanc ego ſic oſtendo. Proiiciens immediatè per ſe ipſum impotens eſt mouere lapidem per ſpatium diſtans à proiiciente, tum quia cum lapis mouetur in ſpatio diſtanti proiiciens nihil agit in medium: ergo non poteſt agere in lapidem diſtantem, aliàs ageret in diſtans, quin ageret in propinquum, tum quia ſi immediatè poſtquam homo lapidem iaciat emoriatur, lapis mouebitur: ergo non mouetur à proiiciente, quod iam in rerum natura non eſt, de hoc nemo prudens dubitauit.

3 Proiecta non moueri in ſecundo & vlterioribus inſtantibus motus poſt primum, in quo Auctores oppoſitæ ſententiæ defendunt moueri à proiiciente, ab aëre aliove corpore intermedio, hac ratione nonnulli probare intendunt. Lapis proiectus aut mouetur aëre, ſeu modo, quod eſt ante, ſeu aduerſum, aut medio, quod eſt à tergo, ſeu auerſum: non aduerſo, quia hoc potius impedit motum, non auerſo, quia prius natura, quam moueatur medium auerſum ad replendum vacuum ſupponitur iam proiectum motum: ergo nullo medio poteſt proiectum moueri. Facilè quiſque dicet duplicem eſſe motum, vel eſſe diſtinctas partes motus, primam productam eſſe à proiiciente, & hanc eſſe priorem natura motu aëris auerſi ſeu exiſtentis à tergo, ſecundam poſteriorem natura motu aëris auerſi, & ita proiiciens primo mouet lapidem immediatè per ſuam virtutem, hic motus à proiiciente productus cauſa eſt vt moueatur aër ad replendum ſpatium, quod lapis reliquit, motus aëris ad hoc ſpatium replendum iterum mouet lapidem alia parte motus diſtincta ab illa, quæ proceſſit à proiiciente, & cauſa fuit motus aëris, ſecunda pars motus iterum eſt cauſa aliûs motus aëris exiſtentis à tergo, ex vi cuius replet hoc ſecundum ſpatium, quod lapis relinquit, & rurſus hæc ſecunda pars motus ad replendum vacuum cauſa eſt vt mobile iterum moueatur, & ſic de reliquis partibus motus. Inſtant recentiores: pars aëris, quæ ſuccedit in ſpatium proiecti à trahitur proiecto, à quo mouetur ne detur vacuum, quod nos tradidimus Controuerſia 15. puncto 12. ergo ipſa non eſt cauſa motus proiecti. Vim illationis non percipio, quid refert proiectum eſſe cauſam motus aëris, vt aer, vel idem aeris motus productus à proiecto ſit cauſa motus proiecti, non ideò idem erit priùs, & poſterius reſpectu eiuſdem, eſt enim proiectum, quod eſt prius reſpectu motus aeris, & proiecti motus qui eſt poſterior reſpectu aëris, ſeu motus aeris: proiectum autem, illiúſque motus realiter diſtinguuntur. Si dicas non ſolùm proiectum, ſed proiecti motum eſſe cauſam motus aëris, & ita non poſſe eiuſdem proiecti motum eſſe effectum motus aeris, ne idem motus proiecti ſit prior & poſterior reſpectu eiuſdem, redit ſolutio ſuprà data de diuerſis partibus motus proiecti, ex quibus hæc pars prima motus proiecti eſt cauſa primæ partis motus, aeris, & pars prima motus aeris eſt cauſa non primæ partis motus proiecti, qua eſt poſterior, & à qua dependet, ſed ſecundæ partis motus proiecti, à qua hæc pars motus aeris nullam habet dependentiam, & ſic de aliis.

Arguunt ſecundò. Proiiciens adhuc in primo inſtanti, in quo proiicit corpus, tantùm eſt applicatum partibus immediatis proiecti, ſed non tantùm mouet partes immediatas, ſed mediatas: ergo non illas mouet immediatè per ſuam entitatem, quæ partibus mediatis proiecti applicata non eſt. Si illis obiicias inferri ex hac ratione non poſſe adhuc medio impulſu moueri proiectum à proiiciente, quia ſicuti applicatum non eſt ad mouendam partem diſtantem proiecti motu locali per productionem præſentiæ, eodem modo applicatum non eſt ad mouendam eandem partem motu alterationis per productionem impulſus. Reſpondent impulſum eſſe productiuum aliûs impulſus, & ita partem impulſus productam in parte immediata proiecti iuuare proiiciens ad producendum impulſum in parte alia remota, cui applicatur proiiciens ratione impulſus producti in parte propinqua, qui ſimul cum proiicienti concurrit per modum principij actiui ad producendum impulſum in ſecunda parte proiecti, cui eſt immediatum agens adæquatum conſtitutum ex proiicienti, & ex impulſu in prima parte producto, à quo principio adæquato indiuiſibiliter ſumpto procedit impulſus. In motu locali immediatè à proiiciente producto non ita ſe res habere poſſunt, quia præſentia producta in prima parte proiecti non eſt productiua aliûs præſentiæ, & ita non poteſt iuuare proiiciens ad producendam præſentiam in ſecunda parte proiecti. Ex hac ratione inferunt prædicti recentiores non ſolùm producendum eſſe impulſum à proiiciente in motu proiectionis, ſed etiam in motu vectionis, compreſſionis, & aliis huius generis. Quia non poſſunt res diuiſibiles moueri, niſi motis omnibus partibus vnitis, ſed agens per ſe non eſt præſens omnibus partibus: ergo debet eſſe præſens per virtutem ab illo productam, cuius partes proximiores effectiuè concurrant cum agente ad producendas diſtantiores, ratione quarum principium adæquatum actiuum ſemper erit paſſo immediatum. Probaui Contr. 7. punct. 2. agens poſſe agere in paſſum diſtans dum agit in propinquum, etiamſi non adiuuetur effectu producto in paſſo propinquo, ex qua doctrina infringitur recentiorum ratio: alia ergo ſolidior reddenda eſt. 4

Sentio à poſteriori probari, proiecta non moueri ab aere, 5
quia ſi ab aëre mouerentur, omnia corpora eiuſdē rationis per

Digitized by Google

per eundem aërem mota eadem velocitate mouerentur, quia cauſa motus eſſet eadem & eodem modo applicata: ergo nulla poſſet aſſignari ratio,propter quam hoc corpus velocius , & illud tardius moueretur, vel cur idem proiectum modò tardè poſtea velociter per eundem aërem cieretur. Secundò nulla poteſt aſſignari ratio , cur motus lapidis aſcendentis ſurſum ad tantam diſtantiam deficeret, & cœlum non tangeret , eadem enim eſt vis agentis in fine motus,vt lapidem impellat ſurſum,quæ erat in medio motus, quia ſemper lapis aſcendens ſurſum à parte inferiori ſpatium relinquit occupandum ab aëre : ergo ſemper partes aëris accedentis ad ſpatium illud replendum virtutem habebunt mouendi ſurſum proiectum , neque poteſt dici virtutem eſſe defatigatam in fine motus, quia cùm ſemper diuerſæ partes aëris ſuccedant in ſpatium relictum à lapide aſcendente ſurſum , ſemper noua ſuccedet virtus ad motum proiecti ſurſum protendendum , neque minores vires habent partes,quæ accedunt in fine motus,quàm quæ initio acceſsère, & ita eodem modo omnes proiectum ſurſum impellent. Vltimò qui fieri poteſt aëre vehementiſſimè flante verſus Orientem globum tormentarium ferri verſus Occidentem eo impetu exploſum vt demoliatur vrbes,muros quaſſet, & vniuerſa ſubuertat?Vnde tanta vis aëri? quod ſi illa gaudet , quomodo dum rapidiſſimè perflat maiori quidem vi , quam dum à me mouetur lapis, hunc ſuprà murum poſitum non remouet. Videmus enim quocumque impetu aër cieatur lapidem ſtatim in terram corruere , ſi impulſum à proiiciente antea applicato non receperit.

6 Concludo ex his proiecta non poſſe moueri à proiiciente , dum ab illo diſtant,neque ab aëre & ita neceſſariò dicendum eſſe moueri qualitate quadam impreſſa à proiiciente , quam impulſum vocamus.In motu vectionis , tractionis, & compreſſionis cenſeo neceſſum non eſſe impulſum imprimi à vehente , trahente , ſeu comprimente corpus , ſed poſſe immediatè lapidem in manu detentum moueri ab homine qui priùs natura moueatur , quam lapis ab illo motus ne agens agat in diſtans , quod explicui Contr. 18. puncto 3. ratio ſit , quia ex defectu applicationis non obſtat , vt dicebam modò. Deinde videmus lapidem ſuprà caput vectum tantùm moueri dum mouetur caput vehentis , ex quo infero non moueri medio impulſu, quia ſi moueretur medio iſto , in hoc inſtanti lapis impulſum recepiſſet , ex vi cuius moueretur in ſequenti , etiamſi quieſceret viuens,à quo modò vehitur , ſicuti contingit in motu proiicientis. Scio te poſſe reſpondere impulſum impreſſum à vehente eſſe talis naturæ vt corpus non moueat, niſi dum mouetur vehens , à cuius motu dependet in ſua operatione,vel depẽdere à motu vehentis in conſeruari & ita quieſcenti vehenti perire impulſum vectionis , & lapidem vectum non moueri. Vtrumque ſine fundamento dicitur,& non ſine magnis difficultatibus:illas breuiter attingam.Impulſus vectionis vel eſt cauſa adæquata motus, vel inadæquata,quæ ſimul operetur cum motu vehentis : ſi adæquata:ergo non dependet in ſua operatione à motu vehentis tanquam à comprincipio , neque tanquam à conditione , quia motus vehentis neque pertinet ad principium actiuum , aut paſſiuum motus vectionis , quia principium actiuum eſt impulſus impreſſus lapidi,& paſſiuum lapis vehendus:ergo non poteſt eſſe conditio ad motus vectionis, omnis enim conditio eſt circunſtantia principij actiui,vel paſſiui effectus ad quem eſt conditio. Si impulſus vectionis dependet in operari tanquam à comprincipio inadæquatò à motu vehentis,ſuperfluè tot principia conſtituuntur reſpectu motus vectionis,quia poſſet adæquatè dependere à motu vehentis, ſi ab illo inadæquatè dependet : ergo dici nequit impulſum vectionis dependere in operari à motu vehentis. Non ſine magna difficultate dici poſſe impulſum hunc dependere in conſeruari à motu vehentis, ſic probo. Motus vehentis ex vi cuius conſtitutum eſt in hoc ſpatio D terminatiuo motus , in inſtanti ſequenti *E*, etſi non perſeueret ſecundùm hanc denominationem motus , perſeuerat ſecundùm eandem entitatem , quia perſeuerat eadem actio terminata ad eandem præſentiam : ergo perſeuerat totum phyſicum, quod includebat motum præteritum,& tantùm deficit denominatio motus,ſed impulſus vectionis non poterat dependere à denominatione , ſed tantùm à phyſica entitate motus : ergo perſeuerat totum illud,à quo dependebat impulſus in inſtanti,in quo vehens per motum acquiſiuit hoc ſpatium : ergo etiamſi impulſus dependeret in conſeruari à motu , permaneret dum quieſcit vehens , quia permaneret totum phyſicum motus , à quo poterat impulſus dependiſſe in inſtanti, in quo fuit primò productus , & in quo erat denominatio motus. Vltimò ſi vehens moueret corpus vectum medio impulſu non illud poſſet mouere in primo inſtanti in quo mouetur ipſum vehens,quod ſic probo.Vehens primo produceret impulſum vectionis in primo inſtanti , in quo mouetur:ſed in primo inſtanti,in quo impulſus producitur ab agenti naturali, non poteſt ex vi illius impulſus moueri corpus illum recipiens:ergo in primo inſtanti,in quo mouetur vehens non poteſt medio impulſu in illo inſtanti producto mouere corpus. Maiorem propoſitionem omnes concedunt,corpus enim vectum ſiue mediatè , ſiuè immediatè ſemper mouetur dependenter à motu vehentis , vt admittunt omnes : minorem probaui Controu.18.punct.3. Conſequentia eſt omnino certa.

7 Mens Philoſophi circa exiſtentiam impulſus adhuc in proiectis dubia eſt , videtur enim in contrariam ſententiam inclinaſſe. Sic habet hoc lib. cap. 10.text. 82. *Neceſſe eſt enim hoc quidem dicere id , quod primum mouet , efficere,vt aer , aut aqua , aut aliquid huiſmodi , quod moueri , mouereque aptum eſt poſſit. mouere.* Quibus verbis docet Philoſophus, ita proiectionem mouere medium , vt prima pars aëris proximam moueat , & hæc aliam. Rurſus lib. de inſomniis cap.2. ſub initium : *Etenim quæ lationem ſubeunt , eo quod propulit non amplius tangenti cientur. Quod mouendi officio functum eſt , quamdam aeris particulam propulit , quæ cum mouetur ſubinde aliam ciet , atque hoc vtique pacto donec quieſcant,moueri aer, & aqua ſolent.* Idem tradit in quæſtionibus mechanicis , nam quæſtione 33. cùm interrogaſſet cur motu quieſcenti concitaretur proiectum , reſpondet : *An videlicet quoniam primum id efficit vt alterum impellat , illudque rurſus vt alterum. Ceſſat autem quando non poteſt amplius facere primum impellens,vt impediat id , quod fertur : & quando ipſius lati grauitas nutu ſuo declinat magis quam impellentis in ante ſit potentia.* Additque ſæpè ceſſaturum motum in vacuo , quia non eſſet aër, qui motum concitaret. Reſpond. hæc omnia teſtimonia ad ſummum probare aërem à tergo proiecti ſuccedentem ad vacuum replendum aliquo modo iuuare ad motum illius quod concedere non recuſabo, modò proiecti motus non tribuatur aëri à tergo impellenti tanquam principio adæquato, nullùmque indicare impulſum ſuperadditum concedendum non eſſe, quem videtur Ariſtoteles conceſſiſſe in hoc lib. cap. 10. text. 82. vbi ſic habet : *At non ſimul moueri deſinit , & mouere , ſed ſimul atque is , qui mouet mouere deſierit , deſinit moueri. Quocirca aliud mouet , quod hæret : cuius eadem eſt ratio, ceſſat autem cùm vis mouendi in id , quod hæret minor imprimitur.* Quibus verbis annotandum eſt Ariſtotelem concedere vim impreſſam , & hærentem mobili , quæ vis diſtincta eſt à vi , ſeu virtute , quam habet proiiciens , ſeu aër medius , quia virtus horum mobilis non hæret , & nulla alia eſſe poteſt præter impulſum à proiiciente impreſſum.

8 Circa impulſuum diſtinctionem , patet impulſum , ex vi cuius corpus mouetur ſurſum diſtingui à grauitate , & impulſum ex vi cuius mouetur deorſum à leuitate diſtingui , penes diuerſos terminos , quos reſpiciunt , & diuerſum modum mouendi corpora. De impulſu mouente corpus deorſum eodem modo dicendum eſt diſtingui à grauitate , & ſimiliter eadem diſtinctio tribuenda eſt reſpectu leuitatis impulſui , ex vi cuius corpus ſurſum mouetur. Infero ex principiis adeò aduerſis à quibus procedunt impulſus deorſum , & grauitas , atque impulſus ſurſum,& leuitas,grauitas enim & leuitas ſemper conſequuntur certam naturam corporum,& ſi à ſubſtantiis diſtinguuntur ex qualitatum temperatura , impulſus autem ſemper à principio extrinſeco procedit , neque diuerſas diſpoſitiones exigunt ex parte paſſi impulſus ſurſum,& deorſum,ſicuti exigunt grauitas,& leuitas.Impulſus reſpicientes terminos oppoſitos ſicuti impulſus , ex vi quorum mouetur corpus ſurſum , & deorſum,dextrorſum,& ſiniſtrorſum diſtingui in ſpecie probatur eadem ratione,qua probatur diſtingui impulſum deorſum à leuitate , nam etſi motum eſſe ſurſum , vel deorſum extrinſeca ſit denominatio , principium tamen,ex quo ſemper motus ſurſum procedit ſpecie diſtinguitur à principio,ex vi cuius motus deorſum naſcitur,hæc enim differentia,quæ in motu eſt extrinſeca naſcitur ex differẽtia extrinſeca & ſpeciali natura principij.

Digitized by Google

De impulſibus reſpicientibus eumdem numero terminum ex diuerſis ſpatiis,& conſequenter per aduerſas lineas;difficultas eſt an intrinſecè diſtinguantur: multi affirmatiuam tenent ſententiam; ego in negatiuam propendeo, quia ſicut eadem grauitas, & leuitas ex diuerſis ſpatiis per diuerſas lineas ſemper per breuiſſimam tendunt in proprium centrum, ſic idem impulſus ſemper indeterminatum terminum tendet ſemper per lineam rectam, diuerſam tamen ratione diuerſi ſpatij, à quo tendit mobile, ex eo quod diuerſum terminum, *à quo* habeat motus reſpiciens eumdem terminum, ad quem debet tendere per diuerſam ſpatij lineam. Itaque ex vi eiuſdem impulſus, ratione cuius mouetur corpus ab ſpatio ſurſum per hanc lineam moueretur per aliam, & in eumdem terminum ſi mobili exiſtenti in alio ſpatio idem contigiſſet impulſus, neque neceſſum eſt diſtinctos ſecundum prædicatum intrinſecum impulſus conſtituere,pro omnibus motibus reſpicientibus diſtinctas ſpatij lineas, etiam in eumdem terminum deſtinatas.In hac re fortiores rationes non inuenio, neque illius materia grauiores alias deſiderat.

Pvnctvm II.

A quo producatur, & corrumpatur impulſus?

1 VIuentia ſenſitiua habere virtutem imprimendi impulſum corporibus infertur ex motu proiectionis, quem probaui puncto præcedenti fieri medio impulſu producto à proiiciente. Difficultas eſt an in viuentibus diſtinguatur potentia, à qua procedit impulſus, ex vi cuius mouent corpus extraneum à potentia locomotiua, ex vi cuius ipſa animalia ſe mouent. In opinione, quæ potentias ab anima non diſtinguit, difficultas hæc locum non inuenit, quia potentiæ realiter cum anima identificatæ neceſſariò inter ſe identitatem habent. In opinione, quæ potentias diſtinguit ,cenſeo realiter diſtingui potentiam, ex vi cuius animal ſe localiter mouet à potentia productiua impulſus, quia exiſtimo animal non ſe mouere per productionem impulſus in ſe ipſo, ſed per immediatam productionem præſentiæ. Non nego poſſe partem quandam viuentis impulſum imprimere alij parti eiuſdem viuẽtis, ex vi cuius quaſi ab extrinſeco moueatur pars illa, quæ impulſum recipit, ſed affirmo motum progreſſiuum contractionis, & dilatationis non fieri ab anima medio impulſu, ſed immediatè ab illa procedere, ſicuti procedit immediatè ab anima rationali, & ab Angelo motus, quo rationalis anima & Angelus mouetur. Confirmatur: viuens immediatè mouet non medio impulſu corpus, quod vehit, vt probaui puncto præcedenti: ergo potiori ratione poterit ſe ipſum immediatè mouere. Potentiam locomotiuam, qua animal ſe ipſum mouet in viuentibus materialibus, quæ ſe ipſa immediatè mouent, non diſtinguerem à potentia ex vi cuius motus vectionis immediatè procedit ab animali, quia termini potentiarum non diſtinguuntur,neque ex modo tendendi, neque aliquã habent radicem eſſentialis diſtinctionis, immanentia enim, quæ conuenit motui locali reſpectu primi motus omnino eſt extrinſeca termino motus, & omnino extra illius exigentiam,æquè enim benè producitur hæc præſentia, quam modo habeo à me immanẽter vel ab alio quocumque extrinſeco tranſeunter. Similiter dicendum eſt quantitatem habere virtutem imprimendi impulſum. Ratio eſt quia cùm quantitas impenetrabilis ſit, virtutem habet remouendi à loco corpus occupans ſpatium immediatè ab illa occupandum, & reſiſtendi alij corpori, ne cum illa penetretur,quod fit medio impulſu impreſſo corpori intendenti ſe penetrare, quod manifeſta experientia monſtrat præcipuè in motu reſiſtentiæ.

2 Hîc inquiri ſolet an corpus debeat ſe mouere ,vt impulſum alij corpori imprimat. Reſpondeo neceſſum non eſſe corpus actu moueri vt impulſum corpori imprimat, vt patet in lapide, qui ſemper humeris impulſum imprimit, etiamſi immotus ſuper humeros ſubſiſtat. Neceſſum tamen eſt corpus intendere ſe mouere versùs aliquam partem, vt impulſum imprimat, quem imprimit neceſſariò tendentem, in partem illam, in quam motus imprimentis impulſum dirigebatur. Hac ratione lapis æquè vndequaque immotus impulſum imprimit terræ, cui innititur, & non partibus aëris lateralibus, vel aëri, quem ſuprà ſe habet.

Circa corruptionem impulſus docuit Pater Vaſquez 12.diſp.21.cap.3. impulſum ſemper corrumpi à contrario, nam cùm lapis per impulſum ſurſum aſcendit, producit quamdam grauitatem, media qua impulſum ſibi ab agenti extrinſeco violenter impreſſum corrumpit. Circa impulſum, quo lapis deorſum deſcendit, qui non opponitur grauitati eſſentiali, aut accidentali, quia in eundem terminum lapidem mouet, tradit ex Archimede Mathematicorum Principe terram eſſe ex vtraque parte æquè ponderibus libratam, ita vt duplex ſit aſſignandum centrum, vnum vniuerſi, grauitatis aliud.Centrum vniuerſi eſt illud, à quo æquales lineæ ad terræ ſuperficiem duci poſſunt; centrum verò grauitatis eſt punctum illud, quod ita diuidit terræ partes quoad grauitatem, vt terra ex nulla parte magis in vnam quam in aliam grauitet, ſicuti in bilance centrum grauitatis eſt punctum illud examinis, quod ita bilancem diſcernit, vt neutra pars aliam grauitate ſuperet: tunc ergo quieſcit terra, cùm centrum grauitatis centro vniuerſi correſpondet. Si verò in terra æquè vtrinque librata aliquis impulſum in hac parte imprimat, terra ex illa parte magis ponderat,& extrahitur centram grauitatis à centro vniuerſi per motum, quo terra deorſum deſcendit ſecundùm illud latus, in quo impulſum recepit, & aſcendit ſurſum per aliud latus, ſicuti in bilance contigit. Poſtea verò cùm in ſe locum proprium, reſtituit, corrumpit impulſum receptum, ex vi cuius terra à proprio centro fuerat extracta. 3

Doctrinam hanc contra ſenſuum euidentiam tradi multi clamitant, verumtamen nec leuem coniecturam contra illam experientia exhibere valebit. Motus enim, vt ſæpè dixi non percipitur niſi per diſtantias corporum, & diuerſa corpora interiacentia, qui ſi fiat his diſtantiis ex motu non accreſcentibus, nunquam percipietur, vt contingit in motu nauis, quem non percipit, qui intra illius cameram incluſus fertur. Cum ergo ſi vniuerſus moueretur orbis eo modo, quem tradit Archimedes omnia in illo contenta æquè mouerentur, & æquè diſtarent, & nullum eſſet principium, ex quo illius motus ſenſibus percipi poſſet, neque illum hic & nunc contingere poſſe experientia diſceremus: male ergo infertur motum hunc admittendum non eſſe, quia nunquam ſenſibus percipitur. Grauiora ſunt alia, quæ huic vniuerſi motui refragantur, nonnulla expendo. Motus hic vniuerſi prouenienѕ ex impulſu violentus eſſet, & contra internum impetum totius vniuerſi, omnibus enim illius partibus eſſet violentus, tam illis, quæ deprimuntur, quàm aliis quæ eleuantur, omnes enim extraherentur à proprio grauitatis centro: ergo non poteſt prouenire à quocumque impulſu. Probo conſequentiam: impulſus à me impreſſus non poteſt vincere grauitatem mediocris ſaxi, neque illud mouere verſus aliquam partem: ergo non poterit vincere grauitatem totius mundi, illumque totum commouere. Reſpondebis diuerſam eſſe rationem, quia mundus eſt ex vtraque parte æque libratus, & ita poteſt quocumque illo impulſu commoueri, ſicuti in bilance æque librata, etiamſi vtraque ingens ſuſtineat pondus, poteſt tritici grano huic lanci appoſito moueri. Contrà: cum lances, quæ æqualiter erant libratæ leui pondere ſuperaddito mouentur, lanx, quæ deprimitur mouetur motu naturali, & pondus ſuperadditum non vincit reſiſtentiam lancis depreſſæ, ſed totum pondus, quod antea erat in lance depreſſa, & illud, quod denuo ſuperadditur naturaliter ſurſum deſcendunt, & vincunt reſiſtentiam aliùs lancis, quam ſemper intendit vincere, & deorſum deſcendere lanx, quæ modo deprimitur motu naturali, quam antea non fuerat conſequuta, quia æqua erat oppoſitæ lancis reſiſtentia, cum conatu, quem ipſa habebat ad deſcendendum deorſum: itaque lanx depreſſa naturaliter mouetur, & lanx eleuata violenter contra propriam reſiſtentiam, quæ vincitur antiquo pondere, quod lanx habebat, cum vtraque erat æquè librata, & alio, quod denuo fuit additum eidem lãci depreſſæ,& mirum non eſt pondus aliquod quantumuis maximum vinci alio æquali adiuto leuiſſimo. In motu autem vniuerſi, quem adſtruit prædictus dicendi modus tota terra violenter mouetur, & impulſus impreſſus huic parti, quæ deprimitur, victurus eſt reſiſtentiam partis terræ eleuatæ, & partis depreſſæ, neque pars depreſſa iuuat impulſum vt vincat reſiſtentiã partis eleuatæ, imò potiùs reſiſtit,ne altera eleuetur,quia ſicuti reſiſtit, ne ipſa deſcẽdat,ita reſiſtit ne altera aſcendat:ergo reſiſtentia 4

totius

Digitized by Google

totius terræ adæquatè vincenda eſt impulſu à me impreſſo, hoc autem quis admittet? quomodóve dici poterit me vincere totius mundi reſiſtentiam exiguo impuſu digito impreſſo, qui non poſſum totis viribus ſaxum non pergrande commouere. Secundò, demus impulſom æquè intenſum ſimul imprimi in vtraque parte terræ, tunc terra non mouebitur, ſicuti non mouentur lances cum vtrique aqualis impulſus imprimitur: ergo impulſus illi corrumpi non poterunt. Tertiò: ſi inæquales ſint impulſus in vtroque terræ latere impreſſi, & deprimatur terræ latus, quod intenſiorem impulſum recipit, cum hic ſucceſſiuè corrumpendus ſit, cum fuerint corrupti gradus, quibus impulſus iſte ſuperabat impulſum in alio latere impreſſum, & vterque maneat æquè intenſus, terra quieſcet, & nulla erit cauſa, à qua impulſus illi æquè intenſi corrumpantur. Mitto alia, quæ contra hunc dicendi modum expendunt recentiores, ne in re non grauis momenti latiùs, quàm par eſt diſputatio protendatur, tantùm aſſero magnam eſſe vniuerſi iacturam totum commoueri ad exiguum interimendum impulſum.

5 Defendunt alij grauitatem, & leuitatem eſſe qualitates ſupperadditas non ſolùm inter ſe oppoſitas, ſed grauitatem cum impulſu intendenti mouere corpus ſurſum, & leuitatem cum impulſu ferente corpus deorſum, & ita lapidem grauitatem amittere dum ſurſum fertur, quam iterum recuperat natiua virtute, & media impulſum à ſe expellere, & iterum deorſum moueri. Similiter aſſerunt impulſus, ex vi quorum corpora per diuerſa ſpatia mouentur, inter ſe opponi contrariè, & mutuò expelli ſicuti calor, & frigus. Porrò appendere non poſſumus lapidem, dum motu violento fertur ſurſum, & ita examinare non valemus an grauitatem amiſerit, verumtamen alia nobis argumenta ſuppetunt ad hanc ſententiam impugnandam. Primum eſto: Grauitas in corpore conducit, vt in illo recipiatur impulſus: quo corpus ſurſum mouetur: ergo grauitas non opponitur contrariè cum hoc impulſu. Antecedens experientia monſtrat: vix enim impulſus aliquis imprimi poteſt in ſtupa, aliòve corpore leui, quo ſurſum moueatur, & valde intenſus minori conatu imprimitur in lapide aliòve corpore graui. Conſequentiam probo. Nulla forma poteſt conducere, vt introducatur in ſubiecto, in quo eſt alia forma ipſi contraria: ſed grauitas concludit, vt in ſubiecto, in quo eſt introducatur impulſus, de quo agimus: ergo non illi contrariè opponitur. Maiorem probo: forma contraria exigit nè oppoſita introducatur in ſubiecto, in quo eſt, & illius introductioni reſiſtit: ergo non poteſt conducere vt introducatur, id enim, quod reſiſtit introductioni, & illam impedit, nullatenus ad illam poteſt conducere. Dices ad impulſum recipiendum tantùm conducere grauitatem in certo gradu, & in maiori alio non conducere, ſed potius impedire illius receptionem, ex quo infertur grauitatem eſſe contrariam impulſui, ſiquidem quando eſt nimis intenſa reſiſtit illius introductioni, quod autem ſecundum gradus alios remiſſos non reſiſtat, non arguit qualitatem hanc non eſſe contrariam impulſui, quia frigiditas contrariè opponitur cum calore, & tamen non reſiſtit ſecundùm quoſcumque gradus introductioni caloris. Contrà: quo ſubiectum minus habet frigiditatis, faciliùs, intenſiúſque calor in illo introducitur, & nunquam gradus quantumuis remiſſus frigiditatis poteſt conducere poſitiuè, vt introducatur alius gradus valdè remiſſus caloris, & ſic de omnibus aliis formis contrariis: ergo ſi impulſus, & grauitas contrariè opponerentur, quo ſubiectum minus haberet grauitatis, facilius & intenſiorem impulſum reciperet, & nunquam gradus quidam grauitatis conduceret poſitiuè ad gradum aliquem impulſus recipiendum: ſed gradus aliquis grauitatis conducit poſitiuè ad impulſum recipiendum, vt probaui, & non facilius, intenſiorque impulſus recipitur in ſubiecto, quo minus habet grauitatis: ergo grauitas, & impulſus non contrariè opponuntur. Secundò, ex eo, quod non poſſimus corpus nimis graue mouere non infertur corpus impulſui reſiſtere præ nimia grauitate, neque illum non recipere, ſed impulſum receptum non eſſe ſufficientem ad mouendum corpus illud. Sed eſto: non poſſet recipere impulſum, hoc non proueniret ex intenſione grauitatis, non enim intenſiorem grauitatem habet ingens ſaxum, quam exiguus lapillus ab illo abſciſſus, ſed extenſiorem per plures ſubiecti partes.

6 Hac ratione efficaciſſimè reiicitur hæc ſententia, cui adiunge illius auctores non inueniſſe impulſus contrariós, quibus corrumpantur reliqui omnes, quos ego poſſum corpori imprimere, cùm enim illis obiicitur impulſum quem modò pede terræ imprimo, vt moueatur deorſum, non opponi cum grauitate, & ita non corrumpi ab illa. Reſpondent: inconueniens non eſſe impulſum illum ibi permanere, & à nullo corrumpi. Ex quo infertur quamque terræ partem retinere modò omnes impulſus, quos ſucceſſiuè recipit quotieſcumque pedibus hominum fuit calcata, vel pondus aliud ſuſtinuit. Videat ergo quiſque quantus erit impulſus receptus in templi theatríve limine, vbi frequens accidit populus.

Dicunt alij Deum corrumpere impulſum, quia ita exigit vniuerſi ordo ne detur vacuum; neſcio quâ ratione vacuum daretur, etiamſi nunquam corrumperetur impulſus, quem recipit corpus, licet enim perpetuò moueretur, nunquam poſſet extra Lunæ concauum proſilire, non enim valeret quicumque impulſus cœlos penetrare, vel diſrumpere: ergo non daretur vacuum, quantumuis impulſus corpori impreſſus per æternitatem duraret. Confirmatur: cùm pila vehementi intra cubiculum excutitur impulſu, ſemel, & iterum parietes, pauimentúmve tangit & idem repetit ſpatium, quovſque deficiat impulſus, ergo etiamſi pila perpetuò impulſum retineret, perpetuò intra cubiculi ſpatium cieretur, & nunquam vacuum, neque quidquam aliud contra vniuerſi naturam contingeret. 7

Sentio cum Gabr. in 3. diſt. 13. OKamo in 4. q. 12. art. 2. ad 3. p. Rub. lib. 8. Phyſ. tract. de impulſu quæſt. 3. impulſum ex eo corrumpi quia ex ſe entitas eſt adeò exilis vt tantùm petat durare per determinatum aliquod tempus, quo tranſacto Deus totam illius adimpleuit exigentiam, & ita vt naturæ auctor non amplius tenetur illum conſeruare, & concurſum ſubſtrahit, non quia impulſus exigat ſui corruptionem, vel quia in vltimo inſtanti ſuæ durationis non habeat eandem exigentiam, quam habuit in primo, ſed quia in illo inſtanti iam Deus contulit totam durationem, quam per ſuam entitatem impulſus exigit, & ita iam ex vi illius exigẽtiæ non illi diuturnior debet eſſe duratio. Moueor ad hunc corruptionis modum impulſibus adſcribendum, quia etiamſi poſſet per formarum incompoſſibilitatem illorum corruptio componi, adhuc teneremur ad hunc recurrere in corruptione ſoni, & ſpecierum intẽtionalium, quibus nulla alia corruptionis cauſa poteſt aſſignari, neque aliquid contra hunc dicendi modũ poteſt adduci, quod aliquã ingerat difficultatẽ in meis principiis, vt ex iam dicendis conſtabit. 8

Obiicies primò. Sunt aliæ entitates impulſu imperfectiores, quæ ex ſe perpetuò durarent, ni à contrario impeterentur ſicuti durationes ſuperadditæ in opinione, quæ illas admittit, & alij moduli imperfecti, qui diu perſiſtunt: ergo abſque fundamento dicitur entitatem impulſus ſtatim deffluere, & reſolui. Secundò animus rationalis imperfectior eſt Angelo, & æquè petit durare cum Angelo: ergo etiamſi impulſus imperfectior ſit aliis entitatibus, æquè petet durare cum illis. Reſpondeo hanc non eſſe conſequentiam neceſſariam: Hæc entitas eſt imperfectior illâ: ergo minorem petit durationem, non enim oritur præcisè ex quacumque minori perfectione exigentia minoris durationis, ſed ex certis naturis rerum, quarum vnam impulſui tribuimus, quia nullus alius apparet modus, quo corrumpatur, non præcisè quia imperfectior ſit, exigentia enim exiguæ durationis non ſupponit, ſed conſtituit imperfectionem impulſus. Addo relationes in oppinione, quæ illas admittit ſuperadditas, & alios modos perpetuò durare, quia conſeruantur à cauſis, à quibus producuntur, æquè propendentibus in illorum conſeruationem, ac in propriam ipſorum productionem, cum enim neceſſarij ſunt hi modi ſubiectis à quibus procedunt, æquè neceſſariò cauſæ in illos influunt in tota menſura conſeruationis, & in primo productionis inſtanti.

Obiicies ſecundò. Gradus impulſus vel ſunt æquales, vel inæquales in perfectione. Si æquales: ergo æquè petunt durare: ergo ſimul corrumpentur. Si inæquales, primus gradus erit imperfectior reliquis: ergo primus gradus minorem exiget durationem, ſed corrupto primo gradu deficient omnes, quia gradus inæquales ſubordinati ſunt, quorum ſecundus, & reliqui ſuperiores ſubſiſtere non poterunt: ergo omnes ſimul corrumpentur: ergo in inſtanti deficiet totus impulſus, quod eſt contra manifeſtam experientiam, qua videmus impulſum paulatim langueſcere. Reſpondeo, gradus impulſus eſſe inæquales, & non 9

ſubordinatos, non enim ex inæqualitate infertur ſubordinatio, vt probabo in Generat. Secundò admiſſa ſubordinatione graduum poſſe gradus ſuperiores exigere minorem durationem, quia entitas perfectior poteſt exigere minorem durationem, quam exigit alia perfectior. Deinde quia poſſunt eſſe gradus ſubordinati, quorum vltimi primis ſint imperfectiores.

11 Obiicies, tertiò. Impulſus vectionis, quem imprimo lapidi, quem ſupra humeros porto, intenſior eſt impulſu, quem imprimo lapidi proiecto, ſed impulſus lapidis proiecti petit durare per ſpatium, quo poſſum orationem Dominicam recitare, quo non langueſcit impulſus: ergo impulſus vectionis totidem ſpatij petet durare: ergo etiamſi humeros ſubmoueam quibus lapidem vehebam, durabit impulſus vectionis, & lapis eodem modo mouebitur, & in terram non decidet, cuius oppoſitum monſtrat experientia. Si dicas durare impulſum ſed amoto vehenti lapidis grauitate vinci, Inſto: impulſus vectionis non vincebatur grauitate dum vehentis tergo detinebatur, ergo neque hoc amoto vincetur, quia grauitas lapidis non creuit, & vectionis impulſus nondum ſegneſcere incepit. Idem argumentum in aduerſarios contorqueo: Impulſus vectionis eſt æquè perfectus, & æquè intenſus, & ſæpè intenſior impulſu proiectionis. Cur ergo vt primum amouetur vehens impulſus vectionis ſtatim totus vincitur, aut expellitur à contraria forma, & proiectionis impulſus per aliquam notabilem menſuram neque vincitur, neque expellitur. Reſpondeo: amoto vehenti non dici durare motum vectionis, neque per minimum inſtans, quia hic non procedebat ab impulſu aliquo, vt dicebam puncto præcedenti, ſed immediatè ab ipſo vehente, quo amoto amouetur cauſa impulſus vectionis, & conſequenter amouetur effectus.

PVNCTVM III.

Vnde proueniat maior velocitas motus violenti in medio, quàm in principio, & naturalis in fine, quàm in medio & principio?

1 ETiamſi tantùm agam de proiectorum motu, & ad me non pertineat hic examinare rationem, propter quam motus naturalis ſit velocior in fine quam in principio, & medio, quia tamen hic aſſignanda eſt ratio, propter quam motus violentus ſit velocior in medio, quam in principio, eademque ſit vtrique difficultati communis, vtramque ſimul inquirere, & definire placuit. Supponit quæſtio motum naturalem eſſe velociorem in fine, quam in principio, & violentiorem in medio quam in fine & principio, quod omnium philoſophorum conſenſus ſtatuit, & docuit Ariſtotel. libr. 2. De cœlo, & mundo, ipſaque experientia demonſtrat, qua videmus corpus graue maiorem impulſum alij imprimere in fine motus naturalis, quam in medio, & principio, & in medio motus violenti, quam in principio, & fine. Modò tamen Arriaga diſputat. 4. de Generat. ſect. 4. ſubſect. 3. rationem adductam improbat, & concluſionem negat, aſſeritque aliud eſſe corpus velocius moueri in fine motus, quàm in principio, aliud intenſionem impulſum alij imprimere, in fine motus, quam in principio, neque vnum inferri ex alio, quia velocius mouetur aquila rapidiſſimè volans, quam lapis à me proiectus, & tamen lapis caput infringet, & aquila nihil nocebit impulſu alij corpori impreſſo, deinde ait nullum aliud eſſe caput ex quo inferatur maior velocitas motus in fine, quam in medio, ac proinde ſine fundamento conſtitui maiorem hanc velocitatem, quam ipſe negat, in fine motus, quam in medio, & principio.

2 Dubium non eſt aliud eſſe, corpus ſe mouens intenſiorem impulſum in alio producere, aliud verò velociùs moueri, quod nullus negabit, neque corpora mollia vehementiſſimè ſe mouentia minorem impulſum, quàm corpora dura etiamſi hæc minus velociter moueantur, aliis corporibus imprimere. Hoc tamen non probat velociorem motum ex ſe cauſam non eſſe ſeu conditionem intenſionis impulſus, & intenſiorem impulſum non arguere à poſteriori velociorem motum, experientia enim ſemper ſuadet velociorem motum cæteris paribus intenſiorem impulſum comitari, quia comparatione facta eiuſdem corporis tarde ſe mouentis cum eodem ſe mouentis velociter ſiue corpus ſit durũ, ſiue molle, quo velocius mouetur, eo intenſiorem producit effectum, vt patet in motu pilæ coriaceæ, & cuiuſuis lapidis, hominiſque ſe progreſſiue mouentis, qui ſi rapido feratur motu intenſum imprimit impulſum corpori obiecto, & vtrumque tunditur, ſi verò tardè moueatur, alij corpori obiecto remiſſum imprimit impulſum. Exempla, quæ in oppoſitum adducit Arriaga nihil probant, quia tantùm comparat corpus velociter ſe mouens cum alio tardè ſe mouente diuerſæ rationis, v. g. corpus molle velociter ſe mouens cum corpore duro tardè ſe mouente, in quibus, etſi maior velocitas corporis mollis ex ſe ad intenſiorem inducat impulſum, tamen magis ad intenſionem impulſus conducit durities aliùs corporis, & ita exceſſus velocitatis motus in corpore molli exceditur exceſſu duritiei in corpore tardius ſe mouente, & omnibus penſatis intenſiorem impulſum producere valet corpus durum tardè ſe mouens, quam molle ſe velociter mouens. Neque Arriaga à communi ſententia diſcedens difficultatem declinat, quia æquè difficilè eſt aſſignare rationem, propter quam corpus intenſiorem impulſum alij corpori obiecto imprimat in fine motus naturalis, quam in medio, & principio, ac rationem reddere, propter quam velocius in fine quam in medio, & principio moueatur, etſi hoc vltimum neget Arriaga, illius primi tenetur rationem reddere.

3 Qui aſſerunt impulſum contrariè opponi cum grauitate dicunt initio motum violentum non eſſe adeò velocem, proiiciens corpus intenſum impulſum tantum produceret in partibus proximioribus paſſi, quæ ſucceſſiuè intendunt alias partes remotiores paſſi, & ita ſucceſſiuè creſcit velocitas motus dum creſcit impulſus productus in corpore proiecto, poſtea verò cum iam partes, quæ intenſum recepêre impulſum à proiiciente produxere totam intenſionem, quam poſſunt in partibus diſtantioribus iam non poteſt intenſio impulſus, neque velocitas motus accreſcere, ſed ab illo inſtanti incipit deficere, quia proiectum ſe reſtituit in primam grauitatem, & impulſum amittit, quo languente incipit langueſcere motus, donec totus deficiat impulſus, & cum illo totus motus. Hac ratione motus proiecti velocior eſt in medio, quia totum impulſum recipit, & nihil amiſit, quam in principio, in quo non totum receperat impulſum, & in fine, in quo deperdit ſucceſſiuè impulſum receptum.

De motu naturali cur velocior ſit in fine, quam in medio, & principio ex aliis principiis ratio eſt deducenda. 4
Docent aliqui motum naturalem velociorem eſſe in fine, quia iam mobile propriùs accedit ad centrum, ac proinde connaturalius mouetur. Si maior propinquitas ad centrum ad maiorem motus velocitatem conduceret velocior eſſet in principio motus, qui incipit ab hoc infimo loco, quam in fine motus aliùs, qui inceperit ab alio ſublimiori loco, & deſinat, in quo hic incipit, quod manifeſta experientia falſum eſſe demonſtrat, quia corpus cadens ab eminenti loco maiorem impulſum imprimit capiti, quam corpus è manu cadens imprimit terræ: ergo maior propinquitas ad centrum ad maiorem motus velocitatem non conducit.

P. Vaſquez 1. 2. diſp. 81. & Conimbr. 1. de cœlo, docent grauitatem lapidis in motu locali producere aliam grauitatem accidentalem diuerſæ ſpeciei à grauitate naturali, quæ tantùm poteſt durare dum durat motus, & accreſcit eadem ſucceſſione qua motus producitur, quia fit dependenter ab illo, proinde quo diuturnior eſt motus maior grauitas accidentalis producitur, quæ ſimul cum grauitate naturali mouet corpus, velocius in fine motus, quia tunc intenſior grauitas accidentalis eſt producta. Eodem modo dici poſſet in motu proiectorum impulſum impreſſum à proiiciente producere dependenter à motu impulſum alium quaſi accidentarium, qui ſucceſſiuè producitur, & maior eſt in medio motus, quam in principio, & ideò velocior eſt motus in medio, quam in principio; in fine verò etiamſi hic accidentalis impulſus accreſceret, decreſcit impulſus impreſſus à proiiciente, ratione cuius langueſcit motus, non enim æquiualet in ordine ad motum intenſio adueniens impulſui ſecundario intenſioni primarij deperditæ, & de eodem impulſu ſecundario dici poteſt remitti in fine motus, quia etſi plures præceſſerint partes motus dependenter à quibus producitur, & creuerit conditio ad ſui productionem, decreſcit virtus præcipua, à 5

qua

qua producitur, videlicet impulſus præcipuus, & conditionis augmentum non ſupplet decrementũ præcipuæ virtutis.

6 Alij motum naturalem ideo eſſe velociorem in fine dicunt quia partes aëris, quæ ſuccedunt corpori deſcendenti, motu, quo ſpatium relictum à corpore acquirunt, illud à tergo impellunt, & impulſum aliquem in illo producunt, qui augetur, dum plures partes motus præceſſerunt, & cum illo motus velocitas. Eadem ratione de proiectis dicitur velocius moueri in medio, quàm in principio, quia plures gradus impulſus recepere à partibus aëris ſuccedentibus in ſpatio, quod mobile in ſingulis motus inſtantibus relinquit; in fine verò etſi nouos gradus impulſus recipiat mobile à partibus aëris, ſegneſcunt, & deficiunt gradus impulſus à proiicienti recepti, & ſimiliter gradus producti in initio motus à partibus aëris, & ex horum defectu motus langueſcit, donec penitus impulſus deficiat.

7 Hæc ita Doctores componunt, in quibus nihil eſt non difficile, neque alius occurrit modus, quo poſſit hæc difficultas ſolui, tu ex his illum, qui minorem tibi difficultatem ingerat, elige.

Pvnctvm IV.

A quo proueniat motus reſilientiæ?

1 Pater Rub. tract. de impulſu, q. 5. cum Toleto, Conimbricenſibus, & alijs apud ipſum citatis, docet motum reſilientiæ tantùm prouenire à proiiciente, & obſiſtens tantùm eſſe conditionem ad reſilientiam. Aliquibus concluſionibus meam aperiam ſententiam.

2 Prima conclvsio: Motus reſilientiæ directè oppoſitus motui, quem intendebat proiiciens tantùm prouenit ab obſiſtente. Probo: impulſus proiicientis nullam habet virtutem ad mouendum proiectum in partem oppoſitam illi, in quam primo illud mouere intendit: ergo motus ille tantùm prouenit ab obſiſtente. Probo antecedens: ſi impulſus proiicientis virtutem haberet mouendi corpus motu oppoſito, ſeu motu directo reſilientiæ eadem vi reſiliret proiectum, quando impeditur corpore molli ne vltrà progrediatur, quia cum impulſus proiicientis non poſſet mouere proiectum versùs partem, in quam illud primo dirigebat motus, illud moueret versùs partem oppoſitam, ſed experientia conſtat corpus proiectum non reſilire quando obſiſtens eſt molle: ergo dicendum eſt motum directum reſilientiæ, non poſſe prouenire à proiicientis impulſu, ſed tantum ab obſiſtente, quod tunc mouet proiectum motu directo reſilientiæ quando illi impulſum imprimit ita intenſum, vt poſſit non ſolùm impedire motum, quem intendebat proiicientis impulſus, ſed etiam impulſum ſuperare, & oppoſitum motum producere. Itaque mouebatur proiectum à proiiciente impulſu vt quatuor, obſiſtens directè tantùm alios quatuor gradus impulſus debet imprimere proiecto, vt impediat motum proiicientis. quos ſi tantùm imprimat impulſus proiicientis, & obſiſtentis mutuò impedientur & proiectum neutro mouebitur, ſed propria grauitate in terram decidet. Si verò obſiſtens ſex gradus imprimat proiecto, qui impulſu vt quatuor ferebatur, & impediet impulſum proiicientis & motu reſilientiæ mouebit proiectum ratione duorum graduum, quibus impulſus obſiſtentis ſuperat proiicientis impulſum, tantùſque erit motus reſilientiæ quantus eſſet quilibet, & alius directus motus procedens à duobus gradibus impulſus. Ex hac concluſione deprehendes cur proiectum non reſiliat quando offendit corpus molle, ſecus quando obſiſtens eſt durum, corpus enim molle tantùm imprimit impulſum ſufficientem ad impediendum impulſum proiicientis, non verò ita illum exuperantem, vt valeat in oppoſitam partem proiectum mouere. Corpora verò dura intenſiorem imprimunt impulſum, & ita obſiſtens durum impulſum imprimit non ſolùm æqualem impulſui proiecto, ex vi cuius illius impediat motum, ſed etiam excedentem ratione cuius in oppoſitam partem moueat proiectum.

3 Secvnda conclvsio: Motus reſilientiæ obliquus, ſeu indirectus non tantùm prouenit ab obſiſtente, quia ſi tantùm ab obſiſtente proueniret, quo corpus proiectum maiorem impulſum imprimeret obſiſtenti, & maiorem impulſum ab illo reciperet, velocius moueretur, & fortiùs reſiſteret: ſed conſtat proiectum velocius moueri, & fortiùs reſilire, quo magis obliquè tangit obſiſtens, & conſequenter quo minorem impulſum ab illo recipit, quia quo magis obliquè illud tangit, minorem impulſum imprimit obſiſtenti, & obſiſtens minùs reſiſtit, & minorem impulſum proiecto imprimit: ergo motus obliquus reſilientiæ non poteſt prouenire tantùm ab obſiſtente.

Tertia conclvsio: Motus obliquus reſilientiæ non tantùm prouenit à proiiciente, ſed etiam ab obſiſtente. Motum hunc prouenire ab impulſu proiicientis conſtat ex concluſione præcedenti, in qua probaui non prouenire adæquatè ab obſiſtente. Alteram concluſionis partem videlicet prouenire ab obſiſtente ſic ſuadeo: Impulſus obſiſtentis valet motu directo reſilientiæ mouere proiectum, vt ſtatui concluſione prima: ergo valebit idem mouere motu indirecto, ſeu obliquo reſilientiæ. Vtriuſque partis concluſionis vna ſit ratio. Quando obſiſtens obliquè tangitur à proiecto proiiciens & obſiſtens, etſi in diuerſas partes intendant mouere proiectum, non tamen in oppoſitas, quia obſiſtens obliquè tactum ex ſe non intendit mittere proiectum per eandem lineam, per quam ad illud peruenit, ſicuti intendit obſiſtens tantùm directè, & ita licet non poſſint attemperari impulſus proiiciens, & obſiſtentis directè tacti, quia intendunt in partes directè oppoſitas, attemperari poſſunt impulſus proiicientis, & obſiſtentis tacti obliquè, quia licet intendant mouere proiectum in partes diſtinctas, non illud in directè oppoſitas trahere intendunt, & ideo poſſunt attemperari, & media quadam via illud ferre. Aptum exemplum rem probat, & declarat. Pone corpus in medio huius cubiculi, quod duo agentia funibus in duos cubiculi angulos directè oppoſitos intendant mouere, ſi vtrumque illud pari vi attrahere intendat, neutrum illud trahet, & corpus immotum permanebit, quia neutrum agens alterius impulſum vincere valeret. Quod ſi vnum agens fortiùs alio corpus attrahere intendat, tale agens contra alterius impetum corpus admouebit. Sic contingit in motu directo reſilientiæ proiiciens intendit mouere proiectum versùs Orientem, obſiſtens illud intendit mouere per eandem lineam versùs Occidentem: digladiantur inter ſe impulſus proiicientis, & obſiſtentis, ſi proiicientis præualet impulſus trudit obſiſtens, & proiectum abſque vlla reſilientia mouetur, ſi vincit impulſus obſiſtentis proiectum reſilit versùs Occidentem, ſi verò par ſit obſiſtentis, & proiicientis impulſus neuter poſitiuè vincit, aut vincitur, ſed vterque impeditur, & proiectum neutrius impulſu mouetur, ſed propria grauitate in terram decidit. Demus tamen corpus exiſtens in medio cubiculi moueri intendi à duobus agentibus in diuerſos angulos non oppoſitos, ſed immediatos, ſeu eundem parietem terminantes, tunc etiamſi pari vi ab his agentibus trahi intenderetur, non ideò immotum permaneret, ſed impulſus vtriuſque agentis attemperarentur, & vterque ſimul corpus illud moueret, neuter per lineam illam per quam intendebat ex ſe corpus trahere, ſed vterque per mediam aliam inter illas, per quas duplex impulſus diſtinctus corpus ferre intendebat. Sic contingit in motu reſilientiæ indirecto, ſeu obliquo. Proiiciens intendebat mouere proiectum versùs Occidentem, obſiſtens obliquè tactum versùs Meridiem idem proiectum mouere intendebat, attemperantur vtriuſque impulſus, & moueretur proiectum per lineam quamdam mediam inter Occidentem, & Meridiem, quam neuter impulſus ex ſe intendebat, & in quam qualibet ratione alterius per accidens fertur, dum non poteſt alter in alterum præualere, & ita poſitiuè vincere, vt illo non obſtante per lineam, quam ex ſe intendebat valeat ferre proiectum. 4

Idem contingit in motu proiectorum reſpectu grauitatis corporis proiecti: impulſus proiicientis intendit mouere lapidem versùs Orientem, grauitas intendit eum deorſum ferre, dum præualet impulſus proiectum linea recta fertur versùs Orientem, poſtea verò cum impulſus aliquantulum remittitur, ita vt neque ipſe poſſit in grauitatem præualere, neque grauitas in ipſum, attemperantur grauitas & impulſus, & per modum vnius principij corpus mouent non deorſum linea recta ſicuti grauitas intendebat, neque versùs Orientem linea recta ſicuti intendebat impulſus, ſed partim deorſum, partim versùs Orientem, & arcum quendam peragit motus, quo proiectum partim appropinquat ad centrum ſicuti intendit 5

Digitized by Google

grauitas. Tandem quando impulſus eſt nimis remiſſus, penitus vincit grauitas, & proiectum linea recta deorſum deſcendit.

6 Obiicies: ſequi ex hac doctrina corpus proiectum obliquè tangens obſiſtens mouendum eſſe per maius ſpatium, ac moueretur linea recta, ſi obſiſtens non offendiſſet, quia obſiſtente non offenſo tantùm moueretur impulſu proiicienti, illo verò offenſo mouetur eodem proiicientis impulſu, & ſimul impulſu impreſſo ab obſiſtente. Reſpondeo negando ſequelam, quia etſi verum ſit maiori impulſu moueri proiecta motu reſilientiæ, quam mouerentur motu recto, quia tamen motu recto mouerentur motu quodam per ſe intento à principio, magis mouerentur minori impulſu, quam maiori alio in motu reſilientiæ, quia hic non per ſe intenditur à principio, ſed tantùm per accidens ex occurſu duorum principiorum, quorum quodlibet diuerſum proiecti motum intendebat, & ita vtrunque concurrit ad hunc motum, etſi neutrum per ſe illum intendat, quapropter minor motus producitur ab vtroque principio operante præter propriam intentionem, quam ab alterò tantùm produceretur, ſi iuxta propriam intentionem motum alium produceret.

7 Obiicies ſecundò: Etiamſi proiectum obliquè tangat corpus molle, illius motus impeditur, & quieſcit: ergo impulſus proiicientis non poteſt attemperari adhuc cum impulſu obſiſtentis obliquè tacti. Reſpondeo proiectũ nunquam quieſcere cum tantùm obliquè tangit obſiſtens, frequenter tamen quieſcere dum tangit corpus molle, quia rarò illud tangit obliquè tantùm, ſed etiam directè, partes enim mollis obſiſtentis obliquè tactæ comprimuntur, & proiectum ingreditur ſpatium ab illis relictum. Vnde prouenit, vt non ſolùm obliquè tangatur ab obſiſtẽte, ſed etiam directè per partes anteriores, quia partes compreſſæ relinquunt alias immediatas eminentiores, & directè reſpicientes terminum, à quo incipit motus, ſecundùm quas ita tangitur proiectum vt impulſum recipiat intendentem illud mouere motu directè oppoſito motui intento à proiiciente, & hac de cauſa ſæpius quieſcit, vel parum mouetur.

8 Inquiri ſolet an mobile quieſcat aliquantulum puncto reflexionis. Duplicem quietem Ariſtotelici aſſignant; priuatiuam, & negatiuam, quietem priuatiuam vocant, qua interrumpitur motus tempore diuiſibili, in quo poteſt eſſe motus ſucceſſiuus, negatiuam quietem appellant, quâ interrumpitur motus menſura indiuiſibili, in qua nulla poteſt eſſe motus ſucceſſio. Quadrupliciter poteſt contingere reflexio. Primò, ſi motus directus, & reflexus ſit naturalis vt contingit in dilatatione & conſtrictione cordis. Secundò ſi vterque motus ſit violentus vt contingit cum pila proiicitur ex hoc pariete ab illum, & ad eundem reflectitur. Tertiò, ſi mótus directus ſit naturalis, & reflexus violentus vt contingit cùm pila motu directo deorſum fertur, & motu reflexo ſurſum mouetur. Quartò ſi motus directus ſit violentus, & reflexus ſit naturalis vt cum lapis ſurſum proiicitur rurſus deſcendit.

9 Multa in hac quæſtione ſuperfluè, & obſcurè permiſceri ſolent, me breuiter ab illa expediam. Sentio per ſe loquendo neceſſum non eſſe mobile in puncto reflexionis aliqua quiete motum interrumpere, ac proinde ſi corpus ſphæricum tangeret perfectè planum, illud tangeret in puncto, & in puncto reflexionis, nihil quieſceret mobile, neque quiete priuatiua neque negatiua, quia in inſtanti, in quo mobile tangeret obſiſtens non poſſet dici quieſcere, & ſi ab illo non ſepararetur in illo inſtanti, quia in illo moueretur per acquiſitionem præſentiæ, in illo inſtanti primo habitæ, ex vi cuius tangebat mobile, & in ſequenti inſtanti ſeu parte temporis immediata inſtanti, in quo fuit factus contactus amittere præſentiam, vbi autem non eſt diuiſibilis duratio eiuſdem præſentiæ nulla quies intercedit.

10 Quando mobile in parte temporis punctum reflexionis acquiſiuit, ſentiunt multi Ariſtotelici in inſtanti immediato quieturum quiete negatiua, quia non poteſt incipere motus in inſtanti. Difficile concipiuntur partes diuiſibiles temporis in inſtantibus diſtinctæ, nolo tamen me illarum difficultate implicare, ſed aſſero illis admiſſis eodem modo philoſophandum eſſe per ſe loquendo de inſtanti à parte poſt immediato parti temporis, in qua mobile punctum reflexionis acquiſiuit, atque de inſtanti immediato à parte ante, & de reliquis inſtantibus interceptis partibus motus, neque ſpecialem rationem inuenio, cur in illo inſtanti immediato à parte poſt parti temporis, in qua mobile punctum reflexionis attigit, non poſſit mobile cieri, & poſſit in aliis inſtantibus. Quod nonnulli dicunt non poſſe motum incipere in inſtanti temporis nullius eſt momenti, quia ſi mobile in hoc inſtanti moueretur, quando fuit motum in parte immediata temporis, cur ſi motum in parte immediata temporis quieſceret in hoc inſtanti, non poſſet hora tranſacta in quocumque inſtanti denuò incipere moueri eodem motu, quo nunc mouetur. Deinde dici poteſt motum ſurſum, & deorſum continuari, quia non differunt per aliquid intrinſecum, & ita etiamſi in illo inſtanti mobile moueatur, non incipiet moueri, ſed tunc erit continuatiuum vtriuſque motus. Hæc omnia facillimè componuntur in ſententia, quæ ſucceſſiua tantùm ex indiuiſibilibus componit.

11 Quando obſiſtens, & mobile tanguntur per plura puncta, vel per partes aliquas diuiſibiles, non poſſunt ſe in inſtanti tangere, quia non poteſt in inſtanti recedere aër diuiſibilis occupans ſpatium occupandum partibus ſe tangentibus, & ob eandem rationem non poteſt mobile tangens obſiſtens ſecundum partes diuiſibiles in inſtanti ab omnibus ſeparari, quia non poteſt in inſtanti accedere aër occupaturus illud ſpatium ne detur vacuum, hoc tamen non probat omnino quieturum mobile, nec adhuc ſecundum partes, quæ non ſeparantur ab obſiſtenti, quia rectè poſſunt partes moueri, & non ſeparari ab obſiſtente, ita vt neceſſum ſit aërem ingredi ne detur vacuum, quia ſi per aliquod corpus planum trahatur in inſtanti temporis tota mouetur manus, & tantum vnicum plani indiuiſibile relinquit ab aere tangendum in corpore plano, ſic poteſt dici de proiecto tangente obſiſtens. An in motu conſtrictionis cordis danda ſit quies aliqua, vt recreetur, quia nimis laborioſum illi eſſet irrequieto labore agitari, tractant Medici, & affirmatiuè concludunt.

DE

Digitized by Google

DE CÆLO
CONTROVERSIA VNICA.

PHILOSOPHI eſt eorum, quæ experientia nouit, cauſas, & effectus inquirere, earúmque rerum eſſentias, paſſiones, proprietatéſque perſcrutari, propriam conſtitutiuam rationem cuiuſuis prædicati eruere, definiréque, quæ prædicata inter ſe repugnantiam habeant, quæve amico fœdere in eandem entitatem poſſint confluere, ex quo principio huius rei poſſibilitatem illiuſque repugnantiam deducit. De illis verò quæ ad quæſtionem de facto pertinent, quorum exiſtentia eiuſdémque negatio æque componi poſſunt cum omnibus, quæ hucvſque experti ſumus, Philoſophus nihil curat, definienda enim ſunt, ex Antiquorum traditione, ex communi hominum, præcipuè litteratorum conſenſu, ex fide dignis, etſi profanis hiſtoriis. Quod ſi in ſacris libris aliquod fundamentum reperiamus, ex quo propoſita quæſtio poſſit decidi, hoc erit potiſſima, vnicaque decidendi ratio. Huiuſmodi ſunt plures quæſtiones, quæ in hac materia occurrunt, quarum pleræque ex ſacris litteris definiendæ ſunt, quas diuinæ ſcripturæ interpretibus intactas relinquam, ſunt etiam aliæ plurimæ, quæ tantum attinent ad quæſtionem de facto, & apud ſacrum textum nullum illarum hucvſque fundamentum repertum eſt, quæ non niſi ex Patrum & Doctorum ſententiis poſſunt definiri, quas attingam breuiter; illas verò, quæ ex ipſis rerum naturis poſſunt definiri latiùs pertractabo.

PVNCTVM PRIMVM.

An cœli ſint animati, & à quo moueantur?

1 SI cœlis animam præcipuè ſenſitiuam impertiremur, ſatis conſequenter diceretur, eos poſſe à ſe moueri ſicuti reliqua animantia ſenſitiua propria virtute locali motu exercentur.

2 Sententiam fuiſſe Philoſophi lib. 2. de cœlo, text. 13. & 61. lib. 2. Metaphyſic, text. 35. cœlos eſſe animatos, fert communis ſententia, ſic illum interpretantur S. Th. lib. contra Gentiles cap. 50. & in diſputatis, quæſt. de anima art. 8. ad 3. & P. Vaſquez 1. part. quæſt. 183. licèt idem S. Thom. 1. part. quæſt. 70. art. 3. & alij cum ipſo Ariſtotelem benignè interpretentur de intelligentia non informante, ſed aſſiſtente. Quidquid ſit de mente Ariſtotelis, ſententiam hanc cum ſuis defendebat Plato, cui conſenſére Hebræi, & vt nonnulli volunt etiam Ægyptij, & aliæ barbaræ nationes. Conſpirauere etiam in hunc philoſophicum errorem Chriſtiani nonnulli, & fœdius omnibus Origenes tom. 1. comment. in Ioannem, & lib. 1. *Periarchon*, vbi non ſolùm contra bonam philoſophiam ſtellas animatas, ſed etiam contra fidem Catholicam eas virtutis & vitij capaces eſſe docuit, Chriſtumque proinde non ſolùm pro peccatis hominum, ſed etiam aſtrorum, mortem eſſe perpeſſum.

3 Cæterùm cœlos ſiue aſtra animis non potiri ſtatuit communis Patrum, & Scholaſticorum conſenſus. Sic tradunt Baſilius in exameron homil. 3. Ambroſius lib. 2. cap. 4. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, Chyſoſtomus homil. in Pſ. 4. & Damaſcenus lib. 2. de fide orthod. cap. 6. his verbis: *Nullus cœlos aut ſydera animata eſſe exiſtimet: anima quippe ac ſenſu carent.* His & aliis Patribus ſubſcribunt omnes Scripturæ interpretes, & Doctores Scholaſtici, à quibus non ſine ingenti temeritate, quiſquam recedet.

4 In primis relegandus eſt Origenis error quem damnauit Synodus Conſtantinopolitana ſecunda, quæ quinta generalis dici ſolet. Synodi verba refert Nicephorus lib. 17. cap. 28. *Si quis dicit cœlum & Solem, & Lunam, & ſtellas & aquas quæ ſupra cœlos ſunt animales quaſdam eſſe, & materiales virtutes, anathema ſit.* Legunt alij: *Si quis dicit cœlum & lunam, & ſtellas animantes quaſdam eſſe, & animales virtutes, anathema ſit.* Theologica ratio errorem hunc euertit, ſi enim cœli rationis eſſent capaces, aut eſſent in gratia, aut 5
in peccato: ſi in gratia tandem aliquando ſimul cum aliis beatis diuina potirentur eſſentia; ſi in peccato aliquando æternis addicerentur ſuppliciis, quæ omnia chymærica ſunt, alienáque à mente hominum.

Demum cœlos, & aſtra omnis animæ expertia eſſe conuincunt plures Philoſophicæ rationes. Primam peto, ex ipſorum vaſtiſſima magnitudine, quæ non rectè componitur cum viuentium formis, quæ partium approximationem exigunt, vt viciſſim foueri poſſint, & hæc in aliam influere. Secundam depromo ex ipſorum partibus, quas homogeneas eſſe cernimus nulla deorganizatione elaboratas, deorganizatio autem neceſſariò eſt requiſita in viuentium formis ad ſuarum operationum functiones. Sit tertia ratio nullum reperiri rationis veſtigium ſuadens hæc corpora vita aliqua vegetatiua, ſenſitiua, aut rationali gaudere; quod ſic probo. Si aliquod fundamentum vitæ in his corporibus poſſet reperiri eſſet motus localis, hic autem certum eſt non arguere rationalem animam, ſiquidē brutis rationis expertibus conuenit, non autem hanc inferre conſtabit ex infrà dicendis, vbi probabo cœlos non moueri à ſe, deinde etiamſi à ſe mouerentur, non ex eo virtute vitali eſſent donandi, quia virtus loco motiua vitalis non eſt, neque motus progreſſiuus adhuc in viuentibus per ſe formaliter eſt actio vitalis. Neque Philoſophi vitam aliquam cognouerunt præter vegetatiuam, quæ non differt formaliter à principio ſe augendi per intùs ſumptionem: & ſenſitiuam, quæ in principio ſenſationes eliciendi conſiſtit; & rationalem, quæ dicit formaliter intelligendi principium, ac proinde omne illud, cui non conuenit aliquod ex his tribus principiis omnino vitæ omnis expers eſt quantumuis potentia loco motiua, aliave quacumque virtute polleat. Cœlis non ineſſe virtutem nutritiuam, id ſuadet quod nunquam illos macros ex defectu pabuli, aut ex eiuſdem copia pingues experti ſumus. Neque cœlis huiuſmodi nutritiua virtus eſſet proficua, hæc enim propriâ eſt corporum corruptibilium. Cœlis virtutem ſenſitiuam non ineſſe, mihi perſuadeo, quia nunquam illos dolore aliquo punctos, neque voluptate aliqua attactos vidimus. Neque in ipſis ſubtilem aliquam rationem, qua res nimis ardua componeretur, aut grauis diſſolueretur difficultas, quiſquam agnouit, qua ratiocinandi principium illis ineſſe nobis perſuaderet.

Priſci Philoſophi, qui ſentiebant cœlos eſſe animatos 6

Digitized by Google

eiſdem virtutem locomotricem impertiebantur, & ex hac illos viuentium forma gaudere deducebant Sanioris mentis Philoſophi, Patres ac Theologi, vt ab illo errore diſcederent, corporibus cœleſtibus viuentes formas, ſeu intelligentias, quas nos modò Angelos vocamus, non informantes, ſed aſſiſtentes tribuerunt, à quibus cœli non potentes mouere ſe ab intrinſeco mouerentur. Ita docent Ariſt. 8. Phyſic. cap. 6. text. 52. & 12. Metaphyſic. text. 43. Albertus Magnus in 2. diſt. 14. art. 6. & 12. Metaphyſic. tract. 2. cap. 10. Bonauent. in 2. diſt. 14. art. 3. q. 2. P. Suarez in Metaphyſic. diſp. 18. ſect. 3. Patres Conimbricenſes & Toletus lib. 2. de cœlo cap. 5. P. Rub. lib. 1. de cœlo, cap. 2. q. 8. P. Pereira lib. 7. Phyſic. cap. 8. & lib. 2. in Geneſim q. 6. Demum S. Thom. Opuſc. 10. art. 3. & Opuſcul. 11. art. 2. ait eſſe omnino certam ſententiam, & phyſicis rationibus demonſtratam, & ſeueriùs de Potentia quæſt. 6. art. 3. inquit, *fidei ſententiam eſſe, quod ſubſtantiæ ſeparatæ, ſiue Angeli moueant corpora cæleſtia.*

7 His tamen non obſtantibus ſi tantùm rationi naturali ſtandum eſſet, non facile eſſet demonſtrare corpora cœleſtia Dei tantùm concurſu generali cauſæ primæ præuenta non moueri per virtutem illis innatam, ex vi cuius perpetuum motum appeterent, ſicut illum appetunt elementa vt propria centra petant. Dices ex hoc deſumi rationis diſparitatem, quia elementa mouentur, vt acquirant proprium centrum, quo acquiſito illicò quieſcunt, & non niſi violenter ab illo extrahuntur; corpora verò cœleſtia ſi naturaliter mouerentur, nullum proprium centrum quærerent, ſiquidem nullibi quieſcerent, ſed quocumque ſpatio acquiſito aliud & aliud peterent. Non probo ego ex virtute inſita elementis ad motus, ex vi quorum propria acquirant centra, innatam propenſionem corporum cœleſtium ſe mouendi, ſed tantùm hanc explico à paritate rationis, quam ſic expendo. Mouentur elementa virtute ſibi innatâ, vt proprium veluti finem acquirant, qui eſt vbicatio in proprio centro: ergo poterunt perpetuò moueri ſimili virtute corpora cœleſtia, vt proprium finem acquirant, qui poterit eſſe motus ipſe perpetuus, quem tanquam proprium finem reſpiciant, ita vt ſicuti lapis mouetur, vt quietem habeat in proprio centro, ita cœli moueantur non propter quietem acquirendam, ſed propter ipſum motum exercendum, quem reſpiciunt vt proprium finem, ſeu propter vbicationes, quas per motum acquirunt, quia in has tanquam in finem, feruntur, quibus cum non poſſint ſimul frui, beneficio perpetui motus, eo modo quo poſſunt, ſucceſſiuè perfruuntur. Secundùm hunc philoſophandi modum, dici poſſet quamlibet partem corporis cœleſtis reſpicere tanquam proprium centrum totum ſpatium, per quod mouetur, quo ſucceſſiuè perpetuò motu gaudere intendit, qui totum illud ſimul acquirere non poteſt. Vlteriùs: nulla eſt repugnantia in eo, quod Deus creet corpus aliquod, cui inſit innatus appetitus ad perpetuum motum: ergo potuit huiuſmodi creare corpora cœleſtia: quod ſi potuit, cur dicemus hac ratione non fuiſſe creata, vt propriæ ipſorum virtuti tribuamus motum, quo perpetuò eadem exerceri experti ſumus, ſicuti virtuti ipſius Solis tribuimus ipſum perpetuò luce perfundi, non ex alio capite, niſi quia non repugnat lucem ab ipſo promanare, licet à Deo immediatè produci abſque vllo Solis concurſu non repugnet.

8 In hanc ſententiam non parum inclinat erudiſſimus noſter Euſebius Nieremberg. in ſua Philoſophia lib. 6. de ſtellarum vita cap. 3. & cap. 23. & 31. Poſſet ſecundùm hanc ſententiam explicari D. Thomas, qui docet de fide eſſe corpora cœleſtia moueri ab intelligentiis, de motibus irregularibus, quos ex ſpeciali Dei prouidentia contra ipſorum corporum cœleſtium naturam patiuntur, pro quibus motibus exercendis diſtinati erunt ſinguli Angeli ſingulis corporibus cœleſtibus. Sic in noſtræ redemptionis die, quo Chriſtus Dominus pro nobis vitam ſuam Patri obtulit, Angelus cuius munus eſt Lunæ præeſſe, illam mouiſſe dicendum eſt, vt Soli eclipſim pareret, & poſtea in ſuum reſtituiſſe locum. Eadem ratione ad vocem Ioſue Angeli quibus incumbit exercitium motuum, qui ex peculiari prouidentia fiunt, hos Planetas detinuiſſe credendum eſt, poſteàque vt ſuum quiſque naturalem motum perageret, ad proprium ſpatium reduxiſſe. Neque aliter accidiſſe credo Magno illi Indorum Apoſtolo, (quem hoc titulo voluit honorari ſanctiſſimus noſter P. Vrbanus VIII. in Bulla ſuæ canonizationis) Patri noſtro Franciſco Xauerio, cùm illius precibus exoratus Deus Solem ſtitiſſe voluit, donec nauis, quæ magna procella fluctuabat, quaque ſanctiſſimus Pater vehebatur, ad portum feliciter eſſet appulſa.

Quæ hucvſque adduximus tantùm veriſimiliter poſſunt 9
ſuadere, potuiſſe Deum creare corpora cœleſtia, quę virtutem haberent ſe mouendi ab intrinſeco, id tamen de facto feciſſe nulla conjectura ſuadet. Potuiſſe etiam corpora cœleſtia creaſſe, quæ non niſi ab extrinſeco poſſint moueri, extra omnium eſt controuerſiam. Huiuſmodi enim corpora plura experimur modò, illa verò, quæ perpetuò motibus regularibus ſe poſſint abſque vlla vitâ moueri nunquam hucvſque vidimus, & mediocri ratione ſuffultus poterit quiſquam aſſerere in huiuſmodi corpore repugnantiam inuolui. Tutius ergo erit aſſerere corpora cœleſtia ab extrinſeco moueri, quod extra vllam controuerſiam poſſibile eſt, quàm conſtituere corpora cœleſtia inanimantia ab intrinſeco ſe perpetuò mouentia, quorum non repugnantia poterit in controuerſiam verti. Accedit Patrum, & Scolaſticorum authoritas, quæ in quæſtionibus de facto, vbi naturalis ratio partem aliquam contradictionis non confirmat, totam quæſtionis decidendæ fundamentum eſſe debet. In præſenti ergo difficultate Patrum, & Doctorum veſtigiis inhærens affirmo cœleſtia corpora ab extrinſeco moueri.

Poſtquàm iam ratum ſit cœlos ab extrinſeco moueri, poteſt quis in quæſtionem vertere, an moueantur immediatè tantùm à Deo, an ab intelligentiis, ſeu ab Angelis. Vtrúque fieri potuiſſe mihi omnino eſt certum, quia nullam repugnantiam inuenio in eo quod immediatè tantùm à Deo, vel ab Angelis moueantur. De facto cœlos ab Angelis moueri mihi perſuadet authoritas Patrum, & Scholaſticorum, qui cœleſtes motus Angelis attribuunt. 10

Nota duplicem eſſe ſententiam; quandam Doctorum aſſerentium quodlibet cœlum moueri, & ſecum ferri aſtrum, ſeu aſtra illi affixa; aliam eorum, qui aſſerunt cœlos immotos permanere, & ſtellas non alicui illorum parti affixas moueri per aliquos canales intra cœlos contentos, vel ea ratione, qua aues medio mouentur aëre. Ex his priores tantùm debent ſingulis cœlis ſingulos aſſignare Angelos; poſteriores verò cuilibet aſtro proprium tenentur Angelum impertiri, non enim poterit Angelus per ſe immediatè aſtra longè inter ſe diſtantia ſimul mouere immoto corpore, cui inſunt, quia non poteſt ſimul omnibus eſſe applicatus. 11

PVNCTVM II.

An corpora cœleſtia ſint eiuſdem rationis cum ſublunaribus?

Corpora ſublunaria compoſita ſunt ex materia, & forma, ſunt inſuper corruptibilia, quæ ſub eodem titulo diſputanda ſunt de corporibus cœleſtibus, an videlicet componantur ex materia & forma, vel an ſint corpora ſimplicia in quibus nulla eſſentialis compoſitio reperiatur. Deinde ex ſuppoſitione, quòd ſint compoſiti ex materia & forma, an conſtent materia eiuſdem rationis cum noſtrate. Tandem quacumque materia conſtent, diſputandum eſt an corruptioni ſint obnoxia, necne: quæ omnia paucis explicabo. 1

In primis ſuppono quæſtiones ſupra inſinuatas decidendas eſſe independenter ab eo, quod cœleſtia corpora ſint fluida, vel ſolida: rectè enim poteſt dari corpus vnum fluidum expers compoſitionis eſſentialis, & aliud partibus eſſentialibus compactum. Neque refert corpus fluidum diuiſibile eſſe, materia enim prima diuiſibilis eſt, & incorruptibilis, non enim diuiſio quælibet corruptionem parit, ſed illa ex vi cuius membra diuidentia reducenda eſſent ad extenſionem minorem minima requiſita ad conſeruandam diuiſi naturam. Suppono ſecundò ex compoſitione eſſentiali, non inferri corruptibilitatem totius, quia hoc poteſt eſſe incorruptibile ratione materiæ, quæ tantùm ſit capax formæ, qua gaudet, & ita non poteſt aliam recipere, qua hæc expellatur totúmque ſubſtantiale corrumpatur. Poteſt etiam, ſi materia prima ſit capax plurium formarũ corpus eſſe incorruptibile ratione formę, quæ inamiſſibiliter materiam informet, & ita firmiter illi adhæreat vt nulla alia poſſit detrudi, quia ipſi debetur ex vi ſuæ exigentiæ, nę Deus præſtet ſuum concurſum alicui agenti, vt 2

vt formam cum ipſa incompoſſibilem in eandem materiam introducat. Suppono tertiò poſſe dari corpus ſimplex totius compoſitionis eſſentialis, imò & integralis expers, quod probaui Controu. 5. Phyſic. Punct. 5. Suppono quartò corpus ſimplex non poſſe corrumpi ex vi formæ incompoſſibilis, aut alicuius qualitatis, quæ eidem corpori imprimatur, ſed tantum poſſe deſtrui ab agenti naturali per diuiſionem, ſeu deſtructionem vnionis, ſi corpus illud certam extenſionem requirat ad ſui conſeruationem. Rationem tradidi, & explicui loco ſuprà citato, quam iterum repetere non vacat, His præmiſſis venio iam ad quæſtiones propoſitas definiendas.

3 Cœlum expers eſſe compoſitionis eſſentialis docuêre Durand. Gabriel. Arr. Baſſolus, & alij apud Conimbr. lib. 1. de cœlo, q. 4. art. 1. Corpora cœleſtia ex materia, & forma conſtitui docent D. Thom. D. Bonauent. Ægid. Capreol & Herueus apud Conimbr. ſuprà. P. Molina 1. part. & P. Tannerus tom. 1. diſp. 4. q. 2. dub. 3. Hurtad. diſp. 1. ſect. 1. & alij quàm plures.

4 Authores prioris ſententiæ ſic arguunt. Philoſophi tantùm cognouêre compoſitionem eſſentialem ex tranſmutatione formarum, ſeu ex aduentu vnius, & diſceſſu alterius præexiſtens: ſed hæc tranſmutatio non inuenitur in corporibus cœleſtibus: ergo nullum eſt fundamentum, vt illis compoſitionem ex materia & forma tribuamus. Reſpondeo Philoſophos cognouiſſe compoſitionem eſſentialem ex hac tranſmutatione, poſſe tamen poſtquam illam hoc fundamento ducti cognouerunt in corporibus ſublunaribus, illam à paritate rationis extendere ad corpora cœleſtia. Quia tamen vbi non eadem tranſmutationis inuenitur ratio, non bene à paritate arguitur, poteſt reſponderi tranſmutationem formarum arguere compoſitionem eſſentialem, ex negatione tamen tranſmutationis non inferri negationem compoſitionis, quia bene poteſt dari compoſitio ex materia, quæ aliùs formæ incapax ſit. Quod ſi formarum tranſmutationem non eſſemus experti, non admitteremus compoſitionem eſſentialem, ideo eſſet, quia huius compoſitionis poſſibilitatem penitus neſciremus, ita vt ſi ex alio capite talis compoſitionis naturam poſſemus agnoſcere, nulla viſa formarum tranſmutatione poſſemus de quocumque corpore prudenter dubitare, an hoc vel illud corpus conſtaret partibus eſſentialibus, eſſetve omnino ſimplex. Vltimò dico in ſententia plurium Patrum cœlos fuiſſe ex aqua productos, quæ productio dicit tranſmutationem formæ elementalis in formam cœleſtem, & materiam vtrique communem, in quibus eſſentialis compoſitio neceſſariò imbibitur.

5 Arguunt ſecundò: ſi corpora cœleſtia conſtarent materiâ, & formâ eſſent corruptibilia: ſed ſic eſt quod ſunt incorruptibilia: ergo non conſtant materia & forma. Admiſſa maiori negant nonnulli minorem, aſſerúntque corpora cœleſtia eſſe corruptioni obnoxia; ego tamen nego maiorem, rectè enim eſſentialis compoſitio, & compoſiti incorruptibilitas poſſunt componi modo explicato n. 2.

6 Arguunt tertiò: Non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate. Sed nulla eſt neceſſitas conſtituendi duplicem partem eſſentialem in corporibus cœleſtibus: ergo dicendum eſt eſſe corpora ſimplicia. Eodem argumento efficacius vtor ego pro oppoſita ſententia. Non ſunt multiplicandæ entitates in rerum natura ſine neceſſitate. Sed non eſt neceſſitas multiplicandi corpus ſimplex ſpecie diſtinctum à corporibus compoſitis: ergo tale corpus admittendum non eſt. Reſpondebis corpus ſimplex neceſſarium eſſe ad perfectionem vniuerſi, quæ ex corporum varietate conflatur. Contrà tamen, quia mundus iſte non eſt perfectiſſimus omnium, qui poſſunt eſſe, caréque exiſtentia plurium ſpecierum, quibus perfectior euaderet: ergo poteſt exiſtere ſine perfectione, quæ illi reſultaret ex productione corporis ſimplicis: ergo poterit exiſtere ſine hoc corpore ſimplici. Reſpondeo ergo ſufficientem neceſſitatem eſſe ad compoſitionem eſſentialem in corporibus cœleſtibus conſtituendam, quam in aliis corporibus experti ſumus, ne cogamur admittere exiſtentiam corporis ſimplicis, cuius conditionis nullum hucvſque experti ſumus. Demum quæcumque ratio te moueat ad compoſitionem eſſentialem in corporibus cœleſtibus conſtituendam, ſufficientem arguet neceſſitatem huius compoſitionis admittendæ.

7 Neque maioris momenti ſunt argumenta, quæ pro oppoſita ſententia authoritate ſecluſa à ratione petuntur. Præcipua intendunt probare repugnare corpus ſimplex, ſeu compoſitionis expers, quæ ſolui loco ſupra citato, vbi huiuſmodi corporis poſſibilitatem propugnaui. Addunt Conimbricenſes: Motus Phyſicus eſt materiæ argumentum, & propria entis mobilis affectio. Sed motus phyſicus conuenit cœlo: ergo cœlum eſt immobile: ens autem mobile teſte Ariſt. 7. Phyſic. cap. 1. tex. 1. eſt quod ex materia, & forma conſtat. Reſpondeo ens mobile per generationem, & corruptionem ſubſtantialem neceſſariò conſtare materia, & forma, ens verò mobile motu accidentali, etſi corporeo, ex eo præcisè quod hac ratione mobile ſit, non arguere intrinſecam compoſitionem eſſentialem, ſicut enim Angelus ſubſtantia ſimplex ſpiritualis poteſt accidentaliter moueri motu accidentali ſpirituali, ſic corpus ſimplex materiale motu accidentali corporeo poterit alterari. Nulla autem eſt ratio authoritate ſecluſa, quæ probet cœlos, aut aliquod ipſorum poſſe moueri motu ſubſtantiali, ac proinde ex hoc capite illorum compoſitio non valebit inferri.

Ex his concludo neutram ſententiam poſſe ratione naturali efficaciter probari, nihilominus aſſtruendam eſſe compoſitionem eſſentialem in corporibus cœleſtibus propter authoritatem multorum Patrum, qui docent in prima ſui conditione ex materia elementali fuiſſe procreatos, ens verò quod fit ex materia, ex hac, & alia comparte, quæ forma dicitur neceſſariò componitur. Teſtimonia Patrum, qui aſſerunt cœlos ex materia elementali fuiſſe productos videri poſſunt apud Tann. diſp. 6. quæſtion. 2. dub. 4. 8

Ex fundamento, quo præcedentem difficultatem decidimus deciſa manet alia, quæ ſuppoſita compoſitione eſſentiali in corporibus cœleſtibus immediatè ſuboritur, an videlicet ipſorum materia eiuſdem ſpeciei ſit cum noſtrate, nécne, neque in hac quæſtione quidquam inuenio, quod poſſit ratione naturali, ſemota Doctorum authoritate definiri, ideò me ab illa breuiſſimè expendiam. 9

Sentio nulla ratione naturali poſſe probari materiam primam cœlorum eſſe diſtinctæ, aut eiuſdem ſpeciei cum corporibus ſublunaribus, quod ſic oſtendo. Si ex aliquo capite poſſet probari diuerſitas ſpecifica materiæ cœleſtis à ſublunari, maximè ex cœlorum incorruptibilitate & corporum cœleſtium: hæc autem rem non conuincit, in primis quia probatu difficile eſt, ſi tantùm rationibus agatur, cœlos eſſe incorruptibiles. Secundò, quia incorruptibilitas poteſt procedere ex forma, quæ etſi materiam informet ex ſe aliùs formæ capacem, & eiuſdem rationis cum noſtrate, ita firmiter ſubiecto adhæreat, vt nulla alia poſſit expelli, vt dicebam ſupra num. 2. Neque corruptibilitas cœlorum, quam propugnes, ſuadebit cœlos habere materiam eiuſdem ſpeciei cum materia corporum ſublunarium. Primò, quia corruptibilitas cœlorum nulla ratione naturali poteſt efficaciter ſuaderi. Secundò, quia etiamſi cœli eſſent corruptibiles, non inde inferebatur poſſe corrumpi ex eo, quod illorum materia admitteret formas ſublunares, ſed alias cœleſtes diuerſæ rationis in quibus eſſet pugna, & mutua generatio, & corruptio, abſque eo quod forma aliqua cœleſtis poſſet expelli à propria materia per formam quam ſublunarem. Tertiò, etiamſi daremus materiam cœleſtem poſſe recipere formas ſublunares, non poſſet concludi materiam cœleſtem, & ſublunarem eſſe eiuſdem ſpeciei, donec exploratum eſſet materiam ſublunarem capacem eſſe recipiendi formas cœleſtes. Quæ omnia nullo modo probari poterunt, cum nulla ſuperſit experientia, quæ alicui contradictionis parti ſubueniat. 10

Dices: ſi cœli ſunt incorruptibiles: ergo illorum materies nunquam recipiet alias formas: ergo non habet potentiam ad illas recipiendas, quorſum enim potentia, quæ nunquam ad actum reducetur? Reſpondeo non in quolibet indiuiduo potentiam ad actum reducendam eſſe, ſed ſufficere in aliquo, vel aliquibus reduci, quod fiet ſi materia prima cœlorum ſit eiuſdem ſpeciei cum materia prima aliorum corporum, quia licet in materia cœleſti indiuidua potentia recipiendi alias formas ad actum non reducatur, in aliis materiis indiuiduis eiuſdem ſpeciei cum cœleſti ad actum reducetur. Rationes alias huiuſcemodi inuenies, quibus non ſolùm pars aliqua contradictionis non euincitur, ſed neque leuiter valet coniectari. 11

In quæſtione cuius reſolutio omni ratione naturali eſt deſtituta, vnicè confugiendum eſt ad Patrum Doctorumque authoritatem, quorum menti magis conſonum eſſe cenſeo 12

Digitized by Google

cenſeo materiam primam omnium cœlorum (Empyreo dempto de quo poſtea dicam) eſſe eiuſdem ſpeciei cum ſublunaribus. Mitto ſententiam hanc ab omnibus antiquis Philoſophis dempto Ariſtotele fuiſſe traditam , vt videre eſt apud Conimbricenſes 1. de cœlo cap. 2. quæſt.6. art.1. Et in hac re Ariſtotelis ſententia flocci habenda eſt , errauit enim turpiter in hac materia exiſtimans cœlos à parte antea, & à parte poſt fuiſſe ab æterno creatos , & eſſe natura ſua incorruptibiles , & æternos , ideò finxit eſſe quintam quandam ſubſtantiam valde ſemotam à reliquis aliis. Qui plura Patrum teſtimonia de hac re videre velit, adeat P. Tannerum diſputatione 6. quæſtione 2. dubio 4. vbi innumera adducit , quibus Patres innuunt ex materia elementali cœlos ſtellatos procreatos fuiſſe. Mihi ſufficiat referre ſententiam Noſtri Molinæ 1. part. tract. de opere ſex dierum quæſt. 5. vbi dicit , ſe docuiſſe in Philoſophia, cùm nondum ſcripturam ſacram ſuis momentis æſtimaſſet materiam cœleſtem ſpecie diſtingui à ſublunari, nunc verò oppoſitam defendere, eo quod ex ſcriptura ſacra (cuius authoritas cæteris omnibus præferenda eſt) apertè colligi videatur materiam cœlorum (ſi Empyreum excipiatur) conuenire in ſpecie cum materia rerum ſublunarium.

13 Dixi ſuprà teſtimoniis Patrum probari cœlos ſtellatos ex elementali materia fuiſſe productos , vt Empyreum exciperem , quia creationem huius nullum præceſſit elementum , ex cuius materia fieri poſſet , iuxta illud : *In principio creauit Deus cœlum & terram*, quod de cœlo Empyreo neceſſariò intelligendum eſt. Ex hoc capite liberior datur opinandi facultas circa materiam cœli empyrei, & ita aſſeruit Molina probabiliter dici poſſe illius materiam ſpecie diſtingui à materia aliorum cœlorum corporumque ſublunarium. Mea ſententia eſt nihil poſſe in hac ratione naturali demonſtrari , de qua non philoſophando , ſed tantùm diuinando loqui poſſumus , ideo illi penitus ſuperſedeo. Venio iam ad aliam quæſtionem de cœlorum incorruptibilitate.

14 Cœlos natura ſua eſſe corruptibiles dempto Ariſtotele docuêre Philoſophi omnes. Eandemque ſententiam nonnulli ex Patribus videntur fuiſſe amplexi, eo fundamento ducti, quod ex elementali materia fuerint procreati. Idem iudicare videntur Magiſter in 2. diſtinct. 14. & Carthuſ. in 2. diſtinct. 14. q.17. & expreſſe docent Cathar. in epiſt. ad Hebr. 1. & in 2. Petri 3. Hieronymus Magius lib. de exiſtentia mundi , Valeſius lib. de Philoſophia ſacra cap.89. Pater Alphonſus Salm. tom.1. Proleg. vltimò in 2. Petri 3. diſputatione 4. & Pater Martinus del Rio cap. 1. Geneſ. & Pater Euſebius Nieremberg. lib. 6. de ſtellarum vita cap. 13. Subſcribunt ferè omnes Mathematici huius temporis , qui tenaciter defendunt cœlum fluidum eſſe , & indiuiſibile , ex eo quod illius corruptibilitatem deducunt. Secundò, quia exiſtimant noua phænomena , quæ diuerſis temporibus in cœlo apparuêre , & quaſdam maculas , quæ in ipſo Solis diſco non rarò videntur, non poſſe ſine cœlorum corruptibilitate explicari.

15 Cœlos eſſe ingenerabiles , & incorruptibiles docuit Ariſtoteles lib. de cœlo cap. 3. & lib 2. capit. 1. Philoſophum ex ſanctis Patribus ſequuti ſunt Dionyſius apud ſanctum Thomam infra citandum , & Gregorius Nyſſenus lib. de hominis opificio cap. 1. ex Scholaſticis S. Thom. 1. part. quæſt. 66. art.2. & in 2. diſt. 14. quæſt.2. Albertus Magnus part. 1. de quatuor coæuis quæſt. 4. art. 1. Bonauent. in 2. diſt. 14. art.1. quæſt. 1. & 2. Pater Molina 1. part. q.9. art.2. diſput.3. PP. Conimbricenſes lib.1. de cœlo, c.3. Pater Hurtadus diſp.1. ſect.5. & ferè omnes Philoſophi, Theologi , atque Scripturæ interpretes.

16 Nullius ſententiæ rationibus conuincor, quas omnes breuiter attingam , & infringam. Arguunt Patroni primæ ſententiæ. Cœli facti ſunt ex materia elementali : ergo habent materiam aliûs formæ capacem : ergo poterunt corrumpi alia forma adueniente materiæ , ex his quas poteſt recipere. Do antecedens, concedo priorem conſequentiam , & poſteriorem nego. Sæpè enim dixi corruptibilitatem totius poſſe prouenire ex forma inamiſſibiliter informante materiam, à qua per aduentum aliûs formæ non poterit expelli , etiamſi materia quatenus eſt ex ſe , capax ſit recipiendi aliam formam , quia illam abſolutè non poterit recipere ratione formæ qua inamiſſibiliter informatur , ſicuti humanitas Chriſti vnita Verbo , etiamſi ex natura ſua vnione ſecluſa capax ſit peccandi , impeccabilis efficitur ratione vnionis in ſenſu diuiſo, & in ſenſu compoſito , quia vnitur verbo vnione quadam inamiſſibili.

Arguunt ſecundò : corpora cœleſtia ſunt fluida , & diui- 17
ſibilia : ergo corruptibilia. Do antecedens , & nego conſequentiam , ſtatui enim num. 2. non omnem diuiſionem parere corruptionem partis diuiſæ, vt videre eſt in materia prima.

Arguunt tertiò Mathematici , non poſſe defendi Phæ- 18
nomena , quæ in cœlis apparuerunt , ſi cœli corruptibiles non ſunt. Reſpondeo ſat benè omnia Phænomena explicari ſi cœli fluidi ſint , etiamſi incorruptibiles exiſtant, vt conſtabit ex dicendis Punct.3. an verò ex illis inferatur cœlos fluidos eſſe, ibidem inquiram.

Neque grauioris momenti ſunt fundamenta ſenten- 19
tiæ propugnantis incorruptibilitatem cœlorum. Præcipuum argumentum deſumitur experientia, qua compertum eſt omnia cœleſtia corpora mirabili conſtantia per tot ſæcula permanſiſſe, quod ſine ipſorum corporum incorruptibilitate accidere non potuiſſet. Si enim Lunæ globus diſſolui poſſet, iam acrimoniam ignis eſſet expertus, & ab eo fuiſſet abſumptus. Profectò hanc eandem conſtantiam miror ego in elementis præcipuè in aëre, in quo poteſt tot ſæcula nullam ipſius iacturam experti ſumus , etiamſi natura ſua corruptibilis ſit , nonnulláque patiatur , illicò enim mutua reactione ea reſarcit , & tantundem materiæ vicinæ elementi appropriat , quantum ipſi aëri contrarium arripuerat elementum. Similem luctam quiſque poterit admittere inter globum lunæ , & ignem huic attiguum , cui nulla experientia refragabitur. Neque neceſſum eſt leuiſſimam iacturam etiam illico reſarciendam in Luna admittere, poteſt enim dici Lunam protegi partibus globi , cui aſſidet, quæ prius cum igne pugnam experiuntur, & cum nunquam omnes ignis aſſumpſerit , non poteſt Lunam remotiorem lædere , & multo minus alia corpora cœleſtia luna remotiora. Adde nulla experientia poſſe probari nullam lunæ portiunculam deperdi , quia ſi de facto accideret , nullo inſtrumenti Mathematici beneficio poſſet in corpore adeò vaſto notari.

In re ratione naturali deſtituta eo cum Doctoribus , qui 20
aſſerunt cœlos eſſe incorruptibiles, quia illorum authoritas maioris mihi ponderis eſt, & quia de eorum mente dubitare non licet : de mente autem illorum , qui videntur aſſerere cœlos eſſe corruptibiles non leuis poteſt eſſe dubitatio , multi enim hoc loquendi modo tantùm ſignificant cœlos poſſe à Deo corrumpi , quod non negamus , in quo tantùm Damaſc. lib. 2. fidei Orthodox. c.3. & alij multi Patres aſſerant nulli entitati , etſi Angelus comprehendatur, naturâ ſua, ſed Dei gratia incorruptibilitatẽ conuenire. Idẽ loquendi modus reperitur in 6. Concil. Generali actione 11. vbi dicitur Angelos non eſſe immortales per naturam, ſed per gratiam : quia videlicet ex ſe poſſunt non exiſtere , nec niſi Dei creantis beneficio eſſe habent. Noſtra verò quæſtio non procedit de incorruptibilitate cœlorum reſpectu omnipotentiæ diuinæ, à qua certum eſt poſſe corrumpi & deſtrui, ſed reſpectu cauſarum naturalium, à nulla quarũ cœli poſſunt corrumpi, ideò illos abſolutè incorruptibiles vocamus. Adde totũ fundamentum pluriũ Doctorum aſſerentiũ cœlos eſſe incorruptibiles tãtum deſumi ex eo, quod fuerint procreati ex materia elementali , quod nullius roboris eſt, potuit enim ex eadem materia, qua modo totum corruptibile cum hac forma componitur , totum aliud incorruptibile cum alia forma inamiſſibiliter informante conſtitui.

Hic nonnulli diſputant an cœli corrumpendi ſint à Deo 21
in extremo die, quæ difficultas diſſoluenda eſt ex ſacris literis, & non ratione aliqua naturali, ideò illam ſacræ Scripturæ interpretibus integram relinquo. Lege ſi placet Tanner. & Conimbr. ſuprà , apud quos Patrum ſententias de hac re inuenies.

PVNCTVM III.

An corpora cæleſtia ſint liquida, & mollia, vel ſolida, & dura?

§. I.

Propoſita quæſtione variæ ſententiæ referuntur.

Difficultas non eſt de cœlo aëre , quod experientia 1
conſtat fluidum eſſe, nec de cœlo Empyreo , quod non

non ſolùm loco, ſed naturæ dignitate reliquos alios cœlos exſuperat, quodque ab omnibus Doctoribus immobile, & ſolidum conſtituitur, quia beatorum curia & quaſi theatrum eſt ad recipienda diſtinctis ſedibus beatorum corpora deſtinatum, & ob hanc rationem communiter creditur verſus partem ſuperiorem eſſe quadratum, quod nonnulli ſignificari volunt illo Apoc. c. 21. *Ciuitas in quadro poſita eſt.* Procedit ergo prædicta difficultas de cœlo ſtellato ſiue hoc vnum ſit, ſiue multiplex, nec ideò incidit cum illa, quam exagitamus de cœlorum incorruptibilitate, quia ſiue cœlum ſit fluidum, ſiue ſolidum, ex his differentiis non illi corruptibilitas, aut incorruptibilitas repugnabit, quod debuerant aduertere nonnulli, ne diſtinctas, & diſparatas quæſtiones inuoluerent, & totam diſputationis materiam confunderent.

2 Prima ſententia docet cœlum omne ſydereum tam ſtellarum errantium, quàm inerrantium ſolidum eſſe, in hanc conſpirarunt ferè omnes antiqui Scholaſtici, & Scripturæ interpretes Ariſtotelem ſequuti lib. 2. de cœlo à text. 43. vſque ad 52. Ex Philoſophis antiquis Ioſephus lib. 1. antiquitatum cap. 1. Philo, lib. 1. de gigantibus. Idem ex Moyſis & Platonis ſententia docet Euſebius de præparat. Euangelica lib. 11. cap. 16. Ex patribus referuntur pro hac ſententia Baſilius Homilia 3. Hexameron, & Ambroſ. Baſilium ſequutus lib. 2. Hexameron Homil. 2. Veruntamen hi Patres multùm fauent ſententiæ, quæ cœlos liquidos eſſe affirmat. Clariùs videntur ſententiam hanc tradidiſſe Clemens Papa. lib. recognitionum cap. 9. Origenes homilia 1. in Geneſim. Alij quàmplures Patres pro hac ſententia referuntur à Noſtro Tannero tract. 1. diſputatione 6. quæſtione 3. dubio 2. quos omitto, quia ſi illorum verba attentè expendantur nihil prædictæ ſententiæ fauere compertum erit. Ne tamen videar hæc gratis dixiſſe referam Chryſoſtomi verba adducta à Tannero pro hac ſententia ex Catena Lipomani ſect. 4. *Præcepto Domini productum eſt firmamentum, ſeparationem aquarum faciens, quod valeat alias ſub ſe continere, alias verò in conuexo ſuo ferre.* Quibus verbis nihil de cœlorum ſoliditate ait Chryſoſtomus, ſed illam vult inferre Tannerus ex eo, quod cœlum aquas ferat, quas ferre non poſſet ſi fluidum eſſet. Sed hæc illatio nulla eſt, vt oſtendam num. 10. vbi probabo ſoliditatem cœli non inferri, ex eo quod ſuprà ſe aquas contineat. Neque ad rem magis faciunt Sinaitæ verba pro eadem ſententia adducta à Tannero ex commentatiis Hexameron lib. 1. *Qui enim ex aquis formauit cœlum, & ſupra aquas ſuſpendit terram, poterat & ſine aqua indiſſolubile cuſtodire firmamentum, etiam ex igne Solis.* In quibus verbis nihil inuenies, quod cœli ſoliditatem innuat, quod enim firmatum, & indiſſolubile dicatur, illius tantùm incorruptibilitatem, aut perpetuitatem, ſeu diuturnam durationem poteſt indicare. Hæc dixerim, ne Patrum ingens manus, quæ pro hac ſententia adducitur, te ſine longo examine ab oppoſita ſententia terreat, vix enim vnum vel alterum inuenies, qui clarè & apertè ſententiam hanc tradiderit. Demum ſententiam hanc defendunt Pater Martinus del Rio in Geneſ. cap. 1. num. 36. & Pater Pereira lib. 7. quæſtione 9. pater Tannerus ſuprà, licèt aſſerat cœlos natura ſua non eſſe ſolidos ſed fluidos, & hac ratione primo die à Deo fuiſſe creatos, poſtea verò ab eodem fuiſſe conſolidatos, additque vix ſine temeritate negari poſſe cœlum ſtellarum inerrantium (quod ſolum nunc à recentioribus firmamentum dicit) ſolidum eſſe.

3 Secunda ſententia tenet cœlos omnes non excepto cœlo ſtellarum inerrantium fluidos eſſe. Hanc videntur docuiſſe non pauci ex Patribus: Iuſtinus ad quæſtionem 39. Orthodoxorum. Euſebius Emiſſenus in Catena Lipomani capite 1. Geneſ. Gregor. Nyſſenus in Hexameron. Infertur etiam ex Chryſoſtomo homilia 9. in Geneſim vbi ſtellas ſolùm & non cœlum moueri aſſerit. Neque eidem ſententiæ parum fauent Baſilius Homil. 1. Hexameron cap. 6. Accedunt Lactantius lib. 3. de falſa ſapientia cap. 24. Procop. in Geneſim cap. 2. Diodorus Tarſenſis in Catena Lipomani relatus, Philaſtrius in ſuo catologo Hæreſeon. Obſeruauit inſuper Naclantus in ſua medulla veteres Rabinos cœlos ſoliditatis expertes exiſtimaſſe, quod vnanimes docuêre priſci Philoſophi apud Ariſt. ſuprà. Cicero 2. de Nat. Deorum, Plato in Timæo, Seneca lib. 7. naturalium quæſtionum. Conſentiunt nobiliſſimi ſcripturæ interpretes Hugo Card. in caput 1. Geneſ. verſ. 1. Carthuſ. ibid. verſ. 12. N. Mariana verſ. 12. & nouiſſimè N. Complutenſis Celada in commentariis Geneſis iam prælo maturis. Demum denſiſſimum Mathematicorum agmen, à quo neque vnus huius temporis recedit, cœlos eſſe fluidos acriter propugnat, neque aliter componi poſſe vnanimes inquiunt omnes huius temporis aſtronomi plura phænomena, quæ nouis inſtrumentis præcipuè tubo optico his temporibus ſunt obſeruata præcipuè à Tychone Brahe, quem non imparem Ptolomæo nonnulli non immerito prædicant. Expendit plura ex his, quæ huius Authoris peritia inuenit, aſſueta eruditione Noſter Euſebius in ſua Phitoſophia lib. 6. de ſtellarum vita, quibus compertum eſſe ait cœlos fluidos eſſe & non ſolidos.

4 Tertia ſententia media inter vtramque relatam aſſerit ſtellas inerrantes cœlo ſolido infixas eſſe cuius motu feruntur, errantes verò ſiue Planetas nullo ſolido corpore illas deferente in æthere fluido liberè vagari. Poſſent in hanc ſententiam adduci non pauci ex Antiquis aſſerentibus ſtellas inerrantes fixas eſſe firmamento, & ſtellas errantes per æthera vagari, verum hi Authores tantùm volunt ſignificare Planetas nullo inter ſe obſeruato moueri ordine, ſiue proprio cœlo affixi ſimul cum illo ferantur, ſiue in eodem quaſi natantes proprio cientur motu. Neque ex Antiquis Patribus aut Philoſophis vllus inuentus eſt, qui eam tradiderit, illam tamen nuper docuit Merſenins in ſuo ſingulari opere ſupra Geneſim capite 1. verſ. 8, artic. 9.

§. II.

Expediuntur fundamenta primæ ſententiæ.

5 Fundamenta huius ſententiæ è ratione petita leuiſſima ſunt, vt poſtea conſtabit, ideò præcipuè ex authoritate petuntur.

6 Primo ſolet hæc ſententia probari ex lib. Iob. cap. 37. verſ. 18. vbi dicitur, *Tu forſan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt?* Reſpondeo Noſtrum Pinedam ad hunc locum cœlorum nomine aërem intelligere. Sed eſto intelligendi ſint cœli, de his prædicta verba poterunt explicari, ea ratione qua eadem de aëre interpretantur Pineda, qui ſolidus non eſt, ſed fluidus, ibi enim quidquid nomine cœli intelligatur, non comparatur cum ære, quia ſolidum ſit, quatenus ſolidum fluido opponitur, ſed quatenus æs firmum conſtans, & diu eſt perſeuerans. Alij apud Venerabilem N. Gaſparem Sanctium in hunc locum vertunt, *quaſi ſpeculum fuſum, aut quaſi viſio fuſilis*, quia videlicet in cœlo tanquam in cryſtallo pellucida, aut in ære polito, & terſo variæ apparent, & elegantes ſpecies, in quo poteſt intelligi comparatio inter cœlos & æs. Adde prædicta verba non eſſe Iobi, aut Authoris libri ſacri, ſed garruli Eliud, cuius ſtultitiam poſtea Dominus reprehendit.

7 Eadem ſententia à nonnullis probatur ex illo Iſaiæ 51. verſ. 6. *Cœli ſicut fumus liquieſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur.* Si ergo cœli ſicut fumus liqueſcent in extremo die, ante hunc diem liquidi non erant, non enim poteſt dici nunc liqueſcere, quod immediatè antea liquidum erat. Reſpondeo, ſacrum vatem prædictis verbis intendere ſignificare firmitatem & ſtabilitatem verborum Dei, & ipſius promiſſionum, quod præſtat dicens faciliùs eſſe cœlum, quod firmum & perpetuum omnes prædicant inſtar fumi euaneſcere & in nihilum redigi, terrámque inſtar veſtis conteri, quàm in minimo verbum Dei deficere, iuxta illud Matthæi 24. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quæ verba hunc ſenſum hypotheticum reddunt, etiamſi cœlum quod permanens, & ſtabile eſt tanquam fumus euaneſceret, aut in nihilum redigeretur, & terra inſtar quaſſatæ veſtis in minutulas ſui partes tota redigere, meum verbum firmum, ſtabile, & inconcuſſum permaneret. Ita verba Iſaiæ interpretatur Venerabilis noſter Sanctius ad hunc locum. Ad rem ſeptuaginta Iſaiæ relata verba transferunt. *Cœlum ſicut fumus firmatum eſt.* Hoc eſt ſi cum firmitate verbi Dei cœlorum firmitas comparetur, profecto hæc fumi imbecillitati ſimilis erit, & non fumo firmiores cœli apparebunt. Neque nouum, aut rarum eſt in ſacra pagina rerum creatarum imbecillitas fumo ſignificari: Pſalm. 36. verſ. 20. *Quemadmodum deficit fumus, deficient*, & Pſalm. 101. verſ. 3. *Defecerunt ſicut fumus dies mei.* En quomodo Iſaiæ verba ſecundum Scripturæ phraſim,

Digitized by Google

phraſim, & iuxta nobiliſſimum illius interpretem explicentur, abſque eo quod intelligatur cœlos in extremo die incepturos liqueſcere.

8 Arguitur tertiò ex ipſo nomine *firmamentum* quo cœli donantur, quod non ſolùm rem ſtabilem & ſolidam, ſed etiam ſolidam ſignificat. Reſpondeo, quàm plures Doctores nomine firmamenti aerem intelligere, in quibus ſunt Pater Pererius, & Pater Martinus del Rio, quos ſequitur Hurtadus, ſubſcribit Merſenus in caput. 1. Geneſ. verſ. 8. quæſtion. 7. art. 7. qui omnes imitati ſunt D. Auguſtinum, apud quem hæc interpretatio clariſſimè legitur 2. Geneſ. ad litteram cap. 4. vbi illi adhæret, vt laudet eum, quia eam explicationem primò inuenit. Nec efficaci ratione deſtituta eſt hæc interpretatio, firmamentum enim factum eſt, vt inquit ſacer textus vt diuideret aquas ab aquis: ergo debet eſſe immediatum aquis, & aquis, quas diuidat: ergo ſi aquarum nomine intelligantur aquæ in parte ſuperiori aëris exiſtentes firmamenti nomine intelligetur aër interſtitius: ſi verò intelligantur aquæ exiſtentes ſupra cœlum ſtellatum, nomine firmamenti non tantùm debent intelligi cœlum ſtellarum, & Planetarum cœli, ſed etiam aër, quia duo extrema non diuidi dicuntur per corpus tantùm alteri immediatum, ſed per omnia, quæ ſumpta per modum vnius vtrique extremo immediata eſſe dicuntur, non enim in ſententia quæ ſeptem cœlos ſepta Planetis adſcribit dicetur cœlũ ſtellarum diuidi à cœlo Lunæ per cœlum Saturni quod eſt immediatum reſpectu cœli ſtellati, & mediatum reſpectu cœli Lunæ, neque cœlum Mereurij quod eſt immediatum reſpectu Lunæ, & mediatum reſpectu cœli ſtellati. Sed cœlum Lunæ, & cœlum ſtellarum diuidi dicentur per cœlos ſex planetarum, qui occupant totum interſtitium, quod eſt inter Lunæ cœlum, & cœlum ſtellatum. Sed eſto firmamenti nomine intelligantur ſolum cœlum Empyreum, & Planetarum cœlum, nou verò aër. Reſpondeo, firmamentum non ſignificare rem ſolidam, ſed expanſam ad modum laminæ, firmamentum enim idem eſt quod expanſio, hæc autem in corpore fluido, & in corpore denſo poteſt reperiri. Lege ſi placet Merſennium loco citato, vbi ex peritis linguæ Hæbrææ probat, hanc eſſe ſignificationem nominis רָקִיעַ *Rakiab*, cui reſpondet nomen latinum *firmamentum*.

9 Arguitur quartò: ex illo Pauli ad Hebr. 4. verſ. 14. *Habemus Pontificem, qui penetrauit cœlos.* Si ergo Chriſtus cœlos penetrauit, fluidi non ſunt, quia ſi fluidi eſſent, neceſſum non eſſet illos penetraſſe, facilè enim poſſet abſque vlla penetratione illos pertranſire, ſicuti nos ſpatium aere repletum excurrimus. Hæc obiectio leuiſſimi momenti eſt, verbum enim *penetrare* apud Latinos non importat neceſſariò penetrationem philoſophicam, ſed ingreſſum ad interiores partes corporis, quod dicitur penetratum, ſic ille qui vaſtum mare pertranſiit, maria dicitur penetraſſe. Demum etiamſi de penetratione philoſophica prædicta verba eſſent intelligenda, adhuc non euinceretur cœlos non eſſe fluidos, potuit enim Chriſtus ſe corporibus fluidis penetrare, etiamſi poſſet illa remouere, & abſque penetratione illorum ſpatium percurrere, ſicuti de facto voluit ſe penetrare cœnaculi ianuis clauſis, etiamſi poſſet has aperire, & abſque vlla penetratione cœnaculũ ingredi.

10 Leuiorem ingerunt difficultatem teſtimonia alia pro hac ſententia adducta ex Pſalm. 32. verſ. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt*, & Prouerb. 3. verſ. 19. *Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia*, & ex 2. Paralipom. cap. 6. verſ. 33. & 39. *firmiſſimum, & firmum habitaculum Dei.* Quibus teſtimoniis tantùm ſignificant ſacer textus, cœlos eſſe conſtantes, firmos, nunquamque à ſuo munere, & repetito curſu defecturos, id enim ſtabilium dicitur, quod ita eſt ſtatutum, vt non poſſit defectus aliquis timeri, ſiue fluidum ſiue liquidum ſit, quia tamen in his quæ experimur frequenter ſolidiora conſtantiora ſunt, ideò vulgo tantùm ſolida apprehenduntur ſtabilita. Adde locum ex ſecundo Paralipomenon deſumptum intelligendum eſſe de cœlo Empyreo, quod ſpecialiter dicitur Dei habitaculum, quia eſt propria Beatorum ſedes, quâ Deo clarè viſio perfruuntur.

11 Rationes, quæ pro hac ſententia adduci ſolent leuiſſimæ ſunt, quas nullo negotio quiſque diſſoluet, vnam vel alteram attingo. Arguit Tannerus ſaltem cœlum ſtellatum debere eſſe ſolidum, vt ſupra ſe valeat aquas continere, quas ſupra cœlos eſſe ait Regius vates Pſalm. 148. quæ cœlo liquido non poſſent ſuſtentari, & ita propria grauitate depreſſæ ad proprium vſque centrum ruerent. Suppoſitum huius rationis dubium eſt, & hoc admiſſo ipſius diſcurſus inefficax, & inſufficiens Suppoſitum eſt dubium, quia ſunt plures ſcripturarnm interpretes, qui negant ſupra cœlos aquas fuiſſe collocatas, ſed tantùm regionem aëris, ſeu ipſum aërem eſſe intelligendum per firmamentum, quod in ſcriptura aquas ab aquis diuidere dicitur. Ita tenent S. Tom. 1. p. q. 68. a. 2. & 3. Durand. in 2. diſt. 14. quæſt. 1. Caiet. in c. 1. Geneſis, Toſtatus in Poſtilla ſuper Geneſim P. Pererius lib. 2. in Geneſim c. 1. verſ. 6. P. Valent. 1. part. diſp. 5. quæſt. 3. Puncto 2. & plures alij. Admiſſo quæſtionis ſuppoſito, ratio eſt inefficax, quia rectè poteſt corpus fluidum aliud ſupra ſe ſuſtinere, videmus enim oleum aqua ſuſtentari, & hanc ſemper inferiorem locum petere, illudque ſemper aquæ inſidere. Eſt etiam ratio inſufficiens, quia ſi aquæ grauitarent ſupra cœlum ſtellatum, & hoc quia ſolidum, illas ſuſtineret, impediretque, ne ad nos deſcenderent, adhuc ratio erat reddenda cur ipſæ contra propriam grauitatem toti ſuperficiei conuexæ globi ſtellati adhærerent, & non hac, illacque diffluerent, globus enim quantumuis æreus tantùm poterit aquas coërcere, ne petant ſpatium contentum intra illius concauam ſuperficiem, non tamen illas vndequaque globum ipſum circundantes, poterit continere. Dicendum ergo eſt ſupra ſtellatum cœlum nullas exiſtere aquas, vel ſi exiſtunt ibi non grauitate, quia ſunt extra Lunæ concauum, & extra mundum, ſicuti non grauitarent ſi in aliquo inani ab hoc mundo diſtanti collocarentur.

12 Arguit ſecundò ipſe Tannerus: non ſine magno ſtrepitu ſtellas eſſe mouendas, ſi per corpus liquidum cierentur, videmus enim volitantes aues proprio motu aërem quatientes non leuem ſonitum edere. Talem enim ſonitum non edere experientia compertum eſt, nunquam enim ſtellas ſe mouentes audiuimus. Reſpondeo, in multorum ſententia hominem exiſtentem intra aquam nullum poſſe percipere ſonum, quia aqua non eſt medium aptum ad recipiendas ſpecies ſoni, eademque ratione dici poſſe cœlos non eſſe medium aptum vt mediis illis ad nos ſoni ſpecies tranſmittantur, & ita ex defectu principij ſeu ſpecierum non poſſe à nobis audiri ſonum editum ſtellarum motu. Secundò poſſet dici cœlos ipſos aptos non eſſe ad ſonum recipiendum, & ita ſtellarum motu hunc in illis non produci, quod non pauci affirmant de aqua elementali, aſſerentes intra aquam nullum ſonum produci motu piſcium, ſaxorúmque percuſſione, quando hæc nullo modo aeri patent. Vltimò ob nimiam diſtantiam excuſari poſſumus ab ſtellarum ſtrepitu audiendo. Nonnulla alia adducit Tannerus leuioris momenti, ideò illa penitus omitto.

§. III.

Expediuntur fundamenta ſecundæ ſententiæ.

13 PRæter Patrum authoritatem, quæ huic ſententiæ videntur ſuffragari, eam validiſſimè propugnant quàm plures obſeruationes Aſtronomorum, quæ difficillimè componentur, ſi cœlum ſolidum eſſe defendatur.

14 Primò, quia Luna inæqualis apparet, multis ſe montibus attollens, qui ex profundis aſſurgunt vallibus: ergo Luna mouetur per corpus fluidum, quod poſſit cauitates vallium replere, aliàs vacuæ permanerent, non enim poſſunt corpore ſolido repleri. Huic argnmento rectè reſpondet Tannerus cauitates illas poſſe perpetuò eſſe repletas corpore aliquo diaphano, quod non impediat partes Lunæ ſuis cauitatibus, & protuberationibus diſtinctas, ſicut corpus fluidum replens cauitates non impedit videri à nobis partes depreſſiores Lunæ eminentiores alias, ita poteſt dari corpus ſolidum perpetuò replens cauitates illas, quod viſui aditum non præcludat ad omnes Lunæ partes ſuis poſitionibus diſtinctas percipiendas. Addit Arriaga, poſſe dici Lunam aeri eſſe immediatam, & ita poſſe ab hoc repleri cauitates illas, quas reddunt Lunæ partes aliis compartibus eiuſdem Lunæ eminentiores.

15 Secundò, ex Cometarum aſpectibus ſic arguunt Aſtrologi. Viſi ſunt plures Cometæ in ipſo ſtellarum cœlo ſupra omnes Planetas: alij etſi non adeò eminentes ſupra aliquos Planetas: ergo cœlum neceſſariò debet eſſe fluidum, vt his nouis corporibus Cometarum locum cedat, & eſt corruptibile, ſiquidem in ipſo huiuſmodi Cometæ generantur, & corrumpuntur. Ab hac ſecunda conſequentia facilè me expedio, poteſt enim dici Cometas non gigni, cum

Digitized by Google

cum primo nobis apparent, neque corrumpi cum noſtrum fugiunt obtutum, ſed per motum localem noſtris applicari aſpectibus & ab eiſdem remoueri. Facilius ſe ab vtraque illatione extricant alij, in quibus Tannerus, & Arriaga negantes Cometas aliquando gigni intra ipſos cœlos, ſed tantum in regione aëris, & propter nimiam diſtantiam nobis apparere intra ipſos cœlos exiſtentes. Facilè me huic ſententiæ accommodarem ſi apud noſtrum Euſebium lib. 6. ſuæ Philoſophiæ cap. 8. innumeras obſeruationes non legiſſem, tum antiquorum, tum recentium Aſtrologorum, qui vnanimes aſſerunt demonſtrari hos Cometas intra cœlos apparuiſſe, referuntque quam plures quorum aliqui ſupra Lunam, alij ſupra Solem & nonnulli ſupra omnes Planetas in ipſo ſtellarum cœlo refulſêre. Lege ſi placet Euſebium loco citato, vbi prædiuitem & iucundam valdè de hac re eruditionem inuenies, quam modò referre non vacat. Credo ergo doctiſſimis Aſtronomis, quia vnicuique in ſua arte credendum eſt, & quia alienum ab omni ratione iudico hominem Aſtrologicæ principiis & demonſtrationibus non inſtructum aſſerere innumeros homines huius facultatis peritiſſimos, diuerſis locis, & temporibus exiſtentes fuiſſe ſimul deceptos, & in eumdem errorem conſpiraſſe, circa Cometarum ſitum, pluresque loco diſſitos eidem Cometæ per errorem eundem locum deſignaſſe, quod credibile non eſt, & moraliter repugnare videtur.

16 Refert Arriaga nonnullos recentiores in Manuſcriptis aſſerentes, Cometas fieri ex coniunctione plurium ſtellarum, quæ ſeparatæ cerni non poſſunt, & coniunctæ ſeu inter ſe applicatæ noſtris patent conſpectibus, quod docet Noſter Euſebius lib. 6. Philoſophiæ cap. 34. & apud antiquos Philoſophos controuerſum fuit, in quibus hunc dicendi modum Democritus, & Anaxagoras fuerunt amplexi. Addit idem Euſebius cap. 35. crinem ſeu caudam Cometarum confici radiis ſolaribus, quæ traiiciunt ſpatia, quæ ſunt inter ſtellas, quæ Cometam conficiunt, quia hæ non ſunt adeò inter ſe applicatæ, vt omnem aditum luci Solis præcludant, ſed cum aliqua diſtantia ipſarum inter ſe, quæ adeò eſt exigua vt non poſſit diſcerni à nobis. Ad hanc rem facit Cometarum caudas ſe&per Soli oppoſitas fuiſſe conſpectas, quod ſi verum eſt aliquando fuiſſe aliquam Cometæ caudam non Soli oppoſitam, ſed Mercurio, aut Veneri, dicendum eſt tunc radios lucis, quibus Cometæ cauda efficitur à Mercurio aut à Venere, cui cauda opponitur iaculari.

17 Doctrinam hanc improbabilem putat Arriaga, quia ſi Cometæ fierent ex conuentu multarum ſtellarum, aliquando videretur medius Cometa in vna parte, &, & in altera medius alius, & poſtea ſimul vtraque medietas. Id quod Arriaga tanquam abſurdum infert, de facto contigiſſe teſtantur apud Euſebium ſuprà peritiſſimi Aſtrologi. Kepplerus affirmat ex tribus Cometis, qui apparuerunt anno 1618 ſecundum & tertium eſſe partes à primo diuiſas, & Eforus de alio Cometa, qui ſuo tempore apparuit teſtatur in diſtinctas fuiſſe diuiſum, & Dion de alio Cometa, qui diu ſupra Romam refulſit, aſſerit in multiplicem partem fuiſſe diuiſum, & poſtea euanuiſſe.

18 Arguit inſuper Arriaga, quia corpora ſeu partes illæ, quibus Cometa componitur, ita videntur vt planè efficiant vnum per ſe, & perfectè contiguum, quod regulariter fieri non poſſet, ſi Cometa fieret caſuali concurſu partium illuminatarum. Addit quod ſi Cometæ fierent ex concurſu diuerſorum motuum in ipſis cœlis non ſemper in eodem loco apparerent. His omnibus ſolutionem præbet obſeruatio Noſtri Siſati peritiſſimi Aſtrologi qui apud eundem Euſebium notaſſe ait inſtrumentis ad rem aptis in Cometa viſo anno 1618. componi aliquibus ſtellulis aliquando pluribus, paucioribus aliquando, hodie hanc inter ſe diſtantiam habentibus, & cras minorem, aut maiorem aliam.

19 Porrò ſi ſoliditas cœli defendenda ſit, tutius erit aſſerere Cometas hos miraculosè produci à Deo, qui ſignis his vult homines commoueri de graui damno imminenti, vt ad meliorem vitam reducantur, vel magnorum Principum mortes notas fieri, vt omnes aduertant ſupremas etiam hominum maieſtates vna communi omnium morte, aliiſque huius vitæ calamitatibus, atq; miſeriis propulſari.

20 Tertium argumentum deſumitur ex Solis maculis: Obſeruarunt enim periti Mathematici, quod ipſe Tannerus magnâ ſui animi voluptate beneficio tubi optici inſpexiſſe dicit, aliquando in Sole nonnullas videri maculas, quas efficiunt corpora propè Solem exiſtentia exigua nullavè luce ornata. Ex hac obſeruatione duo inferunt Mathematici. Primum, cœlum eſſe corruptibile, ſiquidem in illo hæc noua corpora, generantur, & corrumpuntur. Secundùm, fluidum eſſe; vt cedat his corporibus denuò aduenientibus. Malè hæc duo ſimul volunt inferre Mathematici, ſi enim quis concederet illa corpora gigni, & produci, non teneretur concedere cœlos fluidos eſſe propter rationem dictam, quia corpora illa producerentur ex præexiſtenti materia, quæ antea ſub forma corrupta occupabat idem ſpatium quod modò occupat ſub forma denuo genita, & ita forma genita ſuccedebat in ſpatium corruptæ, materia vtrique communi inuariata, abſque eo quod pars aliqua cœli à proprio remoueretur loco, vt illum cederet corpori denuò producto. Secundò ſi ſemel admittatur cœlos fluidos eſſe, neceſſum non eſt denuò gigni corpora illa, quibus Sol maculatus eſſe dicitur, poterunt enim per motum localem applicari Soli eo tempore, quo iuxta illum apparent, & poſtea ab eodem Sole remoueri. Cæterùm corpora illa non gigni cum apparere incipiunt, ſuadetur, quia vix poteſt excogitari cauſa à qua talia corpora lucis incapacia producantur, cum vndequaque lucidiſſimis corporibus circumdentur. Secundò quia ſi hæc corpora denuò producerentur, aliquando propter multitudinem, aut magnitudinem ipſorum totum ſolem operirent, quod nunquam contigiſſe experientia compertum eſt. Deinde poſſent in diuerſis cœli ſpatiis procreari, & aliquando propè ſtellas inerrantes procrearentur, & illas nobis abſconderent, conſtat autem ſudo cœlo nnnquam ſtellam aliquam diſparuiſſe. Demum dici poteſt nouo horum corporum acceſſu non probari cœlos fluidos eſſe, quia poſſunt huiuſmodi corpora in aliquo Epicyclo contineri, cuius motu modò infra ſolem exiſtant, modò ſuprà illum valdè diſtantia circumagantur. Epicyclus dicitur circulus cœlo incluſus qui mouetur proprio motu diſtincto à motu cœli, quo continetur, ſicuti moueri ſolet gemma in pala annuli, etiam aunullo immoto.

Quartum argumentum deſumitur ex ſtellis, quæ Iouiales 21 dicuntur, hæ ſunt quatuor Planetæ minoris magnitudinis, qui proprio motu Iouem circumire deprehenſi ſunt, quod fieri non poſſet, ſi cœli ſolidi eſſent, quia non poſſent ſtellæ circum Iouem moueri non diſrupto cœlo per quod mouentur. Idem argumentum fit de duabus aliis ſtellulis quę indiuiduè Saturnum comitantur, & circunſtant. Reſponderi poteſt exiguos Planetas aliquo Epicyclo contineri, cuius motu circumeunt præcipuos Planetas, quos comitantur.

Sextum argumentum omniumque difficillimum deſu- 22 mitur ex aliquibus Planetis, quia iam ſupra ſolem, iam infra illum apparent, ſic de Mercurio, Venere, & Marte peritiſſimi Mathematici obſeruarunt, qui ſæpè vidiſſe aiunt Mercurium, & Venerem ſupra Solem, & Martem infra ipſum. Neque huiuiuſmodi diuerſi motus nouis tantùm aſtronomis patuêre, ſiquidem occaſionem dedêre Ariſtoteli conſtituendi Solem Lunæ immediatum in ſecundo cœlo, aliiſque Philoſophis Anaximandro, Metrodoro, & Chio collocandi Solem in quinto cœlo, & Martem in quarto, in quas ſententias tam Pythagorici quam Peripatetici, & Academici fuêre diuiſi noſtro Euſebio teſte lib. 6. ſuæ Philoſophiæ cap. 7. Ex his obſeruationibus hoc argumentum deſumitur. Mercurius, cuius propria ſedes eſt inferior ſede Solis aſcendit ſuprà ipſum Solem; ergo traiicit ſpatium illud per quod mouetur Sol. Vel ergo pars cœli, quæ occupat Solis circulum, quem traiicit Mercurius ſponte locum cedit Mercurio, & ſic fluida erit; vel ſi ſolida ſit, Mercurius penetratur cum illa, vt illius tranſgrediatur ſpatium, aut illam diſrumpit, quod fieri nequit, quia duorum corporum penetrationem Philoſophia non admittit, neque cœli violentam ruptionem admittent, qui illos ſolidos eſſe defendunt. Reſpondet Tannerus motum Mercurij & Veneris poſſe componi, ſi his Planetis diſtincti aſſignentur Epicycli in ipſo Solis cœlo incluſi, quorum proprio motu Solem circumeant. Circa martem verò negat Mathematicam hypotheſim, aitque ſemper Sole eſſe eminentiorem. Cæterùm cum admittat Mercurium & Venerem modò infra Solem modò ſupra Solem præſentari, quod Epicyclorum beneficio componit, quid refert Epyciclum alium pro Marte addere, quo in eodem cœli ſole proprio motu circumagatur.

Solutio hæc ex Epicyclis deſumpta deſtruit numerum 23 cœlorum, quem adſtruit communis ſententia illorum, qui

cœlos admittunt diſtinctos,cum enim non poſſit dari Epicyclus communis duplici cœlo,Planetæ omnes, qui Epicycli beneficio Solem circumeunt, cœlum cum illo commune habere debent. Ob hanc rationem doctè notat Noſter Euſebius lib.6.ſuæ Philoſophiæ, quinque tantùm ſtellarum ſphæras eſſe admittendas, ſi re, aut mente ſeparentur. Prima Lunæ eſt tribuenda; ſecunda Soli, in qua Mercurius, Venus, & Mars continebuntur, quia illorum motibus cum motu Solis ſpatium eſt commune: tertia ſphæra danda eſt Ioui: quarta Saturno: quinta ſtellis inerrantibus. Doctrinam hanc admittit Tannerus, qui aſſerit Cœlum ſolis commune eſſe futurum Mercurio, & Veneri, ſi hi Planetæ Solem circumeant.

§. IV.

Fundamenta tertiæ ſententiæ, quæſtioniſque reſolutio.

24 TErtia ſententia Planetarum cœlos fluidos eſſe dicebat & inerrantium cœlum ſolidum eſſe propugnabat. Prioris partis fundamenta ſunt, quæ adduximus pro ſecunda ſententia, quorum præcipua, & quæ difficultatem ingerunt tantùm de errantium cœlis procedunt, non verò de inerrantium ſtellarum cœlo. Partis ſecundæ fundamentum deſumitur eſt teſtimoniis ſcripturæ, & Patrum, quæ abſque alicuius inuidia rectè poterunt explicari de cœlo ſtellato, quod firmamentum ſpecialiter dici ſolet, ſi prædictis teſtimoniis vera ſoliditas, quæ fluxibilitati opponitur, & non tantùm corporum perſeuerantia, eiuſque proprietatum firmitas, & conſtantia ſignificetur. Demum potiſſimum fundamentum eſſe potuit: faciliùs omnibus poſſe defendi, dat enim Phænomenis, & Aſtronomorum rationibus id, quod immediatè poſſunt extorquere, videlicet cœlos Planetarum fluidos eſſe, & authoritati reſeruat ſoliditatem cœli ſtellati, de quo & empyreo ſimul poterunt explicari omnia teſtimonia, quibus ſoliditas cœlorum firmamentive intendatur euinci.

25 Explicatis iam fundamentis omnium ſententiarum, adhibitiſque ſolutionibus, quibus argumentorum vis declinari poterit facilè cuique erit, quam maluerit eligere. Si verò meus aperiendus eſt animus multum feror in ſententiam, quæ ſtellatos cœlos liquidos eſſe defendit, vix enim aſtronomicæ obſeruationes aliter poſſunt componi, & non ſine multis Epicyclis, quibus ſoliditas cœli interſecetur. Demum quia ſi horum ope cœlorum ſoliditatem velimus defendere, tenebimur recedere à communi ſententia, quæ ſeptem Planetis ſeptem diſtinctos deſignat orbes & in orbe Solis collocare Mercurium, Venerem, & Martem, quia liberum eſt his Planetis ſpatium Solis percurrere, & modò ſupra Solem, & modò infra eundem apparere. Quæ ſententia omni authoritate deſtituta eſt, qui enim cœlos multiplicant, cuicumque ex ſeptem Planetis diſtinctum cœlum deſignant. Tutius ergo eſt Planetarum cœlum fluidum eſſe cum communi ſententia, hiſque temporibus valde plauſibili defendere, quam ſoliditate cœli propugnata in ſingularem illam prolabi, quæ Lunæ, Ioui, & Saturno tres cœlos adſcribit, aliudque Soli impertitur, quod Mercurium, Venerem, & Martem diſtinctis Epicyclis inſidentes recipiat. Stellarum inerrantium cœlum fluidum etiam poterit conſtitui, licet enim non adeo Phænomena extorqueant, nonnulla id ſuadent, cum etiam in eodem cœlo ſtellæ alienæ nouæ ad tempus apparuerint. Neque teſtimonia Scripturæ aut Patrum oppoſitum ſuadent, de de his enim quæ ad ſcripturam pertinent oſtendi ex mente nobilium ſacri textus interpretum, non agere de cœlorum ſoliditate, de qua præſens inſtituitur diſputatio, ſed de perſeuerantia, conſtantia, & firmitate cœlorum, in quo ſenſu ſunt etiam explicanda Patrum teſtimonia, ſi aliqua ſunt, quæ contra hanc ſententiam pugnare videantur, adducendaque ſunt alia quàm plura, quæ eam efficacius propugnant.

PVNCTVM IV.

De cœlorum numero, & motu?

1 DAti vnum ſupremum cœlum, quod Empyreum ob illius nimiam claritatem appellatur, quod Beatorum gloriæ eſt quaſi Theatrum, & Beatorum curia, concors defendit Patrum, ac Theologorum cœtus: ita tenent Baſilius, Damaſcenus, D. Clemens, Theodoretus, Hilarius, Diodorus, Athanaſius, Chryſoſtomus, & Theophylactus, Magiſter ſentent. D. Thomas Menſ. Magnus Albertus, Guillielmus, Ægidius, & alij quos referunt Conimbricenſes lib. 2. de cœlo, cap. 5. quæſt. 1. Ab his omnibus ſponte ſua diſceſſit Caietanus negans dari hoc cœlum ad illa Pauli verba 2. ad Corinth. *Raptum huiuſmodi hominem vſque ad tertium cælum.* Cœlum iſtud eſſe omnium perfectiſſimum ſuadetur ex ſupremo loco quem obtinet, ex nimia claritate, qua pollet, ex fine quem deſtinatur, videlicet vt ſit proprium Chriſti domicilium, beatorum receptaculum, Theatrum, quo gloria Dei beatis omnibus præſentetur, & diuina eſſentia clarè viſa frui liceat. Huiuſmodi cœlum immobile eſſe teſtantur omnes, eſt enim maxima perfectio motu abſolui, ſapitque beatorum ſtatui, qui ex ſua conditione ab omni mutatione liber eſt, & æternus. Rogabis ſi cœlum Empyreum tam eximia luce prædittum eſt, cur à nobis non videatur. Omiſſis variis ſolutionibus, quas adducit Ricardus in 2. diſtinct. 2. quæſt. 2. tertio principio, reſpondeo cœlum interius eſſe eximiâ luce perfuſum, ex parte verò exteriori, & inferiori, qua terram reſpicit, non lucere, neque ad nos lucem iaculari, quod ex ea non ſit diaphanum, ſed opacum, quaſi velo amictum quemadmodum in fabrica tabernaculi tertia pars, quæ Sancta Sanctorum dicebatur velo quodam occultabatur, ne inſpiceretur, vt exponit D. Thom. 1. 2. quæſt. 12. art. 4. Cœlum hoc Ethnicis Philoſophis ignotum fuit, neque de illo ratione naturali à priori, aut à poſteriori poteſt aliquid demonſtrari, quid verò de reliquis cœlis ſenſerit antiquitas, & quid conuincat ratio: tractabo paucis.

Senſêre nonnulli ex antiquis apud Conimbricenſes ſupra articulo 1. vnam tantùm eſſe ſphæram cœleſtem, in qua ſtellæ fixæ eandem ſemper retinent poſitionem: planetæ verò alij aliis altiores ex vna parte ad aliam inſtar piſcium in mari tranſmearent. Subſcribunt hodie huic ſententiæ omnes, qui cœlum fluidum eſſe propugnant. Pater Hurtadus diſputatione 2. ſectione 1. eidem adhæret, etiamſi ſolidos eſſe defendat. Alij tres globos conſtituerunt, ſtellarum, Solis, & Lunæ. Quidam verò octo ſtatuebant, ſtellarum vnum, quod Aplanes, & firmamentum dici ſolet, & ſeptem alios quibus totidem inſiderent Planetæ: primo Luna, ſecundo Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, ſexto Iupiter, ſeptimo Saturnus. Sententiam hanc tenuêre omnes Ægyptij, & Chaldæi, vt videre eſt apud Conimbricenſes ſupra Statutus autem eſt hic octonarius numerus propter diſtinctos motus, qui in Planetis, & in ſtellis fixis cernuntur. Mouentur enim Planetæ nullo inter ſe, neque cum ſtellis ordine ſeruato, modò enim Planetæ inter ſe congrediuntur, & viciniores fiunt, modò diſſociantur, & fiunt valdè diſtantes, modò ſub hac firmamenti conſtellatione, modò ſub illa nobis apparent. 2

Ex quo antiqui intulêre diſtinctis motibus diſtinctos exerceri Planetas, & diſtinctis orbibus vehi, & propter eandem rationem diſtinctum orbem eſſe aſſignandum ſtellis inerrantibus, ſiquidem nulli Planetæ ſunt affixæ, neque in aliqua diſtantia ſemper eadem illi correſpondent, & inter ſe ſemper eandem poſitionis proportionem obſeruant. 3

Stabilito iam octonario orbium cœleſtium numero temporum progreſſu obſeruaſſe Aſtronomos fertur cœlum ſtellarum ab Occidenti in Orientem moueri retento motu ab orienti in Occidentem, quare cum duo motus non poſſint eidem corpori per ſe competere, aliud inuentum eſt cœlum ſuperius cœlo ſtellato, quod proprio motu cœlos omnes raperet, cui adſcriberetur alter motus ille videlicet, quo ab Oriente in Occidentem cœleſtia corpora progrediuntur. Poſt ſuperiores Aſtronomos, quibus innotuit duplex cœlorum motus, acceſſere alij in quibus Alphonſus Hiſpaniarum Rex, qui tertium alium motum in firmamento animaduerterunt, quem trepidatiionis motum, ſiue acceſſus, & receſſus appellarunt, quia ex vi illius iam ad hunc polum, iam ad illum corpora cœleſtia deflectunt. Cùm verò duplex motus non poſſet eidem corpori attribui, neque eidem mobili conuenire, neceſſum fuit aliud cœlum inſtituere, cuius proprius eſſet hic trepidationis motus, quo raperet reliquos inferiores orbes, & primum mobile diceretur. 4

diceretur. Sic denarium numerum intulêre Aſtronomi ex diuerſis motibus, cui addendum eſt cœlum Empyreum quod erit vndecimum,& ita vndecim cœli diſtincti neceſſariò erunt enumerandi.

5 Prima conclvsio: Etiamſi cœlum ſtellarum ſinerrantium duplici aut triplici ageretur motu, neceſſum non eſſet ſuperiores alios cœlos deſignari à quibus ſecundus, & tertius motus procederet. Ratio eſt facilis, motus iſti, qui finguntur procedere à cœlis ſuperioribus poſſent procedere ab intelligentia cœlos mouente, quæ diſtinctis impulſibus poſſet diſtinctis motibus agere corpora cœleſtia: ergo non ſunt neceſſariæ ſphæræ illæ, quæ ſupra ſtellarum cœlum finguntur, vt moueant ſtellarum cœlum alioſque inferiores. Probatur antecedens: tota ratio propter quam ſphæræ illæ ponuntur, eſt ne moueatur per ſe idem corpus multiplici motu. Sed ſi huiuſmodi motus procederent ab Intelligentia mediis diſtinctis impulſibus corpus cœleſte non moueretur per ſe multiplici motu, ſed ab extrinſeco ratione intelligentiæ, ſeu multiplicis impulſus, quem patiebatur: ergo ex nullo capite neceſſarij ſunt alij cœleſtes orbes ſupra ſtellarum cœlos vt moueantur cœli Planetarum, & ſtellarum cœlum multiplici motu. Quod ſi dixeris vnam eandemque intelligentiam non poſſe mouere multiplici motu ſphæras cœleſtes adhuc medio multiplici impulſu, quod falſum eſt, ſi ab extrinſeco; ſeu per accidens corpus poteſt multiplici motu ſimul agi, multiplica intelligentias quibus cœli moueantur, vel dicito immediatè à Deo moueri, & ne multiplices cœleſtes orbes, cur enim diſtinctis intelligentiis aut vni Deo non attribuis cœlorum motus, quos vis adſcribere orbibus cœleſtibus, quos ad hoc totum munus exiſtere confingis?

6 Secvnda conclvsio: Etiamſi daretur primum mobile, aliudve quodcumque cœlum ſupra ſtellarum cœlum, inutile eſſet ad mouendos orbes inferiores, quos intra ſe contineret, neque primum mobile poteſt inferiores orbes proprio motu rapere. Ratio eſt facilis: ſi daretur primum mobile ſemper moueretur per diſtinctum ſpatium ab illo per quod mouentur orbes cœleſtes inferiores illo: ergo nunquam intenderet occupare ſpatium ſphæræ immediatæ, aut aliarum inferiorum: ergo non impelleret ſphæram inferiorem immediatam, neque mediatas alias. Antecedens eſt omnino certum, ſi enim diſtincti orbes cœleſtes per idem cierentur ſpatium, vel penetrarentur inter ſe, vel vnum è proprio loco pelleret alium, quod in corporibus cœleſtibus nunquam contingit. Conſequentiam probo: Tunc tantùm corpus ſe mouens proprio motu aliud contiguum corpus mouet, cum intendit occupare illius ſpatium, ad hoc enim illud mouet, vt in illius ſpatium ſuccedat, quia idemmet ſpatium vtrumque non capit, neque in illo penetrari poſſunt. Id etiam experientia ſuadet, cùm enim infra Solem versùs Orientem corpus aliquod mouetur, quantumuis rapidiſſimo feratur impulſu, non intendit versùs illam partem terram mouere, neque illi impulſum imprimit, vt ſimul cum illo versùs Orientem moueatur, ſed tantùm ex vi illius aërem remouet occupantem ſpatium, quod intendit percurrere. Sed cœlum ſuperius proprio motu non intendit occupare ſpatium inferioris: ergo proprio motu non rapiet cœlum inferius, æquè enim impertinens eſt motus inferioris ſphæræ vt ſuperior moueatur, ac motus ſuperioris vt moueatur inferior, neque maior eſt ratio, vt ſuperior proprio motu trahat inferiorem, quam vt inferior ſecum ferat ſuperiorem, cum neutra cum altera circa idem contendat ſpatium, ſed vtraque omnino independenter à motu & quiete alterius poterit quieſcere & moueri.

7 Tertia conclvsio: Nullum corpus cœleſte poteſt moueri duplici motu; hanc defendit omnis bona Philoſophia, iuxta quam corpus exiſtere non poteſt duplici loco: ergo neque moueri duplici motu. Patet conſequentia, motus eſt cauſalitas, ſeu actio, ex vi cuius exiſtit vbicatio, ad quam terminatur: ergo ſi datur duplex motus, debet dari duplex terminus, ſcilicet duplex vbicatio afficiens idem mobile: ergo idem mobile, ſeu idem corpus habebit duplicem vbicationem, quod eſt conſtitui in duplici loco. Reſpondebis, non poſſe idem corpus per ſe habere duplicem vbicationem, neque per ſe moueri duplici motu, poſſe tamen moueri per ſe vno motu, & per accidens ſimul alio. Contra eo ipſo quod mobile habeat duplicem motum, quorum quilibet eſſentiam motus retinet, datur in eodem mobili duplex præſentia, quarum quælibet propriè eſſentiam præſentiæ, ſeu vbicationis participat, ſiue per ſe corpori conueniat, ſiue per accidens, hoc eſt, accidentaliter mobili contigerit: ergo erit in duplici loco, & propriiſſimè cuilibet præſentabitur, quod naturaliter repugnat, non enim ego dum Compluti exiſto in ſenſu compoſito potero aliquo modo, quem tu per accidens vocas, ſimul præſentari Romæ, quod experientia ipſa demonſtrat & per ſe notum eſt, aliàs poſſet quis prudenter dubitare, dum me Romæ videret, an Compluti etiam in eadem menſura exiſterem, Romæ per accidens, & Compluti per ſe.

Nec ſatisfaciunt Conimbricenſes, qui aſſerunt poſſe corpus à duplici principio, etſi non ab eodem duplici cieri motu, id enim experientia, & ratio contradicit. Experientia, quia cum duplex viuens intendit mouere tertium aliud corpus, vnum versùs Orientem, & aliud versùs Occidentem, tale corpus non ſimul versùs Orientem, & versùs Occidentem fertur duplici motu, ſed ſi agentia ſint æqualis virtutis immobile perſeuerat, ſi autem alterum fortius ſit, ab illo trahitur, & non ab alio minus forti. Idem euincit Ratio, quia duplex præſentia ſiue ab vno agenti producta, ſiue à duplici, eandem inter ſe oppoſitionem habent: ergo ſi repugnant in eodem ſubiecto ab eodem principio productæ, eandem habebunt repugnantiam, etſi à duplici producantur, repugnantia enim, ſeu incompoſſibilitas non conuenit præſentis ratione principiorum, ſed immediatè per ſuaſmet entitates. Demum ſi idem corpus à duplici principio duplici ſimul poſſet agi motu, poſſet ab hoc trahi versùs Orientem, & ab illo versùs Occidentem, quod manifeſtè repugnat. 8

Totum fundamentum, quo eidem cœlo duplicem motum Aſtronomi aſſignant, eſt diuerſæ ſtellarum poſitiones, quia modò habent altitudinem diuerſam, ab illa, quam antiqui Aſtronomi notarunt, neque modò oriuntur reſpondentes eidem ſpatio, cui antea reſpondebant. Ex quo inferunt, ſtellas præter motum diurnum habere alium, quia ſi illo tantùm gauderent ſemper per eundem circulum cierentur, eadémque eſſet poſitio,& altitudo hodierna, & craſtina ſtellarum. Vrgent in planetis, in Sole, verbi gratia, qui diuerſam hodie diſtantiam habet ab ſtellis fixis, à diſtantiis quas habuit heri, & habebit cras: ergo præter motum, quem habet communem cum ſtellis, habet alium proprium, & erraticum. Reſpondeo diuerſas altitudines ſtellarum errantium oriri ex diuerſis motibus, quibus ſucceſſiuè aguntur, quia non per eundem circulum imaginarium ſemper mouentur, ſed intelligentiæ induſtria impelli, quaſi in latus versùs Zodiaci polos, ita vt circulus imaginarius, quem hodie ſtellæ percurrunt diſtinctus ſit à circulo imaginario quam heri pertranſiere, magis inclinans ad polos Zodiaci, & declinans à cœli polis, hac ratione, & ſi ſingulis diebus proprio motu ſingulos circulos peragant ſtellæ multa millia annorum peraguntur, donec redeant ad circulum, quem hodie peregere, & hoc fuit in cauſa, vt viderentur moueri duplici motu, quorum vnus diceretur diurnus, quia vno die ex vi illius circulus conficitur, & alteri multi adſcriberentur anni, quia vt ſuprà dixi, multa millia tranſeunt, donec per hanc circulorum declinationem, ſeu inflexionem ad Zodiaci polos redeant ſtellæ ad eandem altitudinem, quam antea habuêre. Planetæ verò non circulum efficiunt perfectum, ſed eo modo ſpatium cœli circumeunt, quo anguis propriis circulis corpus circundat, nunquam enim idem circulus rediit ab eodem puncto, à quo eſt egreſſus, ſed declinat ad aliud laterale, ratione cuius apparet quaſi duplex motus, quidam ex vi cuius efficitur circulus, & hic dicitur diurnus, & alius ex vi cuius declinat mobile, dum circulum perficit ab illo puncto à quo egreſſum eſt, & hic in planetis dicitur annuus, etſi re vera vnicus tantùm ſit. 9

Qvarta conclvsio: Si cœli ſolidi ſunt neceſſum eſt 10 diſtingui quinque cœlos, primum Lunæ, ſecundum Solis, tertium Iouis, quartum Saturni, quintum ſtellarum inerrantium. Ratio eſt quia ſi cœli ſolidi ſunt, quilibet planeta ſecum feret cœlum; cui eſt affixum, cum ergo planetæ diuerſis motibus agitentur, & diuerſa percurrant ſpatia,

Digitized by Google

neceſſum eſt cœlum vnius planetæ diuiſum eſſe ab aliorum cœlis ne inuicem planetæ rapiantur, & ne quilibet intendat ſecum ferre reliquos alios: idem dico de ſtellarum cœlo reſpectu cœlorum planetarum, Mercurio, Veneri, & Marti propriòs cœlos non eſſe deſignandos, ſed diſtinctis epicyclis affixos in cœlo Solis eſſe conſtituendos, quia modò ſupra Solem, modò infra illum apparent, probaui Punct. 3. n. 20.

11 Contra hanc concluſionem inſurgit Hurtadus qui aſſerit vnico cœlo ſolido conſtituto ſemper immoto poſſe planetas liberè vagari ſurſum, & deorſum, ſuóſque circulos peragere per canales, ſeu cauitates quaſdam, quæ ad hos motus in cœlis ſunt deputatæ. Solet vulgò impugnari hic dicendi modus ex eo, quod daretur vacuum in cœlis, quod vbique abhorret natura. Reſpondet Hurtadus: cauitates illas vacuum non efficere, quia etſi repletæ non ſint repleri non ſunt aptæ, dicitur autem vacuum, locus non repletus corpore, aptus tamen repleri. Non contendo de nomine cum Hurtado, certum enim eſt cauitates illas potuiſſe à Deo repleri corpore cœleſti, ſicuti repletur reliquum ſpatium, cui correſpondent reliquæ partes cœli, & de facto quælibet pars illarum repletur dum ſucceſſiuè illas currit planeta. Facilius eſſet dicere vacuum intra cœlos non repugnare, quod etſi non probem, difficile ab aliquo impugnatum iri exiſtimo. Cauitates has fortiùs reiicio, quia ſi darentur totum ferè cœlum eſſet excauatum, cùm enim Sol non ſemper per idem ſpatium circumeat, ſed à linea æquinoctiali ad vtrumque Solſtitium Vernum, & Autumnale declinet, tota intercapedo vtriuſque Solſtitij deberet eſſe excauata. Similiter cum Mercurius, & Venus ſuprà Solem aſcendant, & deſcendant, deberet eſſe excauatum versùs partem ſuperiorem horum planetarum ſpatium his motibus accommodatum. A poſteriori inſuper hæ cauitates impugnantur, quia ſi darentur, ſæpe non poſſemus videre planetas ſuperiorès, neque ſtellas inerrantes, quia ſpatium illud per quod ab his obiectis ad noſtram potentiam ſpecies debebant mitti vacuum eſſet, & ita medio illo non poſſent ad nos ſpecies peruenire.

12 QVINTA CONCLVSIO: Si cœli liquidi ſint, vnum tantùm cœlum ſtellarum errantium, & inerrantium eſt admittendum, in cuius parte ſuperiori ſtellæ inerrantes ſint affixæ, & in reliquis alij errones liberè vagentur, omnéſque moueantur ſicuti piſces in aqua, & aues in aëre. Dari vnicum tantùm ſtellarum cœlum multi probare exiſtimant ex illo Pauli 2. ad Corinth. 12. *Scio hominum raptum vſque ad tertium cœlum*, hoc eſt, vſque ad Empyreum, quod tertium dicitur, quia ſub ſe habet vnicum ſtellarum orbem, qui ſecundum dicitur cœlum, & regionem aëris, quæ primum cœlum appellatur. Suffragatur authoritas Chryſoſtomi in illud Pſalm. 148. *Laudate eum cœli cœlorum*, & homilia 4. in Geneſim, vti ait eos, qui multos eſſe cœlos dicere audent diuinarum litterarum authoritati repugnare, cum Moyſes vnum tantùm cœlum eſſe dixerit: *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Accedit Theodoretus q. 11. in Geneſim, vbi duos tantùm cœlos eſſe affirmat. Præterea Damaſcenus 2. lib. fidei orthodoxæ, duos alios agnoſcit excepto aere, ſtellatum videlicet, & Empyreum. Denique D. Ambroſius cap. 2. lib. 2. exameron, non modò ſecundum, ſed etiam tertium eſſe negare eſſe non poſſe ait, qui cum plures alios non admittat poteſt intelligi de cœlo aëreo, ſtellato, & Empyreo. Cæterùm his Patrum teſtimoniis parum hæc ſententia fulcitur, quia nomen cœlum ſæpe ſumitur pro globo in quo ſtellæ continentur, ſiue in hoc includantur plures cœli, ſiue vnicum tantùm, & ita dum Patres aiunt tres eſſe cœlos aëreum, ſtellatum, & Empyreum non definiunt an ſtellatum plures in ſe contineat, quod notauit D. Thomas 1. parte, quæſt. 68. art. 4. vbi conatur Patrum dicta circa numerum cœlorum ad concordiam reducere, aiens eos non tam rebus quàm verbis diſſentiri; Ita vt, qui vnum eſſe cœlum inquiunt, intelligant totum còrpus, quod ſupra aquam, & aërem eſt: qui verò plures eſſe dicunt, ex eodem illo corpore plures, vel pauciores partes diuerſa acceptione diſtinguant. Hac ratione etſi cœlum continens omnes planetas, & ſtellas vnicum ſit, & vnitum, poteſt dici plures cœli, quia pars cœli, per quam vagatur Luna, poteſt cœlum Lunæ appellari, & pars alia, per quam vagatur Sol poteſt dici cœlum Solis, & ſic de aliis partibus, per quas mouentur planetæ, quibus proprij deſignantur cœli, & de parte illa per quam mouetur ſtellarum inerrantium chorus, quod poterit appellari firmamentum, ſeu ſtellarum inerrantium cœlum. Secundùm hanc doctrinam facilè etiam explicatur teſtimonium Pauli, etiamſi de cœlo Empyreo intelligendum ſit, & hoc tertium cœlum vocetur ab Apoſtolo. Aliæ plures explicationes circa hoc teſtimonium videri poſſunt apud D. Thomam 2. 2. quæſt. 175. art. 3. & 4. quas breuitatis cauſa omitto. Alij numerum ternarium pro multis ſumunt, cùm ſæpe pro omnibus vſurpetur in Scriptura. Amos 1. *Super tribus ſceleribus Damaſci*, id eſt, omnibus. Et 2. ad Corinth. 12. *Ter Dominum rogaui*, hoc eſt, ſæpius.

13 Probanda eſt ergo præcedens concluſio ex eo, quod ſi cœli fluidi ſint, neceſſum non ſit plures cœlos diſtinguere, cùm vno tantùm exiſtente, & hoc immoto rectè componantur omnes motus planetarum, & ſtellarum inerrantium, poteſt enim quodlibet aſtrum liberè totum ſpatium cœli percurrere, ſicuti poteſt piſcis in flumine totum aquarum ſpatium ſurſum, & deorſum ſemel, & iterum pertranſire.

CONTRO

Digitized by Google

CONTROVERSIÆ DE ORTV, ET INTERITV, SIVE DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

Auctore P. FRANCISCO DE OVIEDO, è Societate IESV.

PROOEMIVM.

EGIMVS in Controuerſiis Phyſicis de corpore completo in communi,& Controuerſiâ præcedenti de corpore incorruptibili. Nunc Philoſophi veſtigia ſequentes gradum facimus ad diſputationem de corpore generabili, & corruptibili. Obiectum librorum, quos Ariſtoteles inſcripſit de ortu,& interitu eſt corpus generabile,& corruptibile:quia tamen omnia quæ ſpecialiter illi conueniunt per ordinem ad generationem,& corruptionem ſunt explicanda,ideò ferè tota materia horum librorum eſt generatio,& corruptio, & de ortu,& interitu inſcribuntur, ſiue de generatione,& corruptione.Præcipuè inſtituendus eſt ſermo de generatione ſubſtantiali,quia tamen hanc ſemper accidentalis generatio, ſeu alteratio comitatur: ideo vtrique communis eſt in præſentiarum diſputatio.

CONTROVERSIA PRIMA.

De his, quæ generationi præeunt.

GENERATIONI ſubſtantiali alterationes deſeruiunt,quæ materiam diſponunt, & illam ſternunt, vt valeat formam ſubſtantialem recipere. Ex his diſpoſitionibus præcipua eſt quantitas, quam comitantur in ordine ad materiam diſponendam quatuor primæ qualitates, illarúmque attemperata commixtio.De his ſcire oportet, cui ſubiecto inhæreant,à quo effectiuo principio dependeant, quomodo in formam genitam, ſeu in totum per generationem productum influant, quæ ſint communia genito, & corrupto, quæve ſimul cum compoſito deficiant? quæ omnia præſens Controuerſia decidet.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit ſubiectum quantitatis?

1 DIfficultas hæc ſupponit dari quantitatem diſtinctam à ſubſtantia, in qua ſuppoſitione procedit, quidquid

ſit de ſubiecto hypotheſis, licet enim plures negent dari quantitatem, diſtinctam, hi tenentur definire, quod ſubiectum haberet, ſi daretur, ſeu quod illi debeant tribuere Auctores, qui illam ſuperadditam admittunt.

Albert. Durand. Capr. Caietan. Ferrar. Soncin. & Scotus apud P. Soar. in Metaph. diſp. 14. ſect. 3. n. 6. quos recentes Thomiſtæ ſequuntur, pugnaciſſimè defendunt quantitatem ſubiectari in toto compoſito. Conſentiunt ex noſtris P. Vaſquez 3. part. tom. 2. diſput. 129. num. 30. P. Rub. lib. 1. de generat. cap. 4. tract. 3. quæſt. 7. 2

Quantitatem non recipi in toto compoſito, ſed in materia prima docuit Philoſophus, & Simplicius qui ſententiam hanc tribuit Platoni. Greg. Aur. Mar. & alij ex antiquis, quos refert, & ſequitur Pater Soar ſuprà num. 10. accedunt Patres Conim. 1. de Generat. cap. 4. quæſt. 4. art. 1. P. Hurtadus in Phyſica diſput. 5. ſect. 6. §. 58. P. Arriaga in Phyſica diſput. 5. ſectione 2. ſubſect. 2. & ferè omnes recentes. Hanc ſententiam vt veriorem longè probabiliorem amplector. 3

Vno eodemque fundamento Patroni oppoſitarum ſententiarum, quos retuli propriam ſententiam probare intendunt. Arguunt Thomiſtæ: ſi quantitas ſubiectaretur 4

in

Digitized by Google

in materia prima, eadem quantitas, & alia accidentia communia eſſent genito, & corrupto. Conſequens eſſe falſum docet Philoſophus: ergo & antecedens falſum eſt. Patroni oppoſitæ ſententiæ ſic arguunt: ſi quantitas ſubiectaretur in toto compoſito, deſtructo compoſito perirent omnia accidentia, quæ illi inhærebant: ergo nullum accidens commune eſſet genito, & corrupto: conſequens eſt contra manifeſtam experientiam, qua videmus eadem accidentia in cadauere, quæ in homine præceſſerunt: ergo antecedens eſt falſum. Oſtendam puncto venturo vbi de aliis accidentibus diſputabo, hoc argumentum nulli ſententiæ fauere, quia in generatione non fit reſolutio vſque ad materiam primam, vt intendunt Thomiſtæ, neque infertur faciendam eſſe, ex eo quod accidentia in toto compoſito ſubiectarentur, quod intendunt Auctores oppoſitæ ſententiæ, & ita huic rationi modo ſuperſedeo.

5 Probant hanc concluſionem Pater Soar. ſuprà num. 15. & Pater Hurtadus §.61. hac ratione. Si quantitas ſubiectaretur in toto compoſito ſubiectaretur inadæquatè in forma, ſed quantitas non poteſt ſubiectari neque inadæquatè in forma hominis: ergo non poteſt ſubiectari in homine, & ex homine ad alia compoſita à paritate argumentum deſumunt. Probant minorem, videlicet quantitatem non poſſe ſubiectari neque inadæquatè in anima rationali: quantitas non poteſt communicare ſuum effectum formalem animæ rationali: ergo non poteſt recipi in illa, quia implicat formam recipi in aliquo ſubiecto, cui non præſtet ſuum effectum formalem, & ita implicat formam recipi in ſubiecto, cui non poſſit præſtare ſuum effectum. Antecedens euidens videtur, quia effectus formalis quantitatis eſt extendere ſubiectum, & illud cum partibus extra partes conſtituere, ſed anima rationalis non poteſt extendi, neque partes extra partes habere: ergo incapax eſt effectus formalis præſtandi à quantitate. Neque hoc argumentum intentum in homine conuincit, neque ex homine rectè à paritate videtur deſumi argumentum ad alia compoſita, etiamſi argumentum demonſtraret quantitatem non poſſe recipi in homine, quia inadæquatè in illius forma vtpote ſpirituali recipi nequit. Hoc vltimum primò ſic ſuadeo. Do quantitatem inadæquatè non poſſe recipi in forma hominis, & ita neque in toto compoſito, & nego ſequi ex hoc non poſſe recipi inadæquatè in forma equi, adæquatè in equo. Diſparitatem reddo manifeſtam ipſa ratione, qua argumentantur Soar. & Hurtadus. Forma hominis ſpiritualis eſt, & vt ipſi aiunt, incapax recipiendi effectum formalem à quantitate præſtandum, ex quo fit non poſſe quantitatem recipi in illa, & conſequenter neque in toto compoſito, quia implicat quantitatem recipi in toto compoſito, & non recipi in forma, per quam compoſitum conſtituitur; forma verò equi materialis eſt, & capax recipiendi effectum formalem præſtandum à quantitate, & ipſam quantitatem, & ita non reddit compoſitum incapax recipiendi quantitatem, ſed potius capax, quia ipſa ex ſe capacitatem habet illam recipiendi, quæ ſimul cum materia, aliàs capaci recipiendi quantitatem, illam recipiet, & conſequenter totum compoſitum, quod non diſtinguitur à ſuis partibus. Itaque poſſet quiſquam dicere materiam, & formam equi habere capacitatem ad recipiendam quantitatem, & hanc de facto in vtraque adæquatè recipi, & inadæquatè in qnamcumque illarum, etiamſi materia prima ex ſe virtutem habeat ad quantitatem adæquatè recipiendam, qnia qnando adiunguntur duæ cauſæ quarum quælibet poteſt adæquatè effectum producere, vtriuſque influxus attemperatur, & ab vtraque indiuiſibiliter adæquatè prouenit effectus, & inadæquatè ab illarum qualibet, in homine verò aliter rem contingere, quia cum illius forma incapax ſit recipiendi quantitatem, materia ex ſe capax recipiendi adæquatè quantitatem, illam de facto adæquatè recipit. Hæc de conſequentia, quæ ex homine fit ad alia compoſita.

6 Argumentum adhuc in homine intentum non conuincere conſtat ex his, quæ dixi in Phyſica Controuerſia 5. puncto 5. vbi probaui poſſe educi quantitatem diuiſibilem & extenſam ex ſubiecto indiuiſibili incapaci extenſionis vbi reſpondi huic rationi deſumptæ ex incapacitate extenſionis, quam haberet ſubiectum illud, ratione cuius incapax effectus formalis quantitatis, & ipſius quantitatis poſſet videri, vt de facto Soar, & Hurtadus argumentantur de anima rationali. Vide quæ ibi dixi, vbi oſtendi quantitatem tantùm habere ex ſe conſtituere extremum vnitum in eodem loco, vbi eſt quantitas, ac proinde tunc diuerſas partes ſubiecti conſtitui in diuerſis partibus ſpatij, quando diuerſæ partes ſubiecti diuerſis partibus quantitatis vniuntur: quod ſi eadem pars ſubiecti, ſeu idem ſubiectum indiuiſibile diuerſis partibus quantitatis ſpatij vniatur, ex vi illius vnionis habet eſſe in diuerſis partibus, in quibus ſunt partes quantitatis, quibus illud indiuiſibile ſubiectum vnitur. Secundò, ſæpè dixi & latè probaui Controuerſia 8. Phyſicor. puncto 3. effectum formalem formæ nihil aliud eſſe quàm totum compoſitum reſultans ex forma, & ſubiecto, & ita dari illum effectum quotieſcumque datur hoc compoſitum, ac proinde ineptè obiicitur aliquam formam vnitam ſubiecto, & conſtituentem vnum compoſitum cum illo non tribuere ſuum effectum formalem, quia eo ipſo, quod conſtituat compoſitum ſortitur ſuum effectum formalem, qui ſubiecto tribuendus non eſt, quia ſicuti compoſitum, quod per formam conſtituitur non tribuitur ſubiecto, ita neque effectus formalis, qui à compoſito neque formaliter diſtinguitur. Quod verò forma hanc vel illam denominationem tribuat huic ſubiecto, & non illi, proueniat ex natura ipſius formæ, & ex natura ſubiecti, & ita eadem forma denominationem tribuit huic ſubiecto, quam alij non præſtat. Totam hanc doctrinam velit, nolit concedit Hurtadus hic dum argumentum proponit, cui ex illa clarè ſatisfaciamus: affirmat §. 60. & ſatis benè duas partes materiæ vnitas eidem parti quantitatis non eſſe impenetrabiles, quia tantùm fiunt impenetrabiles, ratione quantitatis, quando vniuntur partibus, quæ penetrari nequeunt: ergo eodem modo debet dicere eandem partem ſubſtantiæ, ſeu eandem ſubſtantiam indiuiſibilem vnitam duabus partibus quantitatis non debere habere partes extra partes, quia hoc quod eſt eſſe vnam extra aliam tantùm competit ſubſtantiæ, quia ſecundùm diuerſas partes ſui diuerſis partibus quantitatis vnitur. Sicut enim eadem pars quantitatis vnita diuerſis partibus ſubſtantiæ non conſtituti vnam partem extra aliam, ſic eadem pars ſubſtantiæ vnita diuerſis partibus quantitatis non conſtituetur extra ſe ipſam, neque idem indiuiſibile ſubiectum ſubſtantiale vnitum diuerſis partibus quantitatis debebit conſtitui habens partes extra partes, & ita non ex eo quod illis careat incapax erit vniendi diuerſis partibus quantitatis. Ratio à priori vtriuſque partis eadem eſt: videlicet quantitatem tantum ex ſe habere conſtituere in loco, in quo ipſa eſt, extremum vnitum, & ita ſi diuerſis partibus quantitatis idem indiuiſibile ſubiectum vniatur, ex vi huius vnionis ſubiectum illud erit in diuerſis partibus ſpatij, verò eidem parti quantitatis vniantur plures partes ſubſtantiæ ex vi eiuſdem vnionis plures partes ſubſtantiæ erunt penetratæ in eodem ſpatio, in quo eſt pars quantitatis. Doctrinam traditam de effectu formali, etſi non nimis conſequenter ad illa, quæ tradiderat, vt modò oſtendam, ibidem nobis tradidit Hurtadus: obiecerat ſibi ſenſationem materialem vniri materiæ, quam non poterat ſentientem conſtituere, & ita poſſe formam vniri ſubiecto, cui non poteſt præſtare ſuum effectum formalem, cui obiectioni reſpondet §. 64. effectum formalem ſenſationis præſtandum ſubiecto non eſſe ipſum ſentire, ſed habere imaginem obiecti, quia ſentire dicit actionem, & hac ratione materiam, quæ in ſe recipit ſenſationem, habere effectum formalem ſenſationis, etiamſi non ſentiat. Bene quidem, non conſequenter, quia ipſe paulo antea §.61. dixerat repugnare vnire intellectionem lapidi, quia non poterat illi ſuum effectum formalem præſtare: ergo intellectio eo ipſo quod lapidi vniretur, illum conſtitueret intelligentem: ergo ſimiliter ſenſatio debet ſubiectum ſentientem conſtituere, non enim minorem connexionem habet ſenſatio cum effectu formali ſentiendi, quam intellectio cum effectu formali intelligendi. Quod ſi, vt bene docet Hurtadus ſenſatio tantùm debet præſtare ſubiecto habere in ſe imaginem obiecti, quod non repugnat ſubiecto incapaci ſentiendi, intellectio ſimiliter tantùm debebit dare ſubiecto habere repræſentationem obiecti, quod non repugnabit lapidi ex eo quod ſit incapax intelligendi: ergo non rectè arguit Hurtadus non poſſe intellectionem lapidi vniri; quia lapis effectus formalis intellectionis, ſeu intelligendi incapax eſt. Confirmatur: ſubiectum ſenſationis non neceſſariò conſtituendum eſt ſentiens, quia ſenſatio importat actionem, ſed intellectio ſimiliter importat actionem: ergo illius ſubiectum non neceſſariò ex vi

illius

Digitized by Google

illius conſtituendum eſt intelligens: ergo malè infert Hurtadus non poſſe intellectionem recipi in lapide, quia non poteſt ſuum effectum formalem præſtare, cùm non debeat conſtituere intelligens ſubiectum, cui inhæret. Redeo ad id, quod docet, videlicet ſenſationem tantùm neceſſariò tribuere ſubiecto habere in ſe imaginē obiecti, quod eſt habere ipſam ſenſationem, quod ego verum puto de omni forma, quæ tantùm ſe ipſam tribuit ſubiecto per vnionem, ex qua vnione diuerſæ reſultant denominationes iuxta diuerſas extremorum naturas, ex qua doctrina argumentor ſic. Id quod neceſſariò ſenſatio tribuit ſubiecto eſt, vt habeat obiecti imaginem ſeu ipſam ſenſationem, quod eſt ſe ipſam tribuere: ergo quod neceſſariò quantitas debet tribuere ſubiecto eſt illud habere quantitatem, quod eſt ſe ipſam ſubiecto tribuere.

7 Sentio non ex incapacitate effectus formalis inferri quantitatem non poſſe recipi in anima propter rationes dictas, ſed ex eo præcisè quod anima ſpiritualis eſt, & forma materialis educi nequit ex ſubiecto ſpirituali, vt ſæpè dixi in Phyſica. Reſpondent nonnulli hoc verum eſſe de ſubiecto adæquato, nō de ſubiecto inadæquato, quia rectè poteſt forma materialis educi ex ſubiecto inadæquato ſpirituali, dummodo ex alio inadæquato materiali educatur, ſicuti effectus ſpiritualis poteſt produci ex principio inadæquato materiali, dummodo ex alio inadæquato principio ſpiritualis educatur. Solutionem hanc impugno Controuerſ. 3. de anima, Punct. 1. §. 2. vbi probo actus materiales neque inadæquatè poſſe recipi in ſubiecto ſpirituali, etiam adiuto alio ſubiecto materialis, vbi diſparitatem exēpli adducti reddo, vide quæ ibi ſcribo præcipuè à num. 15. Ex hoc prædicato ſpiritualitatis, ex quo repugnantiam deſumo ne quantitas recipiatur in anima rationali, tantùm immediatè infertur quantitatem non recipi in anima, mediâ inhæſione, non verò non poſſe vniri animæ, quia non repugnat quid materiale vniri alij extremo ſpirituali, vt patet in vnione animæ rationalis ad materiam, veruntamen cum nullum ſit fundamentum ad diſtinguendum in quantitate ſubiectum inhæſionis à ſubiecto informationis, rectè infertur ex eo quod quantitas non poſſit recipi in anima rationali, non poſſe illi immediatè vniri. Ex his concludo rectè probari ex materialitate quantitatis, & ſpiritualitate animæ rationalis hanc non eſſe illius ſubiectum, & conſequenter neque totum hominem, quod eſſentialiter dicit animam, ſed tantùm materiam primam. Ex ipſa ratione adductâ diſparitatem reddi poſſet propter quam quantitas hominis adæquatè in materia prima recipiatur, & quantitas aliorum compoſitorum nōn tantùm in materiis ipſorum, ſed in ipſis compoſitis recipiatur, dixi n. 5. Verumtamen non præcisè à paritate, ſed rationi innitendo videtur principium deſumi ex eo, quod materia prima hominis ſit ſubiectum adæquatum quantitatis, ad inferendum idem de aliis compoſitis dicendum eſſe. Rationem ego ſic efformo. Materia prima hominis, & materia alius cuiuſcumque compoſiti ſunt eiuſdem rationis: ergo ſi materia prima hominis virtutem habet ad quantitatem adæquatè recipiendam, eandem habet quælibet alia materia: ergo materia prima equi ex ſe capax eſt recipiendi adæquatè quantitatem, aliunde non habemus fundamentum ad virtutem adhuc inadæquatam tribuendam formæ equi (idem dico de quacumque alia forma materiali:) ergo formæ virtus hæc tribuenda non eſt: ergo tota quantitatis receptio tribuenda eſt materiæ primæ, quam ſcimus virtutem habere ad quantitatem adæquatè recipiendam.

8 Ratio ſupra adducta ſufficiens eſſet ad affirmandum quantitatem recipi in materia prima cuiuſcumque compoſiti, verumtamen fortior alia nobis ſupereſt, cui magis fido: illam accipe. Quantitas eſt diſpoſitio ad formam & ad totum ſubſtantiale per formam conſtituendum: ergo eſt prior natura forma ſubſtantiali, & toto per ipſam conſtituendo: ergo non poteſt eſſe poſterior formâ, neque poſterior toto: ergo neque in forma, neque in toto recipi poteſt. Antecedens admittunt omnes, nullus enim negat quantitatem eſſe diſpoſitionem ad formam ſubſtantialem. Prior illatio legitima eſt iuxta doctrinam traditam 2. Phyſ. Contr. 7. Punct. 8. & 9. vbi probaui nihil poſſe eſſe prius & poſterius reſpectu eiuſdem adhuc in diuerſo genere cauſæ. Poſterior illatio citra controuerſiam eſt, quia id, quod in alio recipitur ab illo dependet tanquam à cauſa materiali, & eſt illo poſterius: ergo quod non poteſt eſſe poſterius hac entitate, non poteſt recipi in illa. Neque illi, qui mutuā cauſalitatem duarum entitatum in diuerſo genere cauſæ admittunt, vim argumenti effugiunt, quia quantitas diſponit ad formam aptando materiam vt in genere cauſæ materialis recipiat formam, & vnionem, & ex parte cauſæ materialis ſe habet reſpectu formæ & vnionis recipiendæ: ergo eſt prior formâ & vnione, & conſequenter prior compoſito in genere cauſæ materialis: ergo non poteſt eſſe poſterior illo in eodem genere cauſæ materialis.

Fundamenta, quibus oppoſita innititur ſententia omnia leuiſſimi ſunt momenti. Arguunt: Materia prima eſt pura potentia: ergo nullum habet actum quouſque actuetur forma ſubſtantiali, aliàs primus actus materiæ eſſet forma accidentalis, ſeu quantitas, quæ prius reciperetur forma ſubſtantiali: verbi gratia, forma equi, ex quo etiam inferretur formam equi recipi in materia media quantitate, & ita non conſtituere vnum per ſe immediatè cum materia. Reſpondeo materiam primam ex ſe, & ſecundùm ſuam entitatem eſſe puram potentiam phyſicam, quæ actuatur per formas accidentales, & per formam ſubſtantialem, per hanc priùs ordine intentionis, quia reliquarum actuationes, ſeu informationes ad huius informationem ordinantur, per illas priùs ordine exequutionis, quia informationes accidentium, quæ diſponunt ad formam ſubſtantialem, illam præcedunt, quod non eſt contra rationem formæ ſubſtantialis, quæ ſemper retinet eſſe actum primò intentum à natura, propter quem reliqui intenduntur, quod tantùm eſt de ratione actus ſubſtantialis. Ad vltimum quod obiiciebatur videlicet formam ſubſtantialem recipi in materia media quantitate, Reſpondeo recipi media quantitate tanquam diſpoſitione prærequiſita ex parte materiæ ad formam ſubſtantialem recipiendam, non verò media quantitate terminante vnionem ad formam ſubſtantialem, vel hanc recipiente, ex quo non infertur formam ſubſtantialem non conſtituere vnum per ſe cum materia, quia forma tantùm conſtituit vnum cum illo, quod terminat ſuam vnionem, & cum hanc non terminet quantitas, etiamſi ad illam vt diſpoſitio ſupponatur cum materia, ſed tantùm ipſa materia cum hac vnum conſtituit, non cum quantitate, & ita vnum per ſe erit, cum tantùm ſit conſtitutum ex materia & forma ſubſtantiali. 9

Rurſus obiiciunt Thomiſtæ: Materia prima non poteſt recipere quantitatem, neque aliud accidens, quouſque ſit ſubſiſtens, ſed non eſt ſubſiſtens quouſque ſit informata forma ſubſtantiali: ergo non poteſt quantitatem recipere niſi informata: ergo non poteſt per ſe ipſam niſi ſimul cum forma quantitatem recipere. Maiorem probant, quia ſicut actio ex parte principij actiui ſupponit ſubſiſtens, ſeu ſupponit principium actiuum ſubſiſtens, ita paſſio debet ſupponere principium paſſiuum ſubſiſtens. Minorem certam eſſe putant, quia materia prima ſubſiſtit per ſubſiſtentiam totius, & ita non poteſt ſubſiſtere quouſque intelligatur informata, & totum conſtitutum. Si Thomiſtis redarguas materiam primam ſupponi priùs natura forma ad ipſam formam recipiendam abſque ſubſiſtentia mendicata à forma, ſeu compoſito, reſpondent principium paſſiuum non debere ſupponi ſubſiſtens ad recipiendum actum ſubſiſtentem, qualis eſt forma ſubſtantialis, ſecus ad recipiendum actum non ſubſiſtentem, qualis eſt quantitas. Facilè illos ſic reſpondentes inſector: perfectius principium paſſiuum requiritur ad actum perfectiorem, ſeu ad formam perfectam recipiendam, quàm ad aliam imperfectam: ſed forma ſubſtantialis perfectior eſt forma accidentali: ergo perfectius principium paſſiuum requiritur ad ſubſtantialem, quam accidentalem recipiendam: ſed ad ſubſtantialem non requiritur principium ſubſiſtens: ergo neque ad accidentalem. Veriſimilius poſſet reſponderi principium paſſiuam non debere ſupponi ſubſiſtens ad formam ſubſtantialem, quia per illam conſtituitur ſubſiſtens, ſecus ad accidentales, quia per has non ſubſiſtit, ſicuti non debet ſupponi præſens ad præſentiam, quia ex vi huius præſens conſtituitur, etiamſi ad alias formas recipiendas debeat præſens ſupponi. Contrà: etiamſi materia ſubſiſtat per ſubſiſtentiam formæ, ſeu totius non ſubſiſtit formaliter per ipſam formam, quia ſubſiſtentia, qua ſubſiſtunt materia, & forma, & ſubſiſtit totum, ab ipſa forma diſtinguitur: ergo materia non ſubſiſtit formaliter per formam: ergo ex hoc capite non poteſt ſupponi ſine ſubſiſtentia ad formam recipiendam, ſi aliunde ad omnem receptionem, debeat ſupponi ſubſiſtens. 10

Kk 4 Reſpondeo

ſtituit totum ſubſtantiale, cuius conſtitutionem, neque inadæquatè includit accidens, ſed forma ſubſtantialis immediatè vnitur materiæ primæ etiam quando aduenit, inueniet iam materiam informatam quantitate ſibi vnita, neque vlla eſt repugnantiæ apparentia in eo, quo duplex forma, vna ſubſtantialis & accidentalis alia vniantur immediatè quantitati, etiamſi ſubſtantialis ſupponat accidentalem informantem materiam. Ratio eſt, quia etſi quantitas, quæ eſt forma accidentalis ſupponatur ex parte materiæ ad informationem formæ ſubſtantialis non ſupponitur, tanquam virtus, ſeu potentia receptiua formæ, ſeu tanquam aliquod, medio quo materia formam recipiat, ſed tanquam conditio prærequiſita ex parte ipſius materiæ ad formam recipiendam, qua ratione, nec diſpoſitionem præſupponunt ad formam, & ad illarum exigentiam forma producitur, & immediatè in materia recipitur, illique vnitur, diſpoſitiones enim exigunt formam non ipſi immediatè vniendam neque in ipſis recipiendam ſed immediatæ materiæ primæ vniendam, & in illa immediatè recipiendam.

PVNCTVM II.

De ſubiecto aliorum accidentium.

1 NOn procedit quæſtio de accidentibus modalibus ad ipſa entitate productis, ſicuti præſentia, & duratio in opinione, quæ hanc diſtinguit à re durante, quia de his certum eſt ſubiectari in entitatibus, quarum ſunt modi, & quas afficiunt, quaſi proprias illarum formas. Neque diſputo de actibus vitalibus, & illorum potentiis, ſi ſuperadditæ dentur, de his enim agam Controuerſia 3. de anima puncto 1. §. 2. vbi proprium illi ſubiectum aſſignabo. Procedit præſens difficultas de aliis accidentibus communibus, ſicuti ſunt quatuor primæ qualitates. Docuêre Soncinas lib. 12. Metaph. q. 88. concl. 2. & Iauell. q. 8. omnia accidentia inhærere ſubſtantiæ media alia potentia eiuſdem rationis cum accidenti recipiendo, videlicet qualitatem recipi media potentia, quæ ſit qualitas, & quantitatem media potentia, quæ quantitas ſit. Sententia hæc omni probabilitate deſtituta eſt, quia virtus illa media qua qualitas recipitur debet in ſubiecto recipi, cum ſit eiuſdem rationis cum qualitate recepta; vel ergo recipitur media alia virtute & ſic in infinitum abimus: ſi immediatè, & per ſe: ergo ſicut hæc virtus immediatè recipitur in ſubſtantia, ſic poterit recipi, qualitas illa ad quam virtus iſta confingitur. Nouiſſimi quidam qui Thomiſtarum nomine ſuà ſcripta commendare intendunt, aſſerunt (etſi expreſsè contra Angelicum Doctorem) iuxta D. Thom. dicendum eſſe hæc accidentia è forma dimanare, & recipi in toto compoſito, eſſéque priora forma in genere cauſæ materialis, & poſteriora in genere cauſæ efficientis. Sententia hæc ex dictis puncto præcedenti, facilè impugnatur, quia hæc mutua prioritas cauſarum adhuc in diuerſo genere admittenda non eſt, neque admiſſa ſufficeret ad hanc ſententiam defendendam, quod ibi dixi, & efficacius modò ex his, quæ tradit hæc ſententia oſtendo. Hæc accidentia recipiuntur in toto compoſito: ergo ſunt illo poſteriora in genere cauſæ materialis: ergo ſunt poſteriora forma conſtituente tale compoſitum in eodem genere quia nequeunt dependere à compoſito in aliquo genere, in quo non dependeant à partibus eſſentialibus, quibus conſtituitur, ſed aliunde vt tradit hæc ſententia, hæc accidentia ſunt priora forma in genere cauſæ materialis: ergo in eodem genere ſunt priora, & poſteriora,

2 Reſpondent prædictæ ſententiæ Patroni formam eſſe priorem, & poſteriorem accidentibus in eodem genere, non proximè, ſed remotè, quia ex eo quod totum compoſitum ſit prius in genere cauſæ materialis accidentibus, non infertur formam eſſe priorem illis proximè: ſed remotè, ſeu medio toto. Multa poſſent adduci contra hanc ſolutionem, verumtamen, quia leui opera detrudenda eſt, pauca dabo. Inquiro vnde nouerint hi Auctores poſſe dari prioritatem mutuam remotam in eodem genere? hoc certè nullus ex his, qui antiqua lucubratione ſcriptorum D. Thomæ, ſibi Thomiſtarum nomen compararuut edocuit, & id fieri non poſſe oſtendi clarè 2. Phyſic. Controu. 7. puncto 5. vbi probaui cauſam remotam eſſe cauſam per ſe & non poſſe à ſuo effectu dependere, aliàs poſſet dici res omnes mutuò fuiſſe productas aſque vna prima cauſa per dependentiam huius entitatis ab effectu, quem remotè produxit, poſſet enim ignis *A*, producere ignem *B*, & ignis *B*, ignem *C*, & ignis *C* ignem *D*, & hic ignis *D* producere ignem *A*, à quo remotè fuit productus; & ita hi omnes ignes poſſent dari abſque vlla prima cauſa, à qua omnes ignes dependerent, & quæ non dependeret ab alia. Secundò probo hanc dependentiam accidentium à forma non futuram eſſe mediatam, & remotam, ſed immediatam, & proximam: accidentia immediatè dependerent à toto compoſito indiuiſibiliter ſumpto, in quo ſubiectarentur: ergo immediatè dependerent à ratione conſtitutiua compoſiti: ſed hæc eſt materia, & forma: ergo immediatè dependerent à materia & forma. Deinde compoſitum nihil eſt aliud quàm materia, forma, & vnio, cum quibus adæquatè identificatur, & inadæquatè cum qualibet illarum, ſed accidentia immediatè ſubiectarentur in materia, forma, & vnione, in qualibet illarum tanquam in ſubiecto inadæquato, & in omnibus tanquam in ſubiecto adæquato: ergo immediatè dependerent à forma, & in genere cauſæ materialis eſſent immediatè poſteriora forma: ſed aliunde ſunt immediatè priora tali forma: ergo ſunt immediatè priora, & poſteriora forma in eodem genere. Sed ne contendamus de hac dependentia formæ, ad totum eandem formam argumenti transfero. Accidentia in genere cauſæ materialis immediatè diſponunt ad formam, & vnionem: ergo immediatè diſponunt ad totum. Probo conſequentiam: eatenus cauſatur totum, quatenus cauſatur vnio, & principium illud, quod immediatè cauſat vnionem ex eo præcisè quod illam cauſet dicitur immediate cauſa totius, neque alia ratione generans, aut principium aliquod poteſt dici cauſa immediata totius, niſi quia immediatè cauſa vnionem: ergo diſpoſitiones, quæ immediatè cauſant vnionem, cauſant totum, non quia totum recipiant, neque quia deſeruiant, vt totum recipiatur in aliquo ſubiecto, ſed quia deſeruiunt vt recipiatur id, per quod formaliter conſtituitur totum: ergo per eandem cauſalitatem, ſiue propriam, ſiue impropriam, & dipoſitiuam, per quam hæc accidentia conſtituuntur priora reſpectu vnionis, conſtituuntur priora reſpectu totius. Sed ſunt priora vnione in genere cauſæ materialis: ergo ratione huius in eodem genere ſunt priora toto; ſed ſi recipiuntur in toto ſunt poſteriora illo in genere cauſæ materialis: ergo ſunt priora & poſteriora in genere cauſæ materialis.

Pater Hurtadus diſp. 6. Phyſic. ſect. 6. cui conſentit P. Arriaga diſp. 5. Phyſic. ſect. 2. ſubſect. 4. aſſerit, has qualitates recipi in materia prima, & non in quantitate. Refert pro hac ſententia Nominales: verumtamen cum hi Auctores non admittant quantitatem materiæ ſuperadditam, & ab illa diſtinctam, non illis gratias debet agere Hurtadus, quia accidentia non quantitati ſuperadditæ, quam negant, ſed materiæ primæ largiantur. Mouetur Hurtadus, quia munus quantitatis eſt extendere ſubiectum. Fateor munus quantitatis eſſe ſubiectum extendere, & in ordine ad hoc rectè concipi totam illius eſſentiam metaphyſicè ſumptam, verumtamen cur non poterit quantitas, cuius munus primarium eſt extendere ſubiectum, in ordine ad quod eſſentialiter conſtituitur, habere potentiam receptiuam accidentium? Arguit ſecundò: primæ qualitates diſponunt ad formam ſubſtantialem, & ſunt cauſæ ſecundarum, & tamen ſecundæ non recipiuntur in primis: ergo non eſt cur reliquæ qualitates in quantitate recipiantur. Vim huius illationis non agnoſco, quia Auctores, qui aſſerunt qualitates in quantitate recipi, non ideò hoc affirmant, quia exiſtiment à quantitate produci, certum enim eſt qualitates diuerſas, & ſecundum diuerſam intenſionem non produci efficienter à quantitate eiuſdem omnino rationis in aliis compoſitis: ergo ex eo quod qualitates ſecundæ productæ à primis in his non recipiantur, neque infertur qualitates non recipi in quantitate, neque infringitur ratio, qua id Doctores aſſerunt. Tandem arguit forma ſubſtantialis recipitur in materia: ergo in eadem debent recipi diſpoſitiones ad illam, quia diſpoſitiones debent recipi in eodem ſubiecto, in quo recipitur forma ad quam diſponunt. Huic argumento ſatisfeci Controuerſ. 2. Phyſic. puncto 2. num. 7. vbi dixi non omnes diſpoſitiones debere immediatè recipi in eodem ſubiecto, in quo eſt forma, ſed ſufficere vnam immediatè recipi, & media illa recipi alias. 3

Primas qualitates, & reliquas, quæ ex his oriuntur recipi 4

in

in quantitate defendunt P. Soar diſp. 14. ſect. 4. c. 5. P. Rub. lib. 1. de generat. cap. 4. tract. 3. q. 10. & communiter recentiores. Huic ſententiæ acquieſco, non quia firmum aliquod fundamentum inueniam, quod animum conuincat, ſed quia communis eſt, & magis ad mentem D. Thom. qui illam docet variis in locis, quæ refert Soar ſuprà, & pro oppoſita ſententia nullum inuenio fundamentum quod in illam potiùs quam in iſtam animum ferat. Rationes nonnullas, quibus alij ſententiam hanc probant omitto, quia leuis, nulliusve ponderis ſunt, tantùm adduco illam, quæ ex ſpeciebus Euchariſticis adduci ſolet. Agens naturale producit naturaliter calorem, & frigiditatem in ſpeciebus panis Euchariſticis, in quibus nulla datur maeria prima: ſed non poteſt hęc accidentia producere niſi in ſubiecto, ex quo educantur, quia ſi extra ſubiectum producerentur, illorum productio eſſet creatio, quæ ab agenti naturali non poſſet procedere: ergo ibi reperitur ſubiectum naturale horum accidentium: ergo tantùm poteſt eſſe quantitas, cum ibi non ſuperſit materia, neque illud accidens, quo poſſit eſſe ſubiectum illorum. quæ in ſpeciebus contingunt. Reſpondet Hurtadus productionem illam accidentium eſſe creationem producentem tantùm à Deo ad præſentiam agentis naturalis, quia Deus ob meritum fidei ne myſterium Euchariſticum ratione naturali innoteſcat producit ſupernaturaliter illa accidentia, quæ naturaliter produceret agens naturale ſi ibi daretur ſubſtantia panis. Nulla ratio efficax inuenire poterit ad hanc ſolutionem impugnandam, etſi magis congruum videatur hæc miracula ſine fundamento non admitti, cùm nullum inueniatur, quod poſitiuè ſuadeat accidentia in materia prima, & non in quantitate recipi. Ideò hanc ſententiam ſine contentione defendo, dum enim accidentia in toto non ſubiectentur quod efficaciter rationes ſupra adductæ, & aliæ ad homines adducendæ puncto ſequenti contra illos, qui admittunt corrupto toto omnia accidentia corrumpenda eſſe, ſatis efficaciter probant, nulla ratione efficaci impeti poterunt, qui illa potiùs in materia, quam in quantitate, vel potiùs in quantitate, quàm in materia conſtituunt.

PVNCTVM III.

An corrupto toto ſubſtantiali reſolutio fiat vſque ad materiam primam?

1 AVctores, quos retuli puncto 1. aſſerentes quantitatem ſubiectari in toto compoſito exiſtimant teneri conſequenter aſſerere corrupto compoſito deficere quantitatem, & omnia alia accidentia, quæ media quantitate eidem compoſito inhærebant. Illi verò, qui defendunt, quantitatem tantùm inhærere materiæ primæ, & reliqua accidentia eidē materiæ, vel quantitati, & non toti compoſito defendunt plura accidentia, quæ erant in genito, in corrupto permanere; adduntque Hurtad. diſp. 6. phyſic. ſect. 6. §. 6. & diſp. 1. de gen. ſect. 5. §. 4. & alij recentiores non ſequi ex eo quod accidentia in toto ſubiectentur, omnia corrumpenda, quando corrumpitur totum, cui inhærebant, & aliud aduenit, ideò placuit vim huius illationis examinare, vt videatur, qua ratione procedat Thomiſtarum opinio, & difficultatem ſupra præfixam, etiam iuxta aliorum principia definire.

2 Deficere poteſt accidens ex defectu conſeruantis, vel ex contraria forma adueniente, vel ex defectu ſubiecti, aliuſve conditionis requiſitæ ad illius conſeruationem. Accidentia, quæ erant in toto compoſito, non deficere ex defectu conſeruantis fatentur omnes, quia non omnia dependebant in conſeruari à præëxiſtenti forma, omnia enim quæ communia ſunt pluribus cōpoſitis, ſicut primæ qualitates, & quæ ex his oriuntur, eo ipſo quo ſemel ſunt producta, exigunt conſeruari à Deo etiamſi deficiat quodcumque aliud principium creatum à quo conſeruentur, vt patet in calore, qui amoto igne, à quo fuit productus, & nullo alio agenti naturali applicato conſeruatur per aliquod tempus in ſubiecto, etiam in præſentia contrarij intendentis illud expellere. Deinde videmus in genito accidentia ſaltem eiuſdem ſpeciei, quæ erant in corrupto: ergo virtus illa actiua, quæ modo hæc accidentia denuo producit, ſi ab illis, quæ in corrupto præceſſere diſtinguuntur, potuit illa, quæ præceſſiſſe dicuntur conſeruare, ſi ex alio capite non corrumperentur. Probat etiam hæc experientia accidentia antiqua non corrumpi per formam contrariam aduenientem, quia loco illorum ſuccedunt alia eiuſdem ſpeciei, & omnino eiuſdem rationis, & licet accidentia eiuſdem rationis incompoſſibilia ſint in ſubiecto, nunquam tamen vnum expellit aliud, vt experientia notum eſt, aliàs ignis applicatus ligno poſtquam totam intenſionem, quam poterat, produxiſſet, perpetuò nouos gradus caloris produceret, qui antiquos expellerent, & ſic in ſingulis inſtantibus nouus calor produceretur, & productus tempore præcedenti corrumperetur. Rationem propter quam id contingere non poſſit reddam Controuerſia 4. Puncto 2. § 3. Neque conditio aliqua deſiderari poteſt dum totum corrumpitur, ex defectu cuius accidentia, quæ illi inhærebant ſubſiſtere non poſſint, quantumuis enim dicatur materiam primam indigere ſubſiſtentia tanquam conditione ad illa accidentia ſuſtentanda, ex defectu huius accidentia non deficient, quia etſi ſecundum ſententiam, quæ aſſerit materiam primam non habere propriam ſubſiſtentiā, ſubſiſtentia antiqua deficiat, noua alia aduenit, quod ſufficit, vt eadem accidentia perſiſtant, ſicuti deficiente præſentia ex parte materiæ primæ, ſi alia adueniat non deficit effectus, ſeu cauſalitas, quæ ex parte materiæ ſupponebat præſentiam, ex vi cuius paſſo approximaretur.

Totus ergo antiquorum accidentium defectus, ſi datur, quando totum corrumpitur reducendus eſt in defectum ſubiecti, cum verò in noſtra ſententia ſubiectum quantitatis ſit materia prima, & aliorum accidentium materia prima, vel quantitas, corrupto toto non deficit ſubiectum accidentium, & ita hæc perſiſtent donec ab alio extrinſeco corrumpantur. In Thomiſtarum ſententia certum eſt deficere illorum ſubiectum, quod erat totum præëxiſtens, & modo corruptum, adhuc tamen defendo ex defectu huius accidentia corrumpenda non eſſe, quod ſic probo. Non minus dependet accidens à principio effectiuo, à quo producebatur, dummodo adueniat aliud eiuſdem virtutis quod poſſit loco illius ſubſtitui, non deficit effectus, ſed ille, qui antea conſeruabatur ab illo principio, modo ab iſto adueniente conſeruatur: ergo deficiente principio paſſiuo, à quo dependebat dum adueniat aliud eiuſdem virtutis, quod poſſit loco illius ſubſtitui, non deficiet effectus, ſed qui antea dependebat ab illo principio paſſiuo, modò dependebit ab iſto in eodem genere cauſæ materialis. Sed quando deficit hoc totum, quod paſſiuè ſuſtentabat hæc accidentia, aduenit aliud, quod in actu primo poteſt eadem ſuſtentare, ſiquidem in omnium ſententia, ſi de facto eadem non ſuſteniat, ſuſtentat alia eiuſdem ſpeciei: ergo totum iſtud adueniens ſubſtituetur loco illius, quod præceſſit, & paſſiuè ſubſtabit eiſdem accidentibus, quibus præcedens ſubſtabat. Confirmatur: ſicut accidens dependet media actione ſuperaddita à principio effectiuo, & indifferens eſt vt dependeat ab hoc vel ab illo media hac vel illa actione, ita depēdet à principio paſſiuo media paſſione ſuperaddita, & indifferens eſt, vt dependeat ab hoc vel illo principio paſſiuo, ſed ex eo quod accidens habet hanc indifferentiam, poteſt idem, quod modo dependet per hanc cauſalitatem ab hoc principio actiuo in inſtanti ſequenti dependere per aliam cauſalitatem ab alio principio actiuo, ſi applicetur: ergo ſimiliter poterit idem accidens, quod modo dependet ab hoc principio paſſiuo in inſtanti immediato dependere per aliam cauſalitatem ab alio principio paſſiuo eiuſdem virtutis cum iſto exiſtente, ſit tale principium paſſiuum loco iſtus applicetur. Diſcrimen vnum in hac re inuenio quando ſuccedit principium actiuum diuerſum, & quando ſuccedit principium paſſiuum, quod quando ſuccedit hoc principium actiuum permanere poteſt idem accidens: verbi gratia, idem calor cum eadem vnione, quia tam calor, quam vnio dependebant à principio actiuo tantùm media actione ſuperaddita, & poterant ab hoc, vel illo dependere: quando verò ſuccedit diuerſum principium paſſiuum, etſi de calore eadem ſit ratio, de vnione eſt diuerſa, hæc enim non poteſt eadem permanere variato principio paſſiuo, quia vnio non ſolùm dependet tanquam à cauſa materiali media paſſione ſuperaddita à principio paſſiuo, ſed etiam immediatè, & per ſe tanquam ab extremo, quod ex vi illius vnitur, & cuius eſt modus, & deficiente hoc principio paſſiuo, ſeu hoc toto neceſſariò deficit vnio, quam exiſtens terminabat tanquam proprium modum inſeparabilem ab illo, poterit tamen perſiſtere idem accidens cum alia vnione ad aliud totum, quia ſicut accidens dependet media

paſſione

Digitized by Google

paſſione, & indifferens eſt ad hanc vel illam dependentiam à diuerſo principio, ſic vnitur media vnione ſuperaddita, & indifferens eſt ad terminandam hanc, vel illam vnionem diuerſam.

4 Dices ſequi ex hac doctrina, accidens poſſe migrare de ſubecto in ſubiectum. Reſpondeo: accidens migraturum de ſubiecto in ſubiectum, ſi permanente ſubiecto accidens illud relinqueret, & tranſiret ad aliud, non verò dici migrare de ſubiecto in ſubiectum, quando accidens localiter immotum nouum acquirit ſubiectum, quia antiquum deficit, & aliud loco illius immediatè applicatur, quod contingit in ſubiectis inadæquatis; in ſubiectis verò adæquatis nunquam vel rarò poteſt id contingere, quod ſi contingat aliquando, rectè docet Hurtadus diſput. 1. citato §. 46. poſſe accidens diuerſum adæquatum ſubiectum acquirere. Poſſet, in aliquo caſu, contingere cum Sol per feneſtram intenſam lucem producit in parte aëris feneſtræ oppoſita, quæ in eo reliquo cubiculi ſpatio non producitur, tunc autem ſuccedunt diuerſæ partes aëris in illo ſpatio, in quo producitur illa intenſio, & in eodem inſtanti, in quo recedunt aliæ, aliæ accedunt, & applicantur ad conſeruandam illam lucis intenſionem, quam non poſſunt in alio ſpatio conſeruare, partes, quæ receſſerunt: ergo tunc lux illa nouum ſubiectum adæquatum acquirit, eademque in diuerſis ſubiectis ſuccedentibus conſeruatur, quin nouo accedente ſubiecto lux noua producatur, & corrumpatur antiqua. Admiſſa applicatione noui ſubiecti non recuſat Hurtadus concedere accidens nouum adæquatum ſubiectum acquirere, affirmat tamen §. 46. citato antecedens eſſe dubium, quia applicatio aëris fit per partes proportionales, per quas non eſt tam appplicatum agens, quàm antea. Maiori explicatione indiget hæc ratio, quid enim refert aërem applicari per partes proportionales, vel per aliquotas, ne habeat eandem applicationem? argumentor ſic. Nouus aër ſaltem ſecundum aliquas partes occupat indiuiſibiliter idem ſpatium, quod occupabat antiquus. agens luminoſum eſt in eodem ſpatio, demus enim non eſſe Solem, qui ſemper mouetur, ſed ignis vel luminoſum, quod per breue aliquod tempus immobile ſit: ergo erit eadem applicatio, cum ſit idem ſpatium occupatum à paſſo, & agente.

5 Exiſtimo defendi poſſe nunquam accidens adæquatum ſubiectum relinquere, & nouum acquirere ex defectu applicationis, quam in caſu prædicto non dari ſic ſuadeo. Rem explico in continuo partium finitarum, ne infinitarum multitudine res obſcurior fiat. Pono partes aëris directè feneſtræ oppoſitas eſſe, quatuor videlicet partes *B*, *C*, *D*, *E*, exiſtentes in partibus *B*, *C*, *D*, *E*, ſpatij, & moueri aërem verſus partes, *G*, ſpatij: cum pars *E*, mouetur, conſtituitur extra ſpatium directè feneſtræ oppoſitum, & loco illius ſuccedit pars *D*, quæ antea directè feneſtræ erat oppoſita & adhuc remanet in ſpatio directè oppoſito, & ita ſecum fert intenſionem lucis, quam habebat antequam moueretur, & cum non poſſit ſimul recipere lucem antiquam, & lucem quá pars *E* recipiebat hanc non poteſt cõſeruare, vnde neceſſariò corrumpitur intenſio illa, quam ſecum non poteſt ferre pars *E*, quia paſſum, quod ſuccedit in ſpatium aptum ad illius conſeruationem venit propria luce occupatum, & non poteſt alienam recipere: ſic partes *B*, *C*, cum mouentur intra illud ſpatium directè feneſtræ oppoſitum antiquam lucem retinent, & pars noua aëris, quæ ingreditur partem *B*, ſpatij, quæ eſt prima oppoſitæ feneſtræ nouam lucem concipit, & ita nulla pars lucis nouum acquirit ſubiectum antiquo relicto. Inſtabis: agens agit vniformiter difformiter per omnia indiuiſibilia, ergo datur in illo ſpatio vnum indiuiſibile ſpatij, in quo ſit maior intenſio, quam in omnibus aliis: ergo gradus ille lucis, in quo indiuiſibile aëris excedit omnia indiuiſibilia aëris exiſtentia in reliquo ſpatio immobilis eſt: ergo non poteſt aër, qui modo illo informatur, cùm mouetur in inſtanti ſequenti, illud ſecum ferre, neque aër, qui ſuccedit poterit afferre tantam intenſionem, quantam habebit in hoc ſpatio indiuiſibili: ergo intendetur gradu illo, quem ſecum ferre non potuit pars aëris, quæ ſpatium illud reliquit. In continuo Ariſtotelico difficultas hæc locum habere nequit, quia cùm quælibet particula aëris diuiſibilis ſit, habebit partes magis, & minùs intenſas, & ita non ſubſiſtet ſubiectum huius difficultatis, quod eſt indiuiſibile quoddam aëris excedens reliquas partes aëris in intenſione, quæ ex hoc indiuiſibili ſpatij moueri nequit. Item ſecundùm opinionem, quæ aſſerit non per quodlibet nimium indiuiſibile ſubiecti, ſed per extenſionem agens agere vniformiter difformiter, difficultas hæc non ſubſiſtit ex defectu ſubiecti, nam vt dicebam hoc debet eſſe indiuiſibile quoddam reliquis omnibus intenſius intenſione quadam immobili ab hoc ſpatio. Qui velit ſimul defendere continuum conſtare ex indiuiſibilibus, & per ſingula agens agere vniformiter difformiter, adhuc poteſt defendere luminoſum eſſe æquè applicatum ratione diuerſarum partium diuerſis partibus paſſi, non quibus ſit linea recta ab agente ad paſſum, ſed quibus ſit linea quædam traiiciens ſpatium illud directè feneſtræ oppoſitum ab vno latere ad aliud, & ita nullum poſſe dari indiuiſibile aëris excedens intenſione immobili reliqua omnia, de quo tantùm poteſt difficultas procedere.

6 Aliud diſcrimen poſſet aſſignari iuxta doctrinam Thomiſtarum, ratione cuius non poſſet ſubſtitui vnum ſubiectum loco alterius, etiamſi poſſet vnum principium effectiuum in ordine ad eundem effectum loco aliûs ſubrogari, videlicet accidentia indiuiduari à ſubiecto, & ita non poſſe diuerſa ſubiecta recipere, quia non poteſt idem accidens habere diuerſas indiuiduationes, non tamen indiuiduari à principio effectiuo, & ita poſſe dependere à principiis diuerſis. Solutio hæc falſam continet doctrinam ſæpè à me impugnatam, & facilè à quocumque impugnandam. Secundò ad homines contra Thomiſtas arguitur. Materia prima in ipſorum ſententia, indiuiduatur à quantitate, & ratione quantitatis diſtinguitur hæc pars ab illa, & tamen eadem materia eſt in diuerſis totis cum diuerſis quantitatibus, cùm materia corrupto, & genito in ipſorum ſententia, & non quantitas ſit communis: ergo etiamſi accidens indiuiduaretur à ſubiecto, poſſet idem diuerſis ſucceſſiuè inhærere ſubiectis. Tertiò magis propria, & magis intrinſeca eſt exiſtentia cuicumque rei, quàm ſubiectum accidenti, ſed poteſt eadem materia ſucceſſiuè informata diuerſis formis, habere ſucceſſiuè diuerſas exiſtentias, & ex defectu huius exiſtentiæ materia non deficit, quia illi alia aduenit in Thomiſtarum ſententia: ergo potiori ratione poterit idem accidens inadæquatis ſubiectis ſucceſſiuè inhærere, & deficiente iſto ſubſiſtere, ſi iſtius loco aliud ſuccedat.

Destructo fundamento, quo Thomiſtæ intendunt non eadem accidentia permanere in genito, & in corrupto, ſunt alia plura argumenta, quæ ſuadent, eadem numero in vtroque permanere. Deſumitur primum illudque valde efficax ex experientia, qua ſentimus eadem accidentia in cadauere, quæ in viuenti præceſſerunt. Reſpondent Patroni oppoſitæ ſententiæ, ſenſus eſſe corrigendos ab intellectu, qui non debet aſſentire his, quæ ſenſibus apparent. Id ego in obſequium fidei præſto libens, verum in obſequium difficilis, & vetuſtæ ſententiæ non ſolùm contra experientiam, ſed etiam contra rationem, non præſtabo. Affirmant Patroni oppoſitæ ſententiæ omnia accidentia, quæ erant in præcedenti compoſito ſimul cum illo periiſſe, & alia ſimilia fuiſſe producta, quæ ſenſibus non poſſunt diſcerni à præcedentibus, illis valde ſimilia. Contra ſolutionem iſtam arguunt omnes ſectatores noſtræ ſententiæ. Nulla eſt cauſa, à qua poſſint alia accidentia denuo produci: ergo ſi ſemel antiqua fuiſſent corrupta nuſquam alia ſimilia producta fuiſſent. Probatur antecedens: forma cadaueris quæ ſubſequitur nullo ex his indiget accidentibus, neque virtutem habet illa producendi, quorſum enim forma cadauerica produceret calorem qui eſt in homine, qui paulò antè animam egit, & tantam deorganizationem, cicatricum ſigna, quæ tantùm viuenti huic indiuiduo conueniebat, & ad formam cadaueris nullo modo ſpectant? Neque aliud extrinſecum agens, à quo hæc accidentia producantur: ergo ſi ſemel antiqua fuiſſent corrupta, nunquam alia producta fuiſſent. Nonnullas ſolutiones adducit, & refellit P. Soar diſp. 14. ſect. 2. num. 21. omnino à veritate aberrantes, tolerabilior eſt, qua dicitur Deum ſimilia accidentia producere, ne materia immediatè tranſeat ad accidentia inter ſe valde oppoſita, ſed ſucceſſiuè antiqua amittat. Hæc ſolutio parum eſt philoſophica, quia abſque aliquo fundamento, Deo tribuit productionem accidentium, quam nulla cauſa exigit. Quod ſi Deus, poſitis diſpoſitionibus dum alia cauſa naturalis non ſupereſt producat ſubſtantialem formam, id præſtat ad exigentiam diſpoſitionum, & ſi cauſam determinat, vt hunc effectum præ alio producat, cauſa ipſa exigit ipſam

deter

Digitized by Google

determinari à Deo, quia exigit Deum cum illa concurrere ad.effectum, quem maluerit, quod fieri nequit abſque determinatione effectus, quia eo ipſo, quod concurrat Deus concurrit ad effectum determinatum:in præſenti verò nulla eſt cauſa naturalis, quæ exigat talium accidentium productionem : ergo abſque fundamento Deo attribuitur. Quod dicitur Deum illa producere, ne materia immediatè tranſeat in accidenria adeò differentia, & inter ſe oppoſita nullius eſt momenri, quia alienum non eſt à materia tranſire immediatè ad quæcumque accidentia quantumis oppoſita dum ex alio capite tranſitus non repugnet, quia materia his vel illis accidentibus eſt æquè contenta. Neque ex eo quod in inſtanti hæc habuerit, ſi in ſequenti corrumpantur, minus apta erit ad quæcumque alia, quautumuis præcedentibus oppoſita, quia virtus materiæ in hoc inſtanti intrinſecè eadem eſt, quæcumque accidentia præceſſerint, neque illa impedimentum aliquod relinquunt, ratione cuius non poſſint ſuccedere quæcumque accidentia quantumuis præcedentibus oppoſita. Dicunt Thomiſtæ ex accidentibus, quæ præceſſere materiam manere ſigillatam ad alia ſimilia. Hæc verba ſunt re vacua, quia hæc ſigillatio nihil poteſt eſſe, quod in materia remaneat tanquam illius accidens, quia ſecundùm ſententiam, quam impugnamus omnia accidentia fuère corrupta;materia ſecundùm ſe ſuppoſita corruptione accidentium, quæ præceſſere, æquè indifferens eſt ad omnia : ergo percipi nequit, quid ſit illa ſigillatio, ratione cuius materia determinatur ad accidentia ſimilia, his, quæ cum toto præcedenti fuerunt corrupta, potius forma denuo genita illam determinabit ad oppoſita accidentia.

8 Aliud argumentum contra hunc dicendi modum multis doctè expendit P.Soar ſuprà à num. 23. quod ego dabo paucis cinctum. Subiectum debet ſupponi diſpoſitum ad generationem in inſtanti, in quo exercetur generatio, quia ſubiectum debet eſſe diſpoſitum ad formam recipiendam in inſtanti, in quo recipit illam, ſed in illo inſtanti, in quo corrumpuntur diſpoſitiones, quæ præceſſerunt, non poteſt eſſe diſpoſitum ad recipiendam formam per diſpoſitiones in hoc inſtanti productas, & in toto receptas, non per diſpoſitiones, quæ præceſſerunt : ergo nullo modo. Dicunt nonnulli in hoc inſtanti diſponi per diſpoſitiones in hoc inſtanti productas & in toto receptas, quæ ſunt priores, & poſteriores foma in diuerſo genere cauſæ. Hunc dicendi modum efficaciter impugnat Hurtadus rationibus, quas adduxi puncto præcedenti ad hanc mutuam prioritatem expugnandã, vbi probaui non ſolùm in diuerſo genere, ſed in eodem eſſe futuram. P.Rubius ſupra, q.7. à n.201. aſſerit ſubiectum eſſe diſpoſitum, & determinatum ad recipiendam hanc formam in hoc inſtanti per diſpoſitiones, quæ in inſtanti præceſſerunt, quia virtute illarum eſt expulſa in hoc inſtanti forma præcedens, ita vt ſi Deus vellet ſuum ſuſpendere concurſum, & non producere aliam formam, non minus corrumperetur forma præcedens, ita vt materia abſque omni forma permaneret. Ex his infert par diſpoſitiones præcedentes materiam manere determinatam ad hanc formam in ſpecie, quia expulſionem formæ per tales diſpoſitiones non poteſt ſubſequi niſi hæc forma, quá tanquam finem reſpiciunt diſpoſitiónes præcedentes. Addit materiam manere determinatam non ſolùm ad ſpeciem formæ, ſed ad hanc indiuiduam formam, quia poſitis his diſpoſitionibus non poteſt ab hoc agenti cum his circunſtantiis produci alia forma indiuidua ab iſta diſtincta.

9 Longum eſſet totam hanc doctrinam ex profeſſo impugnare, vndique enim innumeris ſcatet difficultatibus, ex curram ſingulla quæ in illa traduntur, & validas impugnationes ſingulis applicabo. Docet P. Rub. diſpoſitiones præcedentes diſponere ad hanc formam, quia virtute illarum præcedens expellitur. Contra hoc aſſertum efficaciter probo formam corrupti non expelli virtute diſpoſitionum, quæ præceſſerunt, & corrumpuntur ſimul cum forma antiqua in inſtanti generationis. Diſpoſitiones illæ ſubiectabantur in compoſito antiquo, verbi gratia, in ligno, pono gigni modo ignem & corrumpi formam ligni : ergo diſpoſitiones illæ ſupponebant tanquam cauſam materialem compoſitum illud, videlicet lignum : ergo non poſſunt illud deſtruere. Probo conſequentiam : Nulla forma poteſt corrumpere ſubiectum illud, quod ſupponit tanquam principium ſuæ exiſtentiæ : ſed diſpoſitiones illæ ſupponunt lignum tanquam principium materiale ſuæ exiſtentiæ, vt defendit Pater Rubius cum omnibus Thomiſtis: ergo non poſſunt illud deſtruere. Ratio maioris propoſitionis eſt manifeſta : omnis effectus ſupponit & requirit præexiſtens & independens á ſua entitate principium, à quo dependet in quocumque genere cauſæ, quod eo ipſo, quod ſit principium cauſatiuum eſt prius natura effectu, & independens ab illo : ergo implicat effectum deſtruere principium, quod requirit præexiſtens, & ſupponit exiſtens, independenter ab illo, quia eo ipſo, quod illud ſupponat & requirat præexiſtens non poteſt exigere deſtructionem, alias idem effectus exigeret exiſtentiam principij, & negationem illius exiſtentiæ, à qua exiſtentia dependebat, quod manifeſtè implicat. Deinde eo ipſo quod principium ſupponatur independens ab effectu implicat ab illo corrumpi, quia id, quod exiſtit poſitiuè independenter ab alio nequit ab illo corrumpi. Secundò forma ligni corrupta in inſtanti, in quo gignitur forma ignis extitit in omni menſura, in qua extitere diſpoſitiones præcedenres : ergo exiſtentia formæ ligni componebatur cum exiſtentia illarum diſpoſitionum : ergo non expellitur forma ligni per illas diſpoſitiones, cum quibus rectè componitur in eodem ſubiecto, quia forma expellens aliam incompoſſibilis debet eſſe cum illa, neque per minimum inſtans componi poſſunt formæ expellens, & expulſa. Tertiò, etſi forma expulſa non poſſit eſſe in inſtanti, in quo expellitur, quia in illo potius debet eſſe negatio formæ ; forma tamen expellens debet eſſe in inſtanti temporis in quo eſt expulſio, quia forma expellens eſt cauſa expulſionis, ſeu negationis formæ, quæ dicitur expulſa, ac proinde debet exiſtere in inſtanti : in quo ponitur talis negatio, quia omnis cauſa exiſtere debet in inſtanti, in quo ponitur illius effectus : ſed diſpoſitiones, quæ ſubiectantur in ligno non exiſtunt in inſtanti temporis, in quo expellitur forma ligni, quia in eodem inſtanti temporis, in quo corrumpitur lignum, corrumpuntur diſpoſitiones in illo receptæ : ergo diſpoſitiones illæ non poſſunt eſſe cauſa expulſionis formæ ligni. Ex his concludo contra P, Rubium diſpoſitiones antiquas non eſſe cauſam expulſionis formæ corruptæ, & hanc corrumpendam non eſſe, ſi Deus ſuſpenderer concurſum, quo producit formam geniti, ni principium aliud produceret, à quo forma illa expelleretur.

10 Admitto tamen formam ligni expelli per diſpoſitiones præcedentes, vt veniam ad aliud, quod docet, videlicet diſpoſitiones illas diſponere ad formam ignis ex eo, quod expellant formam ligni, quia formam ligni ſic expulſam tantùm poteſt ſubſequi forma ignis. Expulſio formæ ligni eadem eſt à quibuſcumque diſpoſitionibus proueniat : ergo ipſa ſecundùm ſe non ex eo, quod proueniat ab his, vel ab illis diſpoſitionibus expellentibus diuerſam formam infert in materia, à quâ expellitur : ergo ex eo præciſè, quod forma ligni expellatur per has diſpoſitiones æquè indifferens manet materia ad hanc formam, vel ad aliam ſpecie diſtinctam. Confirmatur : expulſio formæ ligni præcedentis poſita eſt ad exigentiam formæ incompoſſibilis, ſed hæc negatio ſiue ſit poſita ad exigentiam huius vel illius formæ eſt ſemper eadem, & purum eſſe negatiuum : ergo quia eadem non magis hanc, vel illam ſpecie formam induceret, ſiue ab his, ſiue ab illis ſpecie diſtinctis diſpoſitionibus proueniret, ſi aliquam poſſet inducere, quia negatiuum nihil poſitiuum valet inducere, neque poteſt ſubiectum poſitiuè diſponere. Vrgeo, diſpoſitiones præcedentes vel diſponunt immediatè, & per ſe, vel media negatione formæ ligni quam inducunt : immediatè & per ſe non poſſunt diſponere ad receptionem formæ factam in inſtanti, in quo ipſæ non exiſtunt, quia nihil poteſt immediatè & per ſe aliquid præſtare in inſtanti, in quo non exiſtit. Si media negatione formæ, quam inducunt. redeunt omnia argumenta ſuprà facta deſumpta ex identitate negationis prouenientis ab his, vel illis diſpoſitionibus ſpecie diſtinctis, & ex natura ipſius negationis, quæ eſt purum nihil, nihil poſitiuum præſtare valens. Probaui diſpoſitiones expellentes formam ligni non determinare ſpeciem formæ introducendæ, quibus rationibus eodem modo probatur non determinare indiuiduationem formæ, vt docet P.Rubius, quod etiam impugnatum eſt lib. 2. Phyſicorum, Contro. 10. Punct. 2. vbi probaui indiuiduationes effectuum, cauſæ primæ, & non aliis extrinſecis circumſtantiis tribuendas eſſe.

11 Vltimò independenter ab his omnibus probo diſpoſitiones exiſtentes in inſtanti præcedenti generationem, &

in

in illo corruptas non poſſe diſponere ad formam genitam. In inſtanti, quod generationem formæ præceſſit, non præceſſit vltima diſpoſitio ad formam: ergo non præceſſere diſpoſitiones adæquatè formam ad genitam: ergo non præceſſerunt diſpoſitiones, quæ poſſent adæquatè ad illam diſponere. Antecedens admittunt omnes, quia in primo inſtanti, in quo eſt vltima diſpoſitio ad formam genitam eſt forma genita, neque enim eſt ampliùs quod expectet forma producenda cum in ſubiecto datur vltima diſpoſitio ad illam. Conſequentia eſt per ſe nota, quia vbi non eſt vltima diſpoſitio ad formam non eſt totum, quod requiritur vt ſubiectum ſit adæquatè diſpoſitum: ergo non eſt id, quod poſſit adæquatè ad formam diſponere. Si dicas diſpoſitiones illas non diſponere adæquatè, ſed inadæquatè, teneris dicere diſpoſitiones receptas in genito ſaltem inadæquatè diſponere ad formam, quā ſupponũt, & in te habebis omnia argumenta, quibus impetuntur, qui aſſerunt diſpoſitiones receptas in genito adæquatè ad illius formam diſponere, mutua enim prioritas cauſarum, quibus hæc ſententia impugnatur, æquè repugnat in principiis adæquatis, & inadæquatis. Deinde ſi diſpoſitiones in genito recepto aliquo modo diſponunt, ad illius formam adæquatè diſponent, quia ex ſe quibuſlibet aliis ſeclutis, adæquatè ſubiectum ſternunt ad formam ſuſtentandam, & illis poſitis, & influentibus in formam, quam ex parte ſubiecti ſupponunt, ſuperfluus eſt influxus aliarum diſpoſitionum, quæ præceſſerunt.

12 Si fundamentum quæras, quo ſententiam adeò difficilem illius auctores amplectantur, nullum inuenies præter iam impugnatum vt falſum & inefficax, ſcilicet quia putabant ſubiectari in toto compoſito, & auctoritatem Ariſtotelis, quam ſibi ſuffragari putant teſtimonio, quod iam exhibeo. Ariſtoteles lib. de generatione, cap. 4. text. 5. ſic generationem explicuit. *Cùm verò totum immutatur & nihil ſenſibile, vt eiuſdem ſubiectum remanet, generatio eſt* Ex quo inferunt auctores oppoſitæ ſententiæ in generatione nullum manere ſenſibile, hoc eſt, nullum accideus, quod ſenſibile eſt, ſeu ſenſuum obiectum. Huic teſtimonio rectè reſpondet Hurtadus Ariſtotelem tantùm docuiſſe in generatione non permanere ſenſibile ſumptum in concreto, quod ſentiri dicimus mediis accidentibus, non verò deficere accidentia ipſa, mediis quibus ſubiectum ſentitur, quem ſenſum exprimunt verba illa: *Vt eiuſdem ſubiectum,* quia eo ipſo quod totum deficiat non manet ſubiectum, quod antea ſentiri dicebamus, etſi maneant accidentia ſenſibilia, quæ primò, & per ſe ſentiuntur.

13 Obiicies: Subiectum accidentium ſenſibilium iuxta noſtram opinionem eſt materia prima, & non totum compoſitum: ergo corrupto compoſito, ſi manent accidentia ſenſibilia cùm eadem materia prima permaneat, permanet idem ſenſibile etiam in concreto ſumptum: ergo vt non remanat ſenſibile adhuc in concreto, vt Ariſtoteles docet, neceſſe eſt accidentia ſubiectari in toto compoſito, & non in materia prima, vel ipſa accidentia non permanere, quia permanentibus accidentibus cum neceſſum ſit materiam ipſam permanere, neceſſum erit idem ſenſibile in concreto ſumptum, ſecundùm materiam, & formam permanere. Reſpondeo materiam primam tantùm eſſe ſubiectum inhæſionis, & informationis accidentium ſenſibilium, nihilominus mediis accidentibus ſubiectatis in materia prima dicimus nos ſentire totum compoſitum, & non materiam primam, cùm enim medio colore video corpus, non dico me videre materiam primam, ſed videre hominem, vel equum, lapidem, vel arborem, &c. ac proinde totum compoſitum eſt, quod ſentiri dicitur, & quod ſenſibile vocamus, quódque Ariſtoteles nomen ſenſibilis in hac definitione intelligit.

14 Contra dicta num. 3. videlicet quod etiamſi accidentia ſubiectarentur in toto compoſito, adhuc eo deſtructo eadem accidentia poſſent permanere in genito, & in corrupto Modernus Complutenſis modo ſibi ſolito: Aſſerit me contemnere argumentum, quo ex eo quod ſic ſubiectentur accidentia in toto compoſito plures inferunt deſtructo compoſito accidentia corrũpenda eſſe. Non ergo contemno argumenta, quibus non conuincor, & quibus reſpondere intendo, ſicuti neque ſententias probabiles, quas non amplector, neque ea quibus non aſſentimur contemnere licet, quod ſi recentior iſte ſibi perſuaſum haberet modeſtiorem ſeruaſſet modum in aliorum impugnandis ſententiis.

Tract. 1. par Controuerſ. 3. art. 2. §. 3. & 4.

Arguit primò quia ſi accidere poſſet deſtructo illius ſubiecto in alio ſuſtentari, fruſtra facit Deus illud miraculum in Euchariſtia, quod accidentia ſine ſubiecto maneant, quia nunquam deſinit ſuccedere aliud ſubiectum, in quo poſſent naturaliter ſuſtentari. Hæc ſunt Recentioris verba, quem rogo, quid ſibi velit dum ſcribit, *quia nunquam deſinit ſuccedere aliud ſubiectum,* Sonant verba loco ſubſtantiæ panis in conuerſione Euchariſtica ſubſtantiam aliam ſuccedere, ſed hanc non eſſe viri Religioſi mentem mihi certum eſt, quia ex hoc ſequeretur ſubſtantiam panis in illam ſubſtantiam ſuccedentem conuerti, & non in Chriſti corpus, quod eſt myſterium Euchariſticum deſtruere contra Conciliorum definitiones. Reſpondeo accidentia Euchariſtica deſtructa ſubſtantiâ panis in alio ſubiecto non recipi, quia ita neceſſe eſt, vt ſubſtantia panis in Chriſti corpus tranſeat, & hac ratione à Deo ſine ſubiecto conſeruantur. Nec deſtructo pane aliud ſubiectum poteſt excogitari, in quo illa accidentia ſubiectarentur, niſi Deus illud denuo crearet, quia materiæ reliquæ aliorum compoſitorum, & ipſa compoſita, quæ in rerum natura permanent, habent ſuam quantitatem diſtinctam à quantitate Euchariſtica, & ita bene recipere non poſſunt. Neceſſe ergo erit, vt quantitas Euchariſtica ſubiectum ſubſtantiale haberet, quod Deus ad deſtructionem panis aliud compoſitum vel ſaltem materiam aliam crearet. Nec dici poſſet, quod quantitas Euchariſtica in alio accidenti recipienda eſſet, quia de illo eſſet eadem quæſtio, cum ſine ſubiecto eſſet conſeruandum, neque in rerum natura accidens reperitur aptum vt ſit quantitatis ſubiectum. 15

Rurſus arguit: ſequi ex meo dicendi modo, eandem numero gratiam eſſe in conferente, & in eo, cui confertur, cuius oppoſitum notat ſanctus Thomas 3 parte, quæſt. 62. art. 3. ad 2. ſimiliter eandem numero ſpeciem, quæ eſt in rebus, imprimendam eſſe intellectui, quod non ita contingere aduertit ſanctus Thomas quod lib. 8. art. 33. Rurſus inferretur, quod eadem numero actio eſſet ſubiectiuè in agente, & in paſſo. 16

Hæc tumultariè, & ſine delectu affectu impugnandi dicta ſunt, & ita abſque vlla efficaciæ ſpecie. Omnibus ſuperabundanter ſatisfit dicendo quæſtionem eſſe, an quando ſubiectum accidentis deficit; & aliud loco illius ſuccedit, ſuccedens poſſit eadem accidentia ſubſtentare; quæ ſubſtentabat ſubiectum præcedens, quod iam non ſubſiſtit: quod etſi de ſubiecto adæquato diceretur, minimam anſam inferendi non dabat permanente hoc ſubiecto, quod accidens ſubſtentet poſſe accidens relicto priori ſubiecto, quod perſeuerat ad aliud trãſire, quod in caſibus à Recentiore adductis infertur, vt illos expendenti patebit, illos ſingillatim recurro. 17

De more eſt huic recentiori omnia quæ vult aſſerere quibuſuis verbis Diui Thomæ, quæ materiam illam attingant probare, quo ſibi videtur ratione alia non indigere, nec ſolutione, quibus ſatisfaciet argumentis contra illius ſententias adductis, ideo placet examinare, quid ad rem conducat teſtimonium, quod in hac parte ex D. Thoma pro ſe adducit. Inquirit Angelicus Doctor art. illo 3. citato, an Sacramenta gratiam contineant. Primum argumentum pro parte negante, hoc eſt gratia non eſt in Sacramento, tanquam in ſubiecto, quia Sacramentum eſt corporeum & ſubiectum gratiæ, non eſt corpus, ſed ſpiritus; neque tanquam in vaſe, quia vas eſt locus mobilis: ergo nullo modo. Secundum argumentum eſt, Sacramenta ordinantur ad hoc, vt per ea homines gratiam conſequantur, ſed gratia, cum ſit accidens nequit tranſire de ſubiecto in ſubiectum: ergo pro nihilo eſſet gratia in Sacramentis. 18

His argumentis reſpondet Angelicus Doctor, quod gratia non eſt in Sacramento tanquam in ſubiecto, nec in vaſe tanquam in loco, ſeu prout vas dicitur inſtrumentum alicuius operis faciendi. Ex hoc ad ſecundum reſpondet, quod quamuis accidens non tranſeat de ſubiecto in ſubiectum, tranſit tamen à cauſa aliqualiter in ſubiectum; non vt eodem modo ſit in eis, ſed in vnoquoque ſecundum propriam rationem, in Sacramento videlicet tanquam in inſtrumento gratiæ producendæ, in ſubiecto, vt recipiente gratiam medio Sacramento producto. Rogo ego in quo conferente, & in quo ſubiecto, cui conferatur, inferat iſte fore eandem gratiam. Si in Sacramento conferente tanquam inſtrumento: Habemus ex D. Thoma in illo non eſſe gratiam tanquam in ſubiecto. Si in principali conferente Deo: gratia creata in Deo tanquam in ſubiecto non eſt, ſed tanquam 19

tanquam in principio productiuo. Dicat ergo ex quo conferente tanquam ex ſubiecto inferat in aliud ſubiectum gratiam eſſe tranſituram. Profectò non ſolùm argumentum illius efficax non eſt, verum etiam eſt de materia non ſupponente, ſupponit enim principium conferens gratiam eſſe ſubiectum materiale illius. Ex teſtimonio relato poſſet deſumere prædictus author, Diuum Thomam aſſerere, accidens non tranſire de ſubiecto in ſubiectum, quod ego affirmo quando ſubiectum non ſubſtituitur in eodem inſtanti, in quo vnum deficit loco alterius in eodem ſpatio, quod occupabat ſubiectum præexiſtens, quod ſolum poſſet inferri ex eo quod dicatur accidens non migrare de ſubiecto in ſubiectum, verumtamen, neque hoc in loco id affirmat Angelicus Doctor, ſed hoc omittit quia ad ſoluendum argumentum neceſſarium non erat, & ita quaſi ſub conditione loquitur his verbis. Ad ſecundum dicendum, quod quamuis, accidens non tranſeat de ſubiecto in ſubiectum; hoc dixerim, non quia non iudicem veriſſimum commune adagium, accidens non poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectum, ſed vt oſtendam, quod hoc adhuc non probatur ex hoc teſtimonio adducto.

20 Quod ſecundo loco obiicit videlicet eandẽ ſpeciem, quæ eſt in rebus poſſe ineſſe intellectui, eodẽ vitio laborat. Nam ſi loquitur de ſpeciebus, quas recipit intellectus humanus dum anima eſt corpori vnita non ſolum eadem numero, ſed neque alia eiuſdem naturæ ſpecificæ in alio ſubiecto præcedit, nam quouſque Phantaſma cum intellectu agenti ſpeciem ſpiritualem in intellectu producit, omnes præcedentes ſpecies materiales ſunt. Deinde obiecta in ſe ipſis ſpeciem non producunt, ſed in medio & in potentia, ad quas illas mittunt. Rurſus, quod eadem numero actio ſit in agente, ac in paſſo, hoc conſequens toto cælo diſtat ab hac materia, quia accidens eſt modus, & non poteſt ſeparari à re, cuius eſt modus, & ita non poteſt modo eſſe in agente, & poſtea in ſubiecto, ſimul autem eſſe in vtroque diſparatum quid eſt ad hoc propoſitum.

21 Rurſus arguit, magis dependet accidens à ſubiecto, quàm à loco: ergo ſi poteſt mutare ſubiectum poterit mutare locum, & ita migrare ex ſubiecto, quod eſt in hoc loco, in aliud, quod ſit alio loco. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia quando accidens mutat ſubiectum inadæquatum ipſum accidens nihil agit, ſed tantùm ſubiectum aduenientis incipit illud recipere. Si autem accidens ex hoc ſubiecto in aliud ſaltaret, debebat ex vno in aliud abſque ſubiecto moueri, cuius motus nulla poteſt cauſa reperiri, nec ratio, aut cauſa cur perderetur vnio ad primum ſubiectum, & alia ad nouum ſubiectum produceretur.

22 Mitto alia, quæ hic aggerat Recens iſte, quia quiſque ea leget facilè agnoſcet nulla indigere ſolutione, neque ſpeciem aliquam difficultatis præ ſe ferre, huiuſmodi argumentum eſt: deſtructo fundamento ædificij totum ædificium corruere, & ita ablato ſubiecto accidens corrumpendum eſſe.

PVNCTVM. IV.

Quomodo diſpoſitiones ſupponantur ex parte actus primi ad formam ſubſtantialem.

1 Fert communis ſententia diſpoſitiones ſe tenere ex parte materiæ, & eſſe priores forma in genere cauſæ materialis. Ex quo principio probaui diſpoſitiones non poſſe recipi in toto compoſito, quia eſſent priores, & poſteriores forma, non ſolùm in diuerſo, at in eodem genere cauſæ; quod implicat in omnium ſententia, & in noſtra ad huc in diuerſo genere cauſæ hæc mutua prioritas impoſſibilis eſt. Contra hanc rationem, quæ omnibus familiariſſima eſt, grauis inſurgit difficultas petita ex conſeruatione formarum, quam hic exagitandam remiſi, quia illius ſolutio dependet ex doctrina, quam modò tradam de ratione influxus, quem præſtant diſpoſitiones in primo inſtanti productionis, & in vlterioribus conſeruationis in formam, ad quam diſponunt. Argumentum ita procedit: Forma ſubſtantialis, verbi gratia, forma ignis in ſecundo inſtanti ſuæ durationis eſt cauſa efficiens qualitatũ, quæ ad illam diſponũt: ergo in illo inſtanti eſt prior natura diſpoſitionibus in genere cauſæ efficientis: ſed in illo inſtanti diſpoſitiones ſunt priores forma in eodem genere, quo prioritatem habent in primo inſtanti: ergo in illo ſecundo inſtanti ſunt priores & poſteriores ſaltem in diuerſo genere cauſæ: ergo admittenda eſt hæc mutua prioritas, quam nos negamus, quâ admiſſâ euertitur tota doctrina tradita Punctis præcedentibus. Maiorem probat experientia, qua videmus ignem illico propria virtute actiua recuperare gradum caloris deperditum: ergo actiuè producit, & conſeruat calorem, quem in ſe habet: ergo actiuè influit in proprias diſpoſitiones, quarum præcipua calor eſt. Reſpondent nonnulli: ignem tantùm producere, & conſeruare calorem illum excedentem intenſionem requiſitam ad ſui exiſtentiam, à qua tantùm dependet tanquam à diſpoſitione, & non à calore illo excedente, & ita non influere in diſpoſitionem aliquam, à qua dependeat in aliquo genere, cum nullo modo dependeat ab illo calore, qui excedit intenſionẽ requiſitã ad ſui conſeruationẽ, ſine quo ſubſiſtere valet. Solutio hæc tantùm ad difficultatem præſentem fugiendam inuenta eſt, cuius doctrinæ nec leue fundamentum reperies niſi tantùm ex illa difficultatem hanc componi, & grauior alia contra illam inſurgit. Pono calorem exigere naturaliter octo gradus caloris, & poſſe quinque conſeruari, & non paucioribus: ſi gradus ſubordinati non ſunt, ignis æquè conſeruabitur cum quinque illorum octo, quos habet dum eſt in ſtatu naturali, neque magis hos, quam illos exigit: ergo nulla eſt ratio cur ex iſtis octo hos tres non conſeruet, potiùs quàm alios quoſcumque loco illorum, neque cur hos quinque conſeruet potiùs quàm alios quinque inadæquatè ab his diſtinctos, qui reperiuntur in illo octonario: ergo ſine fundamento diceretur hos determinatos non conſeruare, & illos conſeruare: neque ad Deum recurrendũ eſt quando res aliter componi poſſunt. Si gradus ſunt ſubordinati, forma ignis dependebit à quinque inferioribus, & non ab aliis tribus vltimis: ergo dici nequit conſeruare illos, à quibus non dependet, & non conſeruare illos, à quibus dependet, abſonè enim diceretur agens naturale conſeruare gradus ſuperiores, & perfectiores huius intenſionis, & non alios inferiores, & imperfectiores. Minorem primi ſyllogiſmi ſic probo. Secluſa reſiſtentia contrarij, idem requiritur ad cõſeruandam aliquam formam, ac ad illam primo producendam, ſed ad producendam formam requiruntur diſpoſitiones ex parte ſubiecti: ergo ad illam conſeruandã: ergo diſpoſitiones, quæ influunt in productionem, influunt in conſeruationem. Maiorem probo: Conſeruatio, & productio phyſicè non diſtinguuntur, ſed eadem met actio in inſtanti, in quo incipit terminus dicitur productio, & in vlterioribus dicitur conſeruatio, ſed ex eo, quod præceſſerit, vel non præceſſerit terminus, actio non variatur: ergo idem requiritur ad illius exiſtentiam, ſiue terminus præceſſerit ſiue non præceſſerit. Ad explicationem huius difficultatis ſcire oportet quam cauſalitatem inter ſe habeant forma, & illius diſpoſitiones, & quomodo hæc exerceatur, de quibus latè diſputat noſter Soar. diſp. 14. Metaphyſic. ſect. 3. n. 26. & ſequent. & Hurt. difficultatem propoſitam attingit diſp. 2. ſect. 1. & in præſentiarum ego nonnullis concluſionibus, omnia, quæ ad hanc materiam ſpectant clarè explicabo.

Prima conclvsio: Nulla diſpoſitio poteſt phyſicè in genere cauſæ efficientis in formam influere. Conſtat hæc concluſio ex lib. 2. Phyſic. Controu. 9. Punct. 3. vbi probaui nullum accidens poſſe phyſicè ſubſtantiam producere. 2

Secvnda conclvsio: Quantitas diſponit materiam ad recipiendam formam, & ſe tenet ex parte cauſæ materialis, & in hoc genere eſt prior forma. Probo hanc concluſionem: Materia ad formas ſubſtantiales recipiendas, & conſeruandas requirit tantam determinatam extenſionem: ſed hæc extenſio procedit à quantitate: ergo quantitas conducit, vt materia formas recipiat, ergo ſe tenet ex parte materiæ, quatenus hæc eſt cauſa materialis receptiua formarum. Neque contra hanc concluſionem ratio ſuprà facta vim habet, quia quantitas neque producitur, neque conſeruatur à forma. 3

Tertia conclvsio: Reliquã accidentia, quæ diſponunt ad formam ex ſe intrinſecè habent exigere productionem formæ ad quam diſponuntur à Deo, vel ab alio agente naturali præſtandam. Ratio eſt manifeſta, quia nulla alia cauſa poteſt dari, propter quam Deus creet rationalem animam in materia diſpoſita, niſi quia diſpoſitiones in materia exiſtentes exigunt creationem animæ in materiam introducendæ, neque ob aliam rationem Deus 4

producit

Digitized by Google

producit alias formas viuentium, quarum nulla poteſt dari cauſa efficiens, à qua producatur, & ob eamdem rationem Sol, & aliæ cauſæ vniuerſales indifferentes ad diuerſas formas producendas, hanc potius, quàm illam in hac materia producunt.

5 QVARTA CONCLVSIO: Non ex eo præciſè, quod diſpoſitiones exigant hanc formam produci, & illa de facto producatur, ſunt priores forma, ſi hanc producit Deus non attendendo ad has diſpoſitiones, ſed liberè ad ſuam voluntatem, vel ob alia motiua, quæ voluntatem diuinam inducunt ad illam formam producendam ex vi decreti, quod idem permaneret ſi diſpoſitiones illæ non præceſſiſſent. Quia tunc diſpoſitiones neque illarum exigentia non influunt phyſicè, neque moraliter in formam: non phyſicè, quia exigentia, quam habent diſpoſitiones formæ producendæ, neque eſt influxus phyſicus, neque ad illum ordinatur: non moraliter, quia hic influxus fit mouendo cauſam ad talem effectum, cauſalitas enim cauſæ moralis reſpectu actus interni, eſt actus internus reſpiciens tanquam motiuum ipſum principium morale, & reſpectu effectus externi eſt illius productio dependens ab iſto interno actu: ergo ſi agens aliunde determinetur, cauſa moralis nullum influxum habebit in effectum, ſicuti ſi quis rem conſulat Petro, quam ipſe à ſe vult facere, & non propter rationes à conſulente propoſitas, quas contemnit, non dicetur cauſa moralis illius effectus, quem ipſe illius auctori conſulerat.

6 QVINTA CONCLVSIO: Quando diſpoſitiones, quæ exigunt formam de facto in illam non influunt, ſeu non mouent, neque determinant principium effectiuum ad illius conſeruationem, vel productionem, tunc temporis præſtitam, poſſunt eſſe poſteriores ipſa forma, & ab illa dependere in genere cauſæ efficientis. Ratio eſt, quia per hoc, quod eſt præciſè habere talem exigentiam, etſi poſſint eſſe priores forma, de facto non ſunt formaliter priores ex vi illius: ergo ex vi illius non repugnat poſteriores eſſe in quocumque genere. Sic contingit in phyſicis; virtus enim, quæ poſſet eſſe prior alia dum in actu ſecundo prior non eſt, poteſt de facto eſſe poſterior, & dependet de facto hic ignis ab illo, quem ex natura rei poſſet producere, ſi ab alio, & non ab illo dependeret.

7 SEXTA CONCLVSIO: Quando diſpoſitiones, quæ exigunt formam, de facto, influunt moraliter, & determinant Deum vt per ſe tantum, vel cum alio agente naturali concurrat ad productionem formæ ſunt priores formâ, & non poſſunt ab illa dependere. Probo: Diſpoſitiones mouent per exiſtentiam ipſam, ſeu ex præuiſione ſuæ exiſtentiæ: ergo ſupponitur ipſarum exiſtentia ad determinationem cauſæ ad producendam formam: ergo ſupponitur ad formam productam: ergo eſt prior forma: ergo talis exiſtentia non poteſt eſſe poſterior forma: ergo non poteſt exiſtentia diſpoſitionum dependere à forma, aliàs daretur mutua prioritas inter diſpoſitiones, & formam, quam ſæpe in omnibus cauſis repugnare diximus. Confirmatur: Diſpoſitiones videntur exiſtentes antequam exiſtat forma, ad cuius exiſtentiam producendam determinant agens indifferens ad formam producendam, vel non producendam: ergo etiamſi agens non determinetur in actu ſecundo ad formam producendam, ſupponentur diſpoſitiones exiſtentes: ergo etiamſi non detur forma producta, quia Deus, non obſtante exigentia diſpoſitionum non vult illam producere, ſupponentur diſpoſitiones exiſtentes, quæ priores ſunt determinatione agenti. Dices eſſe priores, & poſteriores in diuerſo genere, & in diuerſo ordine cauſandi quod non repugnat, quia etſi dari nequeat mutua prioritas adhuc in diuerſo genere, quando vtraque cauſa phyſicè cauſat, non repugnat dari, quando vna cauſa phyſicè, & altera moraliter cauſat. Contra; Etſi diſpoſitiones cauſent medio influxu morali, influxus iſte ſupponit ipſarum exiſtentiam, non obiectiuè cognitam, & apprehenſam tantùm ſicuti finalis cauſa, ſed phyſicè exercitam, & poſitam in rerum natura: ergo ad hoc vt moraliter diſpoſitiones cauſent formam, ſupponuntur phyſicè exiſtentes in illo priori, in quo poſſunt cauſare, & ſunt indifferentes, vt illis contingat cauſalitas iuxta propriam exigentiam, vel negatio cauſalitatis contra eamdem exigentiam: ergo forma, quæ poſtea aduenit poſtquam iam ſupponuntur diſpoſitiones exiſtentes, & cum omnibus prærequiſitis ad exiſtentiam ipſarum, quia eo ipſo quod præuidentur exiſtentes, præuidentur cum omnibus requiſitis, vt exiſtant, non poteſt eſſe vnum à requiſitis vt diſpoſitiones exiſtant, quia antequam videretur forma, erant præuiſa omnia requiſita ad exiſtentiam diſpoſitionum: ergo non poteſt influere in diſpoſitionum exiſtentiam, quia id ſolùm influit in hanc, quod ad illam aliquo genere cauſæ prærequiritur.

SEPTIMA CONCLVSIO. Diſpoſitiones, quæ à forma 8
conſeruantur, quibus excepta quantitate reliquæ comprehenduntur, in nullo genere concurrunt ad conſeruationem formæ iam exiſtentis in ſubiecto, neque in aliquo genere cauſæ ſunt illa priores. Hanc concluſionem tenetur docere P. Soar. qui in Metaphyſic. diſput. 18. ſect. 3. num. 10. aſſerit veriſimilius eſſe diſpoſitiones conſeruari à forma, & diſput. 14. ſect. 3. num. 28. ait ſe non poſſe intelligere quod ſit verè præparans, & aptans ſubiectum ad formam, & quod effectiuè conſequatur ipſam formam. Quod ſi ibid. num. 40. aliquam mutuam prioritatem, & dependentiam concedat inter diſpoſitiones, & formam, non loquitur de dependentia mutua vtraque à priori, ſed vna à priori, & alia à poſteriori, ſicuti forma à priori dependet à materia, & in vulgari ſententia materia dependet à poſteriori à forma, neque aliud genus mutuæ prioritatis admittit inter diſpoſitiones, & formas, vt legenti fiet perſpicuum. Eamdem concluſionem expreſsè tradit P. Hurtadus hic diſput. 2. ſect. 1. ſubſect. 3. Confirmatur: diſpoſitiones non ſunt priores forma in genere cauſæ efficientis phyſicè vt ſtatui concluſ. 1. non in genere cauſæ materialis phyſicè aptando materiam ſicut illam aptat quantitas, quia nullus apparet modus, quo calor hac ratione materiam diſponat, neque ratio, quæ illum ſuadeat, & omnino ſuperfluus eſt quicumque excogitetur: ergo diſpoſitiones omnes dempta quantitate, de qua non loquimur, quando influunt in formam, tantùm influunt moraliter determinando principium productiuum illius ad productionem eiuſdem. Sed ſemel iam producta forma influxus iſte neceſſarius non eſt ad illius conſeruationem: ergo diſpoſitiones etiamſi influant in formæ productionem determinando illius principium modo dicto, nullo modo influunt in illius conſeruationem. Minorem, ſeu hoc vltimum antecedens probo. Forma ſemel producta per ſuam entitatem petit conſeruari à Deo: ergo potius mouebitur Deus ad illam conſeruandam propria formæ exigentia, ſicuti mouetur exigentia aliarum entitatum, quarum nulla alia entitas exigit ipſarum conſeruationem ad illas conſeruandas, quam exigentiam diſpoſitionum, & fortiores erunt apud Deum (liceat ſic loqui, vt rem explicem) preces propriæ formæ ad propriam conſeruationem, quam preces alienæ, videlicet diſpoſitionum, quæ eiuſdem formæ exiſtentiam expoſcunt.

Ex hac doctrina optima deſumitur diſparitatis ratio, cur 9
diſpoſitiones iſtæ influant in primam formæ productionem, & non in illius conſeruationem. Quia forma non poteſt exigere ſuam propriam productionem, & ita ad exigentiam alienam producitur: quod ſi ad alienam exigentiam producenda eſt, iure producitur ad exigentiam diſpoſitionum, quæ illam expoſcunt: ſemel tantum producta forma ipſa ſuam exigit conſeruationem, & ad propriam exigentiam rectè conſeruari dicitur, & ita alienæ exigentiæ influxus neceſſarius non eſt. Illud quod dicitur eumdem influxum, & eadem principia requiri ad productionem, & ad conſeruationem eiuſdem rei concedendum eſt de influxu phyſico, non verò de influxu morali, licet aliquo modo poſſet de iſto concedi, quia influxum ſimilem illi, quem præſtant diſpoſitiones ad formam producendam, præſtat eadem forma exiſtens ad ipſius conſeruationem, & ita ſubſtituitur influxus formæ productæ in ipſam vt conſeruandam loco influxus, quem præſtant diſpoſitiones in formam vt producendam. Quomodo aliqua entias exigat ſuam conſeruationem, & quo tempore, & pro quo tempore illam exigat, explico Controuerſ. 5.

OCTAVA CONCLVSIO: Ad introductionem huius 10
formæ ſubſtantialis ſupponitur ex parte materiæ carentia diſpoſitionum ad formam oppoſitam. Quia ſi non ſupponeretur hæc carentia, ignis, v. g. in primo inſtanti, in quo applicaretur ligno, introduceret ſuam formam, etiamſi diſpoſitiones ad formam ignis non præceſſiſſent. Probo ſequelam. Diſpoſitiones tantùm requiruntur, vt determinent principium productiuum formæ ad formam producendam: ſed ignis per ſuam entitatem eſt in actu primo determinatus ad formam ignis producendam: ergo

Digitized by Google

determinabit Deum vt cum illo concurrat ad talẽ formam, etiamſi diſpoſitiones non adſint, quæ petant hunc concurſum. Confirmatur: Materia vt ſit potens recipere formam, & in actu primo ad illam, non debet ſupponere ex parte actus primi diſpoſitiones à quantitate diſtinctas, quia hæ, vt dicebam, tantùm requiruntur, vt determinetur agens ad producendam formam, & ita non ſupponuntur ex parte actus primi ad conſeruationem, quando ad illam agens aliunde determinatur. Sed ignis ex parte ſua eſt in actu primo ad formam producendam, quia ex ſe eſt determinatus, vt dicebam: ergo ſi nullum adeſſet impedimentum ad talem formam producendam, illam de facto produceret: ergo ex eo non producit illam, quia diſpoſitiones formæ præexiſtentis impediunt introductionem aduenientis: ergo requiritur ablatio impedimenti, videlicet negatio diſpoſitionum ad hanc formam, vt poſſit introduci alia.

11 Dices ignem non producere formam in primo inſtanti in quo applicatur antequam præcedant diſpoſitiones, quia materia non eſt determinata ad formam illam recipiendam, quam determinationem deſiderat à diſpoſitionibus præſtandam. Contra: Materia ex ſe indifferens ad hanc, vel illam formam recipiendam rectè determinatur ab agente extrinſeco determinato ad hanc producendam, & non aliam, vt patet in receptione caloris, ad quam ex parte materiæ determinatio non præcedit diſtincta ab applicatione agentis ad paſſum, etiamſi materia ex ſe indifferens ſit ad calorem, vel frigiditatem recipiendam: ergo eodem modo poterit determinari ad formam ſubſtantialem recipiendam ab agente extrinſeco ſecluſa alia determinatione, quæ intrinſecè ſe teneat ex parte materiæ.

12 Obiicies: Ignis ex ſe ſufficiens eſt vt determinet Deum, vt cum illo concurrat ad formam ignis producendam, & vt determinet materiam ad eamdem recipiendam: ergo etiamſi adſint diſpoſitiones, tota determinatio ad formam producendam ab igne procedet, & non à diſpoſitionibus: ergo adhuc in primo inſtanti diſpoſitiones non influunt in formæ productionem. Reſpondeo: ignem ex ſe eſſe ſufficiens determinatiuum ad productionem formæ, nihilominus quando coniungitur cum diſpoſitionibus habentibus ſimilem virtutem determinatiuam, in actu ſecundo determinationem procedere à diſpoſitionibus, & ab igne, quæ tantùm ab igne procederet, ſi diſpoſitiones abeſſent, & tantùm à diſpoſitionibus, ſi abeſſet agens ex ſe determinatum ad talem productionem, vt contingit in omnibus generationibus, quæ procedunt à cauſis vniuerſalibus, & indifferentibus ad diuerſas formas producendas. Quod ſi diſpoſitionibus negemus hanc determinationem in præſentia formæ exigentis ſuam conſeruationem, id facimus, quia exigentia formæ eſt reſpectu actionis terminatæ ad ſe ipſam, exigentia verò diſpoſitionum reſpectu actionis terminatæ ad formam diſtinctam ab ipſis diſpoſitionibus, exigentia verò ignis intendentis producere alium ignem, & exigentia diſpoſitionum reſpectu productionis eiuſdem ignis reſpiciunt actionem terminatam ad formam diſtinctam ab vtroque principio exigente, & ita vtrique æquè debetur illa actio, & intuitu vtriuſque dari congruit.

13 Ratio à priori, propter quam carentia diſpoſitionum formæ oppoſitæ ad receptionem huius requiritur, hæc eſt. Ad hoc vt materia determinetur ab agente extrinſeco vt recipiat hanc formam, & non illam, debet ex ſe ſupponi indifferens ad receptionem huius, vel illius, & non determinata ad formam oppoſitam illi, quam intendit agens: ergo debet non habere diſpoſitiones ad formam ligni, vt in actu primo determinetur ab agente extrinſeco ad recipiendam formam ignis. Antecedens probo: Determinatiuum extrinſecum non poteſt præualere contra intrinſecam determinationem, neque vim habere, vt ſubiectum intreſecè determinatum ad hanc formam determinet ad aliam oppoſitam: ergo determinatio procedens ab extrinſeco, debet ſupponere ſubiectum ſaltem indifferens, vel non determinatum ad oppoſitum. Conſequentia eſt legitima, quia diſpoſitiones ligni determinant ſubiectum ad formam ligni: ergo vt tale ſubiectum non ſit determinatum ad formam ligni debet non habere diſpoſitiones ad illam, & ad hoc, vt ſubiectum habeat talem indifferentiam ad aliquam formam, debet non habere diſpoſitiones ad aliam oppoſitam. Dices: quando ſubiectum eſt calidum, eſt determinatum ad calorem per ipſum calorem, & tamen non ſupponitur negatio huius determinationis, vt agens extrinſecum illud determinet ad frigiditatem recipiendam: ergo ad hoc vt agens extrinſecum determinet ſubiectum ad recipiendam formam ignis, non debet ſupponi negatio determinationis ad aliam formam. Reſpondeo ſubiectum per calorem eſſe determinatum ad calorem in actu ſecũdo per ipſam receptionem caloris, non verò eſſe intrinſecè in actu primo determinatum ad calorem per aliquid, quod calorem præcedat intrinſecè ex parte actus primi determinans ſubiectum ad receptionem caloris, diſpoſitiones verò determinare ſubiectum ad formam intrinſecè, & per modũ actus primi præcedẽtis ipſam formã, quæ determinatio intrinſeca per modum actus primi præualet contra determinationem extrinſecam per modum actus primi, & ita non poteſt ab hac determinatio in actu ſecundo, quæ eſt formæ productio procedere, non quia impediatur per determinationem in actu ſecundo ad oppoſitam formam, quia eſt informatio formæ contrariæ, quæ expelleretur par aliam aduenientem, ſed quia impeditur determinatione intrinſeca per modum actus primi ad formam oppoſitam, hoc eſt diſpoſitionibus exigentibus formam contrariam.

Ex his concludo diſpoſitiones eſſe priores ad formam producendam, in quam naturaliter influunt, ex eo quod intuitu illarum Deus formam producit, quod genus cauſæ ad cauſam efficientem reduci ſolet, dicitur autem concurrere in genere cauſæ materialis impropriè, quia influxus iſte oritur ab illis quatenus materiam afficiunt. Sunt etiam in hoc primo inſtanti mediatè priores forma, quatenus in illo expellunt diſpoſitiones contrarias, & cauſant illarum carentiam prærequiſitam ad formæ introductionem, quæ carentia dicitur prior forma, quatenus ad illam prærequiritur non propriè, & poſitiuè, quia negatio non poteſt habere prioritatem, ſeu influxum poſitiuum, in formam, ſed tantùm negatiuè, quatenus ablatio impedimenti, quo non ablato forma non poneretur. Hunc influxum remotum præſtant diſpoſitiones in genere cauſæ formalis, in quo alias expellunt, medio tamen influxu negatiuo, ſeu non impedimento: quod ſi ad aliquod genus cauſæ, ad materiale rectè reducetur, quia materia eſt, quæ in ordine ad ſuam cauſalitatem expedita, intelligitur per illam carentiam diſpoſitionum. 14

In ſecundo inſtanti conſeruationis diſpoſitiones immediatè non influunt in formam, vt ſuprà dixi, neque mediatè, quia etiamſi in hoc ſecundo inſtanti forma dependeret ſicut in primo à negatione diſpoſitionum ad formam contrariam, quæ à propriis diſpoſitionibus in primo inſtanti proceſſit, cum hæc negatio non dependeat in conſeruari à propriis diſpoſitionibus, non poſſunt media illa diſpoſitiones influere, quia cauſa remota tantùm influit media proxima, dum hæc ab illa dependet, vt dicebam 2. Phyſic. Cont. 56. Punct. Addo in ſecundo inſtanti conſeruationis non dependere formam à carentia diſpoſitionum ad aliam formam, quia in primo tantùm dependebat vt ſubiectum eſſe determinabile ab agente extrinſeco ad formam recipiendam, in inſtanti verò conſeruationis non requiritur determiniatio ab agente extrinſeco procedens, quia ipſa forma exigens ſuam conſeruationem exigit recipi in materia in menſura, in qua exigit conſeruari. 15

Obiicies: Forma non dependet in conſeruati à propriis diſpoſitionibus, neque à carentia diſpoſitionum ad aliam formam: ergo etiamſi materia priuaretur ſuis diſpoſitionibus & informaretur diſpoſitionibus formæ contrariæ, ſi hæc non produceretur perſeueraret in materia ſic affecta. Facilè eſſet conſequentiam negare in doctrina Patris Soar. & Hurtadi, qui etſi nobiſcum ſuprà negent formam dependere in conſeruari à ſuis diſpoſitionibus à priori, quod nos hucuſque propugnauimus, affirmant depẽdere in conſeruari ab illis à poſteriori, & ita non poſſe ſine illis ſubſiſtere, ſicuti multi de materia prima reſpectu formæ cenſent: verumtamen ego conſequentiam concedo, quia dependentiam hanc à poſteriori, de qua diſputaui libro ſecundo Phyſicorum, Controuerſia ſecunda, Puncto ſeptimo, difficile concipio, & quia conſequens verum eſſe exiſtimo, & de facto contingere quando materia minor minima requiſita ad formam viuentis habet omnes diſpoſitiones in illa requiſitas ad formam viuentis introducendam, quæ non introducitur, donec ſit diſpoſita tota materia, quam requirit viuens, in quo caſu forma ſeminis, vel embrionis remanet in illa 16

parte

Digitized by Google

parte materiæ diſpoſitæ ad formam, & carentis diſpoſitionibus illius formæ, quam tunc retinet, alias tunc materia exiſteret abſque omni forma.

CONTROVERSIA II.

De generatione ſubſtantiali.

NOMEN generationis tam accidentalem, quam alterationem vocamus, & ſubſtantialem, quæ nomen generationis ſibi arrogat, in tota ſua latitudine ſumptum comprehendit. In hac Controuerſia tantùm de generat one ſubſtantiali, quæ ſimpliciter generatio dicitur, ſermo inſtituetur.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit generatio?

1 Philoſophi, quos retuli lib. 1. Phyſic. Controuerſ. 3. Punct. 4. aſſerentes formas quaſi ſopitas perpetuò materiæ ineſſe, dicebant nullam dari generationem ſubſtantialem, verumtamen cum ibi probauerim nouas produci formas ſubſtantiales, & has materiæ præexiſtenti vniri media vnione ſuperaddita, quod euici Controuerſia 4. Puncto 1. & formas has, & vnionem non creari, ſed educi ex potentia materiæ, de quo Controuerſia 3. Puncto 4. manifeſtè concluditur dari generationem ſubſtantialem, ex vi cuius producitur ſaltem vnionis modus, & reſultat totum compoſitum genitum, quod oſtendunt omnes experientiæ, atque rationes, quibus probauimus dari formas ſubſtantiales. Neque in hac re demonſtranda amplius oportet immorari.

2 Ariſtor. 3. Phyſic. cap. 1. tex. 14. ita generationem deſcripſit: *Generatio eſt via ad naturam.* & lib. 8. cap. 7. text. 62. *Generatio eſt mutatio de non ente ad ens.* & lib. 1. de generat. c. 4. text. 23. hæc habet: *Cùm verò totum mutatur, & nihil ſenſibile vt einſdem ſubiectum remanet.* Ex quibus definitionibus hanc ad mentem Philoſophi Theologi compingunt: *Generatio eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili permanente vt ſubiecto eodem* Qui dicebant 1. Phyſic Controuerſ. 1. Generationem eſſentialiter dicere formaliter vt generationem priuationem, vt terminum à quo, aſſerunt generationem eſſentialiter definiri per mutationem, & hanc eſſe de illius eſſentia, ita vt ſi in eodem inſtanti temporis creetur materia, & in eodē producatur forma, & vnio dependenter à materia, harum productio non ſit generatio, ſed eductio, & totum non genitum, ſed eductum denominetur. Hi duplici ratione poſſunt ſuam explicare ſententiam, poſſunt enim aſſerere hanc phyſicam actionem, quæ modò eſt mutatio, & dicitur generatio equi, ſecundùm ſuam intrinſecam entitatem connotare priuationem formæ præcedentem in materia, ita vt ſi priuatio illa non præceſſiſſet, non hæc numero actio, quæ eſſentialiter eſt generatio ſubſiſteret, ſed alia loco illius, quæ non eſſet generatio, ſed eductio. Aliòve modo poſſunt aſſerere hanc eandem ſpecie, & numero actionem, ex vi cuius forma equi modo gignitur, cum præceſſit priuatio futuram eſſe, etiam ſi priuatio in materia non præceſſiſſet, non tamen dicendam eſſe generationem, quia generatio non ſolum dicit intrinſecam entitatem actionis phyſicæ, ſed addit ſupra hanc priuationem præexiſtentem in ſubiecto, ita vt eademmet actio, qua in prima mundi generatione producta fuit forma elementi in eodem inſtanti, in quo materia fuit creata, & eductio dicitur, & non generatio ex defectu priuationis præexiſtentis, poſſet eſſe generatio, ſi priuatio formæ præceſſiſſet in materia prius tempore creata.

3 Prior dicendi modus grauiùs reprehendendus eſt, quàm poſterior, quia ſine fundamento, & contra rationem bonæ Philoſophiæ dicitur Phyſicam entitatem actionis intrinſecè eſſe connexam cum priuatione termini in ſubiecto præexiſtenti, quod ex duplici capite repugnantiam inuoluit. Primò, quia priuatio eſt ens negatiuum, quod eſt non eſſe ens, & propriè non eſſe: ergo non poteſt ab illa dependere entitas poſitiua & phyſica actionis, quæ enim connexio inter eſſe, & non eſſe, ſeu inter poſitiuum, & priuatiuum eſſe poteſt? Dices formam poſitiuam aſſenſus connecti cum negatione diſſenſus, ita vt ſine hac iuxta communiorem ſententiam illa non poſſit ſubſiſtere, ac proinde rectè poſſe rem poſitiuam connecti cum ente negatiuo, ſeu cum negatione. Non ad rem, quia aſſenſus dicit negationem diſſenſus, quatenus opponitur cum habitu illius negationis, videlicet cum diſſenſu, cum quo in eodem ſubiecto coniungi nequit, & cum non poſſit in ſubiecto in inſtanti reali temporis non coniungi, vel cum diſſenſu, vel cum illius negatione, eo ipſo quod aſſenſus non coniungatur cum diſſenſu, cum illius negatione coniungendus eſt, & hac tantùm ratione poſſunt entia poſitiua eſſe connexa cum negationibus, quatenus oppoſitionem habent cum habitibus illarum negationum. Ex hac doctrina vires reſumit ratio noſtra. Hæc actio phyſica nullam oppoſitionem habet cum termino vt exiſtente, neque vt præexiſtente: ergo nullam connexionem habet cum illius negatione: oppoſitionem non habere cum termino vt exiſtente perſpicuum eſt, cum potius oppoſitionem habeat eſſentialem cum illo: non illam habere cum termino vt præexiſtente ex eo ſolùm efficaciter eſſe probandum, quod nullum caput huius oppoſitionis excogitari poteſt, id tamen poſitiuè probo, & clarè oſtendo phyſicam entitatem actionis, quæ generatio dicitur, nullam cōnexionem habere cum priuatione præexiſtente. Actio phyſica actionis eadem eſt in primo inſtanti, in quo dicitur productio, & in ſecundo, in quo conſeruatio appellatur, ſed in inſtanti, in quo dicitur conſeruatio, exiſtit, quin immediatè antea præceſſerit priuatio termini: ergo in inſtanti, in quo dicitur prima productio poſſet exiſtere, etiamſi immediatè antea non præceſſiſſet priuatio termini: ergo in illo inſtanti connexionem non habet cum priuatione immediatè antea præexiſtente. Secundò impugnatur hæc connexio, quia etiamſi inter priuatiuum, & poſitiuum admittatur connexio, hæc vanè fingitur reſpectu termini non exiſtentis, ſed iam præteriti, quia id quod præterit in ordine ad id, quod modo eſt, perinde ſe habet, ac ſi nunquam fuiſſet.

Poſterior modus defendendi generationem eſſe eſſentialiter mutationem minus à veritate aberrat, neque poteſt rationibus philoſophicis impugnari, quia tantùm differt à ſententia, quæ defendit generationem non eſſe mutationem in modo loquendi, quia de rebus phyſicis ſecundùm ſe ſumptis idem iudicium fertur, etſi dicatur generationem non eſſe eſſentialiter mutationem, ſiue oppoſitum defendatur, dum ſemel concedatur hanc phyſicam actionē, quæ generatio dicitur accidentaliter eſſe mutationem, & potuiſſe eamdem non habere hanc mutationis denominationem, etſi tunc ſimul cum illa ratio generationis illi defuiſſet. Impugnandus tamen eſt hic dicendi modus, quia rationem formalem vltimò conſtituentem generationem conſtituit in ratione quadam extrinſeca actioni ſuperaddita, quæ ab illa potuit deficere, & iuxta illum nulla datur actio, quæ intrinſecè ſit generatio, cum omni actioni ratio mutationis, quam eſſentialiter dicit generatio, accidentaliter contingat. Quod ſi hæc tantùm ad modum loquendi pertineant, tamen abſurdè dicuntur, quia totius ſcholæ conſenſus actiones generatiuas agnoſcit, quæ intrinſecè, & per ſuas entitates phyſicas, & per prædicata intrinſeca ipſarum actionum generationes conſtituuntur. Secundò impugnatur hic dicendi modus. Productio Verbi diuini eſſentialiter eſt generatio, vt docet fides, & tamen non eſt mutatio: ergo de ratione generationis non eſt mutatio. 4

Reſpondent nonnulli: Generationem Verbi non eſſe mutationem, quia repugnat in diuinis dari mutationem, quæ in creatis non repugnat. Fateor in diuinis mutationem repugnare, & implicare proceſſionem Verbi eſſe mutationem, ſed ex hoc capite argumentum deſumo. Quotieſcumque repugnat in diuinis, ſeu in alio quocumque formalitas aliqua, repugnat illud quod formaliter cōſtituitur per talem formalitatem: ergo ſi generatio conſtitueretur formaliter per mutationem eo ipſo quod repugnaret proceſſioni Verbi ratio mutationis, eidem repugnaret ratio generationis: ſed non repugnat ratio generationis tali proceſſioni, potius illam dicit eſſentialiter, & illi repugnat ratio mutationis: ergo generatio formaliter, vt generatio eſt non dicit mutationem. Reſpondent alij mutationem eſſe de conceptu eſſentiali generationis creatæ ſpecificè ſumptæ, non verò de ratione generationis abſtrahentis à creata, & increata. Contrà: de conceptu generationis 5

Digitized by Google

abſtrahentis à generatione creata & increata, non eſt ratio formalis mutationis, ſed ratio illa communis non includens mutationem, quæ contrahitur ad increatam, qualis eſt generatio Verbi per differentiam non includentem mutationem, poteſt contrahi ad creatam per differentiam contractiuam illius rationis communis, ex vi cuius conſtituatur ſpecies diſtincta à generatione increata Verbi, quæ differentia non dicat rationem mutationis: ergo de ratione generationis creatæ non eſt ratio mutationis, cùm hæc non includatur in conceptu generationis, neque in conceptu creaturæ contrahente conceptum communem generationis, & conſtituente ſpeciem diſtinctam à generatione Verbi. Confirmatur: Generatio Verbi increati procedentis à Patre increato, & ingenito, & generatio huius hominis procedentis ab alio homine, conueniunt vniuocè in ratione communi generationis, in qua non includitur ratio mutationis, ſed ſecluſo conceptu mutationis à generatione hominis, remanent plura prædicata, per quæ poſſit contrahi illa communis ad rationem ſpecialem generationis creatæ hominis eſſentialiter differentem à generatione Verbi: ergo de ratione generationis finitæ reſpicientis terminum, & principium creata vt diſtinctæ à generatione Verbi reſpiciente terminum increatum, & principium improductum non eſt ratio formalis mutationis. Maior negari nequit, minor eſt per ſe nota, quia eò ipſo quod generatio hominis concipiatur à principio creato in terminum creatum erit contracta ratio illa communis generationis ad rationem ſpecialem eſſentialiter differentem à generatione Verbi: Conſequentia eſt legitima.

6 Hæc argumentandi forma plurimum obſeruari oportet quoties volumus transferre rationem aliquam ex Deo ad creaturas, & ex creaturis ad Deum in qua primò ſtatuenda eſt ratio communis illius entitatis abſtrahentis à ratione creatæ, & increatæ, & contrahenda præcisè, per id, quod formaliter addit ſupra illum conceptum ratio entis creati & increati, nulla alia formalitate dempta, vel poſita, & ſic contra videndum eſt an Deo, vel creaturæ poſſit competere: v.g. inquirimus an in Deo remunerante merita hominum reperiatur proprius iuſtitiæ actus, non debemus prædicatum aliquod demere, vel addere iuſtitiæ diuinæ diſtincto, à iuſtitia creata præter prædicatum entis ab alio, quod à iuſtitia diuina relegandum, & entis à ſe, quod illi tribuendum eſt tanquam immediatè contractiuum rationis communis iuſtitiæ, quod ſi nullo alio prædicato dempto, aut ablato ratio illa iuſtitiæ in Deo nullam dicat imperfectionem, admittenda eſt: ſi verò illam includat, dicendum eſt talem actum non reperiri in Deo, non enim licet dicere iuſtitiam increatam diuerſa prædicata dicere, quàm iuſtitia creata præter rationem entis à ſe, aliàs nihil eſſet firmum ad cognoſcendum an poſſit virtus aliqua, quæ in creaturis admittitur in Deo concedi, ſi enim diuerſa prædicata conſtitutiua habeant virtutes in Deo, & in creaturis, poſſet quis quamcumque virtutem in Deo fingere, & dicere Deum eſſe humilem, & cum illi obiiceretur humilitatem dicere defectum aliquem ex parte ſubiecti, qui repugnat Deo, reſpondere, hunc tantùm competere humilitati creatæ, & non humilitati increatæ, & ita his omnibus quæſtionibus via occluderetur, & quilibet poſſet inter virtutes creatas, & increatas pro libito differentiam excogitare.

7 Poſſet aliter dici generationem non eſſe eſſentialiter mutationem, quia eſſe formaliter mutationem, etſi neceſſariè annexum eſſet cum actione, ſemper eſt aliquid illi extrinſecum & ſuperadditum, negatio enim præcedens, quæ eſt de ratione conſtitutiua mutationis ſemper ab actione diſtinguitur, ſed tantùm habere ex ſe petere negationem præexiſtentem, ex vi cuius conſtituitur in eſſe mutationis quod eſt exigere conſtitui in eſſe mutationis, quæ exigentia ſeparari non poterit ab ipſa actione, quæ intrinſecè eſt generatio, licet ab illa ratio mutationis actualis poſſit ſeparari, ſaltem de potentia abſoluta, quia poteſt Deus contra illius exigentiam actionem illam exercere ſine eo, quod illam præceſſerit negatio. Poſſet modus iſte ſuaderi ex eo quod generatio ſubſtantialis petit non introduci quouſque materia ſit vltimò diſpoſita, & cum materia ſucceſſiuè diſponatur, ſic forma petit introduci poſtquam materia fuit illa priuata in illa menſura, in qua diſpoſitiones fuerunt introductæ: Hunc dicendi modum impugnant rationes adductæ ſupra, quibus oſtendi actionem generatiuam nullam connexionem poſſe habere cum priuatione præexiſtente, quæ eodem modo euincunt nullam talis negationis exigentiam habere poſſe. Fundamentum deſumptum ex diſpoſitionibus firmum non eſt, quia diſpoſitiones ex ſecluſo contrario, quod per accidens ſubiecto ineſt in inſtanti poſſunt introduci in materia, & cum forma poſſit, & petat introduci in eodem inſtanti temporis, in quo eſt vltima diſpoſitio in inſtanti temporis, in quo primo materia producitur, poſſunt produci diſpoſitiones omnes, & poſſunt educi forma & modus vnionis ex potentia materiæ.

Ex his inferes rationem mutationis accidentaliter generationi competere, & primas elementorum productiones, in quibus materia cum priuatione non præceſſit, eſſe generationes, etſi ratio mutationis illis non conueniat. De generationibus, quæ modo contingunt vulgo dicitur omnes eſſe mutationes, excipiendæ tamen ſunt generationes, quæ fiunt quando corruptis accidentibus Euchariſticis producitur nouum ſubſtantiale compoſitum, quia tunc in eodem inſtanti temporis, in quo producitur forma totius, creatur materia, ex qua forma educitur, vel eadem, quæ in conſecratione panis fuit annihilata vel alia noua, quod parum refert, quæcumque enim ſit non præceſſit cum priuatione formæ in materia immediatè antecedente ipſius formæ priuationem. 8

Neque in hac re de authoritate Philoſophi, qui generationem per mutationem definiuit curandum eſt, quia deducebat generationem omnem eſſe mutationem, ex errore, quo turpiter deceptus eſt cenſens mundum fuiſſe ab æterno, & ideò conſequenter iudicabat ante quamlibet generationem materiam præceſſiſſe priuatam forma genita. 9

Addo quod etiamſi generatio eſſentialiter diceret mutationem, accidentaliter importaret eſſe mutationem totius in totum, quia ad rationem mutationis non requiritur præceſſiſſe totum, ſed tantùm præceſſiſſe materiam priuatam formâ, quod fieret ſi materia abſque omni forma prius tempore extitiſſet. Adhucque quando totum præceſſit non eſt de ratione totius geniti deſtrui totum præcedens, quia etſi permaneret antiqua forma ligni in materia, cui denuo forma ignis vnitur, ignis genitus idem omnino eſſet, etiamſi lignum antiquum permaneret, & materia communis eſſet formæ ignis, & formæ ligni. Ex quo inferes illud *totius* in definitione poſitum ſignificare materiam accidentalem & extrinſecam toti genito, quæ conſtitutionem non ingreditur, neque ad illud aliquo modo pertinet, potiùs deſinit eſſe cùm primò exiſtit totum genitum) Particulam illam (nullo ſenſibili permanente, explicant Thomiſtæ qui cenſent reſolutionem fieri vſque ad materiam primam de accidentibus ſenſibilibus totius corrupti, quorum nullum remanere affirmant, cùm totum nouum gignitur, verumtamen cum nos cenſeamus talem reſolutionem accidentium neutiquam fieri, prædictam particulam explicamus de toto concreto ſenſibili, ſeu compoſito antiquo, quod non remanet, de quo dixi Controu. 1. punct. 3. in fine.

Eſſentialem definitionem generationis totius ſubſtantialis his claudo: *Productio compoſiti dependens à ſubiecto tanquam à cauſa materiali.* Quod ſi velis definire non ſolùm generationem compoſiti, ſed etiam formæ, ſi hæc diſtinguitur generatione totius, hanc tibi definitionem confice: *Productio ſubſtantiæ dependens à ſubiecto tanquã à cauſa materiali.* Verbum productio gerit vices generis: per ly *compoſiti* prioris definitionis, & *ſubſtantia* poſterioris excluduntur à priori & poſteriori definitione generationes accidentales, & à priori generatio formæ ſi diſtinguitur à generatione totius per ly *dependens*, &c. excluduntur omnes creationes totius ſubſtantialis & cuiuſuis partis ſpectantis ad illud. 10

Inquirunt hic nonnulli an productio formæ ſit propria generatio, quibus reſpondeo productionem formæ dependentem à ſubiecto eſſe propriam generationem formæ, & formam propriè dici genitam. Reſpectu compoſiti cum diſtinctione loquendum eſt: ſi ex vi eiuſdem actionis producitur forma, & vnio, productio formæ materialiter ſumpta propriè eſt generatio, quia formalis totius generatio conſiſtit in generatione vnionis, ac proinde quælibet productio cum hac identificata realiter erit generatio. Si verò per diuerſam actionem producatur forma, & modus vnionis, generatio formæ non dicitur generatio totius, quia ſine iſta poterit illa exiſtere, poſſet enim generari forma, & non produci modus vnionis, quo caſu eſſet generatio formæ, & non eſſet totum genitum, ac proinde non eſſet

Digitized by Google

eſſet totius generatio, ex quo infertur generationem formæ tunc exiſtentem non eſſe totius generationem. Ob eamdem rationem affirmo caſu, quo forma & vnio per eamdem actionem producantur, talem actionem dici formaliter generationem totius, non quatenus eſt generatio formæ, ſed formaliter quatenus eſt generatio vnionis, quia ſicuti ex poſitione vnionis, & non ex poſitione formæ reſultat compoſitum, & ſicuti ex actionibus realiter diſtinctis, quarum vna determinatur ad formam, & alia ad vnionem, actio illa, quæ recipit vnionem, & non illa, quæ recipit formam dicitur productio totius: ſic quando identificantur productio formæ, & productio vnionis, formalitas illa, ex vi cuius actio illa dicitur productio vnionis, & non illa, ex vi cuius eſt productio formæ, dicetur totius productio, & generatio, ſi actio generatiua ſit.

13 Propter rationem ſuprà dictam iure dicitur hominem gigni ex eo præcisè, quod gignatur illius vnionis modus, etiamſi materia, & forma eiuſdem hominis creentur, & ob eamdem rationem dicendum videtur compoſitū creatum, ſi illius vnionis modus creatus, etiamſi eiuſdem forma eſſet educta; verumtamen dici poteſt totum eſſe creatum dicere non eſſe dependens à materia ratione alicuius conſtitutiui eſſentialiter, quia creatum, & independens à ſubiecto idem ſunt, ac proinde totum creatum debet eſſe independens, & tale non erit totum, cuius forma dependeat à materia, quia eo ipſo quod forma dependeat à materia, totum per formam conſtituitur eſſentialiter dependens ab eadem materia, quia dependentia formæ refunditur in totum, quod implicat exiſtere ſine forma, cum qua inadæquatè identificatum eſt, & per quam formaliter conſtituitur. Ex hac ratione rectè redditur diſparitas propter quam totum tantùm ratione vnionis genitæ genitum dici poſſit, & ratione creatæ vnionis non valet dici creatum: adhoc enim vt totum dependentiam habeat à ſubiecto, quam dicit generatio, ſufficit illam habere quodcumque ex his, quæ ad illius conſtitutionem pertinent, ad hoc verò vt independentia ponatur, qua gaudere debet terminus creatus, neceſſum eſt nihil ad illius conſtitutionem eſſentialiter pertinens à ſubiecto dependere.

PVNCTVM II.

An generatio ab alteratione diſtinguatur.

1 THomiſtarum ſententiam multi non eſſe putant illam quam defendunt alius Scholæ auctores, vel illi qui ex animo Angelici Doctoris doctrinam reuerentur, illiúſque mentem in omnibus ſincerè aſſequi affectant, à qua rarò grauiſſimis rationibus ducti, vel nunquam diſcedunt, tamen in Thomiſtarum numero non admittuntur, quia Angelicum Doctorem in ſe ipſo & non in quibuſdam vetuſtis, apud quos mentem Angelici Doctoris volunt eſſe depoſitam, reuerentur. Hac forſam ratione recentes quidam qui ſe Thomiſtas appellant, defendunt generationem ab alteratione non diſtingui, ſequuti Caietan. 1. part. quæſt. 15. art. 5.

2 Oppoſita ſententia communis eſt in Scholis, quã defendunt noſtri Auctores ſequuti D. Thomam multis in locis, præcipuè in quæſt. de potentia quæſt. 3. art. 3. quem huic ſententiæ patrocinari multis teſtimoniis efficaciter probat recens quidam intrinſecus Thomiſta hic quæſt. 1. art. 3. Eamdem ſententiam defendunt Capr. qui delubra Scholæ Thomiſtarum penetrauit in 2. diſtinct. 3. quæſt. 2. art. 3. & alij apud noſtros Conimbr. lib. 1. cap. 2. quæſt. 12. art. 3. Aſſentior huic ſententiæ, quam efficaciter probo: Generatio non identificatur cum alteratione, quæ fuit in inſtanti præcedenti generationem; non cum illa quæ eſt in eodem generationis inſtanti: ergo cum nulla. Non identificari cum alteratione præcedenti probo: Alteratio præcedens exiſtebat generatione non exiſtente: ergo alteratio illa, & generatio diſtinguuntur, ſeparatio enim euidens ſignum eſt diſtinctionis. Secundò in Thomiſtarum ſententia alteratio illa tota corrumpitur in inſtanti, in quo exiſtit generatio: ergo non poteſt identificari cum generatione, implicat enim ex duabus actionibus realiter identificatis vnam deſinere eſſe, & aliam exiſtere in eodem inſtanti temporis. Generationem non identificari cum alteratione, quæ eſt in inſtanti generationis ſic probo. In noſtra ſententia, quæ aſſerit in generatione permanere accidentia, quæ immediatè antea præceſſerant, alteratio, quæ eſt in inſtanti generationis, præceſſerat ſecundùm maiorem ſui partem, & tamen non præceſſerat generatio: ergo generatio non identificatur cum tota alteratione, quæ præceſſerat: ergo ſi cum aliqua alteratione poteſt identificari eſt cum alteratione, quæ tunc fit, quæ eſt vltimum complementum diſpoſitionis ad formam genitam: verbi gratia, cum productione ſexti gradus caloris, ſi vltima diſpoſitio ad formam eſt calor, vt ſex, ſed productio illius vltimi gradus, & productio aliorum præcedentium ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo ſi productio primorum graduum non eſt productio ſubſtantiæ, vt verè non eſt, neque productio vltimi gradus erit productio ſubſtantiæ, neque illius generatio. Secundò in Thomiſtarum ſententia diſpoſitiones ad formam recipiuntur in toto: ergo ſi per eamdem actionem producuntur diſpoſitiones, & producitur forma, forma recipietur in toto compoſito, & totum compoſitum, & non materia ſe habebit vt cauſa materialis formæ. Probo conſequentiam: Eatenus dependet terminus actionis ab aliquo principio, quatenus actio procedit immediatè, & per ſe ipſam ab illo, neque aliud eſt formaliter hunc calorem dependere ab igne tanquam à principio actiuo, & ab hoc ligno tanquam à principio paſſiuo, quam hanc cauſalitatem, ſeu actionem per quam ignis ponitur extra cauſas procedere immediatè tanquam à principio actiuo ab hoc igne, & tanquam à principio paſſiuo ab hoc ligno: ergo ab illis principiis dependebit forma, à quibus dependet cauſalitas, ex vi cuius ponitur extra cauſas: ergo ſi ex vi alterationis ponitur extra cauſas ab illis dependebit, à quibus alteratio dependet: ſed alteratio dependet à toto tanquam à cauſa materiali: ergo forma dependet ab eodem toto tanquam à cauſa materiali.

Reſpondebis alterationem recipi in toto compoſito formaliter, quatenus eſt productio qualitatis, non verò quatenus eſt productio formæ. Contrà: productio qualitatis, & productio formæ ſubſtantialis vel diſtinguuntur realiter, vt tantùm formaliter, & per rationem: ſi diſtinguuntur realiter, alteratio, quæ eſt productio qualitatis diſtinguetur, à generatione, quæ eſt productio formæ ſubſtantialis. Si per rationem tantùm diſtinguuntur, implicat phyſicè, & realiter non eodem modo vtramque dependere, ſicuti implicat dependere ab hoc principio prædicatum rationalis, & non ab eodem dependere prædicatum animalis cum illo identificatum, diſtinctio enim rationis, & fictitia conducere nequit, vt aliquid phyſicè conueniat alicui extremo per rationem diſtincto, & realiter identificato, quod non conuenit alij eodem omnino modo. Secundò reſpondebis formam ſubſtantialem non dependere à toto compoſito, etiamſi dependeat ab illo alteratio, ex vi cuius producitur, quia implicat dependere ab illo: qualitatem verò per eamdem actionem productam dependere à toto, quia capax eſt habendi hanc dependentiam. Solutionem hanc in ſimili reieci lib. 3. Phyſic. Controuerſ. 13. puncto 2. vbi probaui non poſſe creationem recipi in Angelo tanquam in principio materiali, quia Angelus eſſet principium materiale ſui ipſius, ſicuti ſi ego eſſem principium actiuum actionis, ex vi cuius producor, me ipſum producerem, & ideò ſi repugnat me produci à me ipſo, repugnat meam actionem productiuam à me efficienter procedere: Sic ſimiliter fateor repugnare formam recipi in toto compoſito, quia reciperetur in ſe ipſa, & quia totum conſtitutum per formam ſupponeretur ad ipſam formam, quæ manifeſtam inuoluunt implicationem, verumtamen ad hæc abſurda reducuntur, qui affirmant alterationem produci per eamdem actionem, per quam forma producitur. 3

Eamdem ſententiam ex principiis ab omnibus admiſſis manifeſtè euerto. Alteratio diſponit materiam ad formam recipiendam, & per terminum alterationis eſt materia diſpoſita ad formam recipiendam: ergo terminus alterationis eſt formaliter diſpoſitio ad formam ſubſtantialem, ſed ad illius generationem: ergo generatio diſtinguitur ab alteratione. Probo conſequentiam: Nulla qualitas diſponit formaliter ad actionem, ex vi cuius producitur, alias diſponeret ad ſe ipſam in ſubiecto recipiendam: ſed qualitas diſponit ad actionem, per quam producitur forma ſubſtantialis: ergo actio, per quam producitur forma ſubſtantialis diſtinguitur ab actione, per quam producitur qualitas diſponens: ergo generatio, quæ eſt eſt productio formæ ſubſtantialis diſtinguitur ab alteratione, quæ eſt productio qualitatis. Neque potes dicere qualitatem diſponere 4

ad formam ſubſtantialem, & non ad actionem, per quam producitur talis forma, quia diſpoſitio, quæ in ſubiecto non eſt ad formam ſecundum ſe, ſed ad formam vt exiſtentem in ſubiecto diſpoſito, & vt receptnm in illo: ergo ad ipſam formæ receptionem. Rurſus diſpoſitio determinat productionem formæ ſubſtantialis, & eſt prior illa: ergo diſpoſitio ſupponitur ad productionem formæ ſubſtantialis: ſed non ſupponitur ad productionem ſui ipſius: ergo productio formæ ſubſtantialis diſtinguitur à productione qualitatis: ergo generatio ab alteratione. Vltimò in omnium ſententia poſtquam iam producta eſt vltima diſpotio poteſt Deus ſuſpendere concurſum, & non ponere formam genitam: ergo generatio formæ diſtinguitur ab alteratione. Probo conſequentiam: Generatio non poteſt eſſe adhuc de potentia Dei abſoluta ſine forma genita, ſed alteratio poteſt eſſe ſine forma genita: ergo alteratio non eſt generatio.

5 Hæc argumenta ita vexant patronos oppoſitæ ſententiæ vt illis fixum aliquem modum illam defendendi non permittant, ideò in varios dicendi modos diſtrahuntur. Aſſerunt plerique ex recentioribus formam genitam non fieri per aliquam actionem, neque identificatam, neque diſtinctam ab alteratione, ſed procedere poſita alteratione, per quamdam naturalem reſultantiam, ſeu ſimplicem emanationem, & in hoc ſenſu verum eſſe alterationem non identificari adæquatè cum generatione, quia generatio dicit alterationem, & ſimplicem illam emanationem quarum cum alteratio ſit actio, & non ſimplex emanatio, verum eſt dicere actionem generatiuam, hoc eſt incluſam in generatione, non diſtingui ab alteratione, quia generatio nullam dicit actionem diſtinctam ab alteratione, licèt præter alterationem dicat ſimplicem emanationem, quæ formaliter non eſt actio. Alij vt religioſius defendant alterationem non diſtingui à generatione, aſſerunt alterationem addere ad rationem generationis emanationem illam non tanquam quid pertinens ad rationem formalem generationis, ſed tanquam terminum, quo poſito alteratio incipit per ſe ipſam eſſe generationem, & exercere munus generationis.

6 Multa in hac doctrina inuoluuntur valde difficilia, quæ multis impugnarem, ſi non illa proprio difficultatis pondere iam inſpicerem corruentia. Nonnulla euoluam, vt illorum difficultas appareat. In primis falſum eſt poſitis diſpoſitionibus formam ſubſtantialem non per actionem diſtinctam, ſed per emanationem ab ipſa indiſtinctam reſultare, quod ſic probo: forma hæc neceſſariò dependet phyſicè tanquam à vera cauſa phyſicè influente ab aliquo principio effectiuo, quo poſito inquiro, an dependeat tantùm à diſpoſitionibus vel ab alio principio: ſi tantùm dependet à diſpoſitionibus per hanc ſimplicem emanationem à ſe indiſtinctam ſequitur, per ſuammet entitatem habere dependere ab his diſpoſitionibus: ergo implicat non dependere ab illis: ergo implicat formam hanc produci, neque exiſtere ſine his diſpoſitionibus: Conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Conſequentiam probo. Quidquid entitati conuenit per ſe ipſam, abſque alio ſuperaddito non poteſt ab illa ſeparari: ergo ſi formæ conuenit per ſe ipſâ dependere phyſicè à diſpoſitionibus tanquam à principio phyſico per ſe influente, non poteſt non ab illis dependere, ſicuti non poteſt actio non dependere à ſuo principio effectiuo, neque effectus identificatus cum actione per ſe ipſam à principio effectiuo procedente à tali principio aliquando non dependere. Dices doctrinam hanc eſſe veram de his, quæ procedunt per actionem, non verò de his, quæ per ſimplicem emanationem procedunt: ſed nihil ad rem, quia omnis ſimplex emanatio vt poſtea dicam eſt vera actio, deinde quia ratio prædicta eodem modo probat de actione, & de ſimplici emanatione. Si dependet ab alio principio diſtincto à diſpoſitionibus ſiue creato, ſiue à Deo non ſolùm vt cauſa prima ſed ſpecialiter influente in formam, probo dependere ab illo media cauſalitate diſtincta à diſpoſitionibus, & diſtincta ab ipſa forma. Id per quod principium effectiuum formaliter conſtituitur efficiens terminum, & nihil aliud ab hoc diſtinctum eſt cauſalitas, ex vi cuius terminus efficitur: ſed principium effectiuum formæ non conſtituitur formaliter efficiens formam per diſpoſitiones: ergo diſpoſitiones non ſunt cauſalitas, ex vi cuius forma efficitur. Maiorem admittunt omnes: Minorem probo. Poſitis diſpoſitionibus poteſt de potentia abſoluta principium formæ effectiuum non efficere formam: nullus enim negat poſita vltima diſpoſitione poſſe Deum non producere formam: ergo non conſtituitur formaliter efficiens per diſpoſitiones, quia implicat exiſtere principium effectiuum, & id per quod formaliter conſtituitur efficiens, & non conſtitui formaliter efficiens. Dices diſpoſitiones exercere munus cauſalitatis, & actionis poſito termino tanquam connotato. Millies contra hæc connotata argumentatus ſum, mitto ſæpè rationem repetitam ex identitate formæ poſito hoc vel illo connotato, quæ ſemper eadem præſtabit ſemper eumdem effectum, quem præſtat per ſe ipſam, & ſpecialem aliam contra hanc materiam adduco: vt diſpoſitiones exerceant munus actionis, debent ſupponere terminum exiſtentem: ergo productum, ad quid ergo poſtea actum agent, & veniet actio, quando terminus illius effectus eſt? Formam dependere per cauſalitatem ſuperadditam à principio effectiuo ſic probo: forma materialis indifferens eſt vt dependeat per cauſalitatem, quæ ſit creatio, vel per cauſalitatem, quæ ſit generatio: ergo natura identificatur cum forma, ſiquidem quælibet illarum per ſe ſumpta poteſt à forma ſeparari. Rurſus forma materialis indifferens eſt, vt dependeat ab hac vel ab illa materia: ergo dependet à materia per cauſalitatem ſuperadditam: ſed per eamdem cauſalitatem dependet à materia, & à cauſa effectiua: ergo dependet ab vtraque per cauſalitatem ſuperadditam. Vltimò, productionem formæ non eſſe ſimplicem emanationem, quia eſt actio tranſiens, & quia ſupponit præter principium actiuum, & paſſiuum diſpoſitiones ex parte ſubiecti, conſtabit ex his quæ dicam. Controuerſ. 2. de anima puncto 2. vbi conceptum ſimplicis emanationis explicabo, & ſtatuam ſimul contra hunc dicendi modum ſimplicem emanationem eſſe veram actionem, quod facilè euincitur, ex eo, quod eſt id, per quod formaliter principium effectiuum efficiens conſtituitur.

7 Ex his conſtat formam (idem dico de modo vnionis) produci media cauſalitate ſuperaddita diſtincta à diſpoſitionibus, ex vi cuius formaliter eſt producta dependenter à materia, & formaliter genita, quia generatio nihil aliud eſt, quam productio termini, ex vi talis productionis à materia dependentis.

8 Si velimus argumenta oppoſitæ ſententiæ diſſoluere, neque vnum inuenimus, quod vel leuem nobis ingerat difficultatem. Obiiciunt Thomiſtæ inferri ex eo quod generatio ſit diſtincta ab alteratione ſubſtantiam eſſe immediatè operatiuam, vel ſubſtantiam operari interuentu accidentium. Reſpondeo hoc vltimum defendere plurimos Thomiſtas, primum nos cum aliis plurimis tradidiſſe in Phyſicis. Mitto in omnium opinione aſſignandum eſſe principium effectiuum formæ genitæ de quo eſt eadem difficultas, ac de principio generationis ſuperadditæ.

9 Obiiciunt ſecundò. Si datur generatio ab alteratione diſtincta illius ſubiectum debet eſſe materia prima, ſed materia prima non poteſt eſſe ſubiectum generationis: ergo non poteſt dari generatio ab alteratione diſtincta. Minorem probant. Si datur generatio diſtincta ab alteratione, neceſſariò eſt accidens, ſed accidens debet ſubiectari in ſingulari per ſe exiſtente: ergo non poteſt ſubiectari in materia prima, quæ non eſt ſingulare per ſe exiſtens. Reſpondeo, materiam primam eſſe ſubſtantiam ſingularem per ſe exiſtentem, capacem ſuſtentandi non ſolum accidentia, verùm illam ipſam formam ſubſtantialem.

10 Obiiciunt tertiò. Ariſtotelem dixiſſe generationem eſſe terminum extrinſecum alterationis. Reſpondeo hoc aſſerto tantùm intendiſſe Aſtriſtotelem ſignificere generationem eſſe actionem quamdam quæ naturaliter alterationem conſequitur.

11 Obiiciunt quartò. Sequi ex eo quod generatio diſtinguatur ab alteratione, generationem eſſe mutationem quod eſt contra Ariſtotelem, qui dixit omnem motum eſſe ſucceſſiuum. Reſpondeo Ariſtotelem definiiſſe generationem per mutationem, tantùm abeſt, vt contra illius mentem ſit aſſerere generationem eſſe mutationem. Cùm verò dixit omnem motum eſſe ſucceſſiuum, diſtinguebat motum propriè dictum à mutatione, vt multi affirmant, vel per modum vnius motus reputabat generationem, & alterationes, quæ ad illam ordinantur, vt Patres Conimb. affirmant.

PVNCTVM

Digitized by Google

PVNCTVM III.

Quæ actiones intercedant in generatione ſubſtantiali.

1 AD omnem generationem ſubſtantialem ſupponitur priùs natura materia exiſtens, è cuius potentia educitur forma, & modus vnionis compoſiti geniti, vel ſaltem modus vnionis, ſi forma creetur vt contingit in homine. Cumque materia prima non poſſit ſupponi exiſtens, quin ad illam ſupponatur id ex vi cuius extra cauſas fuit poſita, neceſſum eſt ad omnem generationem ſupponi actionem, ex vi cuius creatur. Præcedit etiam generationem alteratio, ex vi cuius materia diſponitur ad formam & vnionem. Intercedit etiam productio formæ ſubſtantialis tanquam quid præſuppoſitum ad generationem, ſi forma ſupponatur producta, ad vnionis productionem: vel tanquam actio, in qua conſiſtit generatio, ſi eadem ſit actio, per quam producitur forma, & modus vnionis. Vltimò reperitur productio modi vnionis, in qua formaliter generationem conſiſtere dixi puncto 1. ad finem. Omitto productionem ſubſiſtentiæ pertinentis ad conſtitutionem ſuppoſiti, quæ licet requiratur vt ſit homo, qui non ſolùm naturam, ſed ſubſiſtentiam importat, & conſequenter vt ſit homo genitus, nihilominus non ſpectat ad generationem naturæ de qua in præſenti cum Ariſtotele diſputamus. Ex his productionibus productionem materiæ à reliquis diſtingui per ſe notum eſt, quia cum materia ſupponatur priùs natura vnionibus & formis eductis, neceſſariò debet per diuerſam actionem produci, non enim eſt priùs aliò, quod ſimul per eamdem actionem producitur. Deinde productio materiæ eſt creatio, & productio vnionis in omnibus compoſitis genitis, & formæ demptâ productione rationalis animi, eſt eductio, quæ non poteſt cum creatione identitatem habere, ſed neceſſum eſt has actiones diſtingui. Animam rationalem, & materiam non creari per eamdem actionem certum eſt, quia materia prius tempore fuit creata, quàm anima, & quia materia, & anima loco diſſitæ conſeruantur, quod fieri non poteſt ſi dependerent à principio effectiuo per eamdem actionem. Alterationem diſtinctam eſſe actionem à productione formæ & modi vnionis latè probaui puncto præcedenti & non identificari cum creatione materiæ per ſe notum eſt. Vnionem, & formam hominis non produci ex vi eiuſdem actionis admittunt omnes, quia forma creatur & vnio educitur. Tota huius puncti difficultas eſt, an in compoſitis quorũ forma materialis eſt, & educta, forma, & vnio ex vi eiuſdem actionis, vel forma ex vi vnius, & vnio ex vi alterius producantur, quam breuiter definio.

2 P. Soar. in Metaph. diſp. 15. ſection. 4. num. 3. & diſp. 48. ſect. 3. num. 11. docet formam, & vnionem fieri per eamdem actionem: ſubſcripſit P. Rub. hic tract. 1. quæſt. 3. n. 39. ſed reſipuit lib. 2. de anima tract. de Potentiis q. 4. num. 64. Arguit vterque: forma materialis producitur cum dependentia à materia, & inhærens materiæ, & in materia exiſtens. Sed forma dependet à materia, inhæret materiæ, & in materia exiſtit per vnionem: ergo per eamdem actionem productiuam formæ producitur modus vnionis, per quem forma ſit in materia, materiæ inhæreat, & ab illa dependeat. Confirmatur: per eamdem actionem, per quam producitur forma in materia fit compoſitum, quia compoſitum nihil aliud eſt, quam partes vnitæ: ergo per eamdem actionem fit vnio, ex qua reſultat compoſitum. Millies in 1. & 2. lib. Phyſic. notaui diſtinctionem, quæ eſt inter inhærentiam, ſeu paſſionem, per quam forma eſt in materia tanquam in ſubiecto, à quo educitur, & à quo dependet tanquam à cauſa materiali, & vnionem ſeu informationem, per quam forma vnitur materiæ, & cum illa componit totum, eamdémque tanquam ſubiectum informationis reſpicit eo modo, quo anima rationalis materiam reſpicit, à qua non dependet, quia licet forma materialis dependentiam habeat à ſubiecto, qua caret animus rationalis, hanc non habet ex vi vnionis, ſed ex vi actionis per quam producitur, poterat enim eamdem numero vnionem terminare, & eſſe omnino independens, ſi per aliam actionem creatiuam produceretur. Ex his reſpondeo formam materialem ex vi actionis, per quam producitur eſſe in materia tanquam in ſubiecto inhæſionis, & dependere à materia, non tamen eſſe vnitam, neque componentem totum, quia hoc habet per vnionem diſtinctam ab actione, ex vi cuius forma eſt vnita formaliter totum componens, & materiam reſpiciens tanquam ſubiectum informationis. Neque forma eſt in materia tanquam in ſubiecto inhæſionis, aut materiæ inhæret, & ab illo dependet ex vi actionis, qua producitur, quia per illam producatur modus inhærendi, ſeu dependendi, ſed quia formaliter ipſamet actio eſt dependentia, & inhæſio, per quam formaliter forma inhæret, atque dependet. Vnde actio, per quam producitur forma inhærens, ſeu dependens à materia non reſpicit ex parte termini dependentiam, ſeu inhærentiam, ſed formam ſecundùm ſe quam formaliter per eandemmet actionis entitatem conſtituit dependentem & inhærentem.

Arguit rurſùs P. Soar. terminus creationis & terminus generationis diſtinguuntur: ergo ex eo quod creatio terminatur ad formam vt diſtinctam ab vnione, ſeu dependentiâ, & generatio ad formam dependentem, ſeu vnitam per modum, ex vi cuius componit compoſitum, & dependet à materia. Reſpondeo generationem, & creationem non diſtingui formaliter ex parte termini producti, ſed ex modo, quo terminus ille producitur, & ex ſubiecto, ad quem dicit ordinẽ generatio, quem non dicit creatio, quæ ſecundum ſe independens eſt à ſubiecto, & formaliter terminum independentem conſtituit. Patet hoc in creatione, quæ formaliter conſtituit terminum, quem reſpicit independentem à ſubiecto, etiamſi ex parte termini dependentiam non reſpiciat: ergo eadem ratione generatio, ſeu eductio terminum conſtituet dependentem à ſubiecto, etiamſi ex parte termini dependentiam non reſpiciat. Ratio à priori deſumpta perſpicua eſt: Eo ipſo, quod cauſalitas, ex vi cuius entitas ponitur extra cauſas dependeat ab aliquo principio quacumque alia dependentia ſecluſa, terminus per talem cauſalitatem productus dependet ab eodem principio, quia implicat rem factam non dependere ab illo, à quo illius fieri dependet: ſed eductio per ſe ipſam dependet à ſubiecto: ergo ex vi eductionis quacumque alia dependentia ſecluſa terminus eductus dependebit à ſubiecto. Eadem ratione probatur creationem per ſe ipſam conſtituere terminum creatum exiſtentẽ abſque aliqua dependentia, quia eo ipſo quod cauſalitas exiſtat ſine dependentia ab aliquo principio, terminus ex vi illius productus valet exiſtere abſque dependentia ab illo principio, à quo illius cauſalitas non dependet, illa enim quæ ſufficiunt ad fieri rei, ſufficiunt vt ſit res facta, ſed creatio, quæ eſt cauſalitas, ex vi cuius exiſtit terminus creatus exiſtit abſque eo quod dependeat à ſubiecto: ergo conſtituit terminum poſitiuè exiſtentem ſine dependentia à ſubiecto. 3

Formam, & actionem produci per actiones diuerſas defendunt Dur. in 2. diſt. 1. quæſt. 5. ad vltimum. P. Rub. ſuprà, P. Hurt. diſp. 1. ſect. 1. idem tenentur defendere P. Vaſquez qui affirmat vnionem ſubiectari in forma, & Arriaga, qui aſſerit vnionem ſubiectari in materia, & forma, quos retuli lib. 1. Phyſic. Controuerſiâ 4. puncto 3. num. 1. & omnes, qui defendunt vnionem ſubiectari adæquatè, vel inadæquatè in forma, quapropter ſi ſentiat P. Soar. vnionem in forma ſubiectari, quod non leuiter inſinuat, vt dicebam Puncto 3. num. 1. nuper citato, difficile poterit illius ſententia defendi, implicat enim ſubiectum, & formam ex illo eductam per eamdem actionem produci, quia productio ſubiecti eſſentialiter ſupponitur ad productionem formæ, & quia illa, quæ per eamdem actionem producuntur eamdem dependentiam habent, & ita ex duobus per ſimplicem actionem productis implicat vnum dependere ab alio, à quo alterum non dependet, & cum forma, non dependeat à ſe ipſa, implicabit vnionem ſimul cum forma per eamdem actionem productam à forma dependere. Probant nonnulli iuxta omnes ſententias formam & vnionem non produci per eamdem actionem, quia priùs eſt formam produci & poſteriùs vniri ſubiecto, & hæc cauſalis eſt vera: quia producitur forma, producitur vnio, & hæc eſt falſa: producitur vnio, quia producitur forma. Non vrget hæc ratio, facile enim dici poteſt formam non eſſe naturâ priorem vnione ex vi actionis, per quam de facto producuntur forma, & vnio, & hanc propoſitionem, ideò producitur vnio quia producitur forma, non eſſe, veram rebus, vt nunc exiſtentibus. Conſultò dixi ex vi cauſalitatis, per quam de facto exiſtunt, quia ex vi aliarum actionum productio formæ, & ipſa forma poſſunt non dependere à modo vnionis, neque ab illius productione, 4

productione, productiō tamen vnionis, & ipſe vnionis modus non poſſunt non eſſe connexa cum productione formæ, & cum ipſa forma, ſiue per dependenriam, ſiue per identitatem productionum, quia modns vnionis independenter ab omni cauſalitate per ſe ipſum dependet à forma, & ita ſupponit productionem formæ, vel identificatam cum productione ſui ipſius, vel diſtinctam. Vnde ſi producantur per eamdem actionem forma, & vnio, vnio ſupponet illam actionem non ſolùm vt productionem vnionis, ſed etiam vt productionem formæ, & in hoc ſenſu poterit dici modus vnionis poſterior forma, etſi per eādem actionem producatur, quia eſſe modum poſteriorem formâ, & eſſe dependentem ab illa formaliter ſunt idem, & cum vnio per ſuam entitatem ſit dependens à forma, per ſuam entitatem eſt ille poſterior, licet actio productiua vnionis non ſit poſterior actione productiua formæ, qui eademmet indiuiſibilis actio eſt productio vtriuſque termini. De forma, alia ratione philoſophandum eſt, quia cum ipſa per ſuam entitatem non dependeat ab vnione, ſi per eamdem actionem producitur forma, ſupponit actionem productiuam formæ, & vnionis tantùm vt productiuam ipſius formæ, non vt productiuam modi vnionis, ſi verò per diuerſas actiones producatur productio formæ, non ſupponet productionem vnionis. Ex his inferes dici non poſſe, quia producitur forma, producitur vnio, ſi forma, & vnio per eamdēm actionem producantur, quia vbi tantùm eſt ſimplex actio, non poteſt inueniri prioritas, & poſterioritas actionum. Neque dici poterit in hac ſuppoſitione produci vnionem, quia exiſtit forma, quia exiſtentia formæ ſupponit actionem ex vi cuius producitur vnio quatenus eadem cum actione, per quam ipſa producitur. Hæc tamen cauſalis erit vera, quia eſt forma, eſt vnio, & in quocumque caſu dici poteſt, forma eſt prior vnione, & vnio eſt poſterior forma, quia independenter à cauſalitate ſuperaddita vnio per ſe ipſam dependet à forma, & eſt illa poſterior.

5 Defendo poſteriorem iſtam ſententiam hac vnica ratione. Vbi termini producti realiter diſtinguuntur, realiter diſtinguendæ ſunt illorum productiones, ſi nulla ſit ratio quæ ſuadeat dari productionem vtrique communem: ſed forma, & vnio realiter diſtinguuntur, & nulla eſt ratio, quæ probet dari productionem vtrique communem: ergo illarum productiones diſtinguendæ ſunt. Maior neceſſariò eſt ab omnibus admittenda, aliàs nullum caput dari poterit ad diſtinguendas actiones, ſi ex terminorum diſtinctione illarum diſtinctio non deſumitur. Priorem partem minoris videlicet formam, & vnionem diſtingui, eſt ſuppoſitum quæſtionis: poſteriorem videlicet nullam eſſe rationem ad aſſerendum dari productionem communem formæ, & vnioni, & ſuadent ſolutiones adhibitæ rationibus quæ identitatem productionis vtriuſque termini propugnabant. Conſequentia eſt legitima. Neque contra concluſionem traditam rationem aliquam ſolutione dignam inuenio.

PVNCTVM IV.

De termino generationis.

1 TERMINVM totalem generationis eſſe totum compoſitum genitum admittunt omnes: de termino formali in re leui grauis contentio inter graues Theologos ſuborta eſt, qui multum decertant in aſſignanda natura termini formalis, ita æternæ generationi, incarnationi Verbi, & conuerſioni panis in corpus Chriſti diuerſos formales terminos auctores aſſignant. Impræſentiarum mea tantùm intereſt aſſignare terminum generationis creatæ, de qua diſputo, verumtamen id præſtare non potero, ſi prius non definio, quid ſit formalis terminus, quamve formalitatem importet terminus formalis, ex vi cuius talis formaliter conſtituatur. Hac quæſtione dirempta nulla poterit eſſe difficultas in dirimendis quæſtionibus ſupra recenſitis, in quibus diſſident Theologi, tota enim illorum diſſenſio eſt ſita in aſſignanda natura termini formalis, in qua aſſignanda ſi omnes conueniſſent, nulla prorſus inter ipſos eſſet diſconuenientia in aſſignando formali termino generationi Verbi, eiuſdem incarnationi, & conuerſioni Euchariſticæ. Dicendum ergo nobis eſt quid ſit formalis terminus, & ex concluſione tradita in hac quæſtione facile erit illam dirimere, quæ ad noſtrum ſpectat inſtitutum de termino formali generationis creatæ, & alias, in quibus Theologi concertant.

P. Vaſquez Thomiſtas ſequutus part. 3. tom. 1. diſput. 19. cap. 2. aſſerit terminum formalem eſſe formam termini totalis, etſi hæc producta non ſit ex vi actionis, cui terminus adſcribitur. Conſentiunt Conimbric. lib. 1. de Generat. cap. 4. quæſt. 15. concl. 3. id probant ex Ariſtot. qui docuit generationem eſſe viam ad naturam, hoc eſt, ad formam, & illam appellauit mutationem à priuatione formæ ad ipſam formam, quibus verbis tanquam terminum illius formam deſignauit. 2

Terminum formalem cuiuſuis actionis eſſe illum, qui ex vi talis actionis producitur docent Aur. apud Capreol. relatum à P. Vaſquez, Durand. in 3. diſt. 5. quæſt. 2. num. 5. P. Soar tom. 1. in 3. part. diſt. 8. ſect. 3. §. *In hoc nihil poteſt*, P. Hurt. in Phyſic. diſp. 11. ſect. 5. Ex his auctoribus, qui aſſerunt formam materialem, & vnionem produci per eamdem actionem in compoſitis, cuius forma materialis eſt, aſſignabunt tanquam terminum formulam generationis formam, & vnionem, & in homine tantùm vnionem, illi verò, qui defendunt per actionem generatiuam in quocumque compoſito tantùm vnionem produci, defendunt hanc tantùm eſſe terminum formalem generationis. Mouentur hi auctores, quia productio formaliter eſt ad id, quod per ſe attingit, & cuius eſt productio, ſed tantùm attingit per ſe id, quod ex vi illius eſt productum: ergo id tantùm eſt illius formalis terminus. Hac ratione concludit Hurtadus terminum formalem generationis eſſe vnionem, quæ tantùm ex vi generationis producitur, quam concluſionem eidem principio innirens iterum probat: in homine vnio tantùm tanquam terminns ganerationis denominat totum hominem genitum, & quia ipſa terminet per ſe ipſam actionem generatiuam totum compoſitum ab ipſa genita genitum denominatur: ergo per vnionem tanquam per terminum genitum totum compoſitum genitum dicetur: ergo vnio eſt, quæ primariò, & per ſe genita dicitur, & hanc denominationem tribuit compoſito: ergo vnio eſt, quæ primariò, & per ſe generationem terminat. Tota hæc doctrina clariùs in homine videtur, cuius materia, & forma creantur, & totus homo genitus denominatur tantum ratione vnionis terminantis generationem, quia totum nullam aliam actionem terminat, præter illas, quas terminat ratione partium, & vnionis quibus conſtituitur, ſed materia, & forma terminant actiones creatiuas: ergo tantum dicitur genitus, quia vnio terminat actionem generatiuam. Quod ſi in aliis compoſitis forma educatur, ſeu gignatur ex materia prima, cum huius generatio ſi diſtinguatur à generatione vnionis, non ſit generatio totius vt dicebam punct. 1. non neceſſariò & per ſe loquendo totum genitum denominat, quia poteſt dari generatio formæ quin detur totum exiſtens, ſi ipſa forma genita materiæ non vniatur, ſi tamen detur compoſitum, cuius vnio creetur, & forma gignatur forſan generatio formæ poterit quando coniungitur cum creatione vnionis, & totum eſt conſtitutum, illud denominare genitum, ſi verum eſt in illo caſu totum genitum, & non creatum eſſe dicendum, de quo dixi punct. 1. n. 13. 3

In quæſtione apud pleroſque de nomine ad rem ſatis loquutus eſt P. Lugo (cuius præcellens ingenij claritas adhuc in leuioribus euoluendis mirè effulget) tom. de Incar. diſp. 11. ſect. 2. qui rectè docet non poſſe vniuerſaliter dici terminum formalem eſſe formam termini totalis. Quia aliquando terminum formalem appellamus id, quod proculdubio non eſt forma termini totalis. Exemplum aptum adducit in tranſubſtantiatione Euchariſtica, in qua terminus *à quo* totalis eſt ſubſtantia panis cum ſuis accidentibus, & terminus totalis *ad quem* eſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis; terminus verò formalis *à quo* eſt ſubſtantia panis, quæ deſinit eſſe, & terminus formalis *ad quem* eſt corpus Chriſti, quod ponitur denouo ſub ſpeciebus panis & tamen nullus dicet corpus Chriſti eſſe formam termini totalis illius videlicet concreti, quod reſultat ex vnione corporis Chriſti ad accidentia panis; potiùs, ſi fas eſt dici, corpus Chriſti ſe habet inſtar materiæ accidentium, quia ſuccedit loco ſubſtantiæ panis, quæ erat illorum materia, & accidentia panis ſe habent inſtar formæ illius concreti & tamen nullus dixit hæc accidentia eſſe terminum formalem tranſubſtātiationis, ſeu conuerſionis Euchariſticæ; ergo terminus formalis nō eſt id, quod eſt forma, vel inſtar formæ 4

ſe

Digitized by Google

ſe habet termini totalis. Clariùs res cernitur in termino *à quo* huius conuerſionis in qua terminus *à quo* totalis eſt ſubſtantia panis cum ſuis accidentibus, & terminus *à quo* formalis eſt ſubſtantia panis, quæ deſinit eſſe, ſed ſubſtantia panis non erat forma, ſed materia termini *à quo* totalis, quia erat ſubiectum accidentium informantium ipſam panis ſubſtantiam: ergo non ſemper terminus formalis eſt forma termini totalis.

5 Docet inſuper idem P. Lugo & bene ſatis terminũ formalem eſſe illud, cui propriè, & immediatè applicatur mutatio illa, de qua loquimur, & ratione cuius reliqua denominantur ab illa mutatione. Idẽ clariùs: terminus formalis eſt ille, cui primariò, & per ſe applicatur nõ vt ſubiecto, ſed vt termino denominatio viæ, reſpectu cuius terminus inquiritur, & ratione cuius reliqua, quæ in termino totali includuntur denominationem illã participant. Sic cùm videmus parietem album dicimus hoc concretum *paries album* eſſe terminum totalem viſionis, in quo duo reperimus, albedinem, & parietem, paries viſus dicitur quia videtur color, non color quia videtur paries. Hinc colorem terminum formalem viſionis appellamus. Dixi ſuprà terminum formalem eſſe illum, cui tribuitur denominatio viæ tanquam termino, & non tanquam ſubiecto, quia non oportet denominari terminum eodem nomine, quo ſignificatur via, cuius eſt terminus, mutatio enim non denominat terminũ mutatum, neque conuerſio conuerſum, hæ potiùs denominationes ſubiecta quàm terminos reſpiciũt, terminus enim mutationis eſt id, in quod tendit mutatio, cuius denominationi ſimplex nomen non eſt impoſitum, ſicuti non eſt impoſitum nomen ad ſignificandam denominationem, quam accipit à conuerſione id, in quod conuerſio tendit. Ratio doctrinæ traditæ perſpicua eſt: forma dicitur, quæ dat eſſe rei in ratione talis vt diſtinctæ ab aliis eiuſdem ſpeciei; ideò terminus formalis dicitur, qui transfundit, & dat denominationem compoſito, quam recipit immediatè ex ipſa via, cuius eſt terminus. Ad quod attendi non debet an ſit forma an materia termini totalis. Sic contingit in principio formali actiuo, ſeu paſſiuo, quod non dicimus eſſe formam principij totalis, ſed illud, cui immediatè competit illa denominatio agentis; ſæpe enim materiam principij totalis formale principium actionis, ſeu paſſionis eſſe dicimus. Exempla ſunt obuia: totum compoſitum dicimus eſſe principium totale receptiuum operationum, & accidentium principium formale paſſiuum materiam appellamus, ratione cuius totum compoſitum accidentia recipere dicitur. Similiter dicimus hominem eſſe principium totale quantitatis quam in ſe continet, & intellectionum, quibus ſe exercet. Et principium actiuum formale quantitatis materiam eſſe dicimus, & formam appellamus principium actiuum intellectionum, ergo ſicuti principia actiua, & paſſiua formalia non deſumuntur ex eo, quod ſint forma, vel materia termini totalis; ſic terminus formalis deſumendus non eſt ex eo quod ſit forma terminis totalis, ſed ex eo, quod termino totali det denominationem illam, quam deſumit à via, ſeu reſpectu, quem terminat, & ratione cuius compoſitum denominatur tale.

6 Ex his rectè concludit P. Lugo: Generationem duplicem formalem terminum habere quatenus ſub duplici reſpectu, ſeu formalitate poteſt generatio concipi, & ſignificari. Generatio enim poteſt concipi quatenus eſt productio, & quatenus eſt inductio formæ in materiam, omnis enim generatio creata eſſentialiter inducit formam in materiam, & materiæ formam communicat tanquam ſubiecto informationis reſpectu eiuſdem formæ. Generatio, vt productio eſt, reſpicit tanquam terminum formalem vnionem, quæ ex vi illius exiſtit, & primò denominatur producta, & ratione illius totum compoſitum denominatur productum ab illo principio, quod produxit vnionem. Ex eo enim quod mea vnio efficienter à meo parente proceſſit, totus ego dicor ab illo procedens, & ab illo productus, & ita denominationem hanc producti à parente habeo ab vnione, quæ formaliter ab illo fuit producta, & denominationem hanc mihi toti compoſito eſt impertita, ſicuti albedo tribuit denominationem viſi toti parieti, qui viſus dicitur, & ita ſicuti albedo eſt terminus formalis viſionis, ita viſio eſt terminus totalis generationis quatenus generatio productio eſt. Generatio, vt inductio eſt, reſpicit tanquam terminum formalem formam termini totalis, ſeu geniti, non ipſam vnionem, quia per generationem non dicitur vnio inducta in materiam, ſed forma eſt, quæ formaliter inducitur, & denominatur inducta, & quæ terminat rationem formalem inductionis actiuæ imbibitæ in generatione. Sic etiam forma dicitur communicata materiæ tanquam ſubiecto ſiue inhæſionis, & informationis, ſiue informationis tantùm, & hac ratione terminus formalis eſt generationis vt eſt actiua communicatio formæ ſubiecto. Ex his terminus formalis reſurrectionis aſſignandus eſt, ſi enim reſurrectio ſumatur quatenus eſt reproductio, illius terminus formalis erit vnio, quæ ex vi illius iterum producitur. Si ſumatur reſurrectio quatenus reinductio, illius terminus formalis erit forma, quæ iterum inducitur: & ſic ſimiliter ſi ſumatur quatenus recommunicatio, illius formalis terminus erit forma, quæ iterum communicatur. Si reſurrectio ſumatur quatenus eſt reuiuificatio, illius formalis terminus non erit illud, quod viuificatum dicitur, quia viuificatio non reſpicit tanquam terminum viuificatum, hoc enim potiùs eſt ſubiectum, ſed terminus erit ipſa vita, ſeu anima, quia viuificatio eſt aſſumptio vitæ, & ita viuificatio erit reaſſumptio vitæ, illiuſque terminus erit vita quæ denominatur reaſſumpta, videlicet anima, quæ vita aſſumpta dicitur in prima hominis generatione, & reaſſumpta in reſurrectione.

In hanc doctrinam incidiſſe videtur Mag. Aug. tract. 4. 7
de Trin. qui rectè dixit generationem diuinam vt productionem reſpicere tanquam terminum formalem perſonalitatem Verbi productam, & vt communicationem naturam, ſeu intellectionem cõmunem Verbo communicatam, quæ optimè conſonant doctrinæ traditæ. Addit generationem Verbi formaliter vt proceſſionem tantùm reſpicere naturam communem, quam intendit Pater Filio communicare, & idem docet de proceſſione Spiritus ſancti, cui Pater, & Filius intendunt eamdem communicare naturam. Hanc vltimam partem exiſtimo non rectè cohærere cum præcedentibus, quia generatio Verbi vt generatio eſt adæquatè ſumpta includit productionem perſonalitatis, & communicationem naturæ; ergo ſi vt productio reſpicit tanquam terminum formalem Verbi perſonalitatem & vt communicatio naturam communem, vt generatio vtrumque terminum formalem reſpiciet. Huic etiam doctrinæ rectè conſonant rationes, quas adduximus pro ſententia Patris Soarez, & fundamentum, quo affirmat P. Vaſquez naturam eſſe terminum formalem incarnationis, quia id, quod intendebatur per incarnationem eſt Deum fieri hominem, ſeu naturam humanam aſſumi à Verbo, quod probat terminum formalem incarnationis quatenus eſt aſſumptio naturæ, eſſe naturam aſſumptam, quod ex doctrina tradita optimè deducitur. Neque contra id, quod de termino formali in communi, neque in hac ſingulari materia de Generatione tradidimus ex ſententia oppoſita poteſt quidquam obiici, quod mediocrem difficultatem generet.

Ex his pro aliis materiis terminus formalis cuiuſque 8
actionis facilè aſſignabitur, conuerſio enim Euchariſtica formaliter vt productio eſt, tanquam terminum formalem reſpicit vnionem corporis Chriſti, cum panis accidentibus, quæ formaliter ex vi illius producitur, & producta denominatur. Si verò ſumatur vt conuerſio, terminus formalis illius eſt corpus Chriſti, in quod panis conuertitur, quia licet corpus Chriſti non denominetur conuerſum, nihilominus illius terminus exiſtit, quia conuerſio non communicat denominationem conuerſi, termino *ad quem*, ſicuti productio dat illi denominationem producti, quia denominatio conuerſi eſt propria termini *à quo*, qui deſinit eſſe, vt dicam puncto venturo, n. 7. ſicuti denominatio mutati eſt dẽnominatio, non termini, ſed ſubiecti mutationis, & ſicuti terminus *ad quem* mutationis eſt id in quod fit mutatio, ita terminus *ad quem* conuerſionis eſt id, in quod fit conuerſio. Similiter incarnatio vt eſt productio reſpicit vnionem hypoſtaticam ex vi illius productam vt docebat P. Soar. ſi verò ſignificetur vt incarnatio, id eſt vt aſſumptio carnis, reſpicit tanquam formalem terminum naturam humanam nomine carnis ſignificatam, quam aſſumpſit Verbum, & quæ aſſumpta denominatur. Si verò incarnatio conſideretur quatenus perſonatio naturæ humanæ, & via media quâ Verbum ſuam perſonalitatem communicauit humanæ naturæ, illius terminus formalis erit Verbi ſubſiſtentia, quia hæc eſt quam Verbum naturæ humanæ communicat.

PVNCTVM

PVNCTVM V.

An Generatio ſit conuerſio.

1 AD hanc quæſtionem definiendam ſcire oportet quid ſit ſubſtantialis conuerſio, quid addit ſupra generationem, quomodo ab illa diſtinguatur.

§. I

Quid & quotuplex ſit conuerſio.

2 COnuerſio definitur ab omnibus Theologis atque Philoſophis, *tranſitus vnius rei in aliam*, ſub qua definitione comprehenditur illa, quam de generatione tradit Ariſtoteles, videlicet: *mutatio totius in totum*, &c. Latiùs tamen patet definitio conuerſionis, quàm definitio generationis ab Ariſtotele tradita, quia licet omnis mutatio totius in totum ſit conuerſio, non tamen omnis conuerſio eſt mutatio totius in totum in ſenſu ab Ariſtotele tradito, quia ad mutationem ab Ariſtotele intellectam in generationis definitione requiritur materia prima vt ſubiectum commune: ad conuerſionem verò, etſi aliquid requiratur commune termino *à quo*, & termino *ad quem*, non requiritur ad hoc commune eſſe materiam primam, aut aliquod ſubſtantiale ſubiectum. Dicit ergo generatio tranſitum vnius rei in aliam, qui tranſitus debet eſſe inter duos terminos poſitiuos, quorum vnus ſit terminus *à quo*, & alius terminus *ad quem* huius importat conuerſio poſitionem ſub aliquo communi vtrique termino, & illius depoſitionem. Itaque duplicem mutationem dicit eſſentialiter conuerſio, quamdam negatiuam, ex vi cuius deſinat eſſe terminus *à quo*, & aliam poſitiuam, qua denuò ponatur terminus *ad quem*. An verò deſitio termini *à quo* debeat eſſe ſecundùm ſubſtantiam termini, ita vt in rerum natura non permaneat, vel tantùm ſufficiat deſinere eſſe ſub modo aliquo, ſub quo antea erat, & poſitio termini *ad quem*, debeat eſſe per actionem productiuam termini, vel ſufficiat poſitionem fieri per actionem productiuam alicuius modi, ex vi cuius terminus *ad quem* incipiat exiſtere modo aliquo ſpeciali, quod antea non exiſtebat, dicam poſtea.

3 Requiritur etiam definitionem termini *à quo*, & poſitionem termini *ad quem*, non exiſtere tantùm comitanter, ſed deſitionem inferri ex poſitione, per repugnantiam ſpecialem, quam habeat terminus *à quo* cum termino *ad quem*. Vnde etiamſi in eodem inſtanti temporis, in quo ponitur lux in ſubiecto deſinat eſſe album, non dicemus album fuiſſe conuerſum in lucidum, neque fuiſſe tranſitum ex albedine in lucem, quia albedo deſinit eſſe ex poſitione lucis, nullam enim repugnantiam habent lux & albedo in eodem ſubiecto. Ex hac conditione alia ſuboritur eſſentialiter ad conuerſionem requiſita, videlicet dari aliquod tertium commune termino *à quo*, & termino *ad quem*, in ordine ad quod ſit terminorum repugnantia: illa enim quæ repugnant neceſſariò repugnant in ordine ad aliud, in ordine ad quod vnum aliud expellit, non enim poteſt dari expulſio, ni ſit expellens, & expulſum, & aliud tertium, *à quo* expellens expellit expulſum. Hoc commune non debere eſſe ſubiectum ſubſtantiale commune patet in conuerſione Euchariſtica, in qua tantum remanent accidentia communia termino *à quo*, & termino *ad quem* huius conuerſionis.

4 Conuerſio cum his requiſitis duplex eſſe poteſt, phyſica, & moralis: conuerſio phyſica eſt quando termini illius phyſici ſunt, & illorum oppoſitio, & repugnantia in entitate phyſica fundatur: talis eſt conuerſio, qua conuertitur lignum in ignem, cuius terminus *à quo*, & terminus *ad quem*, videlicet forma ligni, & forma ignis ſunt phyſicæ entitates, & per ſe ipſas opponuntur, & quælibet exigit per ſuam phyſicam entitatem alterius expulſionem. Verum eſt has formas in actu ſecundo non ſe phyſicè, ſed moraliter expellere, vt dicebam Controu. 8. Phyſic. Punct. 3. & illarum expulſionem dicere aliquid morale, videlicet Deum eſſe motum ab exigentia vnius ad ſubtrahendum concurſum, quo aliam conſeruabat, ex quo infertur conuerſionem eſſentialiter includentem expulſionem aliquid morale includere: verumtamen hanc conuerſionem phyſicam vocamus, quia expulſio moralis, quam includit, oritur ex phyſicis entitatibus phyſicè illam exigentibus, quod ſufficit vt conuerſio phyſica dicatur, alias nulla poſſet conuerſio phyſica appellari, quia omnis conuerſio includit expulſionem, & hæc ſemper eſt quid morale. Inſuper oportet conuerſiones huiuſmodi phyſicas dici, ad illas diſtinguendas ab aliis conuerſionibus, quas appellamus morales, & iam aſſigno. Conuerſio *moralis* eſt illa, in qua expulſio actualis termini *à quo* ex poſitione termini *ad quem* non fundatur in phyſica entitate terminorum. Hoc poteſt dupliciter contingere, vel quia termini, in quibus verſatur conuerſio phyſici non ſunt, ſed morales vt cùm quis ex inimico in amicum conuertitur, vel quia etſi termini phyſici ſint, tamen non habent oppoſitionem phyſicam fundatam præcisè in phyſicis ipſorum entitatibus, ſed in alio extrinſeco, ratione cuius moraliter opponuntur. Sic opponi exiſtimat P. Vaſq. 3. p. tom. 3. diſp. 184. c. 3. n. 24. corpus Chriſti poſitum ſub ſpeciebus panis ex vi verborum, cum ſubſtantia panis non præcisè ratione entitatis panis, qui deſinit, & corporis Chriſti, quod ponitur loco illius, ſed ratione veritatis verborum, ex vi quorum ponitur corpus Chriſti ſub panis ſpeciebus, quæ veræ non eſſent, ſi ibi permaneret ſubſtantia panis, ac proinde vt verificentur, requiritur vt eo ipſo quod corpus Chriſti ponatur, deſinat eſſe ſubſtantia panis ſub illis accidentibus, ex qua exigentia veritatis verborum, accreſcit corpori Chriſti exiſtenti ſub illis ſpeciebus quædam moralis repugnantia cum ſubſtantia panis exiſtente ſub illis ſpeciebus, ratione cuius verum eſt dicere, quia corpus Chriſti ponitur ſub his ſpeciebus, ſubſtantia panis deſinit eſſe ſub illis. Non diſputo modò de veritate exempli, nec definio an corpus Chriſti ſub his ſpeciebus phyſicam, vel moralem repugnantiam habeat cum ſubſtantia panis, ſed tantùm exemplo vtor ad naturam conuerſionis moralis explicandam.

Conuerſio phyſica duplex eſt, ſubſtantialis, & accidentalis. Conuerſio *accidentalis* eſt quando termini illius ſunt accidentales, vt cum lignum conuertitur ex calido in frigidum. Conuerſio *ſubſtantialis* dicitur quando illius termini ſubſtantiales ſunt, vt cum lignum tranſit in ignem. Rurſus conuerſio ſubſtantialis vulgò in tria membra diuiditur, in conuerſionem formalem, materialem, & vnius ſubſtantiæ in aliam adæquatam, & totalem. Conuerſio *formalis* eſt tranſitus vnius formæ in aliam ſub eadem materia. Conuerſio *totalis* eſt vnius totius in aliud totum. Hæc iterum duplex eſt; vna eſt totius in totum ſub eadem materia vt cum lignum tranſit in ignem, quæ non diſtinguitur à conuerſione vnius modi vnionis in alium; alia eſt conuerſio vnius totius in aliud totum ſecundùm omnia eſſentialia illius quæ fit ſub eiſdem tantùm accidentibus, & hæc omnium propriiſſima conuerſio & tranſſubſtantiatio dicitur. 5

Circa conuerſionem formalem docet P. Soar. tom. 3. in 3. p. diſt. 50. ſect. 2. in fine primi paragraphi, non eſſe inter formas ſed inter concreta, neque vnam formalem conuerti in aliam, v. g. albedinem in nigredinem, ſed album in nigrum. Conſentire videtur huic dicendi modo P. Lugo ſuprà, vbi dicit hanc denominationem conuerſi eſſe denominationem ſubiecti, & non termini, eúmque in his conuerſionibus fiat tranſitus vnius formæ in aliam, & vna forma ſe habeat tanquam terminus *à quo*, & altera tanquam terminus *ad quem*, id quod debet denominari conuerſum non debet eſſe forma, quæ eſt terminus *à quo*, neque forma, quæ eſt terminus *ad quem*, ſed ſubiectum ſeu terminus *à quo* materialis, videlicet lignum quod inuoluit ſuprà terminum *à quo* formalem illius ſubiectum, quod commune ſit vtrique termino formali *à quo*, & *ad quem*. Idem in mutatione contingit, quæ eſt tranſitus à priuatione ad formam, & id, quod mutatum dicitur, non eſt priuatio, quæ eſt terminus *à quo*, neque forma, quæ eſt terminus *ad quem*, ſed ſubiectum vtriuſque termini, quod tantùm dicitur mutatum. Doctrina hæc in conuerſionibus formalibus ſuſtineri poſſet, verumtamen in conuerſione totali vnius ſubſtantiæ in aliam, quæ tranſſubſtantiatio dicitur nullatenus ſuſtinendam eſſe puto, & difficile poterit diſparitas aſſignari in his conuerſionibus. Non poſſe ſuſtineri modum illum dicendi in conuerſione vnius ſubſtantiæ in aliam ſic probo: Terminus formalis *à quo* conuerſionis Euchariſticæ, qui deſinit eſſe, eſt ſubſtantia panis ſecundùm ſe totam: ergo ſi terminus *à quo*, qui deſinit eſſe non dicitur conuerſus, ſed tantùm purus terminus conuerſionis, non poterit dici ſubſtantiam panis conuerſam eſſe in corpus Chriſti, atqui eſt loquutio totius Eccleſiæ ſubſtantiam panis conuerti in corpus Chriſti: ergo illud quod deſinit eſſe, & quod eſt 6

terminus

Digitized by Google

terminus *à quo* conuerſionis dicitur conuerti in terminum *ad quem* Reſpondebis dici conuerti panem in corpus Chriſti non loquendo de ſubſtantia panis ſecundùm ſe præciſa ab accidentibus, ſed de ſubſtantia panis accidentibus veſtita, quam ſic accidentibus affectam vulgò nomine panis intelligimus. Neque ex eo quod negetur ſubſtantiam panis vt præciſam ab accidentibus dici conuerſam, ſed tantùm vt illis affectam, videtur ſequi aliquod abſurdum, quia abſolutè dicitur panem conuerti in corpus Chriſti, & in toto rigore defenditur dari conuerſionem inter ſubſtantiam panis, & corpus Chriſti, & deſinere eſſe quidquid pertinet ad ſubſtantiale conſtitutiuum panis, & ſuccedere loco illius corpus Chriſti ſub eiſdem panis accidentibus per veram & propriam conuerſionem: ergo etiamſi dicatur non dici conuerſam ſubſtantiam panis, quæ deſinit eſſe ſecundùm ſe præciſam, ſed concretum illud conſtitutum ex ſubſtantia panis, quæ deſinit, & ex accidentibus, ſub quibus exiſtebat nihil dicetur contra id, quod debemus ſentire de conuerſione Euchariſtica; ſentio nihilominus & conſtanter ſemper defendam dici formaliter conuerſam ſubſtantiam panis, quæ deſinit eſſe ſecundùm præciſam rationem ſubſtantiæ, quæ deſinit eſſe ex eo quod ponatur corpus Chriſti, & concretum illud compoſitum ex ſubſtantia quæ deſinit eſſe, & ex propriis accidentibus, quæ per conuerſionem communia fiunt termino *ad quem* ſuccedenti dici conuerſum quaſi materialiter ratione ſubſtantiæ quæ deſinit eſſe, quæ formaliter dicitur conuerſa. Huius rei nulla alia fortior ratio poteſt excogitari præter communem vſum loquendi, qui in quæſtionibus, quæ tantùm ſunt de modo loquendi, vim legis obtinet. Omnes enim Patres, atque Doctores aſſerunt vnam ſubſtantiam conuerti in aliam, & accidentia eſſe id, ſub quo fit ſubſtantiarum conuerſio. Et Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. hæc habet: *Quoniam Chriſtus corpus ſuum id, quod ſub ſpeciebus panis offerebat, verè eſſe dixit, ideò ſemper in Eccleſia Dei perſuaſũ fuit, idque denuò ſancta Synodus declarat, per conſecrationẽ panis & vini conuerſionẽ fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtãtiæ vini in ſanguinẽ eius.* Quibus verbis expendo non dixiſſe Concilium conuerſionem fieri panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem, ſicuti dixit conſecrari panem, & vinum, ſed fieri conuerſionem ſubſtantiæ panis & ſubſtantiæ vini in corpus & ſanguinem Chriſti, vt ſignificaret id, quod conuertitur & conuerſum dicitur, eſſe ſubſtantiam panis, & vini vt diſtinctam ab accidentibus. Inſuper Concilium non tantùm dixit fieri conuerſionem inter ſubſtantiam panis, & corpus Chriſti, ſed fieri conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, vt ſignificaret ſubſtantiam panis non ſolùm eſſe terminum conuerſionis, ſicuti priuatio eſt terminus mutationis, ſed eſſe id, quod dicitur conuerſum, quia in conuerſione id, quod eſt terminus *à quo* & quod deſinit eſſe dicitur tranſire in aliud, & in illud conuerti. Id clarè expreſſit Concil. Florentinum apud P. Soar. ſect. 1. §. *dico ergo*, per hoc verba: *Subſtantia panis in corpus, ſubſtantia vini in ſanguinem conuertitur.* Quibus verbis non dixit Concil. conuerti panem, & vinum, ſed conuerti ſubſtantiam panis, & ſubſtantiam vini, quæ formaliter deſinunt eſſe, & non concreta confecta ex ſubſtantiis, & accidentibus panis, & vini, quæ tantùm dicuntur conuerti ratione ſubſtantiarum, quæ formaliter conuertuntur, & quæ tranſeunt in corpus & ſanguinem Chriſti.

7 Concludo abſque omni dubio certiſſimum eſſe conuerſionem non tantùm reſpicere terminum formalem *à quo*, vt terminum, qui deſinit eſſe, ſed vt id, quod denominatur conuerſum, & vt ſubiectum denominationis formalis conuerſi. Ad illud quod de mutatione obiiciebatur, in qua terminus *à quo*, non dicitur mutatus, ſed tantùm ſubiectum, reſpondeo diuerſam eſſe naturam mutationis ſubiectiuæ, & conuerſionis; mutatio enim eſt tranſitus ex termino *à quo*, in terminum *ad quem*, non verò termini *à quo*, in terminum *ad quem*; generationem enim dicimus eſſe tranſitum ſubiecti ex priuatione in formam, & non dicimus eſſe tranſitum priuationis in formam; conuerſionem verò appellamus non ſolùm tranſitum ex vna ſubſtantia in aliam, ſed vnius ſubſtantiæ in aliam, & termini *à quo*, in terminum *ad quem*, & ita ex vi illius ipſum terminum *à quo*, tranſire dicimus, & conuerti, & conuerſum appellamus. In conuerſionibus formalibus fateor non eſſe adeò frequentem vſum dicendi vnam formam conuerti in aliam, ſed vnum concretum conuerti in aliud, ſæpe enim dicimus lignum fit ignis, & album fit nigrum, ratò autem, aut numquam forma ligni fit forma ignis, aut albedo fit nigredo, quibus loquutionibus innui videtur concretum ex formaliter termino, *à quo*, & ex illo quod remanet, & non formalem terminum *à quo* dici conuerſum. Nonnulli recentiores negant conuerſiones formales ſubſtantiales propriè eſſe conuerſiones, quod probant ex eo, quod vna forma non expellit aliam, ſed illam expulſam inuenit ex defectu diſpoſitionum, qui defectus ſupponitur ad introductionem formæ. Doctrinam hanc impugnaui in Phyſicis Controu. 9. Punct. 3. vbi probaui ex defectu diſpoſitionum formam ſubſtantialem non poſſe corrumpi, & adhuc ſi hic ſufficiens eſſet, vt corrumperetur, corrumpendam eſſe non ſolùm ex diſpoſitionum defectu, ſed propter formam contrariam aduenientem, à qua expelleretur. Secundò in formis accidentalibus, id dici nequit, quia cum diſpoſitiones non habeant, ex quarum defectu corrumpantur, certum eſt vnam immediatè aliam expellere, in quibus eadem eſt difficultas, cur non dicatur albedinem conuerti in nigredinem, & dicatur album in nigrum conuerti. Doctum alium Magiſtrum audiui aſſerentem conuerſiones formales propriè non eſſe conuerſiones, quia ad conuerſionem non requiritur vt remaneant accidentia, quæ ſint propria termini conuerſi, ſeu deſinentis, & quæ ita illum demonſtrẽt, aut ſignificent, vt naturaliter loquendo valeat, conſequentia ſunt hæc accidentia: ergo eſt propria illorum ſubſtantia, quod contingit in conuerſione Euchariſtica, & in nulla generatione naturali formæ ſubſtantialis, in qua etſi vna forma deficiat propter aliam aduenientem, forma, quæ deſinit nulla relinquit accidentia, quæ naturaliter non poſſint ſine illa conſeruari. Hic dicendi modus omnino gratis eſt excogitatus, quia omnes Scholaſtici conuerſionem agnoſcunt independentem ab his accidentibus naturaliter inſeparabilibus à termino conuerſo, quibus in hac re neceſſariò ſtandum eſt, in aliis enim, in quibus ex ipſa rei natura poteſt ratio deſumi, grauis aliqua inueniri poterit, quæ aliquando cogat recedere à communi ſententia, in hac autem quæſtione nulla ratione naturali poteſt definiri, quid ſit conuerſio, & ita numquam licebit recedere à communi Doctorum ſententia, quæ actionem his, vel his circumſtantiis affectam conuerſionem appellant, ſemper enim procedere debet diſputatio de actione illa, quam conuerſionem Doctores appellant, & tantùm licebit diſputare an illi conueniat conditio aliqua, in qua eſt opinionum varietas, vel quam Doctores non aſſignant tanquam conſtitutiuum conuerſionis, ſed tanquam quid illatum ex illius conſtitutiuo, tunc enim admiſſo conſtitutiuo, poſſum ego ratione naturali contendere ex illo non inferri conditionem aliam, nouum autem conſtitutiuum conuerſionis excogitare præter illud, quod Scholaſtici hucuſque conuerſioni aſſignauerunt nemini quantumuis docto fas eſt. Secundò omnes Doctores affirmant in nuptiis celebratis in Cana Galilææ aquam in vinum eſſe conuerſam, & mulierem Loth conuerſam eſſe in ſtatuam ſalis, in quibus conuerſionibus nullum accidens permanſit, quod terminum conuerſum, qui reliquit eſſe, argueret.

Reſpondeo in his conuerſionibus formalibus verè & propriè vnam formam tranſire in aliam, & in aliam conuerti, nihilominus vulgò non dici vnam fieri aliam, quia frequenter, & ferè ſemper de his formis loquimur, quatenus ſubſunt generationi & corruptioni, & quatenus continentur in potentia ſubiecti, & illud per inhæſionem, & informationem afficiunt, & quatenus totum ſubſtantiale conſtituunt, vel aliud perficiunt, & naturam ſubſtantiæ tanquam illius proprietates, & accidentia conſequuntur ratòque aut numquam de his formis quatenus ſubſunt conuerſioni mentionem facimus, quia de illis ſub hoc reſpectu ſtrictè Ariſtot. & antiqui Philoſophi non egerunt. 8

De materiali conuerſione rectè docuit P. Vaſquez 3. p. diſp. 184. num. 34. nullatenus contingere poſſe, quia licet poſſet vna forma ex vna materia in aliam tranſire, ex eo quod, quæ vnam materiam informabat nouam aliam informare inciperet, antiqua illa materia non deſineret eſſe, & ita non daretur tranſitus vnius materiæ in aliam materiam. Secundò etiamſi ex eo quod hæc forma materiam antiquam relinqueret, & nouam acquireret, materia antiqua deficeret, non ideo daretur materiarum conuerſio, quia vna non deficeret ex vi alius materiæ, ſed tantùm præciſè ex eo, quod formam antiquam amiſiſſet, & ad deſitionem materiæ antiquæ omnino nona materia impertinens eſſet. 9

Digitized by Google

§. II.

An ex vi conuerſionis debeat produci terminus ad quem.

10 PEr conuerſionem debere produci aliquid, ex vi cuius extremum illud quod conuertitur, conſtituatur ſub illo communi vtrique extremo, ſub quo fit conuerſio, eſt certum apud omnes, quia illud, in quod aliud conuertitur, debet poni ſpeciali modo, quo antea non erat poſitum ſub illo, ſub quo antea erat terminus conuerſus, ſed hæc poſitio non poteſt fieri quin illi termino contingat modus aliquis, ſiue ſit vnio, ſiue præſentia localis, ratione cuius dicat nouam habitudinem ad illud, quod remanſit ex termino conuerſo, ſiue ſint illius accidentia, ſiue ſubiectum, cui inhærebat: ergo neceſſariò producendus eſt talis modus, per aliquam nouam actionem, in qua ſita erit conuerſio. Difficultas eſt, an non tantùm debeat produci modus ille, ſed etiam terminus, ſeu extremum illud, in quod aliud conuertitur: verbi gratia, conuertitur ſubſtantia panis in corpus Chriſti, in hac conuerſione neceſſariò producitur modus aliquis, ratione cuius corpus Chriſti ſpecialem habitudinem habet ad accidentia panis, quam antea non habeant, ſiue modus iſte ſit præſentia localis, ſiue aliquid aliud ab illa diſtinctum, eſt difficultas an non ſolùm modus iſte, ſed etiam ipſum corpus Chriſti, in quod panis conuertitur debeat produci. Affirmant P. Soar. tom. 3. in 3. part. diſp. 10. & alij apud ipſum, quos ſequuntur P. Hurt. hic diſp. 1. ſect. 4. Arriaga diſp. 1. ſect. 3. ſubſect. 2. Per conuerſionem non neceſſariò producendum eſſe terminum in quem fit conuerſio, & in conuerſione Euchariſtica non dari actionem terminatam ad ſubſtantiam corporis Chriſti, ex vi cuius iterum reproducatur, affirmant Scotus, Altiſiod. Alenſ. Ocham. Ricard. Palud. Ferr. & Capr. & alij apud P. Soar. ſuprà. Eandem ſententiam defendit P. Vaſquez diſp. 181. à c. 6. & Hurt. Compl. tom. de Euchariſt. diſp. 9. de Euchariſt. diſp. 4. diffic. 9. quibus ego conſentio.

11 Probo actionem illam, ex vi cuius Chriſtus iterum producatur eſſe ſuperfluam: etiamſi in conuerſione Euchariſtica detur actio productiua terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, debet dari actio terminata ad modum, quo corpus Chriſti ſpecialiter eſt ſub accidentibus panis, ſed data hac ſecunda actione ſuperflua eſt illa prima, ex vi cuius reproducitur corpus Chriſti: ergo admittenda non eſt. Probo minorem: datâ hac ſecunda actione ex vi cuius producitur modus ille diſtinctus à ſubſtantia corporis Chriſti, & actione, ex vi cuius Chriſti corpus in Cælis conſeruatur, per primam actionem ſeclusâ illa ſecundâ reproductione eſt totum id, quod eſſet, ſi poneretur illa reproductio. ergo reproductio illa ſuperfluè ponitur, ſiquidem non aliquid ex parte termini reſultat, ratione cuius Chriſtus ſit ſub accidentibus panis aliquo ſpeciali modo, quo non eſſet, ſi illa non eſſet poſita. Confirmatur: actio diſtincta à termino ſemper intenditur propter terminum, qui ex vi illius exiſtit, ad quem ordinatur, & non propter ſeipſam: ſed illa actio in conuerſione non poteſt deſiderari, neque intendi propter terminum, qui eodem modo exiſteret illa actione ſecluſa: ergo non eſt cur ad conuerſionem deſideretur, ſed omnino ſuperflua, & impertinens eſt ad conuerſionem. Secundò, vt bene docet P. Vaſquez, ſecunda illa reproductio vt reproductio eſt corporis Chriſti ſecundùm ſubſtantiam habet eumdem terminum, ac habet actio prima productiua corporis Chriſti, ſed ex vi actionis primò productiuæ corporis Chriſti non deſtruitur ſubſtantia panis: ergo neque ex vi huius ſecundæ reproductionis habentis eundem terminum, quia corpus Chriſti ſecundùm ſe ſumptum ſecluſo modo ſpeciali, quem habet in Euchariſtia ſub accidentibus panis nullam habet oppoſitionem cum ſubſtantia panis: ergo ſubſtantia panis tantùm deſtruitur ex vi actionis, qua producitur modus ille ſuperadditus corpori Criſti: ergo in illa ſita eſt tota ratio conuerſionis, ſiquidem ex vi illius tantùm ſuppoſita actione primo productiua corporis Chriſti deſtruitur ſubſtantia panis, & ſub illius accidentibus ſpecialiter conſtituitur corpus Chriſti.

12 Reſpondet P. Soar. ſect. 4. iam citata, § *ſed vt hoc amplius.* Poſitâ actione productiuâ corporis Chriſti neceſſariam non eſſe actionem aliam ex vi cuius Chriſtus ſpecialiter conſtituatur ſub accidentibus, illiſque ſpecialiter præſens fiat, quia ſpecialem hunc modum habet Chriſtus ex vi illius reproductionis, ſicuti quando creatum fuit Cælum, ex vi illius actionis conſtitutum fuit in tali loco, quin alia noua actio daretur, ex vi cuius adduceretur ad illum locum, vt per ſe conſtat, quia adductio connotat rem adductam alibi præexiſtere. Aſſeritque illam præſentiam Euchariſticam intelligi poſſe reſultare ex ſubſtantia Chriſti proue nunc producta, vel ſicut in re facta intelligitur eſſe talis præſentia ſupra ipſam rem factam, ſic in hac ſecunda actione intelligi præſentiam propriam actionis, ex vi cuius Chriſtus habeat præſentiam Euchariſticam, ita vt ſicuti entitas actionis eſt fieri termini, ſic præſentia actionis ſit fieri præſentiæ termini, & hac ratione ſecunda hæc reproductio ratione ſuæ entitatis determinatur ad corpus Chriſti reproducendum tanquam fieri illius, & ratione ſuæ præſentiæ terminatur ad præſentiam Euchariſticam corporis Chriſti ſub accidentibus panis, & ita illa poſita neceſſaria non eſt alia actio, ex vi cuius Chriſtus ſpecialiter conſtituatur ſub accidentibus Euchariſticis.

Contra hanc doctrinam multa habeo mihi quidem valdè difficilia. Primò verum non eſt ex vi ſecundæ reproductionis terminatæ ad Chriſti corpus conſtitui ſpecialiter ſub accidentibus Euchariſticis, ſecluſo fieri diſtincto illius modi ſpecialis, ſiue hoc ſit præſentia ipſius actionis reproductiuæ Chriſti; ſiue actio alia adæquatè diſtincta. Ratio eſt manifeſta: fieri modi ſeu præſentiæ Euchariſticæ ſub accidentibus panis ſupponit exiſtentiam Chriſti ſecundùm ſe ſumptam tanquam ſubiectum modi illius: ſed actio terminata ad corpus Chriſti, etiamſi ſit reproductio, & ab ipſo Chriſto tanquam à principio actiuo procedat, non ſupponit exiſtentiam Chriſti vt ſubiectum talis actionis, aliàs non ſolum Chriſtus eſſet principium actiuum, ſed etiam paſſiuum ſuæ reproductionis: ergo fieri Chriſti vt reproducti, ſeu fieri, quod reproductio dicitur corporis Chriſti, diſtinguitur à fieri illius modi, ſiue tanquam actio ab actione, ſiue tanquam actio à ſuo modo, ſeu præſentia, vt ſecundo loco reſpondet Soar. ergo ex vi reproductionis ſecundùm eſſe reproductionis corporis Chriſti non conſtituitur Chriſtus ſpecialiter ſub accidentibus panis: Neque minus falſum eſt exemplum adductum à P. Soar. de productione Cælorum, nam prima ipſorum creatio fuit actio diſtincta ab actione, qua fuit producta prima ipſorum præſentia, hæc enim, vt primùm moti ſunt Cœli, periit, actio verò, qua primò ſunt creati, nunc eadem numero perſeuerat. Quod illa actio, per quam producta fuit prima Cælorum præſentia non ſit adductio, non probat non eſſe actionem diſtinctam à productione Cælorum, ſed Cælos non antea alibi extitiſſe, quia adductio vt bene docet Soar. connotat rem adductam alibi extitiſſe; eſt enim præſentia corporis in diuerſo loco ac antea habebat, & ita ſupra ipſam actionem dicit denominationem extrinſecam ex præſentia, quæ præceſſit reſpondentes alij ſpatio, & ita illa productio primæ præſentiæ, adductio diceretur, ſi Cæli tempore præcedenti alibi extitiſſent, quod abſque variatione huius actionis potuit contingere. Secundò falſum eſt præſentiam actionis eſſe fieri præſentiæ termini, præſentia enim actionis, & præſentia termini ſunt duæ entitates pertinentes ad idem prædicamentum *vbi*, fieri verò præſentiæ termini & ipſa præſentia termini ſunt duæ entitates, quarum hæc poſterior pertinet ad prædicamentum *vbi*, & illa prior ad prædicamentum Actionis: quod ſi reperiamus entitates pertinentes ad diuerſa prædicamenta ſub diuerſis rationibus formalibus, nullus conſtituit actionem à termino diſtinctam ſub prædicamento actionis; & ſub prædicamento *vbi*. Item efficaciùs: fieri præſentiæ termini ſubiectatur in eodem ſubiecto, in quo ſubiectatur præſentia cuius eſt fieri, ſeu terminùs illius, ſed illa præſentia ſubiectatur in termino actionis præcipuæ, videlicet in ſubſtantia reproducta: ergo in eadem debet ſubiectari fieri præſentiæ, ſed præſentia actionis ſubiectatur in ipſa actione, quam afficit: ergo præſentia actionis, & fieri præſentiæ termini habent diuerſa ſubiecta: ergo diſtinguuntur. 13

Vltimò admiſſa tota hac doctrina, probo neceſſariam non eſſe reproductionem terminatam ad exiſtentiam Chriſti, vt detur conuerſio panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Præſentia actionis eſt fieri præſentiæ termini, vt affirmat P. Soar. ergo poſitâ diuerſa præſentia actionis, erit diuerſum fieri præſentiæ termini: ergo ex eo præciſè, quod ponatur noua præſentia actionis, ponitur noua præſentia termini: ergo ad hoc vt Chriſtus ſpecialiter incipiat eſſe præſens accidentibus panis, neceſſaria non eſt 14

Digitized by Google

eſt noua illius productio, ſed noua præſentia ſuperaddita productioni antiquæ, quæ erit nouum fieri nouæ præſentiæ, ex vi cuius fiat Euchariſticè præſens, eadem enim actio productiua corporis Chriſti poterit habere plures præſentias quæ ſint plura fieri plurium præſentiarum corporis Chriſti, quibus definitiuè exiſtat in Euchariſtia, & in Cælis circumſcriptiuè. Rem declaro, & confirmo: poſitâ hac ſecundâ reproductione, quam ponit P. Soar. cum illa præſentia, quæ eſt fieri præſentiæ Euchariſticæ, actio illa ex vi cuius Chriſtus exiſtit in cælis, ſi per poſſibile, vel impoſſibile deficeret actio prima productiua Chriſti, non deficeret Chriſtus, quia ex vi huius ſecundæ productionis ſufficienter conſeruaretur, neq; deficeret vt exiſtẽs in Cælis, quia vt exiſtens in Cœlis tãtùm addit præſentiã diſtinctam ab ipſo vt exiſtente iu Euchariſtia, quæ ſuppoſita exiſtentia Chriſti in Euchariſtia exiſtet per actionem terminatam ad ipſam præſentiam cæleſtẽ ſine alia noua actione terminata ad corpus Chriſti, res enim exiſtens in hoc loco præcisè per actione nouam terminatam ad nouam præſentiam ponitur in alio loco ſine noua actione terminata ad exiſtentiam rei: ergo intelligitur ſubſtantia Chriſti corporis cum vnica tantùm actione termitata ad illius exiſtentiam, & cum pluribus actionibus terminatis ad diuerſas præſentias, quæ actiones terminatæ ad præſentias, ſint quaſi modificationes actionis terminatæ ad corpus Chriſti, vel proprij modi illius, vt vult Soar, qui aſſerit præſentiam actionis eſſe fieri præſentiæ termini exiſtentis in Cælis; & in Euchariſtia per veram conuerſionem; quæ non conſiſtet præcisè in actione terminata ad corpus Chriſti, ſed in actione ſic modificata, vt terminetur ad corpus Chriſti tali modo præſens in Euchariſtia: ergo ex eo, quod ita modificetur actio, qua primo Chriſtus fuit productus, dabitur conuerſio corporis Chriſti abſque eo quod detur noua actio, ſiquidem ex actione antiqua, & noua illius modificatione poteſt fieri concretum eiuſdem rationis, quo fit ex noua productione, & ex modificatione eiuſdem: hæc enim modificatio, quæ reproductioni ſuperadditur poteſt addi primæ productioni, quia prima productio, & ſecunda reproductio materialiter ſumptæ vt diſtinctæ ab hac modificatione eiuſdem omnino ſunt rationis, eundem formalem terminum reſpiciunt, & neutra poteſt habere rationem conuerſionis, quia vtraque terminatur ad nudam ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ per ſe ſumpta non dicit modum exiſtendi Euchariſticè, neque aliquam oppoſitionem cum ſubſtantia panis.

§. III.

An ex vi conuerſionis debeat deſinere terminus à quo.

15 PRæcipuum argumentum, quo nos impetunt aduerſarij in hunc modum procedit. Ad hoc vt detur conuerſio non ſufficit vt terminus *à quo* deſinat eſſe ſub illo, ſub quo fit conuerſio: ſed requiritur vt abſolutè deſinat eſſe, ita vt non maneat in rerum natura: verbi gratia, vt panis conuertatur in corpus Chriſti non ſufficit, quod panis deſinat eſſe ſub accidentibus, ſub quibus ponitur corpus Chriſti, ſed requiritur abſolutè vt panis ſimpliciter ſecundùm ſe deſinat eſſe, ita vt in rerum natura non permaneat; ergo requiritur vt terminus *ad quem* denuò producatur per nouam actionem ad illum terminatam, etiamſi terminus antea præextiterit. Reſpondent nonnulli ad conuerſionem panis in corpus Chriſti ſufficere per ſe loquendo ſubſtantiam panis non permanere ſub antiquis accidentibus, in quæ ſuccedit corpus Chriſti, neceſſariò tamen deſinere ſubſtantiam panis, quia eo ipſo quod remaneat ſine accidentibus nequit naturaliter conſeruari; ſicut alij de materia panis philoſophantur exiſtimantes ex vi conuerſionis formaliter tantùm per ſe deficere formam panis, & materiam conſequenter, quia materia non poteſt naturaliter conſeruari ſine forma. Contra hanc doctrinam vulgò obiicitur ſequi vnum corpus conuerti in aliud, quando illud è loco pellit, quia deſinit eſſe in illo loco, in quem ſuccedit corpus aliud, & ita poſſe dici hominem conuerti in beſtiam, quando ab hac illius locum occupare incipiente è loco pellitur. Hoc argumentum nullius eſt momenti, quia cum corpus è loco pellitur ab alio, nullum accidens corporis expulſi remanet, in quod ſuccedat corpus expellens, quia vbi intrinſeca expellentis, & expulſi ſunt realiter diuerſa, ſpatium imaginarium nihil eſt, & locus extrinſecus propriè non eſt accidens locati, quia eſt illi minis extrinſecus, & ita non datur conuerſio quando vnum corpus ſuccedit in locum alius, quia nihil illis commune datur.

Obiiciunt alij: Sequi corpus Chriſti conuerti in noſtram ſubſtantiam, & in ſubſtantiam vermis, quando corruptis accidentibus Euchariſticis deſinit eſſe ſub illis corpus Chriſti, & ſuccedit noſtra ſubſtantia, vel ſubſtantia vermis, quæ ſuccedit ſub illis accidentibus. Nonnulli apud P. Soar. diſp. 54. ſect. 3. in initio, non renuunt conſequentiam concedere: aſſerit tamen P. Soar. nequaquam concedendam eſſe, neque eſſe tutum in re tam graui ab antiquis Theologis recedere, eſſéque piorum aurium offenſiuum aſſerere Chriſtum conuerti in ſubſtantiam vermis, & in alias huiuſmodi ſubſtantias. P. Arriaga diſ. 1. ſect. 3. ſubſect. 1. ait ſe non magnum abſurdum videre in conſequentia admittenda, & non improbabiliter poſſe admitti, neque illius doctrinam inter viros doctos prolatam aliquid ſcandali allaturam; quod ſi gigneret, tantùm eſſet apud ignaros, qui ſi audirent Verbum diuinum poſſe vniri hypoſtaticè formæ leonis aliorúmve animalium, putarent hoc non ſine ingenti blaſphemia dici, quod tanquam verum defendit P. Soar. & communis Theologorum ſententia. 16

His non obſtantibus: ſentit Arriaga probabilius negari conſequens, quia videtur nullum eſſe accidens commune, ſub quo fiat conuerſio, accidentia enim panis non remanent quando ſuccedit forma alia recedente corpore Chriſti, accidentia quæ formam illam ſequuntur, non fuerunt in Chriſto, qui potius recedit, quia veniunt talia accidentia: ergo conuerſio hæc corporis Chriſti in noſtram ſubſtantiam non fit ſub accidentibus panis, neque ſub accidentibus formæ aduenientis: ergo ſub nullo communi accidenti cum in ſententiâ Arriagæ quantitas diſtincta ab alijs accidentibus non admittatur. Diſplicet maximoperè ſolutio, quia quando ſuccedit forma vermis, etſi deficiat aggregatum illud accidentium, ſine quo forma panis non poteſt naturaliter conſeruari, non tamen deficit omne accidens, ita vt nullum permaneat ex his, quæ aggregatum illud conſtituebant, ſunt enim plura accidentia, quæ remanent in quocumque genito ex his quæ præceſſerunt in corrupto præcedenti, & ſic producta ſubſtantia vermis remanebunt plura accidentia ex his, quæ conſtituebant temperamentum Panis, ſub quibus loco panis erat corpus Chriſti: ergo ſi ex alio capite non obſtaret, poſſet ſub his accidentibus fieri conuerſio. Secundò quouſque deficiat temperamentum requiſitum vt naturaliter ſub illo poſſet conſeruari forma panis, non recedit corpus Chriſti, ſed antequam deficiat hoc temperamentum, deficiunt alia accidentia, quæ ad perfectum panis temperamentum pertinebant, licet ſine illis poſſet conſeruari forma panis, loco quorum ſuccedunt alia, quæ incipiunt diſponere ad formam venturam, quando recedit corpus Chriſti, quæ remanent adueniente ſubſtantiâ compoſiti venturi: ergo ſub his etiam poſſet fieri conuerſio, ſi ex alio capite non obſtaret. Tertiò temperamentum panis in aliquibus gradibus cuiuſuis ex quatuor qualitatibus conuenit cum temperamento cuiuſuis compoſiti venturi recedente corpore Chriſti: ergo gradus illi communes temperamento panis, & temperamento compoſiti venturi iidem perſeuerabunt recedente corpore Chriſti, & adueniente alio compoſito: ergo ſub illis poſſet fieri conuerſio, ſi ex alio capite non repugnaret. 17

Quidquid ſit de abſurdo conſequentis ego conſequentiam negarem, etiamſi concederem ad conuerſionem non requiri abſolutam deſitionem termini à quo, aſſererémque Chriſti corpus non conuerti in formam aliti ſpeciebus Euchariſticis, quia Chriſti corpus non deſinit eſſe ſub ſpeciebus ex aduentu formæ aliti, ſed ex defectu accidentium panis, quibus eſt annexa præſentia Euchariſtica, & ita præcisè ex eo quòd hæc deficiant deficit corpus Chriſti; ita vt prius ſit introduci diſpoſitiones aliti, poſterius deficere diſpoſitiones panis (loquor de prioritate, & poſterioritate naturæ, hæc enim omnia in eodem temporis inſtanti contingunt) deinde deficere corpus Chriſti, & poſtea creari materiam, in quam introducenda eſt forma aliti, & vltimò formam hanc introduci. Hac ratione corpus Chriſti non deſinit ex vi ſubſtantiæ aduenientis, quia ante illam ſupponitur non exiſtens Euchariſticè ſub illis accidentibus, & ita non poteſt dici conuerti in ſubſtantiam aduenientem, quia de ratione illius, quod conuertitur 18

Digitized by Google

eſt deſinere eſſe ſub accidentibus, aut ſubiecto communibus ratione illius in quod conuertitur. Contra hanc ſolutionem ſtatim ſe offert doctrina tradita Controu. 8. Phyſ. punct. 3. vbi dixi formam ſubſtantialem expellendam eſſe à ſubiecto non ſolùm ex defectu diſpoſitionum, etiamſi ab illis dependeret in conſeruari, licet talis defectus ſupponatur ad formam contrariã, & ex ſe ſufficiens eſſet ad inferendam negationem formæ, ſed etiam ratione formæ contrariæ, à qua ſimul & à defectu diſpoſitionum, qui eſſet prior illa, procederet expulſio formæ præexiſtentis: ergo eadem ratione in noſtro caſu dicetur, etiamſi defectus accidentium panis ſufficiens ſit vt ex vi illius tantùm recedat corpus Chriſti ſeu deſinat eſſe Euchariſticè, non deſinere eſſe præciſè ex defectu accidentium, ſed ratione huius defectus, & ratione ſubſtantiæ aduenientis incompoſſibilis cum corpore Chriſti Euchariſticè exiſtentis, & ſufficientis illud ab his accidentibus expellere. Reſpondeo: diſparem eſſe rationem, quia forma, quæ alij ſuccedit non ſupponit illam expulſam prioritate naturæ, neque illius introductio dependet ab illius expulſione tanquam ab aliquo antecedenti, quia etſi ſit incompoſſibilis cum illa ſufficiens eſt illam expellere, & ita non illam expulſam ſupponit. In noſtro verò caſu dici poteſt ſubſtantiam ſuccedentem corpori Chriſti non habere virtutem ad expellendum corpus Chriſti ab illis accidentibus, ſed neceſſariò illud ſupponere expulſum. Ratio autem, quæ me mouet ad aſſerendum ſubſtantiam aduenientem neceſſariò ſupponere negationem corporis Chriſti ſub illis accidentibus hæc eſt. Deus conſeruat Chriſtum ſub accidentibus panis, & non producit ſubſtantiam panis dum accidentia perſeuerent, etiamſi accidentia exigant productionem ſubſtantiæ panis: ergo Deus conſeruat Corpus Chriſti Euchariſticè exiſtens independenter ab exigentia cauſarum naturalium reſpectu ſubſtantiæ incompoſſibilis cum illo: ergo illud conſeruabit & illam ſubſtantiam incompoſſibilem non producet, etiamſi illius diſpoſitiones eiuſdem ſubſtantiæ productionem exigant: ergo nunquã corpus Chriſti poterit expelli ab aliqua ſubſtantia, quia etſi quæcumque adueniens eſſet incompoſſibilis cum illo, & illud expelleret ſi produceretur, tamen produci nequit donec ſupponatur Chriſtus non exiſtens ſub illis accidentibus, quia Deus Chriſtum ſic Euchariſticè exiſtentem conſeruat independenter ab exigentia formæ contrariæ, ſicuti ſi Deus decreuiſſet conſeruare calorem in hoc ſubiecto independenter à forma contraria frigiditatis, frigiditas non poſſet calorem expellere, neque introduci in ſubiectum caloris ſicuti de vnione hypoſtatica multi affirmant reddere Chriſti humanitatem impeccabilem, quia in ſenſu compoſito incompoſſibilis eſt vnio cum peccato, & peccatum non poteſt illam ab humanitate diuidere, quia Deus illam conſeruat independenter à quocumque contrario. Itaque dicendum Deum conſeruare modum Euchariſticum corporis Chriſti ſub accidentibus panis tantùm dependenter ab exiſtentia horum accidentium, & independenter ab omni alio, & ita tantùm ex defectu accidentium deficere poterit, & non ex defectu aliùs ſubſtantiæ, neque aliqua incompoſſibilis cum hoc modo exiſtendi produci poterit, ſi priùs natura non ſupponatur ad illius productionem negatio modi, ex vi cuius Chriſti corpus Euchariſticè exiſtit.

19 Hæc dixi, vt oſtenderem inferendum non eſſe Chriſti corpus recedens ab accidentibus conuerti in ſubſtantiam ſuccedentem, etiamſi non requiratur terminum *à quo* deſinere eſſe ſecundùm ſubſtantiam, ſed tantùm ſub ſpeciali modo aliquo, nihilominus omnino verum exiſtimo terminum *à quo* conuerſionis ſecundùm ſuam ſubſtantiam debere deſinere eſſe, ita vt non ſolùm non exiſtat modo, quo antea exiſtebat, ſed neque in rerum natura permaneat aut exiſtentiam habeat. Quia ſi dicatur ſufficere ad conuerſionem panis in corpus Chriſti, ſubſtantiam panis non exiſtere ſub accidentibus panis, difficilè poteſt ratio reddi propter quam ſubſtantia panis in rerum natura non permaneat, dicere autem ſubſtantiam panis abſolutè non deſinere eſſe nefas eſt. Quod enim dicitur ſubſtantiam deſinere eſſe, quia manet ſine accidentibus, ſine quibus non poteſt conſeruari difficile eſt, quia ex eo quod ſubſtantiæ deficiant accidentia, quæ ſunt illa poſteriora, & ab ipſa dependent, non videtur defecturam ſubſtantiam, quia, quod eſt prius non deficit ex defectu illius, quod eſt poſterius. Neque materia prima ex defectu horum accidentium, neque ex defectu formæ panis ſubſtantialis deficeret, quia vt dicebam Contr. 2. Phyſ. punct. 7. materia ſine forma conſtituta peteret naturaliter conſeruari. Vide quæ de hac re, & dependentia à poſteriori ſcripſi. Ratio à priori eſt quia terminus *à quo* tranſit à ſe ipſo in terminum *ad quem*, & illud, quod erat terminus *à quo*, verbi gratia, panis, fit corpus Chriſti, quod eſt terminus *ad quem*. Conuerſio enim eſt tranſitus non ſolùm ex vno in aliud, ſed vnius in aliud: verbi gratia, non eſt tranſitus ex vno ſubiecto in aliud, ad quod ſufficeret relinquere hoc ſubiectum, & aliud acquirere, ſed vnius in aliud, hoc eſt ex eadem entitate quæ tranſit, quæ ſe ipſam reſpicit tanquam terminum *à quo*, quem relinquere debet, illud enim *à quo* fit tranſitus relinquendum eſt, nihil enim tranſit ab illo, in quo perſeuerat, non poteſt autem ſe ipſum relinquere niſi per deſitionem ſui, dum enim perſeueret in ſe ipſo, & quaſi ſecum erit, & ita non dicetur à ſe tranſiſſe, terminus autem *ad quem* non eſt illud à quo fit tranſitus, & ita ſufficiet vt terminus *à quo* fiat terminus *ad quem*, quin ipſe terminus *ad quem* fieri incipiat, quia vt hoc fiat aliud non requiritur, illud aliud tunc fieri, ſed in illud, ſiue tunc, ſiue antea factum tranſire, quod conuerti, & fieri dicitur. Itaque ſubſtantia panis relinquit ſeipſam, & quaſi acquirit aliquid diſtinctum à ſe, in quod tranſit, & quod fit; vt autem ſe ipſam relinquat neceſſum eſt relinquere ſuam exiſtentiam, vt autem quaſi acquirat aliquid diſtinctum à ſe non requiritur illud diſtinctum tunc produci, poteſt enim illud, quod iam diu productum eſt nunc acquiri.

Rurſus obiicitur ex modo loquendi Patrum aſſerentium corpus Chriſti fieri, produci, vel creari in conuerſione Euchariſtica. His teſtimoniis rectè reſpondet P. Vaſquez, Patres nihil aliud ſignificare voluiſſe, quam virtute verborum ſubſtantiam panis, & vini tranſire in corpus Chriſti: ratione enim conuerſionis corpus Chriſti conſtituitur in hoc Sacramento, ac ſi denuò crearetur. Inſtat Hurtad. ex proſa Miſſæ dicente: *Fitque ſanguis Chriſti merum*, quæ propoſitio eſſet falſa, & inepta, ſi corpus Chriſti non fieret per nouam actionem. Siniſtrè propoſitionem hanc interpretatus eſt Hurtad. quia in illa verbum *fieri*, ſeu participium *factũ*, in illo incluſum non prædicatur de ſanguine, ſed de mero, & propoſitio debet conſtrui, merũ fit ſanguis Chriſti, ac proinde ſi verbum *fieri*, ſeu illius participium importaret actionẽ terminatã ad ſubiectũ, de quo prædicatur potius deberet inferre Hurt. verbũ *fieri* importare actionẽ terminatam ad merũ, quàm ad ſanguinẽ Chriſti, quod abſurdũ eſt ſi intelligatur de vera actione poſitiua: ſenſus ergo propoſitionis eſt: merũ fit ſanguis Chriſti: *El vino ſe à hecho ſangre de Chriſto*, hoc eſt deſinit eſſe in Chriſti ſanguinem. 20

Vltimò obiicitur: ſi per conuerſionem Euchariſticam non producitur corpus Chriſti, ſed tantùm ponitur ſub ſpeciebus, ſequitur conuerſionem Euchariſticam non eſſe ſubſtantialem, quia tantùm eſt quædam præſentatio, ſeu adductio corporis Chriſti per nouam præſentiam localem ſeu vnionem accidentalem ad accidentia panis, quomodocumque hæc vnio conſtituatur, ad quem tantùm terminabitur conuerſio, ac proinde non erit ſubſtantia, ſed accidens. *Reſp.* conuerſionem dicere oppoſitionem inter terminum *à quo* & terminum *ad quem*, quæ oppoſitio ſubſtantialis dicitur ex eo quod inter terminos ſubſtantiales verſetur, ex vi enim illius vna ſubſtantia immediatè tranſit in aliam, quod eſt conuerſionem eſſe ſubſtantialem, & terminari ad ſubſtantiam formaliter vt conuerſio eſt, quia conuerſio vt conuerſio formaliter reſpicit tanquam terminum formalem illud, in quod fit conuerſio, licet materialiter ſumpta, vt productio eſt reſpicit accidens, videlicet modum illum, ſeu præſentiam localem, ex vi cuius Chriſtus exiſtit ſub panis accidentibus, vt ex P. Lugo dicebam puncto immediatè præcedenti, ſed dicit P. Soar. ſuprà aliud eſſe conuerſionem eſſe ſubſtantiarum, aliud eſſe ſubſtantialem? conuerſionem eſſe ſubſtantiarum dicit ex vi illius vnam ſubſtantiam conuerti in aliam, eſſe verò ſubſtantialem dicit reſpicere tanquam terminum formalem ſubſtantiam, quem non reſpicit conuerſio Euchariſtica, ſi ex vi illius non producitur Chriſti corpus, ſed tantùm modus ille accidentaliter exiſtendi ſub ſpeciebus panis. *Reſp.* terminũ formalem *à quo* conuerſionis eſſe illud, quod conuertitur, & quod deſinit eſſe, & terminum formaliter *ad quem* conuerſionis vt conuerſionis eſſe illud, in quod aliud tranſit, & in quod conuertitur, vt dicebam puncto præcedenti, ac proinde eo ipſo quod conuerſio eſt ſubſtantiarum, & ex vi illius vna ſubſtantia in aliam conuertitur, 21

reſpicit

Digitized by Google

reſpicit vnam ſubſtantiam tanquam terminũ *à quo*,& aliam tanquam terminum *ad quem*, & eſt conuerſio ſubſtantialis, quia formaliter vt conuerſio eſt terminatur ad ſubſtãtiam, neque conuerſio ex alio capite poteſt dici ſubſtantialis niſi quia ad ſubſtantiam terminatur,ſicut actio ſubſtantialis dicitur, etſi entitatiuè ſit accidens, ex quo ad ſubſtantiam terminatur. Inſtabis:cõuerſio vt productio eſt terminatur ad modum illum accidentalem, & non ad ſubſtantiam ſecundum ſententiam traditam:ergo non eſt ſimpliciter ſubſtantialis.Retorqueo argumentum:conuerſio etſi ſit productio corporis Chriſti in ſententia P. Soar non tantùm terminatur ad corpus Chriſti ſecundùm ſe, ſed ad corpus Chriſti ſub illo modo exiſtenti ſub ſpeciebus Euchariſticis; ergo non ſolùm reſpicit tanquam terminum ſubſtantiam corporis Chriſti ſed modum illum accidentalem;ergo terminatur ad accidens,ergo accidentalis dicetur. Reſp.conuerſionem dici ſubſtantialem ex eo quod formaliter,vt cõuerſio eſt terminatur ad ſubſtantiam, etiamſi materialiter vt productio eſt,modũ accidẽtalem reſpiciat vt terminum.

§. IV.

Totius difficultatis reſolutio.

12 EX dictis de natura conuerſionis, & de illius proprietatibus facile erit definire, quomodo generationi ratio conuerſionis contingat, & in quibus generationibus intercedat conuerſio. Primò certum eſt de conceptu generationis conuerſionem non eſſe, quia generatio non dicit corruptionem formæ, neque alicuius entitatis habentis oppoſitionem cum termino formali, aut totali generationis,neque dicit materiam primã,aut aliquod accidẽs, quod terminum genitum afficiat præceſſiſſe in aliquo termino, qui ex vi generationis deſinat eſſe,quæ eſſentialiter requiruntur ad rationem conuerſionis vt dictum eſt. Secundò certum eſt etiam non omnem conuerſionem eſſe generationem,quia etiamſi quidquid eſt in ſubſtãtia panis & modus vnionis inter materiam,& animam humanitatis Chriſti crearentur,ac proinde totũ corpus Chriſti compoſitum ex materia & forma eſſet creatum, ſubſtantia panis conuerteretur in corpus Chriſti abſque vlla generatione adhuc præexiſtente, quæ reſpiceret terminos conuerſionis, neque aliquid ad illorum conſtitutionem ſpectans & in ſubſtantiis creatis certum eſt poſſe dari conuerſionem ſub aliquibus accidentibus communibus,etiamſi nulla intercedat ipſorum generatio. Itaque generatio & conuerſio mutuo exceduntur,dantur enim generationes, quæ conuerſiones non ſint, & conuerſiones, quæ non ſint generationes, licet aliquando in eamdem mutationem confluat generationis & conuerſionis ratio.

13 In generatione compoſitorum, quorum formæ materiales ſunt,regulariter duplex reperitur conuerſio, conuertitur enim forma corrupta in formam genitam conuerſione formali, quæ propriè eſt conuerſio vt dicebam ſuprà, & conuertitur totum genitum in totum corruptum, quia ex vi totius geniti deſinit eſſe totum corruptum, & vtrique eadem eſt materia communis. Conuerſio hæc totius in totum non diſtinguitur à conuerſione vnionis in vnionem, quia non alia ratione totum genitum ponitur in rerum natura, neque deſtruitur totum corruptum, niſi quatenus deſtruitur vnio huius, & illius vnio producitur. In morte hominis, & generatione cadaueris, etſi vnum totum conuertatur in aliud, non tamen vna forma in aliam conuertitur, quia rationalis anima non deſinit eſſe ſecundùm ſe, etiamſi producatur forma cadaueris, & introducatur in materiam, quam ante informabat rationalis animus, ac proinde non poteſt eſſe terminus *à quo* conuerſionis,neque in formam cadaueris conuerti,quia terminus *à quo* conuerſionis,qui in terminum *ad quem* conuertitur,debet deſinere eſſe ſecundùm ſuam entitatem,& in rerum natura non permanere, anima autem rationalis ſeparata à materia verè exiſtit, & permanet in rerum natura. In hominis generatione duplicem conuerſionem reperio totius corrupti in totum genitum videlicet hominem, & conuerſionem formalem formæ embryonis, aut aliùs quæcumque ſit, quæ præcedat rationalem animũ,in ipſum rationalem animum. Priorem conuerſionem admittit communis ſententia: poſteriorem hanc negat Hurt. diſp.1. ſect.4. tum quia anima rationalis non educitur ex potentia materiæ, tum quia non opponitur cum forma præcedenti ratione ſui, ſed ratione vnionis. Neutra ratio me mouet: non prior; quia ad conuerſionem non requiritur terminum in quem ſit conuerſio educi ex illo, ſub quo fit conuerſio, poſſunt enim conuerti illa,quæ per ſe creantur, vt dicebam ſuprà,neque requiritur terminum *ad quem* produci ex vi conuerſionis vt nuper probabam. Poſterior ratio non mihi maioris ponderis eſt, quia vt probaui Contr.8. Phyſ. punct.3. forma media vnione opponitur cum aliâ non ſolùm vt vnitâ, ſed vt eductâ, & ita anima rationalis vt vnita non ſolùm immediatè deſtruit vnionem formæ embryonis,& conſequenter ipſam formam,quæ ſine hac vnione non poteſt conſeruari, ſed immediatè opponitur cum ipſa forma, vt educta, & exigit ne vlteriùs educatur, quod eſt exigere ſuſpenſionem influxus, quo conſeruatur. Ad illud,quod dicit Hurt. formam rationalem non opponi per ſe ipſam,ſed per vnionem: Reſpondeo animam rationalem per ſe ipſam eſſe deſtructiuam in actu primo formæ embryonis, indigere tamen vnione tanquam cauſalitate requiſita vt in actu ſecundo illam deſtruat, ſeu in actu ſecundo hic & nunc exigat illius deſtructionem, ſicuti forma educta media eductione tanquam cauſalitate, ſeu applicatione exigit deſtructionem formæ oppoſitæ, quam non exigeret, ſi non educeretur, nihilominus dicimus per ſe ipſam immediatè opponi cum alia.Ex his argumentum deſumitur ad probandum in generatione hominis, & corruptione embryonis reperiri omnes conditiones requiſitas, vt dicatur formam embryonis conuerti in animam rationalem, quia aduenit anima rationalis per incompoſſibilitatem, quam habet cum illa, & vtrique eſt ſubiectum commune. Neque obeſt animam rationalem non produci in generatione hominis, quia neceſſum non eſt, ex vi conuerſionis produci terminum *ad quem* conuerſionis.

PVNCTVM VI.

De generatione viuentium.

THeologi omnes cum Doctore Angelico 1. part. quæſt. 1
27. art. 2. viuentium generationem definiunt: *Origo viuentis à viuente à principio coniuncto in ſimilitudinẽ naturæ*, quæ definitio videtur deſumpta ex Ariſtot. variis in locis: nam 8. ethic.cap.12.dixit genitum debere eſſe coniunctum generanti: debere autem eſſe in ſimilitudinem naturæ docuit idem Philoſophus 2. de anima cap.4.tex.34.& 7.Meta. cap.8.tex.28. & 1.de Gener.animalium cap.1. Addit Maior in 1. diſt.13. quæſt. 1. Generationem hanc debere eſſe à viuente cognoſcente ſe, vt hac ratione plantæ excludantur à vera generatione, ſiquidem vna arbor aliùs arboris filia non dicitur. Conſentit P. Vaſquez diſput.113. cap.2. num. 6. Diſſentiunt alij plurimi Doctores cum recentiorum manu. Cæterùm nomen *filij* tantùm tribui viuentibus, quæ ab aliis cognoſcitiuis procedunt citra controuerſiam eſt, actualem verò cognitionem ad hanc filiationem in principio, à quo procedit neceſſariam non eſſe, fruſtra quiſquam negabit, nullus enim dicet prolem procreatam à fœmina dormiente in inſtanti, in quo ſemen virile recepit, & proprium decidit, & in inſtanti in quo exercetur actio productiua ipſius prolis rationem filiationis non trahere à tali fœmina, & hanc propriè matrem non eſſe. His poſitis vix aliquid poteſt circa rem in quæſtionem verti, quod vltra nomen procedit. Certum enim eſt arbores non dici filias, an verò hoc procedat ex eo, quòd cognoſcitiuæ non ſint arbores, quæ aliarum ſunt principia, vel ex aliis peculiaribus circunſtantiis quæ reperiuntur in generationibus ſenſitiuorum, & non in generationibus viuentium quæ tantùm ſe nutriunt, incertum eſt, non enim poteſt certò ſciri, quã ratione apud maiores noſtros inualuit vſus non tribuendi filiationem viuentibus, quæ à purè ſenſitiuis procedunt. Coniector ego arboribus, & plantis vulgo filiationem denegatam fuiſſe, quia regulariter vix ſpecialem aliquam ſimilitudinem ſenſibus perceptibilem habet planta, ſeu arbor cum principio, à quo fuit producta, quam non habeat cum aliis plantis, ſeu arboribus eiuſdem ſpeciei, & cum de ratione filij ſit ſimilitudo, hinc fit, vt illis, in quibus vulgus vix aliquam ſimilitudinem agnouit, filiationis proprietatem non impertiatur. Neque refert minorem habere ſimilitudinem equam cum aſino, & nihilominus aſini filiam dici, quia hoc peculiare eſt in vna vel altera ſenſitiuorum monſtroſa generatione, & pro omnibus idem loquendi modus eſt inſtitutus.

Digitized by Google

inſtitutus. Cæterùm etſi ad denominationem filij ſecundum frequentem loquendi modum requiritur principium generationis cognoſcitiuum eſſe, adhuc lis eſt, an generatio vnius arboris ex alia, ex vi cuius arbor genita filia non euadat, comprehendatur ſub definitione viuentis ſuprà tradita, aliud enim eſt arborem genitam filiam eſſe, aliud genitam ſpeciali viuentis generatione, quam Philoſophi, & Theologi definiunt, poteſt enim dici generationem viuentis purè nutritiui eſſe propriiſſimam viuentis generationem, & ex vi illius terminum genitum filium non euadere, quia latius patet eſſe genitum propria viuentium generatione, quam eſſe filium. Sentio arbores, etſi filiæ non dicuntur propriè dici genitas ſpeciali viuentium generatione à Doctoribus definita, quia illarum productioni optimè quadrant omnia, quæ definitione ſpecialis generationis viuentium exprimuntur, vt illius explicatione notum fiet.

2 Per particulam, *origo viuentis à viuenti*, excluduntur reliquæ generationes, quæ à viuentibus non procedunt, excluditur etiam nutritio, quæ non eſt vnius viuentis ab alio viuenti diſtincto, quod important verba illa, *viuentis à viuente*: ly, *à principio coniuncto* ſignificat aliquid generationis debere eſſe in genito, & quidem non emortuo modo, ſed vitali. Qua ratione ſemen dicitur à viuente modo vitali ab eodémque elaboratur: ob defectum huius conditionis productio Adami generatio non fuit, à nullo enim principio coniuncto proceſſit, neque productio Euæ etſi ex Adami coſta, quia eam non vitaliter ſubminiſtrauit Adã, neque per illam efficienter ad productionem Euæ concurrit. Ob hanc rationem poſſent etiam excludi ab hac definitione generationes viuentium non ſenſitiuorum, quia arbor non viuo modo, ſed emortuo ſemen miniſtrat, vt illo arbor alia procreatur, illud enim non actiuè à ſe decidit, neque propria virtute intra terram collocat, quæ veluti mater ſemen arboris foueat, & illo adiuta aliam concipit, & parturit arborem. Nihilominus adhuc ſtandum eſt dictis, & dicendum generationem arboris generationem eſſe viuentis ſpecialiter ſumptam, quia etſi arbor non vitaliter à ſe decidat ſemen, & collocet intra terram, vitaliter tamen illud elaborat cum virtute productiuą alius arboris, vt ex illo non ſolùm tanquam ex principio paſſiuo, ſed etiam tanquam à principio arbor alia procreetur, quod reſpectu Euæ non habuit Adami coſta, quia hæc in Adami ſtructuram, & non in Euæ procreationem elaborata fuit, neque actiuam virtutem habuit Euam producendi. Neque deciſio illa vitali modo videtur requiri ad rationem generationis, quia ſi dæmonis arte nullo viri concurſu ſemen ab illo eſſet extractum, & incluſum intra feminæ matricem, procreatio fœtus vera eſſet viuentis generatio, etiamſi vitalis alia deciſio, & communicatio principij coniuncti non præceſſiſſet. Exiſtimo tamen hanc vitalem ſeminis deciſionem per actiuum maris feminæve concurſum, & eiuſdem elaborationem cum diſpoſitionibus requiſitis, vt ex illo ſaltem tanquam ex materiali cauſa proles educatur, abſque alio concurſu actiuo præſtito à principio decidente ſemen, vel ab ipſo ſemine ſufficere, vt prolis procreatio ſpecialis viuentis generatio dicatur, & terminus ex vi illius reſpectu ſui principij filiationem contrahat; quia de ratione huius tantùm eſt procedere à Principio coniuncto actiuè communicato genito à generante per actiuam deciſionem, ſeu operationem ordinatam ad productionem termini geniti, vel à principio coniuncto actiuè concurrente, & elaborato, vt talem præſtet concurſum. Doctrinam hanc trado vt defendam virum verè eſſe Patrem termini geniti ex ſemine, quod ille decidit intra matricem feminæ, etiamſi ſemen actiuè non concurrat ad prolis generationem, concurſus enim actiuus ſeminis dubius eſt, quem multi ſatis probabiliter negant, & apud omnes inconcuſſum eſt ſubſtantiam genitam ex ſemine deciſo ab hoc homine reſpectu eiuſdem filiationem contrahere, ex quo infero independenter à concurſu actiuo ſeminis Doctores agnoſcere in ſenſitiuis fundamentum filiationis, ſiquidem conſtanter defendunt quemlibet hominem filium eſſe illius, qui decidit ſemen, ex quo fuit procreatus, etiamſi virtutem actiuam ſemini negent. Quod verò docet Arriaga, videlicet caſu, quo ſemen virile actiuè non concurrat, virum non magis eſſe Patrem reſpectu prolis, quam Adamus reſpectu Euæ alienum eſt à communi hominum conſenſu, & ne trahat ad hoc abſurdum deuorandum, à poſteriori infero ſufficere ad viuentis generationem reſpectu maris hunc actiuè elaboraſſe ſemen in bonum prolis procreandæ, & actiuè illud à ſe decidiſſe vitali modo.

3 Circa particulam, *in ſimilitudinem naturæ*, magna eſt inter Theologos diſſenſio, qui diuerſo modo explicant ſimilitudinem requiſitam ad rationem generationis, vt iuxta propriam ſententiam accommodè defendant veritatem Catholicam videlicet productionem ſecundæ perſonæ Trinitatis eſſe generationem, & ſecundam perſonam verè, & propriè eſſe filium, & productionem Spiritus ſancti non eſſe generationem, & hunc filium non eſſe. Explicatio, quæ magis conſona apparet, eſt illa, quam verba præ ſe ferunt ſcilicet, quod generans, & genitum ſint eiuſdem naturæ. Hanc naturæ vnitatem in generatione, & in genito ſpecificam tantum popoſcit Ariſtoteles, qui generationem tantùm creatam agnouit. Cæterùm ſi cum indiuidua naturæ vnitate poteſt diſtinctio generationis, & geniti, & productio componi, dum diſtinctiò naturæ non eſt, vt in diuinis contingit, hanc eſſe perfectiorem ſimilitudinem vel vnitatem cenſeo, cum qua melius componetur generatio, ſi illam nolis ſimilitudinem vocare, maior enim eſt coniunctio per identitatem, quam per ſimilitudinem. Et verò hanc vnitatem debere intercedere inter generans, & genitum expreſſit Ariſtot. ex quo deſumpta eſt illa particula *in ſimilitudinem naturæ.* Verba ſunt Philoſophi c.8.text.28.vbi ait: *In quibuſdam manifeſtũ quod generans tale eſt, quale quod generatur, non tamen idem, neque vnum numero: ſed vnum in ſpecie, vt naturalibus, homo namque generat hominem, niſi quod præter naturam fiat vt equus mulum, & hæc quoque ſimiliter, quod enim eſt commune equo & aſino non eſt nominatum propinquiſſimũ genus: fuerint ambo fortaſſis vti mulus.* Ecce ex Ariſtotele adeò ſtrictè requiritur ſimilitudo in natura vt adhuc in generatione muli ſimilitudinem hanc non deficere dixerit, conſiderandum namque vnum principium conflatum ex equo & aſina, cui mulus genitus aſſimiletur. Intendit ergo natura perfectam aſſimilationem in generatione muli, cúmque impoſſibilis ſit aſſimilatio vnius muli geniti cum duplici animali diuerſæ ſpeciei, id, quod poteſt, præſtat natura, & mulum edit eâ ſimilitudine, quam poteſt habere cum principio adæquato conſtituto ex animalibus ſpecie diuerſis. Ex his principiis perfecta generatio vnitatem in natura ſpecifica cauſat, & perfectiſſima, quæ eſt Verbi generatio vnitatem dicit numericam.

4 P. Hurtadus diſp.1.ſect.2. aſſerit ad veram viuentis generationem, & rationem filij non requiri ſpecificam ſimilitudinem, ſed illam tantùm quæ ſufficiens eſt vt filium participem faciat bonorum parentum, & illorum hæredem. Hoc fundamento defendit mulum genitum ex equa & aſino habere ſimilitudinem ſufficientem, vt illius productio verè dicatur generatio, quia mulus ſufficientem habet ſimilitudinem, vt ſit particeps lactis, & blanditiarum, quibus belluæ filiis ſuis indulgere ſolent.

5 P.Arrub.1.part.tom.2.quæſt.27.diſp.98. docet de ratione filij eſſe, quod procedat ſimilis in ratione principij intendentis primò producere ſubſiſtentiam ſibi ſimilem in natura, quod reperiri docet in omnibus filiis, quia licet mulus de facto non euadat principio ſimilis, principium tamen illum intendebat ſimilem producere, etſi per accidens ex commixtione ſeminum diſſimilium diſſimilis euaſerit, quia quodlibet ſemen ſecundùm ſe ordinabatur ad productionem fœtus natura ſpecifica perfectè ſimilis viuenti, à quo fuit deciſum.

6 Canarienſis 1.p.q.27.art.2. docet ad rationem filij non ſufficere ſimilitudinem, ſed requiri rationem imaginis in filio, addit autem eſſe imaginem ſupra ſimile, hoc eſſe productum ad repræſentandum prototypum, ſic ouum ouo ſimile eſt, non tamen illius imago, quia productum non eſt vt alterum repræſentet. Canarienſi conſentit P.Vaſquez 1. p. tom.2.diſp.113.c.7.& hunc ſequuti ſunt illius fidi diſcipuli Torres Complutenſis diſput.2.de Trinit. dub.7. & Alarcon diſp.8. c.16. & 17. & apud hunc Baſilicus Legionenſis de nominibus Chriſti in nomine Filij.

7 Richardus de S. Victore lib.6. de Trinitate à c.16. vſque ad 21. Alenſis 1.p.quæſt.92.membr.2.§.1.& membr.3.art.2. ad 3. Maior in 1.diſt.13. q.1. in vltima particula definitionis ab ipſo adductæ. D.Bonauent.in 1.diſt.31.art.1.quæſt.2.cenſere ſimilitudinem ad rationem filij requiſitam non tantum debere eſſe in natura, ſed etiam in principio producendi, ſeu in virtute producendi, hoc enim principium, ſeu hanc virtutem nomine naturæ in definitione adductæ

hi

Digitized by Google

hi doctores intelligũt iuxta illud Ariſt. *natura eſt principium motus.* Hac ratione aſſerunt Spiritum ſanctum non eſſe Filium, quia non producitur cum virtute aliam perſonam producendi; Verbum autem eſſe filium quia producitur ſimile principio in virtute producendi, ſicut enim prima Trinitatis perſona virtutem habet producendi filium per intellectum, ſic & ſecunda virtutem habet producendi ſimul cum prima per modum vnius principij per voluntatem tertiam aliam perſonam, & hæc nullam aliam poteſt producere. Sententiam hanc his temporibus in lucem edidit P. Zuniga tom. de Trinit. diſp. 2. dub. 20. Accedit Puente Hurtado in manuſcriptis qui definitam eſſe contendit in Concilio Florentino, ex quo mentem hanc ebiberat Arriaga, qui iam vt ipſe fatetur diſp. 1. ſect. 4. n. 42. ab illa deceſſit.

8 Perdoctus Magiſter à noſtris ſic particulam illam: *in ſimilitudinem naturæ*, explicuit. Aſſeruit generationem debere prouenire à natura, illam verò actionem prouenire à natura vt natura eſt, quæ prouenit ab ipſa natura tanquam à principio quod, vel à ſuppoſito per ipſam conſtituto, quia cum natura per ſe primo inſit ſuppoſito, & ſecundum ſuum conceptum habeat eſſe radicem talis operationis, non poteſt non conſtituere ſuppoſitum, cui ineſt principium eiuſdem operationis, vel termini, quoties terminus productus non eſt ipſa perſonalitas conſtituens illud ſuppoſitum. Vnde infert hic auctor rationem principij aduenĩetis ſuppoſito ineſſe talis iam conſtituto non eſſe naturã; hæc enim definitur à Philoſopho: *principium motus, & quietus eius in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens*, id autem quod aduenit ſuppoſito iam conſtituto, non eſt in illo primò, & per ſe, ſed ſecundùm accidens: Actio ergo, quæ prouenit ab hoc principio adueniente ſuppoſito iam conſtituto, non prouenit à natura vt natura eſt, & ita non poteſt eſſe viuentis generatio quæ eſſe debet origo viuentis à viuenti in ſimilitudinẽ naturæ, à qua formaliter vt natura procedat. Rem ſic explicat huiuſcemodi propugnator: detur, exempli gratia, hominẽ album eſſe principium alicuius operationis, ita indiuiſibiliter, vt homo præciſa albedine nullatenus eſſet principium *quod*, nec remotum, nec proximum, illa operatio non eſſet à natura hominis, vt natura eſt, quia hæc exerceret ſuum munus reſpectu ſuppoſiti hominis in ordine ad totum ſubſtantiale, quod non aduenit enti iam conſtituto in ſuo eſſe: eſſe autem principium talis operationis eſſet accidens reſpectu hominis, neque humanitas cum albedine primò, & per ſe tale principium conſtitueret, ſed principium quoddam, quod per accidens homini adueniret, ſi quidẽ huic per accidens contingeret albedo, ex qua tale principium conſtitueretur. Vnde etſi fingamus terminum productum per illam actionem procedentem ab homine albo eſſe hominem, adhuc talis actio non eſſet viuentis generatio, quia terminus productus non eſſet in ſimilitudinem naturæ cum ſuo principio, quia in hoc humanitas non exerceret munus naturæ, cùm ratio principij aduenirec ipſi homini iam conſtituto, & ex homine, & albedine accidentaliter conſurgeret principium.

9 Neque ob id relegaſſe dicit hic auctor potentias accidentales proximas, nam ſi dentur, ſunt quædam inſtrumenta ſubſtantiæ, cui dantur, & hæc abſolutè dicitur principium *quod*, & ſemper verum eſt dicere, homo generat hominem, etiamſi detur potentia generatiua ſuperaddita, quæ ſit accidens, quia hæc debetur homini formaliter vt homo eſt, & hominis natura immediatè cum hac potentia concurrit, vel ſi ſubſtantia immediatè ad productionem ſubſtantiæ non concurrit, Deus concurrit cum potentia generatiua tanquam cum inſtrumento naturæ humanæ per ſpecialem concurſum, quem præſtat naturæ loco, & quem ſimul exhibet potentiæ accidentali, quia eſt inſtrumentum ſubſtantialis naturæ.

10 Ex dictis principiis rationem hanc attexit, propter quam productio Verbi ſit generatio, non autem productio Spiritus Sancti. Principium generatiuum Verbi eſt perſona Patris, quæ ex natura, & propria Patris ſubſiſtentia, quam ipſe ab actiua generatione formaliter non diſtinguit, reſultat. Vnde actio, quæ ab hoc principio procedit, à natura formaliter vt natura procedit, & ſi illius terminus ſit eiuſdem naturæ cum principio, vt accidit in productione Verbi, talis actio erit productio termini in ſimilitudinem naturæ reſpectu principij, vt principium formaliter eſt natura, cùm immediatè procedit à principio per naturam conſtituto. Principium ſpiratiuum, ſiue formaliter diſtinguatur, ſiue non, ab ipſa ſpiratione actiua non eſt filius formaliter vt filius, neque Pater formaliter vt Pater, quia ſi Filius formaliter vt Filius, & Pater formaliter vt Pater eſſent principia ſpiratiua, nõ ſpirarent per modũ vnius principij ſpiratiui, quod dici neſas eſt, certum eſt enim Patrem, & Filium ſpirare tertiam Trinitatis perſonam per modum vnius principij ſpiratiui. Eſt ergo principium ſpiratiuum quid commune Patri & Filio, quod aduenit Patri iam cõſtituto in eſſe ſuppoſiti, ſeu primæ perſonæ, & Filio conſtituto in eſſe, ſuppoſiti ſeu ſecundæ perſonæ, neque ex hoc principio adueniente ſecundum noſtrum concipiendi modum Patri, & Filio per modum accidentis reſultat aliud ſuppoſitum, tum quia inaudita eſt quarta ſubſiſtentia relatiua, tum quia de ratione ſubſtantiæ eſt incommunicabilitas alteri perſonæ: ſi autem virtus ſpiritiua, ſeu ſpiratio actiua conſtitueret perſonam, iam Pater & Filius dicerentur eadem perſona. Ob quod Pater Ruiz diſp. 70. ſect. 3. n. 11. cenſet temerarium & periculoſum errorem eſſe concedere ſubſtantiam, vel ſuppoſitum aliquod commune Patri, & Filio, & apertum errorem affirmare perſonam vtrique communem. Reſultat ergo aliquod ſingulare principium Spiritus Sancti ex eſſentia diuina, & duobus ſuppoſitis Patre & Filio, & virtute ſpiratiua, ſeu actiua ſpiratione, quæ non vnitur immediatè eſſentiæ, ſed media Paternitate, & Filiatione vt notat Pater Soar lib. 10. c. 4. n. 4. P. Ruiz diſp. 7. num. 9. ac proinde potentia ſpirandi aduenit duobus ſuppoſitis iam conſtitutis in ſuo eſſe. Vnde etſi propter ſummam identitatem, ſpiratio ſit ſubſtantialis, ex modo tamen adueniendi ſe habet veluti accidens adhærens, & adueniens ſuppoſito iam conſtituto, vt aduertit P. Soar. nuper citatus n. 6. in fine. Ex his concluditur iuxta principia ſuprà tradita tertiam perſonam Trinitatis non procedere à natura formaliter vt natura eſt, & ita illius productionem non eſſe generationem, quia de ratione huius eſt procedere è natura formaliter vt natura, & terminum genitum produci in ſimilitudinem naturæ ſuo principio formaliter vt tale principium natura eſt; Spiritus autem ſanctus etſi procedat eiuſdem naturæ cum Patre & Filio, non poteſt in hanc ſimilitudinem procedere, quia illius principium *quod*, non eſt natura formaliter, vt natura, quæ eſt in ordine ad ſuppoſitum conſtituendum, ſed aduenit formaliter duobus ſuppoſitis iam conſtitutis. Itaque productio Spiritus Sancti generatio non eſt, quia procedit à duobus ſuppoſitis, quodam producto, & altero improducto, quibus iam conſtitutis aduenit ſpiratiua virtus, ſeu ſpiratio actiua: quod ſi virtus ſpiratiua eſſet conſtitutiua vnius, vel duplicis ſuppoſiti, à quibus procederet Spiritus ſanctus ſicuti virtus productiua, ſeu productio actiua Filij ſi à virtute productiua formaliter non diſtinguitur eſt conſtitutiua primæ perſonæ Trinitatis, Spiritus ſanctus genitus diceretur, quia non ex eo præciſè quod procedat à duobus ſuppoſitis non dicetur genitus, generationi enim ex prædicatis eſſentialibus generationis vt ſic non repugnat, ſiue ab vna ſiue à duplici ſuppoſito procedere, ſed ex eo non dicitur genitus Spiritus ſanctus, quia procedit à duobus ſuppoſitis, quibus iam conſtitutis aduenit ratione noſtra ſpiratio, & virtus ſpiratiua. Eadem ratione non diceretur genitus ſi procederet ab vno ſuppoſito, cui iam conſtituto, quaſi accidentaliter ex modo noſtro concipiendi adueniret virtus productiua, & productio actiua Spiritus ſancti, quia tunc non procederet à natura formaliter vt natura.

11 Adduxi hos omnes dicendi modos, vt quilibet poſſit illum, qui magis arriſerit eligere, neque aliquem aliis præfero, neque in hac re modò meum aperio animum, hæc enim quæſtio non ad Philoſophum, quem modò tantùm ago, ſed ad Theologum attinet, ex illa enim vt ex dictis viſum eſt, pendet modus defendendi veritatem Catholicam, videlicet Verbum eſſe genitum, & eſſe Filium, Spiritum verò ſanctum etſi procedentem à Patre, & Filio, & eiuſdem naturæ cum vtroque neque genitum eſſe, neque Filium dici.

PVNCTVM VII.

Nonnulla expediuntur de Generatione.

1 Circa principium generationis primò poſſet inquiri, quomodo ad illam diſpoſitiones concurrant; quam

quæſtionem ſolui Controuerſia 1. punct.4. ex hac quæſtione manet alia ſoluta iuxta noſtra principia, an videlicet ad generationem concurrant immediatè accidentia, quæ reperiuntur in paſſo, vel quæ in principio ſubſtantiali actiuo generationis ſubiectantur, cùm enim ferat noſtra ſententia accidentia non effectiuè, ſed diſpoſitiuè concurrere, conſequenter ad illam dicere debemus immediatè tantùm ad generationem conducere accidentia recepta in ſubiecto generationis, & nullo modo, quæ in principio actiuo recipiuntur, diſpoſitiones enim ad formam non ſe tenent ex parte principij actiui, ſed ex parte principij paſſiui formæ, ad quam diſponunt, in quo mediatè, vel immediatè recipiuntur. Locum hæc quæſtio inuenit in ſententia illorum, qui aſſerunt accidentia effectiuè concurrere ad formam, in qua dubium eſſe poteſt an influxus actiuus proueniat ab accidentibus receptis in præcipuo generante vel in ſubiecto generationis. Thomiſtæ hanc cauſalitatem tribuunt accidentibus in ſubiecto generationis receptis, quia hæc ſunt magis applicata paſſo ut in illo formam producant, cùm ſint cum illo penetrata, & accidentia recepta in præcipuo generante, tantùm poſſunt eſſe applicata ſecundùm vltimam ſuperficiem, & aliquando ſunt valdè diſtantia, ſicuti accidentia corporum cæleſtium, à quibus plures formæ ſubſtantiales in terræ viſceribus producuntur, valde diſtant è terra, cuius materies eſt ſubiectum generationis talium formarum. Hoc Thomiſtarum fundamentum nullum eſt, quia etſi accidentia paſſi ſint magis ipſi applicata, hæc maior applicatio neceſſaria non eſt, vt agens agat in paſſum, eo enim ipſo quod principium adæquatum ſecundùm aliquid ſui ſit immediatum paſſo poteſt agere in illud. Quod ſi penetratio ſit maior applicatio, & magis conducens ad actionem, ex hoc non infertur agens aliàs ſufficienter applicatum, etſi non adeò ſtricta applicatione, nihil acturum, ſicuti quando nihil agentis diuiſibilis eſt penetratum paſſo, quædam partes illius ſunt aliis magis applicatæ, & tamen omnes agunt in paſſum, ſed tantùm infertur, quod ſi effectus eſſet diuiſibilis, velociùs, & intenſior produceretur à principio magis applicato; tardiùs verò, & remiſſior à principio minùs applicato. Neque illud quod obiicitur de diſtantia accidentium, quæ recipiuntur in generante, quidquam difficultatis habet, quia ſemper præcipuum generans eſt ſufficienter applicatum ratione effectus, quem producit in medio, vt producat in paſſo diſpoſitiones ad formam: ergo accidentia recepta in eodem principio generante ſufficientem applicationem habebunt, vt mediis aliis accidentibus in medio productis, quæ, cum illis ſe poſſunt tenere ex parte principij actiui effectiuè attingant productionem formæ ſubſtantialis.

2 Alia ſunt poſitiua fundamenta, quibus iuxta Thomiſtarum principia illius ſententia euertitur: Sentiunt iſti vltimam diſpoſitionem produci actiuè à forma geniti, & omnia accidentia recepta in paſſo in inſtanti generationis effectiuè produci ab eadem forma agenti, & in illo inſtanti corrumpi accidentia, quæ præceſſerant in corrupto. Ex quo principio duo inferunt: primum non poſſe effectiuè produci formam geniti ab accidentibus, quæ exiſtunt in inſtanti generationis, quia hæc ab ipſa forma producuntur, & non poſſunt in eodem genere cauſæ eſſe priora, & poſteriora forma ſubſtantiali. Secundò infero formam non poſſe effectiuè procedere ab accidentibus, quæ præceſſerunt incorrupta, & non ſubſiſtunt in inſtanti, quo forma producitur, quia nullus effectus poteſt efficienter dependere à cauſa actu non exiſtente. Reſpondent Thomiſtæ ſufficere accidentia immediatè antè extitiſſe, vt ab illis iam non exiſtentibus poſſit nunc effectiuè forma geniti dependere. Inanis ſumptus ad rem aliàs fundamento deſtitutam defendendam. Ruit ſolutio ex doctrina tradita Controu. 7. Phyſic Punct.4. vbi probaui requiri exiſtentiam cauſæ in eodem inſtanti, in quo producitur effectus, vt hic ab illa poſſit dependere. Miror inſuper doctrinæ inconſequentiam: tribuitur influxus actiuus accidentibus receptis in ſubiecto, & non in præcipuo generante, quia accidentia in ſubiecto recepta ſunt illi magis applicata in ordine ad locum, & non expenditur maior applicatio, quam habent accidentia recepta in generante in ordine ad tempus, ſiquidem hæc ſunt in eodem tempore, in quo generatio, & illa tantùm in tempore immediato, quaſi approximatio in ordine ad tempus minus neceſſaria eſſet in ordine ad actionem, quàm applicatio in ordine ad locum, cùm longè ſtrictior temporis quàm loci applicatio requiratur, ſiquidem fert communis ſententia poſſe de potentia Dei abſoluta principium actiuum producere effectum in paſſo valdè diſtanti in ordine ad locum, & nullus ſomniauit poſſe principium actiuum diſtans in ordine ad tempus à paſſo in illo effectum producere. Tenet inſuper omnium ſententia agens inadæquatum ſufficienter applicari paſſo in ordine ad locum medio alio comprincipio ſeu agenti inadæquato, & tamen omnes requirunt totum principium adæquatum ſecundùm quamlibet partem ſui eſſe immediatè applicatum in ordine ad tempus ſubiecto, in quo effectus eſt producendus eidémque effectui producendo.

Concludo ex his iuxta principia Thomiſtarum quæ non 3
concedunt accidentia communia genito, & corrupto, ſed aſſerunt accidentia recepta in genito in primo inſtanti generationis à forma eiuſdem geniti produci, tantùm poſſe attribui virtutem actiuam (ſi aliquibus accidentibus tribuenda eſt) accidentibus receptis in præcipuo generante, propter rationes ſuprà adductas contra Thomiſtarum ſententiam. In ſententia verò, quæ aſſerit eadem accidentia permanere in genito, & in corrupto, & accidentia recepta in genito non dependere effectiuè in primo inſtanti generationis à forma geniti, poſſet prædicta virtus effectiua concedi accidentibus receptis in ſubiecto generationis, tum etiam receptis in præcipuo generante, quia cùm omnia ſint eiuſdem rationis omnibus ſimilis virtus inerit, & ex alio capite omnia ſunt ſufficienter applicata ad formam producendam, neque principium eſt aliquod, ex quo poſſimus ſpecialiùs actionem generatiuam tribuere accidentibus præcipui generantis, quàm accidentibus receptis in ſubiecto generationis, neque in forma prædicatum aliquod relucet, ratione cuius illi repugnet produci tranſeunter ab accidentibus receptis in præcipuo generante, vel produci quaſi immanenter ab accidentibus receptis in eodem ſubiecto generationis, in quo ipſa recipitur, ſed æquè indifferens erit vt ab vtriſque producatur, ſi produci poteſt ab aliquibus accidentibus.

Secundò dubitari poteſt an feminæ ſemen emittant?
Negat Ariſtot. 1. de generatione animalium cap.10. & cum 4
eo peritiſſimi Medici aſſerentes feminas ſolùm miniſtrare humorem quemdam, & non verum ſemen, ſicuti in ſpadonibus contingit. Ex Theologis defendunt hanc ſententiam D.Thom.3.part.q.32.art.4. & alij quàm plurimi ipſum ſequuti, quos referunt noſtri Conimbr. lib. 1. de Generat. cap.4.q.27. artic.1. Pro oppoſita ſententia ſtant Hippocrates lib. de genitura, & lib. de diæta, Galenus lib. de vſu partium, Valleſ. lib.1. Controuerſ. cap. 6. cum prædenſo Medicorū agmine: his non pauci adhærent Theologi apud P. Soar. tom.2. in 3. part. diſp.10. ſect.2. § *ha rationes.* Sententiam hanc aſſerit Hurtadus diſp.15. ſect. 5. Anatomicis eſſe compertam, ex quorum argumentis conſtat feminas verum ſemen emittere, illud dealbicare, & eſſe elaboratum propriis inſtrumentis, quæ etiam feminis ad rem hanc natura prouidit.

De ſemine virili dubitari non poteſt neceſſarium eſſe ad 5
formationem fœtus, quod experientia ipſa compertum eſt, cùm numquam formatio fœtus abſque maſculeo ſemine contingit. Difficultas eſſe poteſt quomodo concurrat ſemen ad generationem. Opinio eſt vtrumque ſemen concurrere actiuè ad formanda organa: hæc eſt omnium Medicorum etiam negantium feminis verum ſemen. Sententiam hanc ſuadet ſeminis materia, quæ nimis ſpirituoſa eſt, ſpiritus autem plurimum ad actiuitatem conducunt, & in effectus efficiendos inuenti ſunt à natura. Deinde ſemen maſculeum paſſiuè concurrrere ad fœtum, ita vt in eius materiam inducatur anima, docent Hippocrates, & Galenus, aliique quamplurimi Medici apud Conimb. lib. 1. de Generat. c.4. q.28. art.1. Neque ex hoc infertur idem agere in ſe ipſum, quia ſemen includit partes quaſdam ſanguineas valde craſſas, alias verò ſpirituoſas; ſecundùm ſpirituoſas in hac ſententia agit, & diſponit organa, ſecundùm craſſas patitur fœtum eductum ex illis. Oppoſita ſententia videlicet ſemen non concurrere actiuè communior eſt inter non Medicos, quia ſemen eſt imperfectius viuente, ac proinde non poteſt illud ſe ſolo producere, quin concurrat viuens, vel Deus ſupplens vices illius: concurrente autem Deo vel viuente impertinens eſt concurſus ſeminis, & ſine fundamento adſtruitur.

Maſculis non poſſe tribui concurſum diſtinctum ab eo, 6
quem

Digitized by Google

quem præſtant medio ſemine ab illis deciſo extra controuerſiam eſt, cùm nullo modo applicentur, & maximè diſtent cum fœtus formatur. Difficultas eſt an feminæ actiuè concurrant ad formationem fœtus. Affirmatiuè reſpondet Hurtad. diſ. 2. ſect. 6. cum Ochamo in 3. quæſt. 3. & Gabr. ibidem diſt. 4. quæſt. vnica. Negatiuam partem defendunt Angelicus Doctor ſuprà, Bonauent. Scot. Gabr. & Maſſ. apud P. Soar. 3. p. tom. 2. diſp. 10. ſect. 2.

7 Circa principium actiuum vnionis humanæ dubitari poteſt an poſſit ab anima produci. In qua re negatiuè reſpondeo cum Hurtado ſect. 3. quia anima nihil agit in materia, niſi quatenus actus illam informans, non eſt enim forma purè aſſiſtens, ac proinde ad hoc vt in eam agat ſupponitur illi vnita. Ex hoc capite diſparitatem deprehende, propter quam anima poſſit eſſe principium ſuæ partialis vnionis per nutritionem acquiſitæ, non verò vnionis totalis, ex vi cuius primo materiam informat, quia ad hanc non poteſt vnitam per aliam vnionem ſupponi, ad illam verò partialem vnionem in nutritione acquiſitam ſupponitur vnita per vnionem, ex vi cuius anima primo materiam informat.

8 Diſputari ſolet de partibus fœtus, quæ priùs formentur? Galenus cum Hipperate apud Conimbr. lib. 1. cap. 4. quæſt. 29. art. 3. docet hepar primũ gigni, quod tenet Valleſ. lib. 2. Controuerſ. cap. 5. propè finem, & alij quàm plurimi Medici. Peripatetici omnes cum Ariſtotele docent cor priùs efformari, quibus adhæret Peramatus lib. de hominis creat. cap. 4. Stoici tenent omnes partes præcipuas hominis, quæ virtute ſpermatis fiunt ſimul efformari. Sententiam hanc tenent plurimi ex antiquis, & recentioribus, Laurentius Andreas lib. 8. quæſt. 5. P. Garcia diſp. 38. cap. 1. quam probabilem putat Valleſ. lib. 2. Controu. cap. 5. Nec defuêre alij, qui aſſererent ſpinam priùs efformari, ſicuti carinam in naui, neque qui dicerent oſſa ante partes carneas produci ſicuti domus fundamenta.

9 Circa tempus, quo formetur fœtus eſt communis Theologorum ſententia in viris animam infundi die quadrageſimo à conceptione, & in feminis die octuageſimo. Conſentiunt P. Soar. tom. 2. in 3. part. diſp. 10. ſect. 2. § *ſuppono quartò.* Eminentiſſimus noſter Cardinalis Tolet. in cap. 2. Lucæ, annotat. 34. & grauiſſimus Maldonatus in idem caput, & alij plures interpretes, quorum fundamentum eſt lex, Leuitic. cap. 12. vt purificaretur puerpera die quadrageſimo, quæ virum peperiſſet, quæ feminam autem, die octuageſimo, in qua lege dies purificationis aſſignatur reſpondens diei, in qua proles efformatur. Huius legis rationem aliam reddit Theodoretus quæſt. 14. neque Patres, qui huic rationi ſubſcribunt intendunt id ex propria ſententia definire, ſed iam ab aliis traditum ſupponunt, & iuxta illorum ſententiam legis Leuitici rationem reddunt. Valleſ. lib. 2. Controuerſ. cap. 9. cum pluribus Medicis ait feminas non ante diem quadrageſimũ, mares verò triginta formari diebus. Laur. Andr. lib. 8. q. 19. docet formationem feminæ numquam excedere duos ſuprà quadraginta dies; mares verò triginta efformare. Sententiam hanc confirmat Peramatus lib. de hominis creat. cap. 5.

10 Circa geſtationem prolis experientia docet nono menſe naturaliſſimè, feliciterque partus contingere, præcipuè cum dimidium noni menſis intra vterum fœtus expleuit. Partus ſeptimo menſe naturales eſſe docet Hippocrates, & ſuadet experientia: octauo autem menſe infeliciter ſemper accidunt. Rationem accipe ex Valleſio: Infantes ſeptimo menſe lucem extra maternum vterum videre procurant, quod ſi non conſequantur, octauo indigent menſe vt recreentur à labore ſuſcepto, qui ſi non illis concedatur, ſed menſe octauo natiuitas ſuccedat, labor labori additur, & priori vexati poſteriorem ſuſtinere non valentes pereunt. Nono menſe regulariter ſecundè partus contingunt, ſed nonminus ſecundè, etſi ratò, decimo menſe, quia decimus menſis magis diſtat à ſeptimo, in quo infantes defatiganturmotu, quem incaſſum præſtitere, vt lucem viderent. Conſtat etiam tum ex ſacris literis aliquos partus decimo contingere menſe, Sapient. 7. num. 10. *In ventre matris figuratus fui caro decem menſium tempore*, tum etiam ex profanis, ſic enim Ouidius:

Annus erat decimus cum Luna repleuerat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus,
Seu quia bis quino femina menſe parit.

Aliqui numerum iſtum decem menſium intelligunt iuxta menſes Aſtronomos, & non iuxta menſes Calendarij, ſunt enim menſes Lunares & Solares, & menſes Calendarij: horum breuiores ſunt Lunares, maiores Calendarij, & medij Aſtronomicij, & hac ratione ex nouem menſibus Calendarij fiet dierum numerus atingens decimum menſem Aſtronomicum, & qui iuxta Calendarij menſes partus tempus recenſent, nono menſe contingere affirmant, & qui iuxta menſes Aſtronomorum partus tempus metiuntur, decimo menſe accidere teſtantur: de hac re legendi ſunt Soar. tom. 2. in 3. part. diſput. 13. ſect. 3. Conimbr. ſuprà. Refert etiam Laurentius lib. 8. quæſt. 30. partus ſextimeſtres fuiſſe ſuperſtites. Neque tacere volo me audiſſe doctiſſimum Medicum principiis philoſophicis apprimè inſtructum in hac Complutenſi Academia meritiſſimum primæ Cathedræ Rectorem, defendentem naturaliter poſſe quinto menſe felici prolis euentu partum contingere, quia poteſt eſſe adeò excellens matris temperamentum, vt illo quinque menſium ſpatio fœtus matureſcat, ſicuti enim ſunt Prouinciæ, in quibus terrà adeò ferax eſt, vt bis in anno fructus erumpat, quos non niſi duplo tempore aliarum Prouinciarum ſola valent procreare, ita poſſunt nonnullæ dari feminæ, quæ quinque menſibus conceptam prolem ad illud augmentum naſcendique opportunum ſtatum promoueant, ad quæ non niſi ſeptem menſium curriculo aliarum matrem ope peruenire poſſet.

Doct. Varreda.

11 In his, quæ hoc Puncto tetigi aliorum retuli ſententias, neque meus fuit animus propriam tradere, aut de aliorum relatis iudicium ferre, quia illorum pleraque ad Medicos ſpectant, omniáque nihil vtilitatis viro Philoſopho & Theologo afferunt, & ita illa potiùs non obliuiſci, quàm meminiſſe par eſt.

PVNCTVM VIII.

De Corruptione.

1 CORRUPTIO generationi opponitur, quapropter de vtraque ſimul agendum eſt. Definitur corruptio: *Deſitio rei in aliam.* Ly *deſitio*, loco generis ponitur, quæ annihilationem comprehendit: ly *in aliam*, differentiæ vices gerit. Deſitio eſt ſuſpenſio actionis, ſeu negatio actionis, quæ immediatè antea fuit, non enim deſinere dicitur, quod non præceſſit. Itaque deſitio ſupra non eſſe actionis, addit ipſam actionem immediatè antea præceſſiſſe. Illa particula, *in aliam* denotat rem corruptam non ita annihilari, vt nihil illius maneat, ſubiectum videlicet, accidentia, aut aliquid aliud, quod loco illius producatur. Ex his infers lucem aëris extinctam in aliud deſinere, quia extincta luce illius ſubiectum adhuc remanet. Cùm verò res ſubiecto caret, veluti materia prima, ſi ipſa deſinat eſſe, & maneant illius accidentia, vel aliquid loco illius producatur, non dicitur annihilari, ſed corrumpi, quia deſinit in accidentia propria, quæ remanent, vel in illud, quod loco illius producitur. Ob hanc rationem aſſerunt Patres ſubſtantiam panis non annihilari in Euchariſtia, quia remanent illius accidentia, & loco eiuſdem ſubſtantiæ panis, Chriſti corpus ſubrogatur. In hoc Patrũ ſenſu, qui annihilationem vocant deſitionem rei, cuius nihil remanet, ſubſtantiam panis non annihilari de fide eſt, quia definitum eſt, & ſenſuum euidentiâ compertum permanere panis accidentia in Euchariſtica tranſſubſtantiatione. Nihilominus tradit Hurtadus diſput. 1. ſect. 8. num. 84. deſitionem panis in Euchariſtia ſtrictè, & metaphyſicè loquendo eſſe annihilationem, licet non ita poſſit dici in Patrum ſententia, qui tantùm intendunt ſimul cum ſubſtantia panis non illius accidentia deficere, quod firmum eſt, & Catholicè tenendum.

2 Iuxta hunc dicendi modum deſitio actionis creatiuæ annihilatio ſemper erit, quia cùm terminus creatus à ſubiecto non dependeat, non poteſt in ſubiectum deſinere. Difficultas eſt, an omnis deſitio actionis generatiuæ ſit corruptio. Pro negatiua parte hæc adſtruitur ratio: Deſtruat Deus in eodem temporis inſtanti materiam, & formam equi, tunc forma equi non deſinet in ſubiectum, quod ſuperſtes non erit; ergo non deſinet in aliud: ergo non erit corruptio. Aliqui recentes, qui mediam eductionem, ſeu actionem eductiuam adſtruunt inter creationem, & generationem, aliam ſuſpenſionem actionis meditantur mediam

Digitized by Google

mediam inter annihilationem, & corruptionem, & ſicuti defendunt actionem, ex vi cuius educitur forma ex materia in primo inſtanti, in quo materia creatur, non eſſe generationem, quia non eſt mutatio ex defectu ſubiecti prius tempore præcedentis, neque creationem, quia eſt dependens à ſubiecto, ſed mediam quamdam actionem, quæ eductio dicitur: eadem ratione affirmant deſitionem formæ dependentis à ſubiecto, quam comitatur deſitio ſubiecti in eodem temporis inſtanti contingens, non eſſe annihilationem, quia non eſt deſitio rei independentis à ſubiecto, neque corruptionem, quia non eſt mutatio generationi oppoſita, ex vi cuius ſubiectum tranſeat à forma ad negationem formæ, ex defectu ſubiecti ſubſequentis, ſe exiſtentis in inſtanti temporis, in quo negatio, ſeu non eſſe formæ exiſtit.

3 Nos, qui aſſerimus de ratione generationis non eſſe mutationem, neque quod ſubiectum prius tempore præcedat priuatum formâ genitâ, conſtanter tenemus non eſſe de ratione corruptionis vt ſubiectum remaneat aliquo tépore priuatum forma corrupta, quia ſicuti impertinens eſt ad actionem poſitiuam in hoc inſtanti dependentem à ſubiecto, ſubiectum tempore immediatè præceſſiſſe, ita impertinens eſt ad hanc deſitionem actionis, ſeu ad hoc actionis non eſſe, ſubiectum immediatè poſt formam permanere, ſeu exiſtere in inſtâti, in quo exiſtit non eſſe actionis, quia hoc cùm ſit purum nihil, & ſtrictè loquendo non poſſit dici ipſum eſſe, ſed potiùs non eſſe, quia non eſſe ſeu negatio actionis, nihil aliud importat, quam ipſam actionem non exiſtere, quod nullo modo dependet à ſubiecto, neque huius exiſtentia neceſſaria eſt vt ſit non eſſe actionis dependentis ab illo, potiùs ex negatione ſubiecti rectè infertur non eſſe actionis dependentis à ſubiecto.

4 Ad argumentum ſuprà adductum reſpondeo: caſu, quo materia, & forma equi ſimul deſinerent, formam quatenus eſt ex deſinere in aliud, videlicet in ſubiectum, quia tunc deſitio ſubiecti per accidens comitaretur deſitionem formæ, quia hæc non illam exigebat, neque ex eo quod ſit formæ deſitio per locum intrinſecum infertur à priori deſitio ſubiecti, quia formâ deficiente poteſt permanere ſubiectũ vel ſine aliqua forma, vel cum alia adueniente; quod ſi alia non aduenerit, hoc non eſt ratione formæ deſinentis, quæ non impedit, dum deſinit, alius cuiuſcumque aduentum.

5 Solet inquiri, an curruptio intendatur propter ſe à natura: in qua re aſſero agens liberum poſſe per ſe intendere corruptionem formæ accidentis, quam ipſe liberè conſeruat, quia poteſt velle ceſſare ab actu amoris vel cognitionis non intento alio actu oppoſito, ſed tantùm propter diſconuenientiam, quam apprehendit in actu voluntatis, vel intellectus, alicuiuſve ſenſationis, reliqua verò agentis naturalia numquam per ſe corruptionem intendunt, ſed generationem: ignis enim cum deſtruit lignum, tantùm intendit productionem formæ ignis, quia tamen forma ligni incompoſſibilis eſt cum forma ignis, corruptio ligni ſequitur ignis generationem. Quomodo generatio vnius ſit corruptio alterius, & quis ſit ordo inter generationem, & corruptionem, explicui iam Controuerſ. 8. Phyſicor. Punct. 3. §. 2.

CONTROVERSIA III.

De augmentatione, ſeu aggeneratione ſubſtantiali & accidentali accretione.

AVGMENTATIO, ſeu aggeneratio ſubſtantialis eſt actio, quâ ſubſtantiale compoſitum ſit maius per quamdam quaſi partialem generationem, quam aggenerationem multi præcipuè ex recentioribus appellant, ex vi cuius acquirit nouam partem ſubſtantiæ, ſeu compoſiti, ſecundùm quam augetur, ideò poſtquam egimus de generatione totali, nunc agimus de partiali generatione, ſeu augmentatione ſubſtantiali compoſiti. Hanc augmentationem, ſeu aggenerationem ſubſtantialem conſequitur alia accidentalis augmentatio, ſeu accretio, quæ eſt acquiſitio quantitatis, ex vi cuius compoſitum ſit maius quantitatiuè, ſeu nouam quantitatem acquirit, quæ præcedenti vnita maiorem complet quantitatem, quam compoſitum acquirere dicitur per hanc accretionem, quia acquirit portionem illam, quæ in ratione maioris complet quantitatem, de vtraque augmentatione in hac Controuerſia ſermo erit propter vtriuſque affinitatem, & connexionem.

PVNCTVM PRIMVM.

Definitur augmentatio, & diminutio.

1 AVGMENTATIO ſubſtantialis definitur: *Motus à minori in maiorem ſubſtantiam*, cui opponitur diminutio, quæ eſt *motus à maiori ad minorem ſubſtantiam.* Terminus ille *minor ſubſtantia*, qui in priori definitione ponitur, tanquam terminus *à quo*, & in poſteriori tanquam terminus *ad quem* dicit duo, vnum poſitiuum, negatiuum aliud: Poſitiuum eſt ſubſtantia illa, quæ minor denominatur: negatiuũ eſt negatio quædam partis ſuperadditæ poſitiuæ præexiſtenti, ratione cuius minor denominatur, & per quam formaliter minor conſtituitur. In vtraque definitione intelligendus terminus ille, *minor ſubſtantia*, ſecundùm rationem negatiuam quam dicit, per quam formaliter ſubſtantia minor conſtituitur, ita vt terminus *à quo* augmentationis, & terminus *ad quem* diminutionis, qui ſignificantur hoc concreto *minor ſubſtantia*, formaliter vt termini tantùm importent quod negatiuum, hoc eſt negationem alius termini, quem reſpicit augmentatio. Ex hoc inferes augmentationem eſſe motum à negatione partis ſubiecti aucti ad nouam partem, ſecundùm quam viuens augetur: an verò ſit ad illam ſecundùm ſe, ſeu ad illam vt acquiſitam, ſeu ad illius acquiſitionem, ſeu vnionem, poſtea dicam. Eadem ratione diminutio ordine inuerſo eoſdem reſpicit terminos. Augmentatio, & diminutio vtrumque terminum *à quo*, & *ad quem*, eſſentialiter dicit, cui neceſſariò accidit mutatio licèt generationi accidentaliter contingat ratio mutationis, & accidentalis ſit reſpectus ad terminum *à quo*, ad negationem videlicet in ſubiecto præcedentem, hoc de augmentatione nequaquam dici poteſt, quia nulla pars ex his, quæ producuntur in inſtanti in quo primò gignitur compoſitum eſt illius augmentatiua, ſed primò conſtitutiua, dicit enim augmentatio addditionem ſupra id, quod prius tempore habuerat ſubiectum illud, cui ſit additio, quæ additio, eſſẽtialiter importat negationem præcedentem rei additæ. Eadem ratione diminutio dicit ablationem partis à toto, quod ramanet, quia ſi in eodem inſtanti, in quo pars hæc deſtruitur pereunt reliquæ compartes, & totum corrumpitur, totum non dicetur diminutum, ſed deſtructum.

2 Contingunt ſæpe in eadem menſura temporis augmentatio, & diminutio ſecundùm diuerſas partes ſubiecti quæ aliquando ita fient, vt tanta ſit portio ſubſtantiæ per augmentationem acquiſita, quanta ſit deperdita per diminutionem in quo caſu videtur augmentationem non eſſe motum à minori ad maiorem ſubſtantiam, neque diminutio à maiori ad minorem ſiquidem vtroque motu poſito tanta erit ſubſtantia, quanta fuiſſet in inſtanti præcedenti vtrumque motum ſimul factum. Quod ſi contingat plus ſubſtantiæ acquiri per augmentationem quam per diminutionem deperditur, diminutio non erit motus à maiori in minorem ſubſtantiam, ſiquidem in eodem inſtanti, in quo ſit diminutio ſubſtantia ſit maior: ſi verò plus deperdatur per diminutionem, quàm per augmentationem requiritur, augmentatio non erit motus à minori ad maiorẽ ſubſtantiam, quia in eodem inſtanti, in quo ſit augmentatio ſubſtantia ſit minor: videtur ergo non rectè definitam eſſe augmentationem, & diminutionem. Cæterum ſi inſpiciantur termini formles, quos ſupra augmentationi, & diminutioni aſſignaui, conſtabit integros in caſibus adductis ſubſiſtere, ſemper enim augmentatio habet pro termino *à quo* negationem partis, quæ per illam acquiritur, & pro termino *ad quem* partem acquiſitam, & diminutio habet

eadem

Digitized by Google

eadem ratione pro termino *ad quem* negationem partis, quæ deperditur & pro termino *à quo* partem poſitiuam in hoc inſtanti deperditam, & in præcedenti exiſtentem, & propriam ſubſtantiæ, quæ minuitur. Hi termini in augmentatione aſſignati per ſe loquendo, ſubſtantiam conſtituunt maiorem, ſi per accidens ex alio capite non minuatur, & abſolutè conſtituunt illam maiorem, quam eſſet ſi in illo inſtanti non contigiſſet, motus augmentationis illos reſpiciens, quod ſufficiens eſt vt talis motus dicatur à maiori in maiorem ſubſtantiam, licet aliquando per accidens non conſtituatur in illo inſtanti augmentationis ſubſtantia maior, quam fuerat in præcedenti ratione diminutionis. Idem inuerſo ordine dicito de diminutione, quæ per ſe ſubſtantiam conſtituit minorem ſi aliunde per accidens reſpectu diminutionis illius iactura non compenſetur per augmentationem, quæ in illo inſtanti contingat, & abſolutè ſemper conſtituit minorem ſubſtantiam, quàm eſſet in illo inſtanti, ſi talis modus diminutionis non accidiſſet.

3 Augmentatio ſubſtantialis contingit in ſubſtantia viuenti, & non viuenti: augmentatio ſubſtantiæ non viuentis nomine generico augmẽtationis contenta eſt, augmentatio viuentis ſubſtantiæ nutritio dici ſolet & inter vtramque magnum intercedit diſcrimen. Augmentatio non viuentis fit per iuxta poſitionem, pars enim ſecundùm quam fit augmentum applicatur certæ parti corporis aucti, & ſecundùm illud latus augetur corpus non viuens vt contingit in lapide, quem videmus maiorem fieri verſus vnam partem, & verſus aliam inuariatum permanere: viuentia augentur non per iuxta poſitionem vnius partis, ſed vniformiter difformiter ſecundùm omnes partes, ita vt in eodem tẽpore, in quo vna pars aliquota augetur, reliquæ omnes aliquotæ augeantur proportione ſeruatâ inter augmentum, & partem auctam, magis enim augetur pes, quàm naſus, quia pes maiorem terminum augmenti habet, quàm naſus, in eadem tamen temporis menſura, in qua naſus vltimam ipſius termini menſuram adimplet, pes proprium ipſius terminum complet, & ſic de reliquis partibus, omnes enim in eadem temporis menſura ad perfectum augmenti ſtatum perueniunt. Hic modus augmentationis expoſcit in viuentibus quandam attractionem alimenti, qua applicatur intimis illius partibus, vt in omnibus modo explicato vniformiter difformiter fiat alteratio. Hæc applicatio fit in ſenſitiuis per intùs ſumptionem, hoc eſt, per ſumptionem alimenti, quod viuens in ore dentibus conterit, & ſaliua alteratum in ſtomachum mittit, in quo fit prima coctio alimenti, quæ eſt ſecunda alteratio, virtute cuius pars quædam alimenti in ſubſtantiam quamdam albam conuertitur, quæ dicitur chylus, & pars altera excrementitia in inteſtina mittitur. Deinde chylus per venas, quas meſaraicas Medici appellant in iecur mittitur, vbi fit ſecunda coctio, quæ eſt tertia alteratio, maiorémque expurgationem cibus accipit. Iecur chylum in tres ſubſtantias elaborat, quædam eſt terreſtrior aliis naturæ atræ bilis, quæ deſcendit à iecore in lienem, & illum nutrit: leuior eſt naturæ cholericæ, ſeu flauæ bilis, quæ quaſi ſpuma ſupernatat, & aſcendit ad folliculum, ſeu veſicam fellis: Tandem ſubſtantia media eſt coloris rubri ſimilis iecori, quæ per venam cauam in reliquas partes corporis traiicitur, in quibus fit tertia coctio, quæ eſt quarta alteratio, per quam vltimo in ſubſtantiam viuentis alimentum conuertitur.

4 In quibuſdam viuentium augmentationibus producitur noua pars formæ vt contingit in augmentatione equi, in qua pars formæ, quæ introducitur in alimenti materiam diſtincta eſt à forma præexiſtenti, & in ipſo nutritionis inſtanti producitur noua pars modi vnionis inter formã præexiſtentem, & materiam alimenti, ad quam per nouam vnionem materia antiqua extenditur, vt contingit in nutritione hominis, in qua eadem indiuiſibilis forma rationalis, quæ antea materiam antiquam informabat, denuò materiam informat alimenti. Cæterùm augmentatio non viuentium aliquando contingit cum productione nouæ partis formæ, & modi vnionis inter formam producti, & materiam illius ſubſtantiæ, ex qua fit præexiſtentis augmentum, vt contingit cum ignis augetur ligno præexiſtenti. Aliquando in non viuentibus augmentatio contingit ſine noua productione partis formæ, aut partis modi vnionis eſſentialis, ſed tantùm per vnionem cuiuſdam compoſiti cum alio eiuſdem rationis, vt videre eſt quando amphora quædam aquæ cum alia permiſcetur, & per vnionem augetur, tunc enim maior pars ſeu compoſitum, quod maius erat dicitur auctum, & portio alia, quæ per vnionem pars eſt effecta, & erat compoſitum minus alio, augmentum dicitur; quod ſi vtrumque compoſitum ante vnionem erat æquale, vtrumque mutuò per alterum augetur. Augmentatio, in qua producitur noua pars formæ, aggeneratio formæ; & illa in qua producitur noua pars modi vnionis eſſentialis, aggeneratio vnionis eſſentialis dici ſolent, ſiue forma, & vnio pertineant ad compoſitum viuens, ſiue non viuens. Tandem aduerte vtramque aggenerationem tam viuentium, quàm non viuentium ſatis impropriè vocari ab aliquibus nutritionem, vt eam diſtinguant ab aggeneratione accidentali, ſeu accretione quantitatiua, quam abſolutè augmentationem appellant, communis tamen loquendi modus nomine augmentationis abſolutè prolato vtitur ad ſignificandam ſubſtantialem augmentationem communem ſubſtantiæ viuenti, & non viuenti, idémque nomen tribuit augmentationi non viuentium ſpecialiter ſumptæ, & nomen nutritionis viuentium augmentationi reſeruat, augmentationémque quantitatiuam appellat augmentationem accidentalem ſeu accretionem.

PVNCTVM II.

Quas actiones contineat, & in qua formaliter conſiſtat augmentatio.

Nonnullas actiones, ex his, quæ in augmentatione tam viuentium, quàm non viuentium reperiuntur, Puncto præcedenti inſinuaui, exactè modò omnes annumerabo, & definiam in qua illarum augmentatio ſubſtantialis tam viuentium, quàm non viuentium conſiſtat. 1

Mitto alterationes præuias, ex vi quarum producuntur diſpoſitiones ad augmentationem ſubſtantialem; hanc enim ab illis diſtingui probant rationes omnes, quibus ſtabiliuimus alterationem diſtingui à generatione. In augmentationibus viuentium, quorum forma indiuiſibilis non eſt, reperitur productio nouæ partis formæ, & in augmentationibus non viuentium, quæ non fiunt præciſè per vnionem compoſitorum eiuſdem rationis præexiſtentium ante nutritionem. In augmentatione horum non viuentium, ſicuti non producitur noua pars formæ, ita non producitur noua pars vnionis eſſentialis inter materiam, & formam quas acquirit ſubſtantia aucta: in omni verò augmentatione, in qua producitur noua pars formæ, & in omni viuentiũ augmentatione, etiamſi noua pars formæ non producatur, ſed antiqua extendatur ad nouam partem materiæ, ſemper producitur noua pars modi vnionis eſſentialis inter materiam alimenti, & formæ partem denuò productam, vel totalem formam indiuiſibilem antea præexiſtentem. Reperitur etiam in omni augmentatione actio per quam producitur vnio materiæ ſubſtantiæ auctæ cum vnione materiæ alimenti, ſeu ſubſtantiæ, quæ augmentum dicitur. Reperitur inſuper in omni augmentatione actio productiua vnionis integralis inter vnionem eſſentialem præexiſtentem, & partem vnionis eſſentialis, quæ in omni nutritione producitur, & in augmentatione non viuentium, in quibus producitur noua pars formæ, vel inter duplicem vnionem eſſentialem ſubſtantiarum, quæ mutuò augentur, vel vna augeri dicitur per vnionem ad aliam eiuſdem omnino rationis, quæ dicitur augmentum eo præciſè, quod ſit minor alia. Tandem reperitur in augmentatione non viuentium, & in augmentatione viuentium, quorum forma diuiſibilis eſt, actio terminata ad vnionem integralem formæ ſubſtantiæ auctæ cum parte formæ acquiſitæ. 2

Rationem augmentationis abſtrahentem ab omni augmentatione non poſſe conſtitui in productione nouæ partis formæ, neque in productione nouæ partis modi vnionis manifeſtum eſt, quia in augmentatione hominis non producitur noua pars formæ, neque in augmentatione aquæ noua pars modi vnionis producitur, neque actio terminata ad vnionem eſſentialem aquæ modo vnitæ præexiſtens ante aquarum vnionem poteſt dici formaliter augmentatio, quia tempore præceſſit augmentationem, & propter rationem, quam dabo ad excludendam à ratione formali completiua augmentationis actionem productiuam nouæ 3

nouæ partis modi vnionis. Similiter ſtatuo tanquam certum non ſufficere ad rationem formalem augmentationis actiones terminatas ad nouam partem modi vnionis, & ad vnionem integralem materierum, & vnionem integralem formæ antiquæ cum parte vnionis denuò acquirenda, ſi ſic ſit modò producta vt contingit in augmentatione ignis, & in nutritione equi, ſiue producta præextitiſſet vt accidit in augmentatione aquæ, ſi deficiat alia actio terminata ad vnionem integralem vnionis eſſentialis ſubſtantiæ auctæ, & ſubſtantiæ quæ dicitur augmentum, ſcilicet partis illius ſubſtantiæ, vel compoſiti, quæ antiquo accreſcit. Sit ratio: Poſitâ noua parte formæ vnitâ antiquæ præexiſtenti, & noua parte materiæ, etiam vnitâ materiæ præexiſtenti, dum vniones eſſentiales non vniuntur integraliter, compoſitum antiquum, v.g. equus, non eſt, auctus: ergo illæ actiones non ſufficiunt ad augmentationem. Antecedens probo: Equus (ſic loquere de quocumque compoſito etiam non viuente) eſſentialiter dicit materiam formam & vnionem: ergo vt ſit vnus equus debet includere vnam materiam, formam vnam, & vnam vnionem: ergo tota vnio, quæ pertinet ad vnum equum debet eſſe vnita, aliàs non erit vna, ſed duplex: ergo ſi noua vnio non vnitur cum antiqua, non fiet ex vtraque vna vnio, neque vnus equus. Confirmatur: Vnio integralis materierum denuò producta debet informari vnione formæ antiquæ, & partis formæ denuò productæ acquiſitæ, ſeu forma antiqua, ſi indiuiſibilis ſit, ſed non poteſt informari, ſi non producitur vnitiuum integrale vnionis eſſentialis antiquæ, & nouæ: ergo ſine hoc vnitiuo non poteſt reſultare vnum compoſitum ex materia noua, & antiqua. Probo minorem: informatio vnitiui materierum eſt vnitiuum vnionum eſſentialium: ergo non producto vnitiuo vnionum non datur informatio vnitiui materierum: ergo non eſt informata tota materia vnita: ergo materia vt informata non eſt vna, ſed duplex, ſiquidem non eſt informata illius vnio, per quam conſtituitur formaliter vna: ergo non poteſt conſtituere vnum compoſitum vt ſuprà inferebam, quia ad hoc vt detur vnum compoſitum debet dari vna materia informata forma.

4 Ex his infero, ad augmentationem eſſentialiter requiri actionem terminatam ad vnitiuum vnionum, & actionem terminatam ad vnitiuum materierum, & actionem terminatam ad vnitiuum vnionum eſſentialium, & vnionem terminatam ad vnitiuum formarum videlicet formæ antiquæ, & nouæ partis formæ, ſi forma compoſiti augendi diuiſibilis ſit. Affirmo inſuper in nutritione eſſentialiter includi actiones terminatas ad extrema harum vnionum, videlicet actionem terminatam ad materiam præexiſtentem, & actionem terminatam ad partem vnionis eſſentialis, quæ præexiſtenti vnitur, & actionem terminatam ad nouam partem formæ ſi compoſitum augendum forma diuiſibili gaudet. Probo hanc concluſionem: Per nutritionem augetur compoſitum ſecundùm materiam, & ſecundùm vnionem, & ſecundùm formam, ſi hæc eſt diuiſibilis: ergo compoſitum vt auctum dicit augmentum materiæ, & vnionis, & formæ, ſi hæc eſt diuiſibilis: ergo eſſentialiter dicit ex parte termini nouam materiam, nouam vnionem, nouam partem formæ ſi diuiſibilis eſt: ergo ex parte actionis dicit actiones terminatas ad nouam materiam, nouam vnionem, & nouam partem formæ ſi hæc eſt diuiſibilis: ergo augmentatio eſſentialiter dicit has omnes actiones, neque refert materiæ productionem tempore præcedere augmentationem, quia non ex eo quod aliquid tempore præcedat aliud, & poſſit ab illo ſeparari infertur non de eſſe illius eſſentia, quia materia prima tempore præcedit hominem, & ab illo ſeparatur, & tamen eſt de illius eſſentia. Confirmatur: compoſitum nutritum, ſeu auctum non ſolùm dicit ex parte termini acquiſitionem augmenti, ſed ipſum augmentum: ergo ex parte actionis non ſolùm dicit actionem terminatam ad acquiſitionem augmenti, ſed ipſum augmentum. Sed augmentum conſiſtit in noua parte materiæ, & noua parte vnionis, & noua parte formæ ſi hæc eſt diuiſibilis, quæ adiungitur compoſito: ergo augmentatio ex parte actionis dicit actiones omnes quæ reſpiciunt hos terminos. Notare tamen oportet in nutritione, ſeu viuentium augmentatione, etſi omnes actiones ſuprà dictæ ſint de illius eſſentia, ſpecialiter tamen actionem terminatam ad nouam partem formæ, & nouam partem vnionis intrinſecè & ex ſe ordinari ad nutritionē, quia non niſi in nutritione exerceri queunt; ſecus verò ſe habet actio terminata ad materiam, vt iam explico in non viuentium augmentatione.

5 In non viuentium augmentatione actiones reſpicientes materiam, formam, & vnionem, quæ denuò acquiruntur, exiſtimo non pertinere eſſentialiter, intrinſecè & ex ſe ad augmentationem, licèt hic & nunc huic augmentationi eſſentiales ſint propter rationem dictam de nutritione, quia nulla actio habet terminum, qui ex ſe vel ex modo producendi ſit augmentum, quia in non viuentium augmentatione ex eo præcisè dicitur hæc pars ſubſtantiæ augmentum, quia vnitur alij parti, ſeu alij compoſito maiori; quod ſi minori vniretur, non diceretur augmentum, ſed ſubſtantia aucta, etſi alij æquali neutrum extremum vnitum ſpecialiter eſt augmentum, ſed mutuò augeri dicitur. Quod ſi ignis partem aliam ignis producat quæ vnita videtur ſpecialiter poſſe dici augmentum: quia efficienter ab illo extremo, cui vnitur procedit, & ita non poteſt eſſe res aucta, quia res aucta non poteſt procedere ab augmento, augmentum rectè dicitur procedere à re aucta: at totum hoc eſt per accidens reſpectu huius partis ignis ſecundùm ſe ſumptæ, & ſecundùm modum, quo producitur, quia eadem numero, & eodem modo producta potuit non produci ab igne, à quo de facto producitur, & illi eodem modo vniri, quia pars ignis, cui præexiſtens ignis vnitur, non petit produci ab igne, cui eſt vnienda, vt illi vniatur, & eumdem augeat. Pars verò viuens, eo ipſo quod producatur non ſimul cum aliis compartibus, & cum hoc modo producendi, quem habet ſpecialiter nutritio, per intus ſumptionem valde diſtinctum à modo producendi per ſeminis tranſmiſſionem, petit vniri principio, à quo procedit, & ita ex modo producendi habet eſſe augmentum ſui principij, quod ſupponit exiſtens.

6 Vltimò affirmo: rationem formalem vltimò conſtitutiuam augmentationis, non viuentium & viuentium, quæque nutritio dicitur, tantùm conſiſtere in actione terminata ad vnitiuum integrale vnionis eſſentialis præexiſtentis cum noua vnione acquiſita. Probo hanc concluſionem: *hæc* actio eſt inſeparabilis à reliquis omnibus actionibus, quæ pertinent ad eſſentiam augmentationis, & reliquæ poſſunt ab hac ſeparari: ergo in hac tantùm conſiſtit ratio formalis, & completiua augmentationis. Priorem partem antecedentis, videlicet actionem hanc non poſſe ab aliis ſeparari, ſed illas ſupponere ſic probo: hoc vnitiuum integrale vnionum eſſentialium eſt informatio, media qua vnitiuum formarum, ſi forma eſt diuiſibilis, vel tota forma, ſi indiuiſibilis eſt informat vnitiuum materierum, & vnio eſſentialis inter vnitiuum materierum, & vnitiuum formarum (formæ antiquæ intellige, & partis formæ denuò productæ) ſi forma eſt diuiſibilis, vel inter vnitiuum materierum, & totam formam antiquam ſi indiuiſibilis eſt: ergo ſupponit vnitiuum materierum, & vnitiuum formæ diuiſibilis, vel totam formam indiuiſibilem, tanquam modus ſupponit rem, cuius eſt modus: ergo non poteſt ſeparari ab illis: ergo neque actio productiua huiuſmodi integralis vnionum eſſentialium poteſt ſeparari ab actionibus per quas producuntur vnitiuum materierum, & vnitiuum formæ antiquæ, & partis formæ denuò productæ, quando forma eſt diuiſibilis: ergo neque poteſt ſeparari ab actionibus, quibus producuntur extrema harum vnionum, quia ſicuti implicant ſeparari vniones ab extremis, ita implicat ſeparari actiones productiuas vnionum ab actionibus productiuis extremorum: ergo actio illa, quæ eſt connexa cum omnibus aliis actionibus productiuis vnionum connexa eſt cum actionibus productiuis extremorum harum vnionum: ergo implicat actionem productiuam vnionis integralis vnionum eſſentialium ſeparari ab actionibus productiuis vnionis integralis materiarum, & vnionis integralis formæ antiquæ, & partis formæ denuò productæ ſi forma ſit diuiſibilis, & extremorum harum vnionum. Itaque modus integralis vnionis eſſentialis antiquæ cum noua vnione integrali denuò acquiſita quatuor reſpicit extrema, quorum eſt modus. Duo ſunt vniones eſſentiales quas vnit, quarum eſt vnitiuū integrale, ex vi cuius reſultat vna integra vnio eſſentialis, ſeu informatio: & duo alia ſunt vnitiuum materierum, & vnitiuum formarum, quorum eſt eſſentialis vnio, ſeu formatio, ſi forma diuiſibilis ſit, vel vnitiuum materierum & totam formam compoſiti, ſi hæc indiuiſibilis eſt.

7 Totus hic diſcurſus rem legitimè concludit per ineuitabiles illationes deductas ex eo quod vnitiuum integrale vnionum

Digitized by Google

vnionum ſit vnitiuum eſſentiale inter vnitiuum materierum, & vnitiuum formarum, quod iterum confirmo. Vnitiuum materiæ denuò productum debet informari, & vnitiuum formæ diuiſibilis denuò productum in augmentatione debet informare, ſed nihil materiæ eſt, quod informet vnitiuum formæ productum materiæ, & nihil formæ, quod informet vnitiuum materiæ, præter vnitiuum formæ: ergo vnitiuum materiæ informatur vnitiuo formæ: ergo debet dari informatio, ſeu vnio inter hæc vnitiua, quæ alia non poteſt eſſe præter vnitiuum integrale vnionum, reliquæ enim partes vnionis partes materiæ, & formæ reſpiciunt. Confirmatur: quidquid eſt in vnione eſſentiali eſt informatio: ergo vnitiuum integrale partium huius eſt informatio: ſed tantùm poteſt eſſe informatio inter vnitiuum materierum, & formarum: ergo eſt vnitiuum illorum. Maior per ſe patet; liquet minor in augmentatione aquæ, in qua nihil denuò producitur, quod informet, & informetur præter hæc vnitiua.

8 Reliquas actiones poſſe ab hac ſeparari facilè probatur: poſſunt pars materiæ adueniens, & pars adueniens formæ vniri materiæ, & formæ præexiſtenti, & pars noua materiæ informari noua parte formæ, & non vniri integraliter vnio eſſentialis antiqua inter materiam, & formam antiquá cum noua parte vnionis eſſentialis: ergo actiones productiuæ vnionis integralis materierū, & vnionis integralis formarum, poſſunt ſeparari ab vnione integrali vnionem eſſentialium. Conſequentia firma eſt, rectè enim valet: termini ſeparantur: ergo actiones. Antecedens probo: Vnio integralis materierum, & vnio integralis formarum non ſunt modi reſpectu vnionis integralis vnionum eſſentialium, ſed potius hæc eſt modus reſpectu illarum, quæ per hanc inter ſe vniuntur vnione eſſentiali, ex vi cuius vnitiuum formarum informat vnitiuum materierum: ergo poterunt vniones integrales materierum, & formarum ſeparari ab vnione integrali vnionum eſſentialium, licet hæc non poſſit ab illis ſeparari. Confirmatur: eodem modo ſe habet hoc vnitiuum integrale vnionis eſſentialis reſpectu vnitiui integralis materierum, & vnitiui integralis formarum, quorum eſt informatio, ac ſe habet pars vnionis eſſentialis reſpectu partis materiæ, & partis formæ, quarum eſt informatio, ſed quælibet pars materiæ, & quælibet pars formæ poſſunt ſeparari à parte vnionis eſſentialis, per quam pars materiæ informatur parte formæ: ergo eodem mdo vnitiuum materierum, & vnitiuum formarum poſſunt ſeparari ab vnitiuo integrali vnionis eſſentialis. Vrgeo: tota materia, & tota forma poſſunt ſeparari à tota vnione eſſentiali, ita vt hæc non exiſtat, & illæ exiſtant, ſed in hoc caſu vnitiuum partium formæ, & vnitiuum partium materiæ eſſent eadem, quæ in augmentatione fuerunt producta, ſi compoſitum ante hanc ſeparationem materiæ & formæ eſſet auctum, & ſepararentur ab vnitiuo vnionis eſſentialis: ergo vnitiuum integrale materierum, & vnitiuum integrale formarum optimè poſſunt ſeparari ab vnitiuo integrali vnionis eſſentialis. Dices poſſe vnitiua integralia materierum, & formarum ſeparari ab vnitiuo integrali vnionis eſſentialis, caſu quo ſeparentur partes formæ, & partes materiæ à partibus vnionis eſſentialis, non verò quando partes non ſeparantur. Contra: vnitiuum integrale materierum, & formarum non reſpiciunt immediatè partes vnionis eſſentialis, ſed vnitiuum illarum, ratione cuius inter ſe vniuntur: ergo ſi poſſunt exiſtere ſine hoc vnitiuo, per quod vniuntur, & vnitiuum formarum informat vnitiuum materierum, poterunt exiſtere, ſiue exiſtant partes vnionis eſſentialis, per quas vniuntur partes materiæ cum partibus formæ, & hæ illas informent, ſiue hæ partes vnionis eſſentialis non exiſtant. Confirmatur: omnes partes huius vnionis diuiſibilis, quæ modo eſt inter materiam, & formam equi poſſent exiſtere de potentia abſoluta, corrupto aliquo indiuiſibili vnitiuo integrali illarum, quia ab illo diſtinguuntur tanquam res à modo, ſed illo indiuiſibili corrupto indiuiſibile materiæ, & indiuiſibile formæ, quæ vniebantur indiuiſibili corrupto permanerent non vnita inter ſe, & reliquæ partes formæ, & materiæ cum eadem vnione, quam antea habebant: ergo rectè poſſunt ſeparari vnitiuum partium formæ, & vnitiuum partium materiæ ab vnitiuo vnionis eſſentialis inter materiam; & formam, etiamſi partes materiæ, & partes formæ non ſeparentur è partibus vnionis, & conſequenter poterunt omnes partes materiæ informari partibus formæ, aliquod vnitiuum materiæ non informari, neque vnitiuo formæ, quo erat informandū quando forma eſſet diuiſibilis, neque forma adæquata qua naturaliter debet informari, ſi forma cõpoſiti indiuiſibilis eſt.

9 Obiic. Per eandem actionem producuntur pars vnionis eſſentialis, & illius integrale vnitiuum: ergo non poteſt produci pars vnionis eſſentialis, quin producatur illius integrale vnitiuum. Mala argumentatio: do per eamdem actionem produci partem, & illius vnitiuum quando de facto vnitiuum producitur, nihilominus negari non poteſt partem poſſe produci ſine vnitiuo quod tu dicis produci per eamdem actionem cum parte, quando de facto producitur, quia hæc pars vnionis eſſentialis, quæ producitur integraliter vnita alteri, quádo producuntur ſex partes vnionis, poſſet non vnita produci, ſi tantum producerentur quatuor partes vnionis, ſeu vnio eſſentialis conſtans quatuor partibus: ergo certum eſt hanc partem vnionis potuiſſe produci ſine illo vnitiuo integrali, ex vi cuius vniretur alij parti vnionis eſſentialis. Quod ſi eadem actio indiuiſibiliter ſumpta eſſet productiua partis vnionis eſſentialis, & vnitiui integralis eiuſdem, eadem vt productiua integralis vnitiui integralis vnionis eſſentialis; & non vt productiua partis eiuſdem vnionis eſſet formaliter augmentationis completiua. Neque res ita ſe habent, ſicut enim in vnione eſſentiali diſtinguuntur partes eiuſdem vnionis, & vnitiua, per quæ hæ partes integraliter vniuntur, ſic in actione terminata ad vnionem diſtinguuntur partes actionis terminatæ ad partes vnionis, & vnitiua partium vnionis, & ſicuti pars vnionis ſubiectatur in parte materiæ, & materiæ partem vnit ad partem formæ, ſic vnitiuum vnionis eſſentialis ſubiectatur in vnitiuo materiæ, & illud vnit vnitiuo formæ, omnis enim actio habet idem ſubiectum, ac habet terminus, quem reſpicit. 10

De ordine harum actionum diſputari ſolet, de quibus breuiter quid dicendum ſit explicabo. Omnes has actiones in eodem inſtanti temporis exiſtere certum eſt. Natura priorem eſſe productionem vnitiui materierum: ex quo ducuntur vnitiuum vnionum, & vnitiuum formæ diuiſibilis mihi certum eſt, quia vnitiuum materiæ quod eſt materialis cauſa vnitiui vnionis, & vnitiui formarum debet prius naturâ ad illa ſupponi, idémque intercedit ordo inter actiones, ac inter illarum terminos reperitur. In ſententia, quæ aſſerit formam, & modum vnionis eadem indiuiſibili actione produci, dicendum eſt vnitiuum formarum, & vnitiuum materierum produci eadem indiuiſibili actione, & ita nullus ordo in productionibus horum terminorum, quæ realiter non diſtinguuntur quærendus eſt. In noſtra ſententia, quæ aſſerit vnionem, & formam per diſtinctas actiones produci, eodem modo de his vnitis philoſophandū eſt, & aliqua prioritas concedenda actioni, ex vi cuius producitur vnitiuum formarum, quod vt terminus ſupponitur ad vnitiuum vnionum, quod illius eſt modus ſeu informatio, & à quo non poteſt ſeparari, hæc tamen prioritas propria non eſt, quia terminus præcisè vt terminus vnionis, quæ eſt illius modus, non eſt propriè cauſa, neque in aliquo genere cauſæ influit in talem modum, ſeu vnionem; nam ſi comparemus actionem productiuam vnitiui formarum cum parte formæ denuò producta, cuius eſt modus, & actionem productiuam vnitiui vnionum eſſentialium cum actione productiua nouæ partis vnionis, cuius ſimiliter eſt modus, ſeu integralis vnio, eamdem prioritatem habent, ac ipſi termini inter ſe, non propriam, & rigoroſam in aliquo genere, ſed impropriam eo modo, quo dependet modus à re, ſeu vnio à termino, à quo ſeparari non poteſt, vt nuper explicabam.

PVNCTVM III.

De potentia nutritiua, & illius actu.

1 NVtritio ſpecies quædam eſt augmentationis, in qua ratio communis augmentationis contrahitur ad ſpecialem rationem augmentationis ſubſtantiæ viuentis. Hanc augmentationem viuentis, ſeu nutritionem ſemper contingere cum aggeneratione nouæ partis modi vnionis, & in compoſitis, quorum forma eſt diuiſibilis cum aggeneratione partis formæ ſubſtantialis, dixi iam puncto præcedenti. Terminum per nutritionem productum eiuſdem ſpeciei eſſe cum termino producto in generatione eiuſdem Viuentis nulli dubium eſſe poteſt. Quia terminus

generationis, & terminus nutritionis tantùm diſtinguuntur, ſicuti diſtinguitur totum à parte integrali ipſius, eaenim ratione, qua generatio reſpicit totam formam productam in generatione, nutritio reſpicit partem formæ productam in nutritione conpoſiti ſubſtantialis, cuius forma diuiſibilis eſt, & eadem ratione, qua generatio reſpicit totam formam & vnionem productam, reſpicit nutritio partem vnionis, & partem formæ productam in nutritione, ſed pars formæ non differt eſſentialiter à tota forma, neque pars vnionis à tota vnione: ergo non differt eſſentialiter terminus nutritionis à termino generationis. Neque ex eo quod nutritio reſpiciat vnitiua integrantia partis vnionis denuo productæ cum vnione antiqua, & partis formæ productæ cum forma antiqua, aliqua ſpecialis differentia accreſcit termino nutritionis, quia in generatione, in qua producitur modus vnionis diuiſibilis & forma diuiſibilis, producuntur plura vnitiua integralia partiũ vnionis inter ſe, & partium formæ inter ſe, quæ in ſe includunt forma diuiſibilis & indiuiſibilis vnio. Actionem nutritiuam, & generatiuã ſpecie diſtingui, etiamſi illarum termini non diſtinguantur, fert communis ſententia his validis rationibus ſtabilita. Generatio eſt actio tranſiens, nutritio eſt actio per ſe immanens: actio tranſiens, & actio immanens ſpecie diſtinguuntur: ergo generatio, & nutritio ſpecie diſtinguendæ ſunt. Secundò generatio non eſt actio vitalis, nutritio eſt actio vitalis, ſed actio, quæ non eſt vitalis ſpecie diſtinguitur ab actione vitali: ergo generatio ſpecie diſtinguitur à nutritione: Generationem non eſſe actionem immanentem per ſe notum eſt: non eſſe actionem vitalem infert communis ſententia ex eo quod immanens non ſit: nutritionem eſſe tum immanentem, tum vitalem oſtendo Controuerſia ſecunda de anima, puncto tertio.

2 Nutritionem fieri quouſque viuens perueniat ad perfectum ſtatum in omnibus partibus notabilibus viuentis, ſeu in omnibus, quæ ſpecialem habent deorganizationem, atque figuram, certum eſt, videmus enim pedes, manus, brachia, & caput vniformiter difformiter creſcere, & omnia oſſa vniformiter difformiter augeri quouſque viuens perueniat ad perfectum ſtatum. Dixi nutritionem fieri in omnibus partibus notabilibus viuentis, ſeu in omnibus, quæ ſpecialem habent deorganizationem, quia certum eſſe exiſtimo, non fieri quotieſcumque fit in omnibus partibus quantumuis minimis viuentis, quia non omnibus applicatur alimentum, & quia ſi ita fieret nutrito, vt cuilibet parti quantumuis minimæ, alia adderetur in quocumque nutritionis inſtanti viuens duplo maius aſſurgeret. Contingit etiam per accidens notabilem nutritionem fieri in aliqua viuentis parte, & tunc temporis vix vllam, nullamve fieri in reliquis partibus, vt cùm brachium ratione vulneris inflicti, aliúſve morbidæ qualitatis, qua ſpecialiter laborauit, nimiam diminutionem paſſum eſt, quam reliquæ partes viuentis non ſuſtinuêre, & poſtea ſe ad perfectum ſtatum reſtituit, tunc enim brachium illud nutritur, donec cum alio quod vulnere, morbidáve qualitate non laborauit proportionem ſeruet.

3 Poſtquam homo totam expleuit ſtaturam, augeri, & nutriri ſecundùm partes carneas certum eſt, dubium verò, an illius oſſa nutriantur. Negatiuam partem defendo, quia nunquam videmus hominem poſtquam ad illum ſtatum peruenit augeri, aut minui ſecundum altitudinem, quod contingeret ſi oſſa illius minuerentur, quia hominis (idem de quocumque alio viuenti ſenſitiuo dicito) altitudo ex oſſium longitudine conſtat. Nam poteſt dici augeri oſſa ſecundùm latitudinem, non verò ſecũdùm longitudinem, eadem eſt enim vtriuſque augmenti ratio, oſſa enim non creſcunt in homine, qui ad ſtatum peruenit, quia extincta humiditate exſiccantur, illorũmque clauduntur pori, ita vt non poſſint alimentum ad nutritionem diſponere. De termino magnitudinis & paruitatis tam viuentium, quam non viuentium dicam puncto 5.

4 Oſtendam Controu. 3. de anima punct. 2. potentias realiter ab anima non diſtingui, ſed omnes cum illa realiter identificari, & ita iuxta hanc ſententiam potentiam nutritiuam à generatiua realiter non diſtingui perſpicuum eſt. Realiter has potentias diſtinugendas eſſe ab anima in opinione, quæ potentias ſuperadditas admittit, dici probabilius exiſtimo. Infero hàc diſtinctionem potentiarũ inter ſe ſuppoſita diſtinctione ſpecifica actuum, quam oſtẽdi, & ex diuerſis organis & diſpoſitionibus requiſitis ad proprios actus, nutritio enim fit per intus ſumptionem alimenti, generatio verò per coniunctionem maris, & fœminæ, & ſeminum commixtionem. Propter eamdem rationem potentias has formaliter inter ſe diſtinguo in mea ſententia, quæ illas animæ ſuperadditæ non cõcedit, ſicut enim ex diſtinctione ſpecifica intellectionum, & volitionum, & ex diuerſo modo, quo hi actus producũtur, potentiam intellectiuam & volitiuã formaliter diſtinguimus, ſic propter eãdem diſtinctionẽ, & diuerſitatem, quæ intercedit inter nutritionẽ & generationem illorum principia debemus diſtinguere.

5 Addo inſuper in ſententia, quæ admittit potentiam nutritiuam diſtinctam ab anima adhuc neceſſariò dicendum eſſe ipſam animam immediatè concurrere ad nutritionem, quia terminus per nutritionem productus eſt ſubſtantia, & ita non poſſe non procedere à principio, quod ſubſtantia non ſit, quia accidens quale eſſet potentia nutritiua ſuperaddita, non poteſt eſſe principiũ adæquatum productiuum ſubſtantiæ. Inſuper in ſententia, quam tradidi Controu. 9. Phyſic. punct. 3. vbi probaui non poſſe adhuc inadæquate accidens actiuè in ſubſtantiam influere, ex hoc principio ſpecialiter expugnanda eſt hæc potentia nutritiua ſuperaddita.

6 Subtilior alia inſurgit difficultas, an videlicet ad nutritionem viuentis ſenſitiui ſupponatur illius anima tantum formaliter vt nutritiua, ſeu vegetatiua, an verò ſupponatur etiam vt ſenſitiua. Et ratione eadem an ad nutritionem hominis ſupponatur anima vt vegetatiua tantùm, an etiam vt vegetatiua, ſenſitiua & rationalis. Eadem eſt difficultas de vtraque anima, ideò tantùm rationes dubitandi proponam in anima ſenſitiua, quæ ſi formaliter vt ſenſitiua ſupponatur ad nutritionem, rationalis vt ſenſitiua, & vt rationalis ad nutritionem ſupponetur: ſi verò ſenſitiua tantùm vt nutritiua ſupponatur ad nutritionem, & non vt ſenſitiua, rationalis anima tantùm nutritiua, & non vt ſenſitiua, & rationalis ad nutritionẽ ſupponetur. Principium ſenſitiuum non ſupponi formaliter vt ſenſitiuum ad nutritionem ſic ſuadetur: ſenſitiuum vt ſenſitiuum tantùm dicit ordinem ad ſenſationem, ſed nutritio non eſt ſenſatio: ergo ſenſitiuum vt ſenſitiuum non dicit ordinem ad nutritionem. Maiorem probo ſenſitiuum vt ſenſitiuum tantùm eſt principium ſenſationis, ſed principium, vt tale principium eſt, tantùm dicit ordinem ad illud cuius eſt principium: ergo ſenſitiuum vt, ſenſitiuum eſt, tantum dicit ordinem ad ſenſationem: ergo equus, aut forma equi formaliter vt principium ſenſitiuum tantùm debet ſupponi ad ſenſationem. Minor, in qua aſſeritur nutritionem non eſſe ſenſationem in quæſtionem non cadit. Conſequentia videtur legitima. Oppoſitam ſententiam, videlicet ad nutritionem equi debere ſupponi equum aut formam equi, non ſolùm vt principium vegetatiuum, ſed vt principium ſenſitiuum ſic formo. In nutritione ex parte termini producitur portio formæ habentis formaliter virtutem ſenſitiuam & productio modi vnionis conſtituẽtis viuens ſenſitiuum, & quoddam quaſi inadæquatum integraliter viuens quod formaliter eſt ſenſitiuum, & habet virtutem ſentiendi: ergo ex parte principij debet ſupponi formaliter principium formaliter productiuum principij ſenſitiui, ſeu huius inadæquati viuentis ſenſitiui quod producitur in nutritione: ſed virtus ſenſitiua ſubſtantialis, ſeu viuens hoc inadæquatum ſenſitiuum tantùm poteſt procedere à viuente ſenſitiuo formaliter: ergo terminus iſte productus per nutritionem ſupponit viuens ſenſitiuum formaliter. Reſpondebis viuens hoc inadæquatum, ſeu partem integralem viuentis ſenſitiui prductam in nutritione ſupponere ex parte principij ſenſitiuum eminenter & virtualiter, non verò ſenſitiuum formaliter, hoc eſt principium potens producere viuens ſenſitiuum, ſeu virtutem ſentiendi, non verò formaliter vt potens producere ſenſationem, ſed vt principium ſenſationis. Contrà: nutritio formaliter eſt actio vniuoca reſpiciens terminum eiuſdem ſpeciei cum principio à quo fluit, ſed terminus nutritionis eſt principium productiuum ſenſationis: ergo ſupponit principium formale productiuum ſenſationis.

7 Dicendum eſt in nutritione equi ſupponi ex parte principij principium ſenſitiuum non formaliter ſumptum vt principium ſenſationis, ſed ipſum principium formale ſenſationis materialiter ſumptum vt eſt principium formaliter productiuum alius principij ſenſationis, quod eſt ſupponi principium formale ſenſationis materialiter ſumptum vt tale eſt, & ſumptum formaliter quatenus principium

formale

Digitized by Google

formale alius viuentis inadæquati habentis ſimilem virtutem ſenſitiuam ad producendas ſenſationes. Ad vltimam obiectionem factam numero præcedenti, reſpondeo terminum nutritionis eſſe vniuocum ſuo principio habenti virtutem producendi ſenſationem, & producendi principium adæquatum ſenſationis in his duobus prædicatis, quatenus termino eadem correſpondet, quia virtutem habet producendi ſenſationem & producendi per nutritionem aliud principium inadæquatum ſenſationis. Ex his ergo duobus prædicatis quæ vniuocationem fundant inter principium, & terminum nutritionis, terminus ſupponit formaliter ex parte principij prædicatum, quod fundat vniuocationem in virtute producendi aliam virtutem ſentiendi integraliter inadæquatam, ſeu aliud viuens ſenſitiuum integraliter inadæquatum, & materialiter tantùm prædicatum aliud, quod fundat vniuocationem in virtute producendi ſenſationem, & ita nutritio eſt actio formaliter vniuoca, quatenus reſpicit principium, & terminum, quibus ineſt virtus producendi aliud principium ſentiendi, & tantùm materialiter quatenus reſpicit principium, & terminum, quibus ineſt ſimilis virtus ad ſenſationes producendas, terminus enim non ſupponit formaliter ex parte principij virtutem, quæ fundat hanc vniuocationem, ſed quæ priorem illam conſtituit. Secundùm hanc ſententiam contentimus argumentis adductis pro priori philoſophandi modo, & ſoluta manent, quæ pro poſteriori adduximus.

PVNCTVM IV,

Quomodo differat accretio accidentalis à nutritione.

1 ACcretio quantitatiua, & accidentialis, ſicuti ſubſtantialis augmentatio duplici modo contingit. Primò in non viuentibus per iuxtà poſitionem. Secundò in viuentibus per intùs ſumptionem hauſto alimento, diſpenſatoque per varias corporis partes, in quibus fit augmentatio quantitatiua, quapropter multa, quæ de augmentatione dicuntur, eodem modo de accretione dicenda ſunt, vtraque enim ſecundùm eaſdem partes, & in eodem tempore contingere neceſſe eſt, cùm quotieſcumque nouam materiam acquirit ſubſtantia, quæ augetur, illam acquirat quantitate informatam, antiqua ſi eadem ſint accidentia in genito, & in corrupto; vel noua, ſi reſolutio vſque ad materiam fiat in generatione. Eadem enim continget in nutritione, quæ eſt quædam quaſi partialis generatio ſubſtantiæ, quæ augetur, & corruptio alimenti, ſeu ſubſtantiæ ex qua fit augmentum. Solent nonnulli obiicere Ariſtotelem dicentem viuens ſemper nutriri, non tamen ſemper augeri, ex quo inferre volunt nutritionem, & accretionem accidentalem non ſemper in eodem tempore contingere, & eſſe actiones realiter diſtinctas. Verumtamen hoc teſtimonium Ariſtotelis ad rem non eſt, quia cùm in nutritione acquiratur noua pars materiæ, & hæc debeat informari quantitate, & non poſſit informari quantitate materiæ antiquæ, quia eadem quantitas, quæ modò materiam hanc informat, non ſe poteſt extendere ad nouam materiam priori non relictà, neceſſariò cum noua parte materiæ nouæ quantitatis debet accreſcere viuenti. Ariſtoteles verò intendit prædictis verbis ſignificare nutritionem fieri in viuentibus aliquando, ita vt non ex vi illius, neque ex vi quantitatis denuo requiſitæ euadant maiora, quia tantundem amittunt per diminutionem ſubſtantialem, & accidentalem, quantùm per augmentationem ſubſtantialem, & accretionem accidentalem acquirunt. Itaque eodem modo de ſubſtantiali augmentatione, & de accretione accidentali philoſophandum eſt, in ordine ad durationem, & extenſionem, & in ordine partes, quibus contingit, neque vnquam augmentatio ſubſtantialis ſine accretione contingit propter rationem dictam, neque accretio quantitatiua ſine noua augmentatione, quia nunquam acquiritur noua pars quantitatis, ſine noua parte materiæ, neque noua pars materiæ ſine noua parte formæ, ſi forma compoſiti, quæ nouam materiam acquirit diuiſibilis ſit, aut ſine eo quod forma compoſiti, ſi indiuiſibilis eſt, quæ in compoſito præceſſit ſe extendat ad nouam illam materiæ partem, & ita indiuiduè accretio quantitatiua augmentationem ſubſtantialem comitatur. Definitur accretio quantitatiua: *Motus à minori ad maiorem quantitatem*, & diminutio accidentalis, ſeu decretio huic accretioni oppoſita definiri poteſt: *Motus à maiori ad minorem quantitatem*. Definitiones hæ eodem modo explicandæ ſunt, quo explicui puncto 1. definitiones augmentationis, & accretionis ſubſtantialis.

2 Difficultas eſt, in qua actione formaliter conſiſtat hæc accidentalis accretio, & quæ actiones diſtinctæ ab illis, quas in augmentatione ſubſtantiali annumerauimus in accidentali accretione reperiantur. Patres Conimbr. cap. 5. quæſt. 14. art. 2. aſſerunt accretionem eſſe actionem diſtinctam ab augmentatione, quam opinionem plures recentiores ſequuntur. Accretionem quantitatiuam non diſtingui ab augmentatione ſubſtantiali defendunt Marſ. lib. 1. de Generat. quæſt. 10. Albert. de Saxonia quæſt. 9. quibus ſubſcribunt plerique recentiores aſſerentes per eandem actionem, qua ſubſtantiale compoſitum acquirit nouam ſubſtantiam abſque vlla alia ſuperaddita acquirere nouam quantitatem,

3 PRIMA CONCLVSIO: In accretione accidentali non producitur noua pars quantitatis. Probatur hæc concluſio ex dictis Controuerſ. 1. punct. 3. vbi probaui eamdem quantitatem manere in genito, & in corrupto, & ita cum eadem quantitate remanet materia vnita viuenti, quam habebat dum erat ſub alimenti forma.

4 SECVNDA CONCLVSIO: Vt viuens habeat plus quantitatis non neceſſe eſt vniri quantitatem materiæ præexiſtenti cùm quantitate, quæ materiæ partem de nouo acquiſitam informat, ſed ex eo quod fiat nutritio ſubſtantialis, & materia, quæ per nutritionem acquiritur ſit informata quantitate dicetur viuens plus quantitatis habere. Ratio eſt facilis, quia quantitas illa informans materiam in nutritione acquiſitam, etiamſi cum quantitate præexiſtenti non vniatur pertinebit ad illud viuens, quod ex nutritione reſultat: ergo viuens illud plus quantitatis habebit, ac habebat antea viuens, quod ad nutritionem ſupponebatur. Antecedens probo, ſi modo quantitas mei brachij diuiſa eſſet à quantitate corporis, tam quantitas corporis, quam quantitas brachij ad me pertineret: ergo vt ego habeam plus quantitatis non requiritur totam quantitatem eſſe inter ſe vnitam, ſed ſufficiet informare materiam meam. Idem dicito de quocumque compoſito ſiue viuenti, ſiue non viuenti.

5 TERTIA CONCLVSIO: Vt viuens, ſeu quodlibet corpus creſcens fiat maius quantum, neceſſum eſt quantitatem antiquam, & partem quantitatis, quæ illi aduenit inter ſe vniri, non tamen in vnitione, ſeu actione, qua producitur talis vnio quantitatum conſiſtet vltimò formaliter, & completiuè accretio, quâ ſubiectum fiet magis quantum. Requiri vnionem quantitatum ſic probo: Vt ſit maius quantum requiritur maior quantitas, ſed vbi non eſt vnio quantitatis ad quantitatem non poteſt eſſe maior quantitas, quantumuis noua quantitas adueniat, quia plures quantitates non vnitæ non vnam quantitatem maiorem conſtituent, ſed maiorem multitudinem, ſeu maiorum numerum quantitatum. Secundam partem concluſionis probo. Poſſent ſaltem de potentia abſoluta vniri quantitates, & non vniri ſubiecta illarum: ſicuti poſſent vniri partes formæ ſubſtantialis non vnito ſubiecto, ſed diuiſo in duo extrema, ſed tunc non fieret vnum quantum, quod dicit vnum ſubiectum, & vnam quantitatem; ergo ratio formalis vltimò completiua non conſiſtit in illa quantitatum vnione, ſiquidem hæc non ſupponit omnes actiones requiſitas vt ſit vnum maius quantum.

6 QVARTA CONCLVSIO: Formaliter & vltimò completiuè accretio obiecti primarij & per ſe quanti conſiſtit in actione, per quam producitur informatio, ſeu vnio inter vnitiuum quantitatum, & vnitiuum materierum, quæ quidem informatio eſt vnio informatiua inter hæc extrema, & vnio integralis inter informationem, ſeu vnionem quantitatis antiquæ cum ſubiecto antiquo, & inter vnionem, ſeu informationem quantitatis nouæ cum ſubiecto nouo. Hæc concluſio probanda eſt eiſdem rationibus, quibus probaui augmentationem ſubſtantialem conſiſtere vltimò completiuè in productione ſimilis vnionis inter vnitiuum materierum, & vnitiuum formarum. Recole ibi dicta, & inuenies omnia eodem modo procedere in augmentatione accidentali, quia ſicut terminus illius actionis, in qua conſtitui ſubſtantialem augmentationem, qui eſt vnitiuum eſſentiale inter vnitiuum formarum, &

materierum reſpicit quatuor extrema, quorum eſt modus, duo vnitiua relata tanquam materiam, & formam, quorum eſt informatio, & duplicem aliam informationem, ſeu vnionem quamdam inter materiam, & formam antiquam, & aliam inter materiam, & formam nouam, ſic terminus huius actionis reſpicit quatuor alia extrema vnitiuum materierum, & vnitiuum quantitatum tamquam materiam,& formam quarum eſt informatio, & duplicem informationem, quamdam inter quantitatem antiquam, & materiam antiquam, & aliam inter quantitatem nouam, & materiam nouam tanquam extrema, quorum integralis vnio, (voco nouam quantitatem, quia nouiter adquiritur non quia nouiter producatur.) Et ita ſicuti actio illa vltimò, & completiuè conſtituit vnum ſubiectum informatum vnâ formâ ſubſtantiali ſubſtantialiter auctum, ita hæc actio vltimò,& completiuè conſtituet vnum ſubiectum quantum accidentaliter auctum in ratione quanti.

7 Dabo quintam concluſionem poſtquam monuerim,conſultò me dixiſſe in actione ſuperaddita conſiſtere formaliter augmentum ſubiecti primarij, & per ſe quantitatis, quod non vanè dictum colliges ex his, quæ iam ſubiicio. Duplex eſt ſubiectum quantitatis in mea ſententia; primarium, cui quantitas inhæret, & cui vnitur immediatè, hoc eſt,in mea ſententia materia prima,cum qua quantitas conſtituit quoddam concretum accidentale ex materia ſubſtantiali & forma accidentali inter ſe vnitis. Aliud eſt ſubiectum ſecundarium videlicet totum, quod quantum denominatur tantùm ratione materiæ, cui primariò, & per ſe ineſt quantitas. Hæc numero quantitas, & hæc numero informatio quantitatis nullam habent connexionem cum toto, quod tantùm eſt ſubiectum denominationis, ſed eadem numero permanebit ſiue totum permaneat, ſiue corrumpatur dum eadem permaneat materia, licet dum eſt totum, illud quantum denominet. Ex his infero, & ſit.

Qvinta conclvsio: actionem illam, in qua conſtitui vltimam rationem formalem accretionis ſubiecti primarij quantitatis, ſeu quanti reſultantis ex quantitate, & ſubiecto primario, non ita intrinſecè & per ſe vltimò conſtituere totum ſubſtantiale maius quantitatiuè, ſeu accidentaliter, vt non poſſit non illud conſtituere maius quantitatiuè ex defectu ſubiecti, ſeu totius capacis huius denominationis, quam extrinſecè quantitas toti ſubſtantiali communicat. Si tamen tale totum ſubſiſtat ex vi illius actionis accidentaliter, & quantitatiuè augebitur. Rem probo, & explico. Poſſent de potentia abſoluta hæc materia quanta hominis vniri illi materiæ primæ quantæ alimenti & quantitas hominis, & quantitas alimenti inter ſe vniri, & vnitiuum quantitatum vniri vnitiuo materierum, & illud informare, & adhuc materia alimenti retinere formam alimenti, & materia hominis formam hominis: in hoc caſu eſſet vnum maius quantum ex materia hominis, & alimenti vnitis, quæ conſtituerent vnam materiam, & ex quantitate hominis, & alimenti, quæ conſtituerent vnam quantitatem integraliter vnitam, & ex vna materia, & vna quantitate vnitis reſultaret vnum concretum quantitatiuum tantùm ex materia, & quantitate hominis. Tamen hoc caſu non dicetur compoſitum aliquod ſubſtantiale auctum quantitatiuè, quia quantitas alimenti, etſi informet materiam vnitam materiæ hominis, non informat materiam hominis, & ita non conſtituit hominem magis quantum. Illa verò quantitas cum illa informatione, quam habet ad materiam nulla alia adueniente denominabit hominem auctum quantitatiuè ex eo præciſè, quod forma hominis ſe extendat ad quantitatem, quam afficit quantitas, & illa denominatio formaliter à quantitate informante materiam, & non ab alia extenſione formæ proueniet, quia hæc extenſio tantùm conſtituet ſubiectum, quod quantitas denominet quantitatiuè auctum, quam denominationem ex defectu ſubiecti antea non tribuebat, quia formæ non ſupponunt per ſe ſubiectum, quod ſecundariò denominat. Sicuti in opinione quæ aſſerit omnia accidentia præſentari per præſentiam huius quantitatis ex vi præſentiæ, quam modò habeo,conſtituetur formaliter præſens calor mihi adueniens, qui erit ſubiectum huius denominationis præſentis prouenientis à præſentia quæ nunc eſt tanquam à forma, licèt per ſe non ſupponat calorem quem poſtea tanquam forma conſtituet præſentem cum modò exiſtat ſine calore, quia forma tantùm ſupponit ſubiectum, quod primariò afficit, non verò quod afficit ſecundariò, & poteſt non afficere.

Ex his inferes, accretionem, ex vi cuius reſultat vnum maius quantum importare præter actionem vnitiuam materierum, quæ communis eſt augmentationi ſubſtantiali, actionem productiuam vnionis informatiuæ inter vnionem integralem materierum, & vnionem integralem quãtitatum, quæ informatio eſt integralis vnio inter informationem, ſeu vnionem informatiuam quantitatis antiquæ cum materia antiqua, & ſimilem vnionem, ſeu informationem quantitatis nouæ cum materia noua. Inferes ſimiliter per nutritionem, ſeu augmentationem ſubſtantialem, in qua acquiritur materia quantificata præciſa vnione inter ipſas quantitates, & omni actione tunc nouiter terminata ad partem, ſeu ad vnitiuum quantitatis, compoſitum acquirere plus quantitatis, quia acquiſitio materiæ eſt acquiſitio omnium, quæ materiæ inſunt, & toti accreſcunt omnia, quæ afficiunt materiam, quam acquirunt: Motúſque nutritionis, ſeu augmentationis ſubſtantialis primariò, & per ſe terminatur ad ſubſtantiam, & ſecundariò ad quantitatem, & ad omnia accidentia, quæ inſunt ſubſtantiæ, ad quam primariò terminantur, rectè enim poteſt idem motus plures terminos reſpicere, quemdam per ſe, & primario, & alios ſecundariò ratione primarij. 8

PVNCTVM V.

De termino augmentationis, & diminutionis ſubſtantialis compoſiti.

COincidit hæc quæſtio in illam, quæ diuerſis vocibus inquiri ſolet de terminis magnitudinis, & paruitatis ſubſtantiæ, augmentatio enim, & diminutio eiſdem terminis cingitur, quibus compoſitum augendum & diminuendum circumſcriptum eſt, & non alus. Vnde ſi compoſitum in infinitum poteſt extendi, in infinitum augeri poterit:& ſi in quacumque materia minori,& minori in infinitum poteſt conſeruari, in infinitum poterit minui. Neque diuerſa eſt difficultas de augmentatione ſubſtantiali & de accretione accidentali, quia ſemper indiuiduè coniunguntur, ideò ne abſque vtilitate terminos multiplicem, nomen augmentationis de ſubſtantiali, & accidentali diſputationem inſtituam. Iuxta opinionem Ariſtotelis circa continui compoſitionem duplex terminus neceſſariò aſſignandus eſt, quidam intrinſecus, extrinſecus alius tam in augmentatione, quam in diminutione rerum. Terminus intrinſecus augmentationis eſt ille, quem ſubſtantia poteſt attingere, & vltra quem non poteſt ſe extendere, verbi gratia, ſuppone tibi hominem poſſe replere ſtaturam nouem palmorum, & illam non excedere vltimum terminatiuum noni palmi, erit terminus intrinſecus hominis, & hic terminus magnitudinis vocatur ab Ariſtotelicis *maximum quod ſic*, id eſt maximum incrementum, quod poteſt attingere. Terminus extrinſecus eſt ille, quem non poteſt attingere compoſitum, poteſt tamen replere quemcumque infra illum aſſignatum: verbi gratia, ſuppone hominem non poſſe creſcere vſque ad nonum palmum complendum, & poſſe extendi in quacumque quantitate non attingente vltimum completiuum noni palmi; tunc dicetur homo extrinſecè terminatus verſus magnitudinem, cuius terminus extrinſecus erit vltimum completiuum noni palmi, & terminus iſte dicitur, *minimum quod non*, id eſt minimum incrementum, quod non poteſt attingere homo, quia omnia, que ſub illo ſunt poteſt homo replere, & omnia, quæ ſunt ſupra illud, ſunt illo maiora. Similiter verſus magnitudinem duplex eſt terminus, quidam extrinſecus, alius intrinſecus: terminus intrinſecus eſt vltimus, ad quem per diminutionem poteſt ſubſtantia reduci: verbi gratia, pone formam hominis poſſe introduci in materiam vnius palmi, & non in aliam minorem: vltimum complementum vnius palmi erit terminus intrinſecus hominis verſus paruitatem, & hic terminus dicetur, *minimum quod ſic*, hoc eſt minimum incrementum quod poteſt habere homo. Terminus extrinſecus eſt ille, in quo non poterit conſeruari compoſitum, bene tamen in alio quocumque majori: verbi gratia, ſuppone formam hominis non poſſe conſeruari in materia vnius palmi, bene tamen in

Digitized by Google

in alia maiori, tunc terminus extrinſecus paruitatis erit vltimum complementum vnius palmi, & terminus iſte extrinſecus paruitatis dicitur *maximum quod non*, hoc eſt maximum incrementum ex his, quæ non ſufficiunt ad formam hominis, quia omnia, quæ ſunt ſupra illud, ſufficiunt, & omnia, quæ ſunt infra illud, ſunt illo minora. Neque ex termino extrinſeco magnitudinis, aut paruitatis poſſumus ſecundum ſententiam Ariſtotelis terminum intrinſecum deducere, vel è contrà, quia ſi terminus extrinſecus ſit duplex palmus, quem non poteſt ſubſtantia attingere, terminus intrinſecus, ſi aliquis eſſet futurus, erat ille, qui immediatus eſt duplici palmo, at in ſententia Ariſt. nulla quantitas non attingens extenſionem duplicis palmi eſt immediata duplici palmo, ſed quæcumque aſſignetur duplicem palmum, ſeu quamcumque aliam extenſionem non attingens, poteſt magis, & magis in infinitum augeri, quin perueniat ad duplicem palmum, ſeu ad illam extenſionem determinatam, quam non attingit, quia portio illa, quæ deficit ad explendum duplicem palmum, ſeu quamcumque aliam extenſionem determinatam, quantumuis minima ſit, eſt diuiſibilis in infinitum, & poteſt in infinitum deſumi ex illa, & adhuc aliud ſumendum reſtare: ergo ex termino extrinſeco verſus magnitudinem, aut paruitatem ſubſtantiæ aſſignato non poteſt inferri terminus intrinſecus eiuſdē ſubſtantiæ, neque ex termino intrinſeco terminus extrinſecus, quia ſicuti inter quancumque extenſionem non attingentem duplicem palmum, & extenſionem, quæ illam attingit poteſt alia aſſignari maior illa extenſione aſſignata duplicem palmum non attingente, & minor extenſione attingente duplicem palmum, ſic ſimiliter inter extenſionem duplicis palmi, & quamcumque aliam excedentem extenſionem duplicis palmi, poteſt alia aſſignari maior extenſione duplicis palmi, & minor extenſione priùs aſſignatâ excedente duplicem palmum & ſic in infinitum. In ſententia Zenonis faciliùs res agitur, omne enim quod terminum extrinſecum habet, quem non poſſit attingere verſus magnitudinem, aut paruitatem, terminum intrinſecum habere neceſſe eſt: quia cuicumque quantitati poteſt aſſignari alia maior, & alia minor tali quantitate, inter quam, & maiorem, & minorem aſſignatam nulla poſſit aſſignari maior vnâ & minor aliâ quantitate, & ita quantitas illa immediata termino extrinſeco terminus erit intrinſecus, & quantitas immediata termino intrinſeco terminus extrinſecus erit. Exempli gratiâ, ſit terminus intrinſecus hominis, quem non poſſit excedere quantitas conſtans mille indiuiſibilibus, quantitas conſtans vno indiuiſibili ſupra mille erit terminus extrinſecus magnitudinis. Sic terminus extrinſecus quantitas conſtans decem indiuiſibilibus ſupra mille, terminus intrinſecus erit quantitas conſtans nouem indiuiſibilibus ſupra mille, ſeu indiuiſibile, quod complet hanc quantitatem, & ſic de terminis paruitatis.

2 Viuentia nullum ſibi præfigere terminum intrinſecum magnitudinis, aut paruitatis defendit Venetus lib. 1. Phyſic. cap. 4. Communis ſententia terminum intrinſecum magnitudinis & paruitatis viuentibus aſſignat. Hanc defendunt Patres Conimbric. lib. Phyſic. cap. 4. q. 1. art. 7. P. Rub. ibid. quæſt. 1. & apud hunc D. Thom. Scot. Richar. Greg. Durand. Caiet. Ferr. & alij. Circa eadem viuentia ſunt nonnulli qui aſſerunt via generationis, ſeu in bono ſtatu vt ipſi loquuntur viuentia habere hos terminos intrinſecos, via tamen corruptionis, ſeu in malo ſtatu illis non circumſcribi, ſed tantùm habere terminos extrinſecos, videlicet quantitatem aliquam, ad quam non poſſunt diminui. Circa non viuentia certum eſt ſaltem habere pro termino extrinſeco magnitudinis quantitatem infinitam, quam nō poſſunt attingere, & pro termino extrinſeco paruitatis in opinione Philoſophi indiuiſibile, ad quod reduci nequeunt, quia nequit dari indiuiſibile ſeparatum. Difficultas poteſt procedere inter quantitatem finitam inuiſibilem an habeant terminum aliquem intra totam huius diuiſibilis finitæ latitudinem. Communis ſententia negat ſubſtantiis non viuentibus terminum tam intrinſecum quàm extrinſecum magnitudinis intra menſuram quantitatis diuiſibilis finitæ; omnes enim fatentur ignem, & alia huiuſmodi compoſita poſſe ſupra quamcumque finitam extenſionem rurſus extendi, illámque ſuperare. Circa terminum paruitatis nonnulli apud Rubium ſuprà defendunt etiam non viuentia habere terminum intrinſecum paruitatis. Alij tamen plures hunc terminum negant non viuentibus, qui tantùm pro termino extrinſeco extenſionem indiuiſibilem aſſignare videntur, ac proinde intra extenſionem diuiſibilem finitam nullum terminum neque intrinſecum, neque extrinſecum magnitudinis, aut paruitatis ſubſtantiis non viuentibus prædicti auctores aſſignant.

PRIMA CONCLVSIO: Intra extenſionem diuiſibilem 3
finitam aſſignandus eſt aliquis terminus ſiue intrinſecus, ſiue extrinſecus versùs magnitudinem, & paruitatem omnibus viuentibus. Ratio omnibus familiaris efficax eſt. Partes viuentium habent inter ſe mutuam connexionem, & quædam dependent ab aliis: ergo non poſſunt eſſe in quacumque maxima diſtantia, ſi enim per integram leucam diſtaret ſtomachus à capite, longa cibis reſtaret via poſtquam viuens illos deglutiſſet donec ad ſtomachum accederent, tardéque manus capiti ſuccurreret, ſi ſpatium leucæ illi eſſet percurrendum antequam auxilium capiti perueniret, neque poſſent à moto aere pulmones cordis attēperare ardorem ſi nimis ab illo diſtarent, quapropter terminum magnitudinis viuentibus adſcribi neceſſe eſt. Paruitatis terminum ipſorum deorganizatio arguit, non enim poſſent tam diuerſa organa, & diſpoſitiones adeò heterogeneæ in quacumque quantitate minima reperiri, neque poſſent temperamenta adeò inter ſe diuerſa ſicuti ſunt temperamentum cerebri, & calcis non per notabile aliquod ſpatium ſine mutua ipſorum clade diſtare.

SECVNDA CONCLVSIO: In opinione Zenonis viuē- 4
tia omnia terminum habent intrinſecum, & extrinſecum magnitudinis, & paruitatis: in opinione verò Ariſtotelis nulla eſt ratio, quæ probet viuentia potiùs habere terminos intrinſecos, quàm extrinſecos, vel potius extrinſecis, quàm intrinſecis gaudere. Prior pars concluſionis probatur ex dictis ſuprà vbi probaui in opinione Zenonis rectè terminum intrinſecum ex extrinſeco inferri, & extrinſecū ex intrinſeco. Poſteriorem ſuadeo ex eo quod nullam rationem inuenio, quæ potiùs hos terminos, quam illos in viuentibus oſtendat, ſatis enim illorum deorganizationi, & partium heterogeneitati conſultū eſſe videtur, tam per terminos extrinſecos, quam per intrinſecos: terminos intrinſecos aptos eſſe ad illorum naturam procreandam, & conſeruandam fert omnium ſententia. De terminis extrinſecis idem ſuadeo: eo ipſo quod homo debeat excedere tantam quantitatem; v.g ſemi-vlnam, & non poſſit attingere aliam, v. g. decem palmos, non poterit ita minui vt ratione paruitatis non poſſit totam deorganizationem partium proportionatâ diſtantiâ retinere, neque ita augeri vt ratione diſtantiæ vnius partis ab alia, non poſſit quælibet debitum influxum alij exhibere: ergo ſufficienter prouiſum eſt per terminos extrinſecos viuentium deorganizationi, & partium, illarúmque conſenſui, temperamentorumque proportioni.

TERTIA CONCLVSIO. Non viuentia per ſe loquendo 5
nullum ſibi terminum præfigunt magnitudinis, aut paruitatis intra diuiſibilem, & finitam extenſionem. Primam partem defendunt ferè omnes auctores, & facile ſuadetur, quia cum horum partes non dependeant inter ſe, neque deorganizationem habeant, nullum eſt caput, ex quo repugnet illarum quælibet quantumuis pluribus vnita alij, & alij parti eiuſdem rationis vniri. Confirmatur: ſumo ex quocumque igne quantumuis magno quatuor vltimas partes (ſic dicito de quocunque alio compoſito) videlicet partem *C*, *D*, *E*, *F*, vnitas ordine poſitas, pars *F*, tantùm eſt vnita parti *C*, & pars *E*, parti *D*, & parti *F*, poſitâ hac vnione ex ex eo quod *D*, vniatur, vel non vniatur parti *C*, & aliis quibuſcumque anterioribus, pars *F* non habet diuerſam aptitudinem, neque impedimentum aliquod vt vniatur alij parti aduenięti: ergo quantūuis creſcat compoſitum illud per partē anteriorem, poterit per poſteriorem eodē modo accreſcere, quælibet enim pars aduenıens eiuſdē eſt rationis cum anteriori, & ſicuti pars anterior potuit terminare vnionem cum adueniente, ſic aduenıens poterit terminare vnionē cum alia aduenięte reſpectu cuius ſit anterior, vnio enim præcedēs, ſeu mediata, quæ maior eſt, quo plures partes adueniunt, conditio non eſt, vt modò dicebam ad hoc vt hæc pars vltima alij aduenięti vniatur. De terminis paruitatis licet non adeò certus idem affirmo, quia nullam inuenio rationem ad hos terminos non viuentibus præfigendos intra diuiſibilem quantitatem, & in ſententia Zenonis facilè eſt rationem reddere cur non poſſit ſubſtātia aliqua in indiuiſibili materia conſeruari, cum ſecundum hanc opinionem indiuiſibile ſeparatum non repugnet. Affirmāt

multi ſubſtantiam non viuentem non poſſe in quacumque minori,& minori extenſione cõſeruari,quia non in quacũque poteſt operari, & conſeruari nequit in extenſione, in qua non poteſt operari, quia eſſe eſt propter operari. Mihi certum non eſt non poſſe ſubſtantiam aliquam conſeruari in extenſione adeò exigua, in qua operari non poteſt, ſicuti conſeruatur qualitas adeò remiſſa, vt nullam poſſit exercere actionem.Neque certũ eſt non poſſe aliquã actionem procedere à ſubſtantia in minori & minori extẽſione conſtituta, probabilius enim eſt quamlibet particulã ignis ſeparatam, & indiuiſibile eiuſdem, ſi hoc ſeparari poteſt, productum in ſe ſuam præſentiam, & proprium calorem omneſque ſui paſſiones, quia extenſio ſi neceſſaria omnino eſt ad operandum in ſubiecto extraneo, ideo eſt, quia ad applicationem requiritur, ignis autem, & quodlibet aliud agens quacumque extenſione ſecluſa habet applicationem requiſitam ad agendum in ſe ipſum.

PVNCTVM VI.

De alimento, & cauſa necis humanæ.

1 Viuens alimento indigere, vt ad perfectum ſtatum perueniat, & poſtquam ad illud peruenit, vt reſarciat damna ab extrinſecis agentibus illata per ſe notum eſt:difficultas eſt an poſtquam ad perfectum ſtatum peruenit, illo per ſe indigeat, non ſolùm ne ab agentibus extrinſecis corrumpatur, ſed etiam ne natiuus viuentis calor abſumat humidum radicale, & ne hæ viuentis partes ita agant in alias heterogeneas, vt illarum temperamentum diſſoluant, earumdemque materiam ad aliam formam diſponant, quâ adueniente deſtruuntur partes formæ, quæ in illis materiæ partibus præceſsêre, & conſequenter aliæ compartes, quia non poſſunt hæ partes animæ ſine illis ſubſiſtere.

2 P. Hurtad. diſp. 2. ſect. 10. ſubſect. 3. aſſerit viuens in ſtatu perfecto conſtitutum tantùm indigere alimento ne ab illis extrinſecis principiis corrumpatur, putat enim non poſſe aliquam partem viuentis aliûs compartis deſtructionem machinari, neque poſſe mortem in hoc ſenſu à principio intrinſeco procedere, quia quælibet pars in totius compoſitionem, & non illius deſtructionem ordinatur, ac proinde non poteſt pars viuentis, quæ per ſe eſt cauſa cõponens, & conſeruans totum illud deſtruere. Ratio hæc nullius eſt momenti, quia pars per ſe & ex ſua natura ordinatur ad componendum,& conſeruandum totum,quatenus verò agit in partem vicinam poteſt eſſe cauſa corruptionis illius, neque ex hoc infertur intẽdere ſui corruptionẽ,quia etiãſi deſtructa aliqua comparte deſtruatur totum,& conſequenter pars, quæ fuit cauſa deſtructionis totius, quod fit præter intenſionem partis, quæ tantùm per ſe intendit ſibi aſſimilari partem vicinam, ex qua aſſimilatione per accidẽs eiuſdem partis corruptio ſequitur. Nec minùs friuolum eſt quod docet Hurt. videlicet quamlibet partem præter propriam temperiem, quã in ordine ad ſe requirit habere aliquem exceſſum quem poſſit amittere in pugna, quã habet cum alia parte vicina, vt illa amiſſa maneat in ſtatu naturali. Quia poſtquam pars amiſit gradum protuberantem,& redacta fuit ad temperamentum, quod expoſcit in ordine ad ſe, adhuc manet diſſymbola parti vicinæ, & manet in eadẽ pugna cum illa, in qua neceſſariò aliquando deperdet aliquid proprij tẽperamenti requiſiti ad ſui conſeruationẽ. Neque vt pars viuentis aliquos gradus cuiuſuis qualitatis innatæ abſque ſui corruptione poſſet deperdere, neceſſum erat aliquos illi deſignari vltra illos, quos exigit in ordine ad ſe, quia non eo ipſo quod pars viuentis amittat quẽcũque gradũ, ex his quos expoſcit, vt bene ſe habeat in ordine ad ſe,ſtatim corrumpitur: poteſt enim ſine aliquibus, ex his,quos ita expoſcit, & cum aliis contrariis, quos non ſine violentia patitur, conſeruari, ſicuti conſeruatur aqua cum aliquibus caloris gradibus, non enim omnes gradus qualitatis, quos expoſcit ſubſtantia vt bene ſe habeat in ordine ad ſe, & in ordine ad ſuas operationes ſunt, ſine quibus conſeruari nequit.

3 Meliùs communis ſententia tenet viuens indigere alimento, vt natiuus calor illud depaſcat, & ita non agat humidum radicale, hoc eſt in alias partes ſpermaticas viuentis valde humidas, & non adeò calidas, quas corrumperet breui tempore ſi in illas ageret, & conſequenter totum periret viuens. Suadet hanc concluſionem nimius calor viuentibus innatus, ratione cuius neceſſaria illis eſt reſpiratio, vt aërem cor ambientem iam calidum admoueant, & alium magis attemperatũ attrahant, quo nimius cordis calor attemperetur, & ipſum cor, parteſque illi vicinæ aëris refrigerio recreentur. Ob eandem rationem cordi fuerunt prouiſæ duæ alulæ, ſeu flabella,quæ continuo mota nouum aërem cordi ſubminiſtrent.Neque alia poteſt aſſignari ratio propter quam adeò auidè viuens innato appetitu alimentũ expoſcat, ſine quo pernotabili aliquo tempore ſubſiſtere non valet. Quia etiãſi adoleſcentes alimento indigeant, vt ad perfectum virorum ſtatum promoueantur, non ideo adoleſcens periret,etiamſi materiã non haberet, quã augeretur,quia ſicuti adoleſcens duodecim annorum illos peregit cum paucioribus ſubſtantiæ partibus illis quas habet,dũ illos explet,ſic poſſet ſine nouo augmento per integrum annũ durare, quod peſpicuũ eſt,quia ſæpe adoleſcẽs poſt notabile aliquod tempus nullũ recepit augmentum ſi computentur partes,quas acquiſiuit cum illis,quas amiſit, imò ſæpe ſunt longè plures partes,quas per integrum menſem deperdit, quã ſunt illæ, quas nutritiua virtus elaborauit, quo tempore ſine alimento non poſſet ſubſiſtere:ergo nõ ex eo nequit ſine alimento viuere, quia exigit augeri. Neque præcisè viuens alimento indiget, vt reſarciat dãna illata ab externis agentibus, & ſe ab illis impetentibus illæſum tueatur, quia ſi ex hoc capite præcisè ſine alimento viuere non poſſet homo bene nutritus,dici poſſet impranſus viuere, dũ agentia extrinſeca abſumebant partes illius, quibus antequam pingueſceret macer ſubſiſtebat, non enim ſemper extrinſeca agentia adeò actiua ſunt, vt valeant viuens optimè nutritum infra materiem illã conſtituere, ſub qua poſſe viuere experientia monſtrauit. Neque credi poteſt viuens in vacuo conſtitutum, vel quouis alio modo ab actiuitate extrinſecorũ agentium abſolutum poſſe per longum tempus ſine alimento conſeruari, quod haberet, ſi alimento tãtùm indigeret, vt ſe ab extrinſecis agentibus ſeruaret incolume. Vltimò audiédi non ſunt, qui aſſerunt viuens nõ poſſe pati ſecũdùm aliquas partes ab aliis etſi heterogeneis,quia exceſſus, quem habet hæc pars reſpectu aliûs immediatæ ſufficiens non eſt, vt agat in illã, quia in omnibus partibus gradatim fit qualitatis exceſſus per gradus valde exiguos. Hic dicendi modus omni fundamento deſtitutus eſt,& tantum ad difficultatẽ,in quam ſe gratis coniiciunt, aſſerentes viuens non poſſe ſecundùm aliquas partes ab aliis heterogeneis pati excogitatus, inſuper illum impugnat manifeſta experientia, qua videmus partes heterogeneas viuẽtis magnopere calore excedi ab aliis valde propinquis, in quarũ exigua diſtantia non poteſt exceſſus aſſurgere. Ex his infero: viuens alimento indigere vt ad perfectum ſtatum perducatur,& iam ad hunc perductum,vt reparet damna illatã ab extrinſecis agẽtibus, inſuper vt illius natiuus calor agat in alimentũ, quo deficiente ageret in humidum radicale,& illius deſtrueret ſubſtantiam, & conſequenter totum viuẽs, quia reliquæ partes ſine illis, quas abſumeret calor non valerẽt conſeruari, ex quo capite omni viuenti mortem contingere neceſſe eſt, quia etiamſi alimentũ impediat ne totã ſuam actiuitatem partes heterogeneæ viuentis circa alias compartes exerceant, nihilominus ſufficiẽs non eſt, ne aliquantulum ipſæ partes inter ſe agant, & repatiantur,moraliter enim impoſſibile eſt applicari alimentum, quod ita præoccupet actiuitatem natiui caloris, vt huic virtus non ſuperſit ad agendum in alias partes viuentis minus calidas, Secundò etſi alimentum penitus impediret ne partes heterogeneæ viuentis mutuò repaterentur, cùm alimentum per ſe mortem afferat ipſi viuenti, indigentia alimenti necis alia cauſa eſſet, quia eſſet cauſa applicationis alimenti, quod mortem infert viuenti.

Dixi alimentum per ſe hoc eſt ratione ſuæ actiuitatis eſſe 4
cauſam necis;hoc eſt omnino certum,quia cum hoc habeat qualitates contrarias viuenti, dum viuens agit in illud ab eodem repatitur, & aliquid amittit, quod continua pugna, aſſiduaq; reactione, ita viuentis infringit vires, vt paulatim langueſcãt, donec ita debiles fiant, vt non poſſint alimentũ in ſe conuertere, neque aliquid amiſſi roboris recuperare. Adde viuens non totum alimentũ in ſe cõuertere, ſed plura ex illo excrementa eſſe reſidua, quorũ vi antequã expellantur, proprij temperamenti non leuem patitur iacturam. Deinde non ita perfectè expultrice virtute expelli valent, vt illorũ aliquid inteſtinis adhærens non remaneat, neque viſcoſa phlegmata poſsũt ita excuti,vt ſtomachũ omnino illis purgatum, mundumque relinquant, ſi enim cùm aquam à vaſe

Digitized by Google

à vaſe vitreo, in quo continebatur diffundimus, poſtea guttulas quaſdam reperimus vaſi adhæſiſſe, quomodo fieri poteſt, vt materia adeò craſſa, atque viſcoſa tot commeet anfractus, quin multum illius expultricem virtutem ſubterfugiat, intúſque remaneat.

5 Difficultas eſſe poteſt an præcisè quocumque alio capite ſecluſo, homo, eo ipſo quod nutriatur debeat mori. Negat Arriaga diſp. 2. ſect. 4. ſubſect. 4. quia putat poſſe hominem vno alimento recuperare damnum ab alio illatum, ita vt poſt longam nutritionem, & diuturnam pugnam inter alimentum, & viuens, nihil amiſerit proprij temperamenti ex vi actionis, & reactionis. In confirmationem huius adducit fructum ligni vitæ habentis naturalem virtutem, vt in perpetuum vitam hominis ſuſtentaret, vt teſtatur P. Molin. 1. p. de opere ſex dier. diſp. 26. vbi oppoſitam ſententiam improbabilem eſſe affirmat. Non nimis conſequenter ſuam ſententiam probat Arriaga virtute arboris vitæ, cum ipſe dicat hominem vtentem ſemper eiſdem cibis non poſſe non illis necari, ex quo infertur hominem ſemper vtentem fructu arboris vitæ, & non alio cibo naturaliter eſſe moriturum: ergo tenetur fateri ipſe Arriaga virtutem arboris vitæ non eſſe naturalem, ſiquidem homo, qui illo veſceretur, non indigeret aliis cibis corrigentibus damnum illatum à fructu arboris vt perpetuo viueret.

6 Meliùs affirmat Hurtad. cum communi ſententia diſp. 11. ſect. 9. §. 139. nullâ naturali ſubſtantiâ poſſe hominem ali, quin ab ipſa paulatim necetur, quia omne alimentum conuertendum eſt à viuente in propriam ſubſtantiam, ex quo infertur habere contrarias qualitates, quibus agitur viuens, & aliquid amittit proprij temperamenti, quia eo ipſo quod viuens alimentum vincat, aliqualem victoriâ ab alio reportat alimentum, duo enim contraria mutuo pugnantia mutuo patiuntur. Ad illud quod adducit Arriaga de ligno vitæ reſpondet Hurt. talem virtutem non fuiſſe naturalem, & ita ſenſiſſe Bonau. Caiet. Bed. & D. Auguſt. lib. 3. de ciuit. Dei, c. 2. cuius verba apud Hurtad. inuenies. Illud verò quod docet Arriaga videlicet poſſe hominem vno alimento ſeparare damnum illatum ab alio falſum eſt, quia aliquando peruenit homo ad ſtatum, in quo non poſſit damna ab alimento illata reſarcire, quia poſtquam homo peruenit ad ſtatum, alimentum non poteſt illius augere vires; poſtea verò cum incipit ab ſtatu declinare, non poteſt virtute alius alimenti vires deperditas recuperare, qui etiamſi hoc ſecundum alimentum, æquè imo magis proficuum ſit, quam primum fuerit nociuum, iam viuens virtute caret, vt poſſit vti virtute illius alimenti in proprium ſuum commodum, vt quod amiſerat, reſarciat.

7 Ex his concludes hominem naturaliter mori neceſſe eſſe, tum propter partes heterogeneas, quibus conſtat, quarum vna agit in aliam, illiúſque temperamentum diſſoluit ſine quo non poteſt ſubſiſtere vnio inter materiam, & formam, tum propter indigentiam alimenti, à quo, & ab excrementis, quæ ex illo ſuperfluunt paulatim innatum homini, & cuicumque viuenti temperamentum abſumitur. Neces, quæ ab his cauſis procedunt naturales appellare conſueuimus, quatenus naturale ſignificat id, quod vi naturalium cauſarum contingit, & in hoc ſenſu mors homini naturalis dicitur, non quatenus naturale violento opponitur, & dicit eſſe iuxta propenſionem, & exigentiam naturæ, certum enim eſt nihil appetere propriâ deſtructionem, & non eſſe ſui, & quatenus mors eſt contra hanc exigentiam conſeruationis, & propenſionem in proprium eſſe viuentis, mors omnis violenta dici poſſet: iam verò vſus inualuit neces violentas appellari, quæ ab aliqua cauſa extrinſeca non regulariter adueniente procedunt videlicet vulnere aliquo inflicto, fulminéve de cælo iacto.

CONTROVERSIA IV.

De termino alterationis ſecundum ſe ſumpto, ſeu de qualitate.

ACTIO, per quam ſubiectum aliter ſe habet ac antea ſeu qua alterum inſtituitur, alteratio dicitur, quæ eſſentialiter mutationem includit, ad hoc enim vt ſubiectum aliter ſe habeat modo ac antea, requiritur neceſſariò antea non habuiſſe aliquid, quod modo habet: ergo requiritur priuatiò præcedens illius formæ, qua modo alteratur: ergo requiritur inductio formæ cuius priuatio præceſſit in ſubiecto, in qua tota ratio mutationis eſſentialiter conſtituitur.

Mutatio quælibet lato modo alteratio dici poſſet, nihilominus propria alterationis ratio mutationem ſubſtantialem excludit ex mente Ariſtotelis aſſerentis mutationem ſubſtantialem conſtituere ſubiectum aliud, accidentalem verò alterum ſeu alteratum. Vnde alteratio eſſentialiter dicit mutationem accidentalem, hoc eſt terminatam ad accidens à ſubſtantia diſtinctum. Inſuper placuit Philoſophis nomen alterationis ſtrictè ſumere pro mutatione terminatâ ad qualitatem, & aliquando ſtrictiùs pro mutatione traditâ non ad quamcumque qualitatem, ſed tantùm ad qualitatem habentem contrarium, & ſubiecti corruptiuam. Diſputationem inſtituam de alteratione terminata ad qualitatem habentem contrarium, & illo carentem. Sunt enim multa diſputanda vtrique communia, quorum illa quæ ad naturã termini ſpectant claudet hæc Controuerſia.

PVNCTVM PRIMVM.

De intenſione qualitatis.

1 QValitatem intendi ſenſuum euidentiâ compertum eſt: videmus enim calorem augeri, & lucem fieri maiorẽ. Inſuper fide conſtat hominem iuſtum per bona opera recipere augmentum gratiæ; cui intenſior viſio beata correſpondet, difficultas eſt quomodo qualitas intendatur, an per aduentum nouæ qualitatis, an per maiorem radicationem, an per maiorem expulſionem contrarij, an per additionem gradus ad gradum.

§. I.

Statuitur intenſio qualitatis.

2 DVplex augmentum reperitur in qualitatibus: extenſiuum per diuerſas partes ſubiecti, intenſiuum in eodem ſubiecto indiuiſibiliter ſumpto; & tertium aliud obiectiuum in nonnullis qualitatibus, quæ extrinſeca obiecta reſpiciunt, ſicuti in ſpeciebus impreſſis, & in habitibus quæ ad plura, pauciorave obiecta extenduntur, quædam enim Angelorum ſpecies plura obiecta repræſentant, quæ in homine non niſi pluribus ſpeciebus poſſunt repræſentari. Augmentum extenſiuum commune eſt quantitati, & formis materialibus ſubſtantialibus, quæ per plures partes ſubiecti extenduntur. Augmentum. obiectiuum propriè intenſiuum non eſt, quia etſi fiat in eadẽ parte ſubiecti, dum idem indiuiſibile obiectum non reſpicit, non reddit qualitatem intenſam, quia eademmet indiuiſibilis qualitas abſque vllo augmento plura obiecta valet reſpicere, ſicut eademmet anima potens eſt producere plures actus. Quod ſi diuerſæ qualitatis diuerſa obiecta reſpiciant, qualitates aliquam rationem intrinſecam diuerſam habebunt, ratione cuius non poſſint eamdem intenſionem conſtituere, de hac extenſione obiectiua agendum eſt Controuerſia 12. de anima, vbi in ſpeciebus impreſſis diſputabo, ſolum intenſiuum augmentum factum in eadem parte ſubiecti qualitatis nullum extrinſecum obiectum reſpicientis, ſicuti eſt calor vel idemmet indiuiſibile pertingentis, ſicuti eſt viſio Dei quæ circa idemmet indiuiſibile obiectum magis, & magis creſcit, ad hanc diſputationem ſpectat.

3 Hoc intenſiuum augmentum, ita proprium eſt qualitatis, vt nulli alij entitati conueniat, quod facilè in entitatibus aliorum prædicamentorum probabitur, ſi rationes formales aliarum inſpiciamus. Quantitatis effectus eſt conſtituere partes ſubiecti non penetratas, quamlibet omnino extra locum alterius, quem non poſſe recipere magis, & minus per ſe patet, quia pars ſubſtantiæ, quæ omnino eſt extra locum alius partis, & nihil ſpatij habet commune cum illa, non poteſt eſſe magis extra illam: ergo quantitatis effectus ſubſtantiæ communicatus non poteſt aliquod augmentum recipere: ergo quantitas non poteſt

Digitized by Google

intendi, intenſio enim ordinatur ad maiorem effectum ſubiecto tribuendum.

4 Eadem ratio intenſionem præſentiæ denegat, implicat enim corpus exiſtens in hoc ſpatio in eodem indiuiſibili magis exiſtere, ſeu maiorem, vel minorem correſpondentiam habere ad partes, quibus ſemel commenſuratur. De duratione idem omnino fiet argumentum, ſi accidens ſit entitati ſuperadditum, id enim, quod per integrum annum durat, non poteſt in illo magis, & minus durare. Relationes prædicamentales non eſſe accidentia ſuperaddita probabo Controuerſia 9. Metaphyſ. punct. 4. quod ſi accidentia eſſent à reliquis diſtincta, nullam intenſionem recipere poſſent, quia duæ quantitates magis æquales inter ſe eſſe non poſſent, quia æqualitas in indiuiſibili conſiſtit, neque eædem adæquatè permanentes magis inæquales poſſunt exiſtere, inæqualitas enim vnius quantitatis cum alia ſolùm additione quantitatis creſcere poteſt, quod ſi quantitatis creſceret relatio, illud augmentum intenſiuum non eſſet, ſed extenſiuum diuerſum ſubiectum ſemper reſpiciens.

5 Subſtantiam non eſſe intenſibilem, neque magis aut minus recipere probat Complutenſis quidam Thomiſta ex doctrina S. Thom. 1. 2. quæſt. 52. art. 2. vbi docet formam ex qua ſumitur ſpecies rei, quam actuat non poſſe ſuſcipere magis, & minus, cum verò forma ſubſtantialis ſpeciem conſtituat, conſequenter ad doctrinam præceptoris Angelici, magis, aut minus recipere non poterit. Vt clariùs pateat mens S. Thomæ, volo ego illius verba, quæ Thomiſta ſubticuit, in medium adducere: *Si igitur aliqua forma, vel quæcunque res ſecundùm ſe ipſam, vel ſecundùm aliquid ſui ſortiatur rationem ſpeciei, neceſſe eſt quod ſecundùm ſe conſiderata habeat determinatã rationem, quæ neque in plus excedere, neque in minus deficere poſſit, & huiuſmodi ſunt calor, & albedo, & alia huiuſmodi qualitates, quæ non dicuntur in ordine ad aliud, & multo magis ſubſtantia, quæ eſt per ſe ens.* Hucuſque D. Th. Perpende quæſo verba illa, *huiuſmodi eſt calor & albedo*, & inſpice quã lõgè ſit à mente D. Thom. Thomiſtæ interpretatio: Aſſignat S Thomas hanc determinationem, & incapacitatem ſuſcipiendi magis, & minus calori, & albedini, quæ abſque vlla controuerſia intenſionem recipiunt, & ex his intendit probare Thomiſta ſubſtantiam non eſſe intenſibilem. Aliter ego non iuratus Thomiſta, ſed Angelico Doctori ex animo deuotus, & ex corde deditus, cuius doctrinam vtpote fulgentiſſimam Eccleſiæ Lampadem, cuius luce fidei noſtræ myſteria mirificè clareſcunt, eorúmque nebuloſæ tenebræ fugantur totâmente commendo, toto animo complector, ac religione veneror: mentem Angelici Doctoris interpretor de intenſione obiectiua, quæ neque calori neque albedini competit, ſed tantùm illis qualitatibus, quæ obiecta extrinſeca reſpiciunt, vel de affectione, quæ ex pluribus, paucioribúſque qualitatibus componi poteſt, ſicut ſanitas, quæ conſiſtit in temperamento qualitatum diuerſarum ipſas formaliter includente.

6 Tenet tota Schola ſubſtantiam non ſuſcipere magis nec minus, neque eſſe intenſibilem, neque aliqua eſt ratio ex qua poſſit oppoſitum leuiter coniectari, quod mihi eſt fortiſſimum fundamentum ad hanc concluſionem amplectendam, recedere enim à communi ſententia ſine firmo aliquo fundamento nefas eſt, recedere autem à tota ſchola ſine ratione aliqua adhuc mediocriter oppoſitum ſuadente, vltra amentiam; ſit ergo maiorum auctoritate firmum ſubſtantiam non recipere magis nec minus, & hac veritate ſuppoſita illius rationem, non ad ſuaſionem animi, ſed ad illius doctrinam diligenter venemur.

7 Materiam primam non eſſe intenſibilem demonſtrare facile cuique erit notiſſima materiæ natura, quæ vtpote primum ſubiectum aliud non reſpicit, & conſequenter intenſionem, quæ fieri nequit niſi in ſubiecto rei, quæ intenditur: ergo materia prima carens ſubiecto, caret illo quod neceſſario ad intenſionem requiritur. De anima rationali eadem eſt ratio; de formis verò materialibus non adeò euidens eſt concluſio illa, tamen hac ratione ſuadeo. Intenſio ſupponit id, quod intenditur iam conſtitutum in illa ratione, ſecundùm quam ſit intenſio, quod ſic probo: Si gradus intenſionis non ſupponit iam qualitatem phyſicè conſtitutam non erit intenſio ſed complementum formæ, vel aliquid eſſentiale illius: ergo ad hoc vt intenderetur forma equi deberet iam ſupponi conſtituta in ratione formæ equi: ergo ipſa abſque illa additione conſtitueret equum adæquatum ſeu adæquatè equum: ergo quilibet alius conceptus, ſeu qualibet additio non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis: ergo nunquam poteſt addi ſubſtantia. Probo priorem conſequutionem: quicquid ſupponit aliquid adæquatè conſtitutum eſt extra eſſentiam, & accidentale, in hoc enim ratio accidentis conſtituitur: ergo nunquam accidit ſubſtantiæ aliquid, quod accidens non ſit: ergo nunquam poteſt addi aut intendi per aliquid, quod ſubſtantia non ſit: ſicuti calor non poteſt intendi niſi per calorem quia intenſio eſt additio rei ad rem eiuſdem naturæ. Idem argumentum efforma de vnione ſubſtantiali.

Statutum eſt ſolam qualitatem intenſionem recipere, 8
reſtat modo examinare an qualitas omnis intenſionis ſit capax. Forma, & figura qualitates non ſunt, neque à præſentia diſtinguuntur, ac proinde diſputandum modo non eſt an ſint ex illis qualitatibus, quæ intenſionem recipiunt. Primas qualitates, ſpecies intentionales, habitus naturales ſi dentur ab ſpeciebus diſtincti actus potentiarum vitalium, lucem, ſonum, impulſum, & qualitates ſecundas, quæ à primis trahunt originem, intenſionem admittere tenet communis ſchola. De potentiis vitalibus materialibus, & ſpiritualibus nonnulla eſt inter auctores diſſertatio, an recipiant magis, & minus. Affirmat Bannez 1. de generat. cap. 4. quæſt. 1. potentias materiales: verbi gratiâ, auditiuam, & viſiuam, & ſpirituales, intellectum videlicet. & voluntatem poſſe recipere magis, & minus, & intendi ſicut intenduntur frigiditas, & calor. Caietan. 1. 2. quæſt. 52. artic. 1. tantùm hanc intenſionem potentiis materialibus dependentibus ab organis externis, & qualitatibus alteratiuis concedit, quam negat potentiis ſpiritualibus.

Sententia, quæ docet potentias non diſtingui ab anima 9
hac difficultate abſoluitur, illam ego amplectar, verumtamen quid in alia ſententia dicendum ſit tradere non recuſo. Affirmo potentias vitales, etiamſi ab animo diſtinctæ admittantur, nullam intenſionem habere. Moueor propter communem ſententiam ſcholaſticorum, & quia nullum eſt caput ex quo poſſit inferri in potentiis talis intenſio, neque vlla neceſſitas illam admittendi: hoc firmiſſimum eſt fundamentum huius ſententiæ, ad negandas enim poſitiuas entitates dixi ſæpe rationem negatiuam, & defectum rationis poſitiuæ pro parte contraria optimum argumentum efficere. Addo etiamſi hæ potentiæ haberent compoſitionem intenſiuam eamdem ſemper eſſe retenturas, quin ab aliquo agente remiſſionem reciperent, quia nulla eſt forma contraria à qua poſſint expelli & cauſa adæquata illarum, videlicet anima ſemper eſt applicata ad potentias natiua integritate producendas, & conſeruandas: ergo ſemper illas conſeruabit in vltima intenſionis menſura. Dices remitti ex defectu diſpoſitionum, quæ requiruntur ad illas. Contra: potentiæ dimanant ab anima per ſimplicem emanationem independenter à quibuſcumque diſpoſitionibus: ergo nullo indigent extrinſeco comprincipio, neque vllâ diſpoſitione ad ſui productionem, ſed tantum ab anima dimanant: ergo ſemper ſecundum totum ſuum eſſe integrale illarum, & ſecundùm omnes gradus, quos anima poteſt producere ab illa ſuum eſſe recipient. De virtute magnetis ad attrahendum ferrum, & de aliis occultis qualitatibus ſi à ſubſtantia diſtinguantur, eodem modo philoſophandum eſt, quia vbi nullum eſt fundamentum ad intenſionem admittendam nullo modo ponenda eſt.

Obiicit Bannez: Potentia viſiua modò eſt acutior, modò 10
hebetior ad viſionem producendam: ergo ſuſcipit magis, & minus. Reſp. potentiam viſiuam aliquando perfectiores & intenſiores viſiones elicere propter maiorem, minorémve organorum diſpoſitionem, vel propter intenſiorem, aut remiſſiorem ſpeciem abſque vlla intrinſeca ſui mutatione, ſicut eadem anima intenſiores, & perfectiores elicit operationes, propter comprincipia intenſiora, ſeu perfectiores diſpoſitiones.

Obiicies ſecundò: Aquila perfectiùs videt quàm homo, 11
etiamſi comprincipia potentiæ hominis, & aquilæ ſint æqualia, & organa æquè diſpoſita: ergo aquila intenſiorem potentiam viſiuam habet quam homo. Sic arguit Complutenſis Thomiſta, qui eodem modo poſſet arguere: forma hominis cæteris paribus perfectiores elicit operationes, quàm forma equi: ergo eſt illa intenſior. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia perfectior effectus non ex maiori intenſione, ſed ex perfectiori potentia in aquila dimanat.

Obiicit tertiò: Actus, & habitus, & aliæ huiuſmodi 12
qualitates

qualitates recipiunt intenſionem : ergo & potentiæ. Reſpondeo negando conſequentiam : Ratio diſparitatis ſumenda eſt ex peculiaribus rationibus, propter quas in actibus, & aliis qualitatibus intenſio admittitur quarum nulla reperitur in potentiis, quæ etiam à reliquis qualitatibus differunt in modo procedendi ab anima per ſimplicem emanationem.

§. II.

Duplex ſententia circa naturam intenſionis reiicitur.

13 NOn immorabor in refellendis auctoribus aſſerentibus qualitatem intendi per maiorem expulſionem contrarij, paucis enim hunc dicendi modum omni probabilitate deſtitutum reiiciam. Gratia habitualis quantumuis remiſſa expellit peccatum, ita vt nihil illius in ſubiecto remaneat : ergo non poteſt poſtea intendi per maiorem expulſionem illius : ergo alius modus intenſionis debet aſſignari in qualitate. Maior, & minor abſque errore in fide negari nequeunt : conſequentia eſt per ſe nota. Argumentor ſecundò : lux, & aliæ qualitates carent contrario, & tamen intenduntur : ergo non per expulſionem contrarij : ergo alio modo. Luce meridiana clareſcit argumentum, alia non indiget. Argumentor tertiò : Quo magis intenditur calor, magis expellitur frigiditas : ergo diuerſa pars frigiditatis expellitur calore intenſo ab illa, quæ fuit expulſa calore remiſſo : ergo frigiditas habet partes, quarum expulſione remittitur : ergo illarum productione, ſeu conſeruatione intenditur : ergo intenſio frigiditatis fit per additionem partium : ergo idem dicendum eſt de calore, in quo eodem modo licet argumentari.

14 Si dicat per maiorem intenſionem caloris non expelli diuerſam partem frigiditatis, ſed eamdem iam expulſam magis, ac magis expelli, dices entitatem iam corruptam & non exiſtentem fieri magis corruptam, & magis non exiſtentem, & in non eſſe eiuſdem rei indiuiſibilis magis, & minùs aſſignabis, & vnum hominem eſſe magis, mortuum alio non viuente defendes, quæ omnia non ſolum à Philoſophia, ſed à ſenſu communi abhorrent.

15 Agendum eſt cum Gorfred. Durand. Auicen. & aliis, quos refert P. Soar. diſp. 45. Metaphyſic. ſect. 1. n. 2. aſſerentibus formam non intendi per additionem eiuſdem, ſed per mutationem vnius in aliam, ita vt quando calor intenditur, totus ille, qui remiſſus procedit corrumpatur, & alius perfectior producatur, qui propter maiorem ſui perfectionem intenſior dicitur, & intenſiùs operatur.

16 Hæc ſententia ſui explicatione deſtruit fundamentum, quo nititur, omnes enim, qui negant intenſionem fieri per additionem gradus ad gradum, aſſerunt accidentia indiuiduari à ſubiecto, ac proinde non poſſe reperiri in eodem numero ſubiecto habente vnam tantùm indiuiduationem accidentia numero diuerſa. Contra quos ſic arguo : Accidentia indiuiduantur à ſubiecto : ergo idem ſubiectum adhuc ſucceſſiuè non poteſt habere accidentia numero diuerſa. Probo conſequentiam : ſubiectum habet eamdem indiuiduationem intrinſecam modo, ac habebat antea : ergo eandemmet tribuet accidenti modo ac antea : ergo non poterit accidentia diuerſa numero indiuiduare. Si dicat idem ſubiectum cadem indiuiſibili indiuiduatione permanens, poſſe ſucceſſiuè diuerſas indiuiduationes tribuere accidentibus, cur ſimul non poterit idem præſtare, quia indiuiduatio, quæ eadem indiuiſibilis diuerſas communicat indiuiduationes accidentibus ab illorum indiuiduationibus neceſſariò diſtinguitur : ergo poterit illa ſimul tribuere, etiamſi ſimplex, & vnica indiuiſibilis ſit.

17 Secundò impugnatur efficaciſſimè prædicta ſententia, quia ſi intenſio fieret per aduentum qualitatis perfectioris deſtructa remiſſa, remiſſio fieret per productionem remiſſioris intenſa corrupta, quod fieri non poſſe facilè probatur. Cùm aqua agenti frigido circumdata in priſtinam frigiditatem reſtituitur, calor ſucceſſiuè remittitur, vt experientia oſtendit : ergo tunc in primo inſtanti, quo incipit calor remitti totus corrumpitur, & alius denuò imperfectior producitur, ſed ſic eſt, quod nullum eſt agens, à quo poſſit produci hic imperfectus calor : ergo remiſſio prædicto modo fieri nequit. Minor ſola indiget probatione : calor ille remiſſus non poteſt produci ab aqua, hæc enim non eſt productiua caloris : non ab agente circumſtante, pono enim hoc eſſe frigidum : ergo à nullo agenti poteſt produci.

Dices calorem remiſſum produci à partibus paſſi ; ſed 18
contra eſt ; nam ille calor, vel producitur à partibus quæ ſunt intra ſphæram agentis, vel extra illam. Non à partibus, quæ ſunt extra ſphæram agentis, quia cum agens non poſſit agere in illas propter diſtantiam, neque illæ quæ minorem actiuitatem habent actiuitate agentis, & conſequenter minorem ſphæram, poterunt agere in partes paſſi proximas agenti. Non à partibus quæ ſunt intra ſphæram agentis, quia agens in eodem inſtanti agit in omnes partes paſſi quas attenta reſiſtentia contrarij habet intra ſphæram : ergo in eodem inſtanti corrumpit totam qualitatem in illis præexiſtentem : ergo ab hac nulla poterit actio in illo inſtanti dimanare : ergo nullum datur agens à quo pòſſit remiſſus produci calor : ergo hic modus remiſſionis fictitius eſt, & chimericus.

Tertio agitur contra hunc philoſophandi modum : Agens 19
in primo inſtanti, in quo applicatur eſt potens producere calorem perfectum, ſeu intenſum, quem producit poſtquam alios minùs perfectos produxit : ergo in illo primo inſtanti potuit illum producere, & ſubiectum intendere illo calore perfecto, ſine vlla intenſionis ſucceſſione, & ſine aliorum calorum productione, & corruptione. Nec recurrere poteris ad reſiſtentiam contrarij in hac ſententia, in qua tota qualitas contraria corrumpitur cum producitur quælibet intenſio : ergo contraria qualitate corrupta potuit abſque vlla reſiſtentia perfectiſſimus calor in virtute agentis contentus produci. Non memini capacitatem paſſi, quia certum eſt hoc in quacumque duratione eamdem capacitatem habere.

§. III.

Impugnatur ſententia Thomiſtarum.

VNa eſt Dominicanæ familiæ ſententia, quæ docet in-
tenſionem non fieri per additionem gradus ad gradum, ſed per maiorem radicationem eiuſdemmet indiuiſibilis qualitatis in eodem ſubiecto. Ita Caietan. Capreol. Henric. Soncinas, & Iauellus apud Suarez ſuprà n. 3. Huius ſententiæ explicandæ varios modos refert idem Suarius ibidem, ſingulos percenſebo, quos breuiter reiiciam. 20

Affirmant aliqui maiorem radicationem fieri per acquiſitionem nouæ exiſtentiæ permanente eadem eſſentia. Hunc dicendi modum impugnat Soarius, quia per intenſionem non tantùm perficitur exiſtentia, ſed eſſentia : ergo non tantùm acquiritur noua exiſtentia, ſed etiam noua eſſentia. Probat antecedens ex Capreolo, contra quem ad hominem arguit. Hæc impugnatio ad hominem tantùm efficax eſſe poſſet, & adhuc ex dictis Capreoli exiſtimo non concludere, forſan enim pro Capreolo reſpondebit aliquis qualitatem perfici ſecundùm eſſentiam, quia eſſentiæ noua aduenit exiſtentia, quæ eſt illius perfectio, ſicuti eſſentia perficitur per paſſiones, non verò quia ſecundùm ſe augeatur, neque aliqua perfectio identificata cum eſſentia per nouam intenſionem accreſcat.

Alij impugnant eamdem ſententiam ex eo, quod qua- 21
litas intenſior perfectiores producat effectus, ex quibus perfectiorem virtutem inferunt in qualitate : deinde perfectiorem eſſentiam, quia hæc eſt virtus ad operandum, non verò exiſtentia, ſi hæc ab illa diſtinguitur. Occurrunt ſolutioni, qua poſſet dici agens intenſius perfectiorem effectum producere propter perfectiorem exiſtentiam tanquam conditionem, ſicut eadem virtus magis approximata maiorem producit effectum, quam ſic impugnant : Humanitas Chriſti ex eo quod exiſtat exiſtentia Verbi (vt Thomiſtæ opinantur) non producit perfectiores actus illis, quos producunt reliquæ humanitates, etiamſi habeat exiſtentiam infinitè perfectiorem : ergo ex perfectiori exiſtentia non poteſt effectus perfectior procedere.

Neque concluſionis, neque ſolutionis placet impugna- 22
tio, facilè enim poterunt Thomiſtæ perſiſtere aſſerentes qualitatem intenſiorem perfectiorem effectum producere propter perfectiorem conditionem, non propter maiorem virtutem, & ad illud quod ad humanitatem Chriſti attinet, reſpondere ſubſiſtentiam Verbi non eſſe propriam naturæ humanæ, ſed ſubſiſtere loco propriæ, ac proinde in ordine ad agendum propriæ vices agere, & eſſe conditionem ad illos affectus producendos, quos poſſet humanitas propria ſubſiſtentia terminata producere, non verò ad illos, ad quos in natura diuina conditio eſſe poteſt, quapropter perfectio effectuum menſuranda eſt, non ex perfectione

Digitized by Google

fectione ſubſiſtentiæ Verbi, ſed ex perfectione illius ſubſiſtentiæ cuius loco ſubrogatur Verbi ſubſiſtentia. Quando verò natura propria ſubſiſtentia, & exiſtentia ſubſiſtit, & exiſtit, perfectio effectuum, qui poſſunt ab illa procedere, deſumi poteſt ex perfectione propriæ ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ.

24 Solida huius ſententiæ impugnatio ſumenda eſt ex identitate eſſentiæ, & exiſtentiæ, & ex implicatione diuerſæ exiſtentiæ ſub eadem eſſentia. Secundo ex rationibus adductis contra aſſerentes intenſionem fieri per productionem nouæ qualitatis, ſicut enim illi aſſignare non poſſunt, à quo producatur qualitas remiſſior, cùm aqua agenti frigido circumdata ad priſtinam ſe reſtituit frigiditatem, ita neque iſti poterunt cauſam inuenire, à qua producatur noua exiſtentia corrupta antiquà in eodem caſu. Si dicant non corrumpi antiquam exiſtentiam, ſed nouam illi accreſcere partem, iam exiſtentiam intenſiuè diuiſibilem admittent, contra omnes rationes, quibus impugnant diuiſibilitatem qualitatis intenſæ. Tertiò, quia implicat produci nouam exiſtentiam, ſine noua productione qualitatis, quia adhuc in opinione Thomiſtarum diſtinguentium eſſentiam ab exiſtentia non alia ratione agens naturale producit qualitatem, niſi producendo illius exiſtentiam, neque peculiarem mittit actionem terminatam ad eſſentiam diſtinctam ab illa, per quam ſeret exiſtentiam.

25 Quartò a priori eamdem ſententiam impugno: poſita entitate in rerum natura eo ipſo quod exiſtat, exiſtit omni perfectione qua poteſt: ergo implicat perfectius, vel imperfectiùs exiſtere. Probo antecedens: exiſtere eſt rem eſſe extra cauſas, & extra purum nihil, ſed entitas, eo ipſo quod exiſtat, eſt omnino extra cauſas ſine vlla (vt ſic loquar) nihili admixtione: ergo non poteſt conſtitui magis extra cauſas, & extra purum nihil: ergo non poteſt perfectius exiſtere, quod naturæ lumine notum eſt, eſſe enim, vel non eſſe, exiſtere, & non exiſtere opponuntur contradictoriè, & in indiuiſibili conſiſtunt.

26 Alij hanc maiorem radicationem conſtituunt in eo, quod forma magis educatur ex potentia materiæ. Hæc ſententia poteſt dupliciter intelligi, nomine enim eductionis poſſunt ſignificare actionem, qua accidens educitur ex potentia ſubiecti: vel vnionem intercedentem inter ſubiectum & accidens. Si nomine eductionis actionem intelligant, non poterunt aſſignare, à quo procedat hæc actio, quâ conſtituitur remiſſior calor exiſtens in aqua agenti frigido circumdata, ſi illam a priori actione adæquatè diſtinguant, calor principium eſſe non poteſt actionis ad ipſum terminatæ, neque ſubiectum, vel corpus ambiens, quod frigidum eſſe ſuppono, talem poſſunt edere actionem.

27 Nimis familiaris non eſt Thomiſtis diſtinctio inter actionem eductiuam, & vnionem, ſed nomine eductionis plerumque vnionem ſignificant, & in hoc ſenſu hanc ſententiam explicat Soar. num. 23. ex Caietan. & Capreol. contra quam ſic explicatam multa doctè congerit: nonnulla abducam aliis efficaciora. Talis vnio perfectior vel adæquatè diſtinguitur ab vnione imperfectiori, vel inadæquatè: ſi adæquatè, redeo ad priora augumenta contra hanc ſententiam diuerſo modo explicatam adducta: à quo talis vnio producitur in remiſſione caloris exiſtentis in aqua? accidens enim non poteſt ſuam vnionem adæquatã cum ſubiecto producere, quia ad hoc vt aliquid agat, debet iam ſupponi exiſtens cum vnione ad ſui exiſtentiam requiſita. Tandem ſi hæc vnio eſt indiuiſibilis, cur in primo inſtanti applicationis agens non producit vnionem perfectiſſimam, quam poteſt, & calorem intendit, contrarium enim non obeſt, quia quando producitur hæc vnio imperfecta, & aliquantulum intenditur qualitas, & remittitur contraria agens corrumpit totam vnionem contrariæ qualitatis: ergo poterit vnionem propriam perfectiſſimam producere, nulla enim poteſt aſſignari ratio, cur agens poſſit in progreſſu actionis producere perfectam vnionem, quam non poſſet in primo inſtanti producere. Si dicant vnionem non corrumpi adæquatè in remiſſione, neque in intenſione produci, ſed eſſe diuiſibilem & produci, & corrũpi in remiſſione & intenſione ſecundùm aliquos gradus. Obiicio, quod nuper arguebam: poſſibilis eſt vnio compoſita ex partibus verſus intenſionem: ergo poſſibilis erit qualitas eodem modo compoſita, omnia enim argumenta Thomiſtarum, æquè pugnant contra compoſitionem vnionis, & contra compoſitionem qualitatis.

Tandem contra hanc perfectiorem vnionem ſiue diuiſibilem, ſiue indiuiſibilem argumentor: in primis contra Thomiſtas aſſerentes vnionem non diſtingui à forma. Vnio qualitatis eſt identificata cum ipſa qualitate: ergo non poteſt produci perfectior vnio, quin perfectior qualitas producatur. Argumentor ſecundò ratione deſumpta ex Soar. num. 27. qualitas intenſa perfectiores producit effectus: ergo perfectiorem habet virtutem: ergo perfectiorem entitatem, quia qualitas per ſuammet entitatem, & non per inhærentiam operatur. Si dicas vnionem eſſe conditionem ad operandum, & poſſe perfectiori conditione perfectiorem effectum produci ab eadem virtute, doctè occurrit Soar. Vnio tantùm requiritur ad actionem vt qualitas exiſtat: poſita enim eadem exiſtentia qualitatis impertinens eſt hæc, vel illa vnio ad ſubiectum, cum hoc ſæpe nihil influat, vt patet cum ſubiectum caloris eſt aqua, ſed eadem virtus eodem modo exiſteret cum hac vnione, vel cum illa: ergo eodem modo operaretur poſita quacumque vnione, vel omni vnione ablata dummodo calor ipſe per creationem conſeruaretur. 28

Affirmant alij apud quemdam Thomiſtam intenſionem fieri per productionem modi realis ſuperadditi aduenientis qualitati iam productæ, quo poſito ipſa magis radicatur in ſubiecto, quod conſtituit intenſius quale, v. g. calidum. Singularem ſententiam non ſingulari ratione, ſed communi efficaciſſimè impugno. Poſito illo modo forma qualitatis, & illius informatio ſunt eædem ac antea: ergo eumdem effectum formalem tribuunt ſubiecto: ergo non illud conſtituunt magis quale, v. g. magis calidum cum illo modo, quam ſine illo. Confirmatur: Calor non informat ſubiectum per modicum ſuperadditum, ſed per ſe ipſum tanquam per formam, & per vnionem tanquam cauſalitatem: ergo ratione modi ſuperadditi diſtincti ab vnione non poteſt ſubiectum magis informare, ſeu magis calidum conſtituere. 29

Si dicas modum illum formaliter conſtituere intenſionem, ſic arguo. Modus vel eſt formaliter calor vel non. Si eſt calor, iam in intenſione calor calori additur: ſi non eſt calor vt manifeſtè teneris confiteri, quia calor non eſt modus caloris, non poteſt ſubiectum calidum, neque magis calidum conſtituere, quia calidum, & magis calidum calore conſtituitur. 30

Nouus alius Thomiſta docet intenſionem non fieri per additionem formæ, neque modi præſentis formæ nouam virtutem informandi, ſeu nouam rationem formalem informandi, ſed per nouam explicationem eiuſdem formæ in ſubiecto tollendo confuſionem, & potentialitatem ipſius, & reducendo illam ad maiorem vnitatem, & ſubiectum magis ſubiiciendo ad talem formam, illius dedi verba, cuius ſenſum difficilè darem; ſcatent enim mille difficultatibus, quas neque ipſe explicat, nec alius ſoluet. Nonnullas attingo. In primis quid eſt maior illa explicatio formæ in ſubiecto, non in ſubiecto, ſed in ſententia illam ego deſidero. Quid tollere confuſionem, & potentialitatem eiuſdem? potentialitas ſubiecti ad formam recipiendam à ſubiecto non diſtinguitur: ergo ſi manet idem ſubiectum manet eadem potentialitas. Dices: potentialitatem diſtingui a ſubiecto, quia ſupra potentiam dicit negationem actus, ac proìnde per actum tollitur potentialitas: Eſto. Si per actum tollitur potentialitas, vt magis potentialitas tollatur, maior actus neceſſarius erit: dicat ergo hic auctor, in quo hic maior actus conſiſtat. Confuſionem tolli à ſubiecto ægrius intelligitur, nunquam enim in ſubiectis, ſed in his dicendi modis reperitur confuſio. Subiectum reduci ad maiorem vnitatem cum forma, vel eſt magis identificari, vel magis vniri cum illa? non magis identificari, in his enim quæ diſtinguuntur nulla reperitur identitas; non magis vniri, quia iuxta ſententiam Thomiſtæ quem impugno in intenſione non reperitur noua vnio, neque noua informatio accidentis ad ſubiectum: ergo hæc maior vnitas imperceptibilis eſt. Vltimò dicit in intenſione ſubiectum magis ſubiici formæ, quam ſubiectionem & non facile inuenies, quia ſubiectum eatenus formæ ſubiicitur, quatenus hæc ex illius potentia educitur, & in illam influit per modum cauſæ materialis, vel illi vnitur, tanquam actui perficienti: ergo ſine maiori eductione, ſeu receptione, vel cauſalitate cauſæ materialis, vel ſine noua vnione, maior hæc ſubiecto imperceptibilis eſt. Non 31

alia

Digitized by Google

alia neque hæc latiùs contra hanc ſententiam adduco, ſuperflua enim eſſet prolixior impugnatio ſententiæ, cuius deſideratur explicatio.

§. IV.

Vera ſententia.

32 VEriſſima, amplectenda ſententia docet intenſionem fieri per additionem gradus ad gradum, & remiſſionem per diminutionem eorumdem. Ita Soar. ſuprà num. 29. Vaſquez 1. part. quæſt. 74. cap. 4. Tolet. 1. de generat. cap. 3. Hurtad. diſput. 5. capit. 4. Arriaga diſp. 3. ſect. 1. ſubſect. 3. & ex antiquis Bonauent. Scot. Albert. Ricard. Ocham. Niph. & Marſ. apud Soar ſuprà. Potiſſimum fundamentum huius ſententiæ ſumendum eſt ex impugnatione aliarum ſuppoſita experientia intenſionis, & fide ſancta, qua credimus iuſtum per bona opera fieri magis ſanctum, & intenſiorem habere gratiam, quæ intenſio in nullius qualitatibus defendi poteſt ſine hac additione graduum, vt patet ex argumentis contra alias ſententias adductis. Conſonat etiam rationi à priori hæc graduum additio, quia ſicut ſubiectum conſtituitur album per albedinem, ita magis album per magis albedinis conſtituetur, magis autem albedinis eſt portio albedinis addita ſuperſtiti: vires reſumet huius concluſionis probatio ab aliorum impugnatione, & ex ſolutione argumentorum, quæ contra illam Thomiſtæ adducunt, pleraque illorũ breuiter adduco, & breuiùs ſoluo.

33 Obiicies primò: Forma accidentalis eſt purus actus: ergo nihil habet potentiæ: ergo nihil compoſitionis. Patet prior conſequentia, quia purus actus excludit omnem potentialitatem. Poſterior probatur: ſi aliquid haberet compoſitionis in ſe includeret extrema componentia tanquam actum, & potentiam: ergo ſi nihil habet potentiæ nihil habet compoſitionis. Reſpondeo accidens eſſe purum actum reſpectu concreti, quod conſtituit albedinem: verbi gratia, reſpectu albi, quod conſtituit, tanquam forma omnino diſtincta à ſubiecto, quod potentia dicitur, & nihil ſubiecti, ſeu potentiæ in ſuo conceptu dicere, in quo ſenſu dicitur purus actus, non quia ex ſe compoſitionem aliquam non habeat, non ex actu & potentia, vt Thomiſtæ nobis obiiciunt, ſed ex partibus diuiſibilibus actus, ex quibus vnus adæquatus actus vna videlicet adæquata albedo conſtituitur.

34 Obiicies ſecundò: eſſentia qualitatis conſiſtit in indiuiſibili: ergo poteſt qualitas additione graduum conſtitui. Hoc argumentum inſigni laborat æquiuocatione. Aliud eſt eſſentiam conſiſtere in indiuiſibili; aliud eſſe ſimplicem & non compoſitam, partibuſque carentem. Primum conuenit omni eſſe[illegible]n verò ſecundum, eſſentia enim hominis metaphy[illegible]mpta conſiſtit in indiuiſibili, hoc eſt in hoc complexo *animal rationale*, à quo ſi aliquid demas non dicet totam eſſentiam hominis. Si verò quidquam quantumuis indiuiſibile adiicias, illud erit extra eſſentiam, nihilominus complexum partibus conſtat, componitur enim ex animali, & ex rationali, quæ metaphyſicè hominem conſtituunt, idem homo phyſicè ſumptus eſſentialiter componitur ex materia, & forma tanquam partibus inter ſe diſtinctis.

53 Hæc dixi ad explicandam doctrinam quam argumentum inuoluit, non quia neceſſaria ſint ad illud ſoluendum. Concedo enim eſſentias metaphyſicè loquendo conſiſtere in indiuiſibili, & ita metaphyſicè eſſentiam albedinis non dicere additionem gradus ad gradum, cognitio enim qua prædicata eſſentialia albedinis tanguntur, abſtrahit à multitudine graduum; eſſentia verò phyſica non conſiſtit in indiuiſibili partium diſtinctarum habentium eamdem naturam & compoſitionem metaphyſicam, quia quantitati phyſicè ſumptæ pars alia quantitatis additur, & albedini pars albedinis verſùs extenſionem, vt fatentur maiorem radicationem aſſignantes in intenſione, & eodem prorſus modo verſùs intenſionem addi poteſt. Poteſt tamen dici eſſentiam hominis adhuc phyſicè ſumptam conſiſtere in indiuiſibili, quia poſita hac eſſentia phyſica equi conſtituta hac materia, & forma, quidquid additur ſpecie diſtinctum à materia & forma, erit extra illius eſſentiam, & vt ſit phyſicè eſſentia equi neceſſariò exigit materiam, & formam, ita vt ſi altera auferatur, quantumuis alia permaneat, eſſentia phyſica equi non permanebit. Vltimò poteſt dici eſſentiam phyſicam cuiuſuis rei conſiſtere in indiuiſibili, quia ſi ab illa quidquam auferatur, non erit phyſicè eadem eſſentia adæquatè, quæ antea erat, ſed tantùm indæquatè, v.g. ſi è ligno vlnari palmum demas non erit idem lignum adæquatè, ac erat antea, neque eadem phyſica ligni eſſentia, quia eſſentia ligni non diſtinguitur ab ipſo ligno, ac proinde eodem modo quo lignum eſt diuerſum, eſſentia illius erit diuerſa. Sic contingit in intenſione caloris, v.g. vt octo, à qua ſi gradum demas non erit adæquatè eadem intenſio, neque eadem phyſica intenſionis eſſentia.

Obiic. tertiò: In eodem ſubiecto non poſſunt reperiri gradus caloris numero diuerſi: ergo non poteſt intenſio ex gradibus numero diuerſis conſtitui. Do arguenti non poſſe in eodem ſubiecto reperiri duo accidentia adæquata numero diuerſa, quod negare poſſum, quia duæ cognitiones, & duæ ſpecies impreſſæ obiectorum numero diuerſorum, quæ numero tantùm differunt, in eodem ſubiecto reperiuntur, nego tamen duo accidentia inadæquata non poſſe in eodem ſubiecto reperire, & intenſionem componere. 36

Inſtabis: Diſtinctio accidentium adhuc adæquatorum debet ſumi à ſubiecto: ergo in eodem ſubiecto non diſtincto ſaltem inadæquatè non poſſunt eſſe accidentia adæquatè diſtincta. Reſpondeo diſtinctionem accidentium inferri ex diſtinctione ſubiecti & in hoc ſenſu poſſe dici ſumi à ſubiectis, non tamen induci ex identitate ſubiecti identitatem accidentium, quia hæc intrinſecè per ſe ipſa diſtinguuntur inter ſe, & non per ſubiecta. 37

Obiic. quartò: Gradus ex quibus intenſio componitur, neque poſſunt eſſe eiuſdem omnino rationis, neque diuerſæ; ergo non poſſunt dari. Plura ſunt argumenta ad vtramque partem antecedentis ſtabiliendam, quæ puncto ſequenti latè expendam vbi horum argumentorum materiam explicabo, & præſentem obiectionem diſſoluam. 38

Obiicies quintò. Intenſio ſicuti quælibet alia entitas creata conſtituenda eſt maiori rerum ſimplicitate, minorique nouarum entitatum multiplicatione, qua fieri poteſt. Sed poteſt eadem forma, idem calor: verbi gratia, ſine nouæ partis additione conſtituere ſubiectum magis calidum: ergo non eſt admittenda partium additio. Maiorem admittunt omnes: minorem probat Complutenſis Thomiſta exemplo animæ, quæ eadem indiuiſibilis ſubiectis diuerſis diuerſos tribuit formales effectus: oculo enim dat potentiam videndi, & manui tantùm tangendi. Similiter quantitas eadem indiuiſibilis magis explicat ſubiectum rarefactum, quam condenſatum, & ſpecies impreſſa in aere non reddit ſubiectum informatum intentionaliter, & repræſentatiuè, ſed tantùm entitatiuè, oculum autem non ſolum entitatiuè, ſed etiam intentionaliter informat, & gratia habitualis in puro homine conſtituit filium adoptiuum, quem in Chriſto propter incapacitatem ſubiecti facere non poteſt. Ex quibus omnibus infert eandem formam poſſe ſecundum ſe totam eſſe vnitam ſubiecto; & non totaliter, ita vt omnes ſuos effectus illi explicet, quos explicare poteſt, ac proinde poſſe reperiri calorem in ſubiecto pauciores effectus explicantem ſubiecto, & illud remiſsè calidum conſtituentem, quod poſtea per maiorem explicationem ſui idemmet calor intenſius calidũ conſtituat. 39

Nullum ex his exemplis meum admouet animum ad hanc formæ explicationem nunquam explicatam admittendam, omnia enim abs re adducuntur: ſingula breuiter percurro. Anima rationalis eundem formalem effectum tribuit manui, ac oculo, huius enim formaliter effectus eſt conſtitutum ex corpore, & anima, quod eiuſdem omnino rationis eſt in manu, & oculo, poſſe autem in hoc viſionem elicere non ſpectat ad diuerſum modum informandi; ſed ad diuerſas diſpoſitiones, quibus eadem anima diuerſas actiuè operationes elicit, & cum in oculo diſpoſitiones habeat ad videndum, viſionem in illo efficit, & tantùm ſenſationem tactus in manu, quia ad hanc diſpoſitiones habet. Quod ſupponit in exemplo quantitatis videlicet, eamdem indiuiſibilem conſtituere ſubiectum modò rarum, modò denſum, falſum eſt, rarefactio enim dicit ſaltem nouam extenſionem, & præſentiam, & in multorum opinionem aliam qualitatem, & vt alij volunt, noua corpora intromiſſa in corpore rarefacto. Exemplum aëris entitatiuè tantùm informati ſpecie impreſſa, quæ intentionaliter potentiã informat aere leuius eſt, eſt, quia ſpecie 40

impreſſas

Digitized by Google

Ignis habens octo gradus caloris, intendit aſſimilari paſſum propinquum calore in illo producto calori in igne recepto, ergo illud adæquatè aſſimilabitur. Probo conſequentiam; poteſt producere octo gradus caloris in diuerſis ſubiectis; ergo in eodem, quia ratione virtutis actiuæ, & perfectionis effectus, calor, qui poteſt produci in diuerſis ſubiectis, poteſt in eodem, finis autem obeſſe non poteſt, potius enim eſt iuxta finem agentis paſſum omnino ſibi aſſimilari.

9 Clariùs eandem ſolutionem ex fine agentium deſumptam impugno. Exigua lux producit gradus caloris in ſphæra diuiſibili; ergo poterit omnes illos producere in prima parte ſphæræ, illius enim finis nullo modo eſt aſſimilari ſibi paſſum; ergo exigua lux poterit calorem valdè intenſum producere. Reſponderet aliquis ſubiectum luce perfuſum ſimul eſſe calore informatũ, & lucem, & calorem per modum vnius agentis concurrere ad productionẽ caloris in parte immediata, & tunc agens inadæquatum, calorem videlicet, intendere aſſimilari ſibi paſſum, quapropter non producit maiorem intenſionem, quam in ſe habet; lucem vero licet non intendat aſſimilari ſibi paſſum concurrere per modum vnius agentis cum calore intendentis paſſi aſſimilationem; & ideò non intenſiorem effectum producere, quam producit calor, ac proinde non poſſe gradus caloris, quos in tota ſphæra producit producere in prima parte illius. Facilè ſolutionem reiicio. Aſſimilatio effectus non debet eſſe cum agenti inadæquato, ſed cum adæquato; ergo agens partiale ſimile paſſo poterit cum alio agenti diſſimili agere in ſimile.

10 Ex eiſdem principiis contra graduum æqualitatem arguo pro P. Soario: agens calidum vt quatuor applicatum paſſo omnino frigido producit in illo aliquos gradus caloris: ergo ſi applicetur calido vt tria producet quartum gradum caloris, & ſubiectum reddet omnino ſimile. Probo conſequentiam: gradus productus in ſubiecto omni calore nudo, & in ſubiecto calido vt tria eſt eiuſdem rationis, finis agentis ſubſiſtit ad vtrumque gradum quartum, quo agens intenſum finem aſſequitur: ergo eodem modo poterit vterque gradus ab agente produci.

11 Reſpondent nonnulli: finem agentis eſſe aſſimilationem paſſi, & ita quò maior eſt diſſimilitudo inter agens, & paſſum, magis poteſt agens agere in illud, quia eſt maior ratio ad agendum, quæ in diſſimilitudine conſiſtit. Peſſimè hac intentione aſſimilandi ſic reſpondentes vtuntur: ſi agens intendit aſſimilari ſibi paſſum, ratio agendi non eſt diſſimilitudo, ſed finis intentus ſcilicet ſimilitudo: ergo dum hanc agens conſequi poteſt ab hac actione non ceſſabit, neque ex eo, quod agens proximius ſit ad finem conſequendum, illum frigidius intendet, potius quo magis fini appropinquat, in illum maiori propenſione feretur. Do tamen fortiùs agens finem intendere, quo magis ab illius conſequutione diſtat, & ſic arguo. Agens calidum vt octo in paſſo immediato nudo omni qualitate producit ſex, vel ſeptem gradus caloris; ergo in paſſo, quod iam inuenit calidum vt ſeptem ſaltem gradum quendam producet.

12 P. Rub. & alij ex ipſo reſpondent agens calidum minori virtute producere gradum quendam caloris in ſubiecto omnino nudo, quam in ſubiecto calido vt quatuor, & facilius in ſubiecto calido vt quatuor, quam in ſubiecto calido vt ſex, quia per productionem vnius gradus in ſubiecto nudo qualitate, tantum producit calorem vt quinque, & per productionem eiuſdem in ſubiecto calido vt ſex producitur calor vt ſeptem, facilius autem producitur calor vt vnum, quam calidum vt quinque, & difficilius calidum vt ſeptem quam calidum vt quinque.

13 Hæc ſolutio verbis ludit, non tamen non tyronem illudet. Agens producens vnum gradum caloris ſuprà quatuor, quos inuenit iam productos, non producit calorem vt quinque adæquatè, ſed completiuè; ergo non magis producit, quàm ſi produceret calorem vt tria per productionem eiuſdem gradus ſuprà duos, qui ſupponerentur producti. Antecedens patet: calor vt quinque dicit omnes gradus, & quemlibet contentum in numero quinario, ſed producens quintum gradum ſupra quatuor productos non producit omnes quinque gradus, & quemlibet illorum; ergo non producit calorem vt quinque adæquatè, ſed tantùm completiuè, id eſt gradum illum, quo completur numerus quinarius. Conſequentiam probo: ſicut numerus ternarius completur per vnicum gradum, ita quinarius completur per vnicum gradum, & ſi gradus ille, qui duos inuenit productos, & ternarium numerum conſtituit, inueniret quatuor productos, idemmet per eandemmet indiuiſibilem entitatem compleret numerum quinarium; ergo gradus completiuus caloris, vt tria, & completiuus caloris vt quinque nullam inter ſe maiorem perfectionem entitatiuam, neque intenſiuam continet; ergo non producit maiorem, neque perfectiorem effectum agens producens completiuum numeri ternarij, quàm agens producens completium numeri quinarij.

14 Res eſt clara: in merito hominis iuſti vt quatuor, qui elicit opus virtutis meritorum vt vnum, & conſequitur in præmium illius gradum quendam gratiæ, qui cum quatuor præcedentibus numerum quinarium complet, nihilominus non dicitur talis homo iuſtus mereri opere bono vt vnum, gratiam vt quinque, ſeu quinque gradus gratiæ, ſed tantum vnicum gradum, qui quinarium numerum complet ratione illorum, quos per accidens reſpectu illius inuenit in ſubiecto. Si hæc ratio non conuincat huius ſolutionis patronos, peto ab illis, an ſi ego aureum vnum illis habentibus vnum de centum accommodarem, quo centenarius numerus compleretur, & centum aureos ipſi haberent, poſtea cum ſolutionem ab illis exigerem, totius pecuniæ expers, poſſem repetere centum aureos, vel vnum, certè tenentur fateri me poſſe centum repetere, quia dedi centum aureos, vel vt ſic loquar aureos vt centum, quos non repetam eouſque mihi nullum habenti centum perſoluantur. Hæc mihi concedant Doctores huius ſolutionis, & ego ſuam doctrinam in qualitatibus admittam, mea enim minus intererit, ita de qualitatibus philoſophari, quã illis iuxta hanc doctrinam commodatas ſoluere pecunias.

15 Docent alij difficilius produci vnicum gradum caloris ſupra ſex, quam ſupra duos, quia producens vnicum gradum producit cum illo vnionem ipſius ad omnes gradus, qui in ſubiecto ſupponuntur, ac proinde, quo plures ſupponuntur, producit plures vniones, vel vnam plures terminos recipientem, & conſequenter vnionem perfectiorem, & ita licet ratione gradus producti non requiratur maior virtus ad producendum illum ſupra quamcumque intenſionem, vel in ſubiecto omnino nudo, requiritur tamen rationem vnionis illum comitantis. Hæc ſolutio incertam ſupponit doctrinam, videlicet gradum aduenientem vniri omnibus præcedentibus, illa tamen admiſſa adhuc difficultatem non exhaurit. Creſcat aliquantulum difficultas producendi gradum ſupponentem alios ratione vnionis, non tamen adeò poteſt augeri ratione huius, vt agens valens producere ſex gradus cum ſuis vnionibus, non valeat loco illorum ſeptimum gradum cum ſua vnione producere, quod ſic probo. Calidum vt ſeptem producere valet ſex gradus caloris cum omnibus ſuis vnionibus, inter quos producit ſextum cum vnione ad quinque gradus, & inſuper alios omnes cum ſuis vnionibus; ergo loco illorum valebit producere ſeptimum cum vnione ad ſextum. Probo conſequentiã: ſeptimus gradus cum ſua vnione tãtum ſuperat ſextũ, cum ſua vnione; ex eo quod illius vnio reſpicit vnicum gradum, pluſquam vnio ſexti; ergo hic exceſſus longè minor eſt, quam exceſſus quinque graduum cum ſuis vnionibus, quibus ſuperat calor vt ſex gradum ſeptimum caloris; ergo agens producens ſex gradus caloris perfectiorem effectum producit, quam produceret, ſi tantùm efficeret ſeptimum gradum caloris; ergo ex perfectione effectus non repugnauit, calidum vt ſeptem valens producere ſex gradus caloris, producere ſeptimum gradum abſque aliis, qui ab alio agente ſupponuntur producti.

16 Aliter dici poſſet facilius produci primos gradus caloris, quam vltimos, quia difficiliùs expelluntur primi frigiditatis, quam vltimi ratione agentis maiori conatu conſeruantis primos, quam vltimos. Sic rem explico: ſubiectum calidum vt ſex, eſt frigidum vt duo, & in hos duos gradus frigiditatis agens illos conſeruans totas ſuas impendit vires, calidum verò vt vnum eſt frigidum vt ſeptem, quos ſeptem gradus frigiditatis conſeruat agens frigidum, quemlibet illorum minori impetu, quam quemlibet duorum exiſtentium in paſſo calido vt ſex, quia pluribus intentum eſt minus ad ſingula, & occupato agenti in conſeruandis ſeptem gradibus in ſubiecto calido vt vnum, minorem impetum agentis ſortitur quilibet illorum, quam ſortiuntur illi duo, inter quos tota virtus agentis diſtribuitur, quæ eadem in ſubiecto calido vt vnum inter ſeptem gradus frigiditatis diſtribuitur; ergo difficiliùs expelletur gradus, quo pauciorũ habuerit cõſortium; ergo difficiliùs introducetur

gradus illum expulſurus, quia quo difficilius forma expellitur à ſubiecto difficilius illi oppoſita introducitur.

17 Ad ſpeciem ſatis ſolutio eſt compoſita, illius tamen ornatus inane ſimulacrum contegit, quod ſic detego: Quando Deus conſeruat qualitatem cauſâ ſecundâ non applicatâ illius expulſioni non reſiſtit, vt probabo Controu. 6. punct... & etiamſi reſiſteret, reſſiſteret æquè expulſioni vnius gradus exiſtentis cum aliis in eodem ſubiecto, vel ſine alio, quia virtus Dei cum ſit infinita, æquè potens eſt plures, & pauciores gradus producere: ergo tunc ſubſiſtere non poteſt prædicta ſolutio: ſed age iam: hanc impugnationem prætereo, aliâ ſuſtinere non poterit prædicta ſolutio: quando agens frigidū conſeruari in parte ſubiecti calidi vt ſex duos gradus frigiditatis, eſt occupatum in conſeruatione ſex graduum frigiditatis in parte paſſi diſtanti calida vt duo; ergo ſicut occupatum in ſex illis gradibus minus eſt ad ſingula, & remiſſum conatum adhibet ad conſeruationem vniuſcuiuſcunque, occupatum in conſeruatione eorumdem ſex minus erit ad conſeruādos duos alios exiſtentes in alia parte, etiamſi in eadem alij gradus non exiſtant, quia cum idem agens per eamdem virtutem conſeruet gradus frigiditatis exiſtentes in diuerſis partibus, ſicut conatus, quem adhibet in conſeruatione vnius gradus, eſt occaſio, vt alius gradus in eadem parte exiſtens maiori conatu conſeruetur, ſic erit occaſio vt gradus exiſtens in alia parte conſeruetur etiam minori conatu, eodem enim modo inſumitur virtus per productionem vnius gradus ad producendum alium in eodem ſubiecto, ac ad producendum illum in alio, quia per ſe eadem virtus requiritur ad producendum in eodem ſubiecto, ac in diuerſo, & effectus in eodē ſubiecto, & in diuerſis productus eſt omnino idem.

§. II.

Soluuntur obiecta §. præcedentis.

18 QVinque ſoluenda deſiderantur ex his, quæ argumento præcedenti adducta ſunt. Primum eſt cur agens non producat in prima parte ſubiecti totam qualitatem, quam poteſt in tota ſphæra producere. Secundum cur etiamſi non totam producat, quare non producat maiorem intenſionem, vel tantam, quantam in ſe habet. Tertium cur etiamſi non producat maiorem, neque tantam intenſionem, quam in ſe habet, quare in paſſo ſimili independenter à productione illius aliquos gradus producere non poſſit. Quartum cur etiamſi non poſſit agere in ſimile, neque producere tantam intenſionem, quantam in ſe habet, quare calidum vt ſex in ſubiecto aliunde calido vt quinque non poſſit alium gradum producere, & ſubiectum vltimò ſibi aſſimilari. Quæ omnia claritate, quam ſemper affecto, ſigillatim explicabo.

19 Sanè ſi placeret ad naturam agentium recurrere intendentium aſſimilari ſibi paſſum tanquam proprium finem, quo ceſſante ceſſat actio, facile finem imponerem omnium argumentorum ſolutioni, & tota in hac reſtaret diſſertatio, hanc enim rationem redderem, cur ſimile non ageret in ſimile, & conſequenter cur agens non produceret in prima parte ſphæræ omnes gradus, quos in tota poteſt producere, neque plures, quam in ſe habet, & hac ratione poſita agens non poſſe producere maiorem intenſionem, quam in ſe habet; facile eſſet rationem reddere, cur totam illam non producat in paſſo non penetrato petitam ex modo agendi vniformiter difformiter per partes magis applicatas, quia paſſum penetratum maiorem applicationem habet, quam immediatum: ſed calidum vt ſex tantùm poteſt producere ſex gradus in paſſo penetrato: ergo non poteſt illos producere in non penetrato, ſed ad ſummum quinque: ergo non poteſt producere tantam intenſionem quantam in ſe habet. Quod primo loco obiiciunt ſecundum hanc doctrinam, facile poſſet abſque abſurdo concedi, nullum enim eſſet inconueniens aſſerere agens calidum vt ſex producere vnum gradum caloris in paſſo aliunde habente quinque gradus, & illud omnino completiuè aſſimilari. Quapropter ſi tibi arrideat illa agentium intentio paſſum ſibi aſſimilandi, & perfectè ſoluere poſſis, quæ contra illam adducam Controuerſia 5. punct. 1. num. 19. & iam adducta hic à num. 7. vſque ad 11. hæc tene, ego verò prædictæ ſolutioni non acquieſcens ad alia magis philoſophica gradum facio, quibus omnia ſuprà obiecta diſſoluam.

20 Reſpondeo agentia naturalia habere ſphæram diuiſibilem cum tanta extenſione, & certo termino definitam, quod manifeſta oſtendit experientia, & ratio facile conuincit, rei tamen per ſe notæ, quam negauit nullus, rationem nullam adduco, fiet enim ſuſpecta veritas per ſe nota ſi argumentis comprobetur. Secundò ſuppono agentia naturalia habere virtutem determinatā vtpote finita & creata ad producendos ſimul tot gradus, vltra quos nullum poterunt producere in aliquo ſubiecto. Hæc hypotheſis in quæſtionem vocanda non eſt.

21 His ſuppoſitis reſpondeo ad primum: agens non producere in prima parte ſubiecti omnes gradus caloris, quos continet in ſua virtute, & ſimul poteſt producere in tota ſphæra, quia ſi omnes illos produceret, nihil poſſet in aliis partibus ſphæræ producere, neque haberet ſphæram diuiſibilem, ſed in primo indiuiſibili ſubiecti totam ſuam diffunderet virtutem.

22 Ad ſecundum reſpondeo ex eodem principio agens non producere maiorem, neque tantam intenſionem, quam in ſe habet, quia habet ſphæram finitam, & limitatam, quam non haberet ſi produceret effectum æquè intenſum, quia ſi calor vt octo exiſtens in parte *A* produceret calorem vt octo, calor vt octo productus in parte *B* produceret alium calorem vt octo in parte *C*, & ſic nunquam terminaretur actiuitatis ſphæra. Ex his conſtat in ſua virtute continens certos & determinatos gradus qualitatis, quos ſimul poteſt producere, & ex alia parte habens ſphæram diuiſibilem, verbi gratia, calidum vt octo potens producere ſimul centum gradus caloris, ſic illos debere per ſubiecta applicata diſtribuere, vt omnibus partibus illius aliquem gradum caloris impertiatur, & vltra ſphæram nihil producat, & ita agens vt octo potens producere centum gradus caloris circundatum quatuor partibus ſubiecti immediatis: producet in qualibet illarum calorem, verbi gratia, vt ſex, deinde in aliis partibus magis diſtantibus calorem vt tria, & hac proportione ſuos effectus diſtribuet, ita vt totam ſuæ actiuitatis ſphæram adimpleat, & vltra illam non progrediatur, cuius ratio erit à priori, quia omnes gradus, quos poteſt ſimul producere in determinata ſphæra inſumpſit, & ſic fore à poſteriori conſtat in infinitum finitum agens ſuam diffundat actionem.

23 Reſtant duo alia ſoluenda tertium cur agens non agat in paſſum omnino aliunde aſſimilatum, & quartum cur calidum vt ſex non producat calorem vt vnum in paſſo aliunde calido vt quinque, & illud completiuè vltimo aſſimiletur. Hoc vltimum facilè concedet aliquis, ſed ſemel admiſſo tenebitur concedere agens poſſe agere in ſimile, vel recurrere ad rationem, quam ſupra miſſam fecimus de intentione agentium aſſimilandi ſibi paſſum, hac enim demptâ nullam rationem inueniet, quâ poſſit defendere agens vt ſex poſſe producere vnum gradum caloris ſupra quinque aliunde productos, & non poſſe eumdem ſuprà ſex in paſſo omnino ſimili efficere.

24 Aliam in hac re viam arripio: aſſero agens potens in ſex gradus influere prius agere de conſeruatione illorum, ſi illos productos inueniat, quam de alio producendo in eodem ſubiecto. Vnde cum calidum vt ſex inueniat in alio calido vt ſex plures gradus productos, quam ipſe poteſt producere, non agit de alio producendo, ſed de conſeruandis, quos poteſt ex productis.

25 Hac eadem ratione calidum vt ſex non poteſt ſextum gradum producere ſupra quinque, quia iam inuenit productos in ſubiecto calido vt quinque tot gradus, quos ipſe poteſt producere. Vnde ad alios conſeruandos, & non ad alium producendum ſuam actionem diriget, neque poteſt illos conſeruare, & alium producere, eadem enim virtus requiritur ad conſeruandum, & ad producendum, vt ſæpè dixi. Sed calidum vt ſex non poteſt ſex alios gradus producere: ergo non poterit conſeruare quinque gradus, & alium nouum producere. Probandum hic erat agens potens in ſex gradus influere, ſuam actionem dirigere ad conſeruationem illorum, quando illos inuenit productos, & non ad aliam nouam productionem. Sed de hoc iterum redibit ſermo Controuerſia 1. puncto 1. vbi ex profeſſo diſputabo an ſimile poſſit agere in ſimile ſaltem ratione maioris denſitatis, & rationem dictam corroborabo, & argumenta, quæ contra illa poſſunt fieri diſſoluam: Sufficiat modò ad ſolutionem argumenti noſſe rationem, propter quam ſimile non poſſit agere in ſimile.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Aliud argumentum adductum à Patre Soario ex graduum oppoſitione examinatur.

26 OBiic. 3. P. Soar. ſi gradus qualitatis ſunt omnes eiuſdem rationis ſequitur gradum primum frigiditatis æquè opponi cum omnibus gradibus calidi vt octo ac proinde nullam eſſe rationem, propter quam expellat hunc potius quàm illum; cum nullo enim determinatè opponitur, quilibet enim gradus caloris exiſtens in calido vt octo ſecluſis aliis compoſſibilis eſt cum primo frigiditatis. Neque ad Deum eſt recurrendum, quia minus eſt philoſophicum, & ſine vrgenti neceſſitate minimè faciendum, illa tamen in præſenti non vrget, facilè enim poſſunt recurſum ad Deum euitare conſtituentes gradus diſſimiles; & ſubordinatos.

27 Reſpondent aliqui prius expellendum eſſe gradum primò in ſubiecto productum, qui forſan antiquiorem illum gradum iam ſeneſcentem, & præ nimia duratione non valentem inimico reſiſtere meditantur, neſcio enim quo alio fundamento hæc antiquitatis iura in qualitatis gradibus confingunt. Alij affirmant gradum vltimò productum prius corrumpi, quod poſſet defendi propter minorem aliquam vnionem in illo excogitatam, quia gradus medij ſunt vniti prius & poſterius productis: verbi gratia in calido vt quatuor tertius gradus eſt vnitus (tertium voco tertio loco productum) ſecundo & quarto, quartus verò tantùm eſt vnitus tertio. Vnde propter hanc minorem vnionem facilius à contrario corrumpitur. Hæc omnia omni fundamento philoſophico carent, & tantùm ad imperitiam vulgi ſeu tyronum ſunt inuenta, nullum enim, vel leue veſtigium coniecturæ ad vniones graduum hoc ordine conſtituendas reperietur. Secundò hoc ordine admiſſo non eſt maior ratio cur expellatur primus gradus, quam vltimus, quia ſicut in ſubiecto calido vt quatuor quartus gradus caloris tantùm eſt vnitus tertio, ſic primus tantùm eſt vnitus ſecundo, quod ſi primus eſt vnitus ſecundo, & ſubiecto, vnio ad ſubiectum omnibus eſt communis, ac proinde in tuo philoſophandi modulo nullam maiorem vnionem inuenies in vltimo gradu quam in primo. Vltimò duplicem modum reſpondendi per prioritatem, & poſterioritatem temporis impugno ex eo, quod ſæpè plures gradus qualitatis ſimul producuntur, vt per ſe notum eſt, præcipuè in igne, & aqua, quæ per modum emanationis in primo ſuæ productionis inſtanti ſi à contrario non impediantur, calorem & frigiditatem in ſummo producunt: ergo alius excogitandus eſt reſpondendi modus pro gradibus quantitatis ſimul productis, qui facilè poterit omnibus explicari.

28 Reſpondeo primum gradum caloris opponi cum collectione octo graduum frigiditatis indiuiſibiliter ſumpta, quam intendit deſtruere per corruptionem cuiuſcumque gradus, quolibet enim corrupto non ſubſiſtit collectio, & ex natura ſua gradum frigiditatis non magis ferri in corruptionem huius, quam illius, ſed vnum illorum indeterminatum deſtruendum reſpicere, quem Deus præ aliis determinat. Ad obiectionem reſpondeo in hac re non eſſe minus philoſophicum ad Deum recurrere, duplici de cauſa. Prima quia in productione cuiuſuis gradus caloris ad Deum neceſſariò recurrimus, vt determinet ad cauſam productionem huius gradus, potius quam illius, & vt determinet hanc productionem præ alia, quæ poterat eſſe circa eumdem gradum; ergo ſicut ad Deum neceſſariò confugiendum eſt in productione, idem in corruptione nobis licebit. Dices in alio caſu nobis aliam non ſupereſſe viam ad determinandum hunc potius effectum producendum, quàm illum, in hoc verò nos facilè poſſe determinationem corruptionis ſine ſpeciali determinatione cauſæ primæ ratione philoſophica defendere, ſi aſſeramus gradus eſſe inæquales, & ſubordinatos. Reſpondeo, caſus inter ſe eſſe valde ſimiles, & cognatos, ac proinde ex vno ad alium rectè fieri conſequentiam, præcipuè ex productione ad corruptionem, cùm enim ad Deum confugiamus in poſitiuo & principaliori effectu, non eſt cur nouas rerum naturas meditemur, ne in effectu negatiuo, & minus principali Deo eamdem determinationem tribuamus.

29 Alia cauſa, de qua nobis licentiam facimus recurrendi ad Deum, vt determinet expulſionem huius gradus præ alio, eſt modus, quo gradus caloris, & qualibet forma contraria oppoſitam corrumpit per recurſum ad Deum, à quo hæc forma exigit ſuſpenſionem concurſus ad oppoſitam, quam ſuſpenſionem Deus immediatè præſtat, & non forma aliam excellens, quæ tantùm moraliter contrariam corrumpit petendo à Deo phyſicam corruptionem, quam ipſe phyſicè præſtat: ergo cùm expulſio formæ contrariæ facienda ſit per recurſum ad Deum, quid refert formam expellentem recurrere ad Deum exigendo corruptionem huius gradus determinati, ſeu indeterminati, huius, vel illius. Ex hac ratione confirmo, quam adhibui numero præcedenti; in productione caloris, quæ phyſicè ab igne dimanat recurrimus ad Deum vt illam determinet; ergo in expulſione frigiditatis, quæ tantùm phyſicè procedit à Deo, & à calore tantùm moraliter medio Deo melius licebit ipſi Deo determinationem expulſionis tribuere.

Contra hanc ſolutionem difficile reſtat argumentum. 30
Vnus gradus caloris, non opponitur cum alio determinato frigiditatis, ſed cum collectione octo graduum: ergo cum in ſubiecto calido vt quatuor & frigido vt quatuor, introducitur nouus vnus gradus caloris, nō eſt maior ratio, vt expellatur gradus frigiditatis, quam caloris præexiſtētis. Probo conſequentiam: gradus adueniens non opponitur cum quatuor frigiditatis præexiſtentibus, cum quibus componeretur ſi alij quatuor gradus caloris non eſſent in ſubiecto: ergo opponitur cum tota collectione octo graduum, quatuor caloris, & quatuor frigiditatis, ergo quod immediatè, & per ſe exigit, eſt deſtructio collectionis conſtituentis numerum octonarium, ſed collectio æquè deſtruitur per expulſionem vnius gradus caloris, quàm frigiditatis: ergo gradus ille non magis petit expulſionem vnius gradus caloris, quam frigiditatis: ergo Deus ex vi gradus introducti æquè poterit gradum caloris, ſeu gradum frigiditatis corrumpere: ergo calor non eſt magis expulſiuus caloris, quam frigiditatis.

Vrgeo ſi ſubiectum eſt informatum gradibus caloris, 31
& frigiditatis permixtis, gradus vnus caloris adueniens non magis petit expulſionem caloris, quam frigiditatis, vt probat obiecto. Deinde ſi ſubiectum ſit calidum, vt octo, æquè collectio hæc octonaria deſtruitur alio gradu caloris, quam frigiditatis, gradus enim caloris, qui adueniret incompoſſibilis eſſet, cum præexiſtentibus collectiuè ſumptis, quia non poſſunt eſſe nouem gradus caloris in eodem ſubiecto: ergo ex omni capite non magis opponitur calor cum calore, quam cum frigiditate.

Reſponderi poſſet gradum caloris aduenientem ſubie- 32
cto calido vt quatuor, frigido, vt quatuor, opponi cum tota collectione, ſpecialius tamen exigere deſtructionem collectionis, per corruptionem gradus frigiditatis, quam caloris, quia ſimile potius intendit conſeruationem ſimilis, quàm illius deſtructionem, & diſſimili, & non ſimili malum machinatur. Vrget tamen obiectio: calor non intendit deſtructionem contrarij, quia diſſimile, aliàs intenderet calor deſtruere nigredinem, ſed quia eſt incompoſſibile; ergo incompoſſibilitas gradus aduenientis tantum eſt cum collectione quatenus incompoſſibilis, ſed æquè eſt incompoſſibilis cum illa ratione graduum, quos continet caloris, quam frigiditatis: ergo non magis intendit deſtruere gradus caloris, quam frigiditatis. Aliter dicere poſſes vnum gradum caloris eſſe incompoſſibilem cum quatuor gradibus frigiditatis, ex ſuppoſitione quod ſint alij quatuor caloris in eodem ſubiecto, neque refert gradum caloris habere ſemper eamdem naturam, quia vnus gradus caloris dicetur ſemper habere oppoſitionem cum quatuor gradibus frigiditatis adiunctis quatuor caloris. Adhuc robur retinet obiectio, cur gradus caloris opponitur cum quatuor frigiditatis adiunctis quatuor caloris; & non cum quatuor caloris adiunctis cum quatuor frigiditatis: ſicut enim eſſet compoſſibilis cum quatuor caloris non exiſtentibus in eodem ſubiecto quatuor frigiditatis, ſic eſſet compoſſibilis cum quatuor frigiditatis non exiſtentibus in eodem ſubiecto quatuor caloris: neque valet ad diuerſitatem naturarum recurrere, forma enim equi eiuſdem naturæ eſt cum alia forma equi, & diuerſæ à forma leonis, & æquè incompoſſibilis eſt cum forma equi, & cum forma leonis.

Meliùs reſpondeo gradum caloris aduenientem vniri ſi- 33
mul cum quatuor caloris præexiſtentibus, cum quibus per modum

Digitized by Google

modum vnius caloris exigit expulſionem cuiuſdam gradus frigiditatis, & deſtructionem collectionis caloris vt quatuor, oppoſitio enim inter calorem, & frigiditatem, eſt caloris vt vnum ad frigiditatem vt octo, & caloris, vt duo ad frigiditatem, vt ſeptem, & è contra, vnde cum frigiditate vt quatuor nunquam opponitur vnicus gradus caloris, quibuſcumque conditionibus circumſcribatur, ſed calor vt quinque à quo indiuiſibiliter prouenit deſtructio frigiditatis vt quatuor, & expulſio gradus, cuius productione frigiditas vt quatuor deſinit eſſe. Ex hoc inferes expulſionem quarti gradus caloris non prouenire adæquatè à gradu producto, in inſtanti, in quo fit expulſio, ſed indiuiſibiliter ab illo, & à præexiſtentibus, ex quibus reſultat calor vt quinque incompoſſibilis cum calore vt quatuor. Si dicas cur in illo caſu detur calor vt quinque? Reſpondeo, quando eſt agens valens producere nouum gradum, vt ſupponimus, & conſequenter potens conſeruare præexiſtentes cum eiſdem circumſtantiis contrariæ reſiſtentiæ, quibus nouus gradus producitur, quia non ageretur de nouo gradu producendo, ſi præexiſtentes non poſſent conſeruari: prius enim eſt antiquos conſeruari, quàm nouos producere, fruſtra enim nouus produceretur dum antiquus corrumperetur, cùm enim ſubiectum eodem modo permaneret ſuperuacanea eſſet illa corruptio antiqui, & noui conſeruatio, & ex hoc capite optima ratio à priori ſumitur, cur per productionem vnius gradus caloris in ſubiecto calido vt quatuor, & frigido vt quatuor, gradus frigiditatis, & non caloris corrumpatur.

34 Ex eodem capite optima deſumitur ratio; cur calor vt vnum non opponatur cum calore vt octo, & opponatur frigiditati vt octo, quia etiam ſi calor vt vnum ſit incompoſſibilis cum calore vt octo & cum frigiditate vt octo, quia non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto nouem gradus caloris, & ſecundùm hanc rationem præciſam, non ſumatur maior oppoſitio caloris vt vnum ad frigiditatem vt octo, quam ad calorem vt octo, ex aſſignato tamen capite maxima deſumitur, quia frigiditas vt vnum producitur, & de facto aduenit ſubiecto calido vt octo, & calorem vt octo expellit ab illo, calor tamen vt vnum nunquam aduenit ſubiecto calido vt octo propter rationem ſæpe dictam, ad hoc enim vt produceretur nouus gradus caloris debebat ſupponi virtus ad conſeruandos gradus iam productos ſimul cum illo; vnde vt adueniret nouus gradus caloris ſubiecto alias calido vt octo debebat ſupponi virtus potens ſimul nouem gradus caloris producere, neque ex incompoſſibilitate vnius gradus caloris cum aliis octo in eodem ſubiecto aliqua deducitur contrarietas, inter calorem vt vnum, & calorem vt octo, quia contrarietas non ſolum dicit incompoſſibilitatem, ſed virtutem expellendi formam contrariam, calor tamen vt vnum licet incompoſſibilis cum calore vt octo, nunquam poteſt illum abſolutè expellere à ſubiecto, quia nunquam poteſt produci, in ſubiecto, quod aliunde calidum vt octo ſupponebatur.

§. IV.

Aliud argumentum refellitur.

35 CONtra eamdem graduum ſubordinationem ſic arguit Hurtad. diſp. 5. ſect. 2. ſubſect. 3. Qui habet intenſiorem viſionem perfectius videt Deum: ergo intenſio illius viſionis, eſt diſſimilis gradui remiſſo. Probat conſequentiam, quia ſi eſſet ſimilis non videretur perfectiùs Deus. Demus enim Beatum habentem octodecim gradus viſionis, & ſex alios habentes ſingulos viſionem vt tria; perfectiùs videret Deum ille, qui haberet octodecim gradus viſionis, quam ſex alij; ergo habet perfectiorem viſionem? Vrget, ſi viſiones, quæ ſunt in ſex hominibus eſſent in vno, eodem modo repræſentarent obiectum, ac ſi eſſent in diuerſis ſubiectis, neque ex vnitate ſubiecti acciperent diuerſum modum repræſentandi: ergo maior perfectio viſionis non fit per additionem graduum eiuſdem rationis in eodem ſubiecto ſed per gradus diuerſæ rationis.

36 Confirmant diſcurſum ſuprà factum: In oculo eſt multiplex viſio eiuſdem obiecti, cùm in ſpeculo refrangantur ſpecies, vna directa, & alia reflexa, & ex vtraque non fit vna perfectior, ſed duplex imperfecta; ergo ex multiplicatione graduum eiuſdem rationis, non fit perfectior viſio, ſed multiplex imperfectior. Antecedens experientia probat Hurtadus, quia illæ viſiones repræſentant idem obiectum licet in diuerſo loco, & tamen ſunt in eodem ſubiecto, quod contingit cum recinit Echo. Idem argumentum efformat in ſpeciebus impreſſis receptis in aëre; quæ etiamſi ſint in eodem ſubiecto, & ſint eiuſdem obiecti vna directa, & alia reflexa non maiorem intenſionem conſtituunt.

37 Si mihi calamus reprimendus non eſſet, latè argumentum ex his experientiis in Hurtadum ſcriberem in hunc modum: ſpecies directa, & reflexa, quæ non ſunt omnino ſimiles non conſtituunt intenſionem: ergo intenſio debet fieri ex gradibus omnino ſimilibus. His parco; Reſpondeo intenſiorem viſionem fieri ex gradibus non ſolùm repræſentantibus idem ſubiectum, ſed eodem modo, & ex hoc capite non fit vna intenſio ex gradibus viſionis repræſentantibus directè obiectum in hoc loco, & ex gradibus repræſentantibus idem obiectum in alio. Ex hac ratione non vniuntur intenſiuè, neque vnam viſionem conſtituunt perfectiorem viſio obiecti directa, & reflexa: neque ſpecies impreſſæ directæ, & reflexæ receptæ in aëre; nec ſpecies expreſſæ quas reddit Echo. Addo ſpeciem expreſſam ſoni, quam per Echo capimus ſæpe produci corrupta iam ſpecie expreſſâ eiuſdem obiecti directè productâ, & ex hoc capite implicaret conſtituere eamdem intenſionem, etiamſi non ex alio, quia illa quæ non coëxiſtunt non poſſunt eamdem intenſionem conſtituere.

38 Caſus primo loco adductus his ſolutis aliâ ſolutione non indiget, quia decem & octo gradus viſionis in diuerſis ſubiectis conſtituti intenſionem non componunt, quod ſi totidem eiuſdem rationis in eodem ſubiecto confluerent, eandem intenſionem & perfectiorem viſionem elicerent. Dixi ſi totidem coniungerentur, non ſi hi qui ſunt in diuerſis ſubiectis, quia hoc implicat, cùm viſio in opinione Hurt. includat actionem, quæ eſſentialiter tale ſubiectum reſpicit: quod ſi id mente fingamus, Reſpond. tunc vel fingi hos gradus viſionis permanere cum reſpectu ad diuerſa principia, vel cum reſpectu tantùm ad illud principium, in quo ponuntur. Si hoc dicatur, aſſero tunc eandem intenſionem, & perfectiorem viſionem his gradibus eſſe conſtituendam: ſi verò fingantur in eodem ſubiecto cum reſpectu ad diuerſa principia, parum refert ſi dicamus, tunc non vniri, quia diuerſæ ſunt rationis tres gradus reſpicientes hoc ſubiectum à tribus aliis aliud ſubiectum reſpicientibus, vel poſſent conſtituere intenſiorem, & perfectiorem viſionem, quia etiamſi habeant diuerſitatem in ordine ad ſubiecta, ſeu principia, tamen reſpiciunt eodem omnino modo idem ſubiectum.

39 Ex his ſolutionibus poteſt inferri quod rectè probant argumenta Patris Hurtadi, gradus viſionis repræſentantis obiectum directè, & gradus illud reflexè repræſentantes non eſſe omnino ſimiles, ex quo adhuc firmiter non infertur intra eandem ſpeciem eſſe indiuidua diſſimilia, quia forſan dicet aliquis viſionem repræſentantem obiectum directè ſpecie differre a viſione idem obiectum indirectè repræſentante, id tamen non eſt cur negetur; quidquid enim ſit de vnitate ſpecifica viſionis directæ, & reflexæ; certum eſt dari intra eandem ſpeciem indiuidua cum aliqua diuerſitate, reſpectu aliorum, quam inter ſe non habent; quia duæ actiones productiuæ eiuſdem caloris potentes procedere ab igne *A*, eiuſdem ſunt ſpeciei cum duabus aliis potentibus dimanare ab igne *B*, reſpectu eiuſdem termini, & tamen differunt actiones ignis *A*, per ordinem ad principium ab actionibus ignis *B*: per quem ordinem inter ſe ſpecie non differunt.

§. V.

Iudicium fertur de argumentis quibus graduum æqualitas propugnatur.

40 MVltis nonnulli efferunt probationem ſententiæ conſtituentes gradus omnino ſimiles, & non ſubordinatos hoc argumento exhibitam; Si gradus eiuſdem ſpeciei eſſent ſubordinati, duo primi gradus exiſtentes in duplici ſubiecto, aliquam conuenientiam haberent inter ſe, quam non haberent primus & ſecundus; ſed hæc conuenientia non eſſet indiuidualis: ergo ſpecifica: Maior probatur, quia primus gradus exiſtens in hoc ſubiecto conueniret cum alio, quod eſt ſupponi neceſſariò ad ſecundum, & nullum alium ſupponere ad ſui exiſtentiam, quod non habet ſecundus gradus, qui ad ſe ipſum non ſupponitur, & alium

Digitized by Google

alium, primum videlicet ad ſui exiſtentiam ſupponit. Minorem ſcilicet, talem conuenientiam non fore indiuidualem probatur facilè, implicat ipſis terminis dari conuenientiam indiuidualem, quia prædicatum indiuiduale, eſt per quod indiuiduum formaliter vltimò differt ab omnibus aliis, ſed implicat prædicatum eſſe commune, & eſſe formaliter, & vltimò per quod differat vnum indiuiduum ab alio, quibus idem prædicatum eſt commune: ergo implicat aliqua conuenientia indiuidualis, ſeu aliquod prædicatum indiuiduale multis commune.

41 Eadem ratione probatur omnes gradus fore inter ſe omnino æquales, ſeu potius omnino oppoſitos indiuidualiter, quia ſi duo indiuidua maiorem ſimilitudinem haberent inter ſe, quam cum aliis indiuiduis eiuſdem ſpeciei, eſſent eiuſdem ſpeciei, vt ſupponitur, cum illis, cum quibus minorem ſimilitudinem haberent, & diuerſæ quia ab illis differrent per prædicatum intrinſecum multis commune.

42 Reſpondent multi illud prædicatum commune aliquibus indiuiduis, & non omnibus illa conſtituere differentia ſpecie inadæquata, non verò ſpecie adæquata. Explicationem deſiderat hæc ſolutio, quidnã eſt diſtingui ſpecie adæquata, ſi enim inadæquatio ſumatur ex inadæquatione ſubiecti, vt videtur ſumi à recentioribus, qui poſtquam hanc ſpeciem, inadæquatam differentem tribuunt gradibus probant poſſe vniri illa, quæ ſpecie inadæquata differunt, quia materia, & forma ita differunt, & vniuntur in compoſito, fatentur gradum primum caloris eodem modo differre à ſecundo caloris, & à ſecundo frigiditatis, à quo ſpecie inadæquata tantum differt, ſi inadæquatio ſumitur à ſubiecto, quia primus gradus caloris cum quocumque comparetur ſemper eſt inadæquata qualitas.

43 Exiſtimo argumentum ſupra datum conuincere, omnes gradus ſecundum differentiam indiuidualem eſſe omnino diuerſos: ſi enim in hac aliquam conuenientiam agnoſceremus, non eſſet vltima, ac conſequenter neque indiuidualis, illam enim differentiam indiuidualem appellamus, qua vltimò hoc indiuiduũ differt ab omnibus, quæ neceſſario eſt aſſignanda, ſi enim non daretur aliquod prædicatum differrent indiuidua abſque vlla conuenientia, in quo vltimo in infinitum eſſet procedendum, quia quodcumque prædicatum commune debet contrahi per aliud, & ita donec vnum non commune: ſed tantum huic indiuiduo conueniens reperiamus procedendum eſt quod fiet in infinitum, ſi illud non reperiamus.

44 Cæterum vt hanc obiectionem præoccuparem, & aliquid dignum diſputatione inquirerem non quæſiui an gradus eiuſdem ſpeciei, ſint omnes indiuidualiter eiuſdem vel diuerſæ rationis, ſed an intra eandem ſpeciem gradus omnes ſint homogenei, hoc eſt, an intra eamdem ſpeciẽ ſint aliqui gradus qui maiorem conuenientiam, ſeu diſconuenientiam habeant inter ſe quod abſtrahit ab illa quæſtione, ad quam rationem pertineat illud prædicatum commune ſi detur an ad differentiam indiuidualem, an ad rationem conſtitutiuam ſpeciei inadæquatæ, vel ad aliud prædicatum medium, cui quæſtioni modo reſpondeo vt prædicto argumento ſatisfaciam, poſſe habere inter ſe aliquos gradus eiuſdem ſpeciei prædicatum aliquod illis cõmune, & non omnibus, quod non erit ſpecificum, quia non conuenit omnibus illius ſpeciei, neque indiuiduale, vt conuincit obiectio, ſed medium inter indiuiduale, & ſpecificum, & de facto ſub eadem ſpecie reperiri hæc prædicata media communia aliquibus indiuiduis, & non omnibus probabo Contron. 1. de anima.

45 Pro graduum ſimilitudine aliud argumentum ita fieri ſolet: ſecundus gradus caloris, vel continet in virtute primum, vel non continet: ſi continet, ſuperfluus eſt primus, ideóque abigendus: ſi non continet: ergo ſecus gradus caloris non concurrit ad productionem primi: ergo de medio tollitur actio. Probo conſequentiam, calidum vt vnum non poteſt producere calorem vt vnum, quia non poteſt producere quidquid in ſe habet, ſed ſecundus gradus non conducit ad productionem primi: ergo neque calidum vt duo poterit producere calorem, vt vnum, quia ex vi primi gradus illum producere non poterat, & ſecundus impertinenter ſe habet ad primi productionem.

46 Vtroque pede claudicat argumentum, videas ſcipione ablato, quomodo corruat. Reſpondeo ſecundum gradum virtute continere primum, non tamen ideo eſt abigendus primus, ſed fouendus multis de cauſis. In primis ſubiectum indiget primo, & ſecundo vt fiat calidum vt duo in genere cauſæ formalis, quod non eſſet per informationem ſolius ſecundi quantumuis primum virtute contineret. Deinde illo indiget ſecundus, quia eſt illi ſubordinatus, & ab illo dependet, neque poteſt ſecundus primo ablato ſubſiſtere. Inſuper, etiamſi ſecundus poſſet ſine primo ſubſiſtere, illo indigeret ad operandum, quia etiamſi ſecundus virtute contineat primum, non poteſt illum producere in ſubiecto extraneo ſine conſortio illius primi in proprio ſubiecto; quia nullum agens producit effectum æquè ſibi intenſum, ſicut in opinione omnium calidum vt duo virtute continet calorem vt duo, quem non poteſt producere in ſubiecto non penetrato, ſi illi non adueniat alius gradus caloris, quo fiat calidum vt tria. Secundò poſſet reſpõderi ſecundum gradum non continere virtute primum; eſſe tamen conditionem, vt primus alius poſſit illum producere, quia ea eſt natura agentium vt nullum producat totum, quod in ſe habet, etiamſi illud in virtute contineat, vnde calidum vt vnum virtute continens calorem vt vnum non poteſt illum producere ſine ſecundo, non tanquam virtute concurrente, ſed tanquam conditione.

Aliud argumentum Theologicum in hunc modum expendunt huius ſententiæ Patroni: ſi gradus qualitatis eſſent perfectione inæquales, ſequeretur è duobus hominibus, qui elicerent opus virtutis æquè bonum, vni correſpondere maius præmium, quàm alteri: ſequelam probo: ſupponamus vnum hominem habere ſanctitatem vt quatuor, & alterum, vt ſex, & vtrumque elicere opus bonum vt vnum. Homini grato vt quatuor daretur in præmio operis honeſti quintus gradus gratiæ, & grato vt ſex ſeptimus gratiæ gradus; ſed ſeptimus gradus gratiæ, eſt perfectior quinto, ergo maius præmium daretur homini iuſto vt ſex, quàm iuſto vt quatuor, propter opus æquè bonum in vtroque. 47

Ex doctrina Theologorum bonæ notæ reſponderi poteſt per ſe loquendo, maius præmium reſpondere cæteris paribus operi elicito ab homine magis grato, quia opus dignificatur à gratia exiſtente in ſubiecto, à quo elicitur, ac proinde in hoc caſu iuſtum vt ſex maius præmium reportaturum, quam iuſtus vt quatuor reportaret propter maiorem dignitatem operis aliàs æquè boni, quia ratio præmij non ſolùm deſumitur ex bonitate operis, ſed ex dignitate illi proueniente à gratia ſanctificante, iuxta quam doctrinam nullum eſt inconueniens concedere totum, quod intendit argumentum caſu adducto. 48

Aliter poſſet reſponderi gradum ſeptimum ſanctitatis eſſe perfectiorem gradu quinto phyſicè, non tamen moraliter in ratione ſanctitatis: quia vterque æquum ius dat ad gloriam, quod autem ſeptimo gradui gratiæ correſpondat ſeptimus gradus viſionis, & quinto quintus nihil refert, eodem enim modo de gradibus viſionis philoſophandum eſt, & dicendum ſeptimum illius gradum eſſe perfectiorẽ phyſicè, non tamen moraliter, neque æſtimatiuè; quia in ratione beatitudinis, omnes ſunt æquales, & eadem ratione obiectũ attingentes, æqualique claritate, dicitur autem perfectiùs Deum videre, qui habet viſionem vt ſex, quam qui illam habet vt quatuor; non quia perfectiores gradus viſionis obtineat, ſed quia habet plures, & intenſiorem viſionem. Has ſolutiones propoſui pro ſententia conſtituente ſubordinationem graduum in omnibus qualitatibus, ergo tamen illis non egeo iuxta meam ſententiam, quam iam expono aliquibus concluſionibus explicatam. 49

§. VI.

Propria ſtatuitur ſententia.

Triplicem quæſtionem hac in re confundunt. Prima, an gradus qualitatis eiuſdem ſpeciei ſint omnino ſimiles. Secunda eſt data diſſimilitudine, an ſint ſubordinati. Tertia data ſubordinatione, an ſint æquales, vel inæquales, quas quæſtiones plerique inuolutè ſine aliqua diſtinctione tractant: ego verò diſtinctis concluſionibus ſententiam explicabo. 50

Antequam meam aperiam ſententiam moneo reiiciendam eſſe mediam illam recentiorum aſſerentium qualitates habentes contrarium conſtare gradibus diuerſis, & ſubordinatis, illo verò carentes gradibus omnino ſimilibus, æqualibus gaudere, quam opinionem reiicio: quia non veritati, ſed quieti conſulit, illius enim authores, vt ſe illæſos tueantur, & pugnam declinent, cum 51

Digitized by Google

duplici inimica ſententia fœdus ineunt, contrariiſque agminibus annuunt; ne illorum argumentorum telis impetantur: ideo damnandi, quia veritatis defendendi cauſâ timore correpti vim inimicam ſuſtinere non audent, neq; ſe propriis valent continere caſtris, & aperto Marte cum inimicis prælium inire. Hoc poſito meā ſententiam his accipe.

52 PRIMA CONCLVSIO. Ex eo quod gradus ſint inæquales, aut diſſimiles non infertur eſſe ſubordinatos. Probo hanc conluſionem: poſſunt reperiri plures gradus, etiam non ſubordinatis diſſimiles, & inæquales: ergo diſſimilitudo; vt inæqualitas non arguit ſubordinationem. Antecedens patet in indiuiduis inter ſe non vnitis, quorum vnum poteſt eſſe perfectius alio abſque illa ſubordinatione, & à priori optima ratio à paritate. Perfectio cuiuſcunque indiuidui, eſt abſoluta, & independenter ab illo indiuiduo, ſeu à perfectione illius (loquor de indiuiduis non ſubordinatis:) ergo perfectio huius, non debet commenſurari cum perfectione illius, ergo poteſt illam excedere, vel non attingere.

53 SECVNDA CONCLVSIO. Subordinatio graduum neceſſariò infert aliquam diſſimilitudinem inter ipſos gradus ſubordinatos: illatio patet, primus gradus ſubordinatus poteſt eſſe ſine ſecundo, & ſecundus non poteſt eſſe ſine primo: ergo aliquid ſpeciale habet primus quo conſtituebatur independens a ſecundo, quod non habet ſecundus, vel aliquid ſpeciale habet ſecundus, quo fit dependens à primo, quod primus non habet: ergo ſunt diſſimiles, & diuerſæ rationis. Si ſcire deſideres, quid futurum ſit illud ſpeciale, quo primus gradus ſit independens à ſecundo, & ſecundus dependens à primo: ſcito eſſe eandemmet entitatem cuiuſuis gradus per ſemetipſam formaliter, & indiuiſibiter ſumptam abſque alio ſuperaddito, hanc dependentiam, vel independentiam habentem.

54 TERTIA CONCLVSIO. Subordinatio, & diſſimilitudo graduum non infert neceſſariò illorum inæqualitatem: hanc concluſionem ita ſuadeo. Poſſunt duo indiuidua ad inuicem ſe excedere in diuerſis prædicatis, ita vt ſi hoc ſuperet illud in vno prædicato, ſuperetur in alio, vt patet in viſione corporea, & in ſpecie impreſſa ſpirituali, quarum viſio corporea vincit ſpeciem impreſſam in prædicato vitalitatis & ſpecies impreſſa vincit expreſſam potentiæ viſiuæ in prædicato ſpiritualitatis: ergo gradus ſecundus qualitatis vincens ratione ſubordinationis primum, poteſt vinci alio prædicato ab eodem primo, ita vt omnibus collatis vterque gradus euadat æquè perfectus; ergo licet ſubordinatio dicat in hoc gradu excellentiam aliquam non repertam in alio, non dicit inæqualitatem, quia non dicit negationem alius excellentiæ in alio gradu, quæ excedi non poſſet huius perfectione, ſeu excellentiæ, hæc autem poterit eſſe in primo gradu maior reſiſtentia in ordine ad ſui conſeruationem, maior impetus ad productionem alius gradus ſibi ſimilis aliáve ſimilis proprietas.

55 Addo mihi certum non eſſe, quod tota admittit ſchola videlicet ratione ſubordinationis adhuc præciſè perfectiorem eſſe ſecundum gradum primo, & tertium ſecundo, & ſic poſteriores omnes aliis prioribus, imò in oppoſitum aliquantulum ratione trahebat, quam ſic expendo. Dependentia per ſe loquendo non eſt perfectio, ſed imperfectio, quod nullus negabit; quia independentia eſt maxima perfectio, & ſumma Dei perfectio & infinitas conſiſtit in adæquata independentia ab omni ente: ergo maior dependentia non poteſt eſſe formaliter maior perfectio, potiùs erit maior imperfectio; ſed in poſterioribus gradibus qualitatis ſubordinatæ, nihil ſpeciale agnoſcimus præter minorem dependentiam à prioribus: ergo id, quod ſpeciale in illis agnoſcimus non eſt perfectio aliqua, quâ vincant priores, ſed imperfectio, quâ vincantur.

56 Idem argumentum deſumo ex independentia quam habent priores gradus à poſterioribus. Independentia ſecundùm ſe formaliter dicit perfectionem: ergo quo entitas fuerit magis independens, erit perfectior, ſed primus gradus eſt magis independens, quàm ſecundus, & ſecundus, quàm tertius: ergo primus gradus perfectior eſt ſecundo, & ſecundus tertio. Maiorem firmaui ſuprà, Minorem ſtatuo. Primus gradus à nullo dependet, ſecundus dependet à primo: ergo primus gradus minorem independentiam habet quam ſecundus. Sic arguo in ſecundo reſpectu tertij, & in tertio reſpectu quarti, & in omnibus aliis.

57 Dices, dependentiā per ſe loquendo dicere imperfectionem, in rebus autē creatis perfectionem arguere à pluribus dependere; quia illa, quæ ſunt perfectiora, non poſſunt à quacunque entitate produci, ſed plures ſunt neceſſariæ vt valeant ens alio perfectius producere, ſic voluntas poteſt producere actum naturalem, ſine ſpeciali habitu, ſupernaturalem verò perfectiorem non poteſt ſine habitu ſupernaturali, & actus ſupernaturalis perfectior naturali à pluribus dependet principiis, quàm actus naturalis. Similiter forma ſubſtantialis indiget præuiis diſpoſitionibus, & ab illis dependet, forma verò accidentalis nulla alia diſpoſitione indiget, & tamen ſubſtantialis forma longè perfectior eſt accidenti.

Rem mihi dubiam ſolutio facit non certam, quia in formis ſubſtantialibus ſupponentibus accidentia, ſine quibus eſſe non poſſunt plura inuenimus præter hanc dependentiam ab accidentibus ratione quorum cognoſcimus eſſe perfectiores accidentibus, & ſimiliter in actu ſupernaturali prædicatum reperimus ſeclusâ maiori dependentia, quæ ſuperet actum naturalem, & etiamſi non reperiatur actus ſupernaturalis dependet à principio per ſe, & eſſentialiter perfectiori, quia habitus ſupernaturalis longè perfectior eſt habitu naturali abſque maiori dependentia, gradus verò octauus qualitatis non dependet ab aliquo principio, quod poſſimus ex aliquo capite cognoſcere eſſe perfectius principio, à quo dependet primus, ſed tantùm dependet à pluribus gradibus inter quos non poſſumus maiorem perfectionem ex aliquo capite cognoſcere, neque aliquid agnoſcimus ſpeciale in octauo gradu, quo certo ſcimus excellere alios, quos ſupponit, conſtituitur enim in ratione octaui per dependentiam, quæ formaliter non dicit perfectionem, ſed imperfectionem. 58

QVARTA CONCLVSIO. Poteſt dari qualitas compoſita ex gradibus æqualibus ſubordinatis. Hæc concluſio duas continet partes videlicet poſſe intentionem componi gradibus ſubordinatis, & hos poſſe eſſe æquales. Prior probatur ex ſolutione argumentorum, quibus ſubordinatio graduum impugnabatur. Poſterior conſtat ex præcedenti concluſione, qua probaui ſubordinationem graduum componi cum æqualitate ipſorum. 59

QVINTA CONCLVSIO. Poteſt dari qualitas conſtans gradibus ſubordinatis, & inæqualibus. Hæc concluſio facilior eſt probatu, quàm præcedens: meliùs enim inæqualitas, quàm æqualitas cùm ſubordinatione componitur, neque aliquid contra illā pro aliis ſententiis fuit adductum, quia etiāſi concedamus ſecūdæ ſententiæ propter argumētum deſumptū ex correſpendentia inter meritū & præmiū, gradus gratiæ fore æquales: ſuperſunt aliæ plurimæ qualitates in quibus ſubordinatio, & inæqualitas reperiantur. 60

SEXTA CONCLVSIO. Poteſt dari qualitas compoſita ex gradibus æqualibus, ſimilibus, vel diſſimilibus, non ſubordinatis. Hæc concluſio probatur ex præcedenti: meliùs enim componitur non ſubordinatio cum æqualitate, quam cum inæqualitate, & rectè ſimilitudo graduum componitur cum non ſubordinatione. 61

SEPTIMA CONCLVSIO. In qualitatibus, quæ de facto dantur nulla reperitur graduum ſubordinatio. Moueor ad hanc concluſionem, quia nullum inuenio poſitiuum fundamentum, quod probet hanc graduum ſubordinationem, ex quo illud deſumo ad ſubordinationem negandam, nihil enim poſitiuum, neque aliqua perfectio admittenda eſt in rerum natura, ſine poſitiuo aliquo fundamento. Eadem ratione diceret aliquis gradus omnes fore æquales, & ſimiles, ne ſine poſitiuo fundamento nouas entitates, & perfectiones nouas admittamus; nihilominus in re vtrinque dubia, & incerta aliter, licet coniectari. Sit. 62

OCTAVA, & vltima CONCLVSIO: Ex gradibus qualitatis, qui de facto dantur, aliqui inter ſe erunt æquales, alij inæquales; alij ſimiles, alij diſſimiles, & intenſio conſtabit ex gradibus æqualibus & inæqualibus, ſimilibus, & diſſimilibus inter ſe permixtis, & forſan alia paucis gradibus compoſita, illos omnes ſimiles, vel diſſimiles; æquales vel inæquales habebit. Non me cogit euidens aliqua ratio ad hanc concluſionem defendendam, nonnullam tamē non contemnēdam dabo: Impulſus in multorum opinione ſpecies ſoni, & ſpecies impreſſæ ſenſuum externorum, & internorum, vt plurimi veriſſimè affirmant, corrumpuntur, ex eo præciſè, quod non exigant maiorem durationem, ſed aliqui gradus corrumpuntur priùs aliis: ergo aliqui exigunt durationem maiorem, quàm alij; Ergo aliquid ſpeciale eſt in aliquibus, quod non eſt in omnibus: ergo non ſunt eiuſdem perfectionis omnes, illi enim qui maiorem 63

durationem

durationem exigunt, maiorem perfectionem habent, ſed hoc non conuenit cuicunque illorum reſpectu cuiuſcunque, plures enim gradus, ſimul corrumpunt, & æquè durant: ergo ex hoc non omnes ſunt inæqualis perfectionis: ergo cum poſſint eſſe quidam gradus æquales, alij inæquales in eadem qualitate, dicendum eſt aliquos eſſe æquales, etſi alios inæquales cognoſcamus, & conſequenter alios ſimiles, & alios diſſimiles, licet enim æqualitas perfectionis ſimilitudinem non inferat, ſaltem inæqualitas perfectionis diſſimilitudinem arguit.

64 Huic probabili rationi coniecturam aliquam quæ ratione ſupradicta ſecluſa, rem veroſimilem faciat adiungo ſtatui ſecluſa ſubordinatione poſſibiles eſſe gradus æquales, & inæquales, ſimiles & diſſimiles. Deinde nullum eſt fundamentum ad aſſerendum omnes eſſe inæquales, aut omnes inæquales, ſimiles vel diſſimiles: ergo coniectari licet naturam ſuas oſtentaſſe diuitias, & varietatem graduum oſtendiſſe producendo gradus ſimiles, & diſſimiles, æquales & inæquales inter ſe permixtos. Coniecturam fulcio: in mera poſſibilitate ſũt gradus ſimiles & diſſimiles, æquales & inæquales, quare ergo dicendum eſt naturam extraxiſſe omnes æquales, retinuiſſe inæquales omnes, vel in lucem dediſſe omnes inæquales, & æquales intra puræ poſſibilitatis chaos occluſiſſe: idem dico de ſimilibus, & diſſimilibus, ſicut enim ſi quis ex ingenti vrna, qua continerentur infiniti ferè globi æquales, & inæquales, ſimiles, & diſſimiles, plurimos extraheret, impoſſibile moraliter eſſet nullâ interueniente ratione omnes æquales vel inæquales, ſimiles vel diſſimiles, & non permixtos extrahere, ſic moraliter eſt impoſſibile naturam ex poſſibilitatis vrna, qua omnis generis gradus continentur non permixtos illos in lucem dediſſe.

65 Occurrit ſtatim peruia obiectio; quia nullum eſt poſitiuum fundamentum ad ſubordinationem adſtruendam, illam negamus: ergo quia nullum eſt fundamentum ad inæqualitatem, & diſſimilitudinem graduum ponendam illam inficiari debemus. Antequam obiectionem diſſoluam, inquiro cur ex illo antecedenti non intuliſti: ergo quia nullum eſt fundamentum ad æqualitatem, & ſimilitudinem omnium graduum concedendam illam negare debemus, nullam enim maiorem connexionem inuenies in vno conſequenti, quàm in alio cum ſuo antecedenti.

66 Reſpondeo longè diuerſam eſſe rationem, quia ſubordinatio dicit perfectionem aliam exiſtentem in rerum natura, & excellentiam quamdam abſolutam, & poſitiuam intrinſecam gradibus, quam non dicunt gradus non ſubordinati, inæqualitas verò nullam excellentiam dicit ſupra æqualitatem, ſed indifferens eſt ad maiorem, vel minorem perfectionem. Si enim tu aſſeris gradus omnes eſſe æquales, conſtitues illos omnes perfectos, vt tria, vel vt quatuor. Demus illos aſſignari perfectos, vt tria, ego illos aſſigno inæquales, quoſdam perfectos vt tria, alios vt duo: en ego non maiorem aliquam perfectionem conſtituo in rerum natura, ſed minorem in gradibus inæqualibus, quam tu in æqualibus, & poſtquam ego aſſignauero, quoſdam perfectos vt tria, alios vt duo, tu poteris dicere omnes eſſe perfectos vt duo, & non maiorem perfectionem aſſignabis tuis gradibus æqualibus, quam ego inæqualibus, ex quo infero per ſe loquendo æqualitatem, vel inæqualitatem, non dicere maiorem, vel minorem perfectionem, ac proinde ex illo principio, *maior perfectio non eſt admittenda in rerum natura ſine poſitiuo fundamento*, non licet inferre gradus fore æquales, aut inæquales.

67 Dices, conſtituantur omnes gradus perfecti vt vnum, & ita conſtituentur æquales tali modo vt non poſſint ſine noua perfectione inæquales muniri, quia gradus excedens alium ſaltem debet eſſe perfectus vt duo. Reſpondeo gradus non poſſe aſſignari ita imperfectos vt non poſſint dari alij imperfectiores, quia nullus eſt omnium imperfectiſſimus; quocumque enim poſito poteſt Deus alius imperfectiorem producere, ſicut de ſpeciebus dicebam Contro. 14. Phyſicor. p. 3. & ita non poſſunt gradus perfecti vt vnum conſtitui. Ex hoc capite licet nobis cum latitudine philoſophari in graduum perfectione, cùm enim non poſſimus omnium minimam ponere, vel conſtituere aliquam, qua non poſſint aliæ eſſe minores, intra hanc latitudinem poſſumus maiorem, & minorem gradibus concedere. Reſpectu tamen ſubordinationis non datur hæc philoſophandi latitudo, abſolutè enim poſſum illam omnino negare, & aliam loco illius non admittere. Id quod de æqualitate, & inæqualitate dixi; ſimilitudini, & diſſimilitudini eodem modo quadrat.

§. VII.

Circa graduum ſubordinationem nonnulla expenduntur.

Gradus ſubordinatos eſſe inæqualiter perfectos tota tenet ſchola, quæ minorem perfectionem tribuit gradibus vltimis alios ſupponentibus, ſine quibus ſubſiſtere non poſſet, ſed admiſſa ſubordinatione, & inæqualitate graduum mihi certum non eſt ratione ſubordinationis adhuc præciſè perfectiorem eſſe gradum ſecundum gradu primo, & tertium ſecundo, & ſic poſterius, &c. Vide quæ dixi à n. 55. vſque ad 58. 68

Aliud ſupereſt definiendum ſuppoſita ſubordinatione graduum, ſcilicet quoſnam gradus virtute quilibet illorum contineat. Gradus ſuperiores, virtute continere inferiores, iure optimo omnes affirmant, cùm enim communis teneat ſententia gradum octauum perfectiorem eſſe primo, ex nullo capite poteſt illi denegari influxus in omnes ſibi inferiores. Secundò certum eſt primum gradum non poſſe, ſine ſecundo primum alium producere, & meliùs intelligitur ſecundum ſe habere, vt comprincipium cum primo exiſtente in eodem ſubiecto ad producendum alium primum in extraneo ſubiecto, quam vt puram conditionem. 69

Difficiliùs definitur an gradus inferiores ſimul cum ſuperioribus concurrant ad producendum alium ſuperiorem ſibi: exempli gratia, an in calido vt octo ſecundus gradus caloris cõcurrat ad producendum in alio ſubiecto tertium gradum? Negant plures ex recentioribus, & ex hoc capite rationem reddunt, cur gradus ſuperiores difficiliùs producantur, quia quo gradus eſt ſuperior, pauciores ad illius productionem concurrunt, & plures, quò inferior, v.g. calidum vt octo concurrit ſecundùm omnes gradus, quos continet ad primum gradum caloris producendum in aliquo ſubiecto, ad producendum verò ſecundum gradum, tantùm concurrit ſecundùm ſeptem, à ſecundo videlicet vſque ad octauum, quia primus ad productionem ſecundi non concurrit, & ſic ad tertium producendum concurrit ſecundum ſex gradus; quia primus, & ſecundus in tertio non influit, ex quo capite optima redditur ratio, cur agens valens producere primum gradum, non valeat ſextum, vel ſeptimum producere.

Cæterùm iuxta hanc opinionem hæc doctrina neceſſaria non eſt ad reddendam rationem cur agens potens producere primum gradum, non poſſit quartum producere, optima enim redditur ex natura effectus petita abſque vllo diſcrimine ex parte principij, cùm enim gradus quartus perfectior ſit gradu primo, mirum non eſt non poſſe produci ab agente producente primum. Neque rationem inuenio cur gradus inferior ſimul cum ſuperioribus, ſecundus videlicet cum quarto, non poſſit producere tertium: imò oppoſitum ſuadet ratio ſpecifica communis omnibus, cum maior imperfectio indiuidualis reperta in ſecundo reſpectu tertij rectè ſuppleatur conſortio quarti, non enim quodlibet inadæquatum principium debet eſſe æquè perfectum cum effectu. Sic fieri coniicio: oppoſitum tamen aſſerentem non impugnandum ſuſcipiam, nulla enim à priori, neque à poſteriori pro affirmatiua vel negatiua ſententia in hac quæſtione alicui ſupererit ratio. 70

Dixi quid in hac re dici poſſit, iuxta communia principia, quibus gradui vltimo maior ſemper datur perfectio: ſi tamen quis diceret gradum octauum, non eſſe perfectiorem primo, vel ſecundo, rectè defenderet primum virtute continere ſecundum, & alios. Neque refert primum, ſine conſortio ſecundi, & tertij non poſſe producere alium ſecundum; hoc enim non proueniret ex perfectione ſecundi non contenta in primo, ſed ex eo quod primus quatenus eſt ex ſe tantùm poſſet producere vnicum gradum, & cum ſecundus non poſſet produci quin priùs produceretur primus, ſemper hic priùs, produceretur à primo, & iam productus non poſſet ab eodem primo ſecundus produci, nõ propter maiorem perfectionem, ſed quia vnicus gradus nõ poteſt duplicem adhuc illo imperfectiorem producere. 71

Vltimò monitum eſſe volo, Authores aſſerentes non dari quantitatem diſtinctam ab aliis entitatibus materialibus, ſed ſubſtantiam, & reliqua accidentia eſſe quantitates materiales, ita vt calor per ſe ipſum petat extenſionem, & habere partes extra partes, teneri affirmare gradus extenſionis, & intenſionis diſtingui. Ratio eſt facilis, gradus

Digitized by Google

extenſionis petit eſſe extra alium gradum extenſionis, & non extra gradum intenſionis: ergo aliquid eſt ſpeciale in vno gradu, quod non eſt in alio, ſi enim vterque eſſet eiuſdem rationis, cum vtroque eſſet compoſſibilis, vel incompoſſibilis in ordine ad ſpatium. Tenentur ſecundò hi Authores aſſerere gradus intenſionis neceſſariò ſupponere gradum extenſionis in omni qualitate; quia ſi poſſent dari gradus intenſionis, ſine gradibus extenſionis, cum illi inter ſe ſint penetrabiles, poſſent omnes penetrari, & daretur qualitas, quæ non exigeret partes extra partes, neque per ſe ipſam peteret extenſionem contra id, quod hæc ſententia ad quantitatem ſupperadditam auferendam ſtatuit. Poſita ſubordinatione inter gradus extenſionis, & gradus intenſionis illi ſupperadditos, liberum eſt his authoribus, gradibus intenſionis inter ſe ſubordinationem concedere, vel denegare.

2 Aliter poſſunt hi Authores iuxta ſuam ſententiam naturam qualitatis componere abſque vlla ſubordinatione, differentia, vel diſſimilitudine graduum extenſionis, & intenſionis exiſtentium in eadem parte ſubiecti, ſi dicant gradus omnes exiſtentes in eadem parte ſubiecti, eſſe eiuſdem omnino rationis inter ſe, omnes tamen inter ſe ſimiles habere diſſimilitudinem cum gradibus exiſtentibus in alia parte ſubiecti cum quibus neque omnes ſimul, neque illorum aliquis penetrari poſſunt, neque intenſionem componere, ſed ſi aliqua, neceſſariò vnione extenſiua eſſe annectendos. Hac ratione quilibet gradus exiſtens in hac parte ſubiecti differret à gradu exiſtente in alia, ita vt nunquam ex aliquo gradu exiſtente in hac parte & ex alio exiſtente in alia, vnica poſſet fieri intenſio, & omnes gradus exiſtentes in eadem parte erunt omnino ſimiles, & poterunt inter ſe vniri modo intenſiuo; non verò extenſiuo, & quilibet gradus erit addictus ad intenſionem, & non extenſionem cum hoc gradu componendam, & ad extenſionem, & non intenſionem conſtituendam cum alio. Conſtat ex his ſententiam aſſerentem non dari quantitatem ſuperadditam, ſed quamlibet entitatem corpoream eſſe quantitatem materialem, teneri gradus aliquos diuerſæ rationis in qualitate aſſignare, non tamen omnes, poteſt enim aſſerere gradus omnes exiſtentes in eadem parte ſubiecti eſſe eiuſdem rationis inter ſe, & diuerſæ à gradibus exiſtentibus in alia parte, & hac ratione abſque illa ſubordinatione graduum extenſionem, & intenſionem qualitatis hæc ſententia defendere poterit. Alio etiam modo poterit dicere omnes gradus extenſionis inter ſe eſſe eiuſdem omnino rationis, differentes verò à quocumque intenſionis gradu, & hac ratione conſtituenda eſt ſubordinatio inter gradus extenſionis, & intenſionis, ita vt gradus intenſionis neceſſariò ſupponant gradum extenſionis receptum in parte ſubiecti, & poſtea integrum his Authoribus erit propugnare vel impugnare ſubordinationem inter ipſos gradus intenſionis.

PVNCTVM III.

De terminis intenſionis, & remiſſionis qualitatis.

1 SVpponunt omnes Philoſophi qualitates habere terminum aliquem, quem naturaliter excedere non poſſunt, hunc gratis octonario numero, ſignificant, eodem iure potentes eundem ſexto vel duodecimo ſignificare. Dubitant an ſupernaturaliter poſſint qualitates terminum naturaliter præfixum excedere, quam dubitationem ſolui 3. Phyſicorum, ſect....

Terminum remiſſionis infra quem maior remiſſio, & minor intenſio dari nequeat qualitatibus, negabit ſua in Metaph. diſp. 45. ſect. 4. Rub. 1. de generat. tit. 3. q. 6. quem plures recentiores ſequuntur. Alij prædictos terminos fixos eſſe volunt.

§. I.

Aliorum rationes.

2 POtiſſima ratio aſſerentium remiſſionem qualitatis præfixos habere terminos, hæc eſt. Qualitas requirit certam, & determinatam intenſionem, ad operandum: ergo ad exiſtendum. Antecedens omnes admittunt, conſequentiam probant: eſſe eſt propter operari: ergo in ſtatu in quo non poteſt operari, non poteſt eſſe. Perdoctus è noſtris Magiſter cui hæc arriſit ratio, cum præuideret poſſe ei obiici, qualitatem exiſtentem in vltima parte ſphæræ poſſe exiſtere, & non operari: ſic obiectionem ad ſuam ſententiam probandam præocupauit. Illa vltima pars lucis exiſtens in extremo ſphæræ habet virtutem illuminandi, aliàs non poſſet exiſtere; ergo ex eo non producit aliam qualitatem in parte contigua, ne producat qualitatem adeò remiſſam, vt non poſſit operari; quia cum non produceret quidquid in ſe habet, & ipſa tantùm habet minimum requiſitum ad operandum, ſi aliquid produceret, neceſſariò eſſet infra minimum requiſitū ad operationem: ergo qualitas petit non produci infra minimum requiſitum ad operationem: ergo petit produci ſub tanta intenſione: ergo habet intenſionem determinatam. 3

Mirum eſt huius recentioris acumen, nos impetit eiſdem telis quibus ſua euertitur ſententia, ſic telum ab illo iactum in ipſum contorqueo. Qualitas exiſtens in vltima parte ſphæræ non poteſt aliam producere, ergo datur qualitas ita remiſſa, vt non poſſit operari. Reſpondet illam qualitatem ex ſe poſſe aliam producere, repugnare tamen productionem ratione effectus, quia repugnat qualitas remiſſior qualitate exiſtēte in vltima parte ſphæræ. Et æquè intenſa ab illa produci nequit. Contrà: ſiue repugnantia proueniat ex virtute cauſæ, ſiue ex impoſſibilitate effectus verum eſt dicere, qualitatem illam non poſſe operari: Ergo verum eſt dicere qualitatem exiſtere in ſtatu, in quo non poteſt operari. Secundò eamdem ſolutionem impugno. Poteſt eſſe qualitas ex ſe potens operari, quæ id præſtare nequeat propter repugnantiam effectus: ergo non eſt vnde probetur qualitatem requirere certam intenſionem, vt ex ſe ſit operatiua: aſſerā enim ego quamlibet qualitatem ex ſe eſſe operatiuam in quacumque intenſione, non poſſe tamen ratione effectus infra tantam intenſionem operari.

Tandem præcipuum fundamentum huius ſententiæ firmum non eſt, licet enim eſſe ſit propter operari, ex eo non infertur, qualitatem per accidens eſſe non poſſe ita remiſſam, vt operari non poſſit, etſi contra propriam exigentiam, & propenſionem, materia enim eſt propter formam, & propter compoſitum, & tamen in ſententia huius Authoris, quam veram iudico, ex ſe naturaliter poteſt eſſe materia, ſine forma, & ſine compoſito. Et eſſentiæ ſunt propter ſuas paſſiones, aqua propter frigiditatem, vt octo producendam, quam non ſemper producit, ſicuti neque aliæ eſſentiæ ſuas paſſiones, & proprietates. 4

Secundò demus illud axioma, *eſſe eſt propter operari*, firmum ſibi tenere nihil poſſe exiſtere, quod non poſſit operari, neceſſariò illud intelligendum eſt de potentia inadæquata, & incompleta, vt patet in potentiis animæ, quæ exiſtere poſſunt ſine ſpeciebus, ſine quibus non ſunt adæquatè potentes effectū producere, quam potentiā inadæquatā habet qualitas, quantumuis remiſſa, quia ſi cum aliis gradibus cōiungatur, ipſa ſimul cum aliis effectū producet. 5

Obiiciunt nonnulli: ideo forma viuentis non poteſt exiſtere ſine ſua deorganizatione, quia non poteſt operari ſine illa: ergo entitas requirit ad exiſtendum totum id, quod requirit ad operandum: ergo quæ non habet requiſita ad operandum nequit exiſtere. Reſpondent nonnulli diſparem eſſe rationem, quia forma ſemel poſita ſine deorganizatione non poteſt poſtea aliam habere, ac proinde neque proximè, vel remotè poteſt operari. Qualitas verò minor minima requiſita ad operandum poteſt intendi, ac proinde ſaltem remotè poteſt operari. Non acquieſco: quia ſæpè forma conſeruatur in ſtatu, in quo non poteſt acquirere requiſita ad aliquas operationes, vt patet in homine carenti oculorum deorganizatione, & tamen illius forma eſt propter operationes, quas neque proximè, neque remotè poteſt exercere: ergo poteſt exiſtere, quin poſſit exercere adhuc remotè aliquas operationes, ad quas ordinatur: ergo ex hoc capite (idem de omnibus eſſet cenſendum) forma non indiuiſibiliter reſpicit omnes operationes, & ad illas per modum vnius ordinatur. Melius reſpondetur formam non poſſe conſeruari ſine ſua deorganizatione, quia quotieſcumque deficit illius deorganizatio, dantur diſpoſitiones determinantes materiam ad aliam formam priorem expellentem, vel dato perire poſſe ex defectu deorganizationis, dici poteſt talem eſſe naturam formæ, vt ſine illa conſeruari nequeat, quod à poſteriori nobis conſtat, & à priori nulla alia ratio nobis innoteſcit.

Aliqui ſectatores negatiuæ ſentētiæ hac ratione probāt 6
qualitatem

qualitem non requirere determinatam intenſionem. Si qualitas requireret certam, & determinatam intenſionem, produceretur in prima menſura ſui eſſe cum tota illa intenſione: ergo qualitas diuiſibilis poſſet produci in inſtanti ſub tanta intenſione: ergo ſub alia maiori: ergo poſſet tota qualitas ſimul produci: ergo non produceretur ſucceſſiuè. Priores conſequentiæ non terrent, ſed alliciunt, probabo enim in inſtanti produci qualitatem diuiſibilem. Poſteriores conſequentiæ peſſimè inferuntur; quia virtus agentium eſt finita, & illa quæ valet ſimul tres gradus producere, nequit ad quartum ſimul cum aliis ſuam extendere actionem, quia ad maiorem effectum maior requiritur virtus, & minor alia minorem effectum producens maiorem attingere non valet.

§. II.

Propria ſententia.

8 DVplicem contemplor tam intenſionis, quàm remiſſionis terminum, quemdam intrinſecum, alium extrinſecum (non loquor de friuolis illis terminis per maximum quod ſic, vel minimum quod non:) intrinſecum voco terminum ortum à natura qualitatis illum exigentis; extrinſecum, quem qualitatis natura non ſibi præfixit, ſed tantùm originem trahit à cauſis extrinſecis determinatis ad producendam qualitatem intra certam latitudinem, non valentibus infra illam ſuam deprimere actionem, neque ſupra illam influxum eleuare.

9 Prima conclvsio: Omnis qualitas cuiuſcumque naturæ illa ſit, habet terminum extrinſecum intenſionis quem naturaliter excedere non poteſt. Ratio eſt manifeſta: quælibet cauſa creata habet certam, & determinatam virtutem ad tantam intenſionem, & non aliam maiorem producendam: ergo licet qualitas ex natura ſua magis, & magis poſſit intendi; ratione agentis determinabitur ad tantam intenſionem, & non aliam maiorem naturaliter attingendam; quia non poteſt naturaliter intenſionem attingere, quam nullum agens naturale producere valet.

10 Secvnda conclvsio: Qualitates quæ ex natura ſua ſunt diſpoſitiones, habent terminum intrinſecum, quem petunt non excedere, & naturaliter nunquam excedent. Ratio eſt facilis. Qualitas vt ſit diſpoſitio ad formam, debet eſſe in tanta intenſione, & non in alia maiori: ergo qualitas, quæ petit eſſe diſpoſitio ad formam, petit eſſe in tanta intenſione, & non in alia maiori; ergo ex natura ſua terminum intrinſecum habet intenſionis, quem naturaliter non excedet.

11 Dices rectè probari qualitatem exigere tantam intenſionem, non tamen conuinci, non poſſe naturaliter, contra propriam exigentiam, illam excedere, ſicut enim frigiditas aquæ exigitur vt octo, & poteſt remitti infra intenſionem vt octo, ita forſan poterit intendi ſupra intenſionem, quam petit, nec valet reſpondere intenſionem vt octo eſſe maximam, quæ dari poteſt, de hoc enim eſt quæſtio. Reſpondeo, poſita exigentia formæ ad tantam intenſionem, & non aliam, rectè probari non poſſe dari naturaliter ſupra illam intenſionem, quia ignis validiſſimus inter omnia agentia ad calorem producendum tantum poteſt producere calorem quem forma exigit: ergo ſi forma exigit calorem determinatum, tantùm poterit calorem determinatum producere: ergo nulla cauſa creata poterit maiorem alium producere, cum omnes excedat ignis virtute actiua caloris.

12 Tertia conclvsio: Nulla qualitas habet terminũ intrinſecum intenſionis, quẽ non poſſit ſupernaturaliter excedere, ſed quælibet ex ſe poteſt magis, & magis augeri naturaliter intra finitam intenſionem, & infinitam ſupernaturaliter attingere. Prior pars concluſionis probatur ex eo quod nullum appareat caput ratione cuius non poſſit qualitas magis & magis intendi dum non pertingat infinitam intenſionem. Poſteriorem probo Controu. 14. Phyſic. punct. 5. vbi probo poſſe dari infinitam intenſionem, & ibidem, n. 9. Reſpondeo eidem obiectioni, quæ ſpecialiter fit contra infinitam intenſionem qualitatis, quorum gradus ſunt ſubordinati.

13 Qvarta conclvsio: Qualitates quæ diſpoſitiones non ſunt neque formæ, nullum terminum habent, quem adhuc naturaliter petant non excedere. Moueor ad hanc concluſionem, quia nullum eſt fundamentum ad talem terminum conſtituendum, cur enim lux quamtumuis intenſa petet non vltra augeri, ſi gradus alij intenſionis poſſibiles ſint, cũ quilibet gradus ſit noua perfectio illius, & nullum ſit caput ex quo talis intenſio illi diſconueniens eſſe poſſit.

14 Qvinta conclvsio: Nulla qualitas habet terminum remiſſionis ab intrinſeco permanentem, ſed ex natura ſua poteſt eſſe, in qualibet minori, & minori, ita vt in quacumque, quantumuis exigua poſſit conſeruari, etiamſi in illa non poſſit operari: Probatur hæc concluſio ex deſtructione fundamenti oppoſitæ ſententiæ: ſi propter aliquam rationem, qualitas haberet terminum intrinſecum remiſſionis, maximè, quia eſſe eſt propter operari, & ita non poſſet eſſe cum illa menſura intenſionis, ſub qua non poſſet operari, ſed hæc ratio eſt nulla, vt probaui; ergo nullum habet fixum remiſſionis terminum. Secundò quilibet gradus per ſuammet intenſionem exigit ſui conſeruationem, & nulla poteſt excogitari dependentia in gradibus, quantumuis remiſſis ab aliis, quibus maior fiat intenſio: ergo independenter ab aliis ſuam exigent conſeruationem, quantumuis ſint remiſſi: ergo naturaliter erit illis debita conſeruatio, ergo naturaliter valebunt abſque aliis ſubſiſtere.

15 Sexta conclvsio: Qualitas habens contrarium non habet terminum remiſſionis adhuc extrinſecum, ſed ex omni parte poteſt conſeruari in minori, & in minori, ſi continuum conſtet ex infinitis partibus, & indiuiſibili intenſionis, ſi ex puris indiuiſibilibus conſtituatur. Probatur hæc concluſio: quo magis intenditur calor magis remittitur frigiditas. Sed poteſt intendi calor magis, ac magis ſucceſſiuè in quacumque intenſione, quouſque compleatur calor vt octo: ergo poteſt remitti frigiditas magis ac magis in quacumque intenſione, quouſque tota penitus expellatur, eadem enim eſt menſura intenſionis caloris, & expulſionis frigiditatis.

16 Septima conclvsio: Qualitas carens contrario: verbi gratia, lux, in opinione, quæ continuum ex infinitis partibus componit habet terminum extrinſecum remiſſionis. Probo hanc concluſionem. Qualitas vt operetur requirit tantam intenſionem infra quam operari nequit: verbi gratia, qualitatem vt tria: hæc qualitas vt tria eſt agens neceſſarium quod ſemper producet totum quod poteſt: demus ergo producere lucem vt duo, hæc lux vt duo non poterit lucem aliam producere; quia eſt minor minima requiſita ad operandum, neque ex aliquo capite poterit remitti, quia caret contrario: ergo ſemper erit intenſa vt duo: ergo habet terminum ſaltem extrinſecum remiſſionis. Neque poteris dicere poſſe decreſcere propter maiorem diſtantiam agentis, quia illam conſtituo in vltima parte ſphæræ, neque per diminutionem cauſæ conſeruantis: quia cum hæc ſit qualitas conſtituta in minima intenſione ad operandum requiſita non poteſt remitti, & manere cum virtute actiua requiſita ad operandum.

17 Octava conclvsio: In opinione conſtituente continuum ex puris indiuiſibilibus qualitas non habet terminum diuiſibilem remiſſionis, ſed poteſt ad indiuiſibile remitti. Quia ex nullo capite repugnat cauſa conſtituta, in minima intenſione ad operandum requiſita producens indiuiſibile qualitatis abſque vlla intenſione.

CONTROVERSIA V.

De qualitate in ordine ad ſuos effectus.

EXplicvi naturam Qualitatis in ordine ad propria intrinſeca illius, eamdem in ordine ad ſuos effectus explicaturus aggredior: neceſſaria eſt hæc diſputatio ad cognoſcendum modum, quo qualitas à qualitate procedat, & valde vtilis ad naturam qualitatis meliùs dignoſcendam, illa enim quæ à priori percallere non poſſumus, per effectus à poſteriori nobis innoteſcunt.

PVNCTVM PRIMVM.

An ſimile poſſit agere in ſimile.

DVm inquirerem, an gradus qualitatis ſubordinationem inter ſe haberent incidit difficultas, cur graduum ſubordina

Digitized by Google

ſubordinatione delegata, ſimile non poſſit agere in ſimile, quam ibi tetigi & hic latius diſputandam reliqui.

§. I.

Quibuſdam præmiſſis variæ ſententiæ referuntur.

2 DE hac re clarè & doctè ſapientiſſimus P. Suar. tom. 1. Metaph. diſp. 18. ſect. 9. ex quo ſic quæſtionem præſentem explico. Non quæritur an ſimile poſſit agere in ſimile actione æquiuoca, certum enim eſt hominem poſſe producere impulſum in alio homine ſibi omnino ſimili. Secundò monet rectè Soar agens non eſſe conſiderandum in fine actionis, ſeu iam informatum termino producto per alterationem, hæc enim ordinatur ad aſſimilandum paſſum, quod licet forſan nunquam aſſequatur paſſo non penetrato, non id prouenit ex repugnantia ſimilitudinis: ſed ex defectu ſufficientis applicationis ad talem ſimilitudinem efficiendam in paſſo: eſt ergo paſſum ſpectandum ſecundum formam, quam habet independenter ab actione de qua inquiritur, an poſſit in ſimili exerceri: v.g. an calidum vt quatuor poſſit ſupra iam calidum vt quatuor, gradus alios caloris producere.

3 Duplicem ſimilitudinem diſtinguit Noſter Tolet. lib. 1. de generat. cap. 7. q. 13. §. *in hac difficultate*, quamdam in qualitate, aliam in gradu: ſimile in qualitate dicitur, quod eamdem ſpecie habet qualitatem cum altero cui dicitur ſimile, vt cum vtrumque eſt calidum: vel ſimile in gradu dicitur cum vtrumque non ſolùm habet eamdem qualitatem, ſed eamdem intenſionem, vt cum vtrumque eſt calidum vt quatuor. His ſimilitudinibus aliam diſtinctam addit § *ſi tertium*, quam ſimilitudinem in potentia appellat, vt cum vtrumque agens, eſt æquè potens qualitatem producere, quæ ſimilitudo non comitatur ſimilitudinem in gradu: duo enim calida vt quatuor, quorum vnum eſt rarum, & alterum denſum, ſunt ſimilia in gradu, & non in actiuitate. Duplicem hanc ſimilitudinem meminit Soar ſuprà, n. 21. ſimilitudinem in gradu iuxta Cardinalis doctrinam rurſus ego ſubdiuiderem, quamdam ſimilitudinem in gradu ratione extenſionis, & intenſionis, in vtroque extremo, aliam ratione extenſionis in vno extremo, ac intenſionis in alio. Similitudo ratione intenſionis, & extenſionis, erit cum duo ſubiecta æquè extenſa, æquè rara, vel denſa eamdem intenſionem habent in qualibet parte ſubiecti: ſimilitudo ratione extenſionis in vno, & intenſionis in alio erit, cum alterum extremum habens plures partes ratione denſitatis, vel ratione maioris extenſionis, calidum vt quatuor tot gradus caloris habet quot aliud calidum, vt quinque, minus extenſum, vel æquè extenſum cum minori denſitate.

4 Simile non poſſe agere in ſimile in gradu intenſionis, ait Soar, n. 7. eſſe veluti primum principium traditur ab Ariſtot. 1. de generat. cap. 7. text. 46. vbi ait maximam partem veterum ſumma animi conſenſione affirmaſſe, rem ſimilem à ſimili nunquam pati, *quia alterum nihil magis agens, aut patibile aliquo ſit*: idem principium *ait* Soar tradidiſſe Philoſophum artic. 2. de generatione cap. 9. & libro 1. Phyſic. & libr. 3. in principio & libr. 7. textu 35. & libr. 8. à principio. Hoc principium, ita illæſum Soar & maior Doctorum pars defendunt vt nunquam admittant calidum vt quatuor, etſi rarum valde poſſe ab alio calido vt quatuor, quantumuis denſo & extenſo quidquam caloris pati.

5 Marſil. Niph. & Sotus apud eumdem Soar n. 20. afferunt ſimile ratione maioris denſitatis poſſe agere in ſimile minus denſum, his ſubſcribunt quam plurimi recentiores.

6 Noſter Toletus axioma ſupra dictum explicat de ſimilitudine in potentia; ita q. 13. citat. §. *tertia concluſio*, vbi docet duo calida, æquè actiua non poſſe mutuo in ſe agere neque vnum in alio, quia ſemper procedit ex diſſimilitudine in potentia, & proportione maioris virtutis. Additque ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem intenſionis per accidens ſe habere vt calidum agat, vel non agat. Tertio dicit §. *ex quo colliges.* quod niſi numerus graduum, ſeu extenſionis, ſiue intenſionis adæquet effectum, vel excedat, non poſſe peruenire ad illum effectum: v. g. numquam fieri calidum vt ſex, niſi ab habente tot, vel plures gradus, ſiue intenſiuè, ſiue extenſiuè.

§. II.

Impugnatur ſententia Cardinalis Toleti.

7 MAgnopere diſplicet explicatio, quam adhibet noſter Cardinalis prædicto axiomati, de ſimilitudine in actiua potentia, ſecundum eamdem qualitatem à cuius victoria, vel à cuius exceſſu à proportione debeat actio d rocedere.

Agens calidum vt quinque per calorem in ſe receptum, neque per virtutem actiuam illius non reſiſtit ſexto gradui caloris producendo in ipſo, ſed per tres alios frigiditatis quos habet: ergo vt ſextus gradus caloris producatur, non eſt virtus productiua caloris, ſed reſiſtentia formalis frigiditatis & virtus actiua conſeruans eiuſdem frigiditatis gradus, ſi pro illorum conſeruatione reſiſtat: antecedens negari nequit, & facilè probatur: Calor vt quinque exiſtens in ſubiecto non eſt incompoſſibilis cum calore vt ſex, ſeu cum ſexto gradu caloris producendo, neque intendit impedire productionem ſexti gradus in ſe producendi, tantùm enim intendit producere calorem in alio ſubiecto media actione, & per ſe ipſum exigit conſeruationem ſui in ſubiecto, in quo eſt, ſed id, quod opponitur cum ſexto gradu caloris eſt frigiditas vt tria exiſtens in ſubiecto, in quo producendus eſt ſextus gradus caloris, cui frigiditas formaliter reſiſtit, & cauſa illam conſeruans actiuè reſiſtir, ſi ſit cauſa ſecunda determinata ad illam conſeruandam: Conſequentia eſt legitima, id enim vincendum ad aliquam actionem, quod illi reſiſtit, & cum illa opponitur; non verò, quod nullam incompoſſibilitatem, neque oppoſitionem habet cum tali actione. 8

Secundò ſic Toletum impugno: aſſerit eadem q. § *ad ſecundum*, calidum vt tria, non agere in frigidum vt ſex, quia calor vt tria non vincit frigiditatem vt ſex: ergo ex ſuis principiis vt calidum agat in calidum, frigiditatem exiſtentem in paſſo, & non virtutem actiuam caloris exiſtentem in illo debet euincere. Tertiò ex vtroque principio è Toleto adducto ſequitur ſæpiſſimè calidum non poſſe agere in frigidum, quia vt calidum agat in frigidum virtute actiua agentis, debet vincere virtutem actiuam caloris, & virtutem actiuam frigiditatis exiſtentium in paſſo, quod ratò præſtare poterit; etenim vt ipſe ait frigidum vt ſex non patitur à calido vt tria, quia calor vt tria non vincit calorem vt ſex, neque frigidum vt quinque ab eodem calido tria pati poteſt, quia frigidum vt quinque, eſt calidum vt tria, ergo eſt ſimile in gradu caloris agenti: ergo ſi ſit æquè denſum erit ſimile in potentia: ergo non poterit pati paſſum æquè dẽſum calorem, neque frigiditatem ab illo agente calido vt tria, neque vt quatuor, quomodocunque tale paſſum conſtituatur, quia nunquam calor vt quatuor, virtute vincet calorem, & frigiditatem exiſtentem in paſſo. quia altera earum qualitatum erit vt quinque, & hæc vinci non poterit, vel vtraque vt quatuor, & tunc neutra vincetur. Idem argumentum ſit de calore ex quo infertur nullum agens habens infra intenſionem quinque graduum qualitatis, poſſe ſecundum illam agere in paſſum æquè denſum, quod alienum eſt à vera Philoſophia. 9

10 Falſum etiam eſt id, quod docet Toletus ſcilicet ſimilitudinem graduum inter cauſam, & effectum deſumendam eſſe ex multitudine illorum, extenſiua, & intenſiua, ita vt agens habens tantùm ſex gradus caloris non poſſit producere octo gradus per diuerſa ſubiecta diſperſa: quia difficile eſt calidum agens in latam, & longâ ſphæram, non producere plures gradus in tota illa, quam in ſe habet. Fateor hanc rationem non omnes conuincere, quia agentia quæ ſphæram habent, nimis longam, ſicut ignis, & luminoſum, vt plurimum, ſunt æquiuoca, in quibus hæc correſpondentia graduum, & ſimilitudo, ſeu æqualitas in multitudine illorum non deſideratur: ignis enim non ſolùm producit calorem in alio ſubiecto per calorem, quem habet in ſe, ſed immediatè per propriam ſuam entitatem, & luminoſum vel eſt ignitum, vel dependet illius lux in conſeruari ab alia ſubſtantia, quæ ſimul cum illa producat lucem per longam ſphæram. Vrget tamen hæc ratio plurimos aſſerentes ignem non producere immediatè per ſuam entitatem calorem; in alia ſubſtantia pugnant contra hanc ſententiam omnia, quibus probatur ſimile non agere in ſimile, quæ ad propriam probandam exhibeo.

§. III.

Impugnantur rationes quibus alij probant ſimile non agere in ſimile.

OPinio, quæ graduum ſubordinationem conſtituit facilè rationem reddit cur ſimile non agat in ſimile, cum enim gradus producendus à calido vt quatuor in paſſo 11

paſſo ſimili eſſet gradus quintus perfectione excedens quatuor ſubordinatos, produceretur effectus perfectior ab imperfectiori cauſa, quod fieri nequit, ex quo optimam rationem reddit, cur ſimile, calidum videlicet vt quatuor non quintum gradum caloris producat. Huius concluſionis rationem venamur in opinione; quam defendendam ſuſcipimus de gradibus inter ſe non ſubordinatis.

11 Probat Soar. n.8. ſimile non agere in ſimile; quia agens agit quatenus eſt in actu, & paſſum in potentia, ſed duo ſimilia non ſunt vnum in actu, & alterum in potentia reſpectu ſui; Ergo neutrum poteſt agere in aliud. Antecedens probat. Agens nihil poteſt agere quod in ſe non contineat: ergo formaliter, vel eminenter debet eſſe in actu ad effectum producendum. Altera pars antecedentis probatur: quia cum agens agit, reducit paſſum de potentia ad actum: ergo debet poni in potentia ad talem actum, & hac ratione priuatio inter principia generationis enumeratur. Hæc ratio coincidit cum ratione ſupra facta, vel nullius eſt momenti, concedo enim agens debere eſſe in actu, & paſſum in potentia & affirmo calidum vt quatuor eſſe in actu, & continere eminenter gradum alium, quem poteſt producere in calido vt quatuor, quo fiat calidum vt quinque, ad quod calidum vt quatuor eſt in potentia quia eſt illo priuatum, & capax recipiendi illum. Quod ſi velis probare calidum vt quatuor non eſſe in actu ad producendum gradum vt quinque recurrere debes ad rationem ſupra factam, ſi verò defendis gradus nullam habere ſubordinationem ad actum, ſeu virtutem vel continentiam agentis, recurrere non potes, quia in virtute calidi vt quatuor plures gradus continentur, qui ſi alij calido vt quatuor ſuperadderentur illius intenſionem augerent. Hæc noto contra Authores ſubordinationem graduum negantes, & contra Thomiſtas non admittentes graduum additionem, qui hanc rationem in hac quæſtione abs re à Suario deſumpſêre.

12 Secundò arguit ibidem ab incommodis, quia ſi ſimile ageret in ſimile non eſſet maior ratio, cur vnum ageret in aliud, quàm è conuerſo. Non premit hæc ratio, qui enim defenderet ſimile agere in ſimile conſequenter diceret, vtrumque mutuo agere in alterum, ſi enim calidum vt quatuor ageret in calidum vt quatuor, quod calidum vt ſex conſtitueret, cur calidum vt ſex iam diſſimile non ageret in calidum vt quatuor? Neque ex hoc ſequeretur idem agere in ſe ipſum ſecundum eamdem indiuiſibilem entitatem: quia calidum vt quatuor, quod ageret in aliud ſecundum quatuor gradus caloris, non pateretur ab illo ſecundum illos quatuor gradus, qui ſe tenent ex parte principij actionis intendentis calidum vt quatuor, ſed ſecundum alios, quos denuo reciperet.

13 Huic ſolutioni ocurrit aliud argumentum, quod adducit idem Soar ibid. n. 20. Si ſimile poſſet agere in ſimile, & duo agentia æqualia poſſent ſe mutuo augere, in infinitum procederet actio: conſequens eſt abſurdum: ergo falſum antecedens. Reſp. conſequens eſſe abſurdum, & illationem malam eſſe, ac proinde non inferri falſitatem antecedentis; ſi enim calida vt quatuor producerent calorem vt tria, mutuo vnum in aliud, poſtea per additionem trium graduum caloris tantùm poſſent duos alios mutuo in ſe producere, & horum additione vnum tantùm mutuo agerent, qua additione factâ nihil poſtea poſſet ſuperaddi, ſemper enim actio decreſceret, & poſtquam ad productionem vnius gradus, vel intenſionis infra minimam ad operandum requiſitam perueniret, non poſſet vltra procedere.

14 Inſtat Soar eodem num. 8. ſi ſimile poteſt agere in ſimile, idem ageret in ſe ipſum: illatio optima eſt, nulla enim ratio poteſt dari propter quam idem non agat in ſe ipſum, niſi quia ſimile non agit in ſimile; conſequens eſt falſum, & abſurdum, quia ſi calidum vt quatuor ageret in ſe ipſum produceret calorem vt quatuor: ſi enim in paſſo penetrato, tantam intenſionem produceret, quantum in ſe haberet, potiori iure idem in ſe ipſo præſtaret: ergo calor ille, vt quatuor alium calorem vt quatuor produceret, & ſic in infinitum augeretur intenſio.

14 Huic argumento ſolutionem adhibuit idem Soar num. 28. poſtquam enim docuerat num. 27. poſſe duo agentia inæqualiter intenſa concurrere ad productionem effectus intenſiorem altero partiali agenti: verbi gratia, calidum vt quatuor, & calidum vt ſex ad calorem vt quinque producendum, cum ſibi obiiceret, ſequi ex hoc, calidum vt quatuor, adiunctum alij intenſiori in ſe ipſum agere. Reſpondit ex peculiari diſpoſitione agentis partialis, prouenire vt poſſit cooperari cum alio fortiori ad intendendam ſimilem formam in alio ſubiecto, & non in ſe ipſo, ſic de agenti totali. Reſpondeo prouenire ex natura agentium non agere in ipſa actione vniuoca, quod à poſteriori nobis innoteſcit, à priori autem nullam poſſumus rationem aſſignare, non enim omnia à priori cognoſcimus, neque poterimus à priori rationem reddere cur ignis calorem, aqua frigiditatem, ſol lucem producant.

16 Aliam rationem adducit Soarius, ibidem multis recentioribus valde familiariſſimam deſumptam ex fine agentis, intendentis aſſimilare ſibi paſſum, quo ceſſante fine ceſſat actio, cumque in paſſo iam aſſimilato talis finis expectari nequeat, deſiſtit agens ab actione ex natura ſua ad aſſimilationem paſſi tanquam ad finem ordinata.

17 Arguunt nonnulli contra hanc rationem. Agens non intendit aſſimilare ſibi paſſum in extenſione: ergo neque in intenſione: ergo ſicut agit in paſſum ſimile in extenſione, ita aget in paſſum ſimile in intenſione. Nego priorem conſequentiam, & rationem diſparitatis reddo. Agens intendit ſibi aſſimilitate omne paſſum ſibi applicatum, & omnes partes cuiuſcumque in qualitate, quam habet, ſecundum eſſentiam, & gradum, & ex hac aſſimilatione plurium partium eiuſdem paſſi reſultat diſſimilitudo ſecundum extenſionem, quæ propriè non eſt diſſimilitudo, ſed inæqualitas, & quo maior eſt hæc diſſimilitudo, ſeu inæqualitas extenſiua, eò plures partes paſſi ſunt ſimiles agenti, vnde non eſt contra intenſionem illius, ſed potius iuxta illam, & iuxta finem intentum aſſimilandi ſibi omne paſſum, & partes cuiuſcumque, quod illi applicetur.

18 Arguit ſecundò Hurt. diſp. 15. ſect. 2. ſubſect. 2. n. 126. paſſum fore ſimilius calido, quo plures gradus haberet, & calidum vt octo eſſe ſimilius calido vt quatuor, quàm aliud calidum vt quatuor; quia plures gradus habet, qui fundent ſimilitudinem. Dicat Hurt. eâdem ratione quantum tripalmare eſſe magis æquale quanto palmari, quam aliud palmare quantum, quia habet plures palmos, qui fundent æqualitatem, æqua enim eſt vtriuſque ratio. Reſpondeo calidum, quo plures gradus habet eſſe magis ſimile alij calido in qualitate, hoc eſt habere plus qualitatis eiuſdem rationis ſpecificæ cum qualitate exiſtente in alio, in gradu verò, ſeu in intenſione illud tantùm dicitur perfectè ſimile, quod habet tantam qualitatem indiuiſibiliter, & quo magis excedit, vel deficit ab illa menſura, eo magis diſtat à ſimilitudine, & magis diſſimilis conſtituitur, ſimilitudo enim intenſionis cum calido, verbi gratia, vt quatuor, fundatur in quatuor gradibus caloris, & in negatione omnium aliorum graduum.

19 Nonnihil dixi Controuerſia 4. Punct. 2. num. 6. contra hunc reſpondendi modum deſumptum ex fine agentis quem modo latius inſequar, ſed videnda ſunt ibi dicta. Calor ex ſua natura eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem: ergo intendens producere calorem intendit diſponere ſubiectum ad formam ſubſtantialem, quodlibet enim agens neceſſarium intendit in productione effectus, id, quod effectus habet ex natura ſua: Ergo etiamſi calidum vt quatuor produceret calorem vt quinque, conſequeretur finem intentum, quia diſponeret ſubiectum ad formam ſubſtantialem: à quocumque enim agenti ſimili, vel diſſimili calor vt quinque producatur eſt diſpoſitio formæ ſubſtantialis.

20 Dices, Agens productiuum caloris duos fines intendere, diſponere ſubiectum, & illud ſibi aſſimilare, caſu autem, quo ageret in ſimile conſequuturum vnum finem, & alium non ſolum non conſequuturum, ſed receſſurum ab illo. Contrà; Finis agentis in cuiuſcumque effectus productione eſt ille, quem effectus, per ſuammet entitatem reſpicit, eatenus enim agens neceſſarium carens modo illud determinante reſpicit finem, quatenus reſpicit effectum ex ſua natura ordinatum ad talem finem: ergo agens non poteſt reſpicere finem in productione effectus, quem ipſe effectus non reſpiciat: ſed in quacumque intenſione, & à quocumque agenti productus ex ſua natura non reſpicit ſimilitudinem cum principio producente, neque cum alio, ſed tantùm formam ſubſtantialem, ad quam ordinatur tanquam diſpoſitio, vt patet cum producitur ab agente æquiuoco: ergo agens in productione caloris tantùm reſpicit tanquam finem immediatum diſponere ſubiectum ad formam ſubſtantialem, & tanquam finem vltimum formam ipſam ad quam diſponit.

21 Eſto tamen intendat agens aſſimilare ſibi paſſum ſecundũ formam

Digitized by Google

formam accidentalem, & hoc ſit primarius, & vnicus finis agentis: ex hoc inferetur calidum vt quatuor non producturum quinque gradus caloris in eodem ſubiecto, non tamen inde probabitur non poſſe duos gradus producere ſupra alios quatuor in paſſo aliunde ſimili, quod ſic probo. Productio duorum graduum caloris ſumpta præcipuè ratione termini, eadem eſt, ſiue fiat in ſubiecto calido vt quatuor, ſiue fiat in ſubiecto nullum gradum caloris habente: ergo ex ſua natura in quocumque ſubiecto eſt aſſimilatiua ſubiecti cum agenti: ergo quod illud non aſſimilet, ſed aſſimilet in ſubiecto aliunde calido vt quatuor, non prouenit ex intrinſeco actionis, ſed per accidens ratione alius caloris, qui ſupponitur in ſubiecto: ergo actio reſpiciens duos gradus caloris ſemper poterit dimanare ab agente calido, vt quatuor, etiamſi recipienda ſit in ſubiecto aliunde calido vt quatuor, vel vt ſex. Probo conſequentiam quotieſcumque actio ex natura ſua, eſt conſecutiua ſui finis, etiamſi hic & nunc illum non ſit conſequutura, ſed potius ab illo per accidens ſit receſſura, poteſt naturaliter exerceri: ſed actio reſpiciens calorem vt duo ab agente calido vt quatuor eſt conſequutiua ſui finis, & tantùm per accidens recedit ab illo in ſubiecto aliunde calido vt quatuor: ergo etiam in illo poterit exerceri. Conſequentia eſt legitima: minorem probaui modo. Maiorem mille exempla paſſim demonſtrant, omnes enim monſtroſi naturæ partus qui ex concurſu, & commixtione diuerſarum cauſarum per accidens reſpectu cuiuſque partialis cauſæ naſcuntur, ſunt contra intentionem cuiuſuis partialis agentis intendentis alium effectum longè diuerſum, vt contingit in generatione muli ex equa, & aſino, in qua aſinus intendit effectum ſibi ſimilem producere, & equa partum ſibi ſimilem edere, nihilominus ex coniunctione diuerſorum ſeminum, per accidens effectus contra intentionem oritur vniuſcuiuſque agentis: ergo per accidens rectè poteſt quodlibet agens contra proprium finem operari, & effectum producere ex ſe non conſequutiuum finis intenti: ergo melius poterit producere effectum, ex ſe conſequutiuum finis, etiamſi per accidens illum non conſequatur. Sicut corpus graue deorſum mouebitur propter ſuam conſeruationem etiamſi per accidens media via ignem inueniat quo comburatur.

22 Dixère nonnulli ſe non teneri rationem reddere à priori: propter quam ſimile non agat in ſimile, ſed ſufficienter experientiâ protegi ad hanc concluſionem defendendam: quia non omnia à priori philoſophis noſſe datum eſt, qui multis de cauſis mihi diſplicent. Nonnulla in illos breuiter colligo. Multa quidem fateor eſſe, quæ tantùm à poſteriori cognoſci poſſunt, verumtamen ſi in omnibus liceret notitiâ à poſteriori habitâ conquieſcere, quæſtiones plurimas apud Philoſophos ſemper valde exagitatas, poſſemus omittere, & breui calamo, exiguâque papyro curſum Philoſophicum peragere. Secundò philoſophorum eſſe cauſas rationeſque perſcrutari effectuũ, quos à poſteriori vulgus imperitũ agnouit, nemo negabit. Tertiò adhuc à poſteriori, efficaciter nondum conuictum eſt: vt conſtat ex ſolutionibus argumentorum, quibus pars illa propugnatur, quas ſuprà dedi, ſimile non agere in ſimile: ergo alia ratio, ſeu experientia adducẽda eſt, qua efficaciter perſuadeatur concluſio. Quartò ſententia conſtituens ſubordinationem graduum nullo poſitiuo efficaciter fundamento reiicitur, & iuxta illam rectè redditur ratio, propter quam ſimile non agat in ſimile: ergo ſi ſententia talem ſubordinationem denegans rationem non reddat propter quam ſimile non agat in ſimile: præferenda erit ſententia, quæ admiſſa ſubordinatione rationem reddit concluſionis, quam ignorat ſententia, quæ ſubordinationem non admittit, quia cæteris partibus, melior eſt illa ſententia, qua plurium concluſionum rationum à priori inuenimus.

§. IV.

Propria ratio, propter quam non producat agens tantam intenſionem, quantum in ſe habet in paſſo non penetrato.

23 Dixi ſect. præcedenti p.1. §.3. agens non poſſe producere in prima parte ſubiecti omnes gradus quos producit in tota ſphæra: quia ex natura ſua habet ſphæram diuiſibilem, & petit diſtribuere gradus quos continet in ſua virtute per totam ſphæram, ac proinde non omnes producere in prima parte vt aliqui illi ſuperſint producendi in aliis partibus ſphæræ. Dixi ſecundò hos gradus ita diſtribuendos eſſe ab agenti vt non producat tot, quot in ſe habet in parte paſſi non penetrata vt in ſphæra diuiſibili ſe contineat, & ne in infinitum illius actio protendatur, quam rationem iterum approbo, quia tamen ibi ex profeſſo quæſtionem hanc non tractabam, omiſi, quæ contra hanc rationem obiici poterant, quæ modò ſigillatim diſſoluam.

24 Obiicies primò. Si agens produceret in prima parte paſſi omnes gradus, quos modo producit in tota ſphæra, poſſet alios producere in parte ſecunda: ergo, ex eo quod habeat ſphæram diuiſibilem non infertur non poſſe producere in prima parte ſphæræ gradus omnes quos poteſt in toto. Antecedens probatur: ſi agens verbi gratia producens mille gradus, quos modò producit in tota ſphæra, illos produxiſſet in prima parte, illis poſtea adiutum poſſet in ſecunda parte gradus alios producere, quia etſi produxiſſet quidquid poterat per ſe ſolum, non quidquid poterat alio agente adiutum. Reſpondeo effectum productum in prima parte paſſi, vel conducere efficienter ad effectum productum in ſecunda, vel non conducere? ſi non conducit, firma eſt ratio facta, nec locum inuenit obiectio: ſi conducit, Reſpondeo calidum vt octo producens calorem vt ſeptem produxiſſe quidquid poteſt producere, ſine alio comprincipio adiuuante, & ita non poteſt argui: producit in prima parte, ſeptem gradus, & ſex in ſecunda: ergo poteſt omnes illos producere in prima.

25 Obiicies ſecundò. Etiamſi calidum vt octo produceret calorem vt octo in prima parte paſſi poſſet habere ſphæram actiuitatis determinatam, quia poſtquam produxiſſet gradus, quos continet in ſua virtute in ſubiecto extenſo per ſex vlnas, etſi vltima pars illius eſſet calida non poſſet vltra actionem diffundere, quod ſi ſubiectum vltra in maiori extenſione calefieret, calor ille iam non prouenirer à primo agente ſed ab effectu ab ipſo producto. Reſpondeo ſequi neceſſariò ex eo quod calidum producat in parte non penetrata tantum calorem, quantum in ſe habet calorem in infinitum protendi, & agens immediatè, vel immediatè producere infinitum calorem, quod eſt abſurdum agens enim non tantùm habet ſphæram determinatam in ordine ad effectum quem immediatè producit, ſed etiam in ordine ad effectum mediatè productum, vnde etiamſi concedamus agens non producturum immediatè infinitum calorem, etiamſi produceret tantum, quantum in ſe haberet, in prima parte paſſi, nihilominus ſequitur ſaltem immediatè effectum extendere, quod abſurdum eſt, & contrà manifeſtam experientiam.

26 Obiicies tertiò: agens producit tot gradus & non plures in prima parte ſphæræ: quia effectum producendum diſtribuit, per omnes partes ſphæræ, ad quam petit ſuam extendere actionem: ergo luminoſum, quod lucem produceret, per ſex vlnas, & corpore opaco obſiſtente impeditur, ne producat plus quam per vnam vlnam, omnes illos gradus, quos erat producturus in quinque vlnis, in quibus impeditur ab obſiſtente illius actio, producet in vlna in qua nullum eſt impedimentum. Reſpondeo, negando conſequentiam; quia agens ex natura ſua eſt determinatum ad producendum in prima vlna tot qualitatis gradus, & tot in ſecunda: quod ſi in ſecunda ratione impedimenti nihil poteſt producere, non ex eo producit illum gradum in alia parte, per accidens enim eſt reſpectu primæ vlnæ immmediatæ, agenti calorem produci, vel non produci in ſecunda, ac proinde ſiue producatur, ſiue non, idem calor producitur in prima, quia agens ex ſua natura eſt determinatum ad producendum tot gradus in hac parte, & tot alia, ita vt non poſſit gradus quos in hac parte ratione impedimenti non producit productione in alia parte facta compenſare. Ex hoc infers agens potens circundari viginti partibus paſſi exiſtentibus in viginti partibus ſpatij immediatis circundatum decem capacibus effectus producendi exiſtentibus in decem partibus ſpatij, & aliis decem incapacibus eiuſdem effectus, quibus nihil producit, non producturum maiorem qualitatem in decem capacibus, quàm ſi in aliis decem incapacibus tantumdem produceret.

27 Iuxta hanc doctrinam conſequenter aſſero agens quantumuis denſum non poſſe producere in paſſo valde raro maiorem, neque æqualem in non penetrato intenſionem, quam

Digitized by Google

quam in ſe habet, licet enim non ſequeretur ex eo quod agens nimis denſum produceret tantam intenſionem, quantā in ſe habet, calorem infinitè eſſe extendēdum: quia vt primum actio pertingereret partem paſſi non notabiliter minus denſam parte anteriori decreſceret actio; nihilominus ex ratione à priori propter quam agens non poteſt in paſſo æquè denſo tantam intenſionem, quantam in ſe habet producere, infertur non poſſe, quantumuis raro eumdem producere, quod ſic probo. Agens circundatum paſſo valde raro tot partibus quantitatis circumdatur, quot circundaretur ſi cingeretur paſſo valde denſo: ergo non poteſt cæteris partibus maiorem intenſionem, in qualibet illarum producere, quando corpore raro circumſcribitur, quam poſſet, ſi corpore denſo circumſcribetur. Antecedens ſecundùm ſententiam, quam amplectar de rarefactione per intromiſſionem corpuſculorum certiſſimum eſt, quia pauciores partes, quas habet corpus rarum, propriæ ſubſtantiæ compenſantur corpuſculis intromiſſis, & ſemper eiſdem partibus ſpatij totidem partes quantitatis, non plures, neque pauciores correſpondent: conſequentia ex principiis traditis robur habet, quia eadem virtus diſtribuens tot gradus, quos producere poteſt inter eumdem numerum partium qualitatis, ſiue vnitarum in corpore denſo, ſiue diuiſarum in raro eoſdem, & non plures gradus poterit in ſingulis partibus producere.

28 Dixi idem corpus cum eadem denſitate non poſſe producere plures gradus in ſingulis partibus corporis rari, quam produceret in ſingulis corporis denſi, ſed non affirmo tot ſemper producturum in raro, quàm in denſo; quia rarum poteſt habere corpuſcula minus apta ad qualitatem recipiendam, in quibus minor intenſio producetur, quàm produceretur in parte eiuſdem corporis, modò rarefacti, non tamen minor illa intenſio producta in illa parte compenſatur in aliâ, agens enim vt nuper dicebam, eſt determinatum ad tantam intenſionem, in parte occupante hoc ſpatium producendū, quam ſi ratione impedimenti, vel alia de cauſa non producit, non transfert ad aliā ſubiecti partē.

29 Eadem ratione dixi idem agens denſum non poſſe maiorem producere intenſionem in corpore raro, quàm in denſo cæteris paribus: quia aliquando poteſt contingere vt corpora intromiſſa in raro ſint qualitatis producendæ capaciora, quàm ſunt partes eiuſdem corporis rarefacti, & tunc maior intenſio producetur in aliis quam produceretur in partibus eiuſdem corporis, quibus ſubiectum eſſet omnino denſum. Rem explico: detur aqua occupans ſpatium vnius palmi nullis corpuſculis permixta, detur alia occupans alium palmum multis admixta corpuſculis, in qua totidem partes pauciores aquæ habebit quot corpuſculorum continet. Demus qualitatem producendam eſſe calorem cui aqua acriter reſiſtit, quéque minori reſiſtentia admittūt corpuſcula: tunc æqualis calor producetur in ſingulis partibus vtriuſque aquæ, maior verò corpuſculis intromiſſis, vnde ſi computentur gradus caloris, qui ſunt in partibus aquæ, & in corpuſculis intra eandem latentibus plures erūt, quàm in omnibus partibus quæ omnino dēſæ.

30 Dixi idem corpus denſum per ſe non maiorem calorem producere in raro, quam in denſo, non tamen nego, ſed affirmo reſpectu eiuſdem ſubiecti corpus denſum per ſe loquendo maiorem calorem producturum, quàm rarum; quia in corpore denſo, etſi non ratione plurium partium quantitatis ſint plures gradus caloris, quia iam dixi tot eſſe partes quantitatis in palmo denſo, quàm in raro; ratione tamen vniuocationis partium, quæ ſunt in ſubiecto denſo, vt plurimùm plures erunt gradus caloris; quia in corpuſculis admixtis corpori raro plurima erunt ineptiora qualitatis recipienda, quàm partes eiuſdem corporis. Secundò corpus denſum ſemper maiorem actiuitatem habet, quàm rarum; quia denſum habet partes omnes vnitas, rarum verò peregrinis corpuſculis illas habet diuiſas, & iuxta diuiſionem ſubiectorum, diuiduntur gradus in illis recepti, vnde gradus qualitatis exiſtentes in corpore raro ſunt magis diuiſi, & exiſtentis in denſo magis vniti, & conſequenter maiorem actiuitatem habent, quia virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa.

31 Neque ex eo quod corpus denſum ſit magis actiuum quàm rarum infertur poſſe producere maiorem intenſionem, neque æqualem in parte non penetrata, quam in ſe habet, quia agens ſummè denſum calidum vt ſex in parte immediata paſſi aptiſſimi ad accipiendum calorem tantùm producet calorē vt quinque propter rationē ſuprà dictam, de virtute & ſphæra limitata, vnde ſecundùm raritatem agentis calidi vt ſex, & minorem aptitudinem partis immediatè paſſi ad calorem recipiendam decreſcet calor à calore vt quinque, qui ſummus erat potens produci à calido vt ſex in parte paſſi non penetrati.

Contra hanc concluſionem adduci ſolet experientia ferri candentis, quod ſtupam comburit, & maiorem intenſionem, quam in ſe habet producit. Reſpondent nonnulli ferrum candens intra poros habere quaſdam ignis portiunculas, quibus ſtupa comburitur. Hanc ſolutionem impugnat Toletus ſuprà; quia ſi ratione ignis incluſi ferrum ſtupam combureret, corpus rarum illam faciliùs combureret; quia plus ignis poſſet intra ſe continere, quā corpus denſū, quod minus ſpatium intra ſe habet, quo contineret ignem. Non placet impugnatio, in primis enim qui non conſtituunt rarefactionem, in intromiſſione corpuſculorum, ſed in qualitate, ſeu maiori extenſione, negare poterunt per ſe loquendo corpus denſum pauciores habere poros & cauitates quibus ignem contineat: nos verò qui ita rarefactionem conſtituimus, Reſpondebimus corpus rarum maius ſpatium habere quo ignem contineat, nihilominus illum non poſſe in ſe includere, quia facilè comburitur, & nunquam illius poros partes ignis replebunt, quin totum corpus exurant. 32

Alij reſpondent ferrum candens remiſſiorem calorem producere in ſtupa, quam habet in ſe, illo tamen remiſſiore calore ſtupam diſponi vltimò ad formam ignis, ad quam intenſiori non diſponitur ferrum, ratione ſiccitatis, & aliarum qualitatum, quæ reperiuntur in ſtupa, & non in ferro. Vtrumque dicendi modum probabilem cenſeo, quē apud Soar. inuenies ſuprà num. 2. His alium addit Arriaga diſp. 3. ſect. 1. num. 121. à veritate longè quidem alienum: aſſerit ferrum candens habere in ſe formam ignis, quod ſic impugno. Cùm ferrum friget, retinet formam ferri, vt experientia notum eſt: ergo nunquam illam amiſit: ergo non fuit forma ignis in illa materia: poſterior conſequentia eſt certiſſima, non enim duplex forma in eodem ſubiecto componi poteſt, prior ex antecedenti legitimè deſcendit, quia ſi forma ferri fuiſſet corrupta, dum ferrum candebat, nulla eſſet cauſa à qua poſtea eadem reproduceretur, vel alia ſimilis primæ fieret, ſed in cineres, vel in aliam formam deſineret: ergo ſi ſemper candore extincto, ferri forma apparet, certum eſt illam nunquam fuiſſe corruptā. 33

Obiicies: Si applicetur calidum vt ſex producit quinque gradus caloris in ſubiecto: ergo ſi ſimul cum hoc calido applicentur eidem ſubiecto alia calida eiuſdem intenſionis valde intenſa, omnia ſimul calorem, vt ſex producent; quia quo plura agentia applicantur magis intenſa, intenſior producitur effectus: ergo ſi vnum agens producebat calidum vt quinque accreſcente effectu ad applicationem cuiuſcumque noui agentis, ſi plura applicentur, ad intenſionem ſexti gradus neceſſariò perueniet, Reſpondeo in opinione conſtituente continuum ex infinitis partibus calorem non attingentem intenſionem vt ſex poſſe magis & magis infinities augeri, quin illam intenſionem attingat, quia id quod reſtat ad illam attingendam habet infinitas partes, ex quibus poſtquam fuerunt infinitæ productæ, poſſunt aliæ infinitæ nondum productæ permanere; ac proinde concedo ſemper augeri effectum nouo agenti aduenienti; nego tamen aliquando attingere intenſionem vt ſex: In opinione, quæ continuum ex indiuiſibilibus componit: dicendum eſt calorem vt quinque eſſe ſummum, qui poteſt produci ab omnibus agentibus vt ſex quæ poſſunt applicari eidem paſſo in ſumma intenſione, vnde quò pauciora his fuerunt applicata, eò effectus decreſcet ab intenſione vt quinque, & poterit creſcere, vſque ad illam expellendam, quin vnquam attingat ſextum gradum. 34

§. V.

Cur agens vniuocum nihil agat in paſſum aliundè ſimile.

Statuimus §. præcedenti rationibus à poſteriori, & à priori deſumptis nullum agens poſſe producere tantam intenſionem, quantam in ſe habet: nunc ſanciendum eſt, agens non poſſe in paſſo aliunde aſſimilato aliquid producere, v.g. calidum vt quatuor non poſſe in paſſo aliūde calido vt quatuor ſaltem duos gradus producere: quam concluſionem omnes defendunt, & neſcio an aliquis illam 35

efficaciter à priori probet, vel à poſteriori demonſtret, non enim ex eo, quod duo calida vt quatuor mutuo in ſe agerent, & quodlibet tres gradus caloris mutuo in aliud produceret: calor infinitè creſceret, vt probabam n.13.neque agens maiorem intenſionem produceret, quam in ſe haberet; quia, etſi ſubiectum vltimo calidum vt ſeptem conſtitueret quatuor gradus caloris,aliunde ſupponebantur producti, & tantùm trium productio illi competeret. Concluſionem à poſteriori ſtatuam, & poſtea illius rationem à priori indagabo.

36 Agens non poſſe agere in ſimile modo explicato mihi perſuadet mutua agētium actio, & reactio,ſecundùm qualitates contrarias, experimur enim calidum vt quatuor applicato calido vt duo, & frigido vt ſex frigiditatem recipere, & calorem amittere, & applicatum calido vt ſex intendi ſecundùm calorem, & remitti ſecundùm frigiditatem, & nunquam duo agentia mutuo intendi, & agere,& reagere ſecundùm eamdem qualitatem, ex quo euidenter infertur,ſimile non poſſe agere in ſimili, ſi enim calidum vt quatuor poſſet in paſſo aliunde calido vt quatuor calorem producere, eodem modo, poſſet illum producere in calido vt ſex: ergo calidum vt ſex non frigiditatem, ſed calorem reciperet è ſubiecto calido vt quatuor, & frigido vt quatuor,quia calor exiſtens in ſubiecto eſt magis actiuus,quam frigiditas: ergo ſi ratione graduum aliunde productorum in ſubiecto gradus caloris non impedirentur, gradus alios producerent in ſubiecto, & frigiditas nihil in aliud ageret. Nec poteſt dici calidum vt ſex pati aliquos gradus caloris à calore vt quatuor exiſtente in alio ſubiecto, & alios frigiditatis à frigiditate vt quatuor exiſtente in eodem ſubiecto calido vt quatuor, & frigido, vt quatuor, quia ſi ſic fieret, plures gradus caloris quam frigiditatis reciperet, quia calor eſt magis actiuus, quàm frigiditas, vel ſaltem non pauciores. Vnde nunquam calor illius remitteretur, cuius oppoſitum monſtrat experientia non ſolùm in ſubiecto calido vt ſex reſpectu alius agentis calidi, vt quatuor, ſed etiam reſpectu agentis calidi, vt quinque, & frigidi vt tria, ſemper enim calidum intenſum remiſſiori applicatum remittitur;neque poteſt idem ſubiectum, iam ſuis qualitatibus conſtitutum moueri duplici motu contrario adhuc inadæquato,vt probabo Cont.5.punct.5.n.15.

37 Huius concluſionis quam modo à poſteriori ſtatui,rationem reddidi ſectione præcedenti, Punct.2. vt reſponderem argumento, quo ex illa graduum ſubordinatio deducebatur,vbi dixi ſimile non agere in ſimile, quia non prius agit de conſeruandis gradibus productis, quàm de aliis producendis in eodem ſubiecto, vnde cum tota actiuitas calidi vt quatuor poſſit expleri in conſeruatione graduum, quos in paſſo ſimili, vel intenſiori reperit, non vltra ad productionem aliorum procedit. Fateor me non conueniendum eſſe hac ratione ad concluſionem ſtabiliendam, ſi à poſteriori mihi comperta non eſſet, ſemel tamen illius veritate deprehenſa illius rationem aptiſſimam ex doctrina tradita hoc modo reddi exiſtimo, ſed occurrunt ſoluenda non pauca contra rationem exhibitam, quæ iam obiicio, & ſoluo.

38 Obiicio primò: Applicentur duo ſubiecta vnum calidum, vt ſex, frigidum vt duo, aliud calidum vt duo, & frigidum vt ſex, ſex gradus caloris exiſtentes in vno ſubiecto conſeruabunt duos exiſtentes in altero, qui duo non poterunt conſeruare ſex, à quibus conſeruantur, tum quia virtutem non habent duo gradus ad ſex conſeruandos, tum quia ſunt poſteriores naturâ gradibus conſeruantibus, & non poſſunt eſſe illis priores in eodem genere: ergo duo illi gradus non impedientur ſex graduum conſeruatione, quam non exhibent ad producendum ſeptimum: ergo illum poterunt producere, & agere.

39 Caſu aſſignato poteſt facile reſponderi duos gradus caloris non poſſe agere in ſubiectum calidum vt ſex; quia ſex frigiditatis exiſtentes in eodem ſubiecto calido vt duo illis ſunt fortiores ad agendum in calidum vt ſex, & ſua actione impediunt, quam duo gradus caloris poſſent exhibere; quia idem ſubiectum non poteſt moueri motibus contrariis, vt probabo loco ſuprà citato, ac proinde dum calidum vt ſex frigiditatem patitur à ſex gradibus frigiditatis, non poteſt quidquam caloris recipere à duobus caloris exiſtentibus in eodem ſubiecto.

40 Hæc ſolutio rectè difficultatem ſoluit in caſu adducto, ſed alia nobis vniuerſalior eſt tradenda pro aliis, quæ poſſunt in hunc modum obiici, ſi quis enim ſupponat applicari quoddam ſubiectum calidum vt ſex, & frigidum vt duo, & aliud calidum, vt quinque, & frigidum vt tria eodem modo poterit arguere calidum vt quinque non conſeruare ſex gradus caloris exiſtentes in alio ſubiecto, ac proinde poſſe alios producere,& ſolutio ſupra data ad rem non erit, quia quinque gradus caloris fortiores ſunt tribus frigiditatis exiſtentibus in eodem ſubiecto, & poterunt actionem præoccupare, quin impediantur actione dimanante à tribus gradibus frigiditatis.

Reſpondeo his, & ſimilibus caſibus, calorem remiſſiorem non conſeruare gradus caloris intenſioris propter rationes ſupra datas, nihilominus impeditur conatu, quem habet ad illum conſeruandum, ne gradus alios producat; rem explico: calidum vt quinque virtutem habet ad conſeruandum, vel producendum quatuor gradus caloris,& præſentiâ calidi vt ſex, quaſi in actu primo determinatur ad conſeruandos quatuor gradus, ex his, qui ſunt in calido vt ſex, quos cum ex alio capite non poſſit conſeruare, videlicet, quia eſt illis poſterior, neque illos conſeruat, neque alios producit, quia ſuas vires applicat ad gradus conſeruandos, qui ratione influxus, quem habet in illud, ab eodem conſeruari non poſſunt;& quaſi ſuum conatum fruſtra inſumit in re aliunde impoſſibili, quem ſi ad alios gradus producendos applicaret abſque dubio effectum ſortiretur. Neque aptè interrogabis, cur calidum vt quinque non deſiſtit à conſeruatione, quam non poteſt exhibere, & conatum applicat ad alios producendos, agens enim naturale intellectiuum nō eſt, neque à ſe determinatur in actu primo, vt conatū adhibeat ad hos gradus potius quàm illos conſeruandos,ſed à Deo, vel à qualitate applicata eius ex ſe conſeruatiuum eſt, vnde calidum vt quinque per præſentiâ calidi vt ſex determinatur ad cōſeruandos gradus ſex quos inuenit productos,& nō ad illos producēdos. 41

Obiicio ſecundò: Applicentur duo calida vt quatuor, tunc neutrum alterum conſeruabit; quia calidum vt quatuor, ſicuti non poteſt calidum vt quatuor producere, ita neque illud conſeruare: ergo mutuo poterunt in ſe agere. deinde etiamſi calidum, vt quatuor poſſet conſeruari à calido, vt quatuor, non eſſet maior ratio, cur hoc potius illud conſeruaret quam ab illo conſeruaretur.

Reſpondeo antecedens dubium eſſe, quia licet calidum 42 vt quatuor virtutem non habeat ad conſeruandos quatuor gradus exiſtentes in alio ſubiecto, illam habet ad conſeruandos tres ex illis ad quos conſeruandos illorum præſentiâ determinabitur, quod in vtroque agenti contingit,cum verò non ſe mutuo poſſint conſeruare, vel Deus determinaturus eſt quodnam illorum alterum conſeruet, ſi in omnibus ſint paria,vel neutrum alterum conſeruabit:quidquid autem contingat, vtrumque agens impedietur, ne alios gradus producat; quia calidum vt quatuor *A* intendit conſeruare tres gradus caloris calidi vt quatuor *B*, quos ſi conſeruet alios non poterit producere; quia iam tota illius actiuitas eſt expleta; ſi verò illos non conſeruet, eodem modo ab actione impedietur: ſicut enim ſuprà dicebam, calidum vt quinque intendens conſeruare quatuor gradus caloris, exiſtentes in paſſo intenſiore, etiamſi illos non conſeruet inſumet ſuas vires in conatu, quem fruſtra exhibet, ſic in præſenti. Dico calidum vt quatuor intendens conſeruare tres gradus caloris exiſtentes in alio etiamſi illos non conſeruet alios non producturum; quia conatum applicat ad gradus conſeruandos, in quos per accidens, hic, & nunc influere non poteſt. Ex hoc infero, quod ſi Deus caſu adducto neutrum agens determinet, & neutrum alterius gradus conſeruet, vtrumque impeditum iri, quia conatum applicat ad id, quod per accidens exhibere nequit, ſi verò Deus alterum determinet, illud non alios producet, quia iam conſeruat id, quod intendit, & illius actiuitas expelletur, aliud verò impedietur, non propter actionem exhibitam, ſed propter applicationem conatus ad influendum in gradus, quos hic & nunc non poteſt conſeruare, neque producere.

Nota abs re plurimos obiicere plura luminoſa vt qua- 43 tuor poſſe aërem efficere lucidum vt quinque, ex quo inferre volunt ſimile agere in ſimile, quia etſi antecedens, quod falſum eſt, concederetur, inepta eſſet conſequentia, lux enim ſemper ab agente æquiuoco producitur, quia etſi lux lucem producat, ſemper tamen adiuuatur præcipue luminoſo, igne,vel Sole, à quo conſeruatur lux aliam producens, quia cū depēdeat in conſeruari à cauſa ſecunda, ſemper illam agens æquiuocum comitatur. Quod ſi in calidis, quæ

Digitized by Google

quæ poſſunt abſque vlla cauſa ſecunda à Deo conſeruari fiat obiectio, negandum eſt antecedens.

45 Neque magis opportunè adducitur moleſtum aliud argumentum, cui immeritò recentiores acquieſcunt, & ſic ſe habet. Ponatur ſupra lancem quamdam corpus graue vt octo, quod impulſum vt octo produeat in illa, & eam deprimat: poſtea verò in alia lance ponatur granum tritici graue, vt vnum, quod vnum gradum impulſus produeet, poſtea addatur aliud granum eiuſdem magnitudinis, impulſum alium producet, & ſic addantur vſque ad octo grana, quæ octo gradus impulſus produeent, & lancem vſque ad æquilibrium leuabunt, ex quo infertur ſimile agere in ſimile, quia ſecundum granum graue vt vnum impulſum producit, in lance habente vnum gradum impulſus, & tertium ſimiliter graue vt vnum & potens producere vnicum gradum impulſus illum producit in ſubiecto habente duos gradus impulſus, ex quo infertur non ſolùm ſimile agere in ſimile, ſed intenſius, & remiſſius. Secundò inferunt huius argumenti Authores: gradus non eſſe ſubordinatos, neque perfectione inæquales, ſiquidem primus gradus poteſt ſecundum & tertium producere.

46 Non ego prædictum argumentum adducerem, ni illud apud probatos authores ex recentioribus reperirem. Vix enim ſolutione indiget, neque proponi poteſt, quin illius fallacia pateſiat, quam luce meridiana clariorem aſpice. Granum tritici media grauitate producens impulſum in lance eſt cauſa æquiuoca impulſus: ergo etiamſi vnico gradu grauitatis producat gradum quemdam impulſus in ſubiecto habente ſex alios, non ideo aget in ſimile, neque colligi poterit, gradus impulſus eſſe æquales ex eo, quod primus gradus grauitatis, producat tertium, vel octauum impulſus. Mitto falsò ſupponi grana illa ſucceſſiuè ſupra lancem poſita ſingula ſingulos gradus grauitatis produceere, quod falſum eſt; quia granum ſecundum additum primo per modum vnius producet intenſiorem effectum indiuiſibiliter prouenientem à grauitate vtriuſque grani, quam antea producebat ſola grauitas primi, ſicut contingeret ſi in eodem inſtanti vtrumque granum primo poneretur ſupra lancem. Falſum etiam eſt gradum vnicum grauitatis alium impulſus producere non plures, & ſic cum eadem correſpondentia produci tot gradus impulſus, quot ſunt grauitatis in cauſa; quia inter agens æquiuocum, & effectum, non intercedit hæc correſpondentia æqualis menſuræ, in intenſione, quia etiamſi quo intenſius eſt agens æquiuocum, intenſiorem effectum producat, poteſt intenſum vt quatuor producere intenſum vt ſex, & produci ſex gradus impulſus in eodem ſubiecto ab agente, quatuor tantùm gradus grauitatis habente, & calidum vt quatuor à lucido vt duo; quia maior perfectio eſſentialis, quæ vt plurimum reperitur, in agentibus, æquiuocis æquiualet, & longè ſuperat maiorem intenſionem effectus.

47 Vltimò aſſero me non recuſaturum concedere duo agentia calida vt quatuor inter ſe penetrata poſſe producere in alio ſubiecto quinque, vel ſex gradus caloris, ſeu ſubiectum aliunde calidum, vt quatuor, intendere; quia tunc gradus caloris exiſtentes in diuerſis ſubiectis ratione applicationis perinde ſe haberent, ac ſi idem indiuiſibile ſubiectum informarent, & virtus eorum ſemper eſt eadem ſiue in vno, ſiue in multiplici ſubiecto, quod autem ipſi inter ſe non ſint vniti, poteſt eſſe in cauſa, vt remiſſiorem calorem producant, quam vniti producerent, non tamen infert, non poſſe vltra quatuor gradus producere: rationes enim quibus à poſteriori probaui non poſſe qualitatem aliam æquè intenſam producere, in caſu præſenti locum non habent, quia ſex gradus producti in vnico ſubiecto, ab octo gradibus penetratis exiſtentibus, in duplici ſubiecto, non poſſent rurſus ſeptem, neque ſex alios producere.

PVNCTVM II.

Aſſignatur cauſa reflexionis.

1 COntra concluſionem traditam Puncto præcedenti, ſcilicet ſimile non poſſe agere in ſimile, moleſta occurrit obiectio ex reflexione petita, qua videmus intenſiorem effectum produci in partibus obſiſtenti proximioribus, & diſtantioribus ab agente, verbi gratia, maiorem lucem in aere prope ſpeculum obſiſtens, quam in aliis partibus eiuſdem aëris Soli vicinioribus, & ab eo obſiſtente diſtantioribus. Ex quo videtur inferri, obſiſtens lucem producere in aëre vicino, & conſequenter ſimile agere in ſimile, & minus intenſum in magis intenſum, quando lux recepta in obſiſtente, vt pote diſtantiori, remiſſior eſt, quàm illa recipitur in aëre, quia agens ſemper intenſius operatur in propinquum, quàm in diſtans. Hæc obiectio plures malè vexauit, quos in varias traxit ſententias in quorum impugnationem, propriæque defenſionem, hoc Punctum inſtituere placuit.

§. I.

Aliorum impugnantur ſententiæ.

2 ALiqui deſperantes propoſitæ obiectioni ſatisfacere, ſatius iudicarunt, manifeſtam experientiam negare, quam manifeſtè conuinci, qui duplici ſe implicuere malo fatentur enim ſe argumenti ſolutionem non aſſequi, & lucis quam vident oculis, verbis impugnatores illam iniquè negantes ſe oſtendere fruſtra præſumunt. Ne tamen aperto Marte veritatem omnibus compertam debellarent, affirmarunt corpus obſiſtens producere qualitatem tantùm in partibus collateralibus aeris recipientis qualitatem ab ipſo agente, quæ cum nullam, vel remiſſam valde ab illo receperint, ab obſiſtente poſſunt intendi, quod maiorem qualitatem recipit ab agente præcipuo, quam partes aëris collaterales, quia licet hæ ſint illi propinquiores, præcipuum agens agit in illas linea obliqua, & obſiſtens per lineam rectam, & ſub eadem, aliquantulumque maiori diſtantia intenſior qualitas producitur per lineam rectam quam per obliquam, vt patet in Sole illuminante cubiculum per feneſtram, qui intenſiorem lucem producit in vltima parte directè Soli oppoſita, quam in aliis vicinioribus feneſtræ collateralibus.

3 Hunc modum philoſophandi impugnat ipſa experientia, neque alia opera indigemus, ad illum expugnandum; quia non ſolùm maior lux videtur in partibus vicinioribus obſiſtenti intra eamdem lineam rectam, quam in remotioribus eiuſdem lineæ, & præcipuo agenti propinquioribus, maiorémque calorem ſentimus, cùm appropinquamur parieti Sole percuſſo, quam cum ab illo diſtamus, & præcipuo agenti ſumus viciniores: quod ſi hoc neges omnino experientiam negare poteris, & quæſtionem hanc ſuppoſito negato de medio tollere.

5 Alij affirmant maiorem illam intenſionem prouenire ab agente præcipuo, quod cum impediatur actionem vltrà diffundere, iterum reflectit, & qualitatem illam, quam producturum erat à partibus ſequentibus, in vicinioribus corpori obſiſtenti producit. Hæc ſententia laicè ſatis rem eſt meditata, quia agens, non producit qualitatem per motum localem, quo poſſit impedita hac productionis via aliam inire, verſùs aliam partem, neque ex eo quod non poſſit producere qualitatem in parte diſtantiori, illam producit in proximiori; aliàs ſi prope Solem corpus nimis opacum conſtitueretur, Sol in illo produceret totam intenſionem, quam per totam ſphæram nullo impediente corpore diffunderet. Vnde ſi hoc ita accideret, quo magis præcipuum agens impediretur corpore obſiſtente, magis reflecteret, quod apertè falſum eſt, magis enim impeditur Sol muro opaco; in cuius partibus extimis tantùm lucem producit, quàm cryſtallo diaphana in cuius partes profundas lucem effundit, quod aliter cõtingere certum eſt, quia maior eſt lux reflexa obſiſtente cryſtallo, quàm muro.

6 Alij recentiores apud Arriag. diſp. 3. ſect. 1. n. 134. aſſerunt maiorem illam intenſionem prouenire à corpore obſiſtente, quod illam producit actione quadam æquiuoca proueniente à quadam qualitate, quæ formaliter non eſt lux, ſed eminenter illam continet tali modo, vt niſi luce formali actuetur illius ſubiectum, ipſa nihil producat, vt continget in pipere, & vino, quibus producitur calor, ſi priùs actuentur calore ſtomachi, & non aliter. Sic rem componunt in cryſtallo obſiſtente, quæ lucem producit actionem quadam æquiuoca, ſi prius informetur luce quæ ſe habeat non vt virtutem productiuam, ſed vt conditionem requiſitam, vt lux eminenter in cryſtallo contenta producatur. Hanc opinionem licet non adeò explicatam inuenio apud Suar. in Metaph. diſp. 18. ſect. 9. num. 35. qui poſtquam dixerat reflexionem prouenire ab obſiſtente, ne concederet ſimile agere in ſimile ait poſſe reſpondere, hanc reflexionem nunquam fieri, niſi per qualitatem diuerſæ rationis.

Digitized by Google

vel adiuuante aliqua ſimili qualitate, vt cum ſpeculum calefacit actione reflexa, tunc dicitur reflexio fieri per qualitatem diuerſæ rationis, quia licet non ſit intenſius in ſpeculo; poteſt tamen intenſius calefacere, quia eſt qualitas diuerſæ rationis.

6 Si liceret ad occultas qualitates,& rerum naturas confugere, facile quis poſſet ſe ab omnibus difficultatibus expedire, quapropter non placet opinio, quia occulta qualitate, occultâ nimis ſolutionem reddit,& abſque fundamento qualitatem iſtam confingit difficultatis vitandæ cauſa.

7 Tenent alij recentiores lucem in aere reflexam ab obſiſtente prouenire,quod plus lucis habet,quàm aër,in quo fit reflexio; nihilominus aſſerunt ſimile non agere in ſimile, & obſiſtens non intendere lucem aeris ſupra intentionem, quam in ſe habet. Hanc concluſionem multis componere conantur, dicunt enim, lucem in aere reflexam non eſſe eiuſdem rationis cum luce in eodem producta ab obſiſtente actione directa,neque cum illa intenſionem efficere, ſed diuerſam conſtituere: ita vt ſi aer habebat quatuor gradus directè productos, & poſtea per reflexionē tres acquirat, non ideo habeat intenſionē, vt ſeptem, ſed duas, vnam vt quatuor, & aliam vt ſeptem:rē explicant exemplo ſpecierū impreſſarum alicuius obiecti,quæ in eodem ſubiecto directæ & reflexæ,reperiuntur,abſque vlla intenſiua vnione, & in ſpecie expreſſa clarius cernitur, viſio enim qua directè video obiectum in ſe, & in eodem loco in quo eſt, & viſio reflexa, qua illud video, in ſpeculo, & apparet non in loco in quo eſt, ſed in alio, non vniuntur intenſiuè, ſed duplicem viſionem adæquatè diſtinctam conſtituunt. Videre forſan prædicti recentiores duplicem hanc lucem directam & reflexam apud illum qui pene innumera vidit, præclariſſimamque ad omnia videnda in fulgentiſſimo opere metaphyſico effudit,ſapientiſſimum P.Suarez,in quo pleraque, ne dicam omnia, quæ magnificè commendant recentiores, proprioque Marti tribuunt, veluti ab Authore deſpecta, maioribus aliis intento paucis verbis, multaque doctrina ſcripta reperiuntur. Legatur loco ſuprà citato, vbi duplicem hanc lucem directam,& reflexam perſpectiuis familiarem eſſe teſtatur.

8 Cenſeo cum grauiſſimo P. Suario ſuprà, duplicem hanc lucem philoſophiæ conſonam non eſſe, neque rectè philoſophantium oculis videndam eſſe, quod ſic probo. Lux illa reflexa, ſeu reflexè producta nihil habet peculiare, quod non habeat lux directè producta; ergo ex vtraque, eadem conſurget intenſio. Hanc probo: produci directè, vel reflexè nihil aliud eſt, quàm produci in hoc loco ab agente exiſtenti, in alio, quod nihil eſt, identificatum cum ipſa luce,ſed præſentiâ lucis,& præſentiam agētis, quarum vna eſt luci ſuperaddita, alia non ſolùm ſuperaddita, ſed omnio extrinſeca: ergo nihil habent ſpeciale lux directa, & reflexa, ratione cuius eamdem intenſionem non conſtituant. Vrgeo, & explico idem argumentum:ſumò quatuor gradus lucis directè productos exiſtentes in aëre vicino obſiſtente, in quo fit reflexio, & tres alios in eodem ſubiecto reflexè productos; tres hi gradus exiſtētes in hoc ſubiecto, qui modo lux reflexa dicuntur, omnino inuariati ſecundùm ſuam entitatem, & ſecundùm præſentiam ſuperadditam dicerentur lux directa, ſi obſiſtens ad illos non conduxiſſet,ſed immediatè à Sole dimanaſſent, & quatuor alij qui modo lux directa denominantur, reflexa dicerentur, ſi non immediatè à Sole eſſent producti, ſed obſiſtens ad illorum productionem adiuuiſſet: ergo eadem lux intrinſecè omnino inuariata poteſt eſſe lux directa, & reflexa: ergo lux directa, & reflexa nihil habent ſpeciale ratione cuius vnione intenſiua non copulentur.

9 Dices ſaltem importare lucem directam, & reflexam actiones inter ſe diuerſas ſpecificè, quia actio ſpecie diuerſa eſt, quæ procedit à Sole præcipuo agente, & à luce quæ naſcitur ab ſpeculo obſiſtente. Reſpondeo parum referre actiones illas eſſe ſpecie diſtinctas, non enim ex eo quod actiones ſpecie diſtinguantur, termini inter ſe vniri nequeunt, calor enim à Sole productus, intenſiuè vnitur cum calore producto ab igne, & tamen actionibus ſpecie diſtinctis producuntur, ſi actiones à principio ſpeciem deſumunt vt obiectioni neceſſarium eſt. Addo neque hanc actionum differentiam importare lucem reflexam, & directam, licet enim actio procedens à Sole ſpecie diſtinguatur ab actione procedente ab igni, eadēmet actio ab ſpeculo procedens quæ modò eſt reflexa, diceretur directa, ſi Sol prius in eodē aëre nihil produxiſſet, vel ſi procederet ab ſpeculo exiſtente, in alio loco non Soli, ſed præcipuo agenti directè oppoſito. Conſultò dixi, ſi diſtinguerentur ſpecie actio procedens ab ſpeculo,& actio à Sole dimanās, quia adhuc eſt ſub lite, etiamſi actiones à principiis ſpeciem deſumant, quia actio procedens ab ſpeculo non dimanat ab ipſa ſubſtantia cryſtalli, ſed à luce in ipſa recepta, quæ eiuſdem ſpeciei eſt cum luce Solis. Quapropter ſi Sol ſimul cum obſiſtente concurreret eiuſdem omnino ſpeciei eſſet actio, quam ſpeculo tribuimus cum actione ab ipſo Sole dimanante, quia vtraque procederet à Sole, & à luce, Sol enim lucem producit in ſubiecto extraneo, non ſolùm per ſuam ſubſtantiam, ſed per lucem, quam in ſe continet. Imò ſecundùm aliorum opinionem, Sol per ſuam entitatem non producit lucem in ſubiecto extraneo, ſed tantùm per lucem in ſe receptam, & ſecundùm hanc ſententiam actio, qua producitur lux in aëre ab obſiſtente eiuſdem ſpeciei erit cum actione qua producitur lux in eodem aere à Sole,quia vtraque procedit à luce eiuſdem ſpeciei,& ſubiectum vtriuſque eſt materia prima tantùm numero diſtincta, etſi ad diuerſa in ſpecie compoſita pertineat,quod nihil refert ad ſpecificationē actionis;hoc enim non ſpecificatur à toto compoſito, quod lucidum denominatur, ſed à materia, quæ tantùm eſt principium illius per ſe. Diſtinguentur autem actio productiua lucis, dimanans à Sole, & ab ſpeculo procedens, ſi hæc tantùm à luce dimanet, & illa à luce, & à ſubſtantia Solis, quia principium adæquatum illarum ſpecie diſtinguetur.

Vltimò rogo hos recentiores,cur obſiſtens producat hāc 10
diuerſam intenſionem in aëre immediato, & illam non producat aër intermedius in alia parte aëris, vel in alio corpore.Reſpondent hoc prouenire ex certa,& determinata corporis diſpoſitione,quæ ſe habet tanquam conditio ex parte obſiſtentis ad illam producendam.Hac ſolutione ruit tota illa intenſionem diuerſitas, quam hæc opinio abſque fundamento conſtruxerat, ſi enim obſiſtens in ſe conditionem includit ad illam producendam, cur hæc conditio ad maiorem intenſionem à præcipuo luminoſo producendam, non conſtituitur, vt vult Arriaga, poſtea referendus, minorique opera, & ſine lucis directæ atque reflexæ inani diſtinctione reflexio conſtituetur.

In hanc rationem vt modo dicebā incidit Arriag. diſp.3. 11
ſect.8. ſubſect.2. n.143. qua admiſſa rectè reflexionem ſine hac intenſionum diuerſitate, in eodem ſubiecto defendit, aſſerit enim reflexionem prouenire à præcipuo agente poſito obſiſtente tanquam conditione à Sole videlicet, poſita cryſtallo, tanquam pura conditione, qua Sol maiorem producit in partibus aëris cryſtallo vicinioribus, quam in aliis remotioribus, etſi Soli magis propinquis. Hanc conditionem contra Arriag.& prædictos recentiores reiicio tanquam omni fundamento deſtitutam, nullum enim apparet conditionis genus quod poſſit obſiſtenti competere vt maiorem lucē producat in parte paſſi diſtantiori, quàm in aliis proximioribus; quia corpus propinquum aëri, in quo fit reflexio, non eſt conditio ad receptionem adiuuans, neque ad actionem, quia non eſt circunſtantia tenens ſe ex parte agentis, neque ex parte paſſi, neque reſpectus mutuus inte vtrumque, vel alterius ad alterum.

Hurtadus diſp.9.Phyſic.ſect.9. docet reflexionem proue- 12
nire ab obſiſtente, quod lucem producit, in partibus aëris illi propinquis,& Soli proximioribus, neque ideo concedit ſimile agere in ſimile: tenet enim præcipuum agens magis agere actione directa,in obſiſtens remotum, quàm in aërem magis proximum,ratione maioris diſpoſitionis, quam inuenit in obſiſtente, licet enim agens ſemper agat intenſius in propinquum,quam in diſtans,cæteris paribus,ſubiectis tamen diuerſo modo ſe habentibus aliquando magis agit in diſtans, quam in propinquum, quia maior diſpoſitio ex parte paſſi adæquat, & ſuperat maiorem approximationem,quæ in alio reperitur.

Non diſſentio ab Hurtado aſſerēte poſſe ratione maioris 13
diſpoſitionis produci qualitatem intenſiorem in ſubiecto diſtantiori, quam in proximiori alio: exiſtimo enim quod ſi igni applicaretur lignum cuius partes proximiores frigiditatem haberent, & aliæ aliquantulum remotiores omni qualitate eſſent nudæ maiorem calorem producendum eſſe in partibus remotioribus nulla qualitate contraria reſiſtente, quam in propinquioribus frigiditate calefactionem retardante, nihilominus mihi ſententia Hurtadi diſplicet, quia abſque fundamento, & contra rationem conſtituit omnia obſiſtentia capaciora qualitatis ſecundùm quam fit reflexio,

Digitized by Google

reflexio, quam alia corpora intermedia, quod non paucis probatur. In primis denſitas reperta in obſiſtente, non reddit ſubiectum capacius luce, vel alia qualitate recipienda, quia denſitas, tantùm eſt multitudo partium cum hac præſentia locali; ratione cuius nulla pars intenſiorem lucem recipiet, quia vna pars ſubiecti non diſponit aliam ad qualitatem. Verbi gratia, dum hæc pars ſit agenti propinqua eamdem qualitatem recipiet, ſiue plures, ſiue pauciores illam comitentur in eodem ſpatio: ergo eamdem intenſionem recipiet ſiue corpus ſit rarum, ſiue denſum: ergo idem dicendum eſt de toto corpore, quia hoc non habet intenſionem ab intenſione partium diſtinctam. Secundò terſitas, quæ ad reflexionem conducit, non poteſt ſubiectum reddere magis capax ad qualitatem recipiendam; quia terſitas tantùm dicit partes quaſdam non eſſe aliis eminentiores, quod impertinens eſt ad qualitatem in ſingulis partibus recipiendam, nam ad hoc vt pars *A* exiſtens in hoc ſpatio recipiat tantam, vel tantam intenſionem qualitatis impertinens eſt partem *B* illi propinquam eſſe eminentiorem, vel depreſſiorem illa: ergo nihil eſt, in obſiſtente, ratione cuius poſſit intenſiorem qualitatem recipere, in maiori diſtantia, quam alia corpora intermedia magis propinqua. Secundò poſitiuè impugnatur hæc maior capacitas; ſeu diſpoſitio obſiſtentium ad qualitatem recipiendam. Cryſtallus non magis capax eſt lucis, quàm aër, & tamen reflectit cryſtallus, & non aer: ergo corpora reflectentia, non ſunt capaciora lucis aliis corporibus, non reflectentibus; conſecutio eſt firma, poſterior pars antecedentis, per ſe patet, priorem probo. Cryſtallus ponatur ſupra chartam, charta eſt minus lucida, quam eſſet, ſi tantum ſupra ſe aërem haberet: ergo aër maiorem lucem recipit, quàm cryſtallus. Secundò, eadem cryſtallus intenſiùs reflectit, quando habet à tergo argentum viuum, quod eſt minus capax lucis, quàm aër, vel alia chryſtalli pars, quæ poſſet eſſe à tergo, quibus minùs reflecteret: ergo maior reflexio non eſt propter maiorem capacitatem ad qualitatem recipiendam, in obſiſtente repertam. Vltimò certum eſt aquam eſſe minus diaphanam, minúſque capacem lucis quã eſt aër, nihilominus aqua eſt reflexiua lucis, & non aër.

§. II.

Propria ſententia exponitur.

14 IN duplici ſubiecto lucem reflexam agnoſco in obſiſtente, & in aere obſiſtenti vicino, quibus diuerſa principia aſſignabo. Sentio lucem reflexam in aëre receptam prouenire ab obſiſtente, hoc eſt à luce directè in obſiſtente producta, & ab eo ipſo luminoſo. Ita defendo ſimile non agere in ſimile, quia licet obſiſtens remiſſionem lucem directè productam habeat, quam aër in quo fit reflexio, obſiſtens & præcipuum agens, ex quibus vnum principium adæquatum lucis reflexæ productæ in aëre conſurget, illud conſtituunt diſſimile paſſo, neque inconueniens eſt agens inadæquatum agere in paſſum intenſius illo, quando adiuuatur alio agente paſſo intenſiori, & non ſe habet tanquam medium eiuſdem omnino rationis cum paſſo, & in caſu dato obſiſtens, licet ſit ſecundùm qualitatem directam remiſſius aëre, adiuuatur luminoſo aëre intenſiori, & non ſe habet vt medium eiuſdem rationis reſpectu aëris, tum quia eſt longè diuerſæ rationis, tum quia id medio quo agens luminoſum præcipuum eſt approximatum aëri independenter ab obſiſtenti, quia inter luminoſum, & obſiſtens mediat aër, & illo medio obſiſtens approximatur luminoſo, vnde prius ſupponitur approximatio aëris quam obſiſtentis reſpectu luminoſi, & maiorem illam habet aër, quam obſiſtens. Quod verò partes aliæ aëris, in quibus fit reflexio ſint minus lucidæ, & ſe habeant tanquam medium vt præcipuum agens producat lucem reflexam intenſiorem illis, nihil refert, quia poteſt dici has non concurrere ad lucem reflexam, ſed tantùm ſe habere vt purè medium, & non eſſe inconueniens Solem per medium lucidum vt duo, producere lucem vt tria, quia poſt medium illud remiſſius ſunt alia agentia, quæ illud determinant ad talem productionem.

15 Reſtat modo rationem aſſignare propter quam agens præcipuum cum obſiſtente diſtante, cryſtallo videlicet, lucem reflexam producat in partibus aëris cryſtallo vicinis, & non cum aliis partibus aëris reflectat in alias propinquiores. Hanc exiſtimo rectè deſumi ex denſitate obſiſtentis, ratione cuius obſiſtens plures partes habet inter ſe magis vnitas, quàm corpus aliud non reflectens; vnde qualitas, quæ eſt in corpore denſo eſt magis vnica, quam illa, quæ eſt in corpore raro, vnio enim qualitatis ſubiecti vnionem ſequitur, & ratione huius maioris vnionis, & multitudinis partium agentis, præcipuum agens determinatur ad maiorem intenſionem producendam, per modum vnius principij cum partibus obſiſtentis, & maiorem qualitatem, quam obſiſtens in ſe habet, quæ determinatio, non tota tribuenda eſt obſiſtenti, ſed tantùm completiuè, prouenit enim ex ſimultanea exiſtentia, & approximatione præcipui luminoſi, & obſiſtentis ad quam æquè & conducit exiſtentia, & præſentia Solis, ac exiſtentia, & præſentia obſiſtentis, tribuitur tamen completiuè obſiſtenti, quia hoc poſterius eſt præcipuo luminoſo, quod prius natura ſupponit.

Dixi obſiſtens habere in ſe plures partes haud magis 16
vnitas, vt hanc opinionem explicarem iuxta diuerſas ſententias rarefactionis, & condenſationis, in opinione enim quæ aſſerit, rarefactionem fieri per intromiſſionem corpuſculorum, obſiſtens denſum habet partes magis vnitas, quia in raro corpuſcula intromiſſa illud diuidunt, & partes inter ſe localiter ſeparantur, & licet ſecundùm hanc opinionem in palmo aëris tot ſint partes quantitatis, quot in cryſtallo, alióve corpore denſo, ſi annumerentur partes aëris, & corpuſculorum intromiſſorum, tamen non ſunt æquè vnitæ, & conſequenter neque partes lucis, æqualem intenſionem habebunt iuxta ſupradicta, & non raró, imò ſeu ſemper pauciores partes lucis erunt in palmo raro, quam in denſo, quia non omnia corpuſcula in illo incluſa erunt æquè lucis capacia, ſed plurima remiſſiorem illam recipient: in opinione verò quæ raritatem conſtitui in maiori extenſione, & in minori denſitatem, certum eſt corpus rarum, habere pauciores partes quam aliud denſum eiuſdem menſuræ.

Concluſio præſentis difficultatis, ſolutio eſt argumen- 17
ti, quo intenditur probari ſimile agere in ſimile, ideóque probatione non indiget, ſed defenſio, quam exhibebo, dum quæ contra illam poſſunt obiici clarè ſoluam, neque leuem probationem habet pars noſtra ex impugnatione aliorum modorum defendendi reflexionem, quam omnes puncto præcedenti efficaciter reieci. Accedit ſecundum hunc dicendi modum tacitè rationem reddi cur lux per ſpecula tranſmiſſa exurat corpus ad tantam diſtantiam, & non ad minorem aliam, cui difficultati iuxta dicta reſpondeo; partes exiſtentes in cryſtallo agere per lineas rectas, & ita non omnes partes illius agunt in aërem proximiorem ipſi cryſtallo, ſed in illud paſſum, quod certam diſtantiam habet ab illis, in quo influunt omnes partes cryſtalli; & ita per maiorem multitudinem agentium confluentium in idem paſſum excitatur Sol ad maiorem calorem producendum in illo, quam in alio paſſo ipſi ſoli proximiori. Reddidi rationem huius experientiæ, quia ex his principiis optimè fieri poteſt, non quia illâ poſſit probari ſimile agere in ſimile, vt multi intẽdunt abs re prædictá obiectionem ad præſentem quæſtionem adducentes, quia maior ille calor, qui producitur ad tantam diſtantiam procedit à luce, quæ eſt cauſa æquiuoca reſpectu caloris, & nunquam aget in ſimile, quemcumque calorem intenſum producat.

Aſſignaui cauſam productiuam lucis reflexæ in aëre vi- 18
cino obſiſtenti, reſtat explicandum à qua cauſa proueniat exceſſus ille lucis in obſiſtente reſpectu aliarum partium aëris in quibus non fit reflexio. Non eſſet operoſum defendere corpus obſiſtens nullam habere lucem reflexam, neque illâ excedere partem aliquam paſſi agenti proximiorem, licet enim obſiſtens appareat cum maiori luce, non inde probatur eſſe magis lucidum, quia potentia viſiua diſcernere nequit inter lucem exiſtentem in obſiſtente in partibus aëris illi immediatis. Deinde vt bene notat Arriag. ſuprà, num. 137. id quod perſtringit oculos intuentium, quando fit reuerberatio in cryſtallo, vel ſpeculo, aliíſque corporibus reflectentibus, non eſt maior lux in cryſtallo producta, ſed ipſe Sol, vel radij ſolares aëris, quæ videntur per reflexionem ſpecierum, ſicut videtur homo in ſpeculo per reflexionem ſpecierum intentionalium. Nihilominus placet aſſerere lucem reflexam obſiſtentis prouenire à luce reflexa in aëre producta rem explico. Sol linea recta produxit in aëre vicino obſiſtente quinque gradus lucis, & quatuor in obſiſtente, hi quatuor obſiſtentis ratione multitudinis agentium ſimul cum ſole tres alios produxere per reflexionem in aëre, quibus aer lucidus vt octo fuit conſtitutus (non octonario numero modò ſummam

... orum ſignifico) & obſiſtens tantum lucidum, vt ... aneque permanſit, vnde poteſt aër ratione graduum, quibus ſuperat obſiſtens; iterum agere in illud, illiusque lucem intendere, & id de facto præſtat, quia virtutem habet ad talem intenſionem producendam, & eſt agens neceſſarium quod ſemper agit totum id quod poteſt.

§. III.

Argumentorum ſolutio.

19 Contra reflexionis modum ſupra aſſignatum ad hominem ſpecie quidem non inefficax ſtatim ſe offert impugnatio. Dixi ſimile non agere in paſſum aliunde ſimile; quia non poteſt conſeruare gradus, quos reperit in ſubiecto, & alium producere, neque procedere ad nouam productionem non adhibita conſeruatione graduum, quos productos inuenit: ex qua doctrina ſic poteſt impugnari ea, quam modo tradidi de reflexione: lux in obſiſtente recepta non poteſt conſeruare lucem directam receptam in aëre: ergo neque illam intendere. Antecedens certiſſimum eſt, quia ſol media luce producta in aëre producit, & conſeruat receptum in obſiſtente: ergo lux recepta in obſiſtente in primo inſtanti productionis, & in ſecundo conſeruationis, eſt poſterior luce directa in aëre recepta: ergo non poteſt illam conſeruare: ergo neque aliam in eodem ſubiecto producere iuxta doctrinam traditam, qua dixi ſimile non intendere ſimile, quia non poteſt nouam qualitatem producere, quin antiquam conſeruet. Eodem modo fit argumentum contra concluſionem, qua dixi lucem reflexam aëris, intendere lucem directam obſiſtentis, & aliam producere, qua obſiſtens, per reflexionem intenditur. Quia in mea ſententia lux reflexa aëris producitur à luce directa luminoſi: ergo non poteſt illam conſeruare: ergo neque aliam in eodem ſubiecto producere, ſi verum eſt principium traditũ, videlicet agens non agere prius de noua qualitate producẽda, quàm de antiqua conſeruanda.

20 Præmitto euaſionem quandam, qua poſſem reſpondere principium adæquatum lucis reflexæ in aëre receptæ eſſe obſiſtens, & præcipuum luminoſum, quod lucem directam in eodem aëre receptam conſeruat; ac proinde etiamſi illam non conſeruet, aliud inadæquatum principium, videlicet lux recepta in obſiſtente poſſet illam intendere, quia per modum vnius concurrit cum præcipuo luminoſo illam conſeruante, & eadem ratione dicerem lucem reflexam in aëre receptam non poſſe conſeruare directam obſiſtentis: poſſe tamen illam intendere; quia per modum vnius concurrit cum principio illam conſeruante, videlicet præcipuo luminoſo, & ſic verum teneret, nunquam cauſam adæquatam intendere qualitatem, quam non conſeruat, ſaltem ratione cauſæ inadæquatæ incluſæ in cauſa adæquata, non tamen cuicumque acquieſco euaſioni, vbi clara, & aperta mihi ſupereſt ſolutio.

21 Reſpondeo omnem cauſam in actu primo, potentem influere in tot gradus qualitatis: verbi gratia, in ſex gradus lucis, determinari ad conſeruationem illorum, quos inuenit productos ex his in quos poteſt influere, quod ſi nullum inueniat productum, determinatur à Deo ad omnes denuo producendos, ſi verò aliquos illorum inueniat productos, non tamen omnes in quos poteſt influere, æquè primo determinatur ad conſeruandos, quos productos inuenit, & nouos alios producendos. Rem explicet exemplum. Applicatur luminoſum, potens influere in ſex gradus lucis paſſo lucido vt ſex, tota illius virtus determinatur ad conſeruationem, quia omnes gradus quos poteſt recipere, productos inuenit: applicatur ſubiecto nullum gradum lucis habenti, tota illius virtus determinatur ad nouam productionem; applicatur ſubiecto lucido vt tria, determinatur æquè primo ad tres conſeruandos, & tres alios producendos, quod ſi ex aliquo capite non poterit conſeruare tres illos, quos productos inuenit, non ideo arcetur à tribus aliis producendis, quia agens æquè primo reſpicit ſingulos gradus contentos in ſenario numero, quem poteſt actione pertingere, vnde etiamſi aliquos ratione impedimẽti non valeat proprio influxu attingere, illum præſtat ad gradus alios producendos, quia virtus illa, quæ ſi tres illos productos conſeruaret, tres alios produceret, valet tres alios producere, etiamſi illos non conſeruet, non enim magis inſumanda eſt virtus cauſæ in conſeruatione, quam intendit, & non conſequitur, quàm inſumeretur ſi talem conſeruationem de facto obtineret.

Ex hac doctrina, iam omnibus perſpicua erit ſolutio præcedentis argumenti: obſiſtens lucidum vt quatuor ſimul 22 cum præcipuo luminoſo virtutem habet, ad ſex gradus producendos in aëre applicato, quem inuenit lucidum, vt quatuor, & determinatur ad quatuor conſeruandos & duos alios producendos: cum verò non poſſit quatuor præexiſtentes conſeruare, quia dependet ab illis, duos alios producit, & illius virtus fruſtratur, ſecundum influxum quatuor graduum, ad quorum conſeruationem quaſi in actu primo determinatur, quamque in actu ſecundo præſtare nequit, & exercetur in productione aliorum duorum, reſpectu cuius nullum eſt impedimentum. Eodem modo aër lucidus vt ſex, ex ſe virtutem habet ad quinque gradus in obſiſtens iaculandos, cùm verò ſecundum illos, quos per reflexionem acquiſiuit, non poſſit quatuor à quibus fuêre producti conſeruare, illos conſeruat ſecundum illos, quos directè acquiſiuit, & ſecundum directos, & reflexos concurrit ad productionem quinti.

Obiicies ſecundò. Si obſiſtens ſimul cum luminoſo intendit aërem, & aër iterum intendit obſiſtens, poterit rurſus obſiſtens iterum reflectere in aërem, quod eſt abſurdum. 23 Reſpondeo nullum deduci abſurdum ex hac ſecunda, vel tertia reflexione obſiſtentis in aërem, non enim infertur in infinitum proceſſus, nam vt probaui Puncto præcedenti non ſequitur intenſionem forè infinitè augendam ex eo quod ſimile agat in ſimile, & mutuò duo agentia inter ſe intendantur. Nihilominus nego conſequentiam, ratio eſt perſpicua: obſiſtens poſtquam lucem reflexam recipit ab aëre eſt minus lucidum aëre: ergo non poteſt ratione ſui in illum agere: neque ratione præcipui luminoſi, quod determinat, vt ſimul cum illo, per modum vnius principij producat in aëre maiorem intenſionem, quam habet obſiſtens; quia iam in prima reflexione denſitas hanc præſtitit determinationem, vt obſiſtens cum illa ad maiorem intenſionem concurrat quam in ſe habeant partes intenſæ. Vnde nihil eſt, quod poſſit hanc ſecundam reflexionem exigere, lux enim quæ accreſcit obſiſtenti per reflexionem factam ab aëre in obſiſtens, eſt valde exigua ad nouam aliam determinationem præcipuo luminoſo præſtandam, vt cum illa concurrat ad productionem intenſioris lucis. Hæc dixi ne concederem ter quatérve reflexionem repeti, quod ſi prædicta ſolutio non omnino placuerit: conſequentiam admitte, conſequens enim nihil abſurdi ſecum afferet.

Nota in quacunque reflexione ſiue ſemel fiat, ſiue ſemel & iterum repetatur, ſemper aërem in quo fit reflexio 24 manere intenſiorem obſiſtente. Ratio eſt manifeſta. In prima productione lucis directe aër intenſiorem lucem habebat obſiſtente: poſtea cum obſiſtens cum præcipuo luminoſo reflectit in aërem intenditur iterum aër, & creſcit exceſſus aëris reſpectu obſiſtentis, qui nunquam poteſt ab obſiſtente compenſari, quia lux reflexa poſtea in illo recipienda prouenit ab aëre, qui quantumuis præcipuo luminoſo adiuuetur numquam effectum intenſiorem, neque æqualem in paſſo non penetrato producit, quia in aëre non eſt ſpecialis denſitas, quæ luminoſum excitet ad producendum cum illo per modum vnius principij maiorem intenſionem, in obſiſtente remotiori, quàm in ipſo aëre propinquiori eidem luminoſo, ſeu præcipuo agenti.

Vltimò aduerte ſecundùm hanc doctrinam rectè rationem reddi, cur lux producta à ſole per cryſtallum, non ſolùm ſit intenſior in partibus aëris cryſtallo anterioribus, 25 ſed etiam in partibus aëris poſt cryſtallum exiſtentibus, quam in aliis partibus, præcipuo agenti propinquioribus, & à cryſtallo obſiſtente, remotioribus: eadem enim ratione propter quam cryſtallus cum præcipuo luminoſo reflectit in partibus anterioribus aëris, ſimiliter in partibus poſterioribus à tergo cryſtalli exiſtentibus maiorem lucem cum ipſo agente luminoſo, quàm luminoſum produxerat in aliis partibus aeris ſibi propinquioribus, hæc tamen maior intẽſio, à tergo cryſtalli prducta non dicitur reflexio, quãdo non retrogreditur actio ad illũ producendũ, neque aliquid in ſubiecto diſtantiori ſupponitur ad illũ productum, procedit tamen ex eodem principio ex quo reflexio naſcitur.

PVNCTVM III.

De Antiperiſtaſi.

1 Antiperiſtaſis dicitur actio, qua vnum contrarium ad præſentiam alterius magis augetur; verbi gratia, actio,

Digitized by Google

actio, qua ſubiectum calidum agenre frigido obſeſſum, magis calefit, vel frigidum calido circundatum magis frigeſcit. Dari hanc actionem manifeſta demonſtrat experientia qua putealem aquam calidiorem in hyeme ſentimus cum terrâ valde frigidâ continetur, & frigidiorem in æſtate cum terra nimis calidâ circunſcribitur.

2 Affirmant nonnulli apud P. Soar. in Metaphyſic.diſp.18. ſect.9. numero 13. tunc ipſam qualitatem intendi actione reflexa, qua res calida à ſuo contratio obeſſa quaſdam ſpecies in illud mittit, quæ ſunt veluti inſtrumenta ad agendum in illud, cùm verò contrarium, his ſpeciebus reſiſtat, illæ in ſuum principium effectiuum iterum redeunt, illúſque calorem intendunt, ita Marſ. Venet. & Alber. apud Suar. ſuprà. Rectè dicit Pater Soar. hos Authores incredibilia docere, & difficultatem non ſoluere. Opporteret autem, ipſos nihil docuiſſe, quod fidem ſuperaret, cum illa quæ docent in hac re non ratione ſtabiliant, & tantum propter ipſorum fidem amplectenda eſſent. In primis ſuperat fidem hæc agentia Phyſica agere per ſpecierum emiſſionem, ad quid enim calidum ſpecies producet in frigido, cum faciliùs poſſit calorem producere? experientia enim notum eſt ad præſentiam caloris calorem produci, & non ſpecies, qua ergo probabilitatis ſpecie, ſpecies iſtæ finguntur? Secundò contra omnem bonam philoſophiam dicitur ſpecies has non admiſſas à contrario in proprium ſubiectum redire, accidentia enim non migrant de ſubiecto in ſubiectum, & ita non niſi per fictionem apprehendi poſſunt euntia, & redeuntia. Tertiò quando agentia contraria immediata ſunt, ſpecies iſtæ, quibus calidum intenditur, non producuntur à calido in frigido, quia vt hæc opinio architectatur frigidum illas non admittit: non producuntur extra ſubiectum; quia agens naturale nihil producit, niſi ex præſuppoſito ſubiecto: Ergo calidum illas primo producit in ſe ipſo per actionem immanentem: ergo non redeunt per reflexionem in ſuum principium. Deinde ſpeciebus admiſſis difficultas non ſoluitur, quia ſpecies iſtæ, vt illius patroni aſſerunt, ſunt inſtrumenta agentis præcipui: ergo non poſſunt producere effectum vltra illam intenſionem, quam agens præcipuum poteſt producere, neque intendere paſſum, quod idem agens non poteſt producere, ſed agens præcipuum non poteſt ſe ipſum intendere, ergo neque ſpecies ab illo productæ idem intendere poſſunt, non enim fortior eſt virtus ſpecierum, quas produxit agens, virtute eiuſdem agentis. Vltimò agens calidum, non poteſt, neque per ſe ipſum, neque mediis ſpeciebus intendere aliud ſubiectum ſibi ſimile, vt probatum eſt, ergo neque poterit ſe ipſum intendere.

3 Alij apud eundem Soar. num.15. docent contrarium à fortiori circundatum propriæ conſeruationis appetitu ſuá actionem intra ſe colligere, atque in ſe ipſum illam conuertere, qua à ſe ipſo intenditur. Hic dicendi modus ſuſtineri nequit, tum quia concedit idem agere in ſe ipſum, tum quia contrarij præſentia conditio eſſe non poteſt ad talem actionem, hæc enim non iuuat ad productionem, neque ad receptionem contrariæ qualitatis in ſubiecto proprio, potius enim contrarium reſiſtit productioni qualitatis oppoſitæ illi, quam illud producere intendit. Secundò. Qualitas illa, quam agens contrario obſeſſum producit in ſe ipſo, vel illi naturalis eſt, vel non, ſi naturalis eſt, illam producit deficiente contrario: ſi naturalis non eſt, virtutem non habebit ad illam producendam: quia nullum ſubiectum virtutem habet ad producendam in ſe ipſo peregrinam qualitatem, illi non debitam, neque naturalem. Neque poteſt dici naturalem eſſe præſente contrario, ſecus illo abſente: quia præſentia vnius contrarij nimis eſt alteri extrinſeca, ac proinde ratione illius non poteſt diuerſas petere qualitates. Deinde dici nequit aquam in hyeme ad præſentiam frigoris calorem producere appetitu propriæ conſeruationis; quia aqua non eſt productiua caloris, neque calor eſt conſeruatiuus, ſeu productiuus aquæ. Rurſus ſi ſubiectum calidum frigido obſeſſum, ideo agit in ſe ipſum, quia in frigidum agere nequit, quotieſcunque in aliud non poſſet agere, in ſe ipſum actionem conuerteret. Hinc duo dari neceſſum eſſet: primum omne calidum ſemper in ſe ipſum acturum, quotieſcúque non valet reſiſtentiam frigidi ſuperare, etſi non adæquatè illam ſuperaret, ſed ſecundum aliquos gradus, aliorum actionem quos non poſſet in contrario producere in ſe ipſum eſſe reflexurum, quod manifeſta experientia falſum eſſe oſtendit. Secundum: Omne agens acturum in ſe ipſum quotieſcumque paſſum extraneum, in quod ageret, non haberet, quod ab omni veritate alienum eſt, aqua enim virtutem non habet conuertendi in ſe totum illud quod produceret in ſubiecta extranea, ſi illi eſſent applicata.

Huius experientiæ diſertè rationem reddit Pater Soar. num.18. vbi aſſerit duobus modis intendi qualitatem ad præſentiam contrarij, vel ab extrinſeco agenti, quod occaſione contrarij ibi includitur, & detinetur, vel quia præſentia alterius contrarij recedit extrinſecum, quod propriam qualitatem expugnabat, quo deficiente ſubſtantia per propriam virtutem, qualitatem ſeu paſſionem propriam intendit. Vtrumque ſic contingit: producit ſol tempore æſtatis in ſubterraneis exhalationes quaſdam igneas, quæ tempore hyemis cum terræ pori ſint valde clauſi foras erumpere nequeunt, & ibi detentæ aquam calefaciunt. En quomodo ab extrinſeco agente, quod occaſione contrarij ibi detinetur aqua natura ſua frigida calefiat. Tempore veris, ſeu æſtatis calore ſolis pori terræ aperiuntur, & ita exhalationes ab eodem ſole productæ valent foras proſilire, & aquam expeditam relinquunt vt natiuam frigiditatem illæſam tueatur, vel vt ſe in eamdem iam amiſſam reſtituat: idem dicito de ſpecubus, & ſubterraneis in quibus terra tempore hyemis his exhalationibus agitata propriam amittit frigiditatem, in quam ſe reſtituit, vt primùm tempore veris apertis terræ poris exhalationes recedunt. Has exhalationes produci certiſſimum eſt, ſæpè enim diſrupta terra in ardentiſſimas flammas euomunt, quod nuper anno 1631. in Veſuuio Sommæ monte non ſine aliquorum populorum ſtrage, & nonnullorum incolarum miſero incendio, grauiſſimoque omnium periculo viſum fuit. Materia harum exhalationum ſunt aqua, & terra; cauſa verò, ſolares influxus, quibus forſan coniunguntur alia corpora virtualiter calida, quæ in imis terræ viſceribus includuntur. 4

PVNCTVM IV.

An extenſio qualitatis fiat per partes aliquotas, vel proportionales quantitatis ſecundùm eamdem intenſionem, & an hæc proportionaliter, vel ſemper aliquotè decreſcat.

MVlta veniunt ſub eodem capite diſputanda, à pleriſque omiſſa vel ſine diſtinctione exagitata, quapropter placet ex profeſſo explicare, quæ ſub præfixo titulo definienda occurrunt. 1

§. I.

Explicantur diſputanda, nonnullaque præmittuntur.

INquiri ſolet an agens agat vniformiter difformiter per partes aliquotas, vel proportionales. Agens intenſiorem producere effectum in parte paſſi propinqua, quam in diſtanti, minoremque intenſionem producere, quo paſſum magis diſtat ab illo, certiſſimum eſt in Philoſophia, quod ſuadet ratio à priori deſumpta ex maiori approximatione, quæ conditio eſt ad operandum, & à poſteriori, quia, ſi æquè produceret in parte diſtanti ac in propinqua ſicut pars proprinqua per qualitatem receptam eſt productiua qualitatis in parte ſibi immediata, ſimiliter pars diſtans poſſet in alia parte immediata ſimilem qualitatem producere, & hæc in alias, & ſic in infinitum extenderetur ſphæra cuiuſuis agentis, poſſétque exiguâ lucernâ totus illuminari mundus. Tandem hoc cuique ruſtico, & rationis experti notum eſt experientiâ qua maiorem calorem ſentimus, quo magis igni approximamur. 2

Difficultas eſt an agens in certa parte diuiſibili ſubiecti producat tantam qualitatem æquè intenſam in omnibus aliis partibus, in quas poteſt diuidi, deinde aliam remiſſiorem in alia parte diuiſibili, & aliquota ſubiecti ſecundum eoſdem gradus in omnibus proportionalibus, quas claudit aliquota, ita vt intenſio qualitatis productæ tantùm decreſcat per partes aliquotas ſubiecti, an verò ita per proportionales decreſcat qualitas, ita vt nulla poſſit 3

Digitized by Google

aliquota aſſignari æquè intenſa ſecundùm proportionales, quas includit, ſed ſemper quælibet qualitas, quantumuis minima aſſignata, vel proportionalis mente concepta intenſiorem contineat qualitatem, quam alia immediata ab agenti diſtantior, & remiſſiorem, quam alia, etiam immediata agenti propinquior. Hæc quæſtio aliam virtualiter in ſe continet, an videlicet qualitas ſimul extendatur in partibus aliquotis ſubiecti ſine ſucceſſione proportionalium, quas quælibet aliquota in ſe continet, vel an in productione quarumcumque proportionalium ſucceſſio interueniat & ordo prioris, & poſterioris.

4 Doctores aſſerentes agens operari vniformiter difformiter per partes aliquotas aſſerere debent extenſionem qualitatis ſimul fieri in parte aliquota, ita vt non prius producatur qualitas extenſa, neque intenſa in vna proportionali, quam in alia incluſa in parte aliquota, quam agens æquè intendit ſecundum ſe totam. Probabo efficaciſſimè hanc concluſionem Contr. Punct. 6. n. 21. Qui dicunt intenſionem decreſcere per ſingulas partes proportionales ex hac concluſione non tenentur aſſerere qualitatem extendi ſimul per partes proportionales, aut per aliquotas ſubiecti, quia ſucceſſiuè, vel ſimul poteſt extendi qualitas in parte aliquota ſubiecti ſeruato decremento qualitatis vniformiter difformiter in ſingulis proportionalibus. Ex hoc infertur quod ſi concludamus intenſionem tantum decreſcere per partes aliquotas concludendum eſſe qualitatem per partem aliquotam ſimul extendi, & ſucceſſionem extenſionis & intenſionis non eſſe inter proportionalem, & proportionalem ſed inter aliquotam, & aliquotam. Si verò dicamus intenſionem decreſcere per ſingulas proportionales, ex alio capite definiendum eſt, an extenſio ſucceſſiuè fiat per ſingulas proportionales, an verò per aliquotas.

5 Alia quæſtio valde præcedentibus affinis ex his ſuboritur: an videlicet decrementum qualitatis ſecundum intenſionem fiat ſecundum intenſionem aliquotam, vel proportionalem. Rem explico. An videlicet quælibet pars paſſi aliam ſuperãs intenſione qualitatis illam ſuperet intenſione aliquota, ita vt pars *A*, propinquior agenti intenſione aliquota vincat partem *B*, illi immediatam, & ab agenti diſtantiorem, an verò illam tantùm intenſione proportionali exſuperet. Doctores aſſerentes intenſionem tantùm creſcere, vel decreſcere per partes aliquotas ſubiecti conſequenter tenentur affirmare partem *A* aliquotam ſecundum ſe totam æquè intenſam vincere aliquotâ intenſione partem aliquotam *B* immediatam æquè intenſam ſecundum omnes ſui proportionales, quia exceſſus ille eſt in parte determinata aſſignabilis, & determinatus, & proinde aliquotus, ſicut omnis exceſſus aſſignatus inter duo aliquota, quæ poſſunt ab aliis ſecerni, aliquotus eſſe debet, non enim poſſunt dari duæ quantitates ſeparatæ quarum vna vincat alteram exceſſu proportionali, & non aliquoto. Doctores aſſerentes intenſionem decreſcere per partes proportionales ſubiecti conſequenter dicent intenſionem ſecundùm ſuam menſuram proportionaliter decreſcere. Ratio enim quæ mouet ad incrementa, vel decrementa aſſignanda per partes proportionales ſubiecti, deſumpta ex maiori, vel minori diſtantia, quæcumque illa ſit, eodem modo mouebit ad affirmandum decrementa & incrementa recipere per partes proportionales eiuſdem qualitatis, hoc eſt per proportionalem intenſionem & remiſſionem.

6 Quæſtiones hæ ſub his terminis agitatæ partium proportionalium & aliquotarum tantùm in opinione Ariſtotelica conſtituente continuum ex infinitis partibus, locum ſibi vindicare valent: ſub aliis tamen eodem modo diſputari poſſunt in opinione Zenonis in quo inquirendum eſt, an intenſio decreſcat per ſingula indiuiſibilia, vel an tria, vel an quatuor inæqualiter ab agente diſtantia æqualem intenſionem ſibi ſumant, & tria immediata minorem recipiant, deinde an indiuiſibile excedens aliud immediatum in intenſione illud excedat vnico tantum indiuiſibili qualitatis, an verò tribus quatuorve indiuiſibilibus, in his enim quæſtionibus eâdem proportione in vtraque opinione philoſophandum eſt.

Placuit claritatis gratia quæſtiones has ita diſtinctè proponere, & explicare, licet omnes coincidant in illam communiter agitatam inter recẽtiores, an videlicet agens vniformiter difformiter operetur per partes ſubiecti aliquotas, vel proportionales, ex hac enim pendet alia, An videlicet quodlibet incrementum intenſionis ſit aliquotũ, vel proportionale, & ſimiliter: An neceſſariò ſimul extendatur qualitas in parte ſubiecti aliquota. Dicã quid alij ſenſerint de quæſt. quæ reliquarum eſt caput, poſteáque mea ſententia explicata, & ex illius concluſione, & præiactis fundamentis quid in aliis ſimilibus dicendum ſit facilè inferam.

§. II.

Hurtadus, & Arriaga referuntur, & refelluntur.

HVrtadus diſput. 3. ſection. 3. ſubſect. 1. num. 14. Arriaga diſput. 2. ſect. 3. ſubſect. 1. docent agens non agere vniformiter difformiter per partes proportionales, neque per ſingula puncta, ſed per partes aliquotas: pro hac concluſione argumentum do vtrique commune. Si viuens ageret vniformiter difformiter per partes proportionales, ita ſucceſſu temporis attenuabitur materia alimenti, vt non maneat ſufficiens pro forma panis, etiamſi contineat partes diuiſibiles, quia forma ſubſtantialis requirit certam, & determinatam materiam, ergo tunc corrumpetur tota illa forma panis, & in eodem inſtanti introducetur forma viuentis, & cum illa diſpoſitiones omnes ad illam requiſitæ, quia forma panis ex defectu materiæ cõſeruari non poteſt, neque materia poteſt eſſe ſine forma, ac proinde neceſſum eſt vt in eodem inſtanti, quo corrumpitur forma panis introducatur forma viuentis, & cum hoc non poſſit eſſe ſine ſuis diſpoſitionibus neceſſum erit vt in eodem inſtanti, quo introducitur forma introducantur diſpoſitiones: ergo introducuntur ſimul in materia diuiſibili: ergo agens non agit vniformiter difformiter per ſingulas proportionales. 7

Hoc argumentum multis modis infringi poteſt. In primis teneo formas ſubſtantiales non viuentium non requirere determinatam materiam diuiſibilem ad conſeruationem, neque ad primam ſui generationem, & ſecundum hanc ſententiam augmentum procedere non poteſt. Do tamen has determinatam materiam requirere, & argumẽtum eodem modo in hos Authores contorqueo. Suppono agens agere vniformiter difformiter, non per partes minimas, neque proportionales, ſed per aliquotas: verbi gratia, per digitales, & ſimul diſponere partem quamdam digitalem alimenti, deinde aliam digitalem, vel minorem. Cur non aliquando continget, vt alimentum per partes digitales diſpoſitum non ita aliquando attenuetur, vt id quod diſpoſitum non eſt ad formã viuentis, & manet ſub forma panis ſufficiens non ſit ad conſeruandam formam panis. Rem explico. ſuppono minimum panis eſſe partem digitalem, & applicatam fuiſſe viuenti materiam panis habentem ſeptem partes digitales cum dimidia. Suppono ſimiliter viuens agere vniformiter difformiter per partes digitales. Tunc viuens primo diſponet primam partem digitalem alimenti, deinde ſecundam, &c. quouſque perueniat ad ſeptimam, & dimidia reſtans manebit abſque diſpoſitionibus viuentis, deinde ſine forma panis, quæ non poterit in illa conſeruari. Dicant modò Hurtadus & Arriaga quid tunc fiet? Porrò eodem modo premit hæc difficultas in vtraque ſententia. 8

Reſpondere poterunt agens diſponens materiam vniformiter difformiter per partes aliquotas digitales prædicto caſu ſimul diſpoſiturum partem vltimam digitalem cum extrema dimidia: partem digitalem, quia natura ſua agit hoc modo, dimidiam aliam quia in eodem inſtanti, in quo pars præcedens diſponitur manet ſine forma panis ex defectu materiæ, & ſine diſpoſitionibus illius, ac proinde in eodem neceſſum eſt illam diſponere pro formâ viuentis, ne materia detur ſine forma, quod facile fieri poteſt cum abſint diſpoſitiones contrariæ potentes reſiſtere. Sed eodem modo reſpondere poterunt aſſerentes agere vniformiter difformiter per partes proportionales ex natura ſua, & in illo caſu per accidens diſpoſiturum ſimul partem aliquotam. Hæc in ſententia quæ docet formam ſubſtantialem non viuentium requirere determinatam quantitatem; in noſtra verò, quæ id negat, argumentum ſolutione non indiget.

Arguunt ſecundò Hurtadus & Arriaga. In prima generatione viuentis forma illius introducitur ſimul in materia aliquota, & determinata: ergo agens diſponit ſimul totam illam materiam. Probant conſequentiam: ſi priùs diſponeret dimidiam partem illius, pars illa diſpoſita non poſſet recipere formam viuentis, quia hæc requirit maiorem aliam materiam, neque retinere formam ſeminis, quia hæc non poteſt ſubſiſtere cum diſpoſitionibus viuentis propriis ſeminis expellentibus. Deinde ſi dimidia pars 10

Digitized by Google

pars minimi ad formam viuentis requiſiti, priùs aliâ dimidiâ diſponitur, ſequitur formam viuentis produci in minori minimo, quia in eodem inſtanti, quo introducuntur diſpoſitiones ad formam, introducitur forma; ſed priùs introducuntur diſpoſitiones ad formam viuentis in minori minimo, quam in minimo: ergo forma producetur in minori minimo.

11 Vltimum hoc telum leue eſt: illud breuiter excutio. Nego ſequelam. Ad confirmationem Reſpondeo: forma viuentis introducitur in eodem inſtanti, in quo introducuntur diſpoſitiones illius, non in quacumque materia, ſed in materia ſufficienti illam recipere, ac proinde quando hæ ſunt introductæ in materia minori minima non introducitur forma. Deinde concedere poſſem abſolutè formam, introduci in eodem inſtanti, quo omnes illius diſpoſitiones peraguntur, quia tamen diſpoſitiones illius ſunt qualitates non tantùm ſub tanta intenſione, ſed etiam ſub tanta extenſione, implicat dari diſpoſitiones viuentis in minori minimo, cum vna ex diſpoſitionibus ſit extenſio qualitatis per totum minimum, & integra quantitas, qua minimum conſtituitur.

12 Primum argumentum fortiùs vrget, ſed Hurtadum & Arriagam aſſerentes agens agere vniformiter difformiter per partes aliquotas, in illos illud conijcio. Pono agens agere vniformiter difformiter per partes digitales, & formam viuentis introducendam requirere materiam habentem partes digitales: Tunc pars dimidia materiæ minimæ requiſitæ ad formam viuentis haberet diſpoſitiones ad hanc, & careret diſpoſitionibus requiſitis ad formam panis: ergo hanc non poſſet retinere cuius diſpoſitionibus caret, & illam ex defectu extenſionis recipere non valeret. Dicant Hurtad. & Arriag. quid tunc fieret. Et ſuum argumentum apertè diſſoluent, interim tamen pro omnibus illud placet diſſoluere.

13 Reſpondemus materiam ſeminis minorem minima requiſita ad introductionem viuentis diſpoſitum pro viuentis forma recepturam formam ſpermatis, quia forma viuentis introduci non poteſt ex defectu materiæ, ac proinde tunc forma ſeminis non expelletur forma viuentis, neque corrumpetur ex defectu diſpoſitionum, quia vt dixi Controuerſia 1. Puncto 4. forma ſubſtantialis non dependet in ſecundo inſtanti conſeruationis à ſuis diſpoſitionibus, neque illi obſunt diſpoſitiones contrariæ, niſi quatenus incōpoſſibilem formam ſecum afferunt, qua non adueniente præcedēs forma cum illis cōſeruari poterit, licet in ſtatu violēto, quia impeditur ſuas diſpoſitiones producere.

14 Hurtado iam deuicto adhuc vires reſumit Arriaga, nonnulliſque experientiis aduerſarios impetit. Deſumit primam ex ſpeciebus ſoni, videmus enim in vicina diſtantia æquè ab omnibus audiri ſonum, etſi vnus alio magis diſtet. Deinde in maiori diſtantia non æquè ab omnibus auditur, vt patet in homine ligna ſcindente, cuius prius à longè videmus ictum, quam editum ſonum audiamus: ergo ſonus intra aliquam diſtantiam exiguam æquè celeriter, & intenſè producit ſpecies ſui, in alia verò maiori tardius ſuas diffundit ſpecies, quæ diſtantiæ aliquotæ ſunt, & non proportionales: ergo agens vniformiter difformiter operatur per partes aliquotas, & non proportionales.

15 Hanc experientiam docet Arriag. non poſſe alio modo explicari, ſi tamen ab actu ad potentiam conſequentia valet planè fallitur: illam enim facilè explico. Aſſero ſpecies ſoni contrario carere, ac proinde in eodem inſtanti produci in tota ſphæra actiuitatis agentis, vnde prouenit, vt omnes, qui intra illam ſphæram continentur, eodem tempore ſonum audiant, ſicut omnia corpora, quæ ſunt intra ſphæram actiuitatis ſolis eodem inſtanti illuminantur, quod autem à longè priùs videatur ictus, quam audiatur ſonus, ideò eſt, quia color, & lux maiorem habent actiuitatis ſphæram, quam ſonus, & ideò ille qui à longè videt eſt intra ſphæram actiuitatis lucis, & coloris, non verò intra ſphæram actiuitatis ſoni; poſtea verò mouetur aër, qui eſt ſubiectum ſoni, & magis approximatur homini qui ictum viderat, quā approximatione conſtituitur homo intra ſphæram actiuitatis ſoni, & illum per receptionem ſpecierum valet ſentire.

16 Hæc eſt ratio experientiæ adductæ, quæ ſententiam Arriagæ nullo modo poteſt probare, quia ſonus eodem tēpore percipitur per maximum loci ſpatiū, ſæpè enim per vnius milliaris circuitum eodem tempore ab omnibus auditur, & breuiſſimum eſt ſpatium, quo ſucceſſiuè percipitur, & ſæpè nullum, quod ſignum euidens eſt in inſtanti diffundi ſpecies illius per totam ſphæram, in qua ſub vna eademque indiuiſibili approximatione poteſt produci.

Secundam experientiam deſumit Arriag. ex luce ſolis, 17
quæ ſi contineret decreſceret iuxta maiorem à Sole diſtantiam, dum ad nos accedit, prope infinitum decreuiſſet, quia ſunt propè infinita puncta inter nos, & ſolem, cum tamen illam videamus ad nos cum notabili intenſione peruenire, non dicendum eſt ita continuo decreuiſſe. Reſpondeo per tot indiuiſibilia lucem ſolis ad nos peruenientem decreuiſſe, quot ſunt puncta inter nos, & ſolem, cuius oppoſitum Arriag. non conuincit.

§. III.

Duorum recentiorum expenduntur placita.

PRo ſententia diminuente intenſionem per partes pro- 18
portionales à poſteriori à nonnullis argumentum deſumitur: ſi intenſio decreſceret per partes proportionales ſequitur dari proportionalem extra aliquotam, quod admitti nequit, quia de ratione proportionalis eſt, cum aliis aliquotam componere, & in illa includi. Probant ſequelam: ſi pars proportionalis eſt intenſa vt octo, & alia immediata vt ſeptem, aliaque vt ſex, &c. intenſio vt octo eſt in parte proportionali tantùm, & non in aliquota: ergo datur proportionalis intēſa vt octo, ſeparata ab omni alia, ſeu intenſio vt octo partis proportionalis cum nulla alia vnita ſecundum illam rationem extenſionis; quia nulla alia eſt intenſa vt octo. Sic arguitur de parte proportionali intenſa vt ſeptem, quæ ſecundum illam intenſionem cum nulla alia poteſt continuari: non cum ſubſequenti, quæ tantùm eſt intenſa vt ſex, non cum præcedenti, quæ eſt intenſa vt octo, ac proinde cum nulla, quia nulla eſt eiuſdem intenſionis cum ipſa.

Nouus neſcio quis argumentum eſt meditatus, cui vi- 19
ſum fuit efficax in prima parte proportionali non verò in ſequentibus quapropter rem ita compoſuit. In prima parte ſubiecti producitur pars qualitatis æquè intēſa per partem aliquotam extenſionis, ne detur proportionalis extra aliquotam; in aliis verò decreſcit qualitas per partes proportionales, quia primâ parte aliquota intenſâ vt octo, proportionalis immediata intenſa vt ſeptem vnitur cum prædicta antecedenti, ſeptimus enim gradus caloris exiſtentis in parte tantùm intenſa vt ſeptem vnitur cum ſeptimo exiſtenti in parte præcedenti intenſa vt octo.

In hunc recentem inſurgit alius doctrina nobilis, & cla- 20
rus ingenio, illúmque inſignis inconſequentiæ damnat; & præcedens argumentum magnificat, ſed quod iure recentem inconſequentia deferat, & qua ratione tanti argumentum efferat clarè explicabo. Sic arguit: ſi immediatè poſt primam aliquotam qualitas proportionalis decreſcit, ſequitur partem proportionalem intenſam vt ſeptem immediatam aliquotæ intenſæ vt octo eſſe extra omnem aliquotam; patet conſequentia: proportionalis intenſa vt ſeptem eſt extra ſubſequentem intenſam vt ſex, & extra antecedentem intenſam vt octo: prima pars admittenda eſt in doctrina illius recentis. Secunda probatur: pars intenſâ vt ſeptem adæquatè diſtinguitur ab antecedenti intenſâ vt octo: ergo eſt extra illam. Facilis eſt ſolutio, ſi dicas partem intenſam vt ſeptem eſſe extra intenſam vt octo, non tamen eſſe extra omnem aliquotam, ſed intra partem aliâ aliquotam compoſitam ex ipſa, & ex parte aliquotâ antecedenti.

Non latuit hæc ſolutio acutum recentem, contra quam 21
ſic arguit. Pars proportionalis non poteſt cum aliquota, proportionalem componere, quia id quod reſultat ex determinato, & indeterminato eſt indeterminatum: ergo non poteſt eſſe pars aliquota, quæ intrinſecè determinationem dicit. Deinde quia aliquota eſt vtrinque terminis finita, & determinata; ergo ſi illi vniretur pars indeterminata; indeterminata maneret, & non aliquota. Tertiò quia fieri nequit adhuc de potentia abſoluta, vt parti determinatæ fiat additio indeterminata, cum enim hæc ſola produceretur iam ex parte actionis & ex parte termini aliquod daretur indeterminatum.

Quantis peccat diſcurſus? à prima ratione validiſſimæ in- 22
cipiant impugnationes. Aſſerit non poſſe ex proportionali, & aliquotâ partem aliquotam componi. Rogo hunc recentem, an aliqua pars proportionalis detur in continuo necne? ſi neget, deſtruit ſuppoſitum quæſtionis: ſi affirmat: ergo pars proportionalis eſt in aliquota, quod ipſe propugnat

ergo

Digitized by Google

ergo aliquota componitur ex proportionali, & aliis compartibus; ergo rectè poteſt proportionalis aliquotam componere. Dices porportionalem poſſe aliquotam componere ſimul cum aliis proportionalibus, non verò cum aliquota. Egregiè ſanè! Arguis ex determinato, & indeterminato non poteſt determinatum conſurgere, & dices ex duobus indeterminatis poſſe determinatum coaleſcere. Deinde ſume tibi quamlibet partem aliquotam, & mente ab illa proportionalem deme, id quod remanet aliquotum eſt, quod cum proportionali demptâ partem aliquotam componebat: ergo ex porportionali, & aliquotâ aliquota componitur. Res eſt luce clarior.

23 Venio ad ſecundam partem, qua docet partem aliquotam manſuram indeterminatam, ſi illi addatur aliquid indeterminatum, cui facilè ex dictis ſuprà reſpondeo. Sicut enim ex determinato, & indeterminato determinatum componitur, ſic indeterminatum determinato adiunctum, ſimul cum illo fit quoddam determinatum, ac proinde pars indeterminat determinatæ vnita ſimul cum illa determinata fieret habens vltimum terminum, quo tota pars compoſita clauderetur, quod neceſſariò accidit in quacumque extenſione, quæ non incipit à parte aliquota, ſed à parte proportionali, in qualibet enim aliquota dantur plures proportionales ſpatium ſucceſſiuè occupantes: ergo antequam à primo puncto extenſionis perueniamus ad percurrendum aliquotam, debemus porportionalem pertranſire: ergo in continuo priùs eſt pars porportionalis, quam aliquota, ſi ab illius initiatiuo incipiam, ergo in quacumque aliquota, verſus terminum eſt vnita proportionalis aliquotæ, cum qua aliam aliquotam ſeu totum conſtituit.

24 Haud fortius eſt tertium fundamentum: aſſerit non poſſe fieri adhuc de potentia Dei abſoluta, vt proportionalis produceretur ſola, daretur iam aliquid indeterminatum ex parte termini, & ex parte actionis. Reſpondi iam hanc partem produci vnitam anteriori, qua vnione determinatam conſtituit: ſed inſto: pars proportionalis datur & producitur: ergo per actionem proportionalem: ergo eodem modo poteſt inferri dari aliquid indeterminatum ex parte actionis, & ex parte termini. Dices porportionalem produci ſimul cum aliquota. Bellè ſanè, ſed cur non dicet propugnator huius modi philoſophandi partem proportionalem intenſam vt ſeptem produci cum anteriori aliquota intenſa vt octo, cum qua aliquotam conſtituit, & ita non produci ſolam? Secundo, Reſpondeo partem illam proportionalem productam illiuſque actionem vniri parti aliquotæ termini, & actionis immediatè præcedenti, ac proinde nunquam dari partem proportienalem actionis, ſeu terminis ſeparatam à parte aliquota.

25 En hunc dicendi modum ſolutum omnibus obiectionibus, quibus impugnabatur, quem ego ex illo capite longè diuerſo reiicio. Eadem eſt ratio deſumpta à priori vt agés agat vniformiter difformiter per partes proportionales in prima parte aliquota ſubiecti, ac in reliquis, & ex alio capite non ſequitur proportionalem eſſe extra aliquoram ex eo, quod in prima aliquota agat vniformiter difformiter per eius porportionales: ergo eodem modo aget in omnibus partibus. Prima pars antecedentis patet, quia ratio agendi vniformitér difformiter per proportionales in partibus diſtantibus eſt maior approximatio, quam habet vna proportionalis reſpectu alius, ſed in priori aliquota vna proportionalis eſt approximatior alia proportionali: ergo eadem eſt ratio agendi vniformiter difformiter in priori aliquota, ac in aliis.

26 Secunda pars antecedentis videlicet non ſequi proportionalem eſſe extra aliquotam, ex hoc agendi modo indiget probatione, quam vt præſtem pono partem intenſam vt octo poſſe vniri ſecundum omnem intenſionem parti intenſæ vt ſeptem eiuſdem qualitatis exiſtenti in parte immediata ſubiecti, quod facilè ex mea ſententia non cōſtituente ſubordinationem graduum probare potero. Quicumque gradus quem tu octauum appellas qualitatis intenſæ vt octo eſt eiuſdem rationis cum alio quocumque gradu extenſionis vt ſeptem exiſtentis in parte immediata ſubiecti: ergo omnes octo gradus poterunt vniri cum omnibus ſepem immediatè ſubſequentibus, Dices poſſe vniri omnes diuiſiuè ſumptos non tamen collectiuè, quia vnitis ſeptem gradibus partis intenſæ vt octo cum aliis ſeptem partis intenſæ vt ſeptem, iam octauus, qui remanet in priori parte non inuenit alium in ſequenti cum quo vniatur. Sanè caſtiſſimum connubium meditaris hanc graduum vnionem, cum dicis non poſſe duplicem gradum intenſionis vt octo vniri gradui intenſionis vt ſeptem, ſed profectò falleris, nulla eſt enim ratio propterquam quilibet gradus huius intenſionis, non poſſit vniri cum pluribus intenſionis ſubſequentis, ſicut in intenſione vnus gradus non ſolum poteſt vniri alij exiſtenti in eodem ſubiecto, ſed omnibus aliis, quibus ſubiectum eſt commune, de facto contingere, quam plurimi autumant. Omitto commune refugium partium infinitarum proportionalium, quas ſe mutuò poſſe correſpondere ſingulas ſingulis in quocumque compoſito etiamſi vnum alterum in aliquotis excedat communiter affirmant Ariſtotelici, quia vnum infinitum aliud excedere non poteſt.

Hoc fundamento poſito ſic arguo iuxta dicendi modum, de quo nuper agebam. Poteſt conſtitui pars aliquota conſtans ex vna proportionali vt octo, alia vt ſeptem, alia vt ſex &c. ergo poteſt aliquota componi ex proportionalibus omnibus inæqualiter intenſis: vrgeo & confirmo conſequens illatum iuxta prædictum modum: in paſſo vnius vlnæ, verbi gratia, tantum producitur calor æquè intenſus in primo palmo, poſtea verò decreſcit qualitas per omnes proportionales: aſſigno ergo palmum ſecundum: extenſio qualitatis per illum diffuſa partem aliquotam conſtituit, & eſt inæqualiter intenſa per omnes proportionales: ergo datur pars aliquota per omnes propotionales inæqualiter intenſa: ergo ſicut hoc contingit in ſecundo palmo poteſt etiam in priori contingere, quin detur in aliquo illorum pars proportionalis extra aliquotam. Conſulto dixi, aſſigno ſecundum pulmum, non diuido, quia ſi illum diuiderem diceres iuxta doctrinam ſuprà traditam primam partem illius palmi ſcilicet digitalem fore æqualiter intenſam ſecundum omnes proportionales: ideo tantum illum mente ab alio præſcindo in quo præciſo ſine vllo reſpectu ad palmum præcedentem non inuenio proportionalem extra aliquotam, etiamſi nihil illius ſit æquè intenſum. 27

Concludo ex dictis non fore proportionalem extra aliquotam, etiamſi agens agat vniformiter difformiter per partes proportionales, in prima parte aliquota, & in ſubſequentibus, quia intenſio vt octo, etiamſi tantùm reperiatur in parte proportionali, vnitur intenſioni vt ſeptem, & intenſioni vt ſex, & aliis immediatè ſubſequentibus, cum quibus aliquotam conſtituit intra quam continetur. Ad argumentum in forma reſpondeo, diſtinguendo conſequens; ergo pars proportionalis eſt extra aliquotam æqualiter intenſam ſecundùm omnes proportionales in ipſa contentas, concedo conſequentiam: eſt extra aliquotam inæqualiter intenſam ſecundùm proportionales, quas continet, nego conſequentiam. 28

Obiicies: intenſio vt octo tantùm reperitur in vnica parte proportionali: ergo pars proportionalis intenſa vt octo poterit aſſignari, & erit determinata, quod eſt contra rationem partis proportionalis. Reſpondeo nullam partem poſſe aſſignari adæquatè intenſam vt octo, neque poſſe dici intenſio vt octo informat hanc partem adæquatè, quia cum quælibet pars proportionalis includat in ſe alias infinitas, quarum vna habet intenſiorem calorem, alia non poteſt eſſe æquè intenſa ſecundùm omnes, quas in ſe continet, ac proinde non poteſt eſſe adæquatè calida vt octo. Secundò pars calida vt octo tantùm poterat eſſe illa, quæ eſt immediata agonti, ſed nulla poteſt eſſe adæquatè agenti immediata, quia cum habeat prius, & poſterius, inter poſterius, & agens mediat prius: ergo nulla poteſt eſſe adæquatè intenſa vt octo. 29

Rem totam cape in approximatione vnius corporis ad aliud. Pone tibi lignum applicatum. Hæc approximatio ligni decreſcit per partes proportionales, quin vna proportionalis ſit extra aliquotam, ſed in aliquota, cuius omnes proportionales in ipſa incluſæ inæqualiter à te diſtant: ergo eodem modo intenſio poterit decreſcere per partes proportionales, quin reperiatur proportionalis extra aliquotam, ſed intra aliquotam quarum omnes proportionales inæqualem intenſionem recipiant. Approximationem ligni decreſcere per partes proportionales euidens eſt, quia cum omnes partes proportionales ligni ſucceſſiuè ſpatium occupant, vna prior alia, poſterior diſtat per totum ſpatium, per quod diſtat prior, & inſuper per ſpatium proportionale quod prior occupat. 30

Dices, maiorem, & minorem approximationem, & 31

diſtantiam

Digitized by Google

diſtantiam in ligno eſſe eiuſdem omnino rationis ; ſunt enim partes præſentiæ omnino æquales quin intrinſecè vna excedat aliam. Intenſio autem maior, & minor inter ſe differunt, & intenſio maior minorem ſuperat in gradu ſibi intrinſeco. Video rationem diſparem, nihilominus rem explicat, & probat exemplum à me adductum. Sicut enim in maiori applicatione concipimus exceſſum aliquem, quem in minori non reperimus, & hunc decreſcentem percipimus per ſingulas partes proportionales, quin apprehendamus proportionalem extra aliquotam, rectè infertur non argui ex accretione, & diminutione per ſingulas proportionales fore aliquam extra omnem aliquotam. Deinde ſicut accretio, & decretio extrinſeca maioris, & minoris approximationis contingit in præſentiis, quin reperiatur pars proportionalis huius extrinſecæ accretionis extra aliquotam eiuſdem : ſic poterit contingere accretio, & decretio intrinſeca in qualitate per ſingulas proportionales, quin aliqua huius intrinſecæ accretionis extra omnem aliquotam eiuſdem reperiatur.

32 Inquires, caſu, quo vniatur intenſio vt octo partis proportionalis *A*, cum intenſione vt ſeptem proportionalis *B*, an indiuiſibile intermedium ſit habiturum intenſionem vt octo, vel vt ſeptem. Reſpondeo vtrumque poſſe facile defendi, quia cum aliquis gradus partis intenſæ vt ſeptem ſit vniendus duobus gradibus intenſionis vt octo, poterit vniri diſtinctis indiuiſibibus vnitiuis, & tunc tot erunt indiuiſibilia vnitiua in indiuiſibili intermedio, quot ſunt gradus in parte intenſa vt octo. Poterit inſuper illis vniri per idem omnino indiuiſibile vnitiuum terminatum ad duos gradus partis intenſæ vt octo, & ad vnum partis intenſæ vt ſeptem, & tunc indiuiſibile tantum erit intenſum, vt ſeptem, quia non habebit plura indiuiſibilia intenſionis, quàm ſunt gradus in parte intenſa vt ſeptem.

33 Ne mireris me dixiſſe reperiri poſſe plura indiuiſibilia vnitiua intenſionis in indiuiſibili quantitatis, quam ſunt gradus in altero extremo, addo non repugnare ex ratione modi vtrumque extremum eſſe tantùm intenſum vt quatuor, & indiuiſibile intermedium eſſe intenſum vt ſex, vel vt octo per additionem vnius vnitiui ad aliud, quia poſſunt gradus extremorum vniri inter ſe non tantùm vnione terminata vnius gradus ad alium, ſed pluribus vnionibus eiuſdẽ indiuiſibilis gradus exiſtentis in hoc extremo terminatis ad plures gradus exiſtentes in altero. Rem probo, & explico. Pono hanc partem quantitatis habere quatuor gradus caloris *A*, *B*, *C*, *D*: & aliam quatuor alios, *A*, *B* *C*, *D*. Poterit gradus *A* vniri gradui *A* per indiuiſibile receptum in puncto quantitatis, & gradus *B* vniri gradui *B* per aliud vnitiuum, & ſic gradus *C*, & gradus *D* quibus vnionibus factis vtrumque extremum, & indiuiſibile intermedium æqualem habebunt intenſionem. Poſtea verò ſine accretione intenſionis partium poterit gradus *A* huius extremi vniri gradui *D* alterius extremi per aliud indiuiſibile vnitiuum ſubiectatum in indiuiſibili intermedio quantitatis, quâ vnione indiuiſibile quantitatis erit intenſum vt quinque, & extrema tantum vt quatuor. Deinde idem gradus *A* poterit vniri per aliud indiuiſibile qualitatis ſubiectatum in eodem indiuiſibili quantitatis gradui *C*, & iam indiuiſibile quantitatis erit intenſum vt ſex, & ſic rurſus per aliud indiuiſibile poterit vniri gradui *C*, & per aliud gradui *D*, quibus creſcit intenſio indiuiſibilis quantitatis non creſcente extremorum intenſione. Idem dicito de gradibus *B*, *C*, *D*, reſpectu aliorum quorum vnione poterit indiuiſibile quantitatis longè intenſione vincere extremorum qualitatem.

34 Dixi non repugnare ex ratione modi, ac proinde affirmo ſaltem ſupernaturaliter poſſe contingere, & tamen naturaliter accidere inficior, quia illa intenſio maior in indiuiſibili, quàm in vtroque extremo à nullo agente produci valet ; non ab altero extremo ; quia nullum agens producit qualitatem intenſiorem, quàm in ſe habent, non ab agente extrinſeco ; quia hoc producit vniformiter difformiter ſecundùm maiorem, vel minorem applicationem, & dari nequit agens diuiſibile, quod ſecundùm aliquod diuiſibile ſui ſit magis applicatum indiuiſibili paſſi, quam alteri eiuſdem extremo : ergo tantam intenſionem producet in extremo, quàm in indiuiſibili vnitiuo illius. Deinde do eſſe magis applicatum indiuiſibili, quàm cuilibet extremo ; hic exceſſus applicationis tantùm eſt indiuiſibilis, ac proinde ad productionem vnius tantùm indiuiſibilis qualitatis conducere poſſet.

35 Vltimò aduerto me in hac re locutum fuiſſe cum Ariſtotelicis, qui partes proportionales appellant indeterminatas, quia continui compoſitionem iuxta illorum modum loquendi ſuppono, quem in quacumque opinione falſum iudico, quia in rerum natura nihil eſt indeterminatum, neque vagum, ſeu quod determinatum non ſit, ſed tantùm pars proportionalis dicitur indeterminata, non quia quæcumque in indiuiduo determinata non ſit, ſed quia ex conceptu partis porportionalis vt ſic, non ſignificatur determinata quantitas, ſicut ſignificatur in palmo, vel vlna, quia ablata portione aliqua ab hac proportionali quæ remanet eodem modo dicitur proportionalis pars, ablata autem quacumque portiuncula ab hoc palmo, id quod remanet palmus non eſt.

§. IV.

Duo alia argumenta expenduntur.

36 Alia mihi ſuborta fuit cogitatio, quia non leuiter propendebam ad affirmandum, agens agere per partes proportionales vniformiter difformiter. Sic illam explico : Argumentúmque ad hanc concluſionem probandam expendo. Agens producit tantam intenſionem ſub hac tantùm indiuiſibili approximatione: ergo agit vniformiter difformiter per partes proportionales : tenet efficaciſſimè conſequentia, quia ſi ageret vniformiter difformiter per partes aliquotas eamdem intenſionem produceret intra diuiſibilem approximationem maiorem, vel minorem quæ reperiretur in partibus contentis inter aliquotas inæqualiter diſtantibus. Antecedens probo. Agens calidum vt quatuor tantùm producit calorem vt quatuor in paſſo æquè denſo, vel raro, omitto modo opinionem aſſerentem agens præ nimia denſitate poſſe producere in paſſo raro non penetrato tantum quantum in ſe habet, quando eſt indiuiſibiliter penetratum cum illo, ſed penetratio dicit hanc indiuiſibilem approximationem : ergo calidum vt quatuor tantùm producit calorem vt quatuor ſub indiuiſibili approximatione. Maiorem omnes admittunt : Minor per ſe patet, quia ſi duobus corporibus penetratis vnum per minimum indiuiſibile moueatur altero immoto, omnes partes, & indiuiſibilia illius amittent approximationem, quam antea habebant : Agens verò non producere, niſi ſub hac indiuiſibili approximatione tantam intenſionem, ſuadetur facile, quia ablata penetratione maior approximatio, quæ poteſt eſſe, eſt immediata. Agens verò non producere tantam intenſionem quantam in ſe habet in paſſo immediato per ſe patet, aliàs in infinitum protenderetur lux producta à luminoſo, quia tantam produceret intenſionem quantam in ſe habet in parte immediata, & hæc in alia, &c.

37 Rem accipe : Calidum vt quatuor tantum producit calorem vt quatuor ſub hac indiuiſibili approximatione, nempe ſub penetratione, quæ eſt omnium maxima : ergo tantum producit calorem vt tria ſub alia indiuiſibili approximatione, idem dico de calore vt duo ; ergo non agit vniformiter difformiter per partes aliquotas, quia ſi per has ita ageret ſub diuiſibili approximatione, quæ magis, & minus reciperet, eamdem indiuiſibilem intenſionem produceret.

38 Vt primum hæc cogitatio mentem occupauit, maximopere arriſit, ſed re attentè inſpectâ non premor argumento. Reſpondeo principium efficiens vniformiter difformiter per partes aliquotas producere tantam intenſionem ſub diuiſibili approximatione reſpectu aliquarum partium contentarum in parte aliquota, non verò totius partis aliquotæ in qua producit æqualem intenſionem ; exempli gratia : Hoc agens calidum producit quatuor gradus caloris in primo palmo immediato, ſi palmus immediatus habeat minorem aliquam approximationem, quam habet quando eſt immediatus quantumuis illa minima ſit, iam agens non produceret calorem vt quatuor in toto illo palmo, quia ſi palmus ſeparatur ab agente per partem aliquam quantumuis exiguam, iam totus ille non remanet intra ſphæram, in qua agens producit æqualem intenſionem, quia tanta pars palmi, quantus fuit motus, vel quanta fuit diſtantia per quam motus fuit factus conſtituitur extra diſtantiam palmarem, in qua agens producit calorem æquè intenſum : ergo agens non producit calorem æquè intenſum, quantumuis agat vniformiter difformiter per partes

aliquotas

Digitized by Google

aliquoras in parte aliquota adæquata ſub approximatione, recipiente magis , & minus, ſed ſub hac indiuiſibili in tota parte adæquatè ſumpta , & ſub diuiſibili in aliquibus partibus illius. Hoc quidem continget in paſſo penetrato quod ſi ſit palmare , & penetretur cum agente palmari, in totum illud aget quantum in ſe habet, ſi verò penetrationem amittat per partem aliquam valde exiguam , agens produceret quantum in ſe habet in parribus penetratis, non verò in illa , quæ per amiſſionem penetrationis conſtituta eſt extra ſphæram diuiſibilem in qua calidum vt quatuor calorem vt quatuor producit.

39 Ad illud, quod additur penetrationem conſiſtere in indiuiſibili , Reſpondeo hanc numero penetrationem , & penetratione adæquatam huius palmi cum illo indiuiſibili conſiſtere : non verò penetrationem inadæquatam palmi ad palmum , quia præſentiis reſpicientibus diuerſa ſparia poſſunt partes huius palmi penetrari cum his , vel illis partibus alius palmi exiſtentis ſemper in eodem ſpatio.

40 Poſſes inſtare, indiuiſibile quanritatis (demus hoc mente præciſum à reliquis , vel re iuxta Zenonis ſententiam) calidum vt quatuor tantùm producet calorem vt quatuor in indiuiſibili penetrato & non immediato : ergo tale indiuiſibile non producet eamdem intenſionem per ſpatium diuiſibile : ergo non agit vniformiter difformiter per ſpatium aliquotum. Reſpondeo indiuiſibile preciſum à partibus adhuc penetratum cum paſſo forſan non producturum quantum in ſe habet ratione paruitatis materiæ , dato tamen totam ſuam intenſionem in paſſo penetrato, & non in immediato producere ; tantùm infertur agens indiuiſibile non agere vniformiter difformiter per partes aliquotas, quia cum indiuiſibile ſit indiuiſibilem habet ſphæram ad tanram intenſionem , non verò agens diuiſibile , quod ſphæram poreſt habere diuiſibilem ad eandem intenſionem , iuxta illius diuiſibilem naturam. Hæc ſententia Zenonis ſi iuxta illam indiuiſibile poteſt realiter ſepárari ab aliis. In ſententia verò Ariſtotelis quantumuis indiuiſibile mente præſcindatur, realiter eſt coniunctum cum partibus, à quibus indiuiſibiliter procedit actio ab indiuiſibili ſimul proueniens.

41 Aliud occurrit difficile argumentum à poſteriori deſumptum in ſententia Ariſtot. contra modum agendi vniformitet difformiter per partes aliquotas. Do illud: ſequitur ex hoc modo agendi extenſionem non poſſe fieri ſucceſſiuè , adhuc per minimam partem porportionale temporis, quia in qualibet harum ſunt infinitæ porportionales: ergo ſi in qualibet porportionali temporis extenditur ſucceſſiuè qualitas , extendirur per infinitas aliquotas. Probo conſequentiam. Si agens agit vniformiter difformiter per partes aliquotas quotieſcumque qualitas adquirit intenſionem , illam adquirit in parre aliquota ſubiecti , quia ſimul neceſſariò producenda eſt tora extenſio qualiratis in parte ſubiecti , quæ æqualem reſpicit intenſionem : ergo ſi per infiniras partes adquirit qualitas in qualibet nouam extenſionem , adquiret infinitas extenſiones aliquotas: ergo qualitas erit infinitè ſimpliciter extenſa, ſi illius extenſio ſit ſucceſſiuè, & continuè in minima parte proportionali temporis.

42 Totam illationem huius argumenti legitimam eſſe exiſtimo , illam tamen concedere nullum eſſe inconueniens nonnullus exiſtimabit ; ſed ex illa poſſe arguere ; Extenſio non poteſt produci ſucceſſiuè , ergo non poterit produci continuè , ſeu in menſura continua : ergo non poteſt produci in parte temporis , quod non concedes: Probo conſequentiam. Productio facta in parte temporis eſt eſſentialiter ſucceſſiua , quia pars temporis eſſentialiter habet prius , & poſterius , & eſt eſſentialiter continua , quia eſſentialiter dicit vniones partium , aliàs non eſſet pars diuiſibilis, ſed purum indiuiſibile , ſeu eorum aggregatio: ergo productio facta in tempore eſt continua, & ſucceſſiua, ſed extenſio non poteſt produci continuè & ſucceſſiuè : ergo non poteſt fieri in tempore. Reſpondeo productionem factam in tempore eſſentialiter eſſe ſucceſſiuam extrinſecè , & ratione menſuræ , in qua fit, hoc eſt, fieri in menſura ſucceſſiua non tamen includere ſucceſſionem intrinſecam , hoc eſt fieri vnam partem priorem alia , quia ſicut actio indiuiſibilis terminum indiuiſibilem reſpiciens, v. g. productio Angeli fieri poteſt in tempore diuiſibili habente prius, & poſterius , & tamen ipſa fiet tota ſimul , ſic actio diuiſibilis poteſt ex parte ſui fieri ſine ordine prioris , & poſterioris, tota ſimul in mẽſura habẽte prius, & poſterius.

§. V.

Difficultatis definitio.

Dico primò qualitatem in primo inſtanti , quo ſubie- 43
ctum incipit illam recipere neceſſariò extendi per partem aliquotam ſubiecti , & intendi per intenſionem aliquotam in qualibet parte proportionali ſubiecti. Hæc concluſio non poteſt inter Ariſtotelicos dubitari , quia ſi in illo inſtanti extenderetur per partem porportionalem ſubiecti, vel intenderetur intenſione porportionali in aliqua parte , daretur illo inſtanti intenſio , vel extenſio proportionalis qualitatis ſeparata ac aliquota , quia in illo inſtanti nulla datur qualitas præter illam , quæ in ipſo producitur : ergo ſi illa eſt tantum proportionalis abſque aliquota remanebit.

Poſſes obiicere nos dixiſſe intenſionem vt octo vnius 44
partis proportionalis ſubiecti poſſe vniri cum intenſione vt ſeptem alius proportionalis , & ſic cum aliis partem aliquotam componere : ergo etiamſi daretur pars aliquota ſubiecti , quarum proportionales tantùm haberent proportionalem intenſionem , poſſent hæ proportionales intenſionem aliquotam componere. Reſpondeo negando conſequentiam , vel diſtinguendo conſequens. Poſſent aliquotam extenſionem cum proportionali intenſione componere, concedo conſequentiam , Poſſent aliquam intenſionem aliquotam componere , nego conſequentiam. Ratio eſt facilis. Ex duabus intenſionibus exiſtentibus in diuerſis partibus ſubiecti non fit vna maior intenſio , hæc enim reſpicit indiuiſibiliter ſubiectum omnino idem ; Nos verò cùm diximus intenſionem vt octo exiſtentem in parte proportionali ſubiecti cum intenſione vt ſeptem vniri exiſtenti in parte immediata , & ſic cum aliis ad aliquotam componendam, locuti ſumus de aliquota extenſionis, quæ fit partibus exiſtentibus in diuerſis partibus ſubiecti, non verò de aliquota intenſionis , quia in menſura intenſiua qualitas vt octo in quacumque proportionali ſubiecti, vel indiuiſibili conſtituatur , eſt aliquota, & non proportionalis.

Dico ſecundò : in menſura durarionis ſiuè diuiſibili 45
ſiuè indiuiſibili , poteſt qualitas extendi per partem aliquoram , & aliquotè intendi ſecundùm illam partem ſubiecti , quæ in prima menſura qualitatem receperat. Prior pars concluſionis probanda eſt ex virtute agentis , quæ qualitate contraria deuicta , & in primo inſtanti corrupta, non eſt cur ad partem proportionalem ſubiecti denuo calefaciendam adſtringatur , quin ſuam actionem poſſit ad nouam aliquotam protendere , cum oppoſitum ſuadeat maxima aliquorum agentium celeritas , quæ ſingulis inſtantibus terminos qualiratis productæ extendunt , & breuiſſimo tempore per longum ſpatium percurrunt. Eadem ratio poſteriorem partem concluſionis ſuadet quam efficacius probabo concluſione ſexta. Ex his duabus concluſionibus non infertur iuxta ſuperdicta §. 1. agens agere vniformiter difformiter per partes aliquotas , neque per proportionales. Pergo vlterius.

Dico tertiò. Agens agere vniformiter difformiter per 46
partes proportionales. Hæc concluſio probanda eſt partim ratione negatiua , partim poſitiua : ratione negatiua probatur ex ſolutione argumentum , quibus intenditur probare agẽs agere vniformiter difformiter per partes aliquotas, quæ omnia propoſui , & ſolui. Hoc præiacto fundamento , ratio à priori poſitiua maiorem vim habet ad probandum agens agere vniformiter difformiter per partes proportionales. Illam expendo inter quaſcumque proportionales ſucceſſiuè locum occupantes eſt maior & minor diſtantia ab agente : ergo erit maior , vel minor intenſio effectus ab illo in ipſis producti. Probo conſequentiam : ideo agens magis agit in hanc aliquotam , quàm in illam , quia eſt illi propinquior , ſed ſimiliter quæcumque proportionalis eſt propinquior agenti, alia ſibi immediata, inter quam , & agens ipſa interiacet: ergo magis agit in ipſam , quàm in aliam.

Dices partem aliquotam habere maiorem approxima- 47
tionem aliquotam, quæ conducit ad intenſionem effectus; partem verò proportionalem non habere maiorem approximationem aliquotam , ſed proportionalem reſpectu partis proportionalis ſubiecti immediatè , quæ maior approximatio non conducit ad effectus intenſionem. Contra ſic argumentor ; Maior appoximatio aliquota deſeruit ad maiorem

Digitized by Google

maiorem intenſionem aliquotam: ergo maior approximatio proportionalis deſeruiet ad maiorem intenſionem proportionalem, eadem enim eſt à priori vtriuſque approximationis ratio, cum proportione maioris approximationis aliquotæ ad maiorem intenſionem aliquotam, & maioris approximationis proportionalis ad maiorem intenſionem proportionalem.

49 Dices hanc eſſe naturam agentium vt actione decreſcant, poſita maiori diſtantia aliquota, & non poſita maiori diſtantia proportionali. Contra tamen, quia ſine fundamento ad aſylum naturæ agentium recurris, cùm à poſteriori tibi non innoteſcat, quia vt dixi nullum eſt argumentum poſitiuum à poſteriori ſumptum, quod hanc concluſionem probet. Deinde ratio à priori oppoſitam ſuadet: ergo huic ſtandum eſt: & non illam obiicere poſſumus recurrentes ad naturam agentium, quam ex nullo capite talem eſſe coniectari valemus.

50 Eandem rationem à priori expendo, & vrgeo, & probo agens non poſſe agere vniformiter difformiter per partes aliquotas, verbi gratia, per palmos. Sicut ſe habet in approximatione, ſeu diſtantia primus digitus ſecundi palmi ad vltimum digitum primi palmi, ſic ſe habet vltimus digitus primi palmi ad penultimum digitum eiuſdem primi palmi: ſed primus digitus ſecundi palmi minorem calorem recipit, quàm vltimus digitus ſecundi palmi: ergo vltimus digitus primi palmi minorem calorem recipiet, quàm penultimus eiuſdem palmi. Maior per ſe patet, quia ſicut primus digitus ſecundi palmi diſtat ab agenti per vnicum digitum magis, quàm vltimus primi palmi, ſic idem vltimus diſtat ab eodem per alium digitum, magis, quàm penultimus eiuſdem palmi. Minor negari nequit, quia cùm agens agit vniformiter difformiter per palmos in ſecundo palmo decreſcit actio: ergo primus digitus ſecundi palmi minorem intenſionem habet, quàm vltimus primi. Conſequentia à paritate rationis deſumpta à priori efficax eſt.

51 Dicendum eſt quartò, intenſionem ſecundùm ſe decreſcere proportionaliter, hoc eſt, intenſiones duarum partium proportionalium immediatarum, proportionaliter ſe excedere, & non aliquotè. Hæc concluſio infertur neceſſariò ex præcedenti, iuxta dicta §. 1. quam rurſus probo. Si quælibet pars proportionalis ſubiecti excederet aliam proportionalem intenſione aliquota, daretur qualitas infinitè intenſa ſecundùm partes aliquotas in quocumque ſubiecto ab agente extrinſeco qualitatem recipiente. Conſequens eſt falſum: ergo antecedens. Conſequentiam probo: exceſſus fit ſecundùm infinitas partes proportionales: ergo creſcit exceſſus ſecundùm infinitas partes, ſi incipiamus illas percenſere à quacumque parte aliquota diſtanti ab agente verſùs illud: ergo ſi creſceret ſecundùm intenſionem aliquotam, in qualibet parte creſceret ſecundùm infinitas intenſiones aliquotas: ergo creſceret ſecundùm intenſionem ſimpliciter infinitam.

52 Dico quintò: Aliquando augmentum extenſionis qualitatis fieri poterit ſecundùm partem proportionalem. Hæc concluſio conſtat ex dictis §. 4. vbi probaui poſſe addi aliquotæ parti partem aliam proportionalem, non addita aliquota; & ita de facto contingere in fine actionis probabilius iudico, in quo antequam actio penitus ſubtrahatur, ita langueſcet, vt ad proportionalem extenſionem tantùm ſe valeat explicare; trahor etiam ad hanc concluſionem, vt concedere poſſim alterationem continuè, & ſucceſſiuè poſſe extendi per aliquam temporis menſuram.

53 Dico ſextò: Quotieſcumque qualitas denuò extenditur ad quamcumque partem ſubiecti, ſiue proportionalem, ſiue aliquotam, producenda eſt aliquota intenſio in parte ſubiecti omninò nudi qualitate producendâ, in qua facta eſt noua extenſio, & in omnibus aliis agenti propinquioribus. Prior pars concluſionis probanda eſt eadem ratione, qua primam concluſionem probaui, quia ſi illo inſtanti, ſeu illa menſura temporis, quæcumque ſit, in parte ſubiecti ad quam qualitas extenditur, produceretur proportionalis intenſio, daretur illa ſine aliquota, cùm intenſio talis partis non vniatur cum intenſione aliarum in ordine ad intenſionem maiorem faciendam, ſed tantùm in ordine ad extenſionem intenſionis, quæ in partibus aliquotis, vel proportionalibus ſupponitur. Poſteriorem partem concluſionis ex priori clarè infero. Agens in quacumque menſura magis producit in parte propinqua, quàm in diſtanti, ſed in parte ſubiecti diſtantiori ad quam vltimò ſe extendit actio, producit intenſionem aliquotam; ergo etiam producit aliquotam intenſionem, & maiorem in partibus ſibi proximioribus. Huic poſteriori parti non ita firmiter adhæreo, ſicut priori propter argumentum, quod iam propono.

§. VI.

Difficile argumentum expendo.

Contra poſteriorem partem vltimæ concluſionis traditæ difficillimum moueo argumentum, non propter illam defendendam, de quo parum curarem, ſed quia nobis occaſionem præbebit dilucidam explicandi doctrinam, & nonnulla tradendi omnibus difficultatibus huius materiæ valde vtilia. Diximus produci intenſionem aliquotam in menſura proportionali, in qua extenditur qualitas ad nouam partem ſubiecti, & hanc non ſolùm produci in parte ſubiecti, in qua noua fit intenſio, etiam in partibus anterioribus, ex quo inferri videtur produci infinitam intenſionem in partibus antecedentibus, ſeu præcedentibus illam, in qua fit vltima extenſio qualitatis aliquotè intenſæ. Sequelam probo: Extenſio ſucceſſiua vel fit continuè, vel non: ſi fit continuè, fiet per infinitas partes temporis, in quarum ſingulis producenda eſt intenſio aliquota in parte ſubiecti, ad quam fit extenſio: ergo ſi in eiſdem temporis menſuris intenſio aliquota producatur in omnibus partibus anterioribus, producentur infinitæ partes aliquotæ intenſionis in quacumque parte anteriori: ergo omnes erunt infinitè intenſæ. 54

Si dicas intenſionem non fieri continuè, ſic arguo. In menſura proportionali in qua fit extenſio qualitatis ad hanc partem ſubiecti, producitur intenſio aliquota in partibus anterioribus: ergo in ſingulis proportionalibus quibus fuit extenſio interrupta, producta fuit in eiſdem partibus aliquota intenſio. Probo conſequentiam: Eamdem virtutem habuit agens ad producendam qualitatem in partibus temporis proportionalibus, quibus extenſio fuit interrupta, atque in parte temporis, in qua extenſio producitur; imò magis potuit producere in menſuris præcedentibus extenſionem, quàm in menſura in qua fit extenſio, quia quo maior qualitas eſt producta ab agente, maiorem virtutem impendit ad conſeruationem qualitatis anteà productæ: ergo minorem poterit exercere in noua productione, & minorem effectum de nouo producere valebit; ſed in menſura, in qua extenſio producitur, agens producit in partibus anterioribus nouam intenſionem aliquotam: ergo in qualibet menſura præcedenti ipſam extenſionem, ſeu in qualibet menſura, in qua extenſio fuit interrupta produxit qualitatem aliquotam in partibus anterioribus: ſed menſuræ proportionales quibus extenſio fuit interrupta, fuerunt infinitæ: ergo agens producit infinitas partes aliquotas intenſionis in partibus ſubiecti præcedentibus partem, in qua fit extenſio. 55

Concluderet illatio, ſi probaretur agens continuè producere intenſionem in eiſdem partibus ſubiecti indiuiſibiliter ſumptis præcedentibus partem, ad quam in menſura ſequenti extenditur qualitas: cùm verò dicendum ſit Controuerſ. 7. Punct. 6. & 7. & intenſionem non fieri continuè, niſi in partibus valde propinquis agentibus, nullo modo tenet illatio, quia licet in omni menſura fuerit producta aliquota intenſio, & menſuræ fuerint infinitæ, cùm hæ aliquotæ intenſiones non fuerint productæ in eadem parte indiuiſibili ſubiecti, non continuantur verſùs intenſionem, & ita non poſſunt aliquotam ſimpliciter infinitam conſtituere, neque ex eo quod continuentur verſùs extenſionem, infertur aliquod ſimpliciter qualitatis infinitum, quia verſùs intenſionem habent tantum menſuram proportionalem, & ex infinitis menſuris proportionalibus extenſis non reſultat neceſſariò extenſio aliquota ſimpliciter infinita. 56

Non contemnenda ſolutio, ſed adhuc difficultas non exhauritur. In parte immediata agenti intēſio eſt cōtinua, ſed in illa parte producitur intenſio aliquota in menſura proportionali, in qua qualitas extenditur ad nouam partem ſubiecti: ergo eodem modo producetur in aliis menſuris proportionalibus præcedentibus extenſionem, ſed menſuræ ſunt infinitæ: ergo producetur infinita extenſio in parte ſubiecti, in qua qualitas continuè intenditur. 57

Digitized by Google

Quantis premimur propter hanc partium infinitudinem defendendam. Neque fateri pudet hoc argumento premi, propriis enim viribus, propriis debellor armis; hæc enim nullus huc vſque diſſoluit, neque mouit. Reſpondeo, omnem intenſionem illius partis in qua ab initio actionis, continuè producitur conſummatam eſſe antequam qualitatis extenſio incrementum aliquod recipiat, ac proinde in menſura, in qua qualitas de nouo extenditur nihil produci in illa parte ſubiecti, in qua intenſio eſt continua, & in illis menſuris proportionalibus, in quibus fuit continua intenſio, tantùm fuiſſe in ſingulis productam proportionalem intenſionem. Neque refert agens poſtea intenſionem aliquotam producere in menſura proportionali in partibus diſtantioribus ſubiecti, quia cùm in primo inſtanti applicationis qualitatem valde intenſam produxerit in parte propinqua, quam in ſecundo tenetur conſeruare, non poteſt in eodem ſecundo aliam partem aliquotam de nouo producere, in reliquis verò partibus diſtantioribus, cum remiſſiorem qualitatem agens primo produxerit, poſtea poteſt intenſionem aliquotam in menſura proportionali producere.

58 Hæc ſunt, quæ pro ſolutione præcedentis argumenti ex proprio penore alieno deſtitutus miniſtrare valeo, quæ ſi tibi omnino non placeant, poſteriorem partem concluſionis non defendendam ſuſcipias, ſed dicito produci ſemper intenſionem aliquotam in parte ſubiecti in qua denuò extenditur qualitas, non verò in anterioribus. Ad illud quod adducitur agens in quacumque menſura intenſiorem effectum producere in parte proximiori, quam in diſtantiori. Reſponde hoc verum eſſe, ſi computetur productio, & conſeruatio partis anterioris cum productione poſterioris, non verò ſi primæ productiones factæ in illa menſura ſolùm conferantur, quia hoc nulla oſtendit experientia, neque ratio aliqua conuincere valebit, imò poterit optima negatæ partis adduci, quam ex doctrina tradita paucis accipe.

59 Agens in menſura præcedenti extenſiorem produxit qualitatem in partibus anterioribus, quam tenetur conſeruare, dum per productionem nouæ partis qualitatis illam extendit: deinde per ſe loquendo eadem virtus requiritur ad producendum, quàm ad conſeruandum: ergo maiorem qualitatem producere valebit in parte ſubiecti, in qua nullam prius productam conſeruare tenetur quàm in alia, in qua non ſolùm ad nouæ qualitatis productionem, ſed ad antiquæ conſeruationem debet attendere. Neque maior approximatio ſufficit, vt antiquam qualitatem conſeruet in parte anteriori, & æqualem aliam producat cum producenda in poſteriori minus approximata, ſatis enim approximationi datur, cum propter illam ſemper maior intenſio in parte proximiori, quam in diſtantiori reperiatur, etſi non in quacumque menſura, maior ſemper qualitas primo producatur in parte proximiori, quàm in diſtantiori.

PVNCTVM V.

De actione, & reactione.

§. I.

Difficultatis ſtatus.

1 OMne agens agendo repati Philoſophi omnes vno ore pronuntiant, explicandum eſt quid reactio, quid verò repaſſio dicatur: *Reactio eſt actio proueniens ab agente, quod patitur à ſubiecto, in quod agit contrariam qualitatem illi, quam producit, in minori tamen intenſione.* Repaſſio eſt *paſſio agentis in ſubiectum à quo patitur contrariam qualitatem in maiori intenſione.* Vno verbo. Mutua actio, actio & reactio dicitur; fortior dicitur actio, & remiſſior reactio. Et paſſio mutua (intellige ſemper iuxta qualitates contrariè oppoſitas) paſſio, & repaſſio nominatur intenſior paſſio, paſſio ſimpliciter dicitur; remiſſior verò repaſſio nominatur. Vnde agere, & reagere, pati & repati eſt mutuò agere, & mutuo pati ſecundùm qualitates contrarias.

2 Dari reactionem inter agentia contraria tota tenet Philoſophorum ſchola, quod tradunt Conimbr. 1. de genere, q.3.art.3. referentes pro hac ſententia D. Thom. Themiſtiũ Heruæum, & alios ex antiquis. Hanc concluſionem frequens demonſtrat experientia, qua videmus, quod ſi corpus calidum frigido applicetur, calidum aliquid amittere caloris, & acquirere frigiditatis, & frigidum aliquid caloris acquirere, & frigiditatis amittere. Idem ratio à priori manifeſtè probat. Corpus calidum habet virtutem agendi in frigidum: ergo etiamſi patiatur ab illo aget in illud. Probo conſequentiam. Paſſio in agente non eſt impedimẽtum ad agendum in aliud ſubiectum, quia etſi corpus calidum per paſſionem frigiditatis aliquid caloris amittat, reliqui gradus manent cum virtute ad agendum; ergo poterunt calorem producere in alio agente frigido, quod ex nullo capite eſt impeditum ad recipiendum calorem, actio enim ab illo dimanans intrinſecè in alio recepta impedimentum non eſt ad hoc, vt ipſum paſſionem in ſe ſuſtineat. Idem argumentum fieri poteſt de frigido reſpectu calidi.

Dubitari poteſt, an omne agens in agendo repatiatur. 3
Multus eſt Arriag. diſp.3.ſect.12.vt probet non omne agẽs in agẽdo repati neque repaſſionem eſſe de ratione agentis, & refert neſcio quos ſuppreſſo nomine oppoſitũ aſſerẽtes; incognito tamen hoſte pugnat Arriag. Communis ſententia affirmat repaſſionem non eſſe de ratione agentis, vt patet in agente productiuo qualitatis contrario carentis. Ita docent Conimb. ſuprà art.4.ex Ariſt.7.Phyſic c.5.text.39.quod probo à priori. Paſſio, quã ignis patitur, nullo modo poteſt illum iuuare ad agendum: ergo de ratione ignis, vt agentis non eſt repaſſio, ſeu reactio ſubiecti circa quod agit. Secundò, ſi calidum, & frigidum applicarentur, & Deus non concurreret cum frigido ad productionem frigiditatis, calidum naturaliter ageret in frigidum: ergo actio ex ſe non petit reactionem contrarij, neque connexionem habet cum repaſſione agentis. Tertiò, ſi applicentur calidum & frigidum vtrumque valde extenſum, poterit totum frigidum eſſe intra ſphæram actiuitatis calidi, & calidum non eſſe ſecũdùm ſe totum intra ſphæram actiuitatis frigidi, quia frigidum minorem habet actiuitatis ſphæram, vel quia calidum eſt magis extenſum: tunc pars vltima calidi aget in frigidum, & non repatietur: ergo poteſt dari actio ſine reactione.

Vltimò ſi agens calidum applicetur frigido habenti mi- 4
nimum requiſitum ad operandum non poteſt aliquid pati ab illo. ergo poteſt dari actio ſine reactione, aut repaſſione. Probo antecedens. Calidum, vel agit in frigidum, vel non agit: ſi non agit, dubitatur actio frigidi ſine reactione calidi. Si agit corrumpit aliquid frigiditatis: ergo frigiditas remanens nihil poteſt agere, quia iam eſt minor minima requiſita ad operandum, antea enim erat minima requiſita ad operationem: ergo datur actio calidi ſine reactione frigidi: ergo datur actio ſine vlla reactione, & repaſſione.

§. II.

Nonnulla expenduntur argumenta.

OBiicies primò: Agens calidum, & frigidum mutuo 5
applicata, vel ſunt virtutis æqualis, vel inæqualis: ſi ſunt æqualia virtute neutrum aget, ſi alterum aliud ſuperat, agens tantùm excedens in aliud poterit agere: ergo nunquam poteſt dari actio & reactio. Reſpondeo in vtroque caſu vtrumque agens poſſe agere in aliud, dicam enim Controu. 6. Punct. 3. frigidum minus fortè poſſe agere in calidum fortius, & in alio ſubiecto calido fortiori reſiſtente, quia minori effectu producendo ab agente remiſſiori compenſatur maior virtus fortioris agentis, facilius enim frigidum vt quatuor producit gradum vnum frigiditatis adhuc reſiſtente calido, vt octo, quàm calidum vt octo conſeruat, vel producit ſeptem gradus caloris contra reſiſtentiam frigidi vt quatuor.

Obiicies ſecundò: Si poteſt dari mutua actio, & reactio, 6
idem paſſum fore mouendum motibus contrariis, quia ſi ignis amittens octauum gradum caloris producit alium in aqua in eodem inſtanti, in quo frigiditatem recipit, poterit eundẽ in ſe producere, quia non maior virtus requiritur ad producendum calorem in ſe ipſo, quàm in alio: ergo in eodem inſtanti, in quo recipit frigiditatem, ab agente extrinſeco poterit in ſe ipſo calorem producere. Dices in illo inſtanti non poſſe producere calorem, quia non poteſt expellere frigiditatem in illo inſtanti productam, nil enim poteſt produci, & expelli in eadem menſura. Contra tamen: ergo ſaltem in menſura ſequenti poterit calorem in antecedenti amiſſum recuperare, & impedire productionem ſecundi gradus, vel potuit in prima menſura impedire productionẽ primi gradus frigiditatis, & vires impendere in conſeruatione octaui gradus caloris in ſe ipſo,

quas

Digitized by Google

quas adhibuit ad producendum primum gradum caloris in alio ſubiecto.

7 Melius reſponde ignem non poſſe producere calorem in ſe ipſo in inſtanti, in quo recipit frigiditatem ab alio, quòd conſtat à poſteriori, quia ſi poſſet in præſentia contrarij nouum gradum caloris producere, poſſet illum cõſeruare, quem amiſit per introductionem frigiditatis, vel ſaltem in ſecundo inſtanti expellere primum gradum frigiditatis productum in primo, ita vt nunquam duplex gradus caloris remitteretur, cùm verò non poſſit gradum conſeruare, nec iam corruptum ſtatim recuperare contrario præſente, ſignum eſt non poſſe alium producere. Rationem à priori huius concluſionis ſic oſtendo. Ignis in præſentia contrarij quando amittit octauum gradum caloris conſeruat ſeptem alios ſuperſt.tes, & occupatus in conſeruatione horum apud ſe ipſum non poteſt alium in ſe producere: in ſubiecto verò, in quo primum producit, nullum conſeruat, quando verò ſecundũ introducit, licet primum conſeruet tamen minus in ſubiecto extraneo conſeruat, quàm in ſe ipſo, quapropter poteſt magis de nouo producere. Ex his ſolutio patet ad cõfirmationem argumenti, dico enim non requiri maiorem virtutem per ſe loquendo ad producendum in alio ſubiecto, quàm in ſe ipſo, aliquando verò requiri maiorem virtutem ratione graduum productorum in ſe ipſo, & non in alio, vel ratione virtutis iam exercitæ circa ſe ipſum, & non circa aliud. Nec ex eo quod maior virtus requiratur ad conſeruandum quatuor gradus, & vnum producendum in ſe ipſo, quàm ad producendum vnum in alio, infertur abſolutè maiorem virtutem requiri ad producendum in ſe ipſo quàm in alio reſpectu eiuſdem effectus, quia conſeruatio quatuor graduũ, & productio vnius reſpiciunt pro effectu quinque gradus caloris; productio verò vnius tantùm reſpicit pro effectu vnicum gradum.

8 Obiicies tertiò: Agens calidum applicatum ſubiecto frigido extenſo producit prius, v.g. in primo inſtanti calorem in partibus propinquis, & poſtea in diſtantibus eiuſdẽ, vel ſaltem maiorem intenſionem in propinquis, quàm in diſtantibus: ergo partes diſtantes; quæ in ſecundo inſtanti agunt in præcipuum contrarium agens, poterunt agere in partes ſibi vnitas proximiores agenti, & illis reſtituere intenſionem deperditam in inſtanti præcedenti. Probo conſequentiam. Non maior virtus requiritur ad agendum in agens præcipuum non vnitum, ac in partes propinquas ſibi vnitas: ſed partes diſtantiores agunt in agens præcipuum: ergo poterunt agere in partes eiuſdem paſſi ſibi vnitas.

9 Hoc argumento vtuntur conſtituentes ſubordinationem graduum, quòd tãtùm in ſua opinione putant ſolui poſſe, iuxta quam dicunt partẽ paſſi non poſſe producere in parte immediata gradum caloris, quem poteſt in paſſo diſtanti, quia in hoc producendus eſt primus, vel ſecundus gradus, in parte verò immediata, ſi aliquis producẽdus eſſet debebat eſſe ſextus, vel ſeptimus, qui longè perfectiores ſunt ſecundo, vel tertio, ac proinde produci non poſſunt à parte producente imperfectiores alios. Admitto ſolutionem iuxta hanc opinionem, quæ nonnullam adhuc habet difficultatem, quia maior illa perfectio effectus producendi in parte proxima compenſari poterat maiori approximatione ſubiecti; nego tamen hoc argumento probari ſubordinationem graduum, ſine hac enim claram, & adæquatam argumenti ſolutionem adhibeo.

10 Nego conſequentiam, & rationem reddo cur partes diſtantes paſſi non poſſint agere in partes eiuſdem paſſi ſibi vnitas, & poſſint agere in agens non vnitum, & magis diſtans. Ad hoc vt calidum agat in illud neceſſum eſt, vt habeat tantùm exceſſum calorem determinatum reſpectu illius, in partibus verò paſſi vnitis nulla datur, quæ habeat tantum exceſſum reſpectu partis ſibi immediatæ, quantus requiritur, vt agens agat in paſſum ac proinde nulla poteſt agere in aliam: agens enim calidum hac proportione calefacit ſubiectum frigidum, pono hoc fuiſſe frigidum vt octo, in prima parte producit calorem vt tria, in ſecunda vt duo, in tertia vt vnum, & nil in quarta. Quarta pars frigidi non poteſt agere in tertiam, quia tantùm illam ſuperat vnico gradu frigiditatis, quem tantum amiſit, neque tertia in ſecundam, neque ſecunda in primam propter eandem rationem. Eædem tamen partes poſſunt agere in contrarium agens, quod ſuperant frigiditate determinata, & requiſita ad agendum, licet enim, per ſe loquendo non requiratur maior virtus ad agendum in agens contrarium, quam in partem vnitam eiuſdem ſubiecti, tamen hic, & nunc partes paſſi poſſunt agere propter rationem dictam in agens contrarium; non verò inter ſe ipſas remotiores in propinquiores agenti.

Obiicies quartò: Calidum vt octo producit calorem in paſſo frigido in primo inſtanti applicationis ſecundùm omnes gradus caloris; ergo in illo inſtanti, in quo agit non reparatur, quia in inſtanti in quo omnes octo gradus concurrunt ad actionem nullus eorum poteſt expelli, aliàs aliquis eorum produceret in inſtanti in quo expellitur, & conſequenter in inſtanti in quo non eſt. Eodem modo poteſt argui in aliis inſtantibus. Reſpondet Arriaga ignem in aliquibus inſtãtibus agere, in aliis verò ceſſare ab actione, in quibus reparatur ab agente. Datis morulis in alteratione, neſcio quo fundamento hanc correſpondentiam inter actionem, & paſſionem conſtituat Arriaga, quâ veluti Mallei Virtuarij agens & paſſum moueantur. Melius reſpondeo, Calidum in primo applicationis inſtanti amittere gradum caloris, ſecundum quem non agit, ac proinde nunquam agere in frigidum, à quo poſſit prouenire reactio ſecundùm octauum gradũ, quia octauus gradus caloris amittitur in primo inſtanti applicationis, ac proinde nunquam applicatur calidum vt octo, ſed calidum, quod immediatè antea fuerat vt octo. Idem dico de ſecundo inſtanti, in quo expellitur ſeptimus gradus caloris, & actio tantùm prouenit à ſex aliis remanentibus. Dixi ſubiectum in primo inſtanti applicationis amittere octauum gradum caloris, quod multi negant, & probabo poſtea §. 4 quod ſi non ita fieret, adhuc integra manebat ſolutio pro ſecundo inſtanti, & pro primo nulla eſſet neceſſaria, cum in illo non daretur actio, & reactio. 11

§. III.

Argumentum aliud proponitur, & ſoluitur.

OBiicies quintò. Si duo agentia contraria aere intermedio applicentur, tunc non poterit dari actio, & reactio, quia ſi hæc daretur, aer reciperet calorem ab igne, & frigiditatem ab aqua: ergo duplici motu contrario moueretur, quod fieri nequit. Negant aliqui propter hoc argumentum actionem, & reactionem inter agentia non immediata, ſed immeritò leui ſuccumbunt oneri, quia poſito aere inter ignem, & aquam, aer vel patitur ab igne, vel ab aqua, vel ab vtroque, vel à neutro: ſi ab igne, medio illo poterit ignis agere in aquam: ſi ab aqua medio eodem poterit aqua agere in ignem: ſi ab vtroque eodem medio ignis aget in aquam, & aqua in ignem: ſi à neutro, ideo erit, quia ignis reperit in aere totum calorem, quem poteſt producere præſente aqua, & aqua totam frigiditatem, quam valet efficere igne reſiſtente, ſi enim alteri agenti aer eſſet omnino diſſimbolus, in illum ageret: ergo ignis poterit agere in aquam medio calore reperto in aere, & aqua in ignem media frigiditate, quam in aere reperit. Dices alterum tantùm agens: verbi gratia, ignem agere in aerem, & medio illo in aquam, aquam tamen non agere in aerem, ac proinde neque ignem; vnde etſi detur actio ignis in aquam, non datur reactio aquæ in ignem. Solutionem retundo. Ignis per te aget in aerem immediatum: ergo aer eſt diſſymbolus igni: ergo poterit reagere in ignem: ergo non impediet reactionem aquæ, potius ipſam aquam iuuabit, vt ſimul cum illo reagat in ignem: ergo quocumque mediante paſſo poterit dari actio, & reactio. 12

Affirmant aliqui aquam acturam in dimidiam partem aeris, & ignem in dimidiam aliam. Accommoda ſolutio pacis amico, non Philoſopho, quam facilè reiicio. Ignis habet virtutem ad agendum in aquam diſtantem: ergo in totũ aerem intermedium, ſi illi qualitate eſt diſſymbolus: ergo aget in totum aerem. Dices impediri ab aqua ne agat in dimidiam partem aeris. Contra ſic argumentor, aqua ſimiliter habet virtutem ad agendum in totũ aerem intermedium: ergo impediet virtutẽ ignis, ſi fortior ſit illo, non ſolum in dimidia parte aeris, ſed etiã in toto aere. Fateor aliquando ita poſſe attemperari virtutes agentium attentâ diſtantia, vt quodlibet valeat impedire virtutem alterius in dimidia parte ſubiecti, vel alterum in tertia, & non vltra, hoc autem ſemper contingere fundamento caret. 13

Reſpondet quidam Complutenſis Thomiſta aerem mouendum eſſe duplici motu cõtrario in gradu remiſſo, neutro tamem ſummè intenſo, quod abſque inconuenienti fieri poteſt, ſicut enim aer in eodem tempore habet quinque gradus 14

Digitized by Google

gradus caloris, & tres frigiditatis, ſic in eodem inſtanti poteſt illos recipere, & duplici motu contrario moueri. Apta ſolutio, ſi aer intermedius omni qualitate nudus ſupponeretur, illa enim rectè explicaretur quomodo in primo inſtanti applicationis medio eodem aere ignis poſſet agere in aquam, & aqua in ignem; ſi verò aer intermedius ſupponatur iam admixtus calore & frigiditate quomodocumque attemperatis, vel aliqua harum qualitatum vſque ad octauum gradum informatus, aptior alia excogitanda eſt, cum verò aer interiacens nunquã ſupponatur omni qualitate deſtitutus, nunquam prædicta ſolutio locum opportunũ inuenire poteſt; quod ſi ita applicaretur cum in primo inſtanti calorem, & frigiditatẽ vſque ad octauum gradum reciperet, in ſecundo ſupponeretur cum his qualitatibus, ac proinde prædicta ſolutio inſtantanea duratione functa, in hoc ſecundo inſtanti ſubſiſtere non poſſet.

15 Aerem iam informatum contrariis qualitatibus: v. g. quinque gradibus frigiditatis, tribuſque caloris non poſſe in eodem inſtanti moueri duplici motu contrario quantumuis remiſſo, ſic probo. Non poteſt ignis gradum quemdam caloris producere, & corrumpere alium frigiditatis, & aqua in eadem menſura indiuiſibili producere gradum frigiditatis, & caloris corrumpere: ergo non poteſt in eodem inſtanti moueri ſubiectum duplici motu contrario. Antecedens probo: non poteſt idem ſubiectum in eodem inſtanti amittere quemdam gradum caloris, & nouũ alium eiuſdem ſpeciei recipere, ſimulque gradum quemdam frigiditatis deperdere, aliumque eiuſdem rationis acquirere, quod naturæ lumine diſſonum cuique cordato, etiam non Philoſopho apparebit: cum enim factis his productionibus, & corruptionibus eiuſdem ſpeciei ſubiectum cum eadem intenſione qualitatis permaneret, ac antea, ſuperfluè, & abſque vlla ratione finguntur.

16 Fortis à priori huius ſolutionis impugnatio facilè redditur. Aqua in hoc inſtanti non valet conſeruare quintum gradum frigiditatis in aere ab igne corruptum. Ergo non valet alium producere in eodem ſubiecto, eadem enim virtus requiritur ad conſeruandum & ad producendum effectum eiuſdem rationis: ergo aqua non valet frigiditatem producere in aere in illa menſura, in qua non valet frigiditatem iam productam conſeruare: ergo non poteſt mouere ſubiectũ productione nouæ frigiditatis, dum illud mouet ignis productione caloris, & frigiditatis expulſione: ergo non poteſt idem ſubiectum ſimul moueri à duplici contrario motu, quãtumuis remiſſo. Idem argumentum alio modo accipe. Agens frigidum in hoc inſtanti valet nouum gradum frigiditatis producere, vt contrarij ſupponunt, & corrumpere gradum caloris: ergo valebat conſeruare gradum antiquũ frigiditatis, & impedire productionem gradus caloris corrumpentis illum: ergo prius productum conſeruabit, & impediet productionem contrarij, quam nouum producat deſtruentem contrarium iam productum, quia magis determinatum eſt quodlibet agens ad conſeruandum, quàm ad producendum, per ſe enim eadem ad vtrumque requiritur virtus, & conſeruatio exigitur ab effectu producto, & productio nequit peti ab effectu producendo. Eadem argumenta eodem modo fieri poſſunt de agente calido.

17 Reſpondeo aërem intermedium mouendum eſſe vnico tantùm motu ab illo agente, quod attenta reſiſtentia contrarij, & qualitate producta in aëre eiuſdem rationis cum illa quam intendebat producere, intenſionem aliam producere valebit. Rem tene: ſi aer eſſet calidus vt quatuor, & frigidus vt quatuor, & applicarentur calida, & frigida intenſa vt octo, calidum ageret in talem aërem, quia eſt magis actiuum, & maiorem effectum producere & conſeruare valet in paſſo. Si verò aër eſſet calidus, vt ſeptem, & frigidus vt vnum, & applicarentur agentia calida & frigida vt octo, frigidum ageret in aërem, quia licet abſolutè fortius ſit calidum vt octo, nihilominus facilius producit frigidum ſecundum gradum frigiditatis, quàm calidum ſeptimum caloris conſeruat, ſi verò aër ſit calidus vt quinque, & frigidus vt tria & agentia calida vt octo applicentur, neutrum aget in aërem intermedium, quia frigidum ex ſe minus actiuum minori effectu conſeruando intentum vinci nequit à calido maiori effectu conſeruando occupato, neque è contra.

18 Neque ex eo quod agens neutrum agat in aërem intermedium, actio, & reactio illorum impeditur, quia aër qua ratione calidus eſt tenebit ſe ex parte ignis, & aget in frigidũ, & qua ratione frigidus eſt, tenebit ſe ex parte aquæ, & aget in ignem, & ita cum igne integrum agens conſtituet, & poterit ſimul cum illo agere in aquam, etiamſi in ipſum ignis nil agat, quia partiale agens non debet agere in aliud compartiale paſſo propinquius, vt agat in iſtud. Eodem modo continget in aqua, cum qua aër qua ratione frigidus habebit ſe per modum partialis agentis, & cum illa totale conſtituet agens in ignem.

19 Obiicies. Idem aër non poteſt complere duo principia inter ſe cõtraria: ergo nõ poteſt tenere ſe ex parte ignis ad agendum in aquã, & ex parte aquæ ad agendum in ignem. Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Idem aër non poteſt conſtituere principia inter ſe contraria, ſecundum eamdem qualitatem concedo, ſecundum diuerſas nego, quia calor exiſtens in aqua eſt productiuus caloris, & frigiditas eandem informans, frigiditatem producere poteſt, neque propter commune qualitatum ſubiectum virtus minuitur aut impeditur.

§. IV.

Difficultas incidens.

20 Dubitant nonnulli, an in primo inſtanti applicationis agentis ad paſſum detur actio, & reactio, quibus affirmatiuè reſpondeo; quia eadem eſt virtus ad agendum in primo inſtanti applicationis, ac in ſecundo, & agens non agit in inſtanti *B*, ex eo quod fuerit applicatum in inſtanti *A*, ſed ex eo quod applicatum eſt in eodem inſtanti *B*, neque vlla eſt ratio quæ oppoſitam ſententiam ſuadeat.

21 Authores aſſerentes agens nihil producere in primo inſtanti applicationis ſic arguunt. Ponamus calidum vt octo applicari in inſtãti *A* calido vt quatuor, & frigido vt quatuor. Tunc agens calidum vt octo nullum gradum frigiditatis poterit in illo inſtanti corrumpere: ergo nullum poterit caloris producere: tenet conſequentia, quia ad hoc vt producatur gradus caloris neceſſe eſt gradum frigiditatis corrumpi: antecedens probatur. In illo inſtanti applicatur ſubiectum frigidum vt quatuor: ergo ſupponuntur quatuor gradus frigiditatis: ergo in illo inſtanti nullus eorum poterit corrumpi, quia gradus qui in illo inſtanti corrumperetur non eſſet in illo inſtanti, ac proinde ſequeretur in eodem inſtanti eſſe calorem vt quatuor, & non eſſe calorem vt quatuor in eodem ſubiecto.

22 Egregia æquiuocatio, quæ plures aliàs acutos recentes fefellit: fallaciam detego. Aliud eſt agens calidum corrumpere aliquid frigiditatis ſubiecti in illo inſtanti, in quo applicatur, aliud corrumpere in eodem inſtanti aliquem gradum ex his, quos habet in illo inſtanti, in quo applicatur: hoc poſterius manifeſtè repugnat propter rationẽ dictam: non illud prius quod iam explico. Demus hoc agens calidum vt octo applicari paſſo in inſtanti *B*. Inquiro quot gradus frigiditatis habuerit paſſum in inſtanti *A*, præcedenti ipſam applicationem? Supponamus habuiſſe quatuor frigiditatis & quatuor caloris. Tunc agens in inſtanti *B*, quo primo applicatur producet quintum caloris, & expellet quartum frigiditatis, ac proinde non applicabitur calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor, ſed calidum vt quinque, & frigidum vt tria. Si autem in inſtanti applicationis ſit paſſum calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor, ſignum eſt in inſtanti præcedenti applicationem fuiſſe, ſaltem frigidum vt quinque, & calidum vt tria, & agens calidum produxiſſe quartum gradum caloris, & expuliſſe primum frigiditatis. Hoc modo intelligere debes actionem in primo inſtanti applicationis, quo abſque vllo inconuenienti actio in primo inſtanti applicationis, & eodem reactio poteſt intelligi. Ex quo inferes agens nullum corrumpere gradum, ex his quos habet ſubiectum in inſtanti applicationis, ſed ex his, quos habuit immediatè antea. Similiter inferes nunquam applicari calidum vt octo paſſo frigido potenti reagere in calidum, quia ſi immediatè ante ipſam applicationem fuerit calidum vt octo, cum aliquid caloris amittat in primo inſtanti applicationis, iam non eſt calidum vt octo, ſed vt ſeptem.

23 Obiicies. Agens applicatum paſſo habenti in primo inſtanti applicationis quatuor gradus frigiditatis nunquam fuit applicatum quinto frigiditatis gradui: ergo non poteſt illum corrumpere: antecedens facilè probatur, quia in primo inſtanti, quo applicatur ſubiectum gradus quintus non eſt; ergo non poteſt agens illi eſſe applicatum, in inſtanti præcedenti agens non erat applicatum ſubiecto habenti

quintum

quintum gradum, ergo neque ipſi gradui: conſequentia probatur, quia agens nihil poteſt corrumpere, quod illi non fuerit applicatum. Reſpondeo conceſſo primo antecedenti, negando conſequentiam, & confirmationem illius: falſum enim eſt agens debere applicari effectui, quem corrumpit, quia poſſunt agens & effectus corruptus nunquam ſimul exiſtere, ſi effectus corrumpatur in primo inſtanti, quo producitur agens; ergo tunc nunquam erunt applicata. Secundo probo à priori hanc applicationem non requiri. Aplicatio debet eſſe inter agens, & paſſum, & do requiri inter agens, & effectum: gradus frigiditatis corruptus non eſt effectus agentis corrumpentis illum, caloremque producentis, hoc enim reſpicit tanquam effectum primarium calorem productum, & tanquam ſecundarium priuationem frigiditatis: ergo etiamſi effectus deberet eſſe applicatus agenti, negatio frigiditatis, & non ipſa frigiditas deberet agenti calido applicari.

24 Obiicies ſecundò. Agens calidum in primo inſtanti, quo applicatur paſſo, producit quartum gradum caloris, & corrumpit quintum frigiditatis: ergo quintus gradus frigiditatis corruptus nunquam reſiſtit propriæ corruptioni, neque introductioni quarti gradus caloris. Conſequentiam probabis. Gradus frigiditatis non reſiſtit in inſtanti, in quo corrumpitur, quia in illo non eſt, non in inſtanti antecedenti, quia in illo nondum erat applicatum contrarium: ergo nunquam reſiſtit. Reſpondeo gradum frigiditatis corruptum nunquam efficaciter reſtitiſſe, quia gradus contrarius caloris, & agens illum producens ab illo victoriam reportarunt, reſtitiſſe tamen inefficaciter, non in inſtanti in quo corrumpitur propter rationem dictam, ſed in inſtanti præcedenti ipſam applicationem, in quo potuit eſſe reſiſtentia, etiamſi contrarium non eſſet aplicatum, ſed tantùm eſſet applicandum in inſtanti ſequenti, quod probabo agens de reſiſtentia formali Controuerſ.6. Punct.2.

25 Tertiò, alij frigidiùs obiiciunt. Agenti non datur in hoc inſtanti concurſus cauſæ primæ, quia illum exigit in hoc inſtanti, ſed quia in inſtanti præcedenti exigit: ſed in inſtanti præcedenti primam applicationem non exigit concurſum: ergo in inſtanti, in quo primò applicatur non illi debetur concurſus. Reſpondeo negando antecedens, quod multis poſſet refelli: Sol enim in primo inſtanti, in quo exiſtit, lucem producit, ab illis tamen abſtineo, illa enim quæ gratis dicuntur abſque vllis expenſis reiicienda ſunt.

CONTROVERSIA VI.

De reſiſtentia actiua, & formali qualitatis, vbi de ſucceſſione, & continuatione alterationis.

ACtiva qualitas non ſolùm ſe in alienum inſinuat ſubiectum, verum etiam contrariam qualitatem, haud ſine illius repugnantia ex proprio expellit ſubiecto; hanc repugnantiam ex parte qualitatis expulſæ iure optimo reſiſtentiam Philoſophi appellant, quam in formalem, & actiuam diuidunt, de vtraque impræſentiarum eſt ſermo inſtituendus, & quia ex hac ſucceſſio alterationis, illiúſque continuatio, vel diſcontinuatio dependet ſub eodem capite de reſiſtentia qualitatis, continuatione, & ſucceſſione alterationis diſputo.

PVNCTVM PRIMVM.

De reſiſtentia actiua.

1 PAtres Conimbric. 1. de genere cap.9. q.1. reſiſtentiam diuidunt in negatiuam, priuatiuam, & contrariam. Reſiſtentia negatiua eſt incapacitas ſubiecti ad formam aliquam recipiendam, quam habet ſubſtantia ſpiritualis reſpectu materialis accidentis. Reſiſtentia priuatiua, quæ ab aliquibus paſſiua dicitur, reperitur in ſubiecto formæ capaci, ei tamen nequiquam, aut ægrè cedente: verumtamen abſque vlla actione, vt cùm ſaxum illud nitenti frangere, & corpus conanti leuare, à quaque illam intendenti calefacere reſiſtunt. Tandem reſiſtentia contraria eſt quando actione propria aduerſarium impetit qualitas, eiúſque vires debilitat, vt cùm ignis reſiſtit aquæ per calefactionem eius frigiditatem corrumpendo, qua corrupta, veluti emortuo contrario ignis illi reſiſtit, & veluti victoriam reportat.

Pater Suar. tom.2. Metaphyſic.diſp.43. ſect.2. n.8. docet duobus modis contingere rem aliquam alteri reſiſtere. Primò contingit per immediatam repugnantiam. Hæc eſt reſiſtentia quam priuatiuam ſeu paſſiuam Conimbric. appellant. Secundò radicaliter, & quaſi per diminutionem virtutis alterius contrarij, videlicet qualitatis. Hanc reſiſtentiam vocant Conimbric. contrariam, & actiua dicitur, conſiſtit enim in actione, qua calidum per productionem caloris in paſſo frigido gradum frigiditatis corrumpit, vires adimit inimico, ne illis impetatur. De reſiſtentia negatiua mentionem non fecit Suar. qua propriè reſiſtentia non eſt, ſed incapacitas ſubiecti, de qua, ſiue reſiſtentia appelletur, ſiue non, nil peculiare dicendum occurrit. 2

Ex dictis conſtat adæquatè diuidi reſiſtentiam in actiuam, & formalem. Reſiſtentia actiua, & iuxta Conimbric. contraria, quam Suar. radicalem appellat, conſiſtit in actione deſtructiua contrarij. Reſiſtentia formalis, iuxta Conimbric. priuatiua rectè explicatur à Suario n.10. Ex cuius ſententia conſiſtit in eo quòd ſubiectum per qualitatem, vel diſpoſitionem in illo exiſtentem impediat, ne alia forma contraria incompoſſibilis cum ea quam habet, introducatur. Hanc reſiſtentiam Punct.2. latè explanabo. 3

Communis ſententia reſiſtentiam actiuam iuxta modum nuper explicatum conſtituit in actione deſtructiua contrariæ qualitatis, frigiditatis videlicet, qua calidum reſiſtit, ne frigidum agens tantam frigiditatem produeat, quantam produceret, ſi duos illos gradus corruptos retineret. Rem ita contingere certum eſt. De voce tamen poteſt eſſe contentio, an videlicet deſtructio contrarij propriè, & formaliter dicenda ſit reſiſtentia. Hæc enim eſt quaſi defenſio reſiſtentis, & impeditio effectus intenti à contrario cuius corruptio offenſio propriùs quàm defenſio dicenda videtur, ſed quidquid ſit de nomine, re admiſſa, aſſero aliam reſiſtentiam actiuam reperiri in motu alterationis, quæ propriùs reſiſtentia dicitur, ac proinde hanc ego cum Suario reſiſtentiam radicalem, ſeu remotam voco, illam verò quam modò aſſignabo, reſiſtentiam formaliſſimè, & propriè dicendam eſſe affirmo. 4

Vt probem dari actiuam reſiſtentiam diſtinctam à præcedenti aſſignata, & a reſiſtentia forma, pono duo agentia contraria, quorum neutrum agit in alterum, quia intra ſphæram actiuitatis non ſunt, vel quia Deus negat vtrique concurſum; vt deſtruat aliud, ſed vtrumque agere in paſſum tertium, in quo caſu probo dari reſiſtentiam diſtinctam à formali, quæ propriiſſimè actiua dici debet. Reſiſtentiam formalem dicere informationem Philoſophorum vna vox eſt, ſed hac ſecluſa datur alia reſiſtentia ſe tenens ex parte agentis diſtincta à reſiſtentia actiua ſupra data: ergo. Minor tantùm indiget probatione, pro qua pono calidum vt octo, & frigidum vt octo applicata paſſo omnino nudo. In hoc caſu, ſi agentia ſunt eiuſdem virtutis, quodlibet producet quatuor gradus qualitatis, & ſubiectum erit calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor, ſi alterum horum calidum, verbi gratia, fortius ſit, hoc maiorem qualitatem producet, & ſubiectum erit calidum vt quinque, & frigidum vt tria, in quo caſu vtrumque agens ab altero fuit impeditum, ne maiorem qualitatem in ſubiecto produceret, calidum enim maiorem intenſionem efficeret, ſi frigidum abeſſet, & frigidum ſcilicet ſi calidum non reſtitiſſet: ergo fuit reſiſtentia inter hæc agentia, quæ non potuit in informatione qualitatem conſiſtere, quia antecedenter ad calorem productum reſiſtebat agens calidum, ne frigidum præoccuparet ſubiectum frigiditate producta, & prius naturâ quam hæc produceretur, reſiſtebat frigidum, ne calidum agens calorem produceret, quo ſubiectum impediretur, & frigiditatem recipere non poſſet, quod neceſſariò dicendum eſt, aliàs nulla poteſt reddi ratio, propter quam hæc agentia mutuo ſibi impediantur, & æquè intenſum vtrumque producat effectum, vel vnum intenſiorem, quam aliud, quia ſi dicas frigidum tantùm produxiſſe tres 5

gradus, quia calor quinque produxit: inquiro cur frigidum non impediuit calido productionem quinti gradus, ſicut impediuit productionem ſexti. Si enim frigidum impediret ne calidum quinque gradus produceret rectè poſſet quatuor frigiditatis producere.

6 Dices calorem reſtitiſſe ne impediretur à productione quinti gradus; Rectè ſanè: ergo reſiſtebat calidum vt produceret quintum gradum, quem cum victoria contra reſiſtentiam frigidi produxit: ergo ante productionem caloris fuit reſiſtentia ex parte calidi agentis: ergo ante informationem caloris in paſſo fuit reſiſtentia ex parte agentis, quæ reſiſtentia actiua dici debet.

7 Rem clarè oculis cernes, ſi tibi proponas paſſum tantùm potens recipere vnicum gradum caloris, vel frigiditatis, quia iam aliunde habet alios ſeptem gradus, vel quia illud tibi fingis capax vnius tantùm gradus qualitatis: ſi huic paſſo applicarentur duo agentia actiuitate omnino æqualia, quorum vnum intenderet producere gradum caloris, aliud frigiditatis. neutrum gradum illum produceret, producturum quodlibet talem gradum in abſentia contrarij: ergo tunc daretur reſiſtentia nulla qualitate producta, & abſque vlla informatione tenens ſe ex parte agentis, ergo daretur reſiſtentia actiua diſtincta à formali, quæ non conſiſtit in deſtructione contrarij.

8 Hanc reſiſtentiam ego conſtituo in actu primo cauſæ determinatæ à ſe producere effectum etiam in præſentia contrarij independenter ab exigentia, quam habet effectus ad ſui conſeruationem. Per actum primum intelligo, id quod nomine actus primi ſtrictè intelligitur, videlicet virtutem actiuam cum omnibus prærequiſitis ad actionem, quia ſine his virtus actiua non petit ſuum effectum producere, & conſequenter non petet ne contrarius effectus producatur, neque illius productioni reſiſtit. Addidi à ſe determinatæ &c. quia ſi ita non ſit, ſed indifferens effectum producere, illum à ſe non petet producere, ac proinde non reſiſtet, neque enim ſufficeret, vt calidum reſiſteret frigiditati producendæ, poſſe calorem producere, ſi determinatum non eſſet ad illud producendum, quia poſita virtute, & non determinatione ad productionem ad exigentiam cuiuſque extrinſeci ceſſaret ab actione, ac proinde non reſiſteret, vt in illam proſiliret.

9 Eſt ergo reſiſtentia actiua actus primus ad qualitatem incompoſſibilem cum alia à ſe determinatus, & propendens in actionem ad qualitatem terminatam, ſicut enim reſiſtentia formalis, vt poſtea dicam, non conſiſtit tantùm in informatione formæ incompoſſibilis, ſed addit exigentiam formæ ad ſui conſeruationem, ſic reſiſtentia actiua non tantùm dicit potentiam productiuam qualitatis, ſed exigentiam, & inclinationem ad talem qualitatem producendam. Rationem à priori accipe, reſiſtentia dicit conatum, & vim ad effectum, pro quo eſt reſiſtentia, & contra effectum ad quem impediendum ordinatur, non enim reſiſteret, ne hoſtes ingrederentur ciuitatem, Dux, qui portas haberet occluſas, ſi ex ſe determinatus non eſſet ad illas occluſas habendas quibuſcumque aliis contrarium petentibus, neque reſiſtit, vt manibus teneat gladium, qui ita tenet illum, vt cuicunque petenti cedat, nullumque conatum adhibeat contra eum, qui propriis manibus illum auferre tentat. Sic actus primus potens producere effectum à ſe non determinatus tamdiu illum producet, quamdiu ab illo determinetur, ex extrinſeco non determinatè, vel ſaltem impedienti, nil producet; ergo non reſiſtet ſua productione.

10 Ex hoc infero, quod certum puto, ſcilicet cauſam primam conſeruantem effectum ad exigentiam illius nullo modo reſiſtere, vt illum conſeruet, vel vt contrarium agens illum non deſtruat, quia ex ſe in ratione cauſæ primæ indifferens eſt ad producendum, & non producendum, & ita effectum producit, & conſeruat, vt extrinſeco non exigente illum non conſeruet: ergo ex ſe non reſiſtit actioni, quod ſi non ſtatim conſeruans calorem ad præſentiam frigidi agentis, deſiſtat à conſeruatione illius non eſt quia contra exigentiam frigidi agentis in actione petat perſiſtere, ſed quia ipſe calor conſeruatus in hoc inſtanti petit, vt adhuc in præſentia contrarij Deus eamdem conſeruationem in poſterum protendat, ac proinde tota reſiſtentia, quam frigidum patitur in conſeruatione caloris à cauſa prima, conſiſtit in exigentia quam habet calor ad ſui conſeruationem, ac proinde ſi frigidum agens fortius peteret deſtructionem caloris, quam calor petit ſui conſeruationem, ſtatim Deus hanc ſuſpenderet, & deuictâ exigentia, quam habet calor ad ſui conſeruationem Deus præſto eſſet illum non conſeruare, neque ex parte Dei aliqua eſſet reſiſtentia ad calorem conſeruandum.

Dixi reſiſtentiam conſiſtere in actu primo à ſe determinato ad qualitatem producendam, & cauſam primam conſeruantem effectum actiuè non reſiſtere; cum hoc tamen benè ſtat, quod ſi Deus à ſe nulla cauſa exigente vellet etiam contra aliarum exigentiam conſeruare calorem, Deum actiuè reſiſtere per ipſum actum primum, qui ſupponitur ad calorem, in quo includitur voluntas Dei indeterminata independenter ab exiſtentia effectus, & reſiſtentia contrarij ad illum conſeruandũ, licet enim tunc Deus non eſſet determinatus per modum naturæ ad calorem producendum, eſſet tamen à ſe determinatus per actum ſuæ voluntatis prædefinientis conſeruationem effectus independenter ab exigentia, quam haberet ipſe effectus ad ſui conſeruationem, & à contrario exigente deſtructionem eiuſdem, quapropter ſi daretur calor incompoſſibilis cum frigiditate, qui non peteret conſeruari, Deus tamen vellet illius conſeruationem exhibere contra exigentiam frigiditatis, tunc frigiditas non produceret in ſubiecto, non ratione reſiſtentiæ formalis, quæ in calore non eſſet, hæc enim dicit exigentiam qualitatis ad ſui conſeruationem, ſed ratione reſiſtentiæ actiuæ, videlicet ratione actus primi Dei à ſe determinati non ceſſare ab actione quolibet contrario oppoſitum exigente. Noto tamen hanc reſiſtentiam actiuam fore diſtinctam ab ea, quæ modo datur, quæ conſiſtit in determinatione actus primi ad effectũ per modum naturæ, Deus autem tunc à ſe determinatus eſſet ad productionem effectus non per modum naturæ, ſed liberè. 11

Si verò Deus conſeruaret calorem non ipſo calore, neque alia cauſa exigente conſeruationem illius, ita tamen, vt præſto eſſet ceſſare ab actione quotieſcumque quælibet cauſa exigeret corruptionem caloris actiuè non reſiſteret, quia licet eſſet determinatus à ſe calorem producere, non tamen eſſet determinatus à ſe calorem producere, neque conſeruare in præſentia cauſarum exigentium negationem talis conſeruationis: tunc enim Deus conſeruaret calorem per actum, quo diceret, etiamſi nulla cauſa petat conſeruationem caloris illam exhibere volo, dum aliqua oppoſitum non petat. 12

Obiicies ſequi ex hoc frigidum minus fortè non reſiſtere in præſentia calidi fortioris, vt producat ſuam frigiditatem, quia non eſt determinatum ad illam producendam in præſentia fortioris agentis. Reſpondeo negando ſequelam, & confirmationem illius, frigidum enim, etſi minus fortè petit, & conatur adhuc in præſentia agentis fortioris ſuam producere frigiditatem, licet illam non producat, quia agens fortius illi violentiam infert. 13

Ex his inferes agens frigidum nullam vincere reſiſtentiam actiuam in expulſione caloris conſeruati à cauſa prima, & rationem reddes, cur calor etiamſi non dependeat in conſeruari ab igne hoc abſente facilius corrumpatur, quam corrumpitur eodem igne præſente. 14

Reſiſtentia actiua ſic explicata poteſt conſiderari in actu ſecundo quaſi in actuali lucta, & in ipſo certamine, & in actu primo ad luctam parata. Reſiſtentia in actu primo, eſt actus primus ſupra explicatus per ſe conſideratus quodlibet alio extrinſeco ſecluſo. Reſiſtentia in actu ſecundo, eſt idem actus ſecundus in præſentia contrarij, per poſitionem enim huius, illo ſuppoſito reſiſtentia in actu ſecundo intelligitur, quia in actu primo eſt totus conatus ad effectum producendum ad actualem luctum requiſitus, & tantum hæc non erat ex defectu contrarij, non enim poteſt intelligi lucta, & certamen niſi inter duo ſe inuicem oppugnantia, neque ad hanc requiritur effectus aliquis, quando enim duobus contrariis ſe oppugnantibus vnum producit effectum, vtrumque reſiſtit, & alterum nil agit, & caſu quo vtrumque impeditum ab altero ceſſaret ab actione, in actu ſecundo verè pugnarent, & reſiſterent nullo interueniente effectu, hic enim ſicuti illius actio non ſe tenet ex parte reſiſtentiæ, ſed eſt effectus illius, & victoria, quam reportat agens ex reſiſtentia, agens enim vt agens in præſentia contrarij dicit duo, reſiſtentiam conſiſtentem in actu primo, & victoriam conſiſtentem in actu ſecundo, Agens enim non reſiſtit actiuè per actionem, ſed per virtutem ad illam, neque reſiſtit formaliter actiua reſiſtentia agendo, ſed reſiſtit dum agit, quia dum agit per modum actus primi propendentis in effectum 15

reſiſtit

Digitized by Google

reſiſtit actiuè, & per ipſum actum ſecundum pro quo eſt reſiſtentia victoriam ſuæ reſiſtentiæ nanſciſcitur.

16 Poteſt inſuper in actu primo conſiderari reſiſtentia reſpectu duplicis termini, reſpectu effectus pruducti, reſpectu negationis effectus producendi à contrario, verbi gratia, in actu primo ignis potentis producere eſt reſiſtentia pro calore producendo, quem impedire intendit agens frigidum contrarium, & eſt reſiſtentia contra frigiditatem producendam, quam intendit impedire ignis in actu primo potens calorem producere: actus enim primus ignis petit productionem caloris, ac negationem frigiditatis, & in vtramque immediatè propendet, non enim tantùm ignis impedit frigiditatem medio calore producto, ſed immediatè, & per ſe vt patet in caſibus ſupra poſitis, dum duo agentia contraria applicantur ſubiecto nudo omni qualitatem, in quo antecedenter ad productionem caloris impedit agens calidum productionem frigiditatis, & in caſu, quo vtrumque agens eſſet æque forte, & paſſum tantùm eſſet capax vnius gradus, in vtrumque agens mutuo aliud arceret à productione qualitatis, quam intendebat producere, & non media aliqua qualitate producta.

17 Ita tamen actus primus, ſeu ignis in actu primo conſtitutus reſpicit immediatè vtrumque terminum: verbi gratia calorem, & negationem frigiditatis, vt terminum poſitiuũ primariò, & per ſe, negatiuum verò, licèt immediatè, ſecundariò & ratione alterius reſpiciat, ideò enim ignis intendit impedire frigiditatem vt producit calorem, ne videlicet frigiditas illius actionem retardet, vel ſuum effectum oppugnet, non tamen intendit producere calorem vt impediat frigiditatem, natura enim primariò intendit generationem, quæ conſiſtit in productione formæ poſitiuæ, & ſecundariò corruptionem, ſeu non eſſe alius formæ, quod in corruptione includitur.

PVNCTVM II.

Quid ſit reſiſtentia formalis.

1 RESiſtentia actiuâ explicata, formalis explicatu facilis eſt, conſiſtit in informatione formæ incompoſſibilis cum alia producenda, & in exigentia eiuſdem formæ ad ſui conſeruationem, quæ duo neceſſariò requiruntur ad reſiſtentiam, quia ſi forma tantùm eſſet incompoſſibilis cum alia, & non exigeret conſeruationem ſui, in primo congreſſu contrariæ qualitatis deficeret, & proprio abſceſſu illi aditum patefaceret, quæ inoffenſo pede abſque vlla reſiſtentia ſubiectum ingrederetur, nec ſufficit exigentia conſeruationis ſine incompoſſibilitate, quantumuis enim albedo exigat propriam conſeruationem, & illam obtineat, non ideò calori, cum quo poteſt componi reſiſtit, conſurgit ergo ex his duobus reſiſtentia formalis, quia ratione incompoſſibilitatis petit calor ne ſimul cum illo in ſubiecto reperiatur frigiditas: & ratione exigentiæ propriæ conſeruationis petit idem calor in ſubiecto permanere, quo fit, vt petat ne frigiditas in ſubiecto introducatur, & reſiſtat illius productioni, & illam iam productam petat expelli, eo ipſo quod in ſubiecto reperiatur.

2 Hanc exigentiam quam habet calor negationis frigiditatis in eodem ſubiecto prouenit ex duplici capite: primo quia calor petit eſſe in ſubiecto, & petit non comitari frigiditatem, ac proinde vt ſit in ſubiecto ſine ſocietate frigiditatis, petit id quod eſt neceſſarium, videlicet frigiditatem abijci à ſubiecto. Huius exigentiæ aliud eſt caput appetitus ad propriam conſeruationem, quem habet calor, quamque deſtruere machinatur frigiditas, cum enim calor petat ſuam conſeruationem, petit negationem illius quod hanc conſeruationem expugnat.

3 Ex his inferes reſiſtentiam formalem poſſe conſiderari reſpectu duplicis termini, videlicet reſpectu eiuſdem formæ caloris, verbi gratia, exigentis propriam durationem pro qua reſiſtit, ne deſtruatur, & reſpectu negationis formæ contrariæ, pro qua ſimiliter reſiſtit, vel quod idem eſt reſpectu formæ contrariæ, contra quam reſiſtit, vt corrumpatur, vel vt non producatur & vtraque reſiſtentia eſt immediata licet primo forma informans reſiſtat pro ſui cõſeruatione, quã pro negatione conſeruationis formæ contrariæ, vel contra illius conſeruationem, ſicuti dixi de reſiſtẽtia actiua immediatè reſpiciente effectũ, quẽ intendit producere, & negationes effectus producendi ab agente contrario, hanc ſecundariò reſpiciente, & illum primariò.

4 Rurſus reſiſtentia formalis poteſt conſiderari in actu primo, & in actu ſecundo, in actu primo eſt per ſuammet entitatem, in actu ſecundo conſtituitur per præſentiam contrarij in hoc inſtanti, vel inſtanti immediatè futuro, vt poſtea explicabo. Permanentia verò formæ in ſubiecto & negatio formæ contrariæ introductæ contra exigentiam agentis procedentis in productionem illius eſt victoria & effectus reſiſtentiæ. Cum verò forma contrario expellitur in hoc inſtanti contra exigentiam, quam habuit in præcedenti, in quo petiit conſeruationem pro hoc inſtanti, in quo fuit corrupta, reſiſtentia quæ fuit in inſtanti præcedenti dicitur in iſto deuicta. Cæterùm calor informans ſubiectum reſpectu frigiditatis in illo productæ reſiſtit ſine victoria, & inefficaciter, reſpectu verò illius frigiditatis, quæ produceretur ſi calor non informaret ſubiectum, & de facto non producitur, reſiſtit efficaciter, & cum victoria eodem modo, reſpectu gradus corrupti in hoc inſtanti inefficaciter reſiſtit in præcedenti, in quo petit non corruptionem, ſed conſeruationem pro hoc inſtanti, reſpectu verò graduum permanentium qui à contrario corrumperentur, ni ſe defenderent per exigentiam propriæ conſeruationis efficaciter & cum victoria reſiſtit forma.

5 Demum in ordine ad diuerſum tempus prius reſiſtit qualitas exiſtens in hoc inſtanti reſpectu ſuæ conſeruationis, vel pro ſua conſeruatione, quam reſpectu negationis concontrariæ qualitatis, ſeu contra exiſtentiam eiuſdem qualitatis contrariæ; qualitas enim exiſtens in hoc inſtanti non reſiſtit, ne corrumpatur in hoc inſtanti, in quo iam ſupponitur, quia reſiſtentia in hoc inſtanti inuoluit exiſtentiam reſiſtentis in eodem inſtanti: ergo ex ſuppoſitione, quod calor reſiſtat in hoc inſtanti implicat non exiſtere: ergo implicat in illo corrumpi, quia in inſtanti, in quo aliquid corrumpitur non exiſtit: ergo implicat in illo reſiſtere corruptioni faciendæ in eodem inſtanti, quia reſiſtentia in actu ſecundo debet eſſe reſpectu rei poſſibilis, & reſpectu rei, quæ ablata reſiſtentia fieri poſſet, ſed ex eo quod calor exiſtat in hoc inſtanti, non poteſt in illo corrumpi: ergo eo ipſo quod exiſtat in inſtanti *A*, non poteſt reſiſtere corruptioni pro illo inſtanti. Eodem modo aſſero calorem exiſtentem in inſtanti *A*, non exigere in actu ſecundo conſeruationem ipſius in eodem inſtanti. Hæc concluſio eſt eadem cum præcedenti diuerſo modo explicata, quia calorem exigere conſeruationem, & reſiſtere corruptioni idem eſt, ſed calor exiſtens in inſtanti *A*, non reſiſtit corruptioni pro eodem inſtanti *A*: ergo non exigit conſeruationem pro eodem inſtanti. Probatur concluſio, eodem modo. Calor exiſtens in inſtanti *A* ſupponitur conſeruatus in inſtanti *A*: ergo non poteſt efficaciter petere, neque conſequi conſeruationem pro illo inſtanti. Reſiſtit calor exiſtens in hoc inſtanti ſuæ corruptioni, vel pro ſua conſeruatione pro inſtanti ſequenti *B*, & calor exiſtens in inſtanti *A*, petit ex hoc inſtanti conſeruari in inſtanti ſequenti *B*, & quod idem eſt in illo non corrumpi.

6 Ex hac reſiſtentia reſpectu ſuæ conſeruationis alia ſuboritur reſpectu negationis contrariæ qualitatis pro eodem tempore, quia eo ipſo quod calor in inſtanti *A* petat conſeruationem pro inſtanti *B*, petit pro eodem inſtanti *B* negationem formæ contrariæ, vtpote neceſſariam ad conſeruationem, quam petet, quia ſi in inſtanti ſequenti *B* eſſet forma contraria, non eſſet in eodem conſeruatio caloris, ſic vt calor exiſtens in inſtanti *A* conſequatur id, quod petit pro inſtanti *P*, videlicet ſui conſeruationem, petit pro eodem inſtanti negationem frigiditatis oppoſitæ cum conſeruatione, quam petit.

7 Inſuper calor exiſtens in inſtanti *A*, exigit negationem frigiditatis pro eodem inſtanti *A*, quam efficaciter conſequitur, quia ex eo quod ſupponatur octauus gradus caloris in inſtanti *A*, non ſupponitur in eodem inſtanti negatio primi gradus frigiditatis independenter à reſiſtentia caloris in eodem inſtanti, imò hæc cauſalis eſt vera, quia octauus gradus caloris informat ſubiectum in inſtanti *A* non introducitur in eodem inſtanti *A* primus frigiditatis, aliàs introducendus. Hæc tamen eſt falſa, quia octauus gradus caloris exiſtit in inſtanti *A*, conſeruatur in inſtanti *A*. Exiſtentia enim in hoc inſtanti ſupponit in illo conſeruationem.

8 Obiiciès: ideo reſiſtit octauus gradus caloris primo

Digitized by Google

frigiditatis, ne ab illo corrumpatur, ſed octauus gradus caloris exiſtens in inſtanti *A*, à nullo poteſt corrumpi in illo inſtanti: ergo in illo inſtanti non reſiſtit primo gradui frigiditatis. Reſpondeo octauum gradum caloris exiſtentem in inſtanti *A*, reſiſtere introductioni primi frigiditatis, quia licet ab illo non poſſit corrumpi in inſtanti *A*, in quo iam ſupponitur, poſſet tamen corrumpi in inſtanti ſequenti *B*, vnde octauus gradus caloris petens in inſtanti *A* non corrumpi, in inſtanti *B*, reſiſtit productioni primi gradus frigiditatis, quo poſſit corrumpi in inſtanti *B*, ſi in inſtanti præcedenti *A*, fuiſſet in ſubiecto productus. Ad argumentum in forma diſtinguenda eſt maior. Ideò reſiſtit octauus gradus caloris primo frigiditatis ne ab illo corrumpatur in inſtanti, in quo exiſtit, nego maiorem: ne ab illo corrumpatur in inſtanti ſequenti, concedo maiorem: Deinde minori conceſſa nego conſequentiam.

9 Ex his inferes calorem exiſtentem in inſtanti *A*, reſiſtere ſuæ corruptioni, ſeu exigere ſuam conſeruationem, quod idem eſt pro inſtanti ſequenti, non pro illo in quo eſt: introductioni verò formæ contrariæ pro inſtanti in quo eſt & pro inſtanti ſequenti. Similiter inferes gradum expulſum frigiditatis non reſiſtere adhuc in actu primo gradui caloris producto in inſtanti, in quo expellitur, quia in inſtanti in quo expellitur iam non eſt, ac proinde non poteſt exigere ſuam conſeruationem, neque remotionem contrarij, quam conſequenter petit, reſiſtebat ergo gradus expulſus in inſtanti præcedenti propriæ expulſioni pro inſtanti ſequenti in quo facta fuit contra exigentiam, quam habuit gradus expulſionis in inſtanti antecedenti. Neque ex eo quod exigentia non ſit in inſtanti *B*, licet inferri non poſſe contra illam fieri in eodem inſtanti *B*, quia exigentia præterita erat de re futura, contra quam fieri poteſt ipſa tranſacta, ſicut fit hodie contra præceptum quod fuit heri de ieiunio hodierno, tranſacta iam exigentia præcepti, tantùm illius obligatione durante in illo, cui fuit impoſitum. Sic reſiſtentia tranſacta imponebat Deo obligationem quandam moralem, qua tenebatur ex vi authoris naturæ conſeruare entitatem, quæ fuit in inſtanti precedenti, in hoc inſtanti, eo præcisè quod in inſtanti præcedenti ipſa pro hoc inſtanti conſeruationem petiiſſet: quod ſi Deus alia cauſa naturali oppoſitum exigente hac obligatione nõ teneatur, ſicut ego non teneor præcepto impoſito, ſi aliud vrgentius cuius adimpletio incompoſſibilis eſt cum adimpletione prioris pro eodem tempore vrgeat, & de facto talem conſeruationem non exhibeat, etſi non deficiat à lege authoris naturæ, faciet tamen contra exigentiam entitatis, quæ ſuam conſeruationem auidè petierat. Hæc apprimè notanda ſunt pro ſolutione difficilis argumenti, quod adducam Punct. 4. contra ſucceſſionem actionis, quodque doctiſſimum recentiorem malè vexauit, & in ſingularem ſententiam traxit.

10 Dixi ad reſiſtentiam in actu ſecundo non requiri quod agens contrarium ſit in actu primo in inſtanti, in quo fit reſiſtentia, ſed ſufficere eſſe futurum in inſtanti ſequenti, cuius rationem ex doctrina tradita facile reddo. Primus gradus caloris petit in inſtanti *A* non produci octauum frigiditatis in inſtanti *B*, & ſufficit vt poſſit impedire, & vt de facto impediat hanc productionem, quod agens habens virtutem ad producendum octauum frigiditatis ſit in actu primo ad illam producendam in illo inſtanti *B*, quia ſi in illo ceſſet actio, ex vi exigentiæ, quam habuit primus gradus caloris in inſtanti *A*, dicetur hic primus gradus reſtitiſſe efficaciter in inſtanti *A* octauo frigiditatis producendo in inſtanti *B*, etiamſi principium illum producturum non fuerit in actu primo in inſtanti *A*, ſed in inſtanti *B*, imò impertinens eſt vt agens impediatur in inſtanti *B* illud fuiſſe in actu primo in inſtanti *A*.

11 Alia eſt differentia inter reſiſtentiam actiuam, & formalem, quod reſiſtentia actiua impetitur ab alia actiua, & duæ reſiſtentiæ actiuæ inter ſe digladiantur, vt patet in duobus agentibus applicatis eidem ſubiecto, quorum virtus actiua vnius retardat virtutem actiuam alterius. Cæterùm reſiſtentia formalis non ceſſat cum alia reſiſtentia formali, nulla enim illarum alteram impetit, vbi autem non eſt impetus ex vna parte ſaltem, non poteſt eſſe lucta, & concertatio, ſed cum actiua, quæ illam impugnat, & à qua vincitur, cùm vincitur, non ab alia formali, quia reſiſtentiæ formales tantùm curant de defenſione qualitatis, pro qua reſiſtunt, & quælibet qualitas per formalem reſiſtentiam ſe ipſam in proprio ſubiecto tuetur, vnde reſiſtentiæ qualitatum exiſtentium in diuerſis ſubiectis ſunt in ordine ad ſubiecta diuerſa, ac proinde nullam poſſunt in ſe habere oppoſitionem, calor enim in igne per formalem reſiſtentiam tantùm reſpicit ignem, & frigiditas in aqua formaliter reſiſtens aquã tantùm intuetur. Pugnat ergo reſiſtentia formalis cum virtute actiua contrarij, à qua impeditur, cuius conatui formaliter reſiſtit, virtus enim actiua ignis intendit producere calorem in aqua, & reſiſtentia formalis frigiditatis exiſtenti in aqua, igni reſiſtit, exigit conſeruationem eiuſdem frigiditatis in ſubiecto, in quod ignis calorem introducere intendit.

Obiicies: quando agens calidum intendit producere calorem in paſſo, frigiditas paſſi tantùm ſe ipſam tuetur petendo à Deo, ne ab actione conſeruatiua illius motus exigentiã agentis calidi deſiſtat, ſed potius illud coërceat, ne calorem in ſuo ſubiecto producat, quo facto Deus quaſi ad preces frigiditatis illam conſeruat contra exigentiam caloris intendentis illam deſtruere: ergo frigiditas non reſiſtit, ſi quidem non eſt, quæ immediatè detinet agens calidum, ne agat, ſed Deus ad inſtantiam frigiditatis, qui illius exigentia exoratus, illam manu tenet per continuationem, & agens calidum coërcet ne in frigidum agat. 12

Reſpondeo verum eſſe frigiditatem ab agente calido laceſſitam nil aliud agere, quàm ad Deum confugere, vt illam conſeruet, & ne cum agente calido concurrat, Deúmque immediatè eſſe, qui denegat agenti id, quod petit, & concedit paſſa, quod intendit, cùm hoc victor euadit, & è contra, quando vincit agens, nihilominus non dicitur Deum reſiſtere, ne calidum agens calorem inducat, ſed frigiditatem exigentem, vt Deus cum agente calido non concurrat, ſed potius vt ipſam conſeruet, quià licet Deus deneget agenti victo, quod petit, & tribuat paſſo victori, quod exigit, vel è contra, hoc non facit ex ſe, ſed tanquam author naturæ, illius legibus ductus, illiúſque munus eſt iuxta exigentiam cauſarum operari, id autem quod Deus operatur ad exigentiam cauſarum naturalium tali deficiente exigentia non operaturus, cauſis naturalibus tribuitur. 13

Cæterùm Deus cùm denegat concurſum agenti, cui repugnat qualitas exiſtens in paſſo, vel quando contra exigentiam eiuſdem qualitatis illam deſtruit, quia illius deſtructionem exigit agens, quatenus eſt ex ſe indifferens eſt, vt faueat agenti actiuè petenti, vel qualitati in paſſo formaliter reſiſtenti, illíque annuit quod maiori impetu, ſeu conatu propendit in terminum ſuæ exigentiæ, quod ex vi authoris naturæ præſtare tenetur, ac proinde ex ſe Deus neque agenti, neque paſſo, neque pro paſſo, aut agente reſiſtit, ſed iuxta reſiſtentiam illorum operatur. Rem exemplo illuſtro. Habet ſe Deus in pugna qualitatum inſtar Iudicis, qui auditis ab vtraque parte allatis pro iure hæreditatis, de qua lis ſuboritur, vtrique ius dicit, & hæreditatem alteri tribuit, cui potiori iure illi competebat, quo caſu non dicitur Iudex reſtitiſſe parti deuictæ, etiamſi vincenti hæreditatem donarit, ſed pars vincens, quæ diuictæ ius alio potiori deſtruxit. 14

Inquires, an in calido vt octo reſiſtant omnes gradus qualitatis primo frigiditatis introducendo: Reſpondeo in opinione quæ conſtituit ſubordinationem graduum tãtùm reſiſtere octauum, qua hic tantùm opponitur cum primo gradu, in opinione verò quæ illam denegat omnes reſiſtere, ac proinde primus gradus frigiditatis introductus victoriam reportat de omnibus præexiſtentibus in ſubiecto, in gradu enim quem expellit medio producto vincit agens gradum expulſum, & alios ſeptem, qui illius actioni reſiſtebant; nihilominus diuerſo modo vincuntur ſeptem remanentes, & octauus expulſus, omnes enim reſiſtebant introductioni, ne expellerentur à ſubiecto, quia cùm vnus eſſet expellendus, & non eſſet maior ratio vnius, quàm alterius, quilibet poterat expulſionem timere, verumtamen cùm vincuntur contrario producto, licet omnes octo fuerint victi, tamen vnicus tantùm expulſus damnum inimicæ victoriæ expertus eſt, omniúmque diſſidium, & inimicitias perſoluit, & in ſe ipſo virtus dicitur; reliqui verò remanentes non in ſe ipſis, ſe in expulſo deuicti fuêre. 15

Tandem in vtráque ſententia paſſum frigidum vt octo ad præſentiam agentis calidi potentis octo gradus caloris producere, etiamſi tantùm vnum producat, reſiſtet ſecundùm omnes ſuos gradus; ne agens producat octo gradus, quos producere intendit, non enim eſt reſiſtentia tantùm 16

reſpectu

Digitized by Google

reſpectu gradus producti, ſed reſpectu illorum, qui producerentur, ſi qualiras contraria non reſiſteret, ideò enim non producuntur, quia qualitas contraria reſiſtit, & reſpectu illorum, qui non producuntur, reſiſtentia efficax eſt, & qualitas victrix euadit; reſpectu verò illius, qui fuit productus reſiſtentia fuit inefficax, & qualitas reſiſtens manſit euicta. Dixi paſſum frigidum vt octo reſiſtere ſecundùm omnes ſuos gradus ad præſentiam agentis potentis producere octo gradus caloris, in qua re abſtraho, an agens poſſit producere octo gradus caloris, & tantùm quantum in ſe habet, ſed ad naturam reſiſtentiæ explicandam affirmo in opinione conſtituente ſubordinationem graduum, paſſum reſiſtere ad præſentiam agentis ſecundùm illos gradus, quos in ſe habet oppoſitos gradibus illis, quos agens producere intendit, ſiue illos producat, ſiue non producat.

PVNCTVM III.

De ordine reſiſtentiæ actiuæ, & formalis qualitatis.

1 EXplicara natura reſiſtentiæ formalis, & actiuæ conſtat non eſſe idem qualitarem reſiſtere formaliter, & actiuè, ſed ſuboritur difficultas quæ qualitas aliam ſuperet in reſiſtentia actiua, & quæ aliam excedat in formali reſiſtentia. De reſiſtentia actiua facilè ſoluitur; conſtat enim inter primas qualitates, calorem omnes antecellere actiuitate, celerius enim calefit paſſum ab agente calido, quam frigefit à frigido. Deinde frigiditatem actiuitate humiditatem, & ſiccitatem ſuperare fatentur omnes eadem experientia. Tandem tertio loco conſtitur humiditas, & quarto ſiccitas, huius enim actiua virtus adeò eſt exilis, vt de illa multi non immeritò dubitauerint.

2 Maior eſt difficultas de reſiſtentia formali, in qua Patres Conimb. 1. de generet. cap. 9. quæſt. 3. art. 3. aſſerunt inuerſo modo res ſe habere, ſiccitatémque omnium acerrimè pugnare, & hac de cauſa infirmitas, quæ in ſiccitatem delabitur, difficillimè curatur. Scundam qualitatem in reſiſtendo aſſerunt eſſe humiditatem, tertiam frigiditatem, quartam verò calorem: atque hunc ordinem variis experientiis compertum eſſe reſtantur. Hurtadus diſp. 9. ſect. 10. eundem ordinem probar, & approbar, aſſeritque §. 120. negari non poſſe qualitates actiuas minus habere reſiſtentiæ, quò plus habent actiuitatis, vt patet in ſiccitate, quæ difficile expellitur à ſubiecto, & virtute actiua eſt omnium imperfectiſſima. Deinde quia ſi virtus actiua eſſet æqualis reſiſtiuæ, non poſſet eſſe reactio, quia ſi ignis reſiſteret æquè aëri, ac in illum efficit, cum illum ſuperet actiuitate, etiam reſiſtentia ſuperabit, vnde aër non poterit ſua actiuitate ignis reſiſtentiam euincere, neque in illum agere. Eandem concluſionem tradit Arriaga diſp. 3. ſect. 11. num. 179. quam eadem ratione ſic probat, ſi qualitas illa, quæ præcellit actuitare, præcelleret etiam reſiſtentia, ſemper victoriâ potiretur, neque vnquam poſſet à ſubiecto pelli, cuius oppoſitum experientia ſuadet, ex quo concluditur neceſſarium eſſe exceſſum vnius in actiuitate compenſari exceſſu alterius in reſiſtentia.

3 Sanè horum Doctorum venia illorum rationi minimè acquieſco, quam refellere efficaciſſimè præſumo. Demus enim calorem vincere frigiditatem non tantùm actiuitate, ſed etiam reſiſtenria, nihilominus non infertur frigidum non poſſe in calidum agere, quia etiamſi reſiſtentia calidi maior ſit reſiſtentia frigidi, frigidum non impetit calidum ſua reſiſtentia, ſed ſua actiuitate, vt probabam Puncto præcedenti, num. 11. ergo ſi actiuitas frigidi maior ſit reſiſtentia calidi, etiamſi huius reſiſtentia vincat reſiſtentiam frigidi, & actiuitas eiuſdem calidi excellat actiuitatem caloris, frigidum poterit agere in calidum quia in pugna harum qualitatum reſiſtentia non congreditur cum reſiſtentia, ſed cum actiuitare: ergo victoria expectanda non eſt ex exceſſu inter reſiſteuriam, & actiuitatem. Hanc rationem attentè meditator, eſt enim contra communem ſententiam, illiúſque fundamentum impugnat, & ni fallor, efficaciſſimè.

4 Obiicies ex doctrina Hurtadi, calidum reſiſtit frigido æquè, ac in illud efficit: ergo reſiſtentia caloris, eiúſque actiuiras ſunt eiuſdem perfectionis. Deinde ſi frigidum æquè reſiſtit calido, ac agit in illud, virtus reſiſtiua, & actiua frigiditatis ſunt eiuſdem perfectionis: ergo ſi virtus actiua caloris eſt fortior virtute actiua frigiditatis, erit etiam fortior virtute reſiſtiua eiuſdem. Conſequentia eſt euidens, quia eo ipſo quod virtus actiua caloris ſit perfectior virtute actiua frigidiratis, eſt perfectior omni alio æquali virtuti actiuæ frigiditatis, ſed virtus actiua, & reſiſtentia frigiditatis ſunt æquales; ergo ſi virtus actiua caloris eſt perfectior virtute actiua frigiditatis, etiã erit perfectior virrute reſiſtiua eiuſdẽ. Inuerſo ordine fit idem argumentum: virtus actiua, & reſiſtiua caloris ſunt eiuſdẽ perfectionis: ergo ſi virtus actiua, & reſiſtiua frigiditatis vincuntur virrure actiua caloris, vincentur neceſſariò virtute reſiſtiua eiuſdem, quia quod vincitur ab aliquo ſuperiori, vincetur neceſſariò ab omni alio illi ſuperiori æquali: ergo quomodocunque comparentur virtus actiua, & reſiſtiua frigiditatis cum virtute actiua, & reſiſtiua caloris: ſemper virtus frigiditatis vincetur, & caloris virtus victoriam reportabit.

Hoc argumento inſigni laborat æquiuocatione: ego enim 5
non teneor aſſerere quamlibet qualitatem eſſe æquè actiuam, & reſiſtiuam, quod ſupponit obiectio, fatebor enim ignem eſſe magis actiuum, quam reſiſtiuum, idémque concedam frigido, & cuicumque agenti, ſed tantùm negabo de medio tolli actionem, & reactionem ex eo, quod calor vincat virtute actiua & reſiſtiua frigiditatem: comparata virtute actiua cum virtute actiua; & reſiſtiua cum reſiſtiua, ad hoc enim vt frigidum agat in calidum neceſſe non eſt virtutem reſiſtiuam frigidi vincere reſiſtiuam calidi, ſed hanc virtute actiua frigidi ſuperari, quæ victoria eſſe poteſt, etiamſi virtus reſiſtiua frigidi minor ſit virtute reſiſtiua calidi. Rem explico: Pono virtutem actiuam caloris eſſe perfectam vt octo, & virtutem reſiſtiuam eiuſdem perfectam vt quatuor, deinde virtutem actiuam frigiditatis eſſe perfectam vt ſex, & reſiſtiuam eiuſdem vt duo, etſi comparetur virtus actiua cum actiua, & virtus reſiſtiua cum reſiſtiua, ſemper vincet virtus caloris, ſi non comparetur virtus actiua frigiditatis, cum virte reſiſtiua caloris vincet virtus frigiditaris, quæ victoria, & non alia, ad ſummum eſt neceſſaria, vt frigidum poſſit in calidum reagere. Res eſt luce clarior.

Ecce Achilles iacet communis ſententiæ, ſed minori 6
ipſum opera ruere volo. Age iam omitto virtutes formaliter reſiſtiuas inter ſe non dimicare, & calorem vincere ſecundùm actiuitarem, & reſiſtentiam, actiuitatem & reſiſtentiam frigiditatis, quomodocumque comparetur, non ideo de medio auferetur reactio, quia duobus contrariis pugnantibus magis forte poteſt in aliquo vinci, dum maiorem aliam victoriam reportet, patet in virtutibus actionis inter ſe dimicantibus nulla intercedente formali reſiſtenria, exempli gratia, applicentur paſſo omnino nudo agens calidum, & frigidum aliud. Calidum fortius quinque gradus caloris producet, frigidum tres: ergo frigidum minus forte vincet in tribus gradibus, etſi vincatur in quinque gradibus: ergo etiamſi vnum agens omnibus penſatis ſit fortius alio, poteſt aliquid pati ab illo, præcipuè in pugna qualitatis actiuæ cum formali, in qua ſecundùm opinionem aſtruentem ſubordinationem graduum formaliter reſiſtit vnicus tantùm octauo introducendo, & omnes gradus agentis illum deſtruere machinantur ſecundùm opinionem aſſerentem gradum inferiorem produci ab omnibus ſuperioribus: ergo etiamſi calor ſit magis reſiſtiuus, quàm frigiditas actiua & reſiſtiua, poterit hæc ab illo nonnullam ferre victoriam. Supereſt inſuper alia differentia inter reſiſtentiam actiuam, & formalem, quæ plurimum conducit, vt actiua, etſi minus fortis, poſſit reagere, reſiſtentia enim actiua ſemel deuicta poteſt iterum dimicare, manet enim integra virtus, etiamſi vincatur cum impeditur ab actione: reſiſtentia verò formalis deuicta non iterum ſe inſtaurare poteſt, non enim manet integra dum vincitur, ſed perit ſecundùm illum gradum, in quo vincit agens: ergo quantumuis calor ſit reſiſtiuus, & frigiditatem vincat reſiſtenria, deinde actiuitate, poterit actiuitas frigiditatis in aliquo vincere reſiſtentiam caloris.

Tandem ſicut in duobus agentibus exceſſus maioris vir- 7
tutis in vno poteſt compenſari minori effectu producendo, in quo vincat minus forte, v. g. potentius erit frigidum imbecillius ad conſeruandum vnum gradum frigiditatis, quàm calidum fortius ad octo gradus caloris ſimul conſeruandos, ſic poterit cõpẽſari exceſſus virtutis actiuæ, & reſiſtiuæ vnius qualitatis reſpectu virrutis actiuæ, & reſpectu reſiſtiuæ

Digitized by Google

reſiſtiuæ aliis, quin de medio tollatur actio & reactio, & mutua victoria, ſed tantùm inferatur minus forte leuem reportaturum triumphum, & magis forte excellentiorem triumphum acturum in actione reſpectu ſuæ repaſſionis.

Ratio, quæ probat ſiccitatem eſſe maximè reſiſtiuam ex morbo, qui in ſiccitatem relabitur, efficax non eſt, cui poſ-
8 ſet aliquis reſpondere, Hoc non prouenire ex maiori reſiſtentia ſiccitatis, ſed ex minori actiuitate contrarij, ſed ſi demus morbum labentem in ſiccitatem eſſe curatu difficillimum, hoc dici nequit, quia ſiccitas eſt minus actiua, quàm humiditas, vnde ex hoc capite difficilius hæc à ſubiecto, quàm illa pelleretur. Reſpondeo ſiccitatem expellendam eſſe humidirate, vnde quo difficilius producitur humiditas, difficiliùs ſiccitas expellitur quantumuis minimam reſiſtentiam habeat, quia tamen medicina pauciora agentia habeat, quibus poſſit vti ad humiditatem producendam, difficiliùs poteſt expellere à ſubiecto ſiccitatem, quam calorem, aliámve qualitatem.

9 Neque obeſt plura eſſe agentia in rerum natura productiua humiditatis, quàm ſiccitatis, quia medicina non poteſt vti quibuſcumque agentibus humidis, ſed tantùm attemperatis ſecundùm alias qualitates, ne viuentis temperamentum diſſoluant. Addo per ſiccitatem corrumpi partes humidi radicalis, quibus corruptis nullo medicamento poteſt damnum illius corruptionis reſarciri.

10 Ex dictis conſtat nullum eſſe fundamentum, quo communis ſententia docet virtutes actiuas eſſe minus reſiſtiuas; reſtat modò quid dicendum ſit explicare. Aliqui recentes putant vnam qualitatem non poſſe eſſe magis reſiſtiuam alia, quia reſiſtentia fit per incompoſſibilitatem formarum, omnes autem formæ contrariæ ſunt æquè incompoſſibiles. Diſplicet ratio, quia etiamſi calor ſit æquè incompoſſibilis cum frigiditate, & frigiditas cum calore, & ſemel quacumque introducta contrario expellatur, poteſt tamen calor fortius inhærere ſubiecto, & difficilius expelli. Contra hanc rationem ſic nonnulli inſurgunt: quantumuis fortiter calor ſubiecto inhæreat, agens frigidum illum expellet per productionem tantùm frigiditatis: ergo ſiue magis, ſiue minus fortiter calor inhæreat ſubiecto, æquè corrumpetur ab agente frigido, quia ſemper corrumpetur per productionem eiuſdem formæ. Reſpondeo agens frigidum per productionem frigiditatis expellere calorem quocumque modo inhæreat ſubiecto, verumtamen quo fortius calor inhæret ſubiecto, eo difficilius agens frigidum producit frigiditatem, & corrumpit calorem. Rationem accipe. Calor eo ipſo quod petat eſſe in hoc ſubiecto, petit ne frigidum agens in eodem frigiditatem producat, vnde quò fortius petit eſſe in illo, fortius exigit ne producatur frigiditas: ergo agens frigidum maiorem illam exigentiam ſuperare debet, vt producat frigiditatem, & vt calorem corrumpat.

Conſtat poſſe vnam qualitatem eſſe magis reſiſtiuam
11 alia, quia poteſt eſſe qualitas quæ fortius, & efficacius petat conſeruationem ſui, & remotionem contrariæ qualitatis. Hanc concluſionem tenent omnes, qui ordinem impugnatum virtutis reſiſtiuæ aſſignabant in qualitatibus, quam rectè explicat Suar. diſp. 43. ſect. 1. num. 12.

Dicendum eſt ex actione, & reactione inter qualitates
12 non poſſe inferri virtutem reſiſtiuam huius qualitatis vincere aliam reſiſtiua virtute, quia vt ſæpe dixi, pugna non eſt inter virtutes reſiſtiuas, quo fundamento ablato ſatis probabiliter dici poteſt qualitates magis actiuas eſſe magis reſiſtiuas. Hanc concluſionem docet Valeſius libr. 1. Controuerſ. Medicarum, quam exiſtimo nullo efficaci fundamento poſſe probari, illam tamen probabiliter coniector ex perfectione qualitatum, quia qualitas magis actiua perfectior eſt alia minori actiuitate prædita: ergo maior virtus reſiſtiua illi tribuenda eſt, quia niſi aliunde conſtet oppoſitum, perfectioribus entitatibus perfectiores virtutes tribuere debemus.

Obiicies ſequi ex dictis nullum eſſe fundamentum ad
13 probandum calorem vincere actiuitate frigiditatem, maior enim celeritas in actione caloris poteſt tribui minori reſiſtentiæ frigiditatis, & quod tardius & remiſſius operetur frigiditas poteſt oriri ex maiori reſiſtentia caloris. Reſpondeo inferri non poſſe ex hoc capite propter rationem dictam, probari tamen ex maiori actiuitatis ſphæra: in maiori enim diſtantia paſſum calefit à ſubiecto calido, quàm frigefiat à ſubiecto frigido, quod non poteſt præciſè prouenire ex maiori reſiſtentia contrarij, quia hæc tandem vincitur virtute actiua ſucceſſiuè effectum producente ſemper cum minori reſiſtentia formali, quo intenſiorem effectum producit, vt Puncto ſequenti explicabo.

PVNCTVM IV.

Statuitur ſucceſſio alterationis, illiúſque cauſa explicatur.

QValitatem omnem habentem contrarium non produci totam ſimul, neque ſecundùm extenſionem, neque 1
ſecundùm intenſionem, monſtrat manifeſta experientia, qua noſcimus ignem applicatum citius calefacere partem primam paſſi, deinde diſtantem, ex quo infertur ſucceſſio quoad extenſionem, deinde experimur remiſſiorem calorem ſentiri in primo inſtanti, quo paſſum applicatur, quàm in aliis ſequentibus. Quòd ſi non præ oculis, præ tactu ſucceſſione caloris intenſi oſtenditur; huius ſucceſſionis cauſam in præſenti inueſtigamus.

§. I.

Perdocti Magiſtri ſententiam refero, & refello.

ITa difficile viſum fuit doctiſſimo recentiori cauſam ſuc- 2
ceſſionis in alteratione aſſignare, vt re deſperata ſatius illam negare, quàm defendere iudicarit, & ita aſſeruit eodem agente omnino inuariato eamdem qualitatem eſſe producendam in primo inſtanti, ac in ſequentibus quocumque agente contrario reclamante, quam concluſionem ſic probat, & contra ſucceſſionem alterationis inſurgit. Agens calidum in ſecundo inſtanti conſeruat effectum productum in primo, verbi gratia, conſeruat primum gradum caloris, & producit ſecundum: ergo in primo inſtanti potuit primum gradum producere, & ſecundum. Probat conſequentiam: Eadem virtus requiritur ad conſeruandū, & ad producendum: ergo agens potens ſimul conſeruare vnum gradum qualitatis, & producere alium, poteſt ſimul vtrumque producere, ſed eamdem virtutem habuit agens in primo inſtanti, ac habuit in ſecundo: ergo ſi in ſecundo poteſt producere vnum gradū, & conſeruare, aliū in primo potuit vtcumque producere. Neque iuuat, ait hic recens ad reſiſtentiā cōtrarij recurrere, quia quando agens in ſecundo inſtanti conſeruat gradum productum in primo, & producit ſecundum gradum, vincit contrarium in duobus illis gradibus: æquè enim eſt contra illius exigentiam conſeruatio primi gradus, & noua ſecundi productio, cùm contrarium intendat deſtruere gradum conſeruatum eodem modo, ac intendit ne producatur illius gradus: ergo nulla poteſt aſſignari ratio, propter quam perſeuerans idem agēs cum eadem virtute poſſit in ſecundo inſtanti conſeruare vnum gradum, & producere alium in præſentia contrarij, & non potuerit in primo inſtanti vtrumque producere.

Hac ratione ductus aſſerit nullum agens poſſe produ- 3
cere in ſecundo inſtanti effectum, quem non produxit in primo, ſi aliunde in ſecundo non augeatur, cúmque manifeſtè oſtendat experientia paſſum frigidum applicatum agenti calido ſucceſſiuè calefieri, rem ita cōpoſuit. Agens calidum vt ſex applicatum frigido, in primo applicationis inſtanti producit totum calorem, quem poteſt, v. g. calorem vt quatuor; deinde paſſum iam calidum vt quatuor ab agente calido vt ſex aliquid caloris producit in ipſo agente, à quo fuit calor vt quatuor productus, quo fit vt calor agentis intendatur, & iam non ſit calor vt ſex tantùm, ſed vt ſeptem, vel vt octo, ratione cuius maioris intenſionis maiores vires habet in ſecundo inſtanti, quam habuit in primo, & ita poteſt in tali ſecundo inſtanti conſeruare, & producere effectum, quem non potuit in primo producere, in quo remiſſius erat.

Quanta hic meſſis ſe offert matura falci! quanta facili 4
manu occurrunt amputanda! Mitto doctrinam hanc, ſupponere ſimile poſſe agere in ſimile, & agens remiſſum in paſſum intenſum, totâ Philoſophiâ in contrarium reclamante. Parco poſſe ſecundùm hanc doctrinam agens calidum propriâ virtute reſarcire damna illata ab agēte frigido, ita vt tanta illius intenſio remitteretur per vnicum inſtans, quantam intenſionem in ſequenti inſtanti recuperaret, ſi enim agens calidum in ſtanti producit tres gradus caloris in ſubiecto, & patitur duos frigiditatis, totidémque caloris amittit, tres gradus caloris producti in ſubiecto in

Digitized by Google

inſtanti *B* producent in illo, à quo fluxere, duos caloris, quibus compenſabitur iactura caloris, quam agens calidum in inſtanti præcedenti fuit paſſum, & ita illius remiſſio nunquam poterit vltra progredi.

Inſuper vt hic dicendi modus ſuſtineri valeat, neceſ-
5 ſum eſt vt in quolibet inſtanti producat ſimul quodlibet agens ſaltem tres gradus intenſionis. Ratio eſt, quia ſi in hoc inſtanti *A*, agens calidum producit in paſſo duos gradus caloris, hi duo cùm non poſſint producere tantam intenſionem, quantam in ſe habent, tantùm reagent in ſubiectum, à quo duxerunt vnicum gradum caloris, qui gradus non poterit iterum intendere calorem ſubiecti, quia gradus, qui ſupponebantur, iam produxerunt quidquid poterant (ego cum recentiori conſtituente continuum ex punctis indiuiſibilibus,) gradus verò adueniens, cùm non poſſit producere effectum ſibi æqualem, neque ſit poſſibilis remiſſior alius, nullum poterit producere, vnde vt per breuiſſimum tempus duret actio agentis, & remiſſio paſſi, neceſſum eſt innumeros ferè gradus agens ſimul producere, quia in quolibet breuiſſimo tempore ſunt innumera ferè inſtantia, & in quolibet inſtanti producitur remiſſior qualitas, quam in præcedenti.

6 Tandem hanc ſententiam efficaciſſimè impugno. Agens calidum vt ſex producit in inſtanti *A*, tres gradus caloris in paſſo: hi tres gradus caloris producti in paſſo in inſtanti *B* ſequenti produxere duos alios gradus in præcipuo agenti, quibus magis intenſus illius calor potuit tres gradus caloris in paſſo productos intendere; ergo tres illi gradus caloris producti in paſſo potuerunt in eodem inſtanti *A*, in quo fuére producti, producere duos illos gradus in ſubiecto, à quo dimanarunt, quia non repugnat effectũ eodem tempore in quo producitur, producere alium, vt patet in luce Solis, quæ in eodem inſtanti, in quo producitur, aliam producit. Secundò, gradus caloris producti in paſſo eiuſdem ſunt virtutis in inſtanti, quo primo producuntur, & in ſequenti: ergo in primo inſtanti produxerunt quidquid poſtea producere poſſent.

Negat priorem conſequentiam hic Author. Ad confir-
7 mationem reſpondet. Agens poſſe producere effectum in inſtanti, quo primo producitur, ſi paſſum talem effectum recepturum non ſit impeditum, quia tamen agens in inſtanti *A*, quo tres produxit gradus caloris, eſt impeditum duos alios recipere, ideò tres gradus caloris producti in paſſo non producunt duos alios in agenti in primo inſtanti, licèt in illo virtutem habeant eos producendi, ſed in inſtanti ſequenti *B*, in quo impedimentum aufertur: Hoc impedimentum ſic explicat. Ponit ſubiectum nudum omni qualitate, cui applicantur duo agentia, vnum calidum, & frigidum aliud, quæ mutuò ſuas actiones retardant, quia tamen calidum fortius eſt, inducit quinque gradus caloris: frigidum verò tres ex quibus octonarius numerus completur, quem non poteſt excedere ſubiectum in gradibus caloris, & frigiditatis. En ſupponitur in inſtanti *A*, paſſum recipere tres gradus frigiditatis, & quinque caloris: ergo in eodem inſtanti quinque gradus caloris non poſſunt producere alium. Probatur conſequentia. In illo inſtanti non poteſt expelli aliquis ex illius gradibus introductis, quia in eadem menſura non poteſt qualitas produci, & corrumpi, aliàs in eodem inſtanti eſſet, & non eſſet: ergo non poteſt produci gradus alius caloris. Probatur conſequentia. Non poteſt produci gradus caloris, quin expellatur alius frigiditatis, ſed non poteſt expelli vllus gradus frigiditatis: ergo neque caloris poterit produci: in inſtanti verò ſequenti, cùm poſſint corrumpi gradus producti in antecedenti, poſſunt quinque gradus caloris producti alium producere.

8 Sed ſibi inſtitit hic Author, & ſatis ad rem: cur quinque gradus producti in paſſo non producunt aliquid in principali in illo primo inſtanti ſuæ productionis? Reſpondet: nam vel in hoc tempore agens calidum perdidit aliquid, vel non; Si non perdidit, habet expletam capacitatem caloris vt octo, & ita non poteſt aliquid caloris recipere. Si perdidit: ergo in illo inſtanti productum eſt in aliquid frigiditatis: ergo in illo non poteſt talis frigiditas expelli, quia in eodem inſtanti, vt ſæpe dictum eſt non poteſt exiſtere, & non exiſtere frigiditas: ergo non poteſt introduci calor, quia hic non poteſt non expulſa frigiditate introduci.

9 Ne videar huic recentiori impegiſſe in doctrinam, quam ipſe tradit de prioritate ſignorum, quod ipſe de multis conqueritur fateor certiſſimam eſſe doctrinam, qua docet gradum frigiditatis ſuppoſitum in hoc inſtanti in eodem non poſſe expelli, quia quod ſupponitur in aliquo inſtanti, exiſtit in illo, & id quod expellitur non exiſtit in illo, in quo expellitur, ſed eadem entitas non poteſt exiſtere, & non exiſtere in eodem inſtanti: ergo non poteſt in eodem inſtanti ſupponi, & expelli. Deinde certum eſt entitatem ſupponi exiſtentem in inſtanti, in quo producitur, ac proinde non poſſe in eodem expelli. Hæc doctrina Magiſtro indiget, non propugnatore, paucis enim ad prima principia reducitur, ſed his poſitis hunc recentioré ſic impugno. 10

Aſſerit quinque gradus caloris non poſſe producere alium, quia producuntur tres frigiditatis quos in eodem inſtanti non poteſt expellere. Fateor admiſſa ſemel productione trium graduum frigiditatis euidenter reſpondere, ſed inquiro, cur illi quinque gradus caloris non impedierint productionem trium frigiditatis prius natura, quam producerentur, ſi enim in inſtanti ſequenti *B* valent illos expellere: ergo in inſtanti *A*, quo fuerunt primo producti, potuerunt illos impedire, non enim maior vis requiritur ad impediendam frigiditatem, quam agens producere intendit, quam ad illam iam productam expellendam.

Dices quinque gradus caloris ſupponere productionem 11
trium frigiditatis, ac proinde non poſſe illam impedire. Contra tamen. Quinque gradus caloris non ſupponunt productionem trium frigiditatis priorem natura, quia gradus caloris non dependet à productione trium frigiditatis, vt per ſe patet, neque priorem tempore, quia ſimul producuntur omnes: ergo nullo modo ſupponunt quinque gradus caloris productionem trium frigiditatis. Dices productionem quinque graduum caloris, & trium frigiditatis eſſe ſimul tempore, ſed ego inquiro cur quinque gradus caloris non impedierint hanc ſimultatem temporis impediendo productionem trium frigiditatis; qualitas enim in primo inſtanti in quo producitur, poteſt impedire productionem qualitatis, quam in illo inſtanti intendit produc[illegible] ens contrarium, & conſequenter ſimultatem temporis [illegible]m cum illa haberet qualitas, quæ produceretur, ſi illius productionem permitteret alia qualitas producta in eodem inſtanti. Ego ſanè aſſererem, quinque gradus caloris productos in paſſo non poſſe producere alium gradum caloris in illo inſtanti, neque in ſequenti, quia nihil poſſunt producere in ſubiecto aſſimilato, ſeu habente intenſiorem qualitatem, ſicuti eſt agens, neque in ſubiecto, in quo ſunt, à quo expellere frigiditatem inhærentem non valent.

Venio iam ad rationem quam aſſignat, propter quam 12
quinque gradus caloris non poſſint aliquid producere primo ſuæ productionis inſtanti in ſubiecto, à quo fluxerunt. Illius memoriam excito; ſic paulò antea dicebat. Agens in illo inſtanti, vel perdidit aliquid caloris, vel non perdidit, &c. Reſpondeo perdidiſſe aliquid caloris, quo deperdito non potuit impediri introductio frigiditatis, quæ ſupponitur ad expulſionem caloris, neque frigiditas expelli, quod ſuper libens huic recentiori concedo, ſed adhuc integra manet impugnatio. Inquiro enim. Cur perdiderit calorem, & introducta fuerit frigiditas in inſtanti. Cur totum hoc fuit impeditum calore producto, vel conſeruato in paſſo in eodem inſtanti, quia vt paulò antea dicebam calor valens in inſtanti immediato ſuæ productionis corrumpere effectum, valet in primo ſuæ productionis inſtanti eumdem impedire, qui, neque prius natura, aut tempore ſupponitur productus?

Reſpondeo ſecundò, agens in illo inſtanti nihil perdi- 13
diſſe, poſſe tamen augeri, qui à principio non fuit ſummè intenſum, ſed tantùm calidum vt ſex, ſicut enim ille ad ſuam concluſionem explicandam ſupponit caſum, in quo applicetur agens calidum vt octo, ſic ego ad meam impugnationem aperiendam caſum ſuppono, in quo applicetur calidum vt ſex, quem admittere debet.

Deinde vt appareat quàm inefficax ſit ſolutio tradita ab 14
hoc Authore, animaduertas, quæſo, eodem modo poſſe applicari ſecundo inſtanti conſeruationis caloris, ac primo ſuæ productionis. Dico enim, in ſecundo inſtanti quinque gradus caloris nil poſſe producere in principio, à quo fluxere, quia vel tale agens in illo ſecundo inſtanti perdit aliquid caloris, vel non perdit: ſi non perdit, eſt expleta capacitas, ſicuti in primo, & non poteſt augeri: ſi perdit, non poteſt non deperdere, neque non introduci frigiditas, neque produci calor, quia in eodem inſtanti non poteſt

Digitized by Google

poteſt expelli, & introduci frigiditas. Dices, agẽs perdidiſſe calorem, & acquiſiuiſſe frigiditatem in primo inſtanti productionis quinque graduum, ac proinde in ſecundo poſſe hanc iacturam reſarcire, eodem modo dicam ego, agens perdidiſſe calorem deſtructum ab alio agenti in inſtanti præcedenti primam productionem horum quinque graduum, & applicationem huius paſſi.

15 Has omnes difficultates fugiſſet hic Author, ſi doceret dum illi in hac re alia difficultatem fugiendi via non apparebat, calorem non conſeruari à cauſa producente, ſed à Deo, ſi enim rectè explicaretur ſucceſſio qualitatis, licet enim hic philoſophandi modus minus philoſophicus viſus fuerit, non tamen eſſet aliquibus ſectatoribus deſtitutus, multi enim illum inſequuntur, & ſanè magis alienum eſt à Philoſophia aſſerere agens remiſſum poſſe agere in paſſum intenſum, poſſéque agens, & paſſum ſecundùm eamdem qualitatem ad inuicem reagere, & ſe mutuò fouere, quæ omnia communis ſententia negat, & efficaciſſimè impugnantur rationibus ſuprà factis. Alia mihi ſupereſt via, qua prædicto argumento facile ſatisfaciam, etiamſi aſſeram qualitatem conſeruari à primo producente, illam aperiam, dum in hac quæſtione meam ſententiam explicem.

§. II.

Cauſam ſucceſſionis intenſiuæ in alteratione ſecundùm propriam ſententiam aſſigno.

16 Dvplici modo poteſt alteratio eſſe ſucceſſiua, primò per accidens ratione applicationis agentium, quia ſucceſſiuè agens applicatur paſſo, ſicut ſucceſſiuè producitur lux luminoſo ſucceſſiuè applicato ab homine illum vehente qui ſe ſucceſſiuè mouet, & ad ſuum motum luminoſum. Non loquimur de hac ſucceſſione, ſed de ſucceſſione, quæ ſub eadem agentis, & paſſi applicatione cadit, quia agens non agit in primo inſtanti totum quod in ſe habet; neque extenſiuè, neque intenſiuè. Agam priùs de ſucceſſione intenſionis qua explicata facilè ſucceſſionem extenſionis explicabo.

17 Succeſſionem non oriri ex reſiſtentia actiua remota, & impropria, qua agens ſuum contrarium diminuit certiſſimum eſſe puto, & ferè omnes fatentur, quod enim frigidum in hoc inſtanti corrumpat aliquos gradus caloris non poteſt eſſe impedimentum, vt reliqui gradus permanentes in eodem inſtanti non producant quidquid poſſunt, & conſequenter gradus illos, quos in inſtantibus ſequentibus producent.

18 Deinde aſſero ex reſiſtentia actiua propriè dicta præciſe, & ſecundùm ſe conſiderata non poſſe oriri ſucceſſionem intenſiuam in communi opinione aſſerente calorem, & quemcumque alium effectum conſeruari à primo producenti, dum hoc eſt applicatum, quod efficaciter probat argumentum factum à recentiore ſupra impugnato, quia ex hoc capite præcisè agens in primo inſtanti aget id, quod in ſecundo poterit agere præſente eodem contrario, licet non totum id quod ageret illo deficiente, exempli gratia, pono paſſum nudum applicatum calido agenti, & frigido: hæc duo mutuà inter ſe reſiſtentia attemperantur, & agens producit quinque gradus, & frigidum tres quodlibet illorum octo productorum, ſi contrarium agens illius actionem non impediret in primo inſtanti, ſeu in primo congreſſu actionis, poſtea verò agentibus inuariatis, & reſiſtentia formali ſecluſa, neutrum illorum aliquid amplius producet. Idem dico de ſubiecto quod aliàs ſupponeretur cum qualibet qualitate, quod in primo inſtanti reciperet à quolibet agenti quidquid poſſet ab illo produci, ſi tantùm reſiſtentia actiua daretur.

19 Ratio à priori hæc eſt. Agens calidum intendens producere octo partes caloris in paſſo reſiſtit ne frigiditas producatur in ſubiecto, & hac producta reſiſtit eodem modo ne conſeruetur, & vt expellatur: petit enim vt in ſubiecto non ſit frigiditas, ſeu carentia frigiditatis, ſiue productæ, ſiue non productæ, vnde frigidum non vincit reſiſtentiam agentis calidi, dum primò producit frigiditatem, ſed dum illam conſeruat, quia tam productio, quàm conſeruatio eſt contra exigentiam agentis calidi reſiſtentis productioni, & conſeruationi frigiditatis, quapropter ratione contrarij eadem virtus requiritur ad producendum, & conſeruandum, ſimiliter ratione effectus, vt fatentur ferè omnes: ergo agens potens in aliquo inſtanti præſenti contrario ſimul producere vnũ gradũ, & conſeruare alium poterit vtrũque ſimul producere: ergo ſi effectus productus ab agente ab eodẽ eſt conſeruandus in primo inſtanti poterit produci quidquid in ſecũdo poteſt produci, & conſeruari.

Dices, minorem virtutem requiri ad conſeruandum 20
vnum gradum caloris, & ad producendum alium, quia quãdo producuntur ſimul duo, expelluntur duo contrarij, quando verò vnus conſeruatur, & alius producitur, tantùm expellitur vnus gradus contrarius. Contra hanc ſolutionem ſic argumentor; quando conſeruantur duo gradus caloris, impeditur agens contrarium ne producat duos alios frigiditatis, quos produceret, ſi non conſeruarentur gradus caloris, qui contra exigentiam contrarij conſeruantur; ergo ex parte contrarij eadem eſt reſiſtentia ad conſeruationem, & ad productionem, quia in vtroque caſu actio, ſiue conſeruatiua, ſiue productiua eſt contra eamdem exigentiam agentis contrarij, & impeditiua effectus, quem contrarium intendit producere, quod autem reſpectu formæ informantis ſubiectum ſit minor reſiſtentia ad conſeruationem, quæ nullam qualitatem expellit, quàm ad primam productionem expultricem formæ contrariæ, hoc ad reſiſtentiam formalem non ad actiuam pertinet. Hæc iuxta opinionem quæ aſſerit calorem productum conſeruari à cauſa ſecundo illum producente.

In opinione quæ aſſerit calorem non conſeruari ab 21
agente etiam applicato, quod illum produxit benè poteſt ſecluſa reſiſtẽtia formali oriri ſucceſſio à reſiſtentia actiua, quia agens quod tantùm poteſt contrario reſiſtente producere vnicum gradum, poſtquam illum in hoc inſtanti produxit, poterit in ſecundo cùm ceſſet ab illius cõſeruatione alium producere, & alium in tertio, pluréſque ſucceſſiuè, nunquam tamen duos ſimul, quia illius virtus non valet contra reſiſtentiam contrarij duos ſimul producere, vel conſeruare.

Dices poſſe oriri ſucceſſionem alterationis, quia ſucceſ- 22
ſiuè corrumpitur virtus actiua reſiſtens, & quo minor eſt reſiſtentia maior eſt effectus à contrario productus, cùm autem ſucceſſiuè minuatur virtus reſiſtiua ſucceſſiuè creſcit productus effectus. Rem non ſoluit: virtus actiua reſiſtens non poteſt ſucceſſiuè corrumpi ratione virtutis reſiſtiuæ illam conſeruantis: ergo ſi ſucceſſiuè corrumpitur, eſt ratione reſiſtentiæ formalis, vel quia agens illam corrumpens ſucceſſiuè applicatur. Si ratione reſiſtentiæ formalis, ab hac orietur tota alterationis ſucceſſio. Si ratione agentis ſucceſſiuè applicati, hæc ſucceſſio erit per accidens, de qua non eſt quæſtio. Omnes illationes ſunt legitimæ: primum antecedens probatur ratione ſuprà facta.

Succeſſionem oriri ex reſiſtentia formali ex dictis clarè 23
conſtat, quia cùm non oriatur à reſiſtentia actiua pura neceſſum eſt oriri ab hac. Deinde quia calor conſeruatus à Deo ſucceſſiuè corrumpitur, vt patet experientia in aqua calida ſucceſſiuè ſe reducente ad priſtinam frigiditatem, ſed reſpectu caloris conſeruati à Deo non datur reſiſtentia actiua: ergo ratio ſucceſſionis oritur ex reſiſtentia formali.

Rationem huius concluſionis ex doctrina tradita facile dabo. Poſita eadem virtute, quo minor fuerit reſiſtentia, intenſior producetur effectus, ſed in ſecundo inſtanti eſt minor reſiſtentia formalis in paſſo, quàm fuerat in primo inſtanti, & minor in tertio, & ſic in quarto: ergo maior calor ſucceſſiuè producetur in ſingulis inſtantibus. Totus difficultatis cardo in probatione Minoris vertitur, pro qua in memoriam reuoco id, quod docui Puncto 2. videlicet agens producens primum gradum caloris in inſtanti, in quo illum producit, & corrumpit octauum frigiditatis, vincere reſiſtentiam frigiditatis præcedentis in inſtanti antecedenti, verbi gratia, frigiditatis vt octo, etiamſi in illo inſtanti non ſit talis frigiditas. Ex quo infero calorem productum in primo inſtanti, quo agens applicatur ſubiecto quod independenter ab illa applicatione fuerat, & illa non intercedente eſſet in hoc inſtanti frigidum vt octo, eſſe contra reſiſtentiam octo graduum frigiditatis præcedentium, quam agens tantùm poteſt vincere duobus gradibus, v. g. quos producit primo inſtanti, quibus productis iam illo inſtanti tantùm exiſtunt ſex gradus frigiditatis: poſtea verò idem calidum producens in ſecundo inſtanti calorem, tantùm vincit ſex gradus qui immediatè præceſſerunt, corruptis enim in primo inſtanti duobus frigiditatis, tantùm ſuperfuêre ſex reſiſtentes calori producendo, vnde in ſecundo, cum calor producitur tantum, producitur contra reſiſtentiam ſex graduum frigiditatis, & calidum

calidum

Digitized by Google

calidum illum producens tantùm vincit ſex gradus inimicos: ergo in ſecundo inſtanti minorem reſiſtentiam habet, quàm in primo, ac proinde poterit producere, & conſeruare effectum, quem non potuit in primo inſtanti ſimul producere.

26 Obiicies gradus qui præceſſit, & corrumpitur in hoc inſtanti, non eſt in hoc inſtanti: ergo non poteſt retardare actionem contrarij. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; gradus qui præceſſit non eſt in hoc inſtanti ſuppoſitâ actione illum expellente, concedo: independenter ab actione illum expellente, nego; deinde nego conſequentiam. Hæc enim eſt differentia inter non eſſe in hoc inſtanti gradus præcedentis, & non eſſe gradus non præcedentis, quod non eſſe in hoc inſtanti gradus præcedentis in immediato ſupponit in hoc inſtanti formam contrariam introductam contra exigentiam gradus expulſi cum conatu agentis, in quo ſuas exercet vires, & quaſi in hoc occupatum non poteſt ad aliam actionem tranſire: non eſſe autem gradus non præcedentis non ſupponit in hoc inſtanti actionem aliquam vincentem gradum, qui non fuit; cuius modo eſt non eſſe independenter à quacunque actione vincente contrarium.

27 Obiicies ſecundò. Si Deus in hoc inſtanti independenter à quacunque actione corrumperet gradus frigiditatis immediatè præcedentes, eodem modo introduceretur calor, ac ſi non præceſſiſſent in inſtanti antecedenti, ergo gradus non exiſtentes in hoc inſtanti non retardant actionem contrarij ex eo quod immediatè præceſſerint. Reſp. concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens; gradus præcedentes non retardant actionem agentis quando in hoc inſtanti non ſunt, ſeu eſt illorum non eſſe independenter ab actione, quæ modò eſt, ſicut contingit in hoc caſu, concedo conſequentiam, quando illorum non eſſe eſt dependenter ab actione, quæ eſt in hoc inſtanti vincente exigentiam præteritam, nego conſequentiam.

28 Rem totam pro doctrina tradita, & argumentorum ſolutione paucis accipe. Applicato agente calido paſſo frigido prius natura, quàm Deus decernat concurrere ad productionem caloris, conſiderat exigentiam agentis intendentis producere duos gradus caloris, in quo priori, neque calor eſt productus, neque frigiditas conſeruata in paſſo pro illo inſtanti, quia ſi Deus decernat producere calorem, non conſeruabitur, ſi verò illum non producat, frigiditas durabit in paſſo; ſic inſpectâ agentis exigentiâ inſpicit Deus; an ex parte paſſi frigiditas præcedens in inſtanti antecedenti petat in hoc conſeruari, & momenta huius exigentiæ perpendit, illaque confert cum exigentia agentis, & illi annuit quæ fortius petit. Vnde vt calidum producat calorem in hoc inſtanti, neceſſum eſt, vt per propenſionem ad productionem vincat exigentiã, quam habuit frigiditas paſſi ad ſui conſeruationem, quam ſi non vincit nihil agit, ſed illius actio impeditur à contrario. Si verò Deus tantùm inſpiciat exigentiam agentis ad productionem caloris, & nullam cognoſcat exigentiam frigiditatis in paſſo ad ſui conſeruationem, quia nulla frigiditas in illo præceſſit, vel ſi cognoſcat hanc exigentiam aliunde eſſe victam, ſemper cum agente concurrit ſine collatione ſuæ propẽſionis ſeu exigentiæ cum alio contrario, quod non eſt, ſeu ſupponitur deuictum. En in vno caſu agens in priori natura propendens in effectum impeditur à contrario, & non in alio, in nullo autem in illo priori, in quo impeditur, ſeu Deus decernit non concurrere, cum illo, ſupponitur, neque videtur contrariũ exiſtens pro illo inſtanti, quia exiſtentia frigiditatis v.g. conſeruatæ in hoc inſtanti, ſupponit nõ productionem caloris in eodem, quia ſi hic produceretur, illa nõ exiſteret, & omni priori, in quo cauſa prima, vel ſecunda eſt indifferens ad productionem caloris, in hoc inſtanti eſt indifferens frigiditas, vt pro illo inſtanti conſeruetur, & non conſeruetur, & non poteſt intelligi exiſtens: ex quo infertur manifeſtè ipſam non prout exiſtentem in hoc inſtanti, ſed prout exiſtentem in inſtanti antecedenti impedire productionem caloris in hoc inſtanti faciendam, ac proinde plurimum conducere, vt calor producatur, vel non producatur in hoc inſtanti, frigiditatem præceſſiſſe, vel non præceſſiſſe in antecedenti.

29 Probaui iam ſucceſſionem non poſſe prouenire à reſiſtẽtia actiua præciſè ſumpta, & dimanare à reſiſtentia, formali. Addo modò in expulſione qualitatis reſiſtentis formaliter, cuius agens actiuè reſiſtit pro conſeruatione illius, ſucceſſionem qualitatis contrariæ introductæ prouenire à reſiſtentia formali, & actiua, quia licet hæc ſine conſortio formalis non poſſit cauſare ſucceſſionem, illi tamen adiuncta maiorem ſucceſſionẽ alterationis inducit, quam haberet alteratio ſi tantùm fieret contra reſiſtentiam formalem. Ratio eſt manifeſta. Frigidum agens intendens producere frigiditatem contra reſiſtentiam formalem caloris expellendi, & actiuam ignis cõſeruantis minorem frigiditatem producit in hoc inſtanti, quam produceret, ſi tantùm qualitas formaliter reſiſteret, quia idem eſt conatus, eadẽque actiua propenſio magis producet, quò minor fuerit reſiſtẽtia, vt per ſe patet; ergo alteratio erit magis ſucceſſiua. Probo conſequentiã, quo remiſſior qualitas in ſingulis inſtantibus producitur ſimul, eo eſt alteratio magis ſucceſſiua, ſed remiſſior qualitas producitur ſimul in ſingulis inſtantibus, quando eſt reſiſtentia formalis, & actiua, quàm ſi eſſet tantùm formalis: ergo eſt magis ſucceſſiua alteratio poſitis duabus reſiſtentiis, quàm eſſet ſi vna tantùm formalis vincenda obiiceretur: Patet doctrina tradita experientia, quâ videmus maiorem ſucceſſionem habere alterationem qualitatis, cuius oppoſita conſeruatur à cauſa ſecunda actiua reſiſtente, quam illa, cuius contraria qualitas expellenda conſeruatur à Deo actiuè non reſiſtente, facilius enim frigus producitur abſente igne conſeruante calorem, quam illo præſente actiuèque, reſiſtẽte produceretur.

Obiicies: tanta poteſt eſſe reſiſtentia formalis, vt non permittat produci ſimul duos gradus contrariæ qualitatis: ergo tunc reſiſtentia actiua non poteſt eſſe cauſa, vt alteratio ſit magis ſucceſſiua, quia illa eſt ſummè ſucceſſiua, in qua nihil ſimul producitur. Reſpondeo admiſſo antecedenti, non eſſe inconueniens concedere illo caſu qualitatem actiuam non eſſe cauſam maioris ſucceſſionis, quia nulla maior ſucceſſio poſſibilis eſt. Exiſtimo tamen data reſiſtentia formali contra quam tantum poteſt præualere agens per productionem vnius indiuiſibilis nulla reſiſtentia actiua intercedente, hac poſita agens nil facturum, quia poſita maiori reſiſtentia agens minus producit, ſed poſita reſiſtentia formali ſine actiua tantùm producere poterat indiuiſibile qualitatis: ergo poſita formali, & actiua nil producitur. 30

§. III.

Cauſam ſucceſſionis extenſiuæ ſecundum propriam ſententiam explico.

TOtus fui in ſucceſſione intenſiua explicanda, hac enim poſita ſucceſſiua extenſio, illiúſque cauſa facilè percipitur, cùm enim agentia agant vniformiter difformiter per ſuam ſphæram, ad hoc vt extenſio qualitatis perueniat ad partem paſſi diſtantem per ſex partes, neceſſum eſt, ſaltem ſex gradus intenſionis eſſe productos in parte immediatã agẽti, alioquin ad partem ſextã paſſi nulla poterit qualitas peruenire, quia ſi in prima tantùm producuntur quinque gradus, in ſecunda producentur quatuor, in tertia tres, in quarta duo, vnus in quinta, & nullus in ſexta: ergo rectè infertur ſucceſſio extenſiua ex intenſiua, quia ſi probemus non produci in primo inſtanti applicationis ſex gradus caloris in prima parte paſſi, rectè infertur non produci in illo inſtanti gradum aliquem in ſexta parte, ac proinde ſucceſſiuè intendi. 31

Id quod dixi de ſexta parte de omnibus aliis vlterioribus eodem modo rem explicat, in eadem enim menſura, in qua creſcit intenſio in partibus proximis creſcit intenſio in remotis: ergo extenſio ad has erit ſucceſſiua, ſi iſtarum intenſio ſucceſſiua ſit. 32

Ex dictis inferes ſucceſſionem alterationis oriri non tantùm ex reſiſtentia qualitatis contrariæ exiſtentis in parte paſſi, ad quam in hoc inſtanti non extenditur alteratio, ſed ex reſiſtẽtia partiũ proximarum agenti, quia ſucceſſio intenſionis illis contigit, quia ſi intenſio partis proximæ, quæ ſit in tempore fieret in inſtanti, extenſio partis remotæ, quæ ſit in eadem menſura in qua completur intenſio partis proximæ fieret in inſtanti abſque vlla mora; & non teneretur expectare tempus, in quo cõpletur intenſio partis proximæ nihil recipiendo in partibus temporis præcedentibus vltimum terminatiuum in quo completur intenſio. 33

Dixi extenſionẽ non oriri tantùm ex reſiſtentia qualitatis contrariæ exiſtentis in parte paſſi, ad quam in hoc inſtanti non ſe extendit qualitas, quia etiam reſiſtentiam huius exiſtimo conducere, vt in hoc inſtanti qualitas non ſe extendat ad partem ſubiecti, quam informat. Rem probo, & explico. 34

explico. Qualitas exiſtens in vltima parte ſphæræ, ad quam protenditur actio in hoc inſtāti, licet ratione remiſſionis ſufficiens non ſit, aliam ſimilem producere in parte paſſi immediata informata qualitate oppoſita, & hæc remiſſio proueniat ex modo, quo agēs operatur vniformiter difformiter, ac proinde originem trahat ex reſiſtentia, quæ fuit in parte immediata agenti ad tantam intenſionem ſimul recipiendam, nihilominus eadem qualitas remiſſa, quæ modo non valet aliam producere in parte proxima paſſi formata contraria qualitate ſufficiens eſſet illam producere, ſi nullam inueniret reſiſtentiam ad illam producendam, quia minor virtus requiritur ad qualitatem producendam abſente contrario quam illo præſente.

35 Concludo ſucceſſionem extenſionis oriri ex reſiſtentia ad intenſionem in partibus proximioribus agenti, & ex reſiſtētia qualitatis exiſtētis in parte paſſi, ad quam in hoc inſtanti ſe extendit actio, diuerſo tamen modo, quia ablatā reſiſtentia à parte ad quam non ſe extendit actio, adhuc extenſio fieret ſucceſſiuè, quia licet in illo inſtanti extenſio perueniret ad illam partem immediatam, & forſan ad aliam, non tamen poſſet vltrà progredi, quia etiam abſente contrario agens ageret vniformiter difformiter, ablatā tamen reſiſtentia partium anteriorum nunquam extenſio retardaretur præciſè ex reſiſtentia qualitatis exiſtentis in parte: in qua proximè fieri poteſt extenſio, quia agentibus omnibus eodē modo ſe habentibus, nulla eſt ratio cur non poſſit recipere in hoc inſtanti qualitatem, quam poteſt recipere in inſtanti ſequenti, ſi in hoc nihil recepiſſet, quare enim rebus eodem modo ſe habentibus non inciperet alteratio in hoc inſtanti inceptura in ſequenti in eadem parte ſubiecti.

36 Ex hac doctrina deduces totā ſucceſſionem alterationis ex latitudine graduali, & modo agendi vniformiter difformiter oriri, quapropter ſi daretur paſſum ſecundum omnes partes æquè applicatum agenti, extenſio qualitatis fieret in inſtanti, neque eſſet ratio propter quam in aliquo inſtanti ratardaretur extenſio ad aliquam partem ſubiecti, quod bene notarunt recentes aſſerentes paſſum valde exiguū vndique cinctum igne in inſtanti ſecundum omnes ſui partes eſſe calefaciendum, quia omnes partes æquè diſtarent, cùm omnes extimæ eſſent æquè approximatæ agenti, & centrum (idem dico de aliis partibus intimis) æquè eſſet approximatum agenti adæquato cum partibus extimis, quia licet magis diſtaret ab hac parte agentis, quàm pars extima illi immediata, minus diſtaret à parte agentis oppoſita, ac proinde diſtantia vnius partis alius approximatione ſuppleretur, & omnibus perpenſis, æquè approximatum eſſet centrum, & quælibet pars intima agenti adæquato, quàm eſſet pars extima eiuſdem corporis.

PVNCTVM V.

An alteratio ſit adæquatè ſucceſſiua.

1 ADæquatè ſucceſſiua dicetur alteratio ſi nihil qualitatis ſimul producatur, ſed ſingulis indiuiſibilibus illius ſingula indiuiſibilia temporis in prima productione correſpondeant: ſi verò in aliquo indiuiſibili temporis aliquid diuiſibile qualitatis producatur, alteratio non erit adæquatè ſucceſſiua, ſed aliquid diuiſibile illius permanenter producetur, quod enim in eodem indiuiſibili temporis producitur, non poteſt non ſimul, & permanenter produci, quia in eodem inſtanti non poteſt eſſe ſimul prius, & poſterius.

2 Neotericus ille, qui totum ſucceſſionis negotiū ad agentia reducebat, quem ad ſatietatem impugnaui Puncto præcedenti §.1. conſequenter docet alterationem non poſſe eſſe adæquatè ſucceſſiuā, quia poſito paſſo frigido vt octo, & applicato calido vt octo fortius eſt agens calidum ad producendum quinque gradus caloris, quàm frigidum ad conſeruandum quatuor frigiditatis: ergo in primo applicationis inſtanti producet quinque gradus caloris, quos intendit producere, & agens frigidum ceſſabit à conſeruatione quarti gradus frigiditatis incompoſſibilis cum quinto caloris. Probat antecedens: calor ex ſe eſt magis actiuus quàm frigiditas:ergo cæteris partibus intenſiorem effectum producet. Idem aſſerit de agenti remiſſiori, vel minus forti, ſcilicet frigido vt octo, quod etſi minus actiuum ſit, quàm calidum, fortius eſt ad producendum tres gradus frigiditatis, quàm calidum ad ſex conſeruandos, & calidum vt quatuor fortius eſt ad producendos duos gradus caloris, quàm frigidum ad ſeptem frigiditatis conſeruandos. Hunc diſcurſum inſequitur, quibus probare intendit agens in primo inſtanti applicationis producere quidquid in ſe habet.

Nos verò qui præter reſiſtentiam actiuam formalem aliam inuenimus, hac ratione non premimur: concedo enim calidum vt octo maiorem virtutem habere ad producendum quinque caloris, quàm frigidum ad quatuor conſeruandos; aſſero tamen frigidum minori virtute conſeruare quatuor frigiditatis, & calidum maiori non producere quinque gradus; quia frigidum conſeruat ſine reſiſtentia formali qualitatis contrariæ, calidum verò ſi producturum eſt calorem, illum debet producere contra reſiſtentiam formalem frigiditatis, quæ ſupponitur ex parte ſubiecti. 3

Contra hanc doctrinā ſic obiicit: Calor exiſtens in hoc inſtanti non opponitur cum frigiditate præcedenti in inſtanti antecedenti: ergo idem calor producetur in hoc inſtanti, ſiue frigiditas præceſſerit, ſiue non præceſſerit. Reſpondeo diſtinguendo antecedens:calor exiſtens in hoc inſtanti non opponitur cum frigiditate præcedenti, ratione illius vt præcedentis concedo, ratione illius præcedentis ſecundum id, quod petit in ordine ad hoc inſtans, nego antecedens: deinde nego conſequentiam. Rem explicui Puncto præcedenti §.2. Frigiditas exiſtens in inſtanti præcedenti petit durationem ſui in hoc inſtanti: frigiditas autem in hoc inſtanti opponitur cum calore in eodem exiſtente, ex quo manifeſtè infertur frigiditatem exiſtentem in inſtanti *A*, exigere rem incompoſſibilem cum calore exiſtente in inſtanti *B*, ac proinde ex inſtanti *A*, (vt ſic loquar) impedit productionem caloris in inſtanti *B*, ſi agens calidum fortius non vincit in inſtanti *B*, reſiſtentiam præteritam in inſtanti *A*, de re facienda in eodem inſtanti *B*. 4

Aſſero alterationem terminatam ad calorem expellentem frigiditatem conſeruatam à Deo vt cauſa prima non eſſe adæquatè ſucceſſiuam, quod ſic probo. Si hæc alteratio fieret contra reſiſtentiam formalem, & actiuam, in indiuiſibili temporis produceretur ſaltem indiuiſibile qualitatis; ergo quando fit tantùm contra reſiſtentiam formalem? produci debet aliquid diuiſibile. Probo conſequentiam, quo minor eſt reſiſtentia, agens intenſiorem effectum producit, ſed minor reſiſtentia eſt quando tantùm eſt formalis, ac quando eſt formalis,& actiua:ergo maior effectus producetur quando frigiditas expulſa conſeruatur tantùm à Deo ſine reſiſtentia actiua, quam produceretur,ſi frigiditas conſeruaretur ab aqua actiuè reſiſtente: ergo producitur aliquod diuiſibile, qualitas enim excedens aliam, etſi indiuiſibilem, neceſſariò eſt diuiſibilis, dicit enim totidem ac alia exceſſa, & aliquid amplius. 5

Affirmo ſimiliter alterationem factam contra reſiſtentiam formalem, & actiuam non eſſe adæquatè ſucceſſiuam. Hanc concluſionem ſuadet maxima aliquorum agentium celeritas, quæ etiam in præſentia contrarij breuiſſimo tempore effectum maximoperè intendunt. Deinde nulla apparet ratio neque experientia, quæ cogat ita religioſè ſucceſſionem alterationis defendere, vt etiam in contrarij præſentia non cōcedamus aliquod diuiſibile produci, imò ratio oppoſitum ſuadet:ſi enim reſiſtente frigiditate, deinde cauſâ conſeruatiuā illius, hoc calidum vincit in vno inſtanti temporis vtramque reſiſtentiam per productionem vnius gradus, cur agens fortiſſimum non vincet productionem duorū, vel trium? quo enim fortius eſt agens, intenſiorem effectū producet in eodem tēpore, cæteris paribus. 6

PVNCTVM VI.

De continuatione alterationis iuxta continuum Ariſtotelicum.

NIhil non obſcurum,moleſtum, atque prolixum in hac continui compoſitione:nihil non explicatu difficile, nec pauca occurrunt in hac materia, quæ non ex aliqua ratione qualitatis, ſeu alterationis ſpeciali, ſed ex infinitate partium trahunt originem; quapropter libens omnibus abſtinerem, ne tamen in hac re mutila, & manca diſputatio noſtra videatur, ſtricto calamo cingam, quæ prolixè ſatis multi diffundunt.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Aliorum placita referuntur, & refelluntur.

1 ANte omnia notandum eſt duo eſſe genera indiuiſibilium, iuxta hanc opinionem, quædam diuiſibilia ſecundùm extenſionem, & indiuiſibilia ſecundum intenſionem, alias diuiſibilia ſecundum intenſionem, & indiuiſibilia ſecundum extenſionem. Hæc ſubiectantur in indiuiſibilibus quantitatis, quæ ratione ſubiecti indiuiſibilia ſunt, neque vllam habent menſuram extenſiuam, tamen intenſibilia ſunt, quia in eodem indiuiſibili ſubiecto plures qualitatis gradus poſſunt eſſe, & idem indiuiſibile fit magis calidum per additionem gradus ad gradum, cui gradus vniti tur mediis aliis indiuiſibilibus extenſis ratione ſubiecti, & intenſis, quia vniunt partes intenſionis, & omnia indiuiſibilia debent carere illa diuiſibilitate, quam vniunt. Hæc vocantur omnino indiuiſibilia, indiuiſibilia intenſionis, diuiſibilia ſecundum extenſionem ſunt in triplici differentia, quia cùm habeât diuiſibilitatem ratione ſubiecti, illa gaudent, quâ pollet ſubiectum, cui inhærent, & ita diuiſibile intenſionis ſubiectatum in linea, eſt diuiſibile extenſionis ſecundum longitudinem, non verò ſecundum latitudinem, neque profunditatem: ſubiectatum in ſuperficie ſecundum longitudinem, & latitudinem, non verò ſecundum profunditatem, ideque indiuiſibile intenſionis ſubiectatum in parte corporis eſt diuiſibile extenſionis ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: hæc enim intenſionis indiuiſibilia ſubiectantur in linea, ſuperficie, & in parte corporis, quia cùm hæ omnes in ſe habeant partes intenſionis, debent illas habere vnitas aliquo vnitiuo, aliàs omnes eſſent omnino diuiſæ, & continuum conſtaret puris indiuiſibilibus, & hoc vnitiuûm debet eſſe indiuiſibile ſecundum intenſionem: ſi enim eſſet diuiſibile, haberet in ſe alia vnitiua, & ſic in infinitum procederetur.

2 Fuit opinio aliquorum aſſerentium alterationem non extendi continuè, quia nihil illius in partibus temporis dimanat ab agente, quod in his paſſum diſponit ad qualitatem recipiendam in ſe inſtanti temporis, in quo tantùm producitur. Hanc opinionem refert Rub. 1. de generat. tr. Ful. 3. quæſt. 2. vbi aliam adducit Capreol. Soncinnatis, & Ferrarienſis, aſſerentium intenſionem non fieri continuè, ſed tantùm in ſingulis inſtantibus; in partibus verò quieſcere mobile ab intenſione, & diſponi ad illam in inſtanti recipiendam. Vtraque ſententia omni fundamento eſt deſtituta, eiſdemque argumentis à me impugnabitur.

3 Ignis eandem virtutem habet ad producendum calorem ſiue in eadem parte ſubiecti per intenſionem, ſiue in diuerſa per extenſionem in parte temporis, ac habet in inſtanti, & eadem eſt reſiſtentia contrarij in hoc, ac in illa: ergo ſicut producit intenſionem, & extenſionem in inſtanti temporis, vtramque producet in parte. Id verò quod aſſerit in parte temporis diſponi ſubiectum, vt calor extendatur ad illud ſecundum priorem opinionem, & vt intendatur ſecundum poſteriorem falſiſſimum eſt, quia ad recipiendum calorem nulla ſupponitur diſpoſitio ex parte ſubiecti: ſed eſto, diſpoſitio ſupponatur: Productio diſpoſitionis erat alteratio, per illam enim ſubiectum aliter ſe habebit ac antea, & fieret in partibus temporis: ergo iam alteratio fieret in partibus temporis. Vrgeo: In eadem menſura, in qua producitur diſpoſitio ad formam producitur forma, ſed vltima diſpoſitio ad calorem producitur in parte temporis: ergo in parte temporis producetur calor. Côſequentia eſt legitima. Minor tradita ab Authoribus vtriuſque ſententiæ. Maior in aliis formis ab omnibus admiſſa, & probatur facile, quia ſi in parte temporis eſt quidquid requiritur ad productionem caloris, ad quid expectaturum eſt agens venturum inſtans, vt calorem producat. Deinde diſpoſitio per ſe ipſam neceſſariò determinat formam: ergo vt primum eſt determinat; ſed eſt in parte temporis: ergo in illa ad formam determinabit. Mitto rationem aliam, quam num. 13. adducam contra Doctores, aſſerentes totam alterationem fieri in partibus, ſed non in inſtantibus, quâ probabo non poſſe alterationem à partibus ſecerni ſi fiat in inſtantibus, neque ab inſtantibus, ſi fiat in partibus.

4 P. Rub. ſuprà, quæſt. 5. docet in inſtanti temporis produci indiuiſibilia omnino, videlicet indiuiſibile continuatiuum partis intenſionis productæ in indiuiſibili quantitatis, cum parte intentionis immediatè in eodem producenda, reliqua verò indiuiſibilia, videlicet intenſionis extenſum, & extenſionis intenſum non poſſe produci in inſtanti, ſed in tempore. Prior pars huius ſententiæ præ ſe fert impugnationem quam expendo. Eſſentia vnitiui eſt actu eſſe exercitium vnionis, & actu vnire: ergo implicat eſſe in aliquo inſtanti, in quo non vniat, ergo implicat eſſe in aliquo inſtanti in quo non ſit vtraque pars, eſt enim vtriuſque modus, & ab vtraque eſſentialiter dependens. Reſpondet Rub. ſufficere partem vniendam eſſe immediatè futuram, quia vnitur modo ſucceſſiuo, & hæc eſt natura vnionis ſucceſſiuorum, vt illa vniantur, quæ immediatè fluunt vnum poſt aliud. Adhuc manet integra obiectio, quam ſuprà dedi. Eſſentia continuatiui eſt actu vnire, ex eo autem quod pars ſit vnita non poteſt vnitiuum illam modo vnire: ergo modo eſſe non poteſt: implicat enim eſſe in menſura, in qua non vnit.

Quod addit Rub. vnire modo ſucceſſiuo, & naturam 5 ſucceſſiuorum eſſe vniri per immediatum ſucceſſiuorum fluxum, in ſucceſſiuis per ſe, & eſſentialiter ægre intelligitur, in his verò de quorum eſſentia non eſſe ſucceſſiuè fieri, eſt omnino falſum, motus autem alterationis non eſt ſucceſſiuus natura ſua, idem enim, qui fit in menſura temporis diuiſibilis, poſſet fieri in inſtanti, & de facto ita fieret ni qualitas contraria illum retardaret. Ex hoc infertur indiuiſibile alterationis vnire partes ex natura ſua permanentes, quæ licet ratione contrarij primo ſucceſſiuè fluant, poſtea verò inter ſe coëxiſtunt, & non deſinet eſſe vnà ad aduentum alterius, ſicut accidit in ſucceſſiuis per ſe; ergo vnio illarum illas reſpicit coexiſtentes, & inter ſe vnitas: ergo implica eſſe in menſura, in qua vtraque non ſit.

Eadem ratione Rubium premo in termino alterationis: 6 ſi vnitiuum alterationis eſt prius tempore parte vnienda: ergo vnitiuum qualitatis eſt prius tempore parte qualitatis vnienda, ſed qualitas eſt natura ſua permanens: ergo implicat dari vnitiuum illius ſine partibus vniendis. Dices qualitatem eſſe natura ſua permanentem in conſeruari, non in fieri. Contrà: qualitas in inſtanti, quo fit, & quo conſeruatur, eſt eadem omnino intrinſecè inuariata, ſed in inſtanti in quo conſeruatur eſt natura ſua permanens: ergo in inſtanti, in quo fit: quod verò ratione reſiſtentiæ agens illam ſucceſſiuè producat illius naturam minime immutat pro menſura, in qua producitur, ſemper enim permanet eadem. Deinde ſicut in hac opinione aſſeritur calorem ſucceſſiuè productum eſſe ſucceſſiuum in fieri, ac proinde in fieri hoc eſt inſtanti in quo fit poſſe dari vnitiuum ſine partibus vniendis, ſic poſſet dici hominem ſucceſſiuè produci, & eſſe ſucceſſiuum in fieri, ac proinde poſſe produci vnionem inter materiam, & formam in inſtanti præcedente productionem formæ, ſicut enim calor ſucceſſiuè producitur propter reſiſtentiam contrarij, ſic poſſet homo ſucceſſiuè produci propter reſiſtentiam formæ contrariæ exiſtentis in ſubiecto (dico ſucceſſiuè non prius producta hac parte formæ, & illa poſtea, ſed prius producta vnione, & poſtea forma) vel quia Deus liberè illum ſucceſſiuè producere volebat.

Vltimò ad hominem conuincitur Rub. Ipſe aſſerit in 7 motu ſucceſſiuo non poſſe produci initiatiuum ante partem: ergo neque continuatiuum, ſicut enim initiatiuum eſt modus partis inceptæ, & ſic continuatiuum partis vniendæ. Mitto hæc vnitiua reponenda eſſe cum priori parte ſi ante ſecundam poſſent produci, quam rationem contra alias ſententias ſtatim expendam.

Secundam partem ſententiæ Patris Rub. videlicet in- 8 diuiſibile intenſionis, extenſum non poſſe produci in inſtanti ſic impugno. In hac parte temporis producitur pars intenſionis in ſphæra diuiſibili ſecundum extenſionem ſimul in omnibus illius partibus: ergo in inſtanti ſequenti poterit produci indiuiſibile intenſionis in omnibus illis. Probo conſequentiam. In eadem menſura indiuiſibiliter ſumpta agens agit in partes propinquas, & diſtantes paſſi: ergo in eadem menſura indiuiſibili poteſt produc indiuiſibile intenſionis in partibus inter ſe diſtâtibus, quia pro omnibus agens eſt applicatum, ac proinde extenſio non poteſt retardare actionê, hæc enim tantùm illam retardat ratione applicationis: ergo extenſio non obeſt, quò minus indiuiſibile intenſionis producatur in inſtanti. Intenſio obeſſe non poteſt, quia non eſt: ergo ex omni parte indiuiſibile intenſionis extenſum poteſt in inſtanti produci.

9 Reſpondet Rub. indiuiſibile intenſionis extenſum non poſſe produci in inſtanti, quia agens magis agit in propinquum, quàm in diſtans: ergo ſi in diſtans agit indiuiſibile intenſionis, in propinquum aget diuiſibile intenſionis: ergo indiuiſibile intenſionis non poteſt ſimul produci in ſubiecto diuiſibili habente partes propinquiores, & diſtantiores. Contra hanc rationem inſto manifeſtè. In eodem inſtanti agens producit indiuiſibilia omnino ſubiectata in indiuiſibilibus quantitatis, quorum vna ſunt proximiora, & alia remotiora, quin agat intenſius in propinquum quàm in diſtans: ergo in eodem inſtanti poterit producere indiuiſibile intenſionis in partibus quin pro illa menſura intẽſius agat in diſtans, quàm in propinquum. Ratio eſt manifeſta. Quando effectus producendus non recipit magis, nec minus agens illum producens ſimul in partibus propinquioribus, & remotioribus non magis agit in propinquum, quam in diſtans, ſed indiuiſibile intenſionis etiamſi ſit extenſum non recipit magis, & minus verſus intenſionem: ergo etiamſi ſimul producatur in partibus proximioribus, & diſtantioribus agens non intenſius operabitur in propinquum, quam in diſtans.

10 Dices hoc verum eſſe ſuppoſito quod agens producat indiuiſibile intenſionis in tota ſphæra, inferri tamen ex eo quod producat indiuiſibile intenſionis in parte diſtanti, eadem menſura producturum partem diuiſibilem intenſionis in parte propinqua. Nihil dicis. In ſentẽtia Patris Rub. repugnat produci partem intenſionis in inſtanti: ergo eo ipſo quod operetur agens in inſtanti ſupponitur non producturum partem intenſionis: ergo etiamſi in parte diſtanti producat indiuiſibile intenſionis nihil diuiſibile producet in parte proximiori.

11 Alij recentiores affirmant, in inſtanti temporis produci indiuiſibilia terminatiua, & in parte partem, & continuatiuum illius cum parte producta in parte temporis præcedenti, quo continuatiuo producto corrumpitur terminatiuum productum in inſtanti præcedenti, quia eadem pars non poteſt eſſe terminata, & continuata, & quia terminatiuum, & continuatiuum eiuſdem partis non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, videlicet in eodem indiuiſibili quantitatis, aliàs indiuiſibile quantitatis haberet maiorem intenſionem, quàm habet pars, aſſeruntque hæc terminatiua produci, vt qualitas ſit tanta, & non indererminata.

12 Ab hoc vltimo incipiet impugnatio. Qualitas in menſura diuiſibili, in qua producitur, eſt ſine hoc terminatiuo, ergo in inſtanti ſequenti poterit eſſe ſine illo, ſicut enim in parte temporis, in qua primò producitur eſt quin ſit tanta, & ſine hoc terminatiuo, cur non poterit eſſe eodem modo in inſtanti ſequenti? Deinde ſi hæc continuata ſunt neceſſaria, cur non producuntur ſimul cum partibus in parte temporis antecedenti? agens enim erat applicatum, & paſſum non reſiſtebat? quia corrupta intenſione vt octo, in parte quantitatis per corruptionem partis qualitatis corrumpebatur intenſio vt octo in iudiuiſibili immediato per corruptionem indiuiſibilis continuatiui, & in eadem menſura in qua corrumpitur intenſio vt octo in parte, corrumpitur in indiuiſibili immediato: ergo in eadẽ menſura in qua producitur qualitas vt vnum in parte quantitatis per productionem partis qualitatis, poteſt produci in indiuiſibili quantitatis per productionem indiuiſibilis terminatiui qualitatis.

13 Propter has rationes alij recentiores affirmant produci indiuiſibilia terminatiua ſimul cum parte præcedenti, & continuatiua cum ſubſequenti; & nihil in inſtanti. Hæc ſententia impugnanda eſt ratione, quam ſuprà dandam promiſi contra Doctores aſſerentes totam alterationem fieri in inſtantibus, quam iam exhibeo. In illa menſura, in qua agens operatur, vel eſt indiuiſibile temporis, vel non: ſi eſt, ergo operatur non tantùm in parte: ſed etiam in inſtanti: ſi non eſt, ergo non operatur in menſura diuiſibili. Probo conſequentiam. Illa menſura nullum habet vnitiuũ, ergo non eſt diuiſibilis, quidquid enim diuiſibile eſt includit indiuiſibile vniens partes diuiſibiles. Eodem modo fit argumentum contra ſententiam modo relatam, quia menſura in qua quieſcit agens, vel habet indiuiſibilia, vel non: ſi illa habet, agens quieſcit in inſtantibus; ſi non habet non quieſcit in partibus, ſed in inſtantibus. Secundò impugnatur eadem ſententia, quia poſtea probabo agens in inſtanti poſſe qualitatem producere. Tertiò quia ſine neceſſitate tantis expenſis productionum, & corruptionum indiuiſibilium terminatiuorum fingitur alteratio.

§. II.

Explicatur propria ſententia.

Dicendum eſt agens poſſe producere in inſtanti qualitatem diuiſibilem. Hæc concluſio probanda eſt eodem modo in ſententia conſtituente continuum ex infinitis partibus, & in ſententia Zenonis cum de hac diſputem Puncto ſequenti, illam pro vtraque ſententia probabo. 14

Dicendum eſt ſecundò, in parte temporis produci qualitatem non ſolum diuiſibilem, ſed etiam indiuiſibilem. Probo hanc concluſionem. Agens in parte temporis eſt in actu, & paſſum in potentia ad indiuiſibile qualitate producendum, & nulla eſt repugnantia ex parte indiuiſibilis producendi, vt in parte temporis producatur, ergo producetur. Agens eſſe in actu, & paſſum in potentia facilè probatur, quia nulla virtus accreſcit agenti, neque paſſo, neque conditio aliqua reperitur in hoc inſtanti, quæ non fuerit in parte præcedenti temporis: in illa fuit agens in actu, & agens in potentia eodem modo ac eſt in hoc inſtanti. Poſteriorem partem antecedentis probo. Entitas indiuiſibilis poteſt conſeruari in menſura diuiſibili; ergo & produci. Probo conſequentiam, productio, & conſeruatio eſt eadẽmet indiuiſibilis actio: ergo actio, quæ eſt productio poteſt eſſe in parte temporis ſaltem quando præceſſit in inſtanti: ergo eodem modo poſſet eſſe etiamſi non præceſſiſſet, ad exiſtendum enim hac parte temporis impertinens eſt extitiſſe ante, vel non extitiſſe. Rem indiuiſibilem poſſe conſeruari in parte temporis diuiſibili ſtolidus negabit nullus. 15

Secundò probatur eadem concluſio: indiuiſibilia vnitiua non poſſunt produci antequam vtraque pars vnienda producatur, vt probaui ſuprà: ergo producuntur cum partibus vniendis vltimò productis, ſed pars vnienda produci poteſt, & in communi ſententia de facto producitur in parte temporis; ergo illius vnitiuum in eadem parte temporis produceretur. 16

Dicendum eſt tertiò, indiuiſibile qualitatis non poſſe primo produci in parte aliquota temporis, ſed in parte indeterminata proportionali, ita vt nulla potuerit quantumuis exigua aſſignari, in qua fuerit adæquatè productum. Rationem accipe. Quælibet pars aſſignata quantumuis minima, habet prius & poſterius: ergo ſi in priori illius fuit productum aliquid indiuiſibilis qualitatis, fuit productum totum indiuiſibile, quidquid enim eſt aliquid indiuiſibilis eſt totum illud, quia in illo non eſt vnum, & alterum: ergo in poſteriori illius partis nihil indiuiſibilis fuit primo productum, ſed conſeruatum. Ex quo infertur in productione rei indiuiſibilis in menſura diuiſibili non poſſe aſſignari productionem, prout diſtinctam à conſeruatione, quia quælibet menſura aſſignata eſt diuiſibili, & habet aliquid poſterius, in quo entitas indiuiſibilis iam non primò producitur, ſed conſeruatur, quia in priori illius menſura fuit producta. 17

Video hoc difficile componi in opinione aſſerente cauſam ſecundam non conſeruare calorem, ſed tantùm illum primo producere, quia ſi actio cauſæ ſecundæ nihil ſit habitura conſeruationis implicat eſſe in menſura diuiſibili propter rationem dictam. Dices implicare eſſe in menſura determinata, non autem in menſura indeterminata. Semper ægrè fero rei phyſicæ à parte rei exiſtenti indeterminationem aſſignari; loquor tamen cum multis, quod forſan pauci intelligunt, & me numquam intellexiſſe ingenuè fateor, & adhuc terminis bona aliorum fide acceptis, vrgeo. Quælibet pars temporis quantumuis indeterminata habet aliquid prius, & poſterius: ergo in illo poſteriori indeterminato iam indiuiſibile non primò producetur, ſed cõſeruabitur, quia in illo fuit totum productum: non enim potuit in illo produci, & non totum in ipſo produci. Hæc component qui ſimul aſſerunt cauſam ſecundam non conſeruare ſuum effectum, & has partes diuiſibiles in tempore admittunt, meum enim non eſt difficultates opinionum quas impugnaui, diſſoluere. 18

Dicendum eſt quartò, in parte porportionali temporis poſſe produci partem aliquotam qualitatis, dummodò motus ſucceſſiuus non ſit continuus per partem temporis aliquotam. Probo priorem partem concluſionis. Agens potens eſt producere qualitatem diuiſibilem, & determinatam in inſtanti: ergo melius poterit illam in parte temporis producere. Secundam partem eiuſdem 19

concluſionis

Digitized by Google

concluſſionis ſic oſtendo : motus ſucceſſiuus per partes, aliquotas durat per infinitas proportionales ; ergo ſi in qualibet proportionali producitur noua pars aliquota producentur infinitæ partes aliquotæ : ergo qualitas producta erit infinita, ſed nullum agens poteſt producere qualitatem infinitam ; ergo nullum poteſt ſucceſſiuè producere qualitatem per partem temporis aliquotam producendo aliquid determinatum in qualibet proportionali

20 Inſtabis idem argumentum fieri poſſe contra partem proportionalem, in qua producitur qualitas determinata, quia eodem modo conſtat infinitis proportionalibus. Reſpondeo diſparem eſſe rationem, quia pro parte aliquota qualitatis producta in parte proportionali temporis, non debet aſſignari aliqua pars proportionalis in qua adæquatè duret motus ſucceſſiuus alterationis, ſed in minori, quacumque aſſignata dicendum eſſe illam qualitatem fuiſſe productam, & quamlibet quantumuis minimam inuoluere aliquid conſeruationis. Qui verò aſſereret motum eſſe continuum per partem aliquotam, teneretur aſſignare aliquam, in qua adæquatè fuiſſet ille motus ſucceſſiuus, de ratione enim partis aliquotæ eſt eſſe aſſignabilem, & tantam habere extenſionem, & non minorem aliam, neque maiorem. Non teneri aſſignare partem aliquotam, qui ad proportionales confugiũt, in qua adæquatè ſit motus ſucceſſiuus facilè probatur in doctrina has proportionales admittente, quia ſicut propugnatores huius ſententiæ non tenentur, neque poſſunt aſſignare partem aliquotam adæquatè immediatam indiuiſibili præcedenti, ita non tenentur aſſignare partem aliquotam, in qua adæquatè fiat ille motus; fit enim in menſura diuiſibili immediata indiuiſibili præcedenti, cum verò nulla ſit menſura diuiſibilis adæquatè immediata indiuiſibili præcedenti nulla eſt menſura, in qua hic motus terminatus ad qualitatem ſit adæquatè ſucceſſiuus. Non nego hæc intellectu eſſe difficillima, ſed difficultatibus ſubiicimur, vt loquamur de tempore ſucceſſiuo ex infinitis partibus conſtituto, ex quo difficultates in hac materia inſurgunt, illa enim ex ſe nullam habent ſuppoſita continui compoſitione.

21 Obiicies : pars aliquota qualitatis producitur in parte proportionali temporis, & non in aliquota : ergo iam aſſignatur pars proportionalis temporis, quæ ſit extra aliquotam, & ab illa adæquatè diſtincta. Idem argumentum fieri poteſt de Angelo in tempore producto. Reſpondeo negando conſequentiam, quia qualitas producta in parte proportionali conſeruatur in aliquota, & ſicuti non poteſt aſſignari vt ſuprà dixi menſura, in qua adæquatè producatur illa qualitas, & non conſeruetur, ita non poteſt aſſignari pars proportionalis ab aliquota diſtincta, neque ab illa ſecerni.

22 Dicendum eſt quintò, in opinione aſſerente agens agere vniformiter difformiter per partes aliquotas, & non per proportionales motum ſucceſſiuum alterationis non poſſe eſſe continuum. Ratio eſt manifeſta. Agens æqualem intenſionem producens in palmo non prius agit in dimidia priori parte palmi, quam in poſteriori, quia dum qualitatem producit in parte poſteriori illam producit in anteriori cum æquali intenſione, ergo ſi quando incipit agere in poſteriori aliquid in priori effeciſſet, ſemper prior poſteriorem vinceret intenſione : ergo non æquè ageret in totum palmum, cuius contradictorium ſupponit opinio. Hoc poſito ſic argumentor. Agens non extendit ſuã qualitatem per partes proportionales, ſed per aliquotas : ergo ſi in ſingulis partibus proportionalibus infinitis extenderet ſuam qualitatem, in ſingulis illam extenderet per partes aliquas, ſed partes proportionales ſunt infinitæ : ergo extenſio qualitatis fit per infinitas partes aliquotas ſubiecti ; ergo infinitè extenditur. Hæc ratio eſt valde efficax, & ex illa infertur motum ſucceſſiuum non poſſe eſſe continuum per partem aliquotam temporis determinatam quantumuis minimam, quælibet enim includit infinitas alias in quibus per infinitas partes aliquotas extenderetur qualitas. An verò hæc ratio probet in hac opinione motum non poſſe extendi ſucceſſiuè adhuc per partem proportionalem dicam Punct. 7. n. 2.

23 Dicendum eſt ſextò, motum ſucceſſiuum non eſſe continuum quoad extenſionem, etiamſi agens agat vniformiter difformiter par partes proportionales, Hæc concluſio probanda eſt eodem modo iuxta ſententiam Ariſtotelis, & Zenonis, rationem illius adducam puncto ſequenti vbi de continuatione motus iuxta Zenoniſtas quæſtionem inſtituam.

Dicendum eſt ſeptimò, intenſionem fieri continuè in partibus proximis agenti, & non in aliis remotioribus. 24
Hanc concluſionem cum præcedenti probabo puncto ſequenti : eſt enim ipſa ipſiúſque ratio communis Ariſtotelicis, & Zenoniſtis.

Obiicies : Intenſio fit continuè in partibus proximioribus agenti ; ergo fit per infinitas partes; ergo creſcit intenſio per partes infinitas. Reſpondeo, intentionem creſcere per infinitas partes proportionales, non per aliquotas, quia in ſingulis partibus proportionalibus temporis producitur pars proportionalis qualitatis. non verò aliquota. Idem dico de correſpondentia ad indiuiſibilia temporis, quia licet in quodlibet illorum pars qualitatis producatur, hæc non eſt aliquota, ſed proportionalis. 25

Dicendum eſt octauò, caſu aſſignato puncto præcedenti, in quo dixi extentionem motus non eſſe ſucceſſiuam quando ſcilicet paſſum æquè diſtat ab omnibus partibus agentis ſecundum omnes ſui partes, neque in hac opinione fore ſucceſſiuam, eadem enim eſt ratio in vtraque ſententia. Vltimò concludo motum non dici continuum ſecundum doctrinam traditam, quia in inſtanti temporis producatur indiuiſibile motus vniens partes partibus temporis productas, ſed quia nullum eſt inſtans, neque vlla pars temporis in quibus non detur motus ſiue diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis. 26

§. III.

Explicatur Ariſtoteles.

COntra concluſionem, in qua diximus in inſtanti poſſe produci aliquod diuiſibile, obiici poteſt Ariſtoteles 6. Phyſicor. cap. 2. text. 55. vbi aſſerit ante quodlibet mutari præcedere mutatum eſſe, quæ ſimul coëxiſtere nequeunt, hoc eſt, ante quamlibet partem motus, quam moueri appellat, præcedere indiuiſibile illius, quod vocat mutuam eſſe. Verba ſunt Ariſtotelis : *Non ſolùm autem id quod mutatur neceſſe eſt mutatum eſſe, ſed etiam mutatum neceſſe eſt mutari priùs, omne enim quod ex quodam in quiddam mutatum eſt, in tempore mutatum eſt. Sit enim, in ipſo nunc ex* A *in* B *mutatum, ergo in eodem quidem nunc, in quo eſt in ipſo* A, *non mutatum eſt, ſimul enim erit in ipſo* A, *& in ipſo* B. Reſpondeo Ariſtotelem loqui de motu eſſentialiter ſucceſſiuo, cuius partes inter ſe coëxiſtere non poſſunt, ſaltem naturaliter; ſicut contingit in motu locali, in quo per productionem vnius partis corrumpitur alia, ex quo manifeſtè infertur non poſſe duas partes ſimul produci, quia in menſura, in qua producitur vna, corrumpitur alia quæcumque ſit ab ipſa diſtincta ; ergo ſi in eadem menſura alia diſtincta produceretur, produceretur & corrumperetur ſimul, quod implicat. In motu verò alterationis etiam ſucceſſiuo, aliter res ſe habet, productio enim partis poſterioris non inducit corruptionem prioris, ac proinde poſſunt ſimul dimanare ab agente. Ariſtotelem loqui in ſenſu applicato conſtat manifeſtè ex inconuenienti ab ipſo adducto ad probandam ſuam ſententiam, ſcilicet fore mobile ſimul in inſtanti *A*, & inſtanti *B*, hoc eſt, fore ſimul duas partes motus, quod tantum eſt inconueniens in motu eſſentialiter ſucceſſiuo, non verò in ſucceſſiuo per accidens, in quo ſicuti partes termini, ſcilicet partes qualitatis productæ coëxiſtunt ; etiamſi vna producatur prior alia, ſic partes motus actionis videlicet terminatæ ad qualitatem coexiſtunt, etiamſi ordine prioris, & poſterioris primo fuerint productæ. 1

Contra aliam concluſionem qua diximus extenſionem alterationis, & intenſionem in partibus remotioribus paſſi non fieri, continuè adducitur Ariſtot. 3. Phyſic. textt. vbi hæc habet : *Videtur autem motus continuarum eſſe*, & Phyſic. text. 99. vbi hæc tradit : *Quoniam autem quod mouetur ex quodam in quoddam & omnis magnitudo continua eſt ſequitur magnitudinem motus, quia enim magnitudo continua eſt, & motus eſt continuus, quia verò motus, & tempus, quantus enim motus eſt, tantum & tempus ſemper videtur fuiſſe.* Reſpondeo, Ariſtotelem lib. 8. Phyſic. cap. 1. text. 23. aſſeruiſſe motum non fieri continuè, & oppoſitum aſſerere, eſſe contradicere rebus valdè manifeſtis. Hæc ſunt verba : *Quare dicere continuè alterari valde manifeſtis eſt aduerſari, in contrarium enim alteratio eſt.* Conſtat ergo ex Ariſtot. alterationem non 2

fieri continuè, quod ſi oppoſitum videatur aſſeruiſſe locis citatis, componi poteſt in mea ſententia aſſerente intenſionem fieri continuè in partibus paſſi proximis agenti, cui concluſioni fauent teſtimonia ab aduerſariis adducta, & de illa Ariſt. explico locis citatis, & motum non fieri continuè in partibus remotioribus, pro qua concluſione adduco Ariſtotelem cuius iam do verba.

3 Non me latet nonnullum explicuiſſe Ariſt. aſſerentem motum non fieri continuè, hoc eſt non perpetuò durare, ſed finem habere, abſque ratione tamen, imo contra ipſum Ariſt. ibidem aſſerentem, motum habere diuiſionem, quæ formaliter opponitur continuationi, quam probare intendunt aduerſarij. Verba ſunt Ariſtotelis: *Manifeſtum eſt igitur quod non eſt neceſſarium ſemper aliquid abire, quia diuiditur* (nota verbum diuiditur) *ipſa diminutio in infinitum, ſed totum aliquando abire. Similiter autem in alteratione qualibet non enim ſi partibile eſt infinitum id quod alteratur, ob id & alteratio, ſed ſimul, vniuerſa fit ſæpe ſicut congelatio.* Quibus verbis expreſſe docet Ariſt. motum aliquando habere diuiſionem, ac proinde non ſemper eſſe continuum, aliquando vero illius partes ſimul fieri, ſicut in congelatione, ac proinde non ſemper ſucceſſiuum quod nota pro explicatione teſtimoniorum, quæ ſupra adduximus contra concluſionem, qua tradidi poſſe qualitatem diuiſibilem in inſtanti produci.

4 Difficilius poteſt obiici ex eodem Philoſopho 5. Phyſic. cap. 2. text. 41. vbi tria requirit ad vnitatem ſpecificam partium, vnitatem ſubiecti, & temporis continuationem, illius ſunt verba: *Quapropter neceſſe eſt eundem in ſpecie eſſe & vnius*, hoc eſt ſubiecti, *& in vno tempore ſimpliciter continuum motum, & vnum, Tempore quidem vt non immobilitas interſit, intermittentem enim quieſcere neceſſe eſt. Multi igitur & non vnus motus, inter quos quies eſt, quare ſi aliquis motus ſtatu intercipitur, neque vnus eſt, neque continuus, intercipitur autem, ſi in medio tempus eſt.* Reſpondeo, motũ quiete interruptum quoad extenſionem poſſe dici continuum, ex nullo tẽpore, neque inſtanti intercepto, ſi ſimul in illo extenſioné & intenſioné inſpiciamus, quia nullum eſt inſtans, neque pars temporis aliqua, in quibus non producatur extenſio, vel intenſio qualitatis in aliqua parte ſubiecti, cum verò intenſio extenſioni vniatur, ex vtraque reſultat idem numero motus nullo interruptus tempore, neque enim motus intenſionis adæquatè diſtinguitur à motu extenſionis, quia qualitas ex qua reſultat intenſio in hac parte vnitur qualitati, per quam fit extenſio ad aliam, eademque vnio proportione ſeruata, quæ eſt in termino, reperitur etiam in alteratione ad illum terminata.

5 Secundò, Reſpondeo motum eſſentialiter ſucceſſiuum requirere continuationem temporis, vt ſimpliciter vnus dicatur: in ſucceſſiuis enim per ſe continuus fluxus partium immediatè ſuccedentium, vel eſt tota vnionis ratio, vel ſaltem eſſentialiter illius vnio dependet ab illo immediato fluxu, cum enim partes non permaneant, non poteſt hæc vniri parti, quæ tempore mediato præceſſit, & immediatè non fuit, nihilominus adhuc in his motibus vnitatem quandam, etſi non phyſicam, moralem reperimus, quando interruptio temporis tanta non eſt, vt ſenſibus percipi valeat, ſic vnum motum dicimus quo quis mouetur à domo in templum, licet nunquam pedem ſolo figat, quin aliquo tempore hæreat. In motibus verò non per ſe ſucceſſiuis adhuc maior vnio poteſt reperiri, etiamſi maxima fuerit temporis interruptio, quia vltima pars motus alterationis, qui non vltra progreditur, etiamſi poſtea non permaneat cum illa denominatione motus, phyſicè tamen intrinſecè permanet tempore ſequenti, actio enim productiua quarti gradus caloris vltimo producti, etſi tantùm in illa menſura, in qua gradus primo producitur motus dicatur, poſtea verò toto tempore, quo gradus ab eadem cauſa conſeruatur, permanet eademmet actio, qua primo fuit productus, & quæ antea motus dicebatur, hac denominatione amiſſa poſtea dicitur conſeruatio, eademque intrinſecè manet; poſtea verò quocumque tempore interrupto, cum quintus gradus producitur, & vnitur quarto, qui multò antea fuerat productus actio productiua quinti quæ in prima ſui menſura motus dicitur, vnitur actioni conſeruanti quartum gradum caloris, etſi iam hæc mutatio non dicatur. Ex quo infertur motum alterationis adhuc phyſicè interruptum, poſſe eſſe vnum ſecundùm omnem ſuam rationem intrinſecam actionis, etiamſi fuerit interceptus, ita vt tempore medio nihil qualitatis, neque ſecundùm intenſionem, neque ſecundùm extenſionem fuerit productum, tantùm enim continuatio requiritur ad vnitatem illius extrinſecæ denominationis motus, quam concedere non reperiri in motu alterationis abſurdum non eſſet, licet neceſſarium non ſit propter ſolutionem ſupra datam. Deinde, quia interruptio, quæ contingit adeò eſt exigua, vt moraliter nulla reputetur, & motus continuus moraliter dici poſſit, licet valde crebro interruptio contingat.

PVNCTVM VII.

Continuatio alterationis iuxta Zenoniſtas explicatur.

1 Dicendum eſt primò, alterationem non poſſe eſſe continuam adhuc per breuiſſimum oculi ictum quoad extenſionem, in opinione conſtituente continuum ex puris indiuiſibilibus. Hanc concluſionem à poſteriori rectè probat Arriag. diſp. 2. ſect. 3. ſubſect. 2. quia in ictu oculi ſunt tot temporis inſtantia, quot puncta in extenſione vnius leucæ, quod probatur ex motu Solis, qui in ictu oculi percurrit ſpatium, maius forſan, quàm vnius leucæ, & neceſſariò in quodlibet indiuiſibili adquirendi ſpatij vnum inſtans temporis inſumit. Ex quo infertur quod ſi agens applicatum paſſo in quolibet inſtanti temporis nullo intermiſſo, ſuam actionem extenderet per vnum indiuiſibile ſubiecti, ſubiectum æquè extenſum immutaturum, ac extẽſum eſt ſpatium, quod percurrit Sol in eodem tempore, ac proinde alterationem continuam quoad extenſionem breuiſſimo temporis ſpatio per totum orbem eſſe extendendam, cuius oppoſitum docet experientia, cum videamus calefactionem durare multum temporis, & toto elapſo tantùm attigiſſe ſpatium iactus vnius lapidis.

2 Hæc ratio adduci poſſet ad eandem concluſionem probãdam in ſententia Ariſt. video tamen infinitudine partium à multis eludendam eſſe, dicent enim in extenſione vnius palmi qualitatis eſſe infinitas partes proportionales potentes correſpondere partibus proportionalibus temporis, in quo mouetur Sol per vnam leucam, licet hæ partes temporis correſpondeant partibus proportionalibus vnius leucæ. Hæc tamen illuſio eſt non ſolutio, licet enim, quodlibet continuum conſtet ex infinitis partibus negari nequit vnum eſſe maius alio ſaltem materialiter, & in manu non eſſe tot partes proportionales, quot ſunt in toto brachio ſimul, & in manu, neque duo infinita quorum ſingulæ cuiuſlibet partes proportionales correſpondent ſingulis partibus alius tertij non poſſe ſe extendere in partibus proportionalibus, & cõſequenter neque in aliquotis, hæ enim ex illis conſurgunt: ergo ſi ſingulæ partes proportionales motus cæli, & ſingulæ motus extenſiui alterationis correſpondeant ſingulis proportionalibus temporis motus alterationis, & motus cæli correſpondebunt vni tertio in extenſione, & conſequenter inter ſe. Negabis correſpondentiam inter infinita, quod facilius dices, quàm percipies, ſed non in his immoror.

3 Cognita à poſteriori concluſione in ſententia Zenonis illam probo à priori in vtraque opinine Ariſtotelica, & Zenoniſtica. Agens producit vniformiter difformiter in primo inſtanti, videlicet in prima parte ſubiecti calorem vt ſex, in ſecunda calorem vt quatuor, in tertia vt duo, & nihil in quarta, quia duo gradus caloris, etſi vnum excedant non exceſſu ſufficienti ad agendũ, quia hic debet eſſe tantus, & determinatus, v.g. vt duo. In ſecundo inſtanti cum agens conſeruet gradus productos in primo, non poteſt tantum calorem producere in ſecundo, quantum produxit in primo, licet hunc aliquantulum poſſit intendere, quia iam minorem inuenit reſiſtentiam iuxta dicta Punct. 6. quapropter in ſecundo inſtanti producit in prima parte ſubiecti calorem vt quatuor (vt rem explicem non curo de octonario numero à Philoſophis aſſignato) in ſecunda, vt duo, in tertia verò nihil, quapropter in hoc inſtanti non poteſt qualitas extendi ad quartam partem ſubiecti, quia tertia non fuit aucta propter paruum exceſſum, quem adquiſiuit ſecunda reſpectu illius, in tertio verò inſtanti etiamſi in ſecunda parte vnicus tantùm gradus producatur, cum duobus in inſtanti præcedenti productis, exceſſus ſufficiens conſtituitur ad agendum in tertia, quæ duobus gradibus, quos in primo inſtanti adquiſiuit, & alio in tertio producto

poteſt

Digitized by Google

poteſt ad quartam partem ſubiecti calorem extendere. Re ita compoſita rectè aſſignatur à priori ratio concluſionis à poſteriori cognitæ in Zenonis ſententia, quæ ratio concluſionem probat eodem modo in opinione conſtituente continuum ex infinitis partibus.

4 Dicendum eſt ſecundò, intenſionem partium diſtantium ab agente præcipuo non eſſe continuam. Hanc concluſionem pro Zenoniſtis, & Ariſtotelicis probat ratio facta in præcedenti, ex qua illam euidentem infero. Ad hoc vt intenſio fiat in parte diſtanti per additionem vnius gradus neceſſum eſt fieri in partibus proximioribus per additionem plurium, quæ non poteſt ſimul ab agente produci: ergo vt producatur vnus gradus in parte diſtanti, ſpectandum eſt tempus, quo intenſio plurium graduum fuerit producta in partibus proximioribus agenti, & quo exceſſus determinatus ſit productus in parte anteriori immediata illi, in qua intenſio eſt facienda; cùm verò hic exceſſus, & illa intenſio fiant in tempore diuiſibili, neceſſum eſt vt pars remota ſubiecti illud expectet ad qualitatem in ſe recipiendam.

5 Dicendum eſt tertiò, intenſionem fieri continuè in partibus proximis paſſi. Hanc concluſionem trado pro Zenoniſtis, & Ariſtotelicis, quam ſic probo. In parte proxima agenti nulla poteſt aſſignari ratio propter quam agens producat intenſionem in inſtanti ſequenti quam non potuit in hoc producere in quo nihil produxit; ergo ſi illam poterit producere in ſequenti poteſt in iſto; ergo in hoc producet intenſionem, vel in iſto illam producere nequit, neque in ſequenti, illam efficere valebit. Quod docet Arriaga contrariam qualitatem exigere conſeruari in præſentia contrarij per tantum tempus, quo ceſſat actio agentis, & illo tranſacto de nouo incipere, quia iam expletum fuit tempus, quo qualitas contraria petebat durare, abſque fundamento & ſine neceſſitate dicitur.

6 Obiicies ex Arriaga: Intenſio qualitatis in parte proxima agenti eſt continua; ergo in ictu oculi tot indiuiſibilia qualitatis intenſæ adquiret pars ſubiecti, quot indiuiſibilia ſpatij percurrit Sol in eodem tempore. Reſpondeo concedendo conſequentiam, nullum enim eſt inconueniēs aſſerere manum mediocriter calidam, habere tot indiuiſibilia intenſionis qualitatis quot extenſionis ſpatium vnius leucæ, quia hæc indiuiſibilia cum ſint naturæ exilis in magna multitudine leuiter immutant ſubiectum, ac proinde maximus illorum numerus requiritur, vt mediocriter pulſent potentiam, & ſenſationem, notabiliter diſſonam, vel conſonam pariant. Si obiicias intenſionem partis propinquæ agenti durantem per ſpatium vnius horæ fore penè infinitam, dicam ego nullam intenſionem talis partis propinquæ durare per ſpatium vnius horæ, quia minori alio agens producet, quidquid poteſt producere, neque experientiam aliquam contra me poteris inuenire.

7 Dicendum eſt quartò, agens producens ſimul in parte proxima maiorem intenſionem exceſſu requiſito ad operandum continuè extendere qualitatem vſque ad partem illam, in qua intenſio in inſtanti adquiſita minor ſit exceſſu requiſito ad operandum. Rem explico, produxit calidum in primo inſtanti per quatuor partes ſubiecti, in prima quatuor gradus qualitatis, tres in ſecunda, duos in tertia, vnum in quarta, quibus productis, prima produxit quidquid potuit in ſecunda, & ſecunda in tertia, &c. quapropter requiritur vt poſtea agat quælibet pars anterior in ſubſequentem, exceſſus aliquis determinatus, pono eſſe trium graduum, ſi agens in ſecundo inſtanti tantùm producit duos in prima, nihil in ſecunda producet in illo inſtanti, ſi verò producit tres in illo inſtanti, producentur duo in ſecunda ſed nihil in tertia, quia ſecunda non habet exceſſum requiſitum vt agat in illam. Si verò in ſecundo inſtanti quatuor produxiſſet in prima parte, in eodem producerentur, tres in ſecunda, duo in tertia, & nihil in quarta, propter eandem rationem. En quo maior intenſio ſimul producitur in prima parte ſubiecti, per partes plures illius intenſio eſt continua; cùm verò non poſſimus aſſignare intenſionem quam ſimul producit in prima parte non poſſumus partes annumerare, in quibus intenſio eſt continua, ſed tantùm aſſerimus eo per plures partes fieri continuè, quo fortius eſt præcipuum agens, & intenſiorem qualitatem ſimul producit in parte illi immediata.

CONTROVERSIA VII.

De raro & denſo.

QVÆSTIO eſt an raritas, & denſitas ad qualitatem pertineant, & conſequenter an rarefactio, & condenſatio ad alterationem ſpectent: deinde non deſunt aliqui, qui exiſtimarunt viuentia per rarefactionem tantùm augeri, & per condenſationem minui, ideo controuerſiam inſtituo diſtinctam ab illis, in quibus de nutritione, & alteratione differui.

PVNCTVM PRIMVM.

Definitur rarum, & denſum, totiuſque rei difficultas proponitur.

RArum definiuit Ariſtoteles: *Quod ſub magnis dimen-* 1
ſionibus parum habet materiæ: denſum verò, *quod ſub paruis dimenſionibus multum materiæ habet.* Vtrumque inuenies in corpore nunc calido, & poſtea frigido; oleū enim quod frigefactum parum ſpatij occupabat, nunc calefactum magnum ſpatium implet, ex hoc infero idem corpus eodem modo ſe habens poſſe dici rarum reſpectu vnius, & denſum reſpectu alterius, vel vtrumque reſpectu ſui ipſius, ſecundùm diuerſos ſtatus. Hoc inſpicies ſi ponas tria corpora entitatiuè æqualia ſecundùm ſubſtantiā, & quantitatem, quorum vnum occupat tres vlnas ſpatij, aliud quatuor, & quinque aliud: corpus occupans quatuor vlnas ſpatij rarum dicetur reſpectu corporis, quod tres tantùm replet, & denſum reſpectu alius, quod quatuor adimplet. Idem dicito de eodem corpore quatenus potens eſt ad tres ſpatij vlnas contrahi, vel ad quatuor extendi. Hæc dixerim iuxta propriam ſententiam, quam poſtea tradam, & iuxta ſententias aliorum, qui raritatem, & denſitatem non formaliter in qualitate conſtituunt, hi enim poſſunt aſſerere has qualitates ſpecie diſtingui, & corpus occupans quatuor ſpatij vlnas differre à corpore quinque replente, quia remiſſiorem habet raritatem, & vtrumque differre à corpore, quod tres tantùm attingit, quia hoc habet denſitatem & illa raritatem qualitates inter ſe ſpecies differentes.

Suppono in omnium opinione rarefactionem, & con- 2
denſationem fieri non poſſe, ſine motu locali, & ſine acquiſitione nouæ præſentiæ, ſiue rarefactio, & condenſatio in tali motu, & raritas, & denſitas in præſentia per talem motum acquiſita conſiſtant, ſiue non in præſentia, ſed in alia qualitate, ſeu alia quacumque entitate conſtituendæ ſint. Ratio eſt manifeſta, vt corpus denſum rareſiat, extendi ad maius ſpatium neceſſe eſt, & vt condenſetur debet contrahi ad minus ſpatium, quam antea occupabat, ſed non poteſt corpus maius ſpatium acquirere, & acquiſitum relinquere, & minori contineri ſine motu locali: ergo in rarefactione, & condenſatione motum localem intercedere neceſſe eſt. Dixi rarefactionem, & condenſationem fieri non poſſe, ſine motu locali, quod intelligendum eſt, quando corpus acquiſiuit raritatem, & denſitatem, qua prius tempore priuatum proceſſerat. Si verò in eodem inſtanti, quo corpus creatur, vel producitur rareſiat, vel denſetur, tunc illa rarefactio, ſeu denſatio non includit motum localem, ſed dicet productionem præſentiæ quæ motus diceretur, ſi ſubiectum in inſtanti præcedenti extitiſſet priuatum tali præſentia. Ex his colligo raritatem & denſitatem ſemper præſentiam importare corporis rari, aut denſi, & rarefactionem, & condenſationem huius præſentiæ productionem.

His poſitis totum difficultatis negotium eſt quomodo
idem corpus habens eaſdē partes quantitatis poſſit modo 3
pauciores, & poſtea plures ſpatij partes occupare, ſine replicatione partium in eodem ſpatio, & ſine repetitione eiuſdem partis in diuerſis ſpatij partibus. Ratio dubitandi deſumitur ex eo, quod corpus quantitatiuum habet partes, ſiue finitas, ſiue infinitas, in ſe certas & determinatas:

Digitized by Google

ſuppono claritatis gratia, has eſſe viginti quæ viginti aliis ſpatij partibus reſpondebunt nulla facta condenſatione, aut rarefactione: Rarefiat hoc corpus: tunc reſpondebunt illius partes viginti & quatuor ſpatij partibus: ergo cum partes occupantes ſint tantum viginti, & partes ſpatij occupati viginti & quatuor neceſſum eſt partes aliquas, ſcilicet quatuor occupare duplicem ſpatij partem, & conſequenter duplicem præſentiam habere. Rurſus ſi ſupponamus corpus illud occupans viginti partes ſpatij condenſari, illius partes occupabunt ſex ſupra decem ſpatij partes; ergo cum partes corporis ſint viginti, & partes ſpatij tantum decem & ſex, neceſſum eſt quatuor partibus ſpatij correſpondere octo partes corporis, quod ſine penetratione non continget, quia duæ partes occupantes idem ſpatium neceſſario ſunt penetratæ, cum penetratio nihil aliud ſit, quàm replicatio corporum in eodem ſpatio. Hoc opus hic labor eſt.

PVNCTVM II.

Nonnullæ ſententiæ reiiciuntur.

1 Refertur ſententia aliquorum aſſerentium in corpore raro reperiri cauitates quaſdam, ratione quarum maius ſpatium occupat corpus, quaſi extenſiuè, quia extenditur ad partes magis inter ſe diſtinctas, non vero entitatiuè, quia idem numero ſpatium occupat, ſiue rarum, ſiue denſum, quia quando corpus denſatur replet illas cauitates, & relinquit partes extraneas ſpatij, quas occupabat, eodem modo ac accidit in corpore habente poros aere repletos, quando expulſo aëre clauduntur. Dicitur etiam ſecundùm hanc ſententiam inconueniens non eſſe minima aliqua ſpatia vacua concedere; his enim non impeditur influxus cæleſtis in corpora ſublunaria.

2 Neſcio fuiſſe hanc opinionem aliuius probati authoris, & cuiuſcumque ſit à nullo ſuſtineri poteſt, ſunt enim frequentes experientiæ, quibus ſuadetur naturæ vacuum etiam minimum abhorrere, ſi enim aliquod, etſi minimum permitteret, nunquam vnum corpus aliud traheret, ad replendum vacuum: quia poſſet per breuiſſimum ſpatium ab illo ſeparari, quin illud moueret, cum paruum illud vacuum natura non abhorreret, ſemel tamen illo vacuo quantumuis minimo interpoſito, nullo modo poſſet idem corpus influere in aliud, illúdque mouere. Dices, vnum corpus, poſſe ſparari ab aliquo, ſecundùm aliquas partes, non verò ſecundùm omnes. Contra: omnes partes corporis quanti (pono hoc non eſſe viuens organicum) ſunt eiuſdem rationis. Ergo ſi hæc pars poteſt ab alia ſeparari nullo corpore interpoſito, illa poterit eodem modo ſeparari, & ſic de aliis.

3 Secunda ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 22. quæſt. 4. vbi aſſerit, in rarefactione nouas partes quantitatis produci, & in condenſatione nonnullas ex antiquis corrumpi. Scotum ſequuntur Gotfredus, & alij apud Conimbric. lib. 1. generat. cap. 5. quæſt. 17. art. 2. Reiicitur à pleriſque hæc ſententia: quia nulla poteſt aſſignari cauſa nouæ productionis, & corruptionis quantitatis, ac proinde vtraque immerito, in condenſatione & rarefactione adſtruitur. Rationem, quam probo, vrgeo in condenſatione. Nullum agens naturale, per ſe intendit corruptionem alicuius entitatis, ſed per productionem, & ratione rei productæ ſecundario corruptiones contingunt: ſed nihil poteſt produci ratione cuius quantitas corrumpatur: Ergo quantitas à nullo agenti naturali corrumpi poteſt. Minorem probo: quatuor primæ qualitates, & reliqua accidentia, quæ huc vſque nouimus non opponuntur cum qualitate, ſed rectè illi cohærent: ergo ex eo, quod hæc accidentia producantur, non poteſt ſecundario ſequi corruptio quantitatis, quia ex productione alicuius termini tantum ſecundario ſequitur corruptio alius formæ incompoſſibilis cum illo: Ergo quantitas, quæ cum nullo accidenti incompoſſibilis eſt non corrumpitur ex eo, quod hæc vel illa accidentia corrumpantur. Robur rationi addit ſententia, affirmans quantitatem eſſe ſubiectum accidentium, quam probaui, Controuerſ. 1. Punct. 2. ex hac ſententia argumentum fortius inſtauro: accidens ſupponit quantitatem tanquam ſubiectum: ergo non poteſt eſſe deſtructiuum illius, implicat enim aliquod deſtruere exiſtentiam, quam ſupponit, & exigit, vt per ſe notum eſt. Dices, quantitatem eſſe diuiſibilem in partes diuerſas, & ſecundùm partes illas, quæ remanent facta condenſatione recipere accidentia, & corrumpi ſecundùm aliàs, in quibus accidentia non recipiuntur quarum exiſtentiam non ſupponunt, ſed deſtruunt. Contra: partes illæ quantitatis, quæ corrumpi dicuntur in condenſatione, non recipiebantur, neque informatiuè, neque inhæſiuè, in partibus, quæ remanere dicuntur, in quibus accidentia ſubiectantur: ergo partibus quantitatis, quæ corrumpi dicuntur, & accidentibus à quibus corrumpi dicuntur, non erat commune ſubiectum. Ergo accidentia non poſſunt corrumpere partes illas quantitatis, quia corruptio fit per expulſionem vnius entitatis ab alia, cui eſt commune ſubiectum, & vbi ſubiectum commune non eſt, expulſio non poteſt intercedere.

4 Secundò eamdem opinionem reiicio, quia etiamſi admittatur in rarefactione produci nouam quantitatis partem, difficultas huius materiæ non exhauritur, ſed quæ erat in partibus quantitatis reſpectu ſpatij, transfertur ad eaſdem partes quantitatis reſpectu materiæ. Inquiro enim an in rarefactione producantur cum nouis partibus quantitatis, partes nouæ materiæ, vel partes materiæ antiquæ accreſcant nouæ quantitati: ſi dicas produci nouas partes materiæ, dices rarefactionem includere creationem materiæ, & generationem formæ, & illam ſubſtantialem augmentationem ego appellabo, tantùm enim differet ab augmentatione, quam agnoſcit Philoſophia, ex eo quod in augmentatione illa non noua creatur materia, ſed materia alimenti materiæ alito vnitur; in hac verò rarefactione, ſeu noua augmentatione, non vnitur alito matèria alimenti, ſed noua illi vnienda creatur, qua non minus augebitur, neque minus ſubſtantialiter, quam augetur materia alimenti ſibi vnita, eadem enim erit augmentatio, & idem auctum reſultabit, ſiue materia, quæ illi accreſcit antea fuerit ſub forma alimenti, ſiue in illo inſtanti creetur, impertinens enim eſt omnino ad augmentationem hic, & nunc factam materiam ex qua fit tempore præceſſiſſe, vel nunc primo incipere. Si Deus non producit nouam materiam, incidis in totam huius materiæ difficultatem, & teneris modum aſſignare; quo materia, quæ modo his partibus quantitatis reſpondebat cum correſpondentia adæquata ex parte vtriuſque extremi, & iuxta vndequaque partis diſtinctæ materiæ cum parte diſtincta quantitatis, & totius materiæ cum tota quantitate, eadem cum eiſdem partibus perſeuerans poſſit reſpondere eiſdem partibus quantitatis, quibus reſpondebat antea, & aliis denuo productis, abſque eo quod duplex pars quantitatis ſimplici parti materiæ, vel ſimplex pars materiæ duplici parti quantitatis correſpondeat. Hæc eſt tota huius materiæ difficultas, quæ admiſſa productione partium quantitatis eadem remanet in rarefactione, vt oſtendit diſcurſus ſuprà factus, & in condenſatione admiſſa corruptione partium quantitatis, eodem diſcurſu eadem [illegible]ſiſtere conuincitur, in vtroque enim motu totum fundamentum difficultatis deſumitur ex eo, quod componi nequeat extremum iuuariatum ſecundùm multitudinem partium poſſe commenſurari cum alio modo pauciores habente.

5 Dices forſan materiam nullas habere partes à ſe, ſed tantùm ratione quantitatis, ac proinde facile poſſe difficultatem hanc componi, quia cum materia partes habeat è qantitate, quo plures paucioréſve ſunt partes quantitatis, eo plures paucioréſve erunt materiæ partes, & ita ſemper iuſtè commenſurari poterunt. Multis impetam in Metaphyſ. Controu. 7. Punct. 2. ſententiam aſſerentem ſubſtantiam non habere partes è ſe ſed à quantitate, quibus ſolutionem euertam. Verum adhuc illius doctrina de partibus quantitatis admiſſa difficilè rarefactio, & condenſatio componitur, per productionem, & corruptionem partium quantitatis: arguo ex principiis ipſa ſolutione traditis. Subſtantia ex ſe vi præciſa à quantitate, partes non habet, neque eſt diuiſibilis: ergo vt præciſa à quantitate, neque eſt parua, neque magna: Sed vt informata eſt à quantitate tot partes habebit, ac ipſa quantitas, licet ab hac mutuatas; ergo ſubſtantia informata magna quantitate, magna erit, & informata parua quantitate parua erit: ergo non poterit dici in rarefactione paruam quantitatem habere magnam dimenſionem, hoc eſt, magnam quantitatem; quia ſubſtantia præciſa à quantitate, vt modò dicebam, neque eſt parua, aut magna, & vt informata quantitate, æquè magna eſt, ac ipſa quantitas, & quantitas æquè magna eſt, ac ipſa præſentia cùm ſecundùm hanc ſententiam, quotieſcumque

Digitized by Google

cumque additur noua pars præſentiæ, ad nouam partem ſpatij, additur noua pars quantitatis, & conſequenter ſubſtantia æquè magna erit cùm præſentia; quia quæ ſunt æqualia vni tertio ſunt æqualia inter ſe; ergo in nullo ſenſu dici poterit ſecundùm hunc dicendi modum per rarefactionem paruam ſubſtantiam magnas habere dimenſiones. Vltimò reiicio ſententiam Scoti; quia ex illa infertur ad corruptionem partis quantitatis in corpore denſato debere produci aliam partem quantitatis in alio corpore, vt repleret ſpatium relictum à quantitate corrupta, cuius productionis nulla cauſa poteſt aſſignari.

6 Longius à veritate aberrauit Marſilius in Metaph. q. 9. art. 2. cuius poteſt tertia annumerari ſententia docens in rarefactione, & condenſatione totam quantitatem antiquam corrumpi, & aliam totalem produci. Hæc opinio habet in ſe rationes omnes, quas contra Scotum adduximus, quibus aliam, haud inefficacem addito. Quantitas per rarefactionem producta, vel habet tot partes, quot habebat præcedens, quæ fuit corrupta, vel plures: ſi tot partes, ſiue ſit eadem, ſiue diſtincta, eadem remanet difficultas, quomodo idem numerus partium quantitatis poſſit maiori, & minori numero partium reſpondere ſpatij. Si habet plures, ad quid omnes denuo productas eſſe confingit Marſil. ſufficiet produci partes illas, ſecundùm quas quantitas rarefacta, excedit ſeipſam condenſatam. Idem argumentum fit in condenſatione, in qua neceſſum non erit totam quantitatem corrumpi, ſed partes illas, quibus quantitas denſa minor eſt ſe ipſa rarefacta.

7 Quarta opinio eſt aliquorum recentiorum aſſerentium in condenſatione dari aliquam penetrationem partium inter ſe, quæ naturaliter non repugnat, dum non ſit adæquata omnium partium. Hi recentiores planè ſuccumbunt oneri, deſudat tota ſchola in explicanda rarefactione, & condenſatione ſalua quantitatis impenetratione, & magnũ aliquod feciſſe putant, & ſingularẽ peracutámque excogitaſſe ſententiam abſque labore vllo admittẽtes, quod omnes Philoſophi renuunt concedere: eſt ergo hæc lis inter Philoſophiæ terminos dirimenda, ſi enim illos ſemel tranſiliamus, facile erit aſſerere vnum corpus in duplici loco per rarefactionem præſentari, vel duo in eodem ſpatio per condenſationem penetrari. Fortius eamdem ſententiam impugno: omnes partes quantitatis ſunt homogeneæ: ergo ſi pars *A*, poteſt penetrari cum parte *B*, pars B poterit penetrari cum parte *C*, & ſic de omnibus aliis: ergo ſi partes aliquæ poſſunt inter ſe penetrari, poterunt omnes inter ſe penetrari, & ingens corpus ad exiguum reduci ſpatium, ergo ſi ſemel admittatur partialis penetratio, debet admitti penetratio totalis vnius corporis cum alio, quod concedere Philoſophicum non eſt, neque nimis Catholicum, ſequeretur enim Deiparæ partum puriſſimo illius vtero illæſo miraculoſum non fuiſſe.

8 Reſpondebis, non inferri hanc totalem penetrationem, quia linea, & ſuperficies, in ſententia omnium, qui defendunt continuum Ariſtotelicum, penetrari poſſunt, nunquam tamen ad indiuiſibile reduci. Ad rationem adductam, dices omnes partes quantitatis eſſe homogeneas, nullam tamen adæquatè penetrari, ſed inadæquatè, & ita non poſſe omnes, neque illarum aliquam penetrari. Dicam poſtea de conſequenti illato, nunc ſolutionem adhibitam impugno: pars illa, quæ inadæquatè penetratur eſt intra aliam ſecundùm illam particulam ſui, in qua fit penetratio; ſed ſecundùm illud inadæquatum ratione cuius penetratur cum alia, & ſecundùm aliam particulam ratione cuius non penetratur, eſt eiuſdem rationis: ergo ſicuti penetrata fuit ratione illius particulæ inadæquatæ, potuit penetrari ratione illius; quod eiuſdem partis penetratum non eſt. Vrgeo: illud quod eſt penetratum, aut diſtinctum ab alio quod penetratum non eſt, ſiue adæquatum, ſiue inadæquatum, ſiue determinatum, ſiue indeterminatum, ſiue aliquotum, ſiue proportionale, eſt eiuſdem rationis cum alio, quod penetratum non eſt: ergo ſicuti potuit illud penetrari, ſic poterit aliud eiuſdem rationis, quod penetratum non eſt. Redeo ad conſequens quod ſupra inferebam, quod non inferri ſuadebatur ex eo, quod linea poſſit penetrari ſecundùm aliquas partes, non tamen ſecundùm omnes, ita vt ad indiuiſibile reducatur. Non intuli ſupra, corpus ad indiuiſibile ſpatium reducendum eſſe ſed ingens corpus poſſe redigi ad ſpatium valdè exiguum, ne ex prædictâ lineâ aditus ſolutioni pateret, lineam non poſſe ad indiuiſibile reduci, ideo eſt, quia diuiſibilis eſt in ſemper diuiſibilia, ac proinde, ſi hæc medietas penetretur cum alia mediate, & duplo minor euadat linea, & iterum ſimiliter penetratio contingat, qua iterum duplo minor euadat, & ſic in infinitum, ſemper diuiſibilis permanebit, quod eodem fore modo ſi partes corporis inter ſe poſſent penetrari propter eandem rationem admitto. Verumtamen infero hoc corpus penetrandum eſſe adæquatè cum alio à ſe diſtincto, ſicuti hæc ſuperficies cum alia à ſe adæquatè diſtincta, adæquatè penetratur. Secundò: hæc eſt optima conſequentia. Hic palmus lineæ, vel ſuperficiei penetratur cum alio palmo: ergo ſi partes corporis non obſtent, omnes palmi lineæ poterunt inter ſe penetrari, quia omnes ſunt eiuſdem rationis: ergo quantumuis longa ſit linea, poterit ad ſpatium vnius palmi reduci. Simile argumentum conficio, in corpore illo inadæquatè penetrato: pars vna, ſiue digitalis, ſiue ſemidigitalis, vel cuiuſcumque extenſionis ſit, penetratur cum alia digitali (pono partem penetratam digitalem eſſe) ergo omnes partes digitales poſſunt inter ſe penetrari: ergo totum corpus quantumuis maximum ſit, poterit ad ſpatium digitale reduci, quod abſurdum eſt, & contra manifeſtam experientiam. Vltimò in ſententia quæ continuum ex puris indiuiſibilibus componit, clarè infertur totum continuum poſſe ad indiuiſibile reduci, ſi aliqua admittitur penetratio, quia quantumuis inadæquata fingatur, debet eſſe vnius indiuiſibilis cum alio, & ſi vnum indiuiſibile poteſt cum alio penetrari, illud aliud poterit cum alio penetrari, & ſic de omnibus.

PVNCTVM III.

Iudicum fertur de alia recentiorum ſententia.

INuenio apud Hurtad. diſp. 15. Phyſic. ſect. 5. ſubſect. 4. & 1
apud Arriag. diſp. 16. ſect. 9. initio, relatam ſententiam quandam, cuius primum inuentorem fuiſſe quemdam ſuũ Magiſtrum, ait Hurtadus, quámque amplexi ſunt nonnulli recentiores aſſerentes dari quædam indiuiſibilia inflata in corpore raro, ratione cuius inflationis, vnum idémque indiuiſibile poteſt maius, minúſve ſpatium occupare, & conſequenter corpus his indiuiſibilibus inflatis, quod rarum dicitur maius ſpatium occupare, quam idem denſum conſtans eiſdem indiuiſibilibus non adeo turgidis, ſed etiam compreſſis. Itaque aiunt iſti recentiores; punctum indiuiſibile, & inextenſum formaliter, eſſe virtualiter diuiſibile, & extenſum in ordine ad ſpatium; quia poteſt ſpatium diuiſibile & extenſum occupare: conſiſtit ergo ſecundum hunc dicendi modum raritas in hac indiuiſibilium inflatione, & denſitas, & in carentia inflationis, & quo minus inflata ſint indiuiſibilia corpus denſius erit, ita vt illud corpus ſit ſummè denſum, cuius quodlibet punctum indiuiſibile tantùm vnum ſpatij indiuiſibile occupat.

Huius ſententiæ Authores modeſtè aſſerunt idem indi- 2
uiſibile poſſe eſſe præſens in ſpatio diuiſibili eo modo, quo Angelus ſecundùm ſuam entitatem indiuiſibilis præſens eſt toti huic cubiculo diuiſibili, ſiue per præſentiam diuiſibilem, cuius partes partibus ſpatij correſpondent, ſiue per præſentiam indiuiſibilem, quæ indiuiſibiliter ſecundùm ſe totam, quamlibet ſpatij partem, & omnes ſimul totúmque ſpatium reſpicit. Quod ſi alio quocumque modo hæc ſententia explicetur, omnino erit commentitia, & excogitata punctorum inflatio in aëream fictionem reſolui neceſſe erit. Ratione probo prædictam ſententiam puncto tribuere præſentiam ſupra explicatam ſimilem Angelorum præſentiæ: indiuiſibile inflatum occupat ſpatium, quod antea occupabant duo indiuiſibilia non inflata: ergo occupat ſpatium diuiſibile conſtans ſaltem duobus indiuiſibilibus: cum ergo ſecundùm ſuam entitatem ſit indiuiſibile, ſecundùm ſuam entitatem occupat quodlibet indiuiſibile ſpatij ex duobus quibus correſpondet tanquam ſpatio adæquato; ergo ſecundùm ſe totum eſt in vno indiuiſibili ſpatij, & ſecundùm ſe totum eſt in altero: ergo reperitur idem indiuiſibile corporis in duobus indiuiſibilibus ſpatij: ergo reperitur in ſpatio diuiſibili, ſicuti eſt Angelus totus in hoc indiuiſibili ſpatio, & totus in alio indiuiſibili. Si dicas vnum indiuiſibile corporis inflatum non occupare duo indiuiſibilia ſpatij, ſed vnum inflatum, conſtituis ſpatium mobile, & viam occludis toti Philoſophiæ in materia

præſentia

præſentiarum, & motus, implicat enim de his loqui, niſi per ordinem ad ſpatium immobile, alioquin dicere poteris, me habiturum eandem præſentiam Matriti, & Romæ, & poteris fingere ſpatium Marritanum migraſſe Romam, ſicuti concipis indiuiſibile ſpatij inflari, & extendi.

3 Sed quidquid de ſpatio neges, in loco reali eodem modo arguo: pono duo corpora inter ſe non multum diſtantia, quorum intercapedinem replent octo indiuiſibilia corporis denſi, ſi hæc indiuiſibilia rareſiant quatuor ſufficient ad hanc intercapedinem replendam: ergo quodlibet indiuiſibile iam rerum ſubſtituitur loco duorum indiuiſibilium occupantium ſpatium diuiſibile: ergo conſtituitur in duplici ſpatio, totum in quolibet; ergo per hanc inflationem eodem modo conſtituitur indiuiſibile quantitatiuum in ſpatio ac conſtituitur Angelus. Rem clarius intueberis, ſi ponas tibi duo corpora ſupernaturaliter penetrata, quorum vnum habeat indiuiſibilia inflata, per quorum inflationes rarum conſtituatur, aliud vero habeat indiuiſibilia compreſſa, ſeu non inflata, & ſit denſum: quodlibet indiuiſibile inflatum corporis rari penetrabitur cum duobus indiuiſibilibus non inflatis corporis denſi. Deinde cum quidquid conſideretur in puncto, indiuiſibile ſit totum, indiuiſibile rarum erit penetratum cum hoc indiuiſibili denſo, & totum cum illo; ergo idem indiuiſibile, ſecundum eamdem indiuiſibilem entitatem erit penetratum cum duobus indiuiſibilibus non penetratis inter ſe: ergo erit in duplici ſpatio: nullum enim fundamentum habemus ad probandum Angelum ſecundum ſuam entitatem indiuiſibilem eſſe in ſpatio diuiſibili, niſi quia eſt penetratum cum corpore diuiſibili, cuius partes inter ſe penetratæ non ſunt.

4 Male animati in hanc ſententiam Hurt. & Arriag. multa congerunt, vt illam expugnent: Hurtad. § 94. illam appellat paradoxam, & n. 104. eiuſdem leuitatem facile videri affirmat. Rationes quibus præcipuè author agit contra hanc ſententiam petuntur ex eo, quod illa adhuc admiſſa non ſatisfaciat pluribus difficultatibus circa continui compoſitionem, propter quas eneruandas inuenta eſt, & vt hoc oſtendant, multa Hurtadus, & Arriaga ſcribunt. Cæterum quia prolixum ſatis eſſet ad continui compoſitionem iterum redire, & quia illius difficultates, ſine his turgidis indiuiſibilibus, vt fert materiæ difficultas iam explicui, nolo modo cum his Authoribus contendere, an horum indiuiſibilium tumor vtilis ſit ad has difficultates complanandas, vnum tantum affirmo vtiliſſimum fore, ſi admitti liceat, ad difficultatem de qua nunc agimus penitus exhauriendam: ſi enim ſupponatur idem indiuiſibile poſſe modo minus, poſtea maius ſpatium occupare, facilè explicabitur, quomodo poſſit idem corpus conſtans eiſdem indiuiſibilibus modo minus poſtea maius ſpatium replere, ideoque non vt inutilis hic dicendi modus reiiciendus eſt, ſi aliàs non aliis rationibus impugnetur, licet enim reliqua omnia, quæ ad continui compoſitionem ſpectant æquè difficilia his indiuiſibilibus admiſſis remaneant, hæc vna illaque ex prolixioribus totius Philoſophiæ difficultas complanata remanebit, quod emolumentum ex horum turgentium indiuiſibilium admiſſione percipi ſat erit.

5 Aſſerit Hurtad. §. 104. huius ſententiæ leuitatem videri, quia illius authores tenentur fateri vnum indiuiſibile poſſe occupare ſpatium vnius vlnæ: nam lacte rareſcente aiunt puncta occupare octuplo maius ſpatium, & replicant ſingula puncta in decem ſpatia. Quod adeo abſurdum eſſe ait Hurtadus, vt pudeat impugnare. Nam in horum ſententia vnum punctum erit maius alio, quia maiorem habet extenſionem. Quia palmus ideo eſt maior alia ſemipalmi menſura, quia porrigitur ad maius ſpatium, ſed in hac ſententia vnum punctum porrigitur ad maius ſpatium: ergo eſt maius alio puncto. Rogo Hurtad. an indiuiſibile quantitatis Euchariſtiæ occupans ſpatium diuiſibile maius ſit indiuiſibili alius quantitatis occupante indiuiſibile ſpatium, vel ſe ipſo antequam definitiuè in toto illo ſpatio præſentaretur. Similiter Rogo an Angelus exiſtens in toto ſpatio huius cubiculi maior ſit Angelo exiſtente tantùm in dimidio eiuſdem ſpatij? Negatiuè reſpondebit: ergo non rectè infert Hurtadus: hoc indiuiſibile occupat maius ſpatium: ergo eſt maius alio. Reſpondebis pro Hurtado indiuiſibile Euchariſticum eſſe in ſpatio diuiſibili definitiuè totum, in hoc ſpatij indiuiſibili, & totum repetitum in alio indiuiſibili ſpatij, & ſic fieri præſens maiori ſpatio, quam aliud indiuiſibile, quin ſit maius illo, idemque contingere in Angelo. Hæc ita ſunt, ſed eumdem exiſtendi modum tribuunt prædicti recentiores indiuiſibili inflato, reſpectu illius ſpatij, cui per inflationem correſpondet, quem Angelo Theologi adſcribunt, vt ſatis oſtendi, dum prædictam ſententiam explicui. Neque cum illis contendendum eſt, an illa præſentia definitiua, vel circumſcriptiua dicenda ſit, quia etſi in ordine ad ſpatium, quod indiuiſibile occupat eodem modo ſe habeat reſpectu eiuſdem indiuiſibilis, ac ſe habet præſentia Angeli reſpectu eiuſdem Angeli in ordine ad ſuum ſpatium, & ob hanc rationem inſtar definitiuæ ſe habeat, tamen abſolutè definitiua non eſt, quia præſentia definitiua corporea conſtituit omnes partes corporis inter ſe penetratas, quod non habet hæc præſentia, quam recentiores tribuunt inflatis indiuiſibilibus, ex vi cuius vnum indiuiſibile non penetratur adæquatè cum indiuiſibilibus immediatis, neque adhuc inadæquatè cum mediato. Inſtabis hunc modum præſentandi proprium eſſe rei ſpiritualis, & non corporeæ, nihil enim corporeum poteſt repeti in duplici ſpatio naturaliter, & ſi miraculum Euchariſticum non intercederet, adhuc ſupernaturaliter idem corpus poſſe exiſtere in duplici loco frequentius negaretur, quod adhuc multi per præſentias circumſcriptiuas fieri poſſe conſtanter negant. Reſpondeo nullum ens ſpirituale, aut corporeum poſſe exiſtere naturaliter in duplici loco adæquato quod omnes fatentur, poſſe tamen Angelum ſpiritualem eſſe in duplici loco, inadæquato, & hunc præſentiæ modum, non adeò proprium eſſe rei ſpiritualis, vt non poſſit rei corporeæ conuenire, fert enim tota Thomiſtarum ſchola formam corpoream viuentis ſenſitiui indiuiſibilem eſſe, & in loco diuiſibili præſentari totam in hoc ſpatio, & in illo totam, quem præſentiæ modum gratis dicti recentiores tribuunt indiuiſibilibus inflatis, in quo impugnanda tota Hurtadi opera inſumenda eſſet, non in inferendo vnum indiuiſibile eſſe maius alio.

Arguit Hurtadus admiſſis his indiuiſibilibus inflatis neceſſe non eſſe, vt vnum punctum eſſet extra ſpatium alius, 6 quia hæc puncta penetrari poſſunt, ſecundum ſpatium inadæquatum; ergo penetrari poſſunt ſecundum ſpatium adæquatum: ergo ſicuti ſpatium inadæquatū, quod vtrumque occupat, eſt vtrique commune, ſic ſpatium adæquatum commune eſſe poſſet. Vim addo illationi, eo ipſo quod duo indiuiſibilia penetrentur ſecundum aliquod ſpatium quantumuis inadæquatum, penetrantur ſecundum ſe tota, quia totum hoc indiuiſibile, & totum illud ſunt in illo inadæquato ſpatio vtrique communes; ergo ſi penetrantur ſecundum ſe tota poterunt penetrari adæquatè, ita vt non exiſtat aliquod ſpatium, quod vtrique commune non ſit. Dices præſentias, non ſecundùm ſe totas penetrari, ratione quarum repugnat penetrari indiuiſibile ſecundum ſe totum. Contra, præſentia indiuiſibilis ſpatij reſpondens ſpatio diuiſibili, vel eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis: ſi indiuiſibilis tota penetratur ſecundùm ſe totam, ſicut penetratur totum punctum ob eamdem rationem: ſi diuiſibilis, partes ſunt eiuſdem ſpeciei, & eiuſdem omnino rationis; ergo ſicuti penetratur hæc pars præſentiæ poterit alia penetrari, & ſic penetrari tota præſentia.

7 Recentiores, qui hanc indiuiſibilium inflationem inuenere, quia negare non ſunt auſi vnum indiuiſibile alteri immediatum cum illo penetrari, & aliàs voluere defendere indiuiſibile additū indiuiſibili facere maius, tenentur hanc penetrationē, inadæquatam indiuiſibilium concedere, imò vt illā inuenirēt hæc indiuiſibilia inflata defendenda ſuſcepere, quos aliquantum premit ratio facta. Verumtamen adhuc poſſunt aliquo modo reſpondere, propium eſſe quantitatis extenſionem fundare, ad quam requiritur, indiuiſibilia, quibus componitur, non adæquatè penetrari, & ideò illis hæc adæquata penetratio naturaliter repugnat, licet non repugnet penetratio inadæquata; quia hac admiſſa adhuc indiuiſibilia poſſunt extenſionem fundare.

8 Secundùm prædictum dicendi modum inadæquata penetratione poteſt corpus condenſari, & rareſcere ſine noua punctorum inflatione, ſed præciſè per maiorem minoremve penetrationem denſius rariusve conſtitui, quo enim indiuiſibilia ſunt minus penetrata, maius ſpatium occupabit corpus, & rarius dicetur, & quo magis penetrantur indiuiſibilia, minus ſpatium replebit corpus, & erit magis denſum. Secundum hunc dicendi modum neceſſum non erit modo magis, poſtea minus tumentia indiuiſibilia concedere, ſed ſemper cum eadem tumoris menſura, quam

Digitized by Google

naturaliter exigant, & cum maiori minorive penetratione.

9 Cæterum ad explicandam difficultatem, quam nunc tractamus, ſi alia, quæ ad continui compoſitionem ſpectant, aliunde explicentur, neceſſum non eſt hanc inadæquatam penetrationem tumentium indiuiſibilium concedere, ſed illa omnino non penetrata conſtitui poſſunt, & rarefactio, & condenſatio rectè defendi poterit, ex eo, quod eadem indiuiſibilia magis, minuſve intumeſcant ratione temperamentorum, ſeu diuerſorum accidentium, cum quibus diuerſas vbicationes magis minùſve extenſas in ordine ad ſpatium exigunt indiuiſibilia, ſicut enim Angelus indiuiſibilis pro ſua libertate intra certam latitudinem poteſt ſe in maiori minorive ſpatio conſtituere, ſic punctum indiuiſibile intra latitudinem determinatam: v.g. intra octo indiuiſibilia ſpatij poterit ratione diuerſorum accidentium in pluribus paucioribúſve ſpatij indiuiſibilibus conſtitui.

10 Arguunt Hurtad. diſp. 4. de generat. §. 26. hæc indiuiſibilia inflata porrigenda eſſe verſus dimenſionem, & effectura impenetrabilitatem lineæ ſuperficiei, & corporis, & illum, qui videret corpus rarum non viſurum, niſi vnum indiuiſibile, & illud tantùm tacturum: imò nunquam diuidendum eſſe id, quod manu tangitur, in corpore rariſſimo, cuius ſingula puncta occupant palmum loci, neque terram ſecundam eſſe, quantumuis geminentur ictus, quia indiuiſibile nunquam ſecari, aut diuidi poteſt; quæ ſi ita eſſent nulla alia parma vtilior eſſet ad excipienda vulnera, quam indiuiſibile ignis, quod cum rariſſimum ſit multum ſpatij occupabit, & nunquam diuidi poterit. Hæc omnia leuia ſunt, ad tumorem horum indiuiſibilium reprimendum, quæ nullâ operâ diſſoluam: concedent recentiores indiuiſibile inflatum trinam illam dimenſionem fundare in ordine ad ſpatium, quod prima arreptæ viæ concluſione tradunt. Negabant attacto corpore rariſſimò tantùm tangi vnum indiuiſibile, quia licet punctum indiuiſibile ſit ſummè turgendum, & ſummè rarum, non excedet octo indiuiſibilia ſpatij, quæ non facient maiorem extenſionem minima acus acie, quæ pluſquam in octo indiuiſibilia poterit diuidi. Neque punctum indiuiſibile ita poteſt turgeſcere: vt repleat ſpatij palmum, in quo forſan plus quam decem millia indiuiſibilia continentur. Ecce quomodo non bene clypeatus quis abiret ad excipienda vulnera arrepto indiuiſibili quantumuis raro, exiguum eſſet ad minimam corporis particulam cooperiendam. Sed demus indiuiſibile poſſe intumeſcere donec palmum repleret, inconueniens non eſſet tunc nulla arte ſcindi poſſe, quia ſemper maneret indiuiſibile, & diuiſionis incapax, neque ideo pars illa corporis, quæ indiuiſibili ſic inflato eſſet operta ab imminenti ictu ſatis eſſet tuta, quia poſſet huius indiuiſibilis tumor, qui in præſentia illi ſuperaddita conſiſtit, de primi alius corporis compreſſione, qua poſſe condenſationem fieri etiam contra proprij temperamenti exigentiam multi defendunt.

11 Eadem indiuiſibilia inflata Hurtadus, & Arriaga impugnant à paritate durationis, & temporis realis. Horum impugnatio forſan vtilis erit ad probandum non hac ratione rectè defendi indiuiſibile additum indiuiſibili facere maius, cum in duratione ſucceſſiua diuiſibili, illius extenſio defendenda ſit, ſine indiuiſibilibus durationis inflatis, de quo non diſputo, hæc enim omnia aliter ergo compono. Verumtamen ad rem noſtram nullum poteſt deſumi argumentum ex duratione rerum ſucceſſiuarum, in qua non admittenda hæc inſtantium inflatio, ad indiuiſibilia ſpatium diuiſibile occupantia impugnanda. In primis enim, qui negant durationes ſuperadditas facile dicent inſtans temporis intumeſcere non poſſe: quia nihil illi reale ſuperadditur, per quod intumeſcat, & punctum quantitatis intumeſcere, quia illi aduenit præſentia ſupperaddita, per quam conſtituitur intumeſcens, ſeu occupans ſpatium diuiſibile. Secundò etiamſi admittatur duratio ſuperaddita, nullus concedit poſſe corpus, aut Angelum per durationem ſuperadditam ſimul coëxiſtere duplici ſpatio temporis adhuc inadæquato, & omnes admittunt poſſe eandem entitatem per præſentiam ſuperadditam conſtitui in duplici ſpatio loci inadæquato. An verò ex ſuppoſitione, quod præſentia eſſet ſuperaddita poſſit dari aliqua, quæ eadem indiuiſibilis indiuiſibiliter perſeuerans idem corpus ſucceſſiuè in diuerſis temporis partibus durans conſtitueret, non eſt huius loci examinare. Nonnihil de hac re dixi Contr. 6. Phyſic. Punct. 1. & iterum dicam Controuerſ. 6. de anima Puncto 5. §. 4.

Dixerat Arriaga diſp. 16. Phyſicæ iam citata num. 136. 12
his indiuiſibilibus inflatis vni tantum difficultati ſatisfieri, poſtea n. 161. dolet ſe id dixiſſe, aſſeritque, neque huic quæ in præſentiarum agitur de raritate, & denſitate poſſe prædictis indiuiſibilibus inflatis fieri ſatis, quod ſic probat. Supponit in primis vt rem omnino certam, non eſſe neceſſarium in rerum naturâ, vt ſi aliquod corpus rareſcat aliud ei æquale condenſetur. Quis enim dicit, ait ille, ſi butyrum calore ignis, vel Solis diſſoluatur, eo ipſo iam aliud corpus in aliquo angulo exiſtens condenſari? Quis hoc enuntiabit? Aut quomodo butyri diſſolutio in diſtans condenſationem operabitur? Sic quando quis ſtupam in ignem proiicit, quæ accenſa rareſcit, aliud corpus procul condenſari nemo dicet? Neque illa, quæ ſunt prope ignem poterunt dici condenſari, cum illa potius calore ignis rareſcant. Quid quando magna ſylua accenditur, & omnia calore dilatantur, vbi inuenietur æqualis alia ſylua, quæ denſetur? Hoc poſito ſic arguit. Non poteſt raritas explicari per maiorem punctorum inflationem: ergo per hanc illius difficultati non fit ſatis. Antecedens probat: non poſſunt puncta magis intumeſcere quam antea, niſi alia tantundem ſtringantur, ſi antea non aliqua vacuitas, quam modo repleant, vel ſi modo non penetrantur cum aliis corporibus: neutrum fieri poteſt: ergo indiuiſibilium inflatio omnino inutilis eſt ad rarefactionem explicandam. Hoc argumentum non ſpecialiter pugnat contra hunc dicendi modum, ſed contra omnes ſententias, quæ rarefactionem, & condenſationem non explicant per intromiſſionem, & expulſionem corpuſculorum; quapropter idem fieri poterit contra ſententiam Hurtadi, & aliorum omnium, qui cum Arriaga non ſentiunt in rarefactione, & condenſatione ſic explicanda per hanc corpuſculorum intromiſſionem, & aggreſſionem, quapropter non ex illo peculiaris hic dicendi modus peculiariter inuiſus eſſe debet. Secundò exiſtimo nullius eſſe momenti, facile enim dici poterit condenſationem contingere non ratione temperamenti, ſed ratione compreſſione alius corporis, quod per dilatationem ſui, & motum localem in rarefactione exercitum impulſum imprimit aliis corporibus, medio quo, illa comprimi, & violenter contra proprium temperamentum facit condenſari, & ad anguſtiora loca reduci. Quem impulſum imprimet ignis, & omnia corpora, quæ prope illum rareſcunt, vicinis corporibus, quæ per hunc impulſum comprimuntur ad minus ſpatium, vel recedent, & impulſum impriment aliis corporibus, quæ comprimantur, vel recedant, & alia corpora comprimi cogant, quæ non poſſint vicina alia amouere à proprio loco, vel intra proprium ad minus ſpatium coërcere. Ex his infero omnino falſum eſſe quod tanquam certum ſupponit Arriaga videlicet, neceſſarium non eſſe condenſari aliquod corpus, cum aliud rareſcit, & facile rationem reddi huius condenſationis, corpus enim rarefactum impellit ſibi immediatum, quod ſi aliud non poteſt mouere intra ſe ipſum colligitur, & condenſatur, vt locum exhibeat corpori vicino rarefacto, ſi verò corpus, quod à rarefacto, impulſum patitur, aliud moueat, illud aliud condenſabitur, vel aliud mouebit, & ſic diuerſa corpora mouebuntur, vnum medio alio, quouſque perueniatur ad aliquod, quod non poſſit corpus ſibi vicinum mouere, & ita neceſſarium ſit illud condenſari.

Omnia, quæ contra indiuiſibilia inflata, & virtualiter in 13
ordine ad locum diuiſibilia apud alios inueni, adduxi, & ſolui, quia plures recentiores vidi maximoperè ſtomachantes in hunc dicendi modum, apud quos nullam efficacem rationem reperi, quæ directè illum impugnet. Quapropter, etſi mihi non placeat modus iſte philoſophandi, non illum alia ratione impugno, niſi quia nullo nititur fundamento, neque vlla eſt ratio, ſeu coniectura, quæ illum ſuadeat, ſed tantùm ad hanc difficultatem, aliáſque ſimiles fugiendas argumentorum vi extortus eſt. Neque illa, quæ nullâ fulciuntur authoritate, neque ratione aliqua propugnantur maiori indiget impugnatione. Secundò, quia etſi modus indiuiſibiliter exiſtendi in ſpatio diuiſibili alicui entitati corporeæ conuenire poſſit, vt de facto formis materialibus perfectorum animalium conuenire Thomiſtæ defendunt, tamen nulli entitati corporeæ de facto concedendus eſt, ſine aliqua ſpeciali ratione, quæ illum ſuadeat, cum omnes, quas ſumus experti, videamus diuiſibiliter exiſtere abſque repetitione eiuſdem entitatis in duplici

Spatio.

Digitized by Google

ſpatio. Et ſi hac lege non adſtringimur liberum cuique erit defendere totum Lunæ cælum eſſe indiuiſibile ſecundùm ſubſtantiam, & tantum diuiſibile virtualiter in ordine ad ſpatium diuiſibile, in quo conſtituitur per repetitionem eiuſdem entitatis ſecundum ſe totam in quolibet puncto ſpatij. Quod ſi obiicias ſecundum has partes eſſe lucidum, & non ſecundum illas, & diuerſa accidentia in diuerſis partibus ſortiri: Reſponderi licebit hæc accidentia eandem indiuiſibilem ſubſtantiam in diuerſis locis inter ſe diſtantia comitari, ſicut intellectio afficit animam in cerebro vel viſio corporea in pupilla oculi, & ſenſatio eandem indiuiſibilem animam rationalem in pede comitatur, & informat cum diſtantia harum operationum inter ſe, & indiſtantia earumdem ab anima.

PVNCTVM IV.

Alia communis ſententia impugnatur.

1 COmmunis ſententia docet raritatem, & denſitatem conſiſtere in qualitate quadam quantitati inhærente ratione cuius quantitas contrahitur, vel extenditur ad maius, vel minus ſpatium. Iuxta hanc ſententiam duo repetiuntur in raritate, qualitas quæ eſt radix dilatationis, & extenſionis localis, & ipſa dilatatio, ſeu localis motus ex vi cuius producitur præſentia per quam corpus conſtituitur formaliter extenſum, & occupans maius ſpatium. Similiter in denſitate reperitur qualitas, quæ eſt radix compreſſionis, & compreſſio ſeu motus localis, ex vi cuius producitur præſentia per quam corpus in minori ſpatio formaliter conſtituitur. Ita Patres Conimbric. lib. 1. cap. 5. q. 17. art. 1. & alij plurimi, quos ipſi referunt, & P. Hurtadus diſp. 4. ſect. 4. & 5. An verò formalis ratio raritatis conſiſtat in motu locali orto ex qualitate, an in ipſa qualitate non omnes eodem modo explicant. Patres Conimbr. art. 1. citato affirmant raritatem aliquando ſignificare partium poſitionem, aliquando qualitatem ſenſibus ſubiectam. Vtramque partem docent tradi à D. Auguſt. in ſuis categoriis c. 12. & ab Ariſt. variis in locis, & ab aliis plurimis, quos ipſi referunt. Hurtadus ſect. 5. §. 45. docet motum localem complere effectum ſecundarium raritatis, & denſitatis, non tamen in illo formaliter conſiſtere, ſed in qualitate, quam docet non diſtingui in corporibus ſublunaribus à temperamento primarum qualitatum; in cælis verò, hoc temperamento carentibus in alia qualitate ſpecie diſtincta.

2 Non multum contenderem cum his authoribus de hac qualitate ſi ſemel admiſſa de medio tolleret difficultatem, quæ in hac re nos premit, quomodo videlicet eadem quantitas cum eiſdem numero partibus, poſſit modò plures, & poſtea pauciores ſpatij partes occupare ſine penetratione ipſarúmve inter ſe bilocatione. Hæc eſt enim difficultas, quæ vnicè in hac re premit, in qua ſoluenda imponendus eſt labor, non in aſſignanda cauſa motus localis, quo corpus rarum ad maius diſtrahatur ſpatium, vel ad minus contrahatur, quod tantùm præſtat hæc qualitas, neque in opinione, quæ in illa raritatem, & denſitatem formaliter conſtituit, quidquam aliud ſubiecto præſtare poteſt, quam eſſe cauſam motus ex vi cuius parua ſubſtantia magnum repleat ſpatium, & ſubſtantia magna exiguo definiatur ſpatio ſine repetitione partium in duplici loco, neque earumdem penetratione.

3 Ingenuè fatetur Hurtad. hanc difficultatem eſſe fere inſuperabilem, reſpondet nihilominus corpus occupare idem ſpatium, quod antea occupabat, nullam verò partem retinere idem ſpatium cum rareſcit, quod antea replebat: ſicuti cum mouetur totum cælum permanet in toto ſpatio in quo antea erat, & quælibet pars illius ſpatium antiquum relinquit, & aliud requirit. Ex hoc prouenire ait Hurtadus partes corporis iam rari, & antea denſi non occupare duplex ſpatium, ſed vnum maius illo, quod antea occupabant. Laborat Hurtadus in argumento ſoluendo, & ſanè ſine ſuæ qualitatis ope, hæc enim nihil iuuat ad præſentem ſolutionem, quam ſic impugno. Quando corpus denſum rareſcit, ſpatium quod occupabant omnes partes corporis dum erat denſum occupatur modo medietate earumdem partium, ſed antea correſpondebant omnes partes corporis partibus ſpatij, quælibet pars corporis diſtincta diſtinctæ parti ſpatij, ita vt adæquatè commenſurarentur partes corporis cum partibus ſpatij: ergo modo cum eædem partes corporis paucioribus ſpatij partibus correſpondeant, non poterunt adæquatè commenſurari, ita vt cuilibet parti corporis ab aliis diſtinctæ diſtincta pars ſpatij diſtincta à reliquis ſpatij partibus correſpódeat.

Confundere forſan difficultatem prætendes dicendo in 4 partibus proportionalibus infinitis non poſſe reperiri plures, neque pauciores cum omnes ſint infinitæ, & non ſit vnum infinitum maius alio. Doctrinam hanc nullo modo ſuſtinendam impugnaui Contr. 14. Phyſic. Punct. 5. luce enim clarius apparet eſſe plures partes in tota manu, quam in vno digito, quantumuis in digito infinitæ ſint, quia manus comprehendit totam multitudinem infinitam partium repertam in digito, & inſuper infinitas alias partes in eadem manu contentas, quod negabit nemo, qui apertè non neget totum eſſe maius ſua parte. Deinde idem argumentum ad partes aliquotas determinatas transfero: pauciores partes aliquotæ ſpatij correſpondent partibus aliquotis corporis iam denſi, quàm anteá reſpondebant eiſdem numero partibus corporis rari: ergo antea correſpondebat duplex pars aliquota ſpatij, eidem parti aliquotæ corporis vel modo eadem pars aliquota ſpatij correſpondet duplici parti aliquotæ corporis: ergo vel antea dabatur partium bilocatio, vel modo datur earumdem penetratio. Fugies ad præſentias, & dices hoc prouenire ex eo quod corpus rarum maiorem præſentiam habeat, quam denſum. Inanis fuga; ſemper enim te fugientem eadem inſequitur difficultas, illam tibi iterum in præſentiis obiicio. Partes præſentiæ, & partes ſubiecti debent commenſurari cum correſpondentia diſtinctæ partis præſentiæ ad diſtinctam partem ſubiecti: ergo non poſſunt eædem numero partes ſubiecti denſi correſpondere paucioribus præſentiæ partibus eædemue numero partes ſubiecti iam rari pluribus præſentiæ partibus reſpondere ſi antea non reſpondebat duplex pars ſubiecti eidem parti præſentiæ, vel ſi modo non reſpondet eadem ſubiecti pars duplici parti præſentiæ: illud primum diuerſarum partium penetrationem, hoc ſecundum bilocationem dicit. Redibis iterum ad maiorem magnitudinem partium, quam conſtitues in præſentia corporis rari, & non maiorem numerum. Contrà: non poteſt eidem parti corporis maior, & minor præſentia reſpondere, niſi per maiorem aliquid partis replicetur in duplici ſpatio, vel per minorem aliquid partis penetretur cum alio eiuſdem partis: ergo non poſſunt eiſdem partibus corporis maiores & minores præſentiæ partes reſpondere. Secundò: non poſſunt eſſe partes maiores, quin ſint plures: ergo ſi correſpondent corpori raro maiores partes præſentiæ, quam corpori denſo, correſpondent etiam plures partes. Antecedens probo: quo pars eſt maior, eſt magis diuiſibilis, quo magis diuiſibilis eſt, continet in ſe plures membra diuidentia, in quæ diuidatur: ergo quo maior eſt pars continet in ſe plura membra diuidentia in quæ poſſit diuidi: ſed hæc membra diuidentia ſunt partes, quibus pars illa magna componitur: ergo quo partes ſunt maiores, partes quibus totum componitur plures ſunt. Sicuti plures partes abſolutè, & non ſolùm maiores partes continet totum quod componitur tribus vlnis, quam totum quod componitur tribus palmis, licet comparatione facta palmorum ad vlnas tot ſint partes palmares in vno toto, quot vlnares in alio.

Aliqui cum præcipuo argumento petuntur ex correſ- 5 pondentia earundem partium quantitatis ad plures & pauciores ſpatij partes, reſpondent ſpatium imaginarium eſſe puram chimeram, & quid fictitium, quod concipitur inſtar corporis, quod repleri dicimus, & ita ſi partes eiuſdem corporis non ſint plures numero, ſed tantùm extenſiores, idem de partibus ſpatij dicendum eſt. Spatium imaginarium quid eſſe fictum tradidimus cum communi ſententia: verumtamen ſæpè dixi quod in præſenti notant Hurtadus & Arriaga, nihil poſſe de præſentiis diſputari, ſi ſpatium imaginarium fixum & immobile non apprehendimus corporéque repletum, ita vt non poſſit duplex corpus eodem ſpatio contineri. Non tamen neceſſarium erit argumentum de ſpatiò imaginario conficere, vt poſſimus tota huius materiæ difficultate aduerſarios opprimere. Idem enim fit de præſentia reali facta comparatione inter partes ſubiecti, & partes præſentiæ vt nuper arguebam, & eadem ratione fieri poteſt, facta comparatione locati ad locum realem, idem enim locatum modo denſum reſpondet his partibus loci realis ſibi contigui, & poſtea rarum

his,

Digitized by Google

his, & aliis reſpondet, & ſemper retinenda eſt commenſuratio partis locati ad partem loci, neque vna pars locati poteſt duabus loci partibus reſpondere, ne duplici afficiatur præſentiâ, neque poteſt eidem loci parti duplex locati pars reſpondere, ne vtraque penetretur.

6 Neque cenſeo bene dixiſſe Hurtadum rationem formalem raritatis conſtituendam eſſe in qualitate, ſeu in primarum qualitatum temperamento, quia etiamſi talis qualitas daretur, non in illa, ſed in præſentia, ſeu extenſione actuali formalis raritas conſtituenda eſſet, quod ſic ſuadeo: Qualitas ſecundum illos, qui dari affirmant, tantùm eſſet radix extenſionis localis, ratione cuius corpus, maius, minúſve occuparet ſpatium: ſed ratio formalis rari, & denſi, vt conſtat ex vtriuſque definitione eſt occupare ſub parua quantitate magnum ſpatium, & ſub magna quantitate minus ſpatium: ergo ratio formalis rari, erit forma illa, ratione cuius parua quantitas magnum ſpatium occupat, & ratio formalis denſi erit forma, ratione cuius magna quantitas paruum occupat ſpatium: ſed hæc ratio eſt præſentia localis per motum producta: ergo in hac formaliter conſtituenda eſt raritas, & denſitas, & radicaliter, & quaſi efficienter in qualitate, quæ hanc extenſionem exigeret.

7 Video poſſe reſpondere Hurtadum non definiiſſe Ariſtotelem rarum, & denſum per conceptus primarios, ſed ſecundarios, & ita conceptum primarium rari non eſſe ſub parua materia magnam habere dimenſionem, ſed habere qualitatem, ſeu temperamentum, cui hæc magna dimenſio ſub parua quantitate debeatur, id tamen abſque fundamento dicetur, neque de illo multum contendendum eſt. Eſt enim quæſtio de nomine tantùm, quia ſiue dicatur raritatem conſiſtere in qualitate, ſiue in præſentia orta ex ipſa qualitate, eaſdem qualitates phyſicas cum eiſdem effectibus formalibus, & omnino eodem modo ſe habentibus in ordine ad ſe, & in ordine ad ſubiectum, vterque dicendi modus admittit. Iuxta ſententiam aſſerentem rationem formalem raritatis conſiſtere in temperamento primarum qualitatum, ſeu in qualitate, dicendum eſt corpus Chriſti in Euchariſtia definitiuè exiſtens eſſe formaliter rarum, & tantùm eſſe impeditum effectum ſecundarium raritatis. In ſententia, quæ entitatem conſtituit in extenſione actuali dici debet corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens eſſe rarum radicaliter, & non formaliter: ni velit aliquis defendere adhuc eſſe formaliter rarum, quia præſentia definitiua, & circumſcriptiua ſpecie non diſtinguuntur, ſed definitiua dicit plures circunſcriptiuas, quas Chriſtus habet in Euchariſtia, quarum quælibet ſeorſim ſumpta Chriſtum conſtituit præſentem eodem modo, quo eſt in cælis; vide, quæ de his præſentiis dixi Controu. 15. Phyſic. Punct. 6. & caue ne occaſionem præbeas, vt aliquis ſiniſtrè hunc dicendi modum interpretetur, eſt enim fide ſanctum, Chriſtum eſſe ſecundùm ſe totum, & ſecundùm quamlibet ſui partem in tota hoſtia, & in quolibet puncto illius, quod omnes vocant eſſe inextenſum, ideò cautè loquendum eſt, ſi dicendum eſt Chriſtum in Euchariſtia eſſe extenſum, quia id ſonat non eſſe totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte, & in quolibet puncto illius, & ita nunquam hæc propoſitio abſolutè proferenda eſt: *Chriſtus eſt extenſus in Euchariſtia*, ſed ſi modus ille ſuſtinĕdus eſſet, dici deberet: Chriſtus in Euchariſtia habet extenſiones ſemel, & iterum in Euchariſtia repetitas ex vi quarum eſt præſens definitiuè totus in toto, & totus in qualibet parte, & in quolibet ſpatij puncto.

PVNCTVM V.

Verior eligitur ſententia.

1 ASſero cum Ochamo opuſculo de Euchariſtia, Gabriele in Cauone ſectione 45. Valleſio 4. Phyſic. text. 84. & in Contr. ad Tyrones, Arriaga diſp. 6. Phyſic. ſect. 9. ſubſect. 2. & plurimis recentioribus rarefactionem fieri per intromiſſionem corpuſculorum in partibus intimis corporis cum ſeparatione locali continui, & condenſationem conſiſtere in negatione intromiſſionis horum corpuſculorum, ſeu in expulſione ipſorum, cum partium continui coniunctione. Vnde corpus illud, quod intra ſe pauciora corpuſcula diuerſæ rationis, ſeu non vnita continet, minus rarum dicetur, & magis rarum, quod plura includit, quod autem nullum incluſerit illud erit ſummè denſum, & occupabit minus ſpatium, quod non penetratum poteſt occupare, nulla enim compreſſione, neque qualitate poterit ad pauciores redigi partes abſque penetratione partium inter ſe. Hæc ſententia eodem omnino modo explicanda eſt ab omnibus, qui illam amplectuntur, continet enim materiam valde phyſicam nullis rationibus metaphyſicis, neque ſubtilibus diſtinctionibus ſubiectam. Dixi rarefactionem fieri cum ſeparatione partium continui, & condenſationem cum coniunctione earumdem partium, non verò cum diuiſione, & vnione, quia non quotieſcumque datur noua rarefactio, datur noua diuiſio, licet hæc neceſſaria ſit ad rarefactionem, quia non poſſunt partes localiter ſeparari ſi diuiſæ non ſint, poſſunt enim partes diuiſæ prius eſſe localiter coniunctæ, & poſtea ſeparari ſine noua diuiſione, quod ſufficiens erit ad rarefactionem. Similiter quando expelluntur corpuſcula, ſufficit partes illas, quæ antea erant ſeparatæ, & diuiſæ, localiter coniungi, etſi non vniantur inter ſe, vt corpus denſum conſtituatur. Vnde non probo, quod docet Arriaga num. 196. videlicet condenſationem ex communi apprehenſione dicere maiorem partium vnionem, tantùm enim importat maiorem partium localem approximationem, quam iuxta quamcumque ſententiam in corpore denſo reperimus, ideò non ex maiori vnione, quæ neceſſaria non eſt in corpore denſo, neque ex maiori approximatione, quam ſtatuit omnis ſententia, rectè Arriaga noſtram opinionem deducit.

Moueor ad hanc ſententiam ex aliarum impugnatione, iuxta quas inſuperabilis eſt huius materiæ difficultas, quæ in hac ſententia optimè explicatur (quod illius præcipuum fundamentum eſto:) rectè enim intelligitur, quomodo idem corpus maius ſpatium occupet, quando eſt rarum, ac quando eſt denſum, quia rarefactione hoc modo conſtituta corpus rarum non occupat plures, neque maiores ſpatij partes, ſed magis diſtantes inter ſe, quarum diſtantia repletur aliis corpuſculis occupantibus ſpatium interiacens. Quæ omnia ſine partium penetratione, neque repetitione præſentiarum optime intelliguntur, quæ maximoperè angunt aliarum ſententiarum authores. Hanc corpuſculorum intromiſſionem poſſibilem eſſe, & de facto dari efficaciter ſuadent experientiæ, quas adducit Arriaga, ex aqua, quam feruentem videmus bullas quaſdam facere, quæ aëre replentur: ergo ſicuti intromittitur aër in illa ſpatia intra bullas contenta, poterunt alia corpuſcula, vel idem aër intromitti in oleum, lac, & alia corpora rarefacta, quibus introductis occupabunt corpora illa in ſe includentia corpuſcula alia partes ſpatij diſtantiores, & maius ſpatium occupare dicentur. Secundò negari nequit carnes viuentium, papyrum, ligna, & alia quam plurima corpora habere poros plenos minutulis aliis corpuſculis ſanguinis, vel aëris, aliuſve rationis, imò in ferro duriſſimo poros aliquos communis ſtatuit ſententia, & plerique affirmant ferrum candens habere portiunculas aliquas ſubſtantiæ ignis incluſas in poris. Et P. Hurt. acris horum corpuſculorum in hac difficultate impugnator illa concedit intromiſſa in quocumque alimento; illum legito diſp. 1. ſect. 10. ſubſ. 4. §. 135. vbi aſſerit omne alimentum habere poros repletos aëreis, terreiſque vaporibus, & neque nomen ipſum corpuſculorum exhorruit, illius ſunt verba. *Hi vapores, & corpuſcula poros replentia impediunt, &c.* Neque ſpecialis alia ratio inuenire poterit Hurtad. propter quam hæc corpuſcula in alimentis propugnet, & in aliis corporibus impugnet. Nihil ergo obeſt, ſed multa iuuant vt dicamus, papyrum, lac, oleum, viuentium carnes, & alia corpora, rareſieri per intromiſſionem aëris, ſanguinis, aliorumve corpuſculorum replentium poros corporum, quæ rareſcunt, & hac ratione carnem infantis humore plenam raram eſſe, carnem verò ſenis iam ſiccam hoc humore vacuam clauſos habentem poros denſam conſtitui: hos enim poros, quos omnes auctores admittunt, & ipſis oculis cernimus in his corporibus plenos aliis corpuſculis, poſſumus in quibuſcumque aliis corporibus raris abſque vllo inconuenienti concedere, & clarè naturam rarefactionis explicare. 2

Rurſus ſecundum hanc opinionem expeditius aſſignatur corpus, quod repleat ſpatium relictum à corpore, quod ex raro fit denſum, corpuſcula enim ab illo expulſa in ſpatium relictum ſuccedunt ſine noua vicini corporis rarefactione. Inſuper iuxta hanc opinionem ratio redditur, propterquam corpora calida rareſcant, & condenſentur frigida, calor enim poros aperit, vt illa corpuſcula ingrediātur, & 3

ideò Medici dum medicamento aliquo per iuxtapoſitionem vtuntur partem illam in qua medicamentum exercetur calore fouent, vt illius pori aperiantur, & tenues medicamenti partes in intimos poros ſe inſinuent. Frigus verò partes corporis inter ſe coniungit, & corpuſcula intromiſſa pororum compreſſione expellit, viamque aliis, eiſdemve iterum ingreſſuris occludit. Vltimò iuxta hãc ſententiam optima ratio redditur propter quam corpora valde dura, v.g. ferrum etſi minimum calorẽ concipiant, nunquã rareſcant. Quia cum hæc corpora diuiſioni reſiſtant, & illius partes difficile ſeparentur, & rarefactio facienda ſit per ſeparationem partium, & earumdem diuiſionem, ſi hæc non ſupponatur iam facta, fit rarefactionem in his corporibus contingere non poſſe; quia illorum partes ſeparare non valet calor, neque corpuſculis extraneis viã aperire.

PVNCTVM VI.

Argumenta ſoluta.

1 Contra opinionem modo traditam acriter inuehitur Hurtad. ſect. 3. omnia argumenta ab ipſo adducta eodem ordine referam, & haud difficile mihi erit claram adæquatamque illorum adhibere ſolutionem.

2 Obiicit primò Hurtadus, ſequi ex prædicta ſententia corpus denſari, & rareſcere quoties aërem attrahit, & expellit, ridiculumque eſſe conſequens, quis enim dicet os rarefieri, eo quod inſletur, & vtrem fieri rarũ cum aëre repletur, & denſum cum ab illo aër excutitur, & folles ſimiliter rareſcere, & denſari cum à fabro mouentur. Conſequentia patet, quia per attractionem aëris interiiciitur aër inter partes oris, vtris & follium. Reſp. has aëris attractiones non eſſe rarefactiones, quia rarefactio non eſt quæcumque aëris attractio, ſed illa quæ fit per minutula corpuſcula in partibus internis corporis excipientis talia corpuſcula, & quaſi per intus poſitionem ſeu intimam corpuſculorum aſperſionẽ. Quando verò aër attrahitur ore, vel intra vtrem vel folles, continetur non per corpuſcula, ſed per magnam aëris quantitatem receptam vtre, vel ore trahitur aër.

3 Obiicit ſecundò: nimiò frigore diſrumpitur vas plenum aqua, quia hæc glaciat, quod non fieret ſi corpuſcula intra aqua incluſa ponerentur extra illam: ergo non datur in condenſatione talium corpuſculorum expulſio. Minorem probat: corpuſcula, quæ à ſe expelleret aqua per condenſationem eſſent ſufficientia explere ſpatium illud, quod intra vas relinquunt partes aquæ, quæ per coniunctionẽ, & earum vnionem condeſatur: ergo etiamſi vas non diſrumperetur non daretur vacuum. Sed diſrumpitur, ne detur vacuum; ergo nulla ſunt corpuſcula, quæ poſſint replere ſpatium, quod relinquit aqua iam denſata. Reſpondeo vas frangi præ nimia frigiditate, quæ partium illius diſſoluit vnionem, non quia immineat vacuum, neque quia hoc daretur, etiamſi non diſrumperetur. Vas non diſrumpi, ne detur vacuum efficaciter probat Arriaga, ex eo quod non confringatur vas, in quo oleum, & butyrum, & alij liquores condenſantur, quantumuis illius os ſit coopertum. Quod ſi vas ne daretur vacuum diſrumperetur, cum condenſatur aqua, diſrumperetur ſimiliter cum butyrum condenſatur, quia butyrum ſpatium vacuum relinquit, & natura non minus abhorret vacuum relictum à byturo, oleo, aliove liquore, quam relictum ab aëre. Deinde ſi vas frangeretur, ne daretur vacuum, vt primum minutula aquæ gutta condenſaretur, confringeretur, quia tunc daretur aliquod vacuum, quod, etſi minimum abhorret natura. Conſtat autem experientia vas non infringi, quovſque tota aqua, vel certa maior illius pars condenſentur. Adde, quod ſi hæc eſſet fractionis cauſa, frangeretur etiam vas æreum, ne in illa vacuum daretur, quia fortior eſt natura ad vitandum vacuum quam æs ad conſeruandam ſuarum partium vnionem; nuſquam tamen viſum fuit vas ferreum confractum propter aquæ condenſationem in illo contentæ. Hæc omnia omnino certum reddere exiſtimo non frangi vas prædicto caſu vacui vitandi cauſâ.

4 Obiicit Hurtadus: corpuſcula per quæ fit rarefactio poſſent rarefieri cum conſtarent temperamento primarum qualitatum: vel ergo rareſcunt ſine intromiſſione aliorum corpuſculorum, vel per alia corpuſcula. Si primum dicimus, iam aſſignamus aliud rarefactionis genus, quod omnibus corporibus poterit eſſe commune. Si ſecundum illa corpuſcula per quæ fit rarefactio, poterunt iterum per alia rarefieri, & ſic in infinitum procedemus. Oblitus eſt Hurtadus ſe arguere contra Recentiores, qui continuum ex puris indiuiſibilibus componit, contra quos proceſſus in infinitum inutiliter infertur; quodlibet enim corpus conſtat ex indiuiſibilibus finitis, & rarefacere non poteſt, niſi per alia corpora illo longè minora, quæ ſi rurſus rarefiant per alia minima rarefieri debent, ac proinde antequam perueniatur ad rarefactiones infinitas peruenietur ad aliquam factam per corpuſcula adeo paucis indiuiſibilibus compoſita, vt non poſſit per alia minora corpuſcula rarefieri, & ſi rarefactio illi contingeret per pura indiuiſibilia eſſe deberet quæ rurſus rareſcere non poſſent. Neque contra eos, qui continuum Ariſtotelicum aſſignant quidquam probat argumentum, quia etiamſi quodlibet corpus ex ſe poſſet rarefieri per aliud, cum in rerum natura non dentur infinita corpora exiſtentia non poterunt infinitæ dari rarefactiones, quia nulla rarefactio ſine nouis corporibus contingere poteſt. Secundò ex corporibus, quæ de facto exiſtunt aliqua ſunt omnium minima ſaltem negatiuè, hoc eſt adeò exigua, vt nulla alia illis minora de facto exiſtant, quæ nullo modo poterunt rarefieri, cum non ſint alia per quorum intromiſſionem rareſcere poſſint. Item ſunt alia corpuſcula adeò minutula, & adeò dura, vt etiamſi alia minora reperiantur non poſſint rarefieri, quia diuiſioni non cedunt, non enim quodcumque corpus minus alio ad intromiſſionem per quam fit rarefactio ſufficiens eſt, quia corpus intromiſſum non vtcumque minus ſed notabiliter alio minus debet eſſe.

Arguit quarto Hurtadus: quando homini applicatur vitrea ampulla (vulgo ventoſa) cum ſtupa concipit ignem 5
aer rareſcit, & poſtea extincto igne denſatur aër, & minus ſpatium occupat, ad quod replendum attrahitur caro: ergo cõdenſatio non fit per intromiſſionem corpuſculorum; quia ſi ita fieret, corpuſcula expulſa poſſent occupare ſpatium relictum ab aëre, & non eſſet neceſſarium carnem attrahi ad aliquod replendum ſpatium. Reſp. carnem non attrahi, quia aër minus ſpatium occupet, ſed quia calore ignis excitati intra ampullam pori carnis hominis aperiuntur, & per illos tenues aliquæ partes aëris, vel aliorum corpuſculorum ingrediuntur ad cuius ſpatium replendum aſcendit caro. Hac ſolutione viam præcludo multis, quæ in confirmationem huius argumenti Hurtadus adducit.

Tandem obiicit ſequi ex noſtra ſententia lac rareſcens 6
in omnes ſui partes diuidendum eſſe. Conſequens eſt contra experientiam, & rationem, (quod ego facile concedam) ſequelam, quam efficacius oſtendere debuerat, ſic probat Hurtadus. Cùm lac rareſcit, omnes partes afficiuntur temperamento raritatis, & omnes ebulliunt atque rareſcunt, quia non eſt maior ratio vnius quam alterius, ſed quælibet pars rarefacta ſecatur alio corpore interiecto: ergo omnes partes ſecantur, & illarum quælibet ab alia diuiditur. Rurſus parum lactis cum rareſit totum creatorem implet, ita vt occuper ſpatium octuplo maius: ergo quælibet pars ab alia diuiditur corpore alio interiecto, vel ſingula binaria ab aliis ſeparantur per interpoſitionem corpuſculorum. Reſpondeo lac ferueſcens aliquas formare ampullas, quarum ſpatium aëre repletur, per quas non dicetur rarefieri, quia aër intromiſſus non eſt corpuſculum, ſed notabile corpus, per quod in communi modo loquendi non dicitur fieri rarefactio, quod tantùm ex communi modo loquendi, & applicandi rarefactionis nomen dependet, licet per has ampullas aër dicatur occupare multo maiorem partem lebetis, quam antea occupabat. Cæterum per plures partes, quæ vicinis corpuſculis ſecantur rareſit non tamen per omnes. Quæ contra hoc adducit Hurtadus nullius ſunt momenti, quod facile oſtendam. In primis, quod omnes ebulliant non arguit omnes diuidi, quia plures partes vnitæ poſſunt moueri, & inter ſe non ſeparari, vt per ſe notum eſt. Neque maioris eſt ponderis quod addit videlicet non eſſe maiorem rationem cur vna diuidatur, quam alia; quia quando pori alicuius corporis aperiuntur, vt cerebro contingit præcipuè in viuentibus, aliquæ partes ſeparantur ab aliis, non tamen omnes: omnes ergo tenentur rationem reddere, cur hæ partes ſeparentur localiter, & non illæ, cum aperiuntur pori corporis, quã vtar ego ad reddendam rationem cur rarefactio ſecundum has partes, & non ſecundum illas contingat. Hæc ratio poterit eſſe diuerſum temperamentum ex parte ſubiecti, vel diuerſus effectus ab agente productus,

Digitized by Google

productus, non enim omnes partes ſubiecti habent temperamentum in eadem indiuiſibili menſura. Vltimò optimè dici poterit non omnes partes ſeparari, etiamſi quælibet habeat temperamentum ſufficiens, vt ſeparetur ab alia: quia nulla pars poteſt ſeparari ab alia, quouſque habeat corpuſculum aliud applicatum, quod occupet intercapedinem relictam, ne detur ſpatium vacuum inter vtrà-que, & cũ non ſint infinita corpuſcula quæ poſſint applicari infinitis partibus continui ad replendas infinitas intercapedines, quæ reſultarent ſi infinitæ partes ſeparentur; hinc eſt, quod non poſſint omnes infinitæ partes ſimul ſeparari, ſed illæ tantũ, quibus ſunt applicata corpuſcula. Hæc ratio rem dirimit in opinione, quæ continuũ ex infinitis partibus componit & magni momenti eſt in ſententia, quæ illud conſtruit ex punctis finitis, quia licet ſecundum hanc ſententiam puncta, quæ reperiuntur in quocumque corpore finita ſint, tanta eſt illorum multitudo, vt moraliter impoſſibile ſit dari aliam multitudinẽ æqualem corpuſculorum, per cuius corpuſcula ſingula, poſſint ſingula indiuiſibilia continui ab aliis ſeparari,

7 Obiciunt alij: Cælum habet partes quaſdam raras, & alias denſas, ſed cælum non habet aliqua corpuſcula intromiſſa: ergo rarefactio, & condenſatio ſaltem in corporibus cæleſtibus non ſit per intromiſſionem, & expulſionem corpuſculorum: ergo neque in aliis corporibus, cum in omnibus eodem modo fieri debeat. Reſpondeo corpora cæleſtia, non eſſe propriè, & ſtrictè rara, aut denſa, ſed impropriè dici partes raras illas, quæ habent admixtas aliquas particulas aliquo modo, in qualitatibus, ſeu accidentibus ab aliis diſtinctas, & partes illas dici denſas: quæ conſtant partibus incluſis omnino ſimilibus, ſine hac accidentium diuerſitate in particulis, quas includunt. Itaque, id quod præſtant extranea corpuſcula intromiſſa in corporibus ſublunaribus, quæ propriè per illa rareſcunt, id dicuntur præſtare partiunculæ diuerſæ rationis ab aliis, cum quibus notabilem cæli partem conſtituunt, ratione quarum partiuncularum dicuntur partes cæli notabiles, ſatis impropriè rarefactæ, & denſæ dicuntur partes cæli, quæ partiunculas iſtas in ſe non habent.

8 Vltimò aduerto pro ſolutione plurium argumentorum non eſſe idẽ, corpus eſſe ſubtile, & eſſe rarum: raritas enim conſiſtit in intromiſſione corpuſculorũ iam explicata, ſubtilitas verò in eo quod corpus parum diuiſioni reſiſtat, & facile ſecundum ſui partes diuidi poſſit. Ita contingere poteſt corpus eſſe minus ſubtile nullo admixtum corpuſculo, & conſequenter ſummè denſum, aër enim ſi purus ſit eſt nimis ſubtilis, & nihil raritatis habet. Eodem modo diſtingueretur durities à denſitate, hæc enim dicit approximationem partium, & negationem corpuſculorum interiacentium, illa verò reſiſtentiam per modum actus primi ad partium ſeparationem, & difficultatem remotionis vnius partis ab alia, quod à denſitate nimium diſtinguitur.

CONTROVERSIA VIII.

De elementis.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit elementum.

1 ELEMENTVM vulgari ſignificatione ſumi ſolet pro primis cuiuſuis rei principiis. Sic litteræ ſcripturæ elementa dicuntur, quia ex illis primò conſtituitur, & in eaſdem vltimò reſoluitur. Et principia entis naturalis propter eandem rationem totius elementa dicuntur. Solet enim nomen elementum ad materiam primam diſtingui, quia ex hac primò omnia fiunt, formæ enim (ſi rationalem excipias, quæ creatur) ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, ex materia educuntur, & ex illa tanquam ex prima origine naſcuntur, ſtrictius nomen elementum ſumitur pro illis corporibus, quæ non conſtant admixtione qualitatum contrariarum, ſicuti ſunt ignis, aër, aqua, & terra.

2 Elementum definit Ariſtot. lib. 5. Metaph. cap. 3. text. 4. *... quo primum ... ſito, ac indiuiſibili ſpecie in aliam ſpeciem aliquid ... ponitur.* Alio modo lib. 3. de Cælo cap. 3. text. 31. *elementũ eſt id, in q... cætera corpora diuiduntur, in quibus ineſt, aut potentia, aut a...* Definitio ſecunda in primam relabitur, tantùm addit *ly ...ra corpora*, quibus verbis clarius exprimitur elementum de...re eſſe corpus de prædicamento ſubſtantiæ, ac proinde m...eriam & formam his definitionibus non comprehendi. ...erum hæc definitio ſatis difficilis eſt, & perobſcura, niſi ...minus propter Philoſophi authoritatem, & illorum, qui ...finitiones has admittunt, in quibus eſt Angelicus Doct... aliquo modo definitiones hæ explicandæ ſunt, quod b...iſſimè præſtabo, In illa poteſt aliquid diuidi, quæ in ſe co...net, & quibus cõponitur, & eodem modo, quo eſt contine...a, ſeu cõpoſitio, eo modo eſt diuiſio in illa extrema, non e...m poterit diuidi totũ aliquod in aliquid formaliter ſumptũ, q...od formaliter ſumptum in illo non contineatur. Deinde eo modo dicitur aliquid indiuiſibile, quo nulla extrema diſtincta in ſe continet. Sic materia prima, quæ partes, quibus eſſentialiter componatur non habet, dicitur eſſentialiter indiuiſibilis, licet integraliter diuiſibilis ſit. Vltimò elementa vt probabo Puncto 4. non ſunt formaliter in mixto.

3 Ex his facilè eſt definire quomodo omnia corpora compoſita ſeu mixta poſſint in elementa reſolui, cùm enim elementa in mixto formaliter non ſint, ſed tantùm virtualiter hoc eſt, manent virtutes, quæ propriæ ſunt elementorum, ſic tantum extrinſecè, tantùm diuidi poſſunt in elementa quatenus qualitates præexiſtentes in mixto diuiduntur in elementa, quæ ſuccedunt, poſt corruptam mixti formam compoſito ex materia mixti, & formis elementalibus productis. Dicuntur ſic diuidi, quia non omnes qualitates, quæ erant in mixto remanent in aliquo elemento, ſed tantùm aliquæ illarum. Ex his notum fiet quo modo elementum indiuiſibile datur, quia cùm non poſſit reſolui in aliud compoſitum, quod paucioribus gaudeat qualitatibus: hinc fit adhuc ratione harum non poſſe in alia elementa diuidi; neque alia mixta, quæ potius pluribus qualitatibus, & nunquam paucioribus conſtant. Dicuntur mixta diuidi in elementa, non quia quotieſcumque mixtum corrumpitur in elementa reſoluatur, in quibus ſint diuiſæ qualitates, quæ erant in mixto, ferè ſemper enim mixtum corruptum in aliud reſoluitur, quod earumdem qualitatum gaudet temperamento, quia tamen poſt varias corruptiones vltimò ad elementi formam rurſus indiuiſibilem poteſt deueniri, dicuntur omnia corpora in elementa diuidi. Ex his notum fit, quomodo cætera corpora in elementa diuidantur, & quomodo elementum indiuiſibile ſit ſecundum ſpeciem.

4 Poſſet clariùs, breuiuſque definiri elementum, *corpus, quod ex primis qualitatibus duplici tantùm gaudet.* Quod ſi vera eſſet Arriagæ opinio, quæ aſſerit elementa vnica tantùm potiri qualitate, definiendum eſſe, *corpus, quod ex primis qualitatibus vnica tantùm potitur.*

5 Circa elementorum numerum communi ſententiâ ratum eſt, elementa quaternarium attingere, illúmque non excedere. Verumtamen huius concluſionis rationem reddere difficillimum eſt, nonnullas referam, ex his quæ pro hac concluſione circunferuntur. Ignis eſt leuiſſimus: terra eſt grauiſſima: ergo debent dari duo alia elementa media, vnum quod habeat prope ſummam grauitatem, & aliud prope ſummam leuitatem. In eadem recidit ratio alia deſumpta ex elementorum poſitione: Ignis eſt in loco ſupremo, aqua in loco infimo: ergo debent dari duo alia, vnum quod ſit prope terram, & aliud quod ſit prope ignem, quibus quaternarius numerus completur. Confirmatur eadem ratio, infrà cælum tantùm ſunt quatuor ſpatia, vnum quod cælum attingit & hoc eſt ſummum, aliud maximè diſtat à cælo, quod eſt terræ centrum, & omnium infimum, aliud prope infimum, & aliud prope ſummum: ergo tantùm poſſunt dari quatuor elementa, quæ repleant hæc quatuor ſpatia, ſiquidem nullum poteſt dari commune ſpatium diſtinctis elementis. Rationes hæ parum roboris habent, quia dato igne ſummè leui, & terra ſummè graui non ex eo infertur duo alia elementa media danda eſſe, ſed poſſent tria, vel vnum, vel nullum; quia immediatè collocari elementum ſummè leue, & elementum ſummè graue, non implicat; neque ratio eſt aliqua, quæ cogat in quatuor partes, ſeu quatuor ſpatia diuidere totam cælorum intercapedinem vt quatuor elementa illis ſpatiis correſpondeant, poſſet enim diuidi in tria

tria ſpatia ſummum, infimum, & medium, ſeu in quinque ſummum, infimum, prope ſummum, prope infimum, & medium.

6 Alij probant elementa eſſe quatuor, ex quaternario primarum qualitatum numero, quarum ſingulæ ſingulis elementis in ſummo reſpondent, ſecundò quia binæ, & binæ hæ qualitates abſque contrariarum conſortio tantùm poſſunt diuerſis quatuor modis comparari calidum in ſummo, cum ſicco prope ſummum, humidum in ſummo cum calido prope ſummum, frigidum in ſummo cum humido prope ſummum, ſiccum in ſummo cum frigido prope ſummum. Hæc ratio multis claudicat, in primis ſupponit numerum primarum qualitatum quaternarium eſſe, quod nonnulli negant. Secundò gratis ſupponit qualitates binas, & binas eſſe conſtituendas in ſingulis elementis, quod ſi quis neget, & aſſerat poſſe dari elementum vnicâ qualitate contentum difficilè poterit impugnari. Tertiò poſſunt qualitates illæ, binæ & binæ multis aliis modis diſponi; poſſet enim dari elementum gaudens ſummo calore, & ſummâ ſiccitate, & aliud includens ſiccitatem in ſummo, & calorem prope ſummum, qui duo modi componendi qualitates contrarias annumerari non ſunt in quatuor adductis ad quatuor elementa defendenda. His ſimiles, poſſunt alij plures comparari, quibus elementorum numerus poſſit augeri. Poteſt etiam dici quatuor illas quatuor duplici elemento contentas eſſe, in quibus diſtribuuntur abſque contrariarũ mixtione calor & ſiccitas in vno elemento, & in altero humiditas, & frigiditas. Vna in ſummo gradu, & alia prope ſummum, vel vtraque in ſummo, ſi neceſſum eſt quamlibet qualitatem in aliquo ſubiecto ſummè inteſam reperiri. Frigidiùs alij ex quatuor humoribus viuentis quaternarium elementorum numerum inferunt. Sed hæc ratio non poteſt mouere Philoſophum, eſt enim pura congruentia, ſeu quædam ſimilitudo, quæ extremis cognitis videlicet quatuor elementis, & quatuor humoribus, à Medicis circumfertur.

7 Cenſeo nullâ efficaci ratione poſſe probari elementorum numerum, ſed tantùm hoc experientia communique Doctorum authoritate ſuadendum eſſe: id enim expreſsè multis in locis tradit Philoſophus, quem ſequutus eſt D. Thomas, & tota Theologorum, & Philoſophorum Schola à quibus ſine ratione vrgente in re alicuius momenti recedendum non eſt, id etiam ſuadet experientia quâ terram, aquam, aërem, & ignem cognouimus, & non alia corpora, quæ non conſtent temperamento omnium quatuor qualitatum, & quæ mixta non ſint.

PVNCTVM II.

De ſitu elementorum.

1 DE ſitu aëris nullus eſt dubitandi locus, conſtat enim aërem ſuprà terram, & aquam ſitum: ignis, ſi aliquis eſt determinatus locus in quo ignis conſeruetur, eſſe omnium ſupremum nullus ambigit, an verò detur ille locus necne, definiam poſtea. Terram infimum occupare ſpatium, & aquam ſuper terram eſſe, eſt enim omnino certum, infertur ex illo Geniſis 1. *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida.* Ex quo infertur terram creatam fuiſſe aquis coopertam, illiſque inferiorem, non ſuper aquam conſtitutam, ſed ſibimet innitentem iuxta illud Pſalmi 103. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*, eſt tamen inter Doctores valde dubium, an de facto terra ſit altior aquâ, vbi aduerte quæſtionem non de tota terra, & de tota aqua procedere, certum enim eſt aquam quæ eſt in fluminibus eſſe inferiorem montibus, ſed de parte illa terræ, & aquæ, quæ cæteris omnibus altior eſt. An videlicèt facta comparatione inter partem terræ reliquis omnibus altiorem, & inter partem aquæ altiorem reliqui omnibus aquæ partibus altior ſit terra quam aqua. An videlicet mons omnium altiſſimus altior ſit altiſſima maris aqua. Aquam terrâ eſſe altiorem defendunt Canus in commentariis primæ partis, Burgenſis, & Catharinus ad 1. cap. Geneſ. Hos ſequutus eſt Arriaga diſtinct. 4. ſectione 4. Partem hanc probabilem eſſe tradit D. Thomas 1. p. quæſt. 69. art. 1.

2 Terram altiorem eſſe mari docet D. Aug. D. Hieronym. Diu. Damaſc. Lippomanus, Caiet. Honcala, & Ægid. quos ſequuntur & referunt Patres Conimbricenſes lib. 1. de Cælo cap. 14. quæſtione 4. art. 2. Idem tenent Caietan. in illud Geneſis, *Congregentur aquæ*, qui oppoſitam ridet ſententiam, P. Pereira ibidem, P. Soarez lib. 2. de opere ſex dierum, quibus egò libens aſſentior. In primis terram, & aquam vnum conficere globum, & vtrumque elementum in idem centrum propendere multis demonſtrat. P. Clau. c. 1. Sphæræ: id efficaciter ſuadetur ex eo quod aqua, & terra idem centrum petat, & per eandem lineam, ſi enim ex eodem indiuiſibili ſpatio pars terræ & pars aquæ ſucceſſiuè dimittuntur impedimentis ablatis per eandem ſpatij lineam in eumdem terminum cientur: ergo terra, & aqua idem centrum reſpiciunt, etiamſi terra ratione maioris grauitatis ſpatium infimum occupet. Ex hac doctrina vires deſumit argumentum quod fit ad probandum aquam non eſſe altiorem terra: ſi aqua eſſet altior terra, pars aquæ terra eminentior ſtatim dilaberetur, & totam terram irrigaret: ſed ſic eſt, quod certis continetur terminis: ergo eminentioribus terræ partibus coercecetur.

Reſpondent nonnulli aquam etiam terra eminentiorem non diffluere; quia in ſe globi figuram retinet, quam naturaliter appetit, & in qua naturaliter conſeruatur. 3
Solutio hæc impugnatur ex doctrina tradita, qua diximus aqua cum terra eundem conficere globum. Secundo etiamſi aqua figuram illam appeteret, & obtineret, non illam adeò pertinaciter retineret, vt in tantam altitudinem ſublata vtrinque poſſit æquè pendere retenta globi figura abſque eo quod efflueret. Quod cernitur in aquæ guttulis ſe rotantibus, quæ tandiu globi ſpeciem ſeruant quandiu appetitus ille, qui petit rotunditatem non vincitur acceſſu grauitatis quam ſecum afferat noua aquæ portio, & ita nnmquam pars aliqua notabilis aquæ figuram rotundam valet retinere. Reſpondent alij aquas coërceri ex peculiari prouidentia Dei coërcentis aquas intra certos terminos, quos natura ſua tranſilirent, ſi naturæ authore non detinerentur. Sic inferunt ex capite 8. Prouerb. *Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos.* Ex quibus verbis inferunt aquam terra eſſe ſublimiorem, quia ſi depreſſior eſſet, neceſſaria non eſſet lex, ne præfixos tranſgrederetur terminos. Rectè contra hanc ſolutionem obiiciunt noſtri Conimbricenſes teſtimonium D. Auguſt. 9. lib. de ciuitate Dei cap. 10. vbi inquit: *Sic Deus adminiſtrat omnia, quæ creauit, vt ipſa proprios motus exercere, & agere ſinat.* Quod ratio ipſa demonſtrat, ad quid enim creandum erat elementum ſemper contra propriam naturam, & propenſionem conſeruandum? Seu ad quid nobis dicendum eſt aquam ſemper violenter detineri in mari, ne totam abluat terram, cum poſſimus illam naturaliter intra præfixos terminos circumcluſam conſtituere. Neque teſtimonium ex 8. Prouerbiorum relatum ad rem facit, quia vt bene interpretantur P. Pereirus, & iidem Conimbric. non commendatur in illo ſummi artificis potentia, quod aquas terræ imminentes coerceat, ne terram abſorbeant, ſed quod eas terræ cauitatibus circunſcripſerit, cum in prima ſui conditione, & iuxta ipſarum naturam toti terræ circunfundi deberent.

Secundò certum eſt, nauim natiua ſua grauitate adductam velociùs deſcendere cæteris paribus, quam aſcendere propria eiuſdem nauis grauitate reluctante, ergo ſi mare altius eſſet terra, nauis cùm è portu diſcedit ſegniùs cieretur, cùm tunc aſcenderet, quàm cùm portum peteret, cùm tunc deſcenderet: ſed hoc eſt contra manifeſtam experientiam: ergo mare non in modum globi effertur, ita vt ſupra terram emineat. Rurſus ſi aqua ſic aſſurgeret in modum globi profectò omnes cooperuiſſet inſulas, & nulla apparerent ſalebroſa loca aquis non ſepulta; atqui nõ ita ſe res habet: ergo aqua non ita ſupra terram aſſurgit. Rurſus rectè arguunt noſtri Luſitani ex experiẽtia, quã cõpertũ eſſe teſtantur ab his, qui à Luſitania in nouam nauigant Hiſpaniã, poſtquã per quindecim gradus è portu diſceſsêre vna hora citiùs oriri, & occidere Solẽ in Luſitania exiſtentibus. Quod non ita contingeret ſi mare terra eſſet eminentius: citius enim in mari ſol appareret, quia ſemper eminentiora loca citius, quàm depreſſiora ſuis ferit radiis, & citius videtur ab his qui ſuprema loca incolunt, quam ab aliis, qui in depreſſioribus demorantur, vt patet in iis, qui montes conſcendunt, quia licet plus diſtent 4
ab

ab Oriente , ortum Solis prius intuentur. Rationes hæ vt bene vidit P. Soarez cap. 6. iam citato num .6. non probant terram eſſe ſuperiorem mari , ſed ſaltem non eſſe inferiorem , ſeu eſſe æqualem. Superiorem eſſe probant Conimbricenſes ex eo, quod videmus flumina natiuo curſu in mare tendere , quod fieri non poſſet ſi terra non eſſet mari eminentior. Eandem concluſionem confirmant iidem Conimbricenſes cum Pereira ex ſacris litteris Pſalmi 23. *Ipſe ſuper maria fundauit eam* nempe terram;& Pſalm. 135. *Qui firmauit terram ſuper aquas*,& Pſalm. 106. *Qui deſcendunt mare in nauibus* Quibus teſtimoniis non leuiter indicatur terram ſublimiorem eſſe aqua.

5 Obiicies pro oppoſita ſententia : in altiſſimis montibus oriuntur fontes : ergo aqua maris altior eſt montibus. Conſequentia probatur ex principio ſatis vulgari , quo fertur aquam non poſſe altius aſcendere , quam ſit locus à quo deſcendit. Reſpondent nonnulli non omnes aquarum ſcaturigines ex mari originem trahere, ſed aquam in ipſis terræ cauernis generari. Non fido huic ſolutioni, quia non facile deſignabitur cauſa à qua aquarum perennes fluxus nunquam interrupti procedant , ſi ex mari originem non trahunt, neque id de præcipuis fluminibus dici ſacræ paginæ conſonum videtur, dicitur enim Eccl. 107. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant.* Quibus verbis affirmat ſacer textus, flumina è mari exire, & iterum in idem recidere, neque alio modo poſſet per tot annorum curriculos , non ingens incrementum mari contigiſſe perpetuo fluminum acceſſu. Neque poteſt dici tantam aquam in vaporibus reſolui ; quanta mari fluminum accreſcit acceſſu, incredibile enim eſt poſſe tam ingentem aquæ molem in vapores conuerti , ſufficeret enim vnius fluminis aqua ad totum aeris ſpatium vaporibus replendum. Melius reſpondent Conimbricenſes aquam è montibus emanantem per ſubterraneos meatus aſcendere præter propriæ naturæ inclinationem , quia terræ huiuſmodi aquas ebibunt ; & veluti ſpongia ſugunt accedentibus ad id ſolis , & aliorum ſiderum influxibus , quibus incumbit ſublunaris mundi vtilitates procurare. Vnde putauit D. Thom. in 2. diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 5. huiuſmodi motum violentum non eſſe, quia naturæ, atque ordini corporum conſonum eſt, vt inferiora ſuperiorum impreſſionem ſequantur. Id tamen ego non defendo modo, probabilius enim videtur motum hunc violentum eſſe aquis , quæ natura ſua petunt deorſum deſcendere , licet enim inferiora corpora influxibus cælorum ſubiaceant , non ſemper illos ſine aliqua violentia patiuntur. Poſſe aquam attrahi à terra, & ſurſum leuari docet experientia , quâ videmus panem , aliudve corpus poroſum aquæ ſuperpoſitum illam ſugere, & omnes panis poros aquâ repleri , etiamſi vix exiguâ ſuperficie primò ſpatium aquæ tangebat. Vltimò poſſet aliquis dicere nulla experientiâ poſſe probari in altiſſimis terræ montibus aquas reperiri, quia etiamſi videamus in altioribus montibus , ex his quos cognoſcimus emanare , forſan alij reperiuntur eminentiores , in quibus nulla reperitur aqua, ſunt enim plures montes , quos nondum Coſmographi cognouerunt , neque adhuc ex his , qui Coſmographorum chartis reperiuntur potuit experientiâ comparari an ex omnium illorum eminentiſſimo aqua dimanet.

6 Circa elementum ignis nonnulli ex peruetuſtis arbitrati ſunt nullum dari ignem præter hunc , qui apud nos exiſtit: hos ſequuntur modò plures recentiores , in quibus annumerandus eſt Arriaga ſuprà : Pythagorici teſte Ariſtotele lib. 2. de cælo cap. 13. text. 73. Ignem in terræ centro conſtituebant , eúmque locum Iouis cuſtodiam, totiúſque mundi locum appellabant , vt refert Plutarchus 3. de placitis philoſophorum cap. 11. Alij quos refert D. Aug. lib. 2. de Geneſi ad litteram , nullum ignem præter cæleſtem ponebant , è cuius concretione æthereos orbes conflabant. Sententia hæc modò partim arriſit perdocto cuidam è noſtris Magiſtro , qui ad caput primum Geneſis defendit primo die creatum eſſe ignem ſignificatum nomine lucis per illa verba *fiat lux*, & poſtea quarta die ex partibus purioribus , & defæcatioribus eiuſdem ignis feciſſe ſolem , & lunam & reliqua aſtra, quæ nihil aliud ſunt, quàm partes aëris, & ignis inter ſe valde denſæ atque concretæ.

7 Fert communis Philoſophorum ſententia dari elementum ignis , & ſupra omnia elementa Lunæ concauo immediatè inſidere. Feror in hanc partem non vrgenti aliqua ratione, quam apud authores , qui de re hac agunt non inueni , ſed communi Doctorum , & plurimorum Patrum authoritate, qui rem ita tradunt. Ex his citatos inuenies apud Patres Conimbricenſes lib. 3. de cælo cap. 5. quæſt. 1. D. Auguſt. D. Hieronim. Clementem Alexandrin. Diogenem, Ariſtot. Philonem Iudæum , & Plinium Dari elementum ignis probat D. Baſil. hom. 3. exam. quia abſque hoc elemento manca , & mutila eſſet natura , cùm illi elementum adeò excellens deficeret omnium actuoſius, pollenſque calore omnium qualitatum præcipuè requiſito ad productionem , & conſeruationem omnium corporum ſublunarium. His accedit nullam rationem efficacem adduci ad naturam huius elementi impugnandam , vt ex ſolutione argumentorum , quæ ſubiiciam, modò conſtabit. Propriam ignis ſedem eſſe ſupra omnia elementa iuxta Lunæ concauum ſuadet experientia, qua videmus flammas conari ſemper ſurſum euolare.

8 Obiicies contra præcedentem concluſionem : ſi daretur ignis elementum in quocunque ſpatio exiſteret, abſumeret corpora contigua , nimiáque illius voracitas totum orbem accenderet : ergo non datur talis ignis , & multum expedit vniuerſi conſeruationi illum non dari. Reſpondeo ignis actiuitatem compeſci aſtrorum influxu. Nam cùm cæleſtibus corporibus incumbat ſublunaribus prouidere, in hæc influxus exhibent neceſſarios , ne mutuâ ipſorum pugna interimantur , & ne potentiorum vi alia non æquè potentia penitus abſorbeantur. Reſiſtit etiam aer innata humiditate, & frigiditate, ſiue propria, ſiue aduentitia, virtuti actiuæ ignis , ne in illius materiam ſimilem ignis formam introducat, & ita dum aër patitur ſimul agit , & mutua ipſorum pugna, & actione, & reactione qualitatum , ita acrimonia carpitur ignis , vt omnibus penſatis præ longo tempore vix incrementum aliquod recipit leui aeris iactura, quam poſtea idem aer inſtaurat ſimili ignis iactura, & ſic ex aſtrorum occurſu, & mutua elementorum pugna attemperantur actiones , vt nunquam notabilem partem ſuæ ditionis elementum aliquod amiſerit.

9 Obiicies ſecundò. Ignis in propria ſphæra, vel paſceretur extrinſeco aliquo pabulo vel non ? Si paſceretur , corpus aliquod in ſe conuerteret, & ita ſucceſſiuè omnia conſumeret : ſi non paſceretur, corrumperetur illico, cùm ignis abſque pabulo conſeruari non poſſit, vt ſatis notum eſt experientia. Reſpondent Conimbricenſes , & ferè omnes Doctores ignem extra ſphæram propriam vndique contrariorum iniuriis patere, ideóque ſtatim extingui, ac proinde ſi extrinſeco pabulo aliæ partes ignis denuo genitæ non ſuccedant loco illarum , quæ contrariorum impugnatione periêre ſtatim totus deficit ignis , in ſphæra verò propria cùm ignis agentibus contrariis non impugnetur , poteſt diu conſeruari , & ita neceſſum non eſt nouas ignis partes perpetuo conſeruari, ne totus abſumatur ignis. His adde extra ſphæram intendere, ſurſum aſcendere, & ita aëre impetente illius materiam vtpote valde tenuem diſſipari , & in minutulas diuidi particulas , à quibus forma ignis facile cuiuſuis contrarij impugnatione depellitur.

10 Obiicies tertiò : Si inter corpora cæleſtia, & ſublunaria interiaceret ignis , non poſſent ſublunaria frigefieri à cæleſtibus, quia cæleſtia non poſſent medio igne ſummè calido frigiditatem producere in aëre , aliíſque corporibus, quin eandem in igne producerent, aliàs agerent in diſtans, quin agerent in propinquum. Reſpondeo poſſe corpora cæleſtia producere in igne aliquem gradum frigiditatis contra propriam ignis virtutem, & exigentiam, medio quo poterunt frigiditatem illo intenſiorem producere in reliquis corporibus , quia non eſt contra naturam agentis naturalis fortius, & intenſius agere in diſtans, quàm in propinquum , quando paſſum propinquum ſpecialem reſiſtentiam habet reſpectu effectus producendi. Neque mirandum eſt gradum frigiditatis in igne poſſe recipi ; frequenter enim experimur reliqua elementa cum qualitatibus contrariis illis, quas exigunt. Neque ſpecialis eſt ratio propter quam non ita contingat in igne , ex eo enim quod ſit fortius agens reliquis elementis tantùm infertur fortiùs reſiſtere agenti contrario , & cæteris paribus in minori effectu , ſeu in remiſſiori calore amiſſo vincendum eſſe ; non verò non poſſe , neque in minimo caloris ab illo expulſi, & frigiditatis receptæ contra illius reſiſtentiam ſuperari. Imò oppoſitum ſuadet ratio , cùm enim calor in igne receptus ſit diuiſibilis ſucceſſiuè poteſt ab agente naturali corrumpi , & poteſt dari agens , quod valeat vnum , vel alterum graduum corrumpere, & non plures, & huius naturæ eſſe corpora cæleſtia valde conſonum , &

neceſſarium eſt ad totius vniuerſi conſeruationem, vt hac ratione poſſint corpora cæleſtia frigiditatem in reliquis corporibus ſublunaribus producere, & ex alia non ita valeant ignem vicinum valde neceſſariò ad attemperandum frigidiſſimos Lunæ, & Saturni influxus penitus abſorbere.

11 Obiicies quartò: Ignis valde exiguus ex loco valde diſtanti valet nocturno tempore conſpici: ergo ſi vaſta illa ſuperficies immediata Lunæ concauo ignem contineret, ſaltem nocturno tempore poſſet à nobis videri, atqui non videtur: ergo non datur talis ignis. Vulgaris ſolutio eſt ignem præ nimia raritate videri non poſſe, ſed alia mihi neceſſaria eſt, cùm enim raritatem per intromiſſionem corpuſculorum conſtituam, non congruè ignem in propria regione, vbi peregrina corpuſcula raro, aut nunquam accedent, rarum conſtituam. Melius reſpondendum exiſtimo lucem ignis exiguam eſſe, quia valde exigua eſt ignis groſſities, ſeu valde exiguus ignis interſtitutus inter aerem, & Lunam. Eo enim ipſo quod per totam Lunæ ſuperficiem ſit expanſus, ad modum bracteæ extenditur, & ita ob tenuitatem groſſiciei, ſeu profundæ menſuræ, quam habet ignis, non poteſt ex loco adeò diſtanti diſcerni. Dico non poſſe diſcerni, quia forſan ignis lux à nobis videtur per modum vnius cum luce Lunæ, ſtellarum, totiúſque cæli, & illam non diſcernimus, quia lux cæli eiuſdem rationis eſt cum ignis luce.

12 Ex his infertur in prima conditione terram fuiſſe aquâ vndequaque circundatam, & aquam aëre, & aërem igne, poſtea verò terram fuiſſe ſecundùm plurimas ſui partes diſcoopertam à Deo reducente aquam ad certas cauitates, quibus concluditur, & ita ſuperficie concaua, quàm modo format aër, immediatè cingit ſecundùm aliquas partes aquam, & ſecundum alias terram, circumdat enim globum quemdam compactum ex terra, & aqua, cuius extima ſuperficies ſecũdùm vnas partes eſt ſuperficies aquæ, & ſecundùm alias eſt terræ ſuperficies, vt patet in aëre immediatè attingente aquas maris, & fluminum, & reliquam terræ ſuperficiem, quodammodo rotundam non eſſe ſatis ipſis oculis monſtrant vallium confractus & montium ſuperbia cacumina. An verò initio terram perfectè rotundam Deus creauerit, néene, diſputant Doctores in caput 1. Geneſi, ſeu in tractat. de opere ſex dierum. Legantur PP. Conimbr. in Problemat. ſect. 1. vbi pro vtraque parte Patres, & Doctores adducunt.

PVNCTVM III.

Quid ſit Mixtio?

1 ELementa per ordinem admixta explicantur, & definiuntur, & in mixtis virtualiter, aut formaliter, ſeu actu vel potentia dicuntur exiſtere, ideo ad perfectam illarum notitiam ſciri oportet, quid ſit mixtum, & quid mixtio? Mixtum vt diſtinctum ab elemento dicitur omne corpus conſtans temperamento qualitatum contrariarum, ſiue productum fuerit ex congreſſu elementorum ſiue alio quocumque modo. Hac ratione mixtum diceretur lignum quod Deus modò crearet, nullâ præſuppoſitâ materiâ, aut cauſâ creatâ quæ in illud influeret. Verumtamen cùm omnia corpora ab elementis diſtincta, ex congreſſu elementorum, aliorúmve corporum diſtinctorum, vt plurimùm gignantur, ideo mixta dicuntur, quia in illis remanent mixtibilia, & generatio quæ ex tali congreſſu reſultat, mixtio dicitur cuius naturam in præſenti explicandam ſuſcipimus.

2 Dari mixtionem ſtatuit communis Philoſophorum conſenſus, & oſtendit manifeſta experientia, cui ſuffragatur ratio. Experientia, quia videmus humiditate, & calore vigentibus ex congreſſu terræ, aquæ, vaporum, & exhalationum circumfuſi aëris ope gigni diuerſa corpora, & plura animantia tam vegetatiua, quàm ſenſitiua, qualia ſunt tubera, fungi, ranæ, aliæque huiuſmodi beſtiolæ, quæ non niſi mixtione interueniente crearentur. Cauſæ producentes diſpoſitiones ad formam mixti ſunt, partim mixtibilia quæ corrumpuntur, vt poſtea dicam, quæ in ipſorum materiis produxere accidentia, quæ diſponunt ad formam mixti. Verumtamen hæc mixtibilia non poſſunt producere vltimam diſpoſitionem ad formam mixti, quia in inſtanti, in quo eſt vltima diſpoſitio ad formam mixti producitur forma mixti, & corrumpuntur formæ mixtibilium, quæ informabant materiam in qua introducitur forma mixti: ergo non poteſt ab his formis vltima diſpoſitio ad formam mixti produci, quia nulla entitas poteſt in inſtanti, in quo corrumpitur aliam producere. Producetur hæc vltima diſpoſitio à reliquis partibus mixtilium, quæ ſuperſunt, in quibus non fit mixtio, necnon cauſis vniuerſalibus per cæleſtes influxus. Forma mixti aliquando poterit produci ab ipſis elementis circunſtantibus materiam, in qua producitur, ſeu aliis extrinſecis agentibus, quæ applicentur, aliquando ad cauſam primam recurrere neceſſum erit, vt in generatione animalium, quæ ex putrefactione gignuntur, quæ vt pote viuentia à nullo non viuenti creato produci poſſunt, cùm nullum viuens creatum ſuperſit cui illorum poſſit tribui productio, neceſſariò recurrendum eſt ad Deum à quo viuentia iſta producuntur.

Mixtio ſumi ſolet pro coniunctione diuerſarum rerum retentis ſingularum naturis, ſiue poſſint ſeparari, ſicut triticum, & horreum ſeparari poſſunt poſtquam ſunt permixta, ſiue ſeparari non poſſint, vel certè non ſine magna induſtria, ſicut vinum & aqua cum permixta ſunt. Hæc mixtio tantùm inuoluit coniunctionem quandam localem, abſque alicuius termini ſubſtantialis productione, de qua mixtione in præſenti non diſputamus, neque de illa quidquam notatu dignum tradi poteſt. Sumitur mixtio ſtricta, & philoſophica pro vnione diuerſarum rerum è quibus tertium quoddam reſultat diſtinctum à compoſitis, ad quæ pertinebant materiæ, quæ vniuntur in mixtione, quam mixtionem dari nuper oſtendimus, & eſt vtilis valde rerum vniuerſitati vniuerſíque pulchritudini, quæ maximopere acereſcit multis compoſitis productis ex aliorum congreſſu. 3

Mixtionem definiuit Ariſtoteles lib. 1. de generatione, cap. 10. *Mixtibilium alteratorum vnio*: quam definitionem perobſcuram, & difficilem eſſe nullus non videt, quam ad maiorem perſpicuitatem poſſe reuocari noſtri Conimbric. teſtantur cap. citato, q. 2. art. 2. ly *vnio*, ſumitur pro actione, qua gignitur compoſitum in quo vniuntur mixtibilia, quæ antea pugnauerant inter ſe, vt quodlibet alterum in propriam naturam conuerteret, iam verò vni tertio producto, quod mixtum dicitur, vniri dicuntur, itaque generatio dicitur vnio, non quia formaliter aliqua annectat extrema, ſed quia ex vi illius producitur mixtum, ſeu compoſitum, in quo extrema contraria, ſeu mixtibilia vniri dicuntur. Cæterùm poſſunt dici extrema mixtibilia vnita in mixto, quia in hoc vniuntur materiæ mixtibilium, eo enim ipſo quod ex conuentu aquæ, & terræ tertium aliud compoſitum reſultet, pars materiæ, quam miniſtrat aqua huic tertio reſultanti, vnitur parti materiæ, quam miniſtrat terra, & ita in hoc mixto materiæ mixtibilium vniuntur, quod ſufficiẽs eſt, vt ipſa mixtibilia vnita diei poſſint. Aliter ego exiſtimo dici mixtibilia vniri in mixto, eo videlicet modo, quo dicuntur in mixto permanere, ex eo enim quod in mixto permaneant qualitates elementorum dicuntur elementa manere virtualiter, ſeu in potentia in mixto: ergo dicentur vnita in mixto, in quo dicuntur eſſe, ea enim quæ ſunt in illo, dicuntur in eodem vnita. 4

Mixtionem plures alij definiunt: *Generatio corporis reſultantis ex contrariorum congreſſu*. Generatio quid commune eſt eductioni elementorum, & reliquorum mixtorum, reliqua explicant, quæ ſunt propria mixtionis, videlicet alterationem mixtibilium, quam importat iſtorum congreſſus, ſimiliter vnionem materierum, quæ erant ſub formis mixtibilium, quia eo ipſo quod reſultet vnum tertium ex mixtibilibus contrariis, illorum materiæ neceſſariò debent vniri, vt in vtraque iam vnâ per vnionem conſtitutâ recipiatur forma mixti: excluditur etiam per hanc definitionem generatio quâ vnum corpus ſiue elementale, ſiue mixtum aliud conuertit in ſubſtantiam ſibi ſimilem, v. g. actio qua ignis ignem generat, ſiue ex alio elemento, ſiue alio mixto, quia hæc actio non reſultat ex congreſſu contrariorum, ſed tantùm ex virtute ignis, qui aliud contrarium impetit, vt illud in propriam ſubſtantiam conuertat. De mixtione multa prolixè ſatis Medici ſcribunt, multaſque conditiones illius aſſignant; octo enumerat Mercatus lib. 1. claſ. 5. de elementis, art. 4. ex quibus nonnullæ falſo nituntur principio, videlicet elementa manere formaliter in mixto, & ideo non ſubſiſtunt, aliæ ex definitione tradita facile deducuntur. 5

PVNCTVM

Digitized by Google

PVNCTVM IV.

An elementa maneant actu formaliter in mixto.

1 Elementa manere in mixto non ſolùm in potentia, & virtualiter ratione qualitatum, ſed formaliter ſecundùm proprias iſtorum formas ſenſére ex antiquis Philoſophis Anaxagoras, & Empedocles, inſuper Stoici, quorum veſtigiis inſtitére Auicenna, & Auerroës apud Conimbr. lib. 1. de generat. cap. 1. q. 3. Sententiam hanc pugnaciſſimè defendunt quàm plures Medici, illam ex recentioribus propugnant Peramatus lib. 1. de elementis, cap. 18. & Mercatus lib. de declaratione artis Medicæ, claſ. 5. de element. art. 4.

2 Elementorum formas non manere formaliter in mixto defendunt Angelicus Doctor lib. 1. de generatione, c. 10. & q. 5. de potentia, art. 7. in corpore, & 2. contra gentes, cap. 56. & 1. p. q. 76. art. 4. Scotus in 2. diſt. 15. quæſt. vnica. Vtrumque ducem omnes Theologi, atque Philoſophi vtriuſque ſcholæ ſequuntur, quos citatos inuenies apud noſtros Conimb. ſuprà, & apud P. Suarez in Metaph. diſp. 15. ſect. 10. à n. 51.

3 Ex Medicis eandem ſententiam acutiores ſequuti ſunt, illam defendunt Valleſius lib. 1. Controu. Medic. cap. 1. Segarra lib. 1. de natura hominis, Commento 4. Thomas de Garuo in ſumma, tract. 1. cap. 1. Petrus Garcia lib. 1. ſuper Fen. diſp. 7. c. 3. vbi latè probat hanc fuiſſe Galeni ſententiam, dolendúmque profectò, ait, Medicos aliquos teſtimoniis, & rationibus iam ab aliis explicatis, & ſolutis, ſibi oppoſitam ſententiam perſuaſiſſe. Sententia hæc eſt omnino certa, & longè probabilior.

4 Quia tuta nulla, multæ ſuperſunt viæ rei non veræ defendendæ, ideò in diuerſas diſtracti ſunt, qui defendunt elementorum formas in mixtis formaliter permanere: affirmant aliqui formas elementorum eſſe in diuerſis partibus materiæ adeò exiguis, vt ſenſum ſubterfugiant, ita ex Medicis Vega lib. 1. methodi, cap. 1. Alij, qui affirmant in eadem parte materiæ eſſe omnes elementorum formas, in duplicem ſententiam ſunt diuiſi. Quidam aſſerunt has formas non eſſe in materia ſecundùm totam ſuam perfectionem, ſed ſecundùm aliquos remiſſionis gradus: ita Commentator comminiſcebatur. Alij dicebant, formam mixti non eſſe ſpecialem aliquam formam, ſed commixtionem formarum elementorum, quæ omnes ſimul mixtum conſtituunt. Sic ſentit Aureolus in 2. diſt. 15. vt ibidem teſtantur Capreolus & Gregorius. Alij formas ſecundum totam ſuam perfectionem in qualibet materiæ parte conſtituunt, aſſerunt tamen illis ſuperaddi formam mixti, quæ vltimo totum ſubſtantiale completum abſolutè perfectum conſtituit: hic dicendi modus familiarior eſt recentibus Medicis.

5 Quomodocumque ſententia hæc defendatur ingentes patitur difficultates: in primis commentatoris ſententia omnino eſt commentitia, quia formæ elementorum ſubſtantiales ſunt, nulla autem ſubſtantialis forma gradus habet intenſionis, & remiſſionis, omnis enim ſubſtantialis forma indiuiſibilis eſt, & infectilis verſus intenſionem. Primum dicendi modum videlicet formas elementorum eſſe in diuerſis materiæ partibus ſic impugnat: ſunt plura tota mixta omninò homogenea ſecundùm partes ſui: ergo partes illæ habent idem temperamentum: ergo non datur vna pars gaudens forma ignis, alia forma aquæ, alia forma aëris, alia forma terræ; aliàs hæ omnes partes eſſent valde heterogeneæ, cum diuerſas formas ſubſtantiales elementales ſpecie diſtinctas includerent. Rurſus ſecundùm hunc dicendi modum forma mixti conſeruatur in hac particula materiæ, cum hac elementi forma, & ſine formis aliorum elementorum, verbi gratia, cum forma ignis ſine formis terræ, aquæ, & aëris, ſed hæc pars formæ mixti eſt eiuſdem rationis cum aliis: ergo ſicuti hæc conſeruatur habens tantùm formam elementi ignis, ſic reliquæ aliæ partes eodem modo conſeruari poterunt. Idem argumentum conficio de alia particula, quæ conſeruatur in alia materia cum forma terræ ſine formis aliorum elementorum, ex qua argumentum conficio ad reliquas partes eiuſdem formæ mixti, quæ cum eadem forma poterunt conſeruari, & neceſſarius non erit concurſus omnium elementorum ad conſtitutionem mixti, ſed ſufficit vnam, vel alteram formam elementi reperiri ad cuiuſque formam mixti conſeruandam. Vltimò contra hunc dicendi modum faciunt argumenta, quæ adducam poſtea petita ex repugnantia multiplicis formæ in eodem ſubiecto, quia licet iuxta illum non ponantur elementorum formæ in eadem parte ſubiecti, ponuntur tamen in eadem ſubiecti parte indiuiſibiliter ſumpta forma vnius elementi, & ſpecialis mixti forma.

Eadem argumenta petita ex repugnantia multiplicis 6
formæ in eadem materia impugnant modum dicendi Aureoli, iuxta quem mixti forma non eſt aliqua ſimplex entitas, ſed aggregatio omnium formarum elementorum, quibus addenda ſunt alia, quæ ſententiam hanc eſſe valde abſurdam manifeſtè oſtendunt: in primis ſecundùm hunc dicendi modum non poterunt mixta ſubſtantialiter differre, ſed tantùm magis, & minus, quia omnia mixta includerent eaſdem formas ſubſtantiales, v. g. quatuor formas elementorum. Addo neque ſecundùm magis, & minus adhuc accidentaliter danda eſſe mixta diuerſa. Quia ſubſtantiales elementorum formæ magis, & minus non recipiunt: ergo eo ipſo, quod materiæ duplicis mixti haberent eaſdem in ſpecie formas elementorum, in nullo poſſent differre, cùm dici non poſſit has formas ſecundùm diuerſos gradus intenſionis, & remiſſionis in materiis reperiri. Dices differre accidentaliter ratione diuerſorum accidentium. Contrà: accidentia diuerſa oriuntur ex diuerſa ſubſtantiali forma, quæ eſt radix accidentium: ergo ſi formæ elementorum eſſent omnes eiuſdem rationis abſque vlla varietate ſubſtantiali, ex nullo capite poſſet peti accidentium diuerſitas, potius ex formarum ſubſtantialium ſimilitudine, & vniformitate, ſimilitudo, & vniformitas accidentium eſſet inferenda. Vbi enim eſt forma, quæ eſt principium accidentium eiuſdem omnino rationis, accidentia quæ ex forma oriuntur omnino eiuſdem rationis eſſe neceſſe eſt. Deinde ſecundùm hunc dicendi modum de medio tollitur generatio ſubſtantialis vnius mixti ex alio, quia cum omnium mixtorum forma ſubſtantialis eadem eſſet, non poteſſet corrumpi forma huius mixti per aduentum formæ alius mixti. Rurſus cùm mixtum in elementum ſolueretur, nulla daretur ſubſtantialis generatio, ſed tantùm pura corruptio formarum elementorum, quia mixtum ſecundùm hanc ſententiam tantùm differt ex eo, quod materia mixti habeat formas omnium elementorum, & materia elementi vnica tantùm forma potiatur: ergo vt materia mixti tranſeat à forma mixti ad formam elementi, non aliqua forma producenda eſt, ſed tantùm corumpendæ ſunt formæ elementorum diſtinctorum ab illo, in quod mixtum dicitur reſolui: includebat, v. g. mixtum formam ignis, aëris, aquæ, & terræ, vt reſoluatur in aquam neceſſum non erit produci formam aquæ, quæ iam eſt in materia, ſed corrumpi formas ignis, aëris, & terræ. Vltimò abſurdiſſimum eſt dicere viuentia non habere ſpecialem aliquam formam, ſed tantùm aggregationem formarum elementalium principium eſſe vitalium actionum, infertur enim elementa viuere, quod nemo non nimis amens dicere audebit, neque aliquis non malè ſentiens in rebus fidei diuinæ poterit ſic in homine philoſophari, quia mixtorum numero continetur.

Contra vltimum dicendi modum, quo in eadem indi- 7
uiſibili materia conſtituuntur elementorum formæ, cum mixti forma ſuperaddita, & contra omnes modos, qui in eadem materia duplicem forma conſtituunt, procedent argumenta, quæ iam ſubiicio.

Primum eſto, quod ſufficiens eſſet ad rem conuincen- 8
dam, etiamſi alia fortiora non ſuppeterent: Hæc formarum multiplicatio neceſſaria non eſt, ſed omninò ſuperflua, & impertinens: ergo ponenda non eſt. Antecedens probo: ſpecialis forma mixti ſecluſis aliis elementorum formis, ſufficiens eſt ad actuandam materiam, & ad conſtituendum mixtum conſtans temperamento quatuor qualitatum: ergo elementorum formæ neceſſariæ ſunt in materia, quam actuat mixti forma. Confirmatur, ſi propter aliquam rationem neceſſariæ eſſent elementorum formæ in mixto, maximè vt eſſent principium primarum qualitatum, quibus eget quodlibet mixtum. Sed hæ qualitates poſſunt prouenire, & de facto proueniunt à forma mixti: ergo ex hoc capite elementorum formæ neceſſariæ non ſunt. Minorem probo: omnia mixta ſecundùm ſententiam, quam impugnamus, habent in ſe omnium elementorum formas, & tamen in hoc plus viget calor, & in illo frigiditas, in alio ſiccitas, & humiditas in alio: ergo exceſſus ille huius

Digitized by Google

qualitatis præ omnibus aliis in hoc mixto ſpeciali non prouenit ex formis elementorum, ſiquidem hæ æquè afficiunt omnia mixta, ſed ex ſpeciali forma mixti: ergo ſicuti ab hac forma mixti prouenit hic exceſſus huius qualitatis præ aliis, poterit tota qualitas ſecundùm ſe procedere: ergo qualitas innata huic mixto non arguit in illo formam elementi, quam in ſummo gradu qualitas illa comitatur ſed in gradu non ſummo communem reliquis mixtis & in illis ſine forma elementi reperiri poteſt, ſicuti calor ab extrinſeco productus reperitur in aqua, in qua non eſt forma ignis, quam calor ſummè intenſus comitatur. Eandem rationem magis confirmabunt ſolutiones argumentorum, quibus Medici probare intendunt formas elementorum in mixtis reperiri.

10 Secundò contra eandem ſententiam argumentor ſic: forma mixti ſupponit formas ſubſtantiales elementorum: ergo ſupponit iam materiam ſubſtantialiter actuatam: ergo forma mixti non conſtituit cum materia vnum per ſe, ſed vnum per accidens, & mixtum non eſt conſtitutum vnum per ſe, ſed vnum per accidens conſtans ex formis elementorum, & ex forma mixti. Probo conſequentiam: Quod aduenit toti iam conſtituto, ſeu materiæ iam ſubſtantialiter actuatæ non poteſt cum materia vnum per ſe conſtituere, ſed vnum per accidens, quia forma cõſtituens vnum per ſe materiam actuat, & totum conſtituit, ac proinde non poteſt ipſa ſupponere antecedenter ad ipſam, quod ipſamet debet præſtare: ſed forma mixti ſupponit materiam actuatam forma, ſeu formis elementorum: ergo non poteſt illam primo ſubſtantialiter actuare, & cum illa totum per ſe conſtituere.

11 Reſpondet Mercatus formas elementorum actuare materiam illam diſponendo ad formam mixti, quia ſunt actus materiales, potentiales, & ſubordinati reſpectu formæ mixti, ad quam diſponunt, quippe talis naturæ eſt informatio, & actus elementorum, vt habeat rationem actus reſpectu materiæ, comparetur tamen vt potentia ad formam ſubſtantialem aduenientem, quæ dat eſſe ſpecificum, & ob id mixtum vnum dicitur, & illius forma, aduenit enti in potentia ad illam, quia actus elementorum ſe habet veluti potentia, & diſpoſitio ad formam mixti. Multa hic inuoluuntur, quæ longam ferrent impugnationem ni breuiſſima omnia ſpectarentur corruentia. In primis formam ſubſtantialem dari ſubordinatam alij formæ ſubſtantiali, ad quem diſponat, inuoluit manifeſtam repugnantiam, eſt enim contra conceptum ſubſtantiæ eſſe diſpoſitionem ad formam ſubſtantialem, quia diſpoſitio eſt propter illud, ad quod diſponit & non propter ſe ipſam; de conceptu autem ſubſtantiæ eſt intendi propter ſe, & non propter aliud, & hanc rationem dixi Controuerſ.3. Phyſic. Punct.2. §.4. repugnare in eodem ſubiecto duplicem formam ſubſtantialem, quarum vna alteri ſit ſubordinata. Secundò manifeſtam inuoluit implicationem formas elementorum eſſe actus reſpectu materiæ, & comparari per modum potentiæ ad formam mixti, quia formæ elementorum non poſſunt comparari tanquam potentia, quæ in ſe ſit actuanda reſpectu formæ mixti, quia forma mixti non actuat, aut informat formas elementorum, ſed materiam in qua ſunt hæ formæ, cum forma mixti coniunguntur, ſed tantum dici poſſunt potentia ad formam mixti, quatenus relinquunt in potentia materiam, vt actuetur mixti forma, ſed eo ipſo quod actuent materiam non illam relinquunt in potentia ad aliam formam, quia materia per hanc formam ſemel actuata non poteſt in ſenſu compoſito per aliam actuari: ergo implicat formas elementorum actuare materiam, & illam relinquere in potentia ad aliam formam. Rurſus efficaciter probo materiam eo ipſo quod actuetur formis elementorum actuari illis tanquam vltimo actu, & non tanquam diſpoſitione ad aliam mixti formam recipiendam. Forma ignis ſeiuncta ab aliis formis, materiæ vnita conſtituit compoſitum ſubſtantiale, videlicet ignem vltimò conſtitutum, & completum, & vndique perfectum, atque adæquatum: ergo etiamſi ſimul cum illa formæ aliæ eandem materiam informent, idem conſtituet compoſitum, eodémque modo perfectè adæquatum; & completum: ergo conſtitutum illud ex materia, & forma ignis non ordinabitur tanquam materia, & potentia ad formam mixti, cum qua totum adæquatum conſtituat, quia nullum totum adæquatum ordinatur ad componendum aliud cum alia forma ſuperaddita, eſt enim contra rationem adæquati, ordinari ad aliud componendum. Reſpondet Mercatus formam ignis, & cuiuſuis elementi conſtituere totum completum, & vndique adæquatum, quando non eſt alia forma nobilior, quæ totum conſtituat, ſecus quando illi adiungitur forma alia perfectior, tunc enim non conſtituit compoſitum forma elementi, quæ ignobilior eſt, ſed nobilior alia, quia omne totum conſtituitur per formam vltimam, & nobiliorem. Hinc in mixto non conſtituitur totum per formas elementorum, ſed per ſpecialem mixti formam, quæ eſt omnium perfectior, atque nobilior tribuens toti compoſito eſſe ſpecificum. Solutio hæc facilius refellitur, quàm refertur. Forma ignis vnita materiæ ſiue eidem materiæ adiungatur alia forma ſiue non, ſemper eſt eadem: ergo ſemper conſtituit idem compoſitum, quod nihil eſt aliud quam materia, forma, & vnio: ergo ſi quando eſt in materia ſine aliis formis, conſtituit compoſitum abſolutè perfectum, & vndique adæquatum, idem conſtituet etiamſi eidem materiæ forma alia adiungatur, quæ ſi ex ſe ſufficiens ſit compoſitum conſtituere, conſtituet aliud communicans in materia cum compoſito, quod alia forma conſtituit, & ab illo diſtinctum ſecundum formam à qua differentialis eſſentiæ ratio deſumitur. Ex his infertur quod ſi eamdem materiam formæ elementales, & ſpecialis forma mixti afficerent, eſſent plura compoſita, & verè materia illa componeret quodlibet elementum, & abſolutè verum eſſet dicere: hoc eſt ignis, & hoc eſt aër, &c. & æquè bene verificaretur quælibet propoſitio, ac verificatur modò de ſimplici elemento ſeorſim ſumpto.

12 Conuincit etiam non poſſe in eandem materiam elementorum formas coire manifeſta pugna, quam perpetuo inter ſe gerunt elementa, cum enim qualitates habeant inter ſe contrarias mediis quibus mutuo ſe impugnant, quodlibet intendit aliud deſtruere, illúdque in propriam naturam conuertere. Quod ſi elementales formæ poſſent in eodem ſubiecto componi, quorſum vnum elementum alterius formam deſtrueret, cum poſſet propriam formam in illius materiam introducere, & materia illam admitteret propriâ retentâ formâ, & harum formarum communicatio mutuò fieret? ſi enim congrederentur ignis, & aqua, ignis in materia aquæ formam ignis produceret, cui non reſiſteret forma aquæ, quæ compoſſibilis fingitur ſecundum ſententiam, quam impugno, cum formâ ignis, viceſque rependeret aqua, quæ eodem modo propriam formam produceret in materia ignis, in qua amico fœdere cum ignis formâ coniungeretur. Dices formas inter ſe pugnare ratione qualitatum, quas ſecum afferunt. Hoc ego non nego, ſed intendo idem dicendum eſſe in mixto, in quo formæ elementales reperiri non poterunt, ratione qualitatum, quas ſecum afferunt, quarum qualitates cuiuſlibet elementalis formæ incompoſſibiles ſunt cum qualitatibus aliarum formarum elementalium, & ſpecialis formæ mixti. Dicis in mixto mutuo has qualitates attemperari aduentu contrariarum, & aduentu formæ quæ exigit qualitates contrarias illis, quas alia forma expoſcit. Ex hac ſolutione vires reſumit mea argumentatio; in mixto attemperantur qualitates, ita vt ſint in gradibus remiſſis, etiamſi formæ illas in gradibus intenſis expoſcebant: ergo eodem modo poterunt attemperari in materia, in qua formæ duorum elementorum conueniunt. Mitto hanc attemperationem fictitiam eſſe, nunquam enim ignis exiſtit cum maiori intenſione frigiditatis aduentitiæ, quàm innati caloris, quod contingeret in omnibus mixtis quæ frigiditate præeminent, ſi elementalem ignis formam continerent, ſic etiam contingeret in formis elementorum omnium, quod alienum eſt ab omni veritate, formæ enim quæ ſecum afferunt qualitates incompoſſibiles, incompoſſibiles ſunt in ſe ipſis, & ex incompoſſibilitate qualitatum rectè inferimus incompoſſibilitatem formarum ſubſtantialium, quæ ſunt harum qualitatum radices. Mitto alia plura, quæ contra hanc ſententiam poſſem adducere, ne in re omni fundamento deſtitutâ longiorem, quàm par eſt diſputationem inſtituam.

13 Præcipuum fundamentum, quo Medici mouentur ad aſſerendum elementa manere formaliter in mixto petitum eſt ex authoritate Ariſtotelis, & Galeni. De Galeni authoritate Philoſophus non medicus multum non curabit, verum Valleſius, & Garcia, quibus per otium datum eſt Galenum conſulere, multis contendunt ab hac mente longè fuiſſe Galenum, iam de mente noſtri Philoſophi probant Conimbricenſ. ſuprà artic.3. num.1. eam fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, formas elementorum non manere formaliter in mixtis, ſed corrumpi formam cuiuſque elementi ad introductionem formæ mixti. Idem latè oſtendit Petrus Garcia cap. 3. citato, vbi rectè explicat nonnulla teſtimonia, quæ pro oppoſita ſententia Mercatus, & alij adduxêre. Verumtamen elementa aliquo modo in mixto contineri negandum non eſt, id enim fert communis loquendi modus Philoſopho ſatis familiaris, qui cùm elementum definiuit dixit manere in mixto actu, aut potentia, ideò neceſſum eſt explicare quomodo elementa dicantur permanere in mixto, vt ex modo quo hæc loquutio intelligatur, explicationem accipiant teſtimonia Philoſophi, quibus oppoſita ſententia ſuaderi intenditur. Sentio elementa dici virtualiter in mixtis manere, quia in his remanent illorum virtutes, hoc eſt qualitates primæ, quæ ſunt virtutes elementorum, illæ enim qualitates, quæ ſummè intenſæ in elementis reperiuntur, in quolibet mixto in gradibus remiſſis reperiuntur. Sic explicat Angelicus Doctor exiſtentiam elementorum in mixto 1. part. quæſtion. 56. artic. 14. ad 4. vbi hæc habet: *Et ideo dicendum eſt ſecundum Philoſophum in 1. de generat. quod forma elementorum manent in mixto, non actu, ſed virtute: manent enim qualitates propria elementorum licet remiſſa, in quibus eſt virtus formarum elementorum.*

14 Arguunt ſecundò Medici, quando perit mixtum reſoluitur in quatuor elementa: ergo elementa formaliter in mixto continentur: conſequentia videtur efficax, quia nihil poteſt reſolui in illa, quæ formaliter non includit, totum enim reſoluitur in partes, quibus conſtat, & quodlibet ens in illa, quæ in ſe continet. Antecedens probatur: Quando comburitur lignum adeſt ignis, & adeſt aqua, nempe humor ille aquoſus, quo lignum quaſi ſudare conſpicimus, adeſt terra, videlicet cinis, & non deeſt aër, qui in fumo conſpicitur; ergo in reſolutione mixti diſſoluuntur quatuor elementa, quæ in illo erant quaſi inuoluta, & cooperta forma mixti. Nihil contra noſtram ſententiam concluderetur, etiamſi corruptionem cuiuſque mixti comitarentur quatuor elementa, in quæ reſolui diceretur, quia facile dici poteſt elementa tunc generari, & prius tempore non præceſſiſſe, dum forma mixti permanebat, quia corruptio mixti non contingit ſine noua aliqua generatione, cum agens naturale per ſe corruptionem non intendat, ſed generationem. Ex hoc principio rationem conficio, qua non ſolùm ſatisfacio prædicto argumento, verum etiam oppoſitam ſententiam impugno. Quando corrumpitur forma mixti: verbi gratia, lignum, reſoluitur in quatuor elementa, vt in obiectione traditur, & nulla alia forma diſtincta à formis elementorum ſuccedit formæ mixti corruptæ; ergo formæ elementorum producuntur in illo inſtanti, in quo corrumpitur forma mixti, quia nunquam contigit corruptio formæ ſine noua alius productione, cum autem nulla appareat forma, quæ producatur cum corrumpitur mixti forma ſecundum doctrinam quam obiectio continet, neceſſum eſt aliquam elementarem formam produci, quod ſignum eſt non præceſſiſſe in mixto, quia ſi antea præceſſiſſet, non modo primo produceretur. Secundò forma mixti corrumpitur ex vi formæ exiſtentis in materia, quam informabat, in eodem inſtanti, in quo illa deſinit eſſe, ſed ſecundum hunc dicendi modum in materia mixti tantùm reperiuntur formæ elementorum in inſtanti, in quo forma mixti corrumpitur: ergo forma mixti incompoſſibilis eſt cum formis elementorum: ergo non potuit habere cum illis materiam communem, dum exiſtebat, quam ſi habuiſſet, nunquam expelleretur à materia ex vi illarum, non enim poteſt forma expelli in hoc inſtanti à materia ex vi alterius formæ, cum qua tempore præcedenti in eadem materia fuerat commorata. Ad illud quod dicitur debere contineri in toto illa, in quæ reſoluitur, Reſpondeo, reſolutionem poſſe fieri præciſè per ſeparationem extremorum, in quæ fit, vel per productionem illorum: cum fit præciſè per ſeparationem, neceſſum eſt præceſſiſſe extrema, in quæ fit reſolutio; quando verò fit per productionem illorum, neceſſum non eſt extrema præceſſiſſe in toto, ſeu in ente, quod reſoluitur.

15 Secundò Reſpondeo in combuſtione ligni, & ſic in corruptione omnium mixtorum, nõ reperiri reſolutionem in quatuor elementa factam, quia ſubſtantia aquoſa, quam ignis per extrema ligni extrahit, aqua non eſt, ſicuti non eſt aqua humor ille, qui virtute ignis ex floribus, herbiſque artificioſè exprimitur, ſed eſt humor quo arbor nutriebatur, vel quod verius iudico, eſt ſudor arboris, ſeu reſina aliuſve reſinaceus humor, qui in ligno includebatur, vel forſan, vt alij volunt erit aqua, quæ in poris ligni illiuſve foraminibus erat detenta, poſtquam pluuiarum vi intima ligni foramina penetrauerat. Cinis non eſt terræ elementum, ſed ſubſtantia terræ valde ſimilis, ſeu partes ligni, quæ virtute ignis corrumpi non potuerunt. Similiter fumus aer non eſt, ſed ſubſtantia alia aëri valde ſimilis, vel ligni particulæ, quæ præ nimia humiditate non potuerunt perfectè concoqui, & in ſubſtantiam perfectam ignis conuerti, ſeu in flammas accendi, ſic ſubſtantiæ ſunt magis fumoſæ, quò magis humidæ, & illæ, quæ ſunt nimis ſiccæ veluti carbo, parum, aut nihil fumi excitant.

Agunt tertiò Medici: Mixtio eſt elementorum vnio: 16
ergo in mixto reperiuntur elementa vnita. Rurſus in mixto reperiuntur qualitates elementorum: ergo reperiuntur elementorum formæ, quia qualitates elementorum nunquam non proprias eorumdem formas comitantur. Deinde ſi elementa dicuntur contineri in mixtis, ex eo tantùm, quod in his illorum qualitates contineantur vnum elementum in alio contineri dicetur, quia vnum elementum continet ſaltem in gradu remiſſo qualitatem, quam aliud continet in gradu ſummè intenſo. Vltimò in congreſſu elementorum, vel neutrum vincit, & ſic illorum quodlibet propriam retinet naturam, & mixti generatio non fiet, vel vincit vnum, quod ſic fiat, hoc vincens in propriam naturam alia elementa conuertet, & ſic non continget mixti generatio; vel omnia vincunt elementa, & ſic omnia propriam formam producent in materia, & fiet mixtum includens omnium elementorum formas. Reſpondeo, *ad primum*, elementa vniri in mixto non formaliter ratione formarum, ſed virtualiter ratione qualitatum, quia omnes qualitates quatuor elementorum in vnum mixtum confluunt, ea enim ratione, qua dicuntur elementa eſſe in mixto, dicuntur vniri in illo, vel vniri dicuntur, quia illorum materies, quæ diuiſæ erant in elementis, vniuntur in mixto, & vnam materiam efficiunt, eadem enim ratione, qua dicuntur elementa permanere in mixto, in illo vniri dicuntur, vt Puncto præcedenti dicebam. *Ad ſecundum* dico qualitates elementorum comitari proprias elementorum formas in illa intenſione, quam in eiſdem qualitatibus exigunt elementares formæ, in remiſſiori autem communes eſſe quibuſuis compoſitis. *Ad tertium* dico nullum elementum dici eſſe in alio quia nullum continet omnes qualitates, quas continet aliud. *Ad vltimum* dico in congreſſu elementorum nullum abſolutè vincere, ſed vinci omnia, quia corruptis omnium formis terra alia ab omnibus diſtincta ex illorum aſſurgit congreſſu.

PVNCTVM V.

De primis qualitatibus.

PRIMÆ qualitates dicuntur, *qua neque ex aliis, neque ex ſe mutuo, fiunt, ſed ex ipſis oriuntur cætera*, quæ 1
definitio tantùm poteſt comprehendere calorem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, & his omnibus competere ſi dantur certum eſt: competit definitio his qualitatibus, quia illarum nulla fit ex aliis qualitatibus, hoc eſt quia nulla reſultat ex commixtione aliarum qualitatum, hoc enim ſonat fieri ex aliis, non verò non produci ab alia, vel ab aliis qualitatibus, lux enim caloris eſt productiua iuxta vulgarem ſententiam, nihilominus calor qualitas prima dicitur, quia non fit ex temperatura aliarum qualitatum neque primarum, neque ſecundarum, & ſic frigiditas, humiditas, & ſiccitas. Inſuper ex harum qualitatum commiſtione fiunt omnes qualitates, quæ fiunt ex aliquarum attemperatione, calor enim, & ſapor, & aliæ huiuſmodi qualitates reſultant ex attemperatione, tum caloris, & frigiditatis, tum humiditatis, & ſiccitatis inter ſe, ita vt entitates in quibus hæc qualitas magis eminet, hic color magis eluceat, ſic nimis calida nimia afficiuntur nigredine. Conſiſtit ergo ratio primæ qualitatis in his duobus, videlicet in eo quod qualitates, quæ primæ dicuntur non fiant ex aliarum attẽperatione, & in eo quod reliquæ qualitates ex ipſarũ tẽperie reſultent. Sic lux prima non dicitur qualitas, quia licet non fiat ex

Digitized by Google

ex aliis qualitatibus, non tamen ex ipſa cum aliâ attemperata reſultat qualitas alia in eodem ſubiecto, in quo ipſa eſt. Similiter, etſi detur, colores medios reſultat ex commixtione colorum, qui ſummè opponuntur, & dicuntur extremi, nihilominus colores extremi primæ qualitates non dicuntur, quia ipſi ex commixtione aliarum qualitatum reſultant. Neque ideò propriè primæ qualitates non ſunt calor, & frigiditas, ſiccitas & humiditas, quia ex illis non oriuntur lux, ſonus, impulſus, & aliæ ſimiles, quia hæ qualitates, ex nullis aliis fiunt, & non eſt proprium primarum qualitatum, vt omnes qualitates, quæ primæ non ſunt ex illis fiant, ſed vt omnes qualitates, quæ fiunt ex commixtione aliarum, & ſecundæ dicuntur, fiant ex illis, quod conuenit quatuor qualitatibus aſſignatis reſpectu omnium, quas agnoſcimus deſeruientes ad generationem ſublunarium, in ordine ad quas, qualitates illæ definiuntur, & primæ dicuntur. Ex his inferes lucem, ſonum, impulſum, potentias vitales habitus intentionales, actuſque potentiarum non eſſe qualitates primas, neque ſecundas, non primæ quia ex illarum commixtione aliæ non reſultant in eodem ſubiecto: non ſecundæ quia huiuſmodi qualitates non reſultant ex aliarum commixtione.

2 Ex qualitatibus primis connumeratis calorem eſſe entitatem poſitiuam fatentur omnes, illiuſque actiuitas ſatis demonſtrat. Negarunt id frigori nonnulli aſſerentes eſſe priuationem caloris, errarunt tamen turpiter, quia frigus poſitiuè influit, & aliud frigus producit, quod experientia monſtrat, quando corpus frigidum alij corpori applicamus, ſtatim enim corpus applicatum frigiditatem concipit à corpore frigido progenitam. Neque corpus frigidum aliud frigefacit præciſè per negationem caloris, quia nullum agens immediatè negationem producit, & ita nuſquam poſſet ab agenti naturali frigiditas produci, neque deſtrui calor, cum nullum naturale agens ſit immediatè deſtructiuum alicuius entitatis, ſed tantùm deſtruat quatenus ponit entitatem incompoſſibilem cum deſtructa. Quod ſi dicas agens naturale producere qualitatem aliquam media qua deſtruatur calor, & illius ſuccedat negatio, quam tu frigiditatem appellas, non negationem illam, ſed entitatem poſitiuam, quam dicis principium eſſe talis negationis, frigiditatem appellare deberes, ſiquidem ſecundum hunc dicendi modum ſemper qualitas illa negationem comitaretur, meliuſque effectus poſitiuos quos in corpore frigido experimur qualitati poſitiuæ, quàm puræ negationi tribuuntur, in quibus præcipuus eſt ſenſatio, ſentimus enim corpus frigidum, & magis frigidum, non poſſumus autem ſenſu tactus negationem ſentire.

3 Alij apud Conimbric. quæſt. 2. art. 2. affirmant calorem, & frigiditatem eſſe entitates poſitiuas, humiditatem verò non eſſe qualitatem, ſed ſubſtantiam fluidam ſiccitatem verò huius ſubſtantiæ priuationem, hoc ſequutus eſt Arriaga diſput. 4. ſect. 2. ſubſect. 1. Communis tamen ſententia, fert humorem, & ſiccitatem eſſe qualitates poſitiuas ſubſtantiæ ſuperadditas, ita Conimbric. ſuprà, qui affirmant ſententiam hanc luculenter probatam fuiſſe à Plutarcho in libello de primo frigido, firmius huius ſententiæ fundamentum mihi eſt omnium Philoſophorum conſenſus, in quibus præcipuè Medici dari has qualitates acerrimè defendunt. De mente Ariſtot. dubitari non licet, ſæpe enim de his qualitatibus agit multis in locis præcipuè lib. 2. de generatione per totum, maximè capite 2. vbi illas definit. Accedit communi Doctorum conſenſui experientia, qua tactu has qualitates ſentimus cum enim veſtes aliave corpora tangimus, ſentimus humiditatem & ſiccitatem &, dicimus, corpus hoc eſt humidum, vel ſiccum. Dari has ſenſationes, quibus dicimus ſentire humiditatem & ſiccitatem nullus ſenſatus negabit, poterit tamen dici tunc non ſentiri ſpeciales qualitates, ſed ſubſtantiam ipſam aliaſve qualitates communes, neutrum autem verè dici ſic probo. In eodem corpore modo calido, modo frigido ſentimus humiditatem, & ſiccitatem, quantumuis enim lapis calefiat, aut frigefiat ſenſu tactus illius ſiccitatem percipimus, & quantumuis calida frigidave qualitas ſit illius humiditas tactu percipitur: ergo illud quod tangimus cum dicimus tangere humiditatem, & ſiccitatem, non eſt calor, aut frigiditas: ergo non eſt qualitas aliqua diſtincta ab ſpeciali humiditate, & ſiccitate, nulla enim apparet cui poſſit ſenſatio iſta ſpecialiter tribui. Secundò cum medicus tangit carnes infirmi iam diu putrida febri laborantis, in quacumque intenſione aut remiſſione calorem, & frigiditatem habeant, antequã pulſum attrectet, illiuſque gradus nouerit, ſæpè grauitatem morbi cognoſcit ex ſiccitate, quam tangit in carnibus: ergo tunc non tantum tangit calorem aut frigiditatem, vt contendit Arriaga, ſed aliquid aliud, ſiquidem in eiſdem carnibus diuerſo calore, & frigore affectis eamdem ſemper ſiccitatem præſentit. Confirmatur: ſenſus tactus diſcernit inter ſubſtantias, quas vocamus humidas, & inter illas, quas ſiccas appellamus, quam diſcretionem non facit ſenſus viſus, non enim ex viſu poterimus comparare notitiam, qua dicamus, corpus hoc eſt frigidum, vel humidum, quam ſenſu tactus percipimus, cum enim ſcire volumus, an veſtis ſit humida, vel ſicca, non illam oculis inſpicimus, ſed manu tangimus: ergo hoc per quod ſubſtantia conſtituitur humida, ſeu per quod habet illud, ratione cuius humida dicitur, ſiue ſit accidens ſpeciale diſtinctum, ſiue ipſamet fluida ſubſtantia, tactu percipitur. Sed ſubſtantia ipſa in ſe ipſa immediatè non ſentitur: ergo ſubſtantia non dicitur humida per ſe ipſam, ſed per aliquid ſuperadditum. Confirmatur: fluxum ſubſtantiæ ex quo fluidam eſſe cognoſcimus, potiùs viſiua potentia, quam tactiua percipimus: ergo id quod ſentimus, cum dicimus ſubſtantiam eſſe humidam, non eſt ſubſtantia eſſe fluidam, ſeu ſubſtantiam poſſe fluere: ergo ſentimus qualitatem aliquam ſuperadditam illi inhærentem. Idem argumentum conficio de ſenſatione tactus, qua dicimus ſiccitatem ſentire, illa enim non tangitur negatio fluxibilitatis, neque aliqua durities, ſeu conſiſtentia partium oppoſita aptitudini ad fluendum, in lapide enim, qui neutiquam fluere poteſt humiditatem ſentimus: ergo ſentitur qualitas ſubſtantiæ ſuperaddita, quæ humiditas dicitur. Eamdem concluſionem multi probant ex virtute actiua vtriuſque qualitatis, verumtamen adeò exilis eſt hæc virtus, vt ægrè poſſit aliquid ex illa nobis innoteſcere, & ſat erit defendere contra ſententiam oppoſitam talem virtutem ineſſe his accidentibus.

Obiicies, humorem, & ſiccitatem non ſentiri per ſe, 4
ſeu ratione caloris, aut frigiditatis, nullumque ſtare fundamentum ad has qualitates ſuperadditas concedendas, & ita eſſe denegandas. Reſpondeo rem maturè inſpicienti grauiſſimum fundamentum eſſe authoritatem omnium Doctorum aſſerentium dari has qualitates, & ſenſu percipi tactus, nullamque rationem poſitiuam pro oppoſita ſententia inuentam fuiſſe. Inſuper Reſpondeo falſum eſſe has qualitates tantùm ſentiri ratione frigiditatis, aut caloris, oſtendit enim manifeſta experientia præter calorem, & frigiditatem, aliquid aliud percipi ſenſu tactus, cum dicimus corpus ſiccum, vel humidum tangere, quod humiditatem, & ſiccitatem qualitates diſtinctas à ſubſtantia tota appellauit ſchola.

Secundò obiicit Arriaga, humiditatem non poſſe aliud 5
corpus humectare, niſi per ingreſſum ſubſtantiæ fluidæ, quia ſi inter ipſum, & Oceani aquã & vitrum leue poneretur, per quod non poſſet aqua permeare in æternum non humectaretur. Ex quatuor primis qualitatibus Ariſtoteles calorem, & frigiditatem qualitates actiuas appellauit; paſſiuas verò humiditatem, & ſiccitatem, qua occaſione tractant Doctores, an humiditas, & ſiccitas virtutem habeant ad producendas ſimiles qualitates, de qua re multa ſcribunt Medici, legatur Petrus Garcia ſuprà. Ex his deduces, quod etiamſi humiditas humiditatem producere non poſſet, non ideò negandam eſſe hanc qualitatem, poſſet enim dari ſine virtute actiua producendi ſimilem effectum, ſicuti datur calor, qui ſimilem calorem producere non valet. Affirmo tamen cum ferè omnium ſententia has qualitates habere virtutem actiuam producendi aliam ſibi ſimilem qualitatem, & tantùm paſſiuas dici, quia illarum actiua virtus nimis debilis eſt. Neque audebit Arriaga experiri, quod tanquam certum ſupponit, quod certè ſine graui ſui detrimento non præſtaret, exiſtimo enim prædicta experientia tantam Arriagam ſenſurum humiditatem, vt magis eam à ſe curaret expellere, quam nunc à Philoſophia. Sentio ergo prædicto caſu hominem valde humectandum eſſe; quod quiſque experietur, ſi in terra aqua delibuta vitrum ponat, & ſuprà illud corpus aliud humiditatis capax, quod valde humidum inueniet, & magis humidum verſus partes illas, quæ vitrum immediatè tangunt, quod ſignum eſt corpus illum non humectari tantùm ab aëre,

Digitized by Google

aëre, quia hic minus tangit partes immediatas vitro, quam alias ſuperiores, quæ aëre cinguntur, nullo alio corpore impediente. Similiter negandum eſt quod ſupponit Arriaga merces in naui non humectari aëre non ingredienti, quod falſum eſſe deprehendet, quicunque ſimul tangeret merces, quæ diu per mare vectæ fuére, & alias quæ loco ſicco fuiſſent aſſeruatæ, monſtrat etiam humiditatem concipere omnia, quæ in locis humidis reponuntur, odor illis adiunctus, qui ex humiditate eiſdem adueniente reſultat.

6 Partes Conimbric. quæſt. 3. art. 1. definitiones omnium qualitatum ex Ariſtot. referunt, ex quo per concretum ſic calor definitur. Calidum eſt, *quod ea congregat, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei*, hoc apparet in igne, qui aurum cum aliis metallis permixtum purgat ab illis, & partes auri diuiſas interpoſitione aliorum metallorum in vnum congerit, & inter ſe vnit. Deinde duæ partes ceræ diuiſæ calore rareſiunt, & vniuntur: idem dicito de duabus denſatis, quæ vniri nequeunt, ſoluuntur autem, & vnitur calore. Neque contra hanc definitionem eſt, calorem extendere corpora calida per rarefactionem, quæ in noſtra ſententia cum diuiſione rari corporis contingit, quia diuiſiones in rarefactione factæ ſenſibus imperceptibiles ſunt, & vniones ſupradictæ ſunt valde ſenſibiles, & ita calor per ordinem ad vniones ſenſibus perceptibiles definitur, nulla habita ratione diuiſionum inſenſibilium, quæ occaſione caloris aliquando in rarefactione contingunt. Poſſet etiam dici in rarefactione vi caloris tantùm contingere dilatationem, & ſeparationem localem partium, quæ diuiſa ſupponuntur, & nullam nouam diuiſionem contingere. Deinde calor aliquando vas vitreum frangit, aliquandoque calore diuiduntur ea, quæ ſunt eiuſdem generis, vt ſi vinum congelatum, & aqua congelata, quæ ſeparata ſunt applicentur igni mutua diuiſione intermiſcentur partes vini & aquæ; nihilominus dicendum eſt Ariſtotelis definitionem ſubſiſtere, & explicanda proprietas illa congregandi illa, quæ ſunt eiuſdem generis de calore intenſo intra latitudinem proprij tempeamenti formæ vniendæ, non verò de calore ita intenſo, vt deſtruat temperamentum & formam corrumpat, & hac ratione reſpondetur ad difficultatem petitam ex vaſis confractione. Ad aliam de aqua, & vino congelatis quæ vi caloris miſcentur, dicendum eſt Ariſtotelem definiiſſe calorem ſecundum effectum, quem communiter, & frequentius habet, licet aliquando oppoſitum ſortiatur.

7 Hæc ad explicandam vulgarem definitionem, quam tradidit Ariſt. non animo definiendi naturam huius qualitatis per proprium genus, & ſtrictam differentiam, ſed illam quomodolibet explicandi deſcriptione quadam accommodatâ his quæ ſenſibus percipimus, eademque latitudine accipiendæ ſunt definitiones reliquarum qualitatum, quas iam ſubiicio.

Humidû definitur, *quod difficile proprio termino terminatur facile verò alieno*, quod conuenit aëri, & aquæ, quæ propriis terminis contineri non poſſunt, facilè enim ex omni parte labuntur; haud difficile autem alienis intra vas, vel intra quodcunque corpus aliud coërcentur. Quod autem aër aliquando velociſſimè creatur, & mare rapidiſſime concitetur, prouenit ab extrinſecis Lunæ aliorumve aſtrorum influxibus, ex ſe enim aqua debili compeſcitur termino, & aër ſubtiliſſimâ araneæ telulâ clauditur.

8 Siccum definit Ariſt. *quod facile proprio termino, difficile alieno terminatur*, vt patet in terra, & in aliis corporibus, quæ intra proprios terminos continentur, neq; facile hinc inde labuntur, difficiléque alienis terminis valent contineri, quia propriis contenti externis contineri non poſſunt, neque obſtat ignem ſua voracitate materiam ſibi proximam depaſcere, ac in propriam ignis naturam contigua corpora conuertere, quia hoc non eſt non contineri propriis terminis, ſed illos extendere, maioreſque acquirere nouæ ſubſtantiæ antiquæ vnitæ acquiſitione. Neque ex eo quod ignis leuis ſit, & facile moueatur, dici poteſt propriis terminis non contineri, quia ſemper propriis terminis mouetur; illud enim tantùm dicitur non propriis terminis contentum quod per ſui diuiſionem nullo impetente contrario facile diſſipatur, ac in diuerſas partes dilabitur. Ex hoc inferes lapidem papyro inuolutum non contineri papyri terminis, continentia de qua Ariſtot. egit in his definitionibus. Quia etſi papyro aliove corpore commoto lapis in terram decideret, non tamen diſſiparetur ſecundum partes, neque in diuiſa ſpatij latera, partes lapidis diſſipatæ laberentur, ſed omnes ſeruata eadem formali proportione approximationis, quam inter ſe antea habebant in terram deciderent, in qua proportione conſiſtit continentia, de qua loquitur Ariſtot. quamque habent aër, & aqua ratione termini extrinſeci, quia amotis lateribus vaſis continentis aquam, aqua dilaberetur illiuſque partes mouerentur non ſeruatâ proportione formalis approximationis, quam inter ſe habebant, quapropter dum cum eadem proportione intra vas mouentur, hanc tribuimus terminis extrinſecis vaſis compeſcentibus partes aquæ, ne dilabantur, & non naturæ eiuſdem aquæ continentis ſe propriis terminis.

Hic inquiri ſolet an qualitates ſymbolæ inter ſe ſpecie diſtinguantur, vel non. Qualitates ſymbolæ dicuntur, quæ eodem nomine diuerſis in ſpecie ſubiectis gaudent, verbi gratia, calor ignis, & calor aëris, elementaris calor & calor à ſole productus. Affirmant aliqui calorem cæleſtem, hoc eſt fluentem à corporibus cæleſtibus ſpecie diſtingui à calore elementari, & vitali, Alij calorem vitalem à reliquis omnibus, quos putant eſſe eiuſdem ſpeciei, ſpecie diſtinguũt. Quæſtionem hanc prolixè ſatis Medici tractant, apud quos longas diſputationes inuenio, nihil tamen reperio, quod adhuc mediocri diſputationi materiam præbeat, ideo affirmo breuiſſimè calores omnes, quos huc vſque experti ſumus in quibuſcumque ſubiectis exiſtentes (idem dico de frigiditate, & aliis qualitatibus) eſſe eiuſdem ſpeciei. His moueor: Calores omnes ad inuicem intenduntur, verbi gratia, calor ignis, ſeu productus ab igne intendit calorem productum à Sole, vterque calor intendit calorem productum à Sole, vterque calor intendit calorem natiuum viuentis, ergo omnes hi calores ſunt eiſdem ſpeciei. Antecedẽs monſtrat experientia; conſequentia eſt bona, quia qualitates inter ſe ſpecie diſtinctæ non intenduntur. Secundò: omnes calores à quocumque principio producti eodem omnino modo immutant ſenſus, & ſenſationes eiuſdem ſpeciei, & omnino ſimiles producunt: ergo omnes ſunt eiuſdem ſpeciei. Tertiò, frigiditas ſiue producta ab aqua, ſiue ab alio quocumque principio eodem modo expellit calorem vitalem, mentalem, & cæleſtem: ergo nullum ſupereſt principium, ex quo poſſimus qualitates ſymbolas comitantes ſubiecta ſpecie diſtincta ſecundùm ſpeciem diſtinguere. Confirmatur, & hæc ſit quarta ratio huius concluſionis. Diuerſitas principiorum, etſi diſtinctionem arguat actionum, quæ per ſe ipſas ſunt connexæ cum principiis, & non ſunt indifferentes, vt procedant ab hoc principio, vel ab illo, diuerſitatem effectuum non arguit, cum enim effectus non dependeat per ſe ipſum à principio, ſed per cauſalitatem ſuperadditam poteſt eſſe indifferens, vt dependeat ab hoc vel illo principio ſpecie diſtincto: ergo ex diſtinctione ſpecifica principiorum non infertur diſtinctio ſpecifica qualitatum: ergo nullum eſt fundamentum ad multiplicandas ſpecies quantitatum pro multiplicatione ſubiectorum ſpecie diſſidentium, cum totum principium diſtinctionis qualitatum ex diſtinctione principiorum deſumendum eſſet, nullum enim aliud ſupereſt ad illas diſtinguendas: ergo fingenda non eſt talis diſtinctio abſque aliquo probabili fundamento. 9

Obiic. Calor febrilis extinguit calorem naturalem: ergo non eſt eiuſdem ſpeciei cum illo. Reſp. calorem febrilem non ſemper extinguere calorem naturalem, ſed illum intendere, quæ intenſio ſubiecto eſt valde nociua; aliquando illum extinguere non immediatè, ſed diſſipando, & corrumpendo partes, in quibus ſubiectatur, quibus corruptis corrumpitur calor illis inhærens, eodem modo ignis fornacis extinguit lucernæ ignem attenuando aërem, qua attenuatione ſubtiliſſimus redditur, & valde aptus motui, quo motu diſſipatur flammea illa materia, in qua erat forma ignis, quæ valde diuiſa faciliimè extinguitur, ægréque conſeruatur, aut ob materiæ paruitatem non percipitur, aut non diſcernitur à reliqua luce, quam per medium alius ingens ignis effundit. Si adhuc audire cupias rationes aliquas leuis momenti, quibus nonnulli qualitates omnes pro diſtinctione ſpecifica ſubiectorum ſpecie diſtinguunt, conſule Petrum Garciam ſuper Fen. 1. lib. 1. diſput. 4. cap. 15. vbi illas refert, & refellit. 10

PVNCTVM

PVNCTVM VI.

Qualitates per ſingula diſtribuuntur elementa.

1 CAlorem in ſummo igni competere ſatis euincitur ex nimio calore, quem recipit corpus igni applicatum, & ex vehementis caloris ſenſatione, quam attacto igne experimur, inſuper tria alia elementa non habent ſummum calorem: ergo ſummus calor conuenit igni, oportet enim quamlibet qualitatem habere proprium ſubiectum, cui in ſummo gradu inhæreat. Concluſio hæc certa eſt apud authores, leges plurimos apud Conimbric. quæſt. 4. art. 1. Terram eſſe ſummè ſiccam communis Philoſophorum Medicorumque fert opinio, quod facer textus innuere videtur Geneſ. 1. vbi terra arida vocatur, quaſi antonomaſticè, quia inter omnia elementa eſt ſummè arida, hoc eſt ſummè ſicca. Sic etiam elementorum ordo expoſtulare videtur, aër enim, & aqua nihil ſiccitatis habent, ignis licet ſiccitatem contineat non ſummam, ac proinde tantùm terra ſupereſt, quæ ſit proprium ſiccitatis domicilium, vbi ſecundùm ſuam totam inſideat intenſionem: loquimur cum omnibus authoribus in hac ſententia non de ſumma intenſione, quæ ſupernaturaliter poteſt qualitati contingere, quia hæc nullis clauditur terminis, vt dictum eſt, ſed de illa, quæ naturaliter poteſt reperiri in qualitate ordinata ad formam ſubſtantialem ſecundum totam intenſionem, quam continet.

2 Maior difficultas eſt de humiditate, & frigiditate quomodo inter aërem, & aquam diſtribuantur. Galenus lib. 1. de elementis cap. 3. & lib. 1. de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite 8. & clariùs cap. 32. & alij apud Conimbric. art. 1. affirmant aërem eſſe ſummè frigidum quam ſententiam tenet Arriaga, qui cum neget dari ſiccitatem, & humiditatem duabus aliis qualitatibus, debet quatuor elementa componere, aliaſque elementorum naturas meditari ab his, quas tota hucuſque cognouit ſchola.

3 Veriorem puto opinionem aſſerentium aërem eſſe ſummè humidum, hæc eſt expreſſa Ariſtotelis multis in locis præcipuè 2. de Generat. cap. 3. text. 123. his verbis: *Sed tamen ſimpliciter quatuor exiſtentia vnus vnumque eſt: terra enim ſicci magis quàm frigidi, aqua autē frigidi, magis quàm humidi aer autem humidi magis quam calidi, ignis autem calidi magis quàm ſicci.* Idem teſtatur cap. 8. text. 49. quibus verbis Ariſtot. omnibus elementis qualitates omnes aſſignauit, quibus in ſummum, & prope ſummum gaudent, quem in omnibus ſequar, in his enim quæ coniecturis, rationibuſque vtrimque æquè incertis aguntur, plurimum opinionibus defert authoritas, præcipuè Ariſtotelica, quæ in rebus purè philoſophicis magni ſemper habenda eſt præferendaque aliquorum Philoſophorum authoritati. Sententiam hanc defendunt Patres Conimbric. & alij plurimi apud illos, quos ſequuti ſunt, Pater Rub. lib. 2. de Generat. c. 3. q. 9. P. Hurtado diſp. 6. ſect. 4. Probatur concluſio: humidum ex Ariſtot. lib. 1. cap. 2. *eſt illud, quod non bene proprio termino ſed alio terminatur.* Sed hæc definitio præ omnibus elementis competit aëri: ergo aër quodcunque aliud elementum exuperat humiditate. Maior continet definitionem humidi ab Ariſtot. traditam, & à reliquis philoſophis admiſſam. Minorem oſtendit manifeſta experientia, faciliùs enim aër continetur intra telulam valde tenuem, quam aqua, de qua in præſenti tantùm eſt quæſtio an humiditate aërem vincat, in igne enim, & aëre humiditatem non vigere certo certius eſt. Secundò: aqua, vt modo probabo eſt ſumme frigida: ergo tantùm aer poteſt habere humiditatem in ſummo. Tertiò: hoc modo congruè diſponuntur elementa, non enim duo contraria videlicet ſummè calidum, & ſummè frigidum immediatè collocantur, ſed inter vtrumque medium aliud, humidum videlicet conſtituitur.

4 Auicenna, Albert. & alij apud Conimbric. art. 2. exiſtimarunt aquam eſſe ſummè frigidam, verior tamen & Peripatetica ſententia, vt conſtat ex verbis Ariſtotelis num. 3. relatis, docēt aquam eſſe ſummè frigidam. Illam defendunt plures Philoſophi, atque Theologi apud Conimbricenſes ſuprà, & ex Patribus, Ambroſius in exam. lib 4. cap. 4. Baſil. homil. 4. in Geneſ. Damaſc. in ſuis Phyſicis cap. 12. Suadet hanc concluſionem nimia inimicitia, quæ intercedit inter ignem, & aquam, quæ ſignificatur in lib. Iob. cap. 4. per illa verba: *ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuis*, vbi nimio calori frigiditas aquæ opponitur, ex quo infertur frigiditatem aquæ ſummam eſſe, ſummo enim calori ſumma frigiditas opponenda erat. Deinde nullum elementum citiùs deperditam frigiditatem recuperat, quàm aqua, neque vllum reperitur, quod æquè corpus contiguum frigefaciat: ergo inter omnia elementa aquæ competit ſumma frigiditas, ſummaque propenſio ad frigiditatem producendam. His accedit, inter omnia animalia aquatilia eſſe frigidiora vt teſtatur Ariſtot. lib. 2. de reſpirat. c. 6. quapropter vt plurimùm ſunt exanguia, vel parum ſanguinis habent, & ideò oportuit illis ad propriam habitationem elementum omnium frigidiſſimum eſſe impertitum, illorúmque frigiditas excedens reliquorum animalium frigiditatem, non leuis eſt coniectura ad inferendum à poſteriori, illorum elementum, cuius qualitates præcipuè ebibunt, reliqua omnia frigiditate antecellere. Oportuit etiam terram, & aërem non habere ſummam frigiditatem, quia terra facta fuit ad habitationem animalium terreſtrium, & aër ad reſpirationis vſum eis datur, quibus frigiditas eſt valde nociua, magnúmque nocumentum reciperent, ſi terram ſummè frigidam colerent, maximúmque ſi aëre nimis frigido ad reſpirandum vterentur.

Præter qualitatem cuilibet elemento aſſignatam, neceſſum eſt aliam conſtituere, quæ iam aſſignatam comitetur, 5
ita exigente naturæ ordine, quo omnia elementa concordem diſcordiam habent, itaque quodlibet elementum alij vicino ſecundùm quamdam qualitatem inimicat, & ſecundùm aliam amica cognitione conuenit, & hoc qualitatum ordine habetur ratio concordiæ, dignitatis, & conſeruationis elementorum. Concordiæ in qualitate ſymbola, dignitatis in qualitate excellentiori, præcellens enim elementum præcellenti qualitate gaudet ſummè intenſa; conſeruationis, quia concordia, & pax perennitatis parens eſt, hacque potiuntur elementa ſecundùm vnam qualitatem & ſecundam aliam habent diſconuenientiam, quæ valdè neceſſaria eſt ad perpetuam elementorum totiúſque vniuerſi conſeruationem, quæ perſiſtere non poteſt ſine frequenti generatione, & hæc nonniſi inter contraria poteſt contingere. Id etiam ſuadet experientia, qua videmus ignē non ſolùm calefacere, ſed etiam exſiccare, & aquam non ſolùm frigefacere, ſed etiam humectare: ſed non leuis eſt difficultas in diſpenſatione harum qualitatum, & in modo quo quælibet illarum proprio ſit tribuenda elemento.

Ignem præter calorem ſiccitatem includere certum eſt, 6
nullus enim dicet ignem humidum eſſe, frigiditas verò calori opponitur: alia ergo qualitas non ſupereſt, quæ poſſit in igne calorem comitari. Summam aëris humiditatem ſecum frigiditatem habere Stoici defendunt. Peripatetici verò Ariſtotele duce tuentur aërem præter ſummam humiditatem calorem continere. Aſſentior his, propter authoritatem Ariſtotelis, & rationes, quas iam ſubiicio. Leuitas eſt comes ſignumque caloris, ſed aër eſt leuis: ergo calidus. Secundò nimio calore aqua in aërem conuertitur, & nuſquam frigiditate: ergo calor, & non frigiditas humiditatem aëris comitatur, nulla enim ſubſtantia gignitur qualitate oppoſita proprio temperamento, ſeu propriis qualitatibus. Inſuper aër in ſubterraneis nimio frigore corrumpitur: ergo non eſt natura ſua frigidus, frigidum enim non frigido corrūpitur, ſed calido. Rurſus ſubſtātiæ aëreæ, ſicuti mel & oleum, ſunt calidæ, & non frigidæ: ergo aer cui hæ ſubſtantiæ ſunt cognatæ, non eſt frigidus ſed calidus. Vltimò ſi aer eſſet humidus, & frigidus, nullā cognationem haberet cum igne ſibi vicino, ac proinde totus elementaris deſtrueretur ordo. Aquam præter frigiditatem humorē habere monſtrat notiſſima experientia, in nullo enim elemento ita ſentimus humiditatem ſicut in aqua. Reſtat modò vt ſummæ terræ ſiccitati frigiditas copuletur vt omnia elemēta qualitatem ſymbolā habeant cum elemento ſibi vicino, ignis enim eſt ſummè calidus, & ſiccus, aer ſummè humidus & calidus, aqua ſummè frigida & humida, & terra ſummè ſicca, & frigida. Ignis conuenit cum aëre in calore, & illi opponitur in ſiccitate, aer conuenit cum aqua in humore, & in calore diſſentit: aqua eſt terræ ſimilis in frigiditate & in humore diſſimilis, terra cum igne ſiccitate componitur, & frigiditate opponitur. Ignis & aqua ſecundùm omnes qualitates opponuntur ſicuti aer & terra, quapropter hæc elementa diſſymbola appellantur; ſymbola verò ignis cum

Digitized by Google

cum aër, aër cum aqua, aqua cum terra, terra cum igne, vnde quodlibet elementum duo alia habet ſymbola, & vnum diſſymbolum.

7 Vtramque qualitatem cuilibet elemento aſſignatam in ſummo gradu illi competere docuere Nanphus lib. 2. de ger.comm. 28. q. 4. & Aquilinus, ſequutus eſt Peramatus lib. de elementis cap. 8. Sententiam oppoſitam videlicet vnicam tantùm qualitatem elementis in ſummo gradu competere, & aliam, illam videlicet quam ſecundo loco aſſignauimus prope ſummum competere, tenet communis ſententia omnium ferè Philoſophorum, & Theologorum & ex Patribus docent illam Ambroſ. libr. 4. exam. Baſil. homil. 4. in Geneſ. Damaſc. in ſuis commentariis Phyſicis, tradit illam expreſsè Ariſtotelis teſtimonio n. 3. relato. Rationibus ſic probatur. Aër non ita facilè corrumpitur deficiente calore, quàm deficiente humiditate, & facilius cum frigiditate, quàm cum ſiccitate componitur: ergo magis retinet humoris quam caloris. Idem patet in terra quæ multum caloris abſque ſui corruptione, & valde parum humiditatis admittit: ergo maiorem ſiccitatem habet ſibi connexam, quàm frigiditatem. Rurſus ignis magis calefacit quàm aër: ergo aër habet remiſſiorem calorem, quam habet ignis: ergo non habet calorem in ſummo. Scio facilè poſſe has omnes rationes ſolui, neque in re alicuius momenti ſine maiori examine illarum aliquam admitterem, neque proponerem, in re autem incerta, cui communis conſenſus ſcholæ patrocinatur, hæ coniecturæ ſufficiant.

8 Difficultas eſt an elementa qualitates has quas non in ſummo, ſed prope ſummum continent, contrariis habeant admixtas. An ignis videlicet, qui ſex gradus ſiccitatis, continet duos alios humiditatis habeat. Negant aliqui, quia ſequeretur ignem, & aquam eſſe elementa ſymbola, conueniret enim humore. Negabo conſequentiam, non enim conuenientia in quocumque gradu remiſſo ſufficit vt elementa ſymbola dicantur. Arguit ſecundò ſequi ex hac admixtione qualitatum contrariarum elementa eſſe mixta. Eodem modo conſequentiam negabo, quia mixta tantummodo dicuntur illa, quæ habent quatuor qualitatum temperamentum. Arguunt tertiò: ſi ignis haberet duos gradus humiditatis ſummo calore deſtruendos eſſe: ergo illos non habet. Nego antecedens, quia humor ſiccitate non calore pellitur à ſubiecto, neque ſiccitas non ſumma humoris valde remiſſo opponitur. Tandem probant ſuam ſententiam, quia ignis non dicitur humidus, & Ariſtoteles duas tantùm qualitates in quolibet elemento conſtituit. Reſpondeo ignem non dicendum eſſe humidum à duobus gradibus humiditatis, etiamſi illos contineret cum longè plures ſiccitatis contineat, ſicuti non vocamus calidam aquam, quæ apud nos eſt, etiamſi aliquem gradum caloris contineat, quia frigiditas eſt, quæ magis viget in aqua, & quæ propria ſenſatione ſenſationem caloris nimis remiſſi abſorbet, eadem ratione. Reſpondeo Ariſtotelem tantùm aſſignaſſe duplicem qualitatem cuicunque elemento, quia de alia vtpote nimis remiſſa rationem non habuit.

9 Patres Conimbr. cum pleriſque Nominalibus affirmant q. 3. art. 4. in elementis has qualitates non ſummè intenſas contrariis eſſe admixtas. Probant hanc concluſionem, quia tota latitudo primarum qualitatum ſemper eſt expleta in omni ſubiecto. Reſpondeo negando in elementis expleri hanc qualitatum capacitatem ad ipſorum exigentiam, ex mixtis enim ad elementa argumentum deſumi nequit, quia mixta exigunt temperamentum primarum qualitatum, ac proinde defectus vnius qualitatis qualitate oppoſita expletur. Arguunt ſecundò ſequi illam qualitatem, quæ eſt in excellenti gradu, non tamen in ſummo poſſe intendi in inſtanti vſque ad ſummum, cum nullum ſit contrarium, à quo retardetur eius intenſio. Fatentur Patres Conimbric. hanc rationem tantùm valere apud illos, qui cenſent totam rationem ſucceſſionis eſſe reſiſtentiam contrarij, ſed apud illos nullum erit abſurdum ſequelam admittere, ac proinde apud nullos argumentum quidquam valebit. Rurſus inſtant: cum ex aqua gignitur ignis, frigus aquæ paulatim expellitur: ergo calor non introducitur in inſtanti. Reſpondeo dato quocumque elemento cum qualitate propè ſummum: v.g. vt ſex, duos gradus oppoſitæ qualitatis in inſtanti introduci, quia qualitas præexiſtens non illis reſiſtit, reliquos verò gradus ſucceſſiuè introduci.

10 Ex his conſtat nullam ex his ſententiis firmo aliquo niti fundamento, ac proinde neutram illarum poſſe efficaciter probari, poſſet tamen dici cum Hurtado diſp. 6. ſect 5. has qualitates non eſſe contrariis permixtas, quia hoc modo elementa ſimpliciora conſtituuntur. Deinde quia qualitates illæ remiſſæ inutiles eſſent, quid enim duo humiditatis gradus igni præſtare poſſunt? & hic dicendi modus videtur magis ad Philoſophi mentem, qui duplicem tantùm qualitatem cuilibet deſignauit elemento.

Contra diſtributionem qualitatum factam nonnulla fiunt argumenta non magni momenti, referam præcipua quorum ſolutionibus alia eiſdem ſimilia ſolui poterunt. 11

Obiicitur primò: contra concluſionem, qua diximus aërem eſſe ſummè humidum: qua magis humectat corpus quàm aër: ergo aqua eſt magis humida aere: vulgaris eſt ſolutio aquam magis humectare propter maiorem denſitatem, cui non diſſentior, aër enim quàm pluribus interſecatur corpuſculis, quæ ad ſolis radios viſui apparent, & minoribus aliis, quæ ob nimiam paruitatem non videntur, ratione quorum minus agit, quàm ageret, ſi omnes ſui partes eſſent vnitæ illiſque & non peregrinis corpuſculis repleretur ſpatium. Secundò Reſponderi poſſet antecedens non eſſe omnino certum, licet enim videatur corpus magis humectari attactu aquæ, quàm aëris, forſan non eſt, quia maiorem humiditatem in ſe recipiat, ſed quia aquæ attactu magis aquæ corpori adhæret, quam eiuſdem aëris attactu; & ita humiditas aquæ cum corporis humiditate confunditur, ſenſuíque eadem videtur. 12

Obiicitur ſecundò contra eandem concluſionem: aër exſiccat alia corpora: ergo non eſt humidus. Reſpondeo aërem non exſiccare alia corpora per ſe producendo ſiccitatem, ſed per accidens, quia illius attactus partes aquæ in veſtibus contentas percutit, & localiter mouet, ſeparatque à veſtibus, quibus ſeparatis veſtes humiditatem aquæ intra ſe non continent, ratione cuius humidiores apparebant, eiuſdemque actiuitate verè humectabantur, ſimiliter aër peregrino frigore ſtringit corpora, & partes fluidas ab illis expellit, quo magis ſicca apparent. 13

Obiicitur tertiò contra concluſionem, qua diximus aërem calorem continere, aërem in regione media eſſe valde frigidum. Reſpondeo aërem natura ſua eſſe valde obnoxium peregrinis impreſſionibus, ac proinde noctu, & hyeme recedente Sole frigiditatem recipere ab aqua, & terra, & à cœleſtibus influxibus, vaporibus, & exhalationibus, quæ tunc natiuæ ſuæ frigiditati reſtituuntur ſole non impediente: in regione verò media aër eſt magis frigidus, quam in ſumma, neque in infima, quia in ſumma natiua virtute, & igne vicino magnum calorem concipit, in infima reflexione Solis calefit; in media verò his caret adminiculis, ac proinde agentibus extrinſecis modo aſſignatis frigeſit, & non poteſt natiuum tueri calorem. 14

Obiicitur quartò: contra eandem concluſionem: Aër calorem hominis attemperat, & frigiditatem producit: ergo non eſt calidus, ſed frigidus. Reſpondeo, aërem aliquando eſſe frigidiorem homine, non quia natiua ſua virtute frigidus ſit, ſed quia ab agentibus extrinſecis extraneam concipit frigiditatem. 15

Obiicitur quintò: Oleum eſt natura ſua aëreum, & facilius in hyeme condenſatur, quàm aqua: ergo frigidius eſt aqua. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia condenſatio non tantùm prouenit ex frigiditate, ſed etiam ex aliis qualitatibus, & ex natura eiuſdem ſubſtantiæ, & ita poteſt oleum natura ſua calidum condenſari facilius, quàm aqua natura ſua frigida, quia ex aliis capitibus aptius eſt ad condenſationem. Eadem ratione reſpondendum eſt ſi obiiciatur aquam perpetuo denſam eſſe futuram, ſi ſummam frigiditatem contineret. 16

Vltimò obiicitur contra concluſionem, qua diximus terram eſſe ſiccam in ſummo, & frigidam prope ſummum. Terra eſt ſummè grauis: ergo ſummè opponitur in grauitate cum igne ſummè leui: ergo eandem oppoſitionem habet in aliis primis qualitatibus: ſed ignis habet ſummum calorem, & propè ſummam ſiccitatem: ergo terra habet ſummam frigiditatem, & propè ſummam humiditatem. Reſpondeo negando ſecundam conſequentiam, non enim ex eo, quod ignis, & terra ſummè opponantur in grauitate, & leuitate, infertur ſummè opponi in calore, & frigore, quia licet calor ex ſe leuitatem comitetur, & grauitatem frigiditas, ſunt aliæ plurimæ qualitates conducentes ad grauitatem, & leuitatem, quibus exceſſus frigiditatis vel calor compenſabitur. 17

Digitized by Google

PVNCTVM VII.

De grauitate, & leuitate.

§. I.

Aliorum placita.

1 GRauitas, & leuitas affectiones ſunt, quæ præcipuè elementa comitantur, ideo illius notitia ad perfectam elementorum cognitionem ſpectat: *grauitas eſt principium intrinſecum motus deorſum, identificatum cum mobili, vel præ ſe ab intrinſeco procedens.* Leuitas verò *principium intrinſecum motus ſurſum, identificatum cum mobili, vel per ſe ab intrinſeco procedens.* Differunt grauitas, & leuitas ab impulſu qui eſt principium motus, ex eo, quod impulſus neque ſit identificatus cum mobili, neque ab illo procedat, ſed ſemper ab agente extrinſeco producatur. Differunt etiam à potentia locomotiua viuentium, quia hæc non eſt principium per ſe determinatum ad motum ſurſum aut deorſum, ſed indifferens vt ſurſum vel deorſum motum producat. Per duplicem conceptum diſiunctiuè ſumptum tradidi prædictas definitiones, vt poſſent iuxta omnium opiniones ſubſiſtere; in mea verò ſententia, quæ grauitatem, & leuitatem à formis ſubſtantialibus diſtinguit, ſecluſa diſtinctione vtraque poteſt definiri, *per principium ab intrinſeco procedens, &c.* Hæc proceſſio ab intrinſeco conuenit grauitati, & leuitati; ſi qualitates ſunt diſtinctæ à temperamento primarum qualitatum, quia vel ab iſto procedent, vel ab ipſa forma ſubſtantiali. Si verò non diſtinguantur ab ipſo temperamento, hoc enim per ſe ab intrinſeco procedit, forma enim in inſtantibus ſuccedentibus menſuram ſuæ primæ productionis proprium temperamentum producit, & in illa prima menſura illud ſupponit, & exigit, & de facto illud produceret ſi non ſupponeretur productum, & ita quaſi per accidens illud non producit, per ſe enim forma talis eſt temperamenti productiua. Quando verò temperamentum eſt alteratum per exceſſum alicuius qualitatis, ab extrinſeco productæ vltra exigentiam formæ; tunc pars illa, ſeu ille qualitatis exceſſus non procedit à forma, verumtamen dicetur ab illa procedere grauitas, & leuitas etiamſi conſtat in commixtione qualitatum, quæ mobili conueniunt iuxta proprium temperamentum, & alicuius quæ vltra proprium temperamentum ſeu contra propriam exigentiam mobili contingit, quia præcipuæ qualitates, & maior illarum pars quæ commixtionem ingrediuntur à forma mobilis procedunt.

2 Circa naturam grauitatis, & leuitatis, & diſtinctionem illarum à forma corporis, quod graue leuéve videtur ſunt plures dicendi modi. Communis ſententia grauitatem, & leuitatem à forma corporis grauis, & leuis, verbi gratia, grauitatem in terra à forma terræ, & leuitatem in igne ab eiuſdem forma diſtinguit. Tenent hanc D. Thomas lib. 1. de anima lect. 23. Galen. lib. 1. de natura humana capite 5. Patres Conimbricenſes lib. 2. de generat. capite 3. quæſt. 4. artic. 2. Pater Hurtad. de opere ſex dierum diſputat. 3. ſect. 5. ſubſect. 5. Petrus Garcia ſuper ſen. lib. 1. c. vnic. diſput. 4. c. 5. ſequuntur hi omnes Philoſophum, qui multis in locis hanc ſententiam expreſsè tradit, præcipuè lib. 2. de generat. c. 2. & 7. Phyſic. c. 2. & lib. 5. Metaph. c. 14. & lib. 2. de partibus animalium c. 3. Verumtamen, in his, qui grauitatem, & leuitatem diſtinguunt à formis ſubſtantialibus magna poteſt eſſe Controuerſia, poteſt enim dici eſſe qualitates immediatè ortas ab ipſis formis ſubſtantialibus, & diſtinctas à primis qualitatibus, & ab illarum temperatura, qui dicendi modus eſt alienus à mente Philoſophi, & Doctoris Angelici locis citatis. Aliter poteſt dici grauitatem, & leuitatem reſultare ex temperie primarum qualitatum, & hæc eſt ſententia Philoſophi, & D. Thom. Sed adhuc res eſt dubia, vulgo enim dicitur aggregatum qualitatum ex ipſis qualitatibus reſultare, & iuxta hunc loquendi modum, poteſt dici grauitatem, & leuitatem reſultare ex primis qualitatibus, & non diſtingui ab illarum temperatura, ſeu ab illarum aggregato. Alio modo proprius dicentur grauitas, & leuitas reſultare ex primis qualitatibus, & ex illarum commixtione, ſi ab ipſis ſimul ſumptis diſtinguantur tanquam qualitates ſpeciales procedentes à primarum temperamento eo modo, quo procedunt albedo, & ſapor. In hunc ſenſum Patres Conimbric. Ariſtotelem interpretantur, qui aſſerunt loco ſupra citato grauitatem, & leuitatem non immediatè procedere ex primis qualitatibus, ſed interuentu raritatis, & denſitatis, ita tradunt ſenſiſſe Philoſophum 4. Phyſ. c. 9. text. 95. Neque adhuc horum, qui ſentiunt grauitatem, & leuitatem procedere ex primarum temperamento, & ab illis etiam ſimul ſumptis diſtingui, vna mens eſt, fert enim communis inter hos ſententia grauitatem, & leuitatem eſſe qualitates ſpecie diſtinctas, & inter ſe oppoſitas ſicuti albedo, & nigredo, cui ſe opponunt recentiores aſſerentes grauitatem, & leuitatem tantum diſtingui penes magis, & minus, ita vt eadem qualitas cùm eſt intenſa grauitas vocetur, & ſit principium motus deorſum, & cum eſt remiſſa dicatur leuitas, & ſit principium motus ſurſum. Hac ratione aſſerunt Neoterici iſti, terram petere eſſe ſub omnibus elementis quia qualitatem hanc habet ſummè intenſam, & aquam petere eſſe ſub aere, & igne, & non ſub terra, ſed ſupra illam, quia habet qualitatem hanc intenſiorem, quam habent eandem, aer, & ignis, & remiſſiorem quam terra eadem proportione philoſophantur de aere, qui petit eſſe ſupra aquam, & infra ignem propter qualitatem quam habet intenſiorem qualitate ſimili ignis & remiſſiorem qualitate ſimili aquæ. Vltimò iuxta hunc dicendi modum ignis eſt ſummè leuis, qualitatem habet ſummè remiſſam inter qualitates omnes ſimiles, quibus gaudent alia elementa. Modus iſte dicendi toto cœlo aberrat, vt oſtendam, quem inueniſſe iactitant recentes iſti, ſed vanè, quia iam diu illum improbauit Hurtad. ſuprà, §. 59. vbi dixit grauitatem, & leuitatem non differre penes maiorem, aut minorem intenſionem.

3 Valleſius lib. de ſacra Philoſophiâ capite 48. & lib. 1. Controu. cap. 3. & Arriaga diſput. 4. ſect. 5. ſubſ. 1. omiſſis omnibus dicendi modis ſupra adductis dixére grauitatem, & leuitatem non eſſe accidentia ſuperaddita ſubſtantiis, ſed identificari cum formis ſubſtantialibus ipſorum corporum grauium, & leuium, ita vt ipſa forma per ſe ipſam principium ſit immediatum motus deorſum, & in corpore leui motus ſurſum. Probat Valleſius concluſionem traditam; ſi grauitas, & leuitas eſſent accidentia diſtincta, conuenirent corporibus abſolutè in ordine ad ſe in certa, & determinata intenſione, ſicuti competit calor, & frigiditas cuicumque corpori, ſed grauitas: & leuitas non ita ſubiecto conueniunt, ſed reſpectiue, & in ordine ad aliud, ergo non ſunt accidentia ſuperaddita. Minorem probat Valleſ. ſi grauitas & leuitas abſolutè conuenirent ſubiectis, eodem modo illis conuenirent reſpectu cuiuſuis medij: atqui reſpectu diuerſi medij diuerſo modo conueniunt: ergo non conueniunt abſolutè. Patet minor in bilance in qua ſi ponatur libra auri, & argenti in medio neutra alteram detrahet, ſi tamen aquæ ſuperponatur, libra auri aquis ſupernatabit: ergo grauitas horum corporum abſolutè non eſt, ſed reſpectiua ad medium: ergo non eſt accidens ſuperadditum, quod reſpectu cuiuſuis medij abſolutum eſſet. Ratio hæc nullius eſt momenti, quia ad diſtinctionem grauitatis, & leuitatis à ſubiecto nihil præſtat diuerſitas, quam habet reſpectu mediorum: eadem enim eſt difficultas, & eadem reddenda eſt ratio, cur ex duabus grauitatibus quædam corporis lignei, & alia corporis aurei media aqua ſubmergatur vna, & alia ſupernatet, neque enim magis reſpectiua eſſet grauitas identificata cum ſubſtantia, quàm illa, quæ à ſubſtantia, diſtingueretur, & ſicuti grauitas ſuperaddita eſſet in determinato gradu, ita grauitas identificata cum ſubſtantia ſemper eſſet eadem, & eiuſdem virtutis, & æquè propenderet in centrum, imò ſi grauitas eſt ſuperaddita poteſt recipere magis & minus, intendi, & remitti, & grauitas identificata cum ſubſtantia ſemper eadem immobilis neceſſariò perſeuerat.

4 Vt rem ſoluam, præmitto tanquam certum libram ferri poſitam in hac lance nunquam præponderare libræ ligni poſitæ in altera, neque aliquando ex duabus grauitatibus quantumuis differant corpora grauia, & leuia, ſicuti differunt ferrum, & lignum, cuiuſuis conditionis ſit medium nunquam vnam alteri præualere, cùm enim poſita bilance ſuper aquam, vna ſupernatat, & alia ſubmergitur, illa quæ ſubmergitur non detinet aliam ne ſubmergatur, ſed ideo iſta ſubmergitur, quia vincit reſiſtentiam aquæ, & illa ſupernatat, quia ſimilem aquæ reſiſtentiam vincere non poteſt. Quod ſi neceſſum eſſet lanceam illam attolli, vt hæc ſubmergeretur, vtraque

eſſet

eſſet immobilis, vt contingit quando trutina ita eſt oppoſita, & loco ſuperiori affixa, vt tantùm poſſit ſimul attingere vtraque lanx ſuperficiem extimam aquæ. Ex his conſtat ad præſentem difficultatem tantùm deſiderari rationem propter quam ferrum (idem tene de aliis corporibus) & non lignum ſubmergitur aquis. Diſparitas ſumenda eſt ex poris aëre repletis, quos in ſe lignum continet, partes enim aëris in illis contentæ natura ſua leues ſunt, & petunt eſſe ſupra aquam, & ita reſiſtunt motui, ex vi cuius ſubmergantur aquis; ferrum verò, & alia corpora denſa pauciores habent poros, quibus detineatur aër, qui leuiter, & reſiſtat eſſe ſub aquis. Pater Arriaga eò ſolùm negat grauitatem, & leuitatem, quia nullum eſt fundamentum concedendi has potentias diſtinctas à forma ſubſtantiali, & ita de illis philoſophandum eſt, ſicuti de reliquis potentiis viuentium, quas nunquam ſine fundamento diſtinguimus. Fundamentum hoc coërcet ratio, qua probabo grauitatem, & leuitatem à formis ſubſtantialibus diſtinguendas eſſe.

5 Oppoſitam ſententiam videlicet grauitatem, & leuitatem diſtingui à ſubſtantia, ſic Petrus Garcia intendit probare. Si grauitas, & leuitas non diſtinguerentur à ſubſtantia, ſequeretur eadem prorſus celeritate moueri deorſum corpus paruum qua mouetur magnum, cuius oppoſitum docuit Ariſtot. 4. de cœlo c. 5. & manifeſta monſtrat experientia; ſequela probatur: eadem celeritate aqua paruæ, aut magnę quantitatis calefacta reducit ſe in priſtinam frigiditatem, neque eſt vnde oppoſitum contingat, neque ex alio capite id accidit, niſi quia parua, & magna aqua per ſe ipſam reducitur in priſtinam frigiditatem; ergo ſi lapis paruus, aut magnus per ſe ipſum deorſum deſcenderet, æquali velocitate vterque deſcenderet, neque aliud diſcrimen poteſt aſſignari ratione cuius lapides magnitudine inæquales inæqualiter deſcendant, & aquæ calefactæ inæquales magnitudine æqualiter frigeſcant.

6 Mihi certum eſt æquè cito in frigiditatem innatam ſe reſtituere exiguam, atque magnam aquam, verumtamen experientia admiſſa ex alio capite illius ratio petenda eſt, neque diſcrimen aſſignatum in præcedenti argumento ad rem facit, quod ſic oſtendo. Si grauitas eſt accidens ſuperadditum diffuſum eſt per totum ſubiectum: ergo quo ſubiectum eſt maius, grauitas extenſiue maior erit, & plures habebit partes ſimiles, & quo ſubiectum eſt magis extenſum plures partes habebit ſubſtantiæ, partes enim ſubſtantiæ diuiſibilis, & partes grauitatis, & cuiuſuis accidentis ſuperadditi inter ſe commenſurantur: ergo, ſicuti, quo ſubſtantia eſt magis extenſa, eſt magis virtutis illi inhærentis, ita eſt magis eiuſdem ſubſtantiæ, & virtutis cum illa identificatæ: ergo ſiue grauitas ſit accidens ſuperadditum, ſiue diſtinctum ſemper remanet eadem difficultas, quomodo ſubſtantia maior per ſe ipſam productiua non celerius effectum, quam minor, ſed tantum maiorem extenſiuè producat, & grauitas ſuperaddita extenſiue, maior non ſolum maiorem extenſiue, ſed etiam maiori cum velocitate effectum producat. Reſpondet Garcia diuerſam eſſe rationem, quia iuxta ſententiam Philoſophorum, qui probabiliter ſentiunt, quo virtus actiua eſt in maiori quantitate, celerius agit, & ſic celerius mouet, tamen nullus dixit: quo ſubſtantia eſt cum maiori quantitate celerius frigeſieri: Ratio hæc difficultatem non ſoluit, ſed premit, quia ſi ex Ariſtot. quo maior eſt virtus celerius producitur effectus, quo maior eſt aqua, quæ per ſe ipſam frigeſit, maior eſt virtus productiua frigiditatis: ergo celerius debet produci frigiditas.

7 Ad difficultatem explanandam aduertere oportet aquam calefactam reſtituentem ſe in priſtinam frigiditatem tantum agere in ſe ipſam, lapidem deorſum deſcendentem non ſolum agere in ſe ipſum producendo propriam præſentiam, ſed in paſſum approximatum, verbi gratia, in aërem expellendum ab ſpatio quod mobile motu proprio percurrit. Ex hoc capite optima diſcriminis ratio redditur, aqua enim calefacta, quo extenſior eſt extenſiorem effectum debet producere, & contrarium magis extenſum debellare, vnde eadem proportione, quo creſcit extenſiuè virtus aquæ creſcit extenſiuè effectus producendus, & contrarium expugnandum, & ita ſicuti non citius duo homines duos vincunt homines quam vnus homo hominem alium, ita non citius duplex pars aquæ duplicem partem frigiditatis producit, & duplicem aliam caloris expellit, quam vna pars aquæ partem vnam frigiditatis producit, & aliam frigiditatis expellit. Adde partes aquæ æquè calefactas per ſimplicem emanationem ſe reſtituere in ſuam frigiditatem, quia pars hæc aliam propinquam adiuuet ad ſuam frigiditatem producendam, neque per modum vnius principij concurrant ad producendam frigiditatem in altera, ſed quælibet propriam frigiditatem producit, quia eo ipſo quod partes aquæ ſint æquè calefactæ ſunt æque frigidæ, & ſimiles in frigiditate, ſimile autem in ſimile non agit, ex quo fit non citius plures partes propriam frigiditatem acquirere, quam illam acquireret pars aquæ ſeparata, cum ſeparata, & vnita ipſa ſola concurrat eodem modo ad propriam frigiditatem producendam. Iam ſi lapidem deorſum deſcendentem reſpectu proprij motus, & effectus quem in ſe producit, inſpiciamus ex hoc capite præciſè eodem modo ſe habet ac aqua reſpectu ſuæ frigiditatis adquirendæ, quia quo maior eſt lapis, maior eſt præſentia producenda, & quælibet pars lapidis ſuam propriam producit præſentiam. Si verò conſideretur virtus lapidis ſiue identificata ſiue diſtincta à ſubſtantia lapidis reſpectu effectus, quem producit in paſſo propinquo, longe aliter ſe habet. Quia omnes partes lapidis per modum vnius indiuiſibilis principij concurrunt ad effectum producendum in qualibet parte aëris, & ita quo plures ſunt partes lapidis celerius, & intenſiorem effectum producunt in aëre, & ita citius aërem propinquum mouét illiuſque vincunt reſiſtentiam, quæ retardat motum lapidis, ex quo fit citius poſſe contrarium vinci, & lapidem ipſum moueri, & ex hoc capite optima & adæquata diſparitatis ratio poſſet deſumi. Accedit quod non ex eo quod creſcat lapis, & cum illo virtus, quæ reſiſtentiam corporis contingui vincere debet, eadem proportione creſcere reſiſtentiam paſſi contrarij, quantumuis lapis creſcat ſecundum profunditatem, ſi non creſcit ſecundùm ſuperficiem infimam, per quam tangit aërem in hoc inſtanti remouendum, vt in hoc inſtanti moueatur, nihilo creſcit reſiſtentia contrarij in hoc inſtanti vincendi vt in hoc inſtanti moueatur, licet creſcat virtus qua reſiſtentia paſſi expugnanda eſt. Res eſt manifeſta. Pone corpus graue cuius ſuperficies immediatè attingens aërem immediatè ſub illo contentum ſit vndique palmaris, quod in his quatuor temporis inſtantibus mouetur verſus terram, per quatuor indiuiſibilia ſpatij verſus centrum: corpus hoc ſiue altitudinem habeat duorum ſiue quatuor palmorum eandem reſiſtentiam debet vincere in illa menſura, in quo mouetur per illa quatuor indiuiſibilia ſpatij, quia eaſdem partes aëris debet expellere: ergo ex altitudine, ſeu profunditate huius corporis non creſcit reſiſtentia aëris ad motum faciendum per illa quatuor indiuiſibilia verſus centrum, ſed ſic eſt, quod creſcit virtus, quæ reſiſtentiam hanc eſt victura, quia aër non ſolum expellitur à partibus corporis, quæ in illius ſpatium ſuccedunt, ſed ab omnibus etiam ſuperioribus, omnes enim per modum vnius producunt impulſum in aëre remouendo: ergo creſcente lapide, qui ſe mouet ſecundum profunditatem ſemper creſcit virtus qua vincenda eſt reſiſtentia paſſi, non tamen creſcit reſiſtentia paſſi, niſi quatenus mobile creſcit ſecundum ſuperficiem illam immediatè tangentem aërem contentum ſub corpore mobili.

8 Ex his rationem facile percipies, cur tabula, & quodlibet aliud corpus expanſum tardius mouetur, cum illius expanſio, dum mouetur, reſpicit centrum, & ſecundum totam ſuam planitiem aliam æqualem aëris planitiem remouet, & velocius quando ſuperficies planæ latera aëris reſpiciunt, & tantum per partem extenſam aërem offendit, quia cum ſic eadit, potiores aëris partes pluribus partibus corporis, quas ſupra ſe habent impetuntur, quando verò primo modo mouentur; quælibet pars aëris remouenda potiores partes aëris quibus vincatur, ſupra ſe habet, quælibet enim pars aëris exiſtés in medio, per quod fit motus, illis tantum partibus aëris quas directè ſupra ſe habet impetitur, vt à propria ſede demoueatur. Ex hoc capite optimum diſcrimen deſumitur propter quod creſcente profunditate corporis mobilis creſcat velocitas motus localis, cum creſcat virtus contrarij vincendi, & non creſcat contrarium, neque huius reſiſtentia, & creſcente aqua calida non creſcat velocitas motus alterationis, quia eo ipſo quod maior ſit aqua calida reſtituens ſe in priſtinam frigiditatem creſcit neceſſariò qualitas expellenda, & cum ipſa reſiſtentia innata eidem qualitati, qua ſe intendit

Digitized by Google

tendit in ſubiecto extraneo tueri. Probant alij grauitatem, & leuitatem eſſe qualitates, quia ſenſu tactus percipiuntur. Huic argumento rectè reſpondet Arriaga grauitatem, & leuitatem non in ſe ipſis tactu ſentiri, qui tantùm percipit impulſu ab illis productum, ex quo intellectus grauitatem infert per diſcurſum, quia ſi ego manum ſupponam fornici, illius grauitatem non ſentio, ex eo tantùm quod aliunde ſuſtentatur, & manui non imprimit impulſum, vt moueatur.

9 Recentiores illi, qui aſſerebant grauitatem, & leuitatem tantùm differre penes magis & minus, eo tantùm nituntur fundamento, quod exiſtiment rem ita poſſe ſine multiplici qualitate, & earum oppoſitione componi.

§. II.

Propria ſententia.

10 PRIMA CONCLVSIO: Grauitas & leuitas non identificantur cum ſubſtantia. Probatur hæc concluſio ex accidentibus Euchariſticis; deſtructa ſubſtantia in hoſtia conſecrata grauitant, & innato pondere deorſum deſcendunt, ergo remanet grauitas in his accidentibus: ergo ſeparatur à ſubſtantia: ergo ab illa diſtinguitur. Communis ſolutio eſt in accidentibus Euchariſticis nullam manere grauitatem, neque principium aliquod motus deorſum, ſed Deum effectiuè mouere illa accidentia eo modo quo mouerentur, ſi ibi eſſet grauitas identificata cum ſubſtantia, ne ratione naturali notum fiat myſterium Euchariſticum, quod merito noſtræ fidei alta Dei prouidentia reſeruauit. Neque ideo, ait Arriaga, multiplicantur miracula, potius iuxta hunc dicendi modum, quoddam auſertur miraculum, videlicet grauitatem, quæ ſit accidens, & ſubſtantiæ affectio, exiſtere ſine ſubiecto, & ſine ſubſtantia, quam afficiat. Neque ad veritatem myſterij Euchariſtici ſincerè defendendam, magis refert hac, vel illa ratione, philoſophari, tantùm enim fide nobis tenendum eſt in hoſtia conſecrata deſinere eſſe ſubſtantiam panis, & reliqua accidentia ſuperaddita eidem ſubſtantiæ (mitto præſentiam ſubſtantię, etſi quos alios modos proprios habeat ſuperadditos, ibi permanere) quæ verò accidentia ſuperaddita ſubſtantiæ conueniant, vel non, quæ verò affectiones ſubſtantiæ cum illa identificentur, negotium eſt purè philoſophicum ad veritatem myſterij nullatenus ſpectans. Solutio hæc ſatis probabilis eſt, verumtamen magis feror in partem, quæ negat Deum perpetuò miraculosè mouere accidentia Euchariſtica, vt celet myſterium, nullâ enim ratione de hoc miraculo nobis conſtat, neque vnquam illud Patres, qui ſolerter myſterium hoc fidei lumine inſpexére, egregiéque illius ſupra naturam excellentiam commendarunt, talis meminére miraculi, communiſque ferè omnium Philoſophorum, & Theologorum ſententia ne frequentis alia miracula concedat in productione accidentium, quæ ſpeciebus conſecratis ſuperueniunt, quantitatem ſuperadditam admittit, ex qua tanquam ex ſubiecto communi educantur, ne miraculoſa creatio in cuiuſuis accidentis productione concedatur. Neque verum eſt, quod ait Arriaga in ſua ſententia miraculum vitari, quod aliorum ſententia concedere teneatur, quia grauitas, etiamſi diſtinguatur à ſubſtantia, in multorum ſententia non diſtinguitur à temperamento primarum qualitatum, & etiamſi diſtinguatur, naturaliter conſeruatur educta ex quantitate, ſicuti naturaliter educitur nouus calor ex quantitate Euchariſtica, ſine ſubſtantia exiſtente, non enim ſpeciale miraculum eſt quodlibet accidens ſine ſubſtantia conſeruari, ſuppoſito miraculo, quo quantitas ſine ſubiecto conſeruatur.

11 Eandem concluſionem efficacius probo: grauitas, & leuitas non identificantur cum materia vt perſpicuum eſt, eadem enim materia ſub hac forma grauitat, & ſub illa leuitat: non identificatur cum forma: ergo eſt quid diſtinctum à materia, & forma, & conſequenter à toto compoſito, nullus enim dicet identificari cum vnione quæ tantum, ſupereſt in compoſito identificato cum materiâ & formâ & vnione. Grauitatem non identificari cum forma compoſiti grauis patet in homine, cuius forma ſpiritualis eſt, & per ſe ipſam non grauitat, grauitaret autem ſi ſecum haberet identificatam grauitatem. Reſpondet Arriag. idem argumentum fieri poſſe de potentia viſiua, & nutritiua, & ſpecialem difficultatem in hac materia non habere, quia ſicuti diximus animam rationalem habere potentiam viſiuam identificatam ſecum, & non poſſe in ſe ipſa viſionem producere, dum eſt ſeparata à materia, neque in illo ſtatu videntem conſtitui, ſic dicere poſſumus habere ſecum identificatam grauitatem, quæ eſt potentia loco motiua, & non poſſe in ſtatu ſeparationis motum deorſum, qui eſt proprius effectus grauitatis producere, neque ſe ipſam in illo ſtatu innata grauitate mouere, quia motus iſte, ſicuti viſio dependet à materia, & ab aliis accidentibus materiæ inhærentibus. Difficultatem non fugit Arriag. eſt enim diuerſa ratio de grauitate, & de potentia viſiua, hæc enim productiua eſt viſionis, quæ eſt accidens corporeum, non potens educi ex ſubiecto ſpirituali, neque produci ſine concurſu ſpecierum, quæ in materia ſubiecto recipi debent, ac proinde actio productiua vnionis ex natura ſua ſupponit ſubiectum materiale, ex quo educatur, & in quo recipiantur alia principia, videlicet ſpecies, à quibus dependet, & hinc fit non poſſe dari viſionem ſine materia, neque produci à forma in ſeparationis ſtatu, terminus verò producendus à grauitate tantùm eſt præſentia localis rei grauis, actio à grauitate procedens tantùm eſt motus localis, ex vi cuius producitur hæc præſentia, ſed præſentia localis animæ, neque actio productiua illius ex nullo capite indiget ſubiecto materiali: ſed optimè ex ipſa anima educitur, neque principium aliquod excogitari poteſt, ratione cuius indigeat materia, ſicuti innumera reperiuntur in nutritione, & in aliis actionibus vitalibus: ergo ſi anima ſeparata habet hanc potentiam loco motiuam, cum ipſa ſit neceſſaria, & nulla ratione ſubdita imperio voluntatis, neceſſariò reducetur ad actum, & anima ſeparata grauitate cum illa identificata deorſum naturaliter in ſeparationis ſtatu deſcendet. Confirmatur: Principium productiuum non dependet in operari ab illo, à quo terminus producendus non dependet in inſtanti, in quo fit, neque in vlterioribus, ſed præſentia, quam acquireret anima motu deorſum nullo modo penderet à materia, neque ab aliis accidentibus, ſi illius principium productiuum tantùm eſſet anima: ergo anima abſoluta à materia, & reliquis omnibus accidentibus corporeis moueretur motu deorſum, ſi ſecum haberet identificatam grauitatem, quæ eſt principium per ſe ad talem motum determinatum. Neque dici poteſt grauitatem identificatam cum anima immediatè, & per ſe ordinari ad motum materiæ cui vnitur, & non ad motum ipſius animæ, quia grauitas illud per ſe mouet, quod per ſe graue conſtituit, idem enim eſt graue, ac propendens in motum deorſum, ſed grauitas identificata cum anima primò, & per ſe conſtituit grauem ipſam animam: ergo primò, & per ſe illam debet mouere.

Fateor rationem hanc tantùm immediatè in homine rem euincere, cuius forma ſpiritualis eſt, verumtamen ex homine argumentum conficitur ad probandum eodem modo contingere in aliis compoſitis, ſi enim in homine datur grauitas diſtincta ab illius ſubſtantia, ſaltem concluditur in reliquis compoſitis ex ſe poſſibilem eſſe grauitatem diſtinctam, à quo motus deorſum procedat. Deinde ſi in homine non diſtinguitur grauitas à temperamento primarum qualitatum, ſic etiam manifeſtè conuincitur temperamentum primarum qualitatum ſufficere ad conſtituendum corpus graue, & ſuperfluè poni grauitatem accidentalem identificatam cum ſubſtantia. Demum ſi in homine grauitas accidentalis reſultat ex temperamento primarum qualitatum, eadem reſultabit in aliis compoſitis, & omnia grauitate accidentali, & ſuperadditâ grauia conſtituentur, duplicémque grauitatem habebunt, ſubſtantialem vnam, accidétalem aliam, ſi formæ ſubſtantiales illorum grauitatem habent identificatam. Alia ratio deſumitur ad eandem concluſionem probandam ex vaporibus, & exhalationibus terræ, quæ ſecundam ſubſtantiam non diſtinguuntur à terra, & aqua, & tamen ſunt leues, in quibus apparet ſeparata grauitas ab aquæ, & terræ formis, quod ſignum eſt euidens diſtinctionis, verumtamen hac ratione iam vtor ad tertiam concluſionem probandam, qua præcedens magis ſtabilietur. 12

SECVNDA CONCLVSIO. Grauitas, & leuitas non diſtinguitur à primis qualitatibus permixtis. Ratio eſto, nullum eſt fundamentum, neque vlla ratio, ad concedendas qualitates diſtinctas à primis, quæ ſint principium motus ſurſum, & deorſum: ergo primis qualitatibus poſſunt hi motus tribui abſque aliarum qualitatum multiplicatione. Confirmatur: ſi darentur grauitas, & leuitas qualitates ſpeciales, hæ deberent oriri à temperamento qualitatum, vt probabo concluſione 3. ergo ab eodem poteſt oriri 13

Digitized by Google

oriri motus deorſum,aut motus ſurſum, cur enim qualitates primæ,quæ dicuntur producere ſpecialem qualitatem, quæ ſit principiũ motus deorſum,non poterunt dici principia ipſius motus deorſum immediatè productiua?quodve fundamentum reperiri poteſt ad diceudum motum non produci immediatè à primis qualitatibus , ſed ab alia qualitate intermedia ? Dixi grauitatem & leuitatem non diſtingui à primis qualitatibus permixtis.quod non ita intelge,vt exiſtimes grauitatem,aut leuitatem neceſſariò inuoluere temperamentum quatuor qualitatum,quodlibet enim elementum duplici tantùm gaudet qualitate , & tamen omnia leuitate, grauitatéque gaudent. Imò in mixto graui, in quod fluunt omnes quatuor primæ qualitates , exiſtimo non omnes per ſe conducere ad motum deorſum,ſed quaſdam intendere motum ſurſum , & alias motum deorſum, in quibus illæ præualent , quæ intenſiores , & efficaciores ſunt v.g.frigiditas intendit corpus deorſum mouere , calor illud intendit mouere ſurſum, præualet frigiditas in calorem,quia intenſior,& abſolutè corpus graue denominatur, illiuſque grauitas taxatur menſurâ omnium qualitatum, quarumdam ,quia per ſe conantur motum deorſum , aliarum quia ratione ipſarum non creſcit conatus ad motum deorſum accretione ſeu intenſioue qualitatum , quæ per ſe illum intendunt.

14 Illud quod ex Ariſtotele docent Conimbric videlicet grauitatem, & leuitatem oriri non ſolum ex primis qualitatibus commixtis , ſed ex raritate & denſitate , ſic iuxta mea principia interpretor: Corpora rara habent peregrina corpuſcula intromiſſa , quorum pleraque ſunt aërea , hæc natura ſua leuia ſunt, & intendunt ſurſum corpus mouere, cuius conatus aliquantulum retardat ab actione ſeu motu conatum,quem habent qualitates corpori innatæ , quibus deorſum mouetur,& hac ratione licet in re rarum,& denſum ſit æquè graue , minus graue apparet, dum eſt rarum, non quia minorem conatũ habeat ad motum deorſum, ſed quia illum habet aliquantulum impeditũ oppoſito conatu, quem aërea corpuſcula intromiſſa exhibent,& ita minorem effectum producit , hoc eſt remiſſiorem impulſum in corpore,quod occupat ſpatium,per quod dirigendus eſt motus,& hic tardior euadit , quod non contingeret, ſi mobile denſum eſſet , nullàque includeret corpuſcula leuitantia, quibus ſuus motus retardaretur. In oppoſita ſententia, quæ plus materiæ concedit in eadem menſura corporis denſi,quàm rari,poteſt dici palmum corporis dẽſi plus habere grauitatis quam habet palmus corporis rari,quia habet plus materiæ , & conſequenter plus qualitatis materiæ inhærentis,facta tamen comparatione non inter extenſiones æquales corporis rari , & denſi ſub quibus eſt magna inæqualitas partium entitatiuè,& ſecundnm numerum,ſed facta comparatione inter partes numero æquales ſecundum ſubſtantiam , & inter eaſdem numero rarefactas , & condenſatas æquè graue fore corpus conſtans partibus raris,ac corpus denſis partibus conſtitutum Hæc ita componi poſſent nihil tamen prohiberet dici grauitatem ſpecialem per ſe oriri à denſitate,& leuitatem à raritate , ſi grauitas & leuitas , raritas,& denſitas , ſpeciales eſſent qualitates.Quid verò dicendum eſſe difficile erit definire,vtrumque difficile poterit poſitiuè impugnari, & neutrum potẽrit poſitiuo fundamento ſuaderi , quia in his tota ratio ex experientia eſt ſumenda , & hæc tantùm non poteſt docere corpora denſiora eſſe grauiora, an verò grauitas oriatur ex denſitate tanquam ex principio , an verò immediatè ex illis qualitatibus, à quibus oritur denſitas , ità vt denſitas, & grauitas concomitanter ad eodem oriantur principio, res eſt quæ omnem experientiam ſubterfugit.

15 Tertia conclusio.In ſententia,quæ grauitatem,& leuitatem , in qualitatibus ſpecialibus conſtituit , hæ non oriuntur immediatè à formis ſubſtantialibus , ſed à primis qulitatibus , in quibus nos conſtituimus grauitatem formalem. Probo hanc concluſionem : aqua,& vapor, qui ex aqua vi caloris extrahitur,retinent eandem formam,& tamen aqua eſt grauis,& vapor leuis:ergo grauitas,& leuitas non proueniunt immediatè à forma,ſed à qualitatibus, ſiquidem permanente eadem forma , & variatis qualitatibus corpus , quod antea grauitabat, poſtea leuitat. Reſpondebis ; eaſdem formas cum his qualitatibus , quæ ſe habent tanquam conditiones producere granitatem ,& cum illis producere leuitatem : ſicut eadem cauſa, v.g. Sol cum his diſpoſitionibus tenentibus ſe ex parte materiæ producit hanc ſubſtantialem, formam & cum illis formam aliam ſpecie diſtinctam producit. Contra hanc ſolutionem oppono nullum apparere conditionis genus , quod poſſint habere primæ qualitates reſpectu grauitatis ,vel leuitatis producendæ , ſi grauitas , & leuitas ſpeciales ſunt qualitates , & effectiuè procedunt tantùm à forma ſubſtantiali. Exemplum ad rem non eſt , quia formæ ſubſtantiales ſupponunt ex parte materiæ certas diſpoſitiones, & ita forma ſpecie diſtincta diſtinctas ſupponit, ad quarum exigentiam producitur forma huius ſpeciei diſtincta ab omnibus aliis, grauitas autem , & leuitas,ſi qualitates ſunt ſpeciales, nullas ſupponent diſpoſitiones , nulla enim qualitas ſupponit ex parte ſubiecti qualitates alias , à quibus non effectiuè, ſed diſpoſitiuè dependeat. Ex hac diſparitatis ratione argumentum deſumo ad hanc ſolutionem impugnandam. Nulla datur forma ſubſtantialis,quæ producat in ſe potentiam aliquam , ſeu principium operationum , ex natura ſua permanens,& debitum à primo inſtanti generationis, quæ talem qualitatem , ſeu potentiam producat dependenter ab aliis qualitatibus tanquam à conditionibus : ergo ſine fundamento dicitur formas ſubſtantiales producere grauitatem , & leuitatem qualitates ſpeciales dependenter à primis qualitatibus tanquam à conditionibus.

Quarta conclusio. Si grauitas,& leuitas ſpeciales 16
ſunt qualitates diſtinctæ à primis , inter ſe diſtinguuntur, non ſolum ſecundum magis,& minus,ſed ſecundum naturam ſpecificam eo modo , quo diſtinguuntur calor , & frigus , albedo,& nigredo. Hic dicendi modus ſic poſſet intelligi , vt omnibus elementis idem centrum , in quod per ſe tendant aſſignetur,& ſicuti terra, & qua idem centrum reſpiciunt,tamen aqua deſcendit ſub terra,quia fortius petit in centrum,ſic aqua,aër , & ignis in idem centrum peterent ; verumtamen aqua eſſet ſub aëre,quia media qualitate intenſiori , & ſic maiori impetu & conatu tenderet in centrum,& aër ſub igne, quia maiori vi,& intenſiori qualitate , quam ignis tenderet in centrum,quem dicendi modum, haud obſcurè tradunt recentes patroni ſententiæ cui noſtra concluſio contradictoriè opponitur. Sententia hæc in hoc ſenſu tradita ab omni veritatis ſpecie aliena eſt ex illa enim infertur manifeſtè ignem per ſe non intendere moueri ſurſum , ſed de facto aſcendere , quia reliqua elementa fortius illo petunt ad terræ centrum deſcendere, & ita de facto deſcendunt,& ponuntur ſub igne,qui impeditus aliis elementis remanet in ſuperiori loco, ſicuti aqua impedita grauiori terra remanet ſupra terram, etiamſi ipſa peterat ex ſua natura eſſe in centro , quod terra occupat. Infertur etiam motum ignis deorſum non eſſe naturalem,ſed violentum , quia non ordinatur in proprium centrum,neque per hunc motum accedit ignis ad centrum , quod exigit , ſed potius ab illo recedit, non motus à ſe , ſed motus virtute aëris , quæ vincit virtutem ignis, & ita ex vi illius aer conſtituitur ſub igne , & hic remanet in eminentiori loco,ſicuti cum corpus terreum ponitur ſupra aquam ſtatim deſcendit, & aſcendit aqua , quæ manet ſupra illud non motu naturali,ſed violento. Dicere autẽ motum ignis ſurſum violentum,eſſe inſanum eſt. Qua enim ratione ignis motu violento velociſſimè cieretur:quave ratione,quo intenſior eſſet ignis velociùs maiorique conatu aſcenderet? cum potius , ſi motus ille violentus eſſet , quo ignis eſſet magis exiguus , facilius vinceretur grauitate aliorum elementorum,& conſequenter velociùs deberet aſcendere.

Demum quomodolibet intelligatur ſententia omnino 17
eſt à veritate aliena,quia ſi grauitas , & leuitas tantùm differrent,penes magis & minus, vtriuſque exigentia , quoad ſubſtantiam , & quoad modum eſſet eiuſdem rationis , & differret penes magis & minus , quia minori,maiorive impetu ſecundum maiorem , & minorem intenſionem eumdem effectum eadem ratione producendum,maiori minorive velocitate , & intenſione , ſi intenſione eſſet capax, vtraque exigeret. Secundò, ſi ignis propria vi , & interno conatu aſcendit ſurſum , quod negare nefas eſt in bona Phyloſophia,quomodo intelligi poterit velocius aſcẽdere, quo minus habet virtutis , ſeu qualitatis , cuius virtute aſcendit,& maiorem velocitatem motus,maiorémque impulſum aliis corporibus impreſſum,vt igni aſcendenti motum præſtent,oriri ex maiori remiſſione, hoc eſt,ex maiori negatione virtutis eiuſdem rationis, cum illa:cuius vt ignis de facto mouetur.Secundò ignis qui tribus gradibus qualitatis naturaliter ſurſum aſcendit , cur tribus aliis gradibus eiuſdem rationis prioribus adiunctis ab illo motu deſiſteret , & motum alium deorſum intenderet ? quomodo enim

augmentum virtutis, à qua effectus procedit poterit effectum impedire & alium oppoſitum producere? Hoc renuit omnis bona philoſophia, & quælibet mediocriter ordinata apprehenſio.

18 Dicunt Aduerſarij eundem impulſum poſſe eſſe principium motus ſurſum & motus deorſum, ita eadem ratione poſſe eandem qualitatem eſſe principium motus deorſum in terra, & motus ſurſum in igne. Ad rem non eſt prædicta inſtantia, non enim doctrinam traditam impugno, ex eo quod non poſſint ab eodem principio motus diuerſi & oppoſiti procedere, ſed quia intelligi nequit ab hac virtute in hac intenſionis menſura procedere hunc effectum, & ab eadem in alia maiori non poſſe hunc effectum prouenire, ſed alium oppoſitum producendum, quia effectus ille, v.g. motus ſurſum non poterat procedere ab hac qualitate intenſa vltra tot gradus, ſed ita procedat ab hac, vt quo magis remitteretur virtus, citius & intenſior produceretur effectus, quod omnino eſt imperceptibile, & quidquam aliud ſimili in impulſu non oſtenditur. Quia, qui aſſerunt eumdem impulſum eſſe principium motus ſurſum, & deorſum, ſub eadem intenſione indiuiſibiliter ſumpta aſſerunt poſſe eſſe principium vtriuſque motus, & non negant impulſum, qui ſub hac exigua intenſione eſt principium huius motus, poſſe eſſe principium eiuſdem ſub quacunque alia maiori, ſed affirmant eundem impulſum ſub eadem indiuiſibili intenſionis menſura diuerſis conditionibus obſiſtentis, vel proiicientis determinatum poſſe eſſe principium diuerſorum motuum, quia idemmet ſecundum eſſentiam, & intenſionem indifferens eſt ad hunc motum deorſum, vel illum ſurſum producendum.

19 Qvinta conclvsio. Si grauitas, & leuitas eſſent accidentia ſpecialia ſpecie diſtincta, adhuc certum non eſſet, an immediatè in ſe ipſis vna expelleret aliam, ſicuti mutuò expelluntur calor, & frigus, & aliæ qualitates contrariæ. Probo: ſi ex aliquo capite contrarietas harum qualitatum deduceretur maximè, quia ordinantur ad motus incompoſſibiles, hoc autem rem non probat, quia grauitas, & impulſus, quo mouetur corpus deorſum, ordinantur ad motus oppoſitos, & tamen non mutuò expelluntur, neque impulſus habet contrariam formam expellentem, vt probaui Controuerſ. 20. Phyſic. Punct. 3. ergo ex hoc capite non infertur contrarietas harum qualitatum, poſſent enim vtraque in eodem ſubiecto recipi, & illa quæ eſſet intenſior, ſeu maioris virtutis corpus mouere contra alterius propenſionem. Sic in intellectu componuntur ſpecies ex ſe productiuæ aſſenſuum in obiecta contradicentia, & apprehenſiones, quæ in hos aſſenſus inclinabant, & intellectus determinatur ad hunc aſſenſum, ex vi harum ſpecierum, & huius apprehenſionis, quæ euidentius proponebat obiectum.

§. III.

Argumenta ſoluta.

20 Obiicit Arriaga contra concluſionem, qua diximus grauitatem, & leuitatem non diſtingui à primis qualitatibus. Accidentia tantùm petunt eſſe in loco, vbi eſt ſubiectum, neque petunt ſpatium diſtinctum ab illo, quod habet ſubiectum: ergo non poteſt conſiſtere grauitas, aut leuitas, ex vi quarum mouetur corpus in aggregato qualitatum. Antecedens probat experientia lucis, & aliorum accidentium, quæ comitatur quodcumque corpus. Hoc argumentum, quòd adducit Arriaga contra opinionem, quæ grauitatem, & leuitatem conſtituit in aggregato accidentium, poſſet etiam adducere contra illos, qui aſſerunt grauitatem & leuitatem qualitates eſſe ſpeciales, ſed æquè inutiliter, vt conſtabit ex ſolutione quam iam ſubiicio. Reſ. omnia accidentia exigere non ſeparari localiter à ſubiecto, cui inſunt, quia illa, quæ virtutem non habent mouendi corpus, ad motum corporis neceſſariò mouentur; illa verò quæ corpus mouent ſicuti grauitas, & leuitas, petunt non ſeparari localiter à ſubiecto, quia non poſſunt ſubiectũ mouere, & permanere immobilia, ſed petunt neceſſariò moueri ſimul cum eodem ſubiecto quod mouent, & hac ratione petunt non ſeparari à ſubiecto, æquè enim eſt inſeparabilis à ſubiecto lux, quæ nequit ſubiectũ mouere, & non poteſt, dum illud mouetur, non cum illo moueri, & quodlibet aliud accidens, ſiue diſtinctum, ſiue indiſtinctum à primis qualitatibus, quod poteſt mouere corpus, ea tamen conditione, vt ſimul cum illo moueatur, & non poteſt ſubiecto moto, cum illo neceſſariò non moueri.

Obiic. ſecundò: Si grauitas, & leuitas conſiſterent in aggregato primarum qualitatum, ignis & terra non ſummè opponerẽtur in grauitate, & leuitate, quia non ſummè opponuntur in qualitatibus, conueniũt enim in ſiccitate: ergo grauitas, & leuitas non conſiſtit in aggregato qualitatum. 21
Reſpondeo corpus illud dici grauius, quod maiori conatu, ſeu maiori impetu mouetur, qui motus indiuiſibiliter prouenit à qualitatibus diuerſis, quæ dicuntur vnam efficere grauitatem, & hanc poſſe eſſe ſummè oppoſitam cum leuitate, etiamſi qualitates ſeorſum ſumptæ non ſummè opponantur, poteſt enim harum aggregatum ſummè opponi cum aggregato illarum in ordine ad motus, quos intendunt aggregata, etiamſi entitatiuè ſecundùm ſe non ſummè opponantur, poſſunt enim oriri effectus ſummè oppoſiti à principiis ſecundùm ſe non ſummè oppoſitis, præcipuè, quando principium cuiuſque effectus, etſi ſit vnum principium per ſe influens, entitatiuè non eſt vnum per ſe, ſed quoddam aggregatum per accidens.

Obiicit tertiò idem Arriaga: ſi grauitas, aut leuitas conſiſteret in aggregato primarum qualitatum, eo ipſo quod aggregatum eſſet diuerſum, eſſet diuerſa grauitas: & leuitas: ſed qualibet qualitate variata variatur aggregatum: ergo variaretur grauitas, & leuitas. Sed ſic eſt, quod etiamſi varietur vna vel altera qualitas manet eadem grauitas, & leuitas, vt videre eſt in ferro, quod æquè graue eſt dum eſt frigidum, & dum eſt candens, & valde intenſè calidum: ergo grauitas, & leuitas non conſiſtit in aggregato qualitatum. Huic argumento, quamcumque amplectaris ſententiam reſpondere teneris, ſi enim dicas grauitatem & leuitatem eſſe ſpeciales qualitates ortas ex aggregato qualitatum, eadẽ te premit difficultas, teneris enim rationem reddere, cur ex diuerſo aggregato, quod eſt dum ferrum eſt frigidum, & dum poſtea igni applicatum ingentem calorem concipit, oriatur eadẽ grauitas. Si cum Arriaga dicas motum ſurſum, & deorſum oriri immediatè à formis ſubſtantialibus, ſaltem debes dicere, quod tradit Arriaga, videlicet eandem formam cum his accidentibus producere motum deorſum, vt reſpondeas argumento deſumpto ex aqua, & vapore, in quibus eſt eadem forma, & aqua mouetur deorſum, & vapor ſurſum. Reſpondeo hunc motum deorſum cum hoc impetu oriri ab hoc aggregato qualitatum, & ab aliis quæ poſſunt eſſe intra certam latitudinem harum qualitatum, ita vt non maior motus, neque maiori impetu oriatur à calore vt quatuor, v.g. quàm à calore vt ſex adiunctorum eiſdem qualitatibus, & ſic de aliis. Hac ratione eidem prouenit motus à ferro calido vt quatuor, & calido vt ſex, & dicitur æquè graue, quia grauitatem à poſteriori metimur per motum, & illa principia ſiue in ſe magis minúſve intenſa, grauitatem æqualem dicimus conſtituere, quæ æquè in motum propendent. Hac doctrina tenemur vti reſpectu colorem, quos dicimus oriri ex aggregato qualitatum, & nihilominus ſæpe videmus corpus modo parum calidum, quod abſolutè frigidum vocamus, & poſtea valde calidum retinere ſemper eundem calorem. 22

Obiicies quartò: Difficile poſſe percipi, cum grauitas ſit paſſio formæ, & non diſpoſitio ad illam, quomodo variatum ſit temperamentum primarum qualitatum ſufficienter vt mutata ſit grauitas in leuitatem, & tamen non fuerit ſufficienter mutatum pro forma ſubſtantiali, cuius per ſe eſt paſſio ea grauitas. Si difficultas hæc alicuius eſt momenti, in eandem coniectus eſt Arriaga, quod facilè euincam. Affirmat Arriaga eodem n. 85. vbi prædictam obiectionem adducit, quod etiamſi grauitas ſit identificata cum ſubſtantia nihilominus indigere certis accidentibus, vt actu poſſit grauitare, & corpus deorſum mouere, quibus deficientibus corpus graue virtutem non habet actu ſecundo conſeruandi ſe in loco ſibi debito, quod cõtingit in aqua ad vapores redacta, quæ virtutem non habet deorſum deſcendendi. Ex hac doctrina argumentor: Aqua intrinſecè per ſuam entitatẽ grauis ſeu potens ſe deorſum mouere, exigit ex natura ſua accidentia illa neceſſaria ad motum, ſiue hæc paſſionẽ appelles, ſiue non: ergo intelligi non poteſt deficere accidentia, ſeu primas qualitates requiſitas, tanquam cõditiones, vt aqua ſe moueat deorſum, & oppoſitas aduenisse, & adhuc permanere qualitates requiſitas vt diſpoſitiones, vt ſubſiſtat forma. Quod ſi bene percipit Arriaga poſſe deficere qualitates primas requiſitas vt cõditiones ad motum deorſum, & non deficere 23
requiſitas